

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

KW 40
E2

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Geg. 15.
le Bes

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Allemagne Complet

C'est ici l'ouvrage du premier Geographe de son siecle ce titre n'est contesté à Philippe Cluvier par aucun ecrivain, Cluvier joignoit à la plus grande erudition la connoissance de dix langues differentes. La Germanie antiqua de cet auteur est plus recherchée que son Italia antiqua sans doute par ce que les exemplaires en sont devenus plus rares, ou à cause qu'il y a plus des personnes qui s'attachent à l'ancienne histoire d'allemagne qu'à celle d'Italie. et que la premiere est ornée de plusieurs gravures en taille douce. au reste cet ouvrage deviendra de jour en jour moins commun, puisqu'il est apparent qu'il ne sera plus jamais imprimé

232 D 2

PHILIPPI CLVVERI

ITALIA ANTIQVA,


CVM

SICILIA, SARDINIA & CORSICA.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

KONINKL.
BIBLIOTHEEK
TE 'SHAGE.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

SERENISSIMO

VENETIARVM PRINCIPI,

NEC NON

Auguſtiſsimo ejusdem

REIPUBLICÆ SENATVI,

S D

DANIEL HEINSIVS.

MAgnus ſemper, Princeps Sereniſsime, & Vos, Patres Auguſtiſsimi, Belgarum fuit animus. Hac præſertim tempeſtate. quâ ſic extra ditionem noſtram hoſtis impetum ac vires annos aliquot ſubſiſtimus ac ſuſtinemus, vt in eâ, tanquam præmia bellorum, pacis artes excolamus. Quæ haud facile eſt dictu, quantos, partim liberalitate procerum noſtrorum, partim laudis ſtudio ac æmu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

latione, ſecerint progreſſus. niſi quod Geographia, neſcio quo fato ſuo, ſerius exculta eſt. Quæ auctore ſuo felix, viro præſtantiſsimo & ad hoc nato, tantos derepente animos aſſumpſit, vt, cum maximâ noſtrorum laude, orbem vniverſum, ſigillatim ac per partes deſcribendum, curæ ſuæ deſtinaret. In quo eminet Italia, terrarum domina ac Princeps. cuius tanta olim virtus fuit, vt non alios, quam orbis ipſe, dominationis ſuæ terminos haberet. eadem, quæ literis ac diſciplinis, vniverſum ad humanitatis cultum imbuit ac informavit. Quam cum magni homines utcunque hoc ævo deſcripſiſſent, ac poſt eos autor noſter accuratius delineaſſet, eo animo ac generoſitate

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

roſitate fuit, vt priusquam vel opiniones ſuas vel errores cæterorum divulgaret, veritati prius ex aſpectu ſerio litare vellet. cui rei cum à liberalitate eorum, quorum curæ Academia incumbit, ocium ac commeatum impetraſſet, ita totam pedes eſt emenſus, oculis luſtravit, longitudines locorum ac diſtantias exegit, veterem cum novâ, hanc cum illâ, contulit, compoſuit, expendit; vt vbique è præſentibus antiqua, ea quæ non ſatis hodie intelliguntur, ex antiquitate illuſtret. &, quod factum hactenus à nemine eſt, auctores ipſos quos adducit, non è libris aut opinione, ſed ad oculum emendet. Opus, vt laboris ſummi, ita inexhauſtæ eruditionis. iis vel imprimis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

mis admirandum, qui Italiam aut ſtudium antiquitatis amant, cuius magna pars Italiam eiusque fines non excedit. Nam Græcorum natio, vt pridem expugnata, ita vel contemptum vel ſecuritatem animis legentium ex ſervitute induxit. cum quâ, cætera victoris fiunt. ne exceptis quidem literis ac diſciplinis: quas terrarum imperatrix Roma poſt victoriam non aliâ de causâ quam qua ſpolia è bello bona fide poſsidentur, ad ſe transtulit ac vindicavit. niſi quantum illis ad ſolatium amiſſæ libertatis ſupereſſe voluit quos vicit. Porro, quod terrarum orbi eſt Italia, id orbi ac Italiæ Vos eſtis; nervi rerum humanarum, ac cœleſtis providentiæ imago. qui,

vt dominum in terris,ita in Italiâ ſuperiorem non habetis. In quâ tantum libertatis reſtat,quantum Vos, vel armis extra ſervitutem poſuiſtis, vel prudentiâ ac legibus ab eâ vindicatis. Quod depoſitum prope ultra fidem ac memoriam hiſtoriarum, animo eodem, ſartum tectum a vicinis ſimul ac externis conſervatis. nel vel ætas noſtra, quæ Romanos ſemper loquitur & Græcos, vel iuventus veſtra, quicquam præter Vos inveniat quod imitetur. qui, vt libertatis ſtudio antiquitatem, ſic antiquitate libertatis,ipſam prope antiquitatem ſuperaſtis: omnia, non loca tantum, ſed,quod, niſi veritas obſtaret, fabulis accenſeretur,tempora victoriis complexi. Te-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

ſtis eſt ante annos plurimos in Græcia Methone ac Corone: teſtes inſulæ in eâ celeberrimæ, Corcyra, Cephalenia, Zacynthus, Itache, ac nobiliſsima Eubœa. teſtis in eâdem Græciâ, Naupactus: teſtis Aſiæ propinqua Cypros. teſtis denique ipſa legum & antiquitatis mater, Creta. Solem quoque, hercules, in regno ſuo orientem invaſiſtis. in qua, Tyrum, Berytum, Sidônem, ac poſtremo Ioppen, occupaſtis. vt de Thracia ne dicam: in quâ Regiam Conſtantinopolin non ſemel ſubegiſtis, ſemel vero, quod non paulo maius eſt, donaſtis. Quas res veſtras, cum vel ita celebrarint hactenus vel admirati ſint plerique, vt exhauſtis omnium ingeniis ac ore, ipſa quoque

com-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

commendatio, vt cætera quæ vſitata ſunt, lectori, vel faſtidioſo vel ignavo, ſine curâ aut attentione transmittatur, novum aliquid ac longe auguſtius, in Belgio excogitandum fuit. Vt Italia, quæ maieſtate ſui nominis, terrarum orbem olim ſubiugavit, nunc, potiſsimum virtutis veſtræ admiratione, implevit, Maieſtati Venetæ inſcriberetur. Quod autori non incommode in mentem vênit. Qui, ex legibus ſupremæ voluntatis, nobiliſsimum, quod hic offerimus Legatum, Vobis, Princeps Seren.me & Vos Patres, nuncupandum, conſecrandum, cenſuit, curavit. Cum quâ, Regiæ humanitatis ac favoris veſtri fructum, de quo, tot exemplis monitus, præclare iudicabat, liberis duobus ſuperſtitibus reliquit: gnarus, inter

maie-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

maieſtatis Veſtræ cauſas eſſe, quod benignitate cæteros viciſtis. Quam vt diu cum reliquis virtutibus, quæ primo omnium in poteſtatem domini cum laude ſua transeunt, invicto liberoque exerceatis animo, in huius tam auguſti operis, Italiæ victricis populorum, aditu ac limine, precamur, Patres, veneramur: vt, quemadmodum invicti hactenus ſtetiſtis, ita Deus immortalis, quo liberius ac magis ſuæ ſpontis nihil extat, Divi Marci gentem, orbis tot iam annos Chriſtiani vindicem, & quaſi murum infidelibus oppoſitum, dominatione penitus intactam, ad poſteritatem omnem, cum horrore perduellium, transmittat. vt æternitate libertatis omnes vincat, quos diuturnitate eius hactenus in terris ſuperavit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

AMICO LECTORI.

Prodit tandem, Lector amiciſsime, tot votis ac ominibus doctorum expetita princeps eruditionis ac antiquitatis genitrix Italia: quam Belgarum curę ac munificentię, vt alia non pauca, hac ętate Europa debet. Scriptum, quod, non ſine cauſa, Cornu Amalthea, & vberiorem in pleroſque auctores Gręcos ac Latinos Commentarium, inſcribas. Poſt quod nihil humile aut protritum agitabat auctor, vt qui jam de Orbe, ſigillatim ac per partes deſcribendo, illuſtrando, ac dimetiendo, univerſitatis operi par, cogitarat. Neque de ſucceſſu dubitandum. niſi manum inieciſſet ille à quo res humanę continentur.

Θεοῦ δὲ πληγὴν οὐχ᾽ ὑπερπηδᾷ βροτός.

Poſt Italiam, de Gręcia ac Gallia ſpem omnibus commôrat. ad quę magni hac ętate viri ſponte ardentem impellebant. Inter cęteros vir Illuſtriſsimus Dominicus Molinus, Venetus Senator: quo heroe, nihil elegantius, humanius, ac generoſius, Italia hęc habet, aut antiqua celebrat. Quippe qui, vt inter primos eſt, qui admirandam generi humano Venetorum libertatem, mente ac dignitate ſuſtinent, virtutis, *vt cum illo loquar,* nobiliſsimæ, labore, vigilia, pro patria invictus, *ita eruditionis per Europam genium ac fata, non inerti cura providentię hoc ęvo genitus, diſpenſat. qui, quemadmodum haud pauca, quę ad Gręciam Italiamque facerent, ſuppeditavit, ſic aſsidue, languenti calcar (quę heroum ſuada eſſe ſolet) in hoc opere aut admovit, aut ad alia ſubſidiis prolixe invitavit. Hoc Muſarum nobile Palladium ac tutelare numen, in Italia quod non vidiſſet (fœdus quippe inter duos celeberrimos ętate noſtra populos tam excellentem Batavis aperuit virtutem) vsque ad ſummum fati diem deploravit. cum non dubitaret, comitatem eius ac auctoritatem multum profuturam ſibi hic fuiſſe. Poſt hoc porro opus tam illuſtre ac elaboratum, nihil, pręter accuratum ac dilucidum Geographię corpus ac compendium habemus. quod ab ipſo auctum plurimis in locis atque interpolatum, longe aliud ab eo quod nonnulli manu ſua ſcriptum poſsident, jam prœlo deſtinamus. Tu, Amice Lector, ſcripta viri poſthuma ſic habe, vt pupillos eius cui iam Germaniam Siciliamque debes. hoc maiore ſtudio ac cura, quod ab eo nihil amplius ſperari poteſt, à quo tam prędara, partim accepiſti, partim, ſi res voti eſſet, jam ſperares.*

AD SERENISSIMAM

VENETORVM REMPVBLICAM,

cum Italiam hanc ſuam inſcripturus ei eſſet

Vir celeberrimus

PHILIPPVS CLVVERIVS.

REgina ponti, fulmen Italæ terræ,
Orbis voluptas, quam ſuperba majeſtas
Dolensque vinci, legibus ſuis tutam
Infixit vndis, indomabilem terris;
Tuas ad aras, orbis arbiter magni,
Et ordinator, & peritus emenſor,
Et omnium luſtrator, omnium exactor,
Ex orbe toto, mente quem tenet fixum,
Illuſtre munus, Italam dicat terram;
Vt, quæ voluptas, quæque culmen eſt rerum,
Et fons, & omnis elegantiæ meta,
Tibi imputetur, Diva, maximæ rerum,
ITALICA TELLVS, PRINCIPI ITALÆ TERRÆ.

DANIEL HEINSIVS.

ARGV-

ARGVMENTA RERVM,

quæ hoc primo tomo continentur,

LIBER PRIMVS.

Quo primùm ſumma univerſæ Italiæ gentiumque eam incolentium peragitur deſcriptio: tum regiones ac populi inter Alpeis & Apenninum quondam ſiti explicantur: quæ pars Italiæ *Gallia* dicebatur *Ciſalpina*.

CAPVT I. *De variis* Italiæ *nominibus.* Pag. 1.
CAP. II. *De finibus univerſæ* Italiæ. 16.
CAP. III. *De figura, magnitudine, ac ſitu* Italiæ. 21.
CAP. IV. *De Apennino monte, mediam fermè Italiam ſecante.* 28.
CAP. V. *De natura cœli ſolique Italici, ac laudibus eius.* 32.
CAP. VI. *De incolis Italiæ, ac vario eorum ſermone: item de diviſione huius terræ in varia gentium nomina.* 37.
CAP. VII. *De Ligurum nomine ac genere; item de ingenio & moribus eorum.* 46.
CAP. VIII. *De finibus Liguriæ Italicæ; deque diviſione eius in varia populorum genera.* 54.
CAP. IX. *De locis fluminibusque Liguriæ maritimis.* 61.
CAP. X. *De locis Liguriæ mediterraneis.* 74.
CAP. XI. *De Taurinis.* 87.
CAP. XII. *De Cottii & Ideonni, Alpinorum regulorum, regnis.* 90.
CAP. XIII. *De Salaſſis.* 94.
CAP. XIV. *De Lepontiis.* 98.
CAP. XV. *De Euganeis.* 102.
CAP. XVI. *De Rhætia & Rhætis.* 111.
CAP. XVII. *De Venetorum nomine ac genere; item de Venetiæ finibus, fecunditate ac fertilitate.* 125.
CAP. XVIII. *De Venetiæ opidis, fluminibus, & aliis locis.* 133.
CAP. XIX. *De Carnorum genere ac finibus.* 169.
CAP. XX. *De Carnorum agro, fluminibus, urbibus & aliis locis.* 177.
CAP. XXI. *De Hiſtria & Hiſtris.* 204.
CAP. XXII. *De Gallia Ciſalpina, variiſque eius nominibus: item de Gallorum in Italiam tranſitu: qui populi tranſierint; & qualeis ab initio in Italiâ habuerint habitationes.* 217.
CAP. XXIII. *De Libicis; qui & Libicij, & Lebecii. Item de Lævis, ſeu Levis, & Maricis.* 230.
CAP. XXIV. *De Inſubribus.* 237.
CAP. XXV. *De Orobiis.* 246.
CAP. XXVI. *De Cenomanis.* 250.
CAP. XXVII. *De Gallia Ciſpadana, ac primùm de Gallis Ananibus, ſive Anamanis.* 264.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

CAP. XXVIII. *De Bojis & Lingonibus.* 271.
CAP. XXIX. *De Senonibus.* 309.
CAP. XXX. *De Alpibus, ac primùm quidem de nomine earum.* 316.
CAP. XXXI. *De tractu Alpium, longitudine, latitudine, atque altitudine; item de natura earum.* 322.
CAP. XXXII. *De diviſione Alpium, & variis earum tranſitibus ſive viis.* 335.
CAP. XXXIII. *Qui mortalium primi Alpeis ſuperaverint: quique poſtea alii ſubinde atque alii exercitus quibus itineribus tranſcenderint; ubi de Hannibalis tranſitu plurima eſt diſſertatio.* 355.
CAP. XXXIV. *De Pado amne, ac primum de nominibus eius veris falſisque.* 386.
CAP. XXXV. *De Padi fonte, curſu, & oſtiis.* 394.
CAP. XXXVI. *De fluviis ac Lacubus in Padum defluentibus.* 407.

LIBER SECVNDVS.

Quo Etruria, Vmbria, Sabinus ager, Picenum, Veſtini, Marrucini, Peligni, Marſi, & Æqui deſcribuntur.

CAP. I. *De Tuſcorum ſive Etruſcorum variis nominibus ac genere; item de gemina Etruria. ubi etiam de Pelaſgis agitur, cognomine Tyrrhenis: qui primi Etruriam in* XII *populos principatusque diſtinxerunt.* 419.
CAP. II. *De locis fluminibusque Etruriæ maritimis; inſulisque Etruſco litori objacentibus.* 455.
CAP. III. *De locis Etruriæ mediterraneis.* 506.
CAP. IV. *De Vmbrorum nomine ac genere; item de variis Umbriæ finibus.* 593.
CAP. V. *De opidis fluminibusque Vmbriæ maritimis.* 603.
CAP. VI. *De locis Vmbriæ mediterraneis, inter mare Hadriaticum & Apenninum ſitis.* 612.
CAP. VII. *De locis Vmbriæ mediterraneis, inter Apenninum & Sabinum agrum ſitis.* 624.
CAP. VIII. *De Sabinorum nomine, genere, ac finibus.* 641.
CAP. IX. *De Sabinorum opidis, aliisque locis.* 653.
CAP. X. *De Tiberi amne; aliisque fluminibus in eum defluentibus.* 694.
CAP. XI. *De Picentibus, ac regione eorum Piceno. item de Præputiis.* 722.
CAP. XII. *De Veſtinis.* 748.
CAP. XIII. *De Marrucinis.* 752.
CAP. XIV. *De Pelignis.* 754.
CAP. XV. *De Marſis.* 759.
CAP. XVI. *De Aequis; qui & Aequani, & Aequiculi, & item Aequiculani.* 773.

AVCTO-

AVCTORES,

quorum loci nonnulli corrupti emendantur, adſeruntur vel indicantur.

AElianus; pag. 141, lin. 14. 157, 10. 898, 7.
Aethicus; 879, 23.
Agathias; 164, 33. 295, 22. 337, 39. 506, 43. 510, 2.
Aggenus; 746, 34.
Altiſſiodorenſis; 1015, 39.
Anaſtaſius; 883, 20.
Antoninus; 72, 6. 81, 48. 340, 51. 525, 15. 528. 31. 639, 49. 769, 8. 784, 7. 1227, 22. 1279, 45. 1280, 35. 1289, 4.
Annius Viterbienſis; 457, 47. 476, 12.
Apollodorus; 4, 28. 317, 29.
Appianus; 174, 51. 175, 14. 554, 37. 588, 33. 707, 37. 723, 44. 740, 25. 755, 25. 939, 29. 949, 51. 959, 17. 1067, 17. 1076, 4. 1179, 22. 1199, 54. 1209, 43. 1224, 46. 1259, 49. 1305, 46.
Ariſtoteles; 513, 10. 1253, 46. 1273, 44. 1290, 8, 33.
Auctor de viris illuſtribus; 159, 48.
Balbus; 614, 57.
Cæſar; 625, 11. 1205, 13.
Caſſiodorus; 258, 13.
Catullus; 412, 48.
Cedrenus; 838, 14.
Chronicon Caſſinenſe; 457, 29. 1008, 50. 1145, 30.
Cicero; 474, 47. 604, 13. 679, 31. 752, 6. 909, 18, 50. 918, 29. 920, 7. 921, 35. 936, 51. 983, 16. 1083, 40. 1155, 54. 1257, 52. 1299, 41. 1302, 38.
Claudianus; 151, 24.
Columella; 1142, 48.
Diodorus; 311, 21. 465, 8. 509, 24. 534, 34. 537, 37. 557, 6, 30. 562, 42. 566, 28. 572. 29. 753, 15. 755, 15. 758, 36. 772, 16. 774, 17. 777, 35. 780, 15. 948, 43. 958, 15. 1012, 55. 1030, 8, 28. 1037, 30, 54. 1044, 49. 1082, 9. 1184, 9. 1214, 30. 1215, 9. 1291, 4. 1313, 45.
Dion; 873, 23.
Dionyſius; 197, 54. 454, 13. 531, 18. 574, 15. 643, 33. 660, 55. 665, 54. 668, 32. 682, 33. 684, 18. 712, 39. 778, 1. 780, 1. 869, 10. 919, 37. 939, 20. 968, 43. 1009, 48. 1014, 15. 1020, 1. 1021, 26. 1028, 30. 1054, 35. 1290, 9, 33.
Dioſcorides; 745, 2. 749, 10. 1086, 2.
Euagrius; 306, 14.
Euſebius; 1067, 19.
Euſtathius; 183, 36. 197, 50. 463, 18. 695, 33. 1265, 5. 1297, 3. 1311, 32.
Eutropius; 330, 29. 530, 55. 656, 13.
Feſtus; 465, 49. 506, 43. 550, 44. 697, 2. 718, 5. 822, 22, 54. 838, 53. 856, 28. 966, 49. 991, 46.
Florus; 510, 39. 970, 20. 1201, 15. 1275, 47.
Fortunatus; 200, 12.
Freculfus; 541, 46.
Frontinus; 418, 5. 514, 45. 568, 14. 572, 39. 719, 20. 742, 12. 744, 50. 746, 29. 785, 31. 1201, 23. 1226, 52. 1256, 47.
Galenus; 1160, 25.
Gotefridus Viterbienſis; 341, 47.
Gregorius Magnus; 516, 18, 24.
Horatius; 1225, 32.
Horatii commentat. 493, 3. 921, 8. 944, 42.
Hyginus; 214, 53. 925, 37. 926, 18. 943, 37. 996, 10, 15, 17, 21. 1001, 1.
Iohannes Tzetza; 5, 54. 317, 29.
Iornandes; 187, 14. 304, 1, 50. 398, 21. 510, 42. 647, 27. 970, 13.
Iſacius Tzetza; 152, 44. 211, 50. 1216, 16, 36. 1258, 9. 1272, 31.
Iſidorus; 205, 54. 695, 48. 761, 11.
Iulius Capitolinus; 936, 35.
Iulius Obſequens; 884, 57. 936, 32. 992, 1.
Iuſtinus; 358, 43.
Iuvenalis; 632, 15. 702, 4.
Iuvenalis ſcholiaſtes; 261, 29.
Livius; 58, 56. 59, 57. 77, 29. 78, 21. 82, 15. 106, 9. 136, 55. 174. 24. 193, 28. 225, 40. 231, 53. 151, 50. 268, 13. 274, 21. 275, 31. 341, 52. 360, 37. 367, 18. 371, 37. 480, 38. 500, 19, 33. 509, 32. 522, 34. 530, 55. 548, 22. 562, 40. 584, 7. 587, 31. 589, 45. 633, 4. 660, 55. 669, 38. 731, 17. 772, 4. 777, 12. 886, 25. 936, 27. 939, 8. 966, 6. 968, 43. 969, 20. 981, 19. 988, 3. 1020, 32. 1028, 46. 1035, 50. 1046, 44. 1079, 20. 1082, 42. 1097, 26. 1183, 27, 35, 44, 52. 1186, 45. 1194, 29, 50. 1204, 40. 1225, 15. 1265, 17. 1285, 47.
Livii epitomator; 159, 33. 480, 31. 732, 55. 939, 28.
Luithprandus; 294, 3. 416, 40.
Lycophron; 1274, 23.
Macrobius; 969, 39.
Marcellinus; 63, 21. 90, 34. 99, 7. 185, 15. 338, 14.

Mar-

Martialis; 401,30. 402.26. 728,22. 933,30.
Martianus Capella ; 23, 56. 25,9. 27,34. 501,40. 994, 1. 1091,29. 1306, 10.
Martyrologium Romanum; 685, 3.
Mela; 18, 2. 198,13. [205, 24,31. 241,40. 320, 51. 483,33. 502, 25. 505, 54. 609,16. 612,2. 733, 46. 820,10. 1014, 47. 1207, 18. 1240, 6. 1248, 32. 1295, 47. 1305, 5.
Nicephorus ; 306, 15. 327, 28. 637,47.
Oroſius; 106, 8. 169,19. 541, 42. 566,45. 733, 33. 914, 26.
Ovidius; 93, 56. 990,38.
Paulus Diaconus; 112, 12. 160,52. 179,20. 417, 43. 540,36. 542, 16. 643, 31. 732,33. 1046, 26.
Paulus Iovius ; 109, 57.
Pauſanias ; 712,51.
Phylargyrius ; 1148, 20. 1237, 21.
Pindari ſcholiaſtes; 1166, 52.
Plautus; 951,30.
Plinius; 62, 26. 78,10,50. 134,27. 162,39. 163, 15. 177, 20. 178,33. 184,23. 198,38. 217,51. 223, 37. 233,32. 250, 2. 276, 26. 301,2. 303, 1. 395, 10. 396,40. 397, 43. 404, 35. 407,39. 408, 3. 462, 28. 463, 50. 454, 49. 480,20. 501, 29. 502, 24. 504,57. 508, 28. 517, 29, 47. 547, 35, 39. 550,10,46. 562,22. 575, 30. 593, 57. 630, 54. 632, 8. 643, 32. 702,53. 738, 38. 740, 33. 745, 44. 763, 35. 766,46. 856, 2. 860, 45. 868, 14. 890, 27. 1145, 24. 1146,35. 1195, 42. 1196, 15. 1204, 27. 1205, 11. 1236,4. 1239, 32. 1248,13,37. 1251, 13. 1258,48. 1285, 50. 1289,1,27. 1292, 26. 1295,39. 1298,52. 1306,10.
Plutarchus; 224,40. 432,13. 531,21,57. 636, 20. 654, 20. 812, 13. 826, 8. 869, 8. 919, 16, 36. 948, 55. 949, 46. 1004,6,34. 1020, 20. 1067,16. 1094, 24. 1159, 53. 1179, 8. 1220,18. 1250, 25. 1284, 48.
Polybius; 100, 23. 225,14. 231, 7. 239,26. 252,14. 265, 1, 21. 277,23. 330,9. 366,50. 367, 17. 396,9. 409, 35. 410, 52. 552, 33. 588,10. 1174, 22. 1219, 19. 1224, 44.
Probus grammaticus; 1241,25.
Procopius; 306,13. 337, 38. 509, 16. 511,14. 633, 20. 724, 4. 873, 30. 1157, 18. 1242, 46.
Ptolemæus; 19,38. 57,30. 72,38. 76,37. 98, 48. 156, 47. 174,48. 179, 34, 202,29. 233, 23. 274, 14. 328, 54. 337, 37. 342, 22. 353, 32. 354,44. 355, 11. 408, 2. 515, 33. 517, 11. 518,12. 612, 3. 615,20. 620,1. 625,24. 626, 34. 630, 53. 639, 55. 738, 38. 744, 48. 767, 12. 769, 2. 1046,32. 1068, 21. 1079,32. 1207,20. 1248,9. 1291,6.
Scylax; 54,44. 433, 48. 595, 42. 985, 56. 1253, 10. 1292, 43.
Servius; 2,24. 3, 34. 51,54. 129, 23. 194,37. 255, 7. 339, 53. 413, 53. 414, 1. 455, 12. 464,17,33. 503,23. 547, 10. 548, 12. 590, 51. 593,16. 697,28. 705,32. 706, 14. 707, 51. 801,47. 881,15. 925,37. 952,21. 975,50, 978,13. 1014,37. 1087,37. 1119. 38. 1125,44. 1240,19. 1294,24.
Sextus Aurelius Victor; 791, 18.
Silius ; 410, 28. 937, 13. 1261, 55.
Solinus ; 25, 11, 54. 26, 45. 33, 30. 519, 56. 668, 50. 759, 53. 921, 13. 961, 16. 1091, 20.
Sotion ; 414, 31. 523, 56. 685, 19. 1063, 48.
Statius; 630, 14.
Stephanus; 674,17. 689,17. 697,6. 723,54. 782,9. 956,46. 1016,17. 1019, 55. 1029, 50. 1103,7. 1219,38. 1259,47. 1265,43. 1294, 30. 1324,30.
Stephani epitomator; 137,17. 176,48. 197, 12. 257,6. 283, 17. 319, 38. 502, 31. 518,22. 520,44. 529, 27. 576. 30. 636, 19. 703, 48. 780,15. 798,31. 898,21. 899,50. 941, 36. 1031,17. 1046,53.
Strabo; 55, 37. 73,13. 82, 1. 99, 50. 103, 44. 140, 45. 144, 51. 156, 42, 53. 157, 2. 167, 56. 172, 1, 47. 174, 41. 176, 48. 180,55. 183, 31. 203, 40. 245, 1. 248, 8. 318, 31, 47. 345,36. 348, 16. 349, 4. 352, 20, 46. 353, 16. 357, 43. 408, 23. 417, 29. 462, 27, 42. 465, 34. 483, 52. 504,7. 518, 26. 522, 57. 537, 52. 538, 34. 556, 24. 608. 16. 612, 7. 625, 25. 626, 14. 638,20. 639, 51. 650, 54. 665, 13. 689, 25. 699,52. 713, 27. 723, 44. 736, 29. 737, 17. 755, 50. 783, 40. 872, 13. 920, 36. 922, 25. 923, 9. 935, 56. 936, 6, 939, 34. 974, 51. 983, 35. 991,32. 1002, 32. 1017, 52. 1025, 43. 1036,17,55. 1063,18. 1101,54. 1116,25,34. 1117, 11. 1129, 56. 1130, 9. 1161,45. 1165,14, 40. 1188, 33. 1196,10. 1212, 37. 1242, 1,40. 1244, 8. 1245, 25. 1247, 3, 19, 43. 1249,27. 1251, 17, 52. 1258, 2. 1265, 39. 1273,20. 1278,23. 1290, 10. 1292,30. 1293, 8. 1295,21. 1296, 13. 1301,22. 1311,31. 1319, 57. 1321, 43. 1322, 17.
Svetonius; 153,32. 689, 53. 766, 26. 875, 6. 964,43. 966,41.
Tabula itineraria; 76,37. 80, 48. 72, 36. 98,27. 164,53. 258, 25. 261, 45. 406, 1. 409,13. 416,57. 418,14. 467,42. 522,46. 570, 21. 624, 41. 631, 39. 731. 35. 883, 28. 1154, 51. 1179, 29. 1187,14. 1240,16. 1249, 55. 1250, 47. 1254, 10. 1317, 24.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Tacitus; 765, 54. 784, 46. 962, 13. 1213. 3.
Valerius Maximus; 575, 27. 967, 42. 1209, 44.
Varro; 420, 29. 517, 47. 521, 26. 545, 44. 648, 53. 697, 50. 1042, 39.
Velleius Paterculus; 555, 46. 968, 16. 1205, 14.
Vibius Sequeſter; 709, 13. 763, 55. 771, 3. 991, 54. 1254, 40.
Vitruvius; 545, 56.
Vſuardi Martyrologicum; 544, 26. 575, 52.
Zoſimus; 351, 12. 385, 53. 637, 43.

INDEX

Tabularum Geographicarum tomi primi, quo quæque loco inſerendæ.

LIB. I.

I. Summa Italiæ antiquæ, & adjacentium inſularum deſcriptio. Pag. 1.
II. Alpium Cottiarum Maritimarum incolarum, adcolarumque populorum deſcriptio. pag. 46.
III. Rhætiæ & Lepontiorum, Eugarnorumque ac Orobiorum agri deſcriptio. pag. 111.
IIII. Venetiæ, Hiſtriæ, & Carnici agri deſcriptio. pag. 125.
V. Alpium Penninarum, Grajarum, & Cottiarum incolarum adcolarumque populorum deſcriptio. 316.

LIB. II.

VI. Etruriæ deſcriptio. Pag. 419.
VII. Vmbriæ deſcriptio. pag. 593.
VIII. Sabinorum, & Marſorum agri deſcriptio. pag. 641.
IX. Piceni; & Veſtinorum, Pelignorum, ac Frentanorum agri deſcriptio. pag. 722.

SVMMA

SVMMA PRIVILEGII.

Illuſtriſſimorum ac Præpotentum D D. Ordinum Confœderati Belgij Provinciarum Privilegio cavetur, ne quis Nouantiquam D. PHILIPPI CLVVERII *Geographi Jtaliam, cum Tabulis deſcriptam, hôc decennio ſequenti, præter eos quibus hoc conceditur,* Bonaventuram, *nempe, &* Abrahamum Elzevirios, *Typographos, in totum aut contractam, ſimul aut per partes, ratione qualibet in ditione hac vel excudat, vel excuſam alibi, venalem habeat: ſub pœnâ, partim confiſcationis exemplarium ipſorum, partim trecentorum florenorum, quorum tertia prætori, tertia pauperibus, quæ reſtat tertia, Typographis jam dictis cedat. Actum Hagæ, in conventu eorundem Illuſtriſſimorum atque Præpotentum D D. Ordinum. 23. Decembris, Anno 1622.*

Nicolaus vanden Bouchorſt v^r.

Ad mandatum Præpot. D D. Ordinum Generalium ſubſignatum

C. AERSSEN.

PHI-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

PHILIPPI CLVVERII

ITALIAE ANTIQVAE

LIBER PRIMVS.

Quo primùm ſumma univerſæ ITALIAE gentiumque eam incolentium peragitur deſcriptio: tum regiones ac populi inter Alpeis & Apenninum quondam ſiti explicantur: quæ pars Italiæ GALLIA dicebatur CISALPINA.

* *
*

CAPVT PRIMVM.

De variis ITALIAE *nominibus.*

TERRAM ITALIAM, ab freto Siculo ad Alpeis usque inter mare ſuperum inferumque protenſam, qui ab initio habuerint mortales, parum in tantâ temporum longinquitate compertum eſt. nec conſtat, unus poſt inundationem terrarum ab urbe Babylone profectus in diſperſione gentium populus regionem hanc occupaverit omnem, unumque univerſæ nomen impoſuerit; an aliæ ſubinde atque aliæ in terras cultoribus vacuas invectæ gentes, ſuis quæque ſedibus vocabula dederint diverſa. Virgilii verſus eſt Aeneid. lib. VIII huiusmodi:

Sæpius & nomen poſuit Saturnia tellus.

ITALIAE varia nomina.

Ad quem commentator poëtæ Servius, *Italia*, inquit, *plura nomina habuit. dicta eſt enim Heſperia, Auſonia, Saturnia, Vitalia.* Hinc etiam Iſacius Tzetza in commentariis ad Lycophronis Alexandram, de Aeneâ: Αὐτὸς δὲ ἀπὸ Μακεδονίας ἦλθεν εἰς Ἰταλίαν, ἣ πρὶν Ἀργεσσα ἐκαλεῖτο, εἶτα Σατορνία· εἶτα ἀπὸ Αὔσονος Αὐσονία· εἶτα ἀπὸ Ἰταλοῦ Ἰταλία. Id eſt: *Ipſe à Macedoniâ venit in Italiam; quæ anteà Argeſſa vocabatur; dein Saturnia; mox à quodam Auſone Auſonia; ac poſteà ab Italo Italia.* Vocabulum iſtud ARGESSA an ſatis ſit probum ac ſine mendo, meritò aliquis dubitet; quando permulta alia propria nomina in iisdem commentariis corrupta eſſe deprehenduntur. Quòd ſi probum; miror ego, unde id ſolus habuerit Tzetza. nec facilè diſpicio, unde terra ſic dicta: niſi ab *otio*, vel *ignaviâ* atque *inertiâ* incolarum Ἀργόεσσαι ſive Ἀργοῦσαι Græcis hominibus adpellatam ſuſpicari libeat. Cæterò apud Macrobium à Protarcho Tralliano vocatur CAMESENE. Verba Macrobii Saturnalior. lib. I cap. VII hæc ſunt: *Regionem iſtam, quæ nunc vocatur Italia, regno Ianus obtinuit: qui, ut Hyginus, Protarchum Trallianum ſequutus, tradit, cum Cameſe, æquè indigenâ, terram hanc ita participatâ potentiâ poſſidebat, ut regio Cameſene, opidum Ianiculum vocitaretur. Pòſt ad Ianum ſolum regnum redactum eſt. Hic Ianus quum Saturnum, claſſe pervectum, excepiſſet hoſpitio; &, ab eo edoctus peritiam ruris, ferum illum & rudem ante fruges cognitas victum in melius redegiſſet; regni eum ſocietate muneravit.* Ex quàm probis idoneisque *Cameſen* iſtum, *Italiæ indigenam*, produxerit Protarchus Trallianus monumentis, equidem ignoro: & iterum miror, nullum apud tot alios auctores, qui Italiæ antiquitates ſcripto prodiderunt, exſtare de eo veſtigium. tum vehementer adhuc dubito, omnium Italicarum gentium fueritne deus *Ianus*, an *Latinorum* tantùm; qui ipſi non indigenæ, ſed advena fuêre gens, origine

ARGESSA.

CAMESENE.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Græci; anteà *Aborigines* dicti; ac primùm *Oenotri*; ut latiùs ſuo loco demonſtrabitur. *Saturnum* autem Aboriginum habitum fuiſſe regem atque deum, mox infrà patebit. Id verò ſcio; Græcam eſſe formationem vocabuli Καμεσήνη, ab Græco ex Aſiâ homine, Trallibus nato, ad eumdem nodum ἀπὸ τοῦ Καμέσου, id eſt, *à Cameſis* nomine derivatum, ut permulta alia in eâdem Aſiâ regionum nomina apud auctores formata reperiuntur. Nec æqua erat potentiæ participatio, ſi omnis prædicta regio à Cameſe *Cameſene* à Iano verò unum ſolum opidum vocatum fuerit *Ianiculum*. Sed hæc manifeſtam fortè arguant vanitatem Græcorum: qui omnium ferè gentium urbiumque vetuſtiorum origines dum illuſtraſſe videri voluerunt; immanibus obſcurarunt fabulis nugisque abſurdiſſimis. ex quorum officinâ hunc quoque Cameſen ſimul cum Iano prodiſſe puto. Atque non regnum tantùm Ianum cum Cameſe participaſſe fabulatus eſt Trallianus iſte Protarchus; ſed etiam filiam eius in matrimonium accepiſſe, nomine *Cameſenen*. quod ex Servii, qui permulta ex Hygino transſcripſit, commentariis ad Virgilii prædictum Aeneid. lib. VIII colligo. Verba poëtæ ſunt iſta:

Tum reges aſperque immani corpore Tybris:
A quo pòſt Itali fluvium cognomine Tybrim
Diximus. amiſit verum vetus Albula nomen.

Ad ea ſic Servius: *Tybris Tuſcorum rex fuit: qui juxta hunc fluvium pugnans cecidit; & ei nomen impoſuit: vel, ut quidam volunt, à Glauco, Minois regis filio, occiſus eſt. Alii volunt, iſtum ipſum regem latrocinatum eſſe circa huius fluminis ripas, & transeuntibus crebras injurias intuliſſe. unde Θύβρις, quaſi ὕβρις dictus eſt* ἀπὸ τῆς ὕβρεως, *id eſt, ab injuriâ. Alii Tiberini* [lego *Tiberinum*,] *Iani & Cameſenæ filium, ibi in bello periiſſe tradunt. Varro Tiberim à Tiberino quodam, rege Latinorum, quòd ibi interierit, dictum tradit.* Sed fabularum ſatis. reliqua, quæ ibidem ſequuntur de Syracuſanorum foſsâ Tybri, longè etiam abſurdiora eſſe, Siciliæ lib. I cap. XII docebo. Cæterùm de variis Italiæ nominibus ſic etiam Dionyſius Halicarnaſſenſis tradit Antiquitat. Romanar. lib. I: Καὶ ἄλλη δὲ ἀκτὴ σύμπασα, ἡ νῦν Ἰταλία καλουμένη, τῷ θεῷ τούτῳ [τῷ Κρόνῳ] ἀνέκειτο, Σατορνία πρὸς τῶν ἐνοικούντων ὀνομαζομένη, ὡς ἔστιν εὑρεῖν ἔν τε Σιβυλλείοις τισὶ λόγοις καὶ ἄλλοις χρηστηρίοις ὑπὸ τῶν θεῶν δεδομένοις. Ἰταλία δὲ ἀνὰ χρόνον ὠνομάσθη ἐπ' ἀνδρὸς δυνατοῦ, ὄνομα Ἰταλοῦ. *---*. Πλὴν εἴτε, ὡς Ἀντίοχός φησιν, ἐπ' ἀνδρὸς ἡγεμόνος, ὅπερ ἴσως καὶ πιθανώτερόν ἐστιν, εἴθ', ὡς Ἑλλανικὸς οἴεται, ἀπὸ τοῦ ταύρου τὴν ὀνομασίαν ταύτην ἔσχεν, ἐκεῖνό γ' ἐξ ἀμφοῖν δῆλον, ὅτι κατὰ τὴν Ἡρακλέους ἡλικίαν, ἢ μικρῷ πρόσθεν, οὕτως ὠνομάσθη. Τὸ δὲ πρὸ τούτων Ἕλληνες μὲν Ἑσπερίαν καὶ Αὐσονίαν αὐτὴν ἐκάλουν· οἱ δὲ ἐπιχώριοι Σατορνίαν, ὡς εἴρηταί μοι πρότερον. Hoc eſt: *Quin & univerſa ora, quæ nunc vocatur Italia, dicata erat huic deo Saturno; & ab incolis Saturnia adpellabatur; ut licet videre in Sibyllinis carminibus, & aliis oraculis à diis redditis. Italia verò pòſt dicta eſt, à viro quodam præpotente Italo.* Et paullo pòſt: *Verùm tamen, ſive, ut Antiochus ait, à duce; quod fortaſſe veri ſimilius eſt; ſive, ut Hellanicus opinatur, à tauro id nominis accepit: illud certè ex amborum relatione liquet, Herculis ætate, aut paullo antè, ſic nominatam fuiſſe. ſuperioribus autem temporibus Græci Heſperiam & Auſoniam eam vocabant; incolæ Saturniam; ut antè dixi.*

HESPERIA. HESPERIA haud dubiè omnium primùm dicebatur Græcis univerſa Alpeis inter & fretum Italia, antequàm incolæ eius illis ſatis cogniti fuêre; vocabulo à ſitu regionis ſumpto; quia verſus occaſum Solis à Græciâ poſita erat. Macrobius Saturnalior. lib. I cap. III: *Veſperam Græci* ἑσπέραν *à ſtellâ heſpero dicunt. unde & Heſperia Italia, quòd occaſui ſubjecta eſt, nominatur.* Hinc apud Vigilium, Aeneid. lib. I Ilionei ad Didonem, & lib. III Phrygiorum penatium ad Aeneam hæc ſunt verba:

Eſt locus, Heſperiam Graii cognomine dicunt:
Terra antiqua, potens armis atque ubere glebæ.
Oenotri coluêre viri. nunc fama, minores
Italiam dixiſſe ducis de nomine gentem.

Et dicto Aeneid. lib. III Creuſæ umbra ita adloquitur Aeneam:

Longa tibi exſilia, & vaſtum maris æquor arandum.
Ad terram Heſperiam venies: ubi Lydius arva
Inter opima virûm leni fluit agmine Tybris.

Libro autem Aeneid. VIII. ita fatur apud Euandrum Aeneas:

Gens eadem, quæ te, crudeli Daunia bello
Inſequitur. nos ſi pellant; nihil abfore credunt;

Quin

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Quin omnem Heſperiam penitus ſua ſub juga mittant;
Et mare, quod ſuprà, teneant, quodque alluit infrà.

Hinc etiam *Heſperium litus* dixit idem poëta Aeneid. lib. VI; ubi de Aneæ ad Italiam adpulſu ita ait:

Et tandem Euboicis Cumarum adlabitur oris.
Obvertunt pelago proras. dum dente tenaci
Anchora fundebat naveis, & litora curvæ
Prætexunt puppes; juvenum manus emicat ardens
Litus in Heſperium.

Et Aeneid. lib. VIII *Heſperidas* vocat Italiæ *aquas*, his verſibus:

Tuque, ô Tybri, tu, ô genitor, cum flumine ſancto,
Accipite Aeneam.
Corniger Heſperidum fluvius regnator aquarum,
Adſis ô tandem.

Idem poſteà vocabulum alii etiam ſic uſurparunt poëtæ. Ovidius Faſtor. lib. I:

Vocibus Euander & firmus mente parentis
Nave ſecat fluctus; Heſperiamque tenet.

Petronius Arbiter in Satyrico; ubi Iulij Cæſaris è Galliâ per Alpeis in Italiam tranſitum deſcribit:

Hæc ubi calcavit Cæſar juga milite læto,
Optavitque locum; ſummo de vertice montis
Heſperiæ campos latè proſpexit.

Lucanus lib. I:

Finis & Heſperiæ promoto limite Varus.

Item Silius lib. I:

Dum Cannas tumulum Heſperiæ, campumque cruore
Auſonio merſum ſublimis Iapyga cernam.

At ſcholiaſtes Virgilii Servius ita commentatur in ſuprà ſcriptum locum, qui eſt Aeneid. lib. I: *Heſperiæ ſunt duæ: una, quæ Hiſpania dicitur; altera, quæ eſt Italia. quæ hac ratione diſcernuntur: aut enim Heſperiam ſolam dicis; & ſignificas Italiam: aut addis, ultimam; & ſignificas Hiſpaniam; quæ in Occidentis eſt fine. & hæc eſt vera Heſperia, ab heſpero dicta, ſtellâ occidentali: cæterùm Italia Heſperia dicitur à fratre Atlantis; qui, pulſus à germano, Italiam tenuit, [&] ei nomen priſtinæ regionis impoſuit; ut Hyginus docet.* Huiusmodi fabularum pleni fuêre libri Græcorum; unde id habuit Hyginus. Potior nobis ſit Macrobii ſententia; qui ipſam quoque Italiam ab *heſpero ſtellâ* Græcis dictam tradit. cui conſentiens Iſidorus, Origin. lib. XIIII cap. IIII, *Italia,* inquit, *& Hiſpania idcircò Heſperiæ dictæ, quòd Græci heſpero ſtellâ navigent & in Italiam & in Hiſpaniam. duæque [hæ] hac ratione diſcernuntur. aut enim Heſperiam ſolam dicis; & ſignificas Italiam: aut addis, ultimam; & ſignificas Hiſpaniam, quia in fine Occidentis eſt.* Ipſe etiam Servius ad eadem verba in Aeneid. lib. III ita ait: *Heſperiam cognomine dicunt; Ab Heſperio, Hiſpaniæ rege; vel ſtellâ, quam intuentur petentes Italiam.* Cæterùm Vigilius in introitu Aeneid. lib. VII ita canit:

Tu quoque litoribus noſtris Aenea nutrix
Aeternam moriens famam, Caieta, dediſti:
Et nunc ſervat honos ſedem tuus; oſſaque nomen
Heſperiâ in magnâ (ſi qua eſt ea gloria) ſignat.

Ad hæc ita Servius: *Heſperiâ in magnâ; propter Hiſpaniæ diſcretionem.* Sed cur Italia potiùs *magna,* quàm Hiſpania? Haud video. Idem Virgilius ſuprà ſcripto Aeneid. lib. I:

Seu vos Heſperiam magnam, Saturniaque arva,
Seu Erycis fineis regemque optatis Aceſten.

Ad quem locum ſic Servius: *Μεγάλη enim Ἑλλὰς adpellata eſt, quia à Tarento usque ad Cumas omneis civitates Græci condiderunt.* Hæc ſanè longè alia eſt ratio, & illâ multo ineptior. Vtramque eſſe falſam, adparet ex Aeneid. lib. IIII; ubi Aeneas, fugam parans, ita adfatur Didonem:

Sed nunc Italiam magnam Grynæus Apollo,
Italiam Lyciæ juſſêre capeſſere ſortes.

Eâdem haud dubiè ratione *magnam* illic dixit *Heſperiam*, ut heic *Italiam magnam*:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

nempe ob res geſtas, nomenque eius celebre. niſi aliam etiam quamdam, præter hanc, fingere libeat Italiam. Sed de *Heſperiæ* vocabulo ſatis. Dicta eſt poſthæc eadem terra alio nomine eiſdem Græcis Αὐσονία, AVSONIA; ut teſtem ſuprà audivimus Dionyſium, & item Servium cum Tzetzâ. Huius nominis origo etiam indicanda. Aelianus Variar. hiſtoriar. lib. VIIII cap. XVI: Τὴν Ἰταλίαν ᾤκησαν πρῶτοι Αὔσονες, αὐτόχθονες· πρεσβύτατον δὲ γενέσθαι Μάρην τινὰ καλούμενον, οὗ τὰ μὲν ἔμπροσθεν λέγουσιν ἀνθρώπῳ ὅμοια, τὰ κατόπισθεν δὲ ἵππῳ· καὶ αὐτὸ δὲ τοὔνομα εἰς τὴν Ἑλλάδα φασὶν ἱππομιγὴς δύναται. Δοκεῖ δέ μοι πρῶτος ἵππον ἀναβῆναι, καὶ ἐμβαλεῖν αὐτῷ χαλινόν· εἶτα ἐκ τούτου διφυὴς πιστευθῆναι. Hoc eſt: *Italiam primi Auſones inhabitarunt, indigenæ. antiquiſſimum autem in eâ virum fuiſse adſerunt nomine Marem; cuius anterior facies homini, poſterior equo ſimilis fuerit: & nomen ipſum idem pollere, quod apud Græcos* ἱππομιγής. *Atqui mea quidem hæc eſt ſententia, quòd cum primum omnium adſcendiſſe equum & freno moderatum eſſe atque coërcuiſſe putem: atque ob eam cauſam duplicis naturæ creditum eſſe.* Hinc eadem gens *antiqui Auſonii* dicuntur poëtæ Aeneid. lib. XI; ubi ſic Diomedes reſpondet Latinorum legatis:

AVSONIA.

O fortunatæ gentes, Saturnia regna,
Antiqui Auſonii; quæ vos fortuna quietos
Solicitat; ſvadetque ignota laceſſere bella?

Vbi ita Servius: *Antiqui Auſonii; quia, qui primi Italiam tenuerunt, Auſones dicti ſunt.* Interpretationem verò iſtam vocabuli *Maris* Græcum aliquem puto medii ſæculi nugatorem, à quo eam habuit Aelianus, ſumpſiſſe ex linguâ Celtarum; apud quos equus dicebatur *march*, & *mare*; ut Germaniæ lib. I cap. VIII è Pauſaniâ, Græco auctore, docui. Meâ autem ſententiâ, antiquiſſimus iſte ſive primus Auſonum gentis conditor MAS nullus alius fuerit, quàm qui Germanorum ſimul & Aegyptiorum Lydorumque antiquiſſimis dictus eſt MAN & MEN; id eſt, *Adamus*; primus omnium toto Orbe mortalium conditor & origo, ipſe à Deo è terrâ conditus: quem poſteà unaquæque gens ſui ſoli indigenam fuiſſe credidit; ut dictæ Germaniæ lib. I cap. VIIII & XXIII oſtendi. Non omnem autem tenuiſſe antiquos iſtos Auſones ad Alpeis usque Italiam; ſed partem eius tantùm, à Circæo promontorio, priſci Latii fine, ad fretum usque Siculum; poſteà ſuo loco demonſtrabo. unde etiam mare ad Salentinum, Brutium, Lucanumque & Campanum litus, illis temporibus adpellabatur *Auſonium*. Hæc igitur prima illa fuit ac genuina AVSONIA. At Græci homines, uti paſſim alibi per terrarum Orbem ingenteis regionum tractus à proximæ ſibique cognitæ gentis vocabulo adpellarunt: ſic etiam omne terrarum ſpatium, quod poſteà ad Alpeis usque Italiæ nomine indigetatum fuit, à proximis eius populis *Auſonibus* dixêre *Auſoniam*. Hoc ita poſterioris quoque ſæculi uſurparunt poëtæ. Virgilius Aeneid. lib. VII, de Laviniâ, Latini filiâ:

Multi eam magno è Latio totâque petebant
Auſoniâ.

Silius dicto lib. I:

Dum Cannas tumulum Heſperiæ, campumque cruore
Auſonio merſum ſublimis Iapyga cernam.

Et lib. VIII:

Sed quænam ira deûm? conſul datus alter, opinor,
Auſoniæ eſt, alter Pœnis. trahit omnia ſecum:
Et metuit demens, alio ne conſule Roma
Concidat.

Item lib. XIIII:

Auſoniæ pars magna jacet Trinacria tellus.

Fabulæ ſunt & nugæ meræ, quod Græci μυθολόγοι ſive μυθοποιοὶ tradiderunt, ab *Auſone*, Vlyſſis & Calypſûs filio, dictam fuiſſe terram *Auſoniam*. Vlyſſem namque bello Troiano interfuiſſe, omnis tradidit antiquitas. unde ſequeretur, cultoribus vacuam, ſi non omnem Italiam, hanc ſaltem eius fuiſſe partem ante bellum Troianum. quod dictu perquàm fuerit abſurdum. Atqui *Auſones* antiquiſſimi Italiæ indigenæ ipſis exiſtimati ſunt Græcis: & regionem hanc cœpiſſe vocari Italiam circa Herculis demum tempora, qui & ipſe X circiter annis ante Troianam expeditionem exſtinctus fertur, auctorem ſuprà graviſſimum audivimus Dionyſium Halicarnaſſenſem: ſuperioribus autem temporibus vocatam fuiſſe *Auſoniam*. quod nomen dicta Italiæ pars ad mare Auſo-

nium

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

nium retinuit, donec circa annum ante bellum Troianum CCCCLVIIII, id eſt, ante natum Ieſum CIↃIↃCL, Auſonas inde expulerunt *Oenotri* atque *Peucetii*, ex Arcadiâ ducibus Oenotro ac Peucetio, Lycaonis filiis, huc advecti; ut ex eodem mox videbimus Dionyſio. Ac *Peucetii* quidem in Calabriâ & Apuliâ conſederunt. *Oenotri* primùm eam Auſoniæ antiquæ partem occuparunt, quæ veluti peninſula iſthmo inter Lametinum Scylleticumque ſinus includitur; quorum hic nunc vulgò *Golfo di Squillaci*, ille *Golfo di S. Eufemia* dicitur. Hæc prima ab ipſis dicta eſt terra OENOTRIA, Græcè οἰνωτρία. Nugæ iterum ſunt delirantium grammaticorum, OENOTRIA. quòd ἀπὸ τοῦ οἴνου, id eſt, *à vino*, *Oenotriam* dictam quidam adfirmarunt. qua de re ita Servius ad Aeneid. lib. I: *Oenotria dicta eſt, vel à vino optimo, quod in Italiâ naſcitur; vel, ut Varro dicit, ab Oenotro rege.* Et ad Aeneid. lib. III: *Oenotri dicti, vel à rege eiusdem nominis, vel à vino: Italis enim primus vitem oſtendit Saturnus.* At fines prædictæ Oenotriæ mox ad Silarum usque & Bradanum amneis prolati ſunt; pulſis porrò ex ulteriori etiam regione Auſonibus; teſtibus antiquiſſimis auctoribus, quos mox infrà producam. Græci poſtmodò hoc quoque nomen in univerſam ad Alpeis usque extenderunt Italiam. à Græcis deinde cum reliquâ literarum doctrinâ id accepêre Romani. unde illud Virgilii dictis Aeneid. libris I & III:

Eſt locus, Heſperiam Graii cognomine dicunt:
Terra antiqua; potens viris atque ubere glebæ.
Oenotri coluêre viri. nunc fama, minores
Italiam dixiſſe.

Et Aeneid. lib. VII, de Albuneæ luco in Latio:

Hinc Italæ gentes omnisque Oenotria tellus
In dubiis reſponſa petunt.

Sic & Silius lib. VIII:

Quamquàm inter Latios Annæ ſtet numen honores.
Multa retro rerum jacet atque ambagibus ævi
Obtegitur denſâ caligine merſa vetuſtas,
Cur Sacrana dicent Oenotri numina templo,
Regnisque Aeneadum germana colatur Eliſæ.

Et aliquanto pòſt:

—— Ego Oenotriis æternum numen in oris
Concelebror.

Item Claudianus, de bello Gotico:

Atque hæc tanta brevi miſcentem incendia Pyrrhum
Sustinuit toto mœrens Oenotria luſtro.

Et Sidonius Apollinaris, carm. II:

Auxerat Auguſtus naturæ lege Severus
Divorum numerum: quem mox Oenotria caſum
Vidit.

At quum *Oenotrorum* pars circa ea loca, in quibus poſteà Croto, Sybaris, & Siris urbes conditæ fuêre, dicerentur Χῶνες, *Chones*; & terra eorum Χώνη, CHONE; ſive Χωνία, CHONIA; ut ſuo loco oſtendetur: hoc quoque vocabulo nonnulli adpellarunt Italiam; teſte Heſychio his verbis: Χώνην τὴν Ἰταλίαν πάλαι ἔλεγον, ὡς φησιν Ἀντίοχος ὁ Ξενοφάνους ἐν τῷ περὶ Ἰταλίας. Id eſt: *Chonen antiquitus adpellarunt Italiam; ut auctor eſt Antiochus, Xenophanis filius, in libro de Italiâ.* Quamquàm dubium heic manet, utrum Heſychius omnem ad Alpeis usque intellexerit Italiam; an verò eam tantùm, quam eisdem, quibus antiquam Oenotriam, ad Silarum Bradanumque amneis incluſit finibus Antiochus; ut auctor eſt Strabo lib. VI.

Iam verò ſuper origine ipſius vocabuli ITALIAE mirum in modum variant ſententiis auctores. ITALIA *unde dicta.* Ex uno eodemque fonte ſua de eo hauſerunt Apollodorus & uterque Tzetza. Ioannis Tzetzæ verba in Chiliadibus hæc ſunt de Hercule, Geryonis boves per Hiſpaniam, Galliam, & Italiam in Græciam abigente:

Δι' Ἰβηρίας δὲ τὰς βοῦς ἐλαυνών πρὸς Λιβύην, [lege Λιγύην,
Δέρκυνον καὶ Ἀλβίωνα, τοὺς Ποσειδῶνος, κτείνει,
Ἀφαιρουμένους τῶν βοῶν. χωρεῖ δ' εἰς Τυῤῥηνίαν.
Ἀπὸ Ῥηγίου ταῦρος δὲ πλεύσας εἰς Σικελίαν,

Κλῆσιν τῇ χώρᾳ λέλοιπε καλεῖσθαι Ἰταλίαν·
Οἱ Τυῤῥηνοὶ γὰρ ἰταλὸν καλοῦσι πῶς τὸν ταῦρον.
Τοῦτον τὸν ταῦρον κατασχὼν Ἔρυξ, ὁ Ποσειδῶνος,
Ἰδίαις παρενέμιξεν ἀγέλαις βουτρόφοις.
Ὁ δὲ Ἡρακλῆς περαιωθεὶς, καὶ τρὶς καταπαλαίσας,
Τὸν Ἔρυκα μὲν ἔκτεινε.

Hoc eſt:

Per Hiſpaniam boves agens in Liguriam,
Dercynum & Alebionem, Neptuni filios, interemit;
Qui ſurripuerant ei boves. contulitque ſe inde in Tyrrheniam.
A Rhegio autem taurus quum tranataſſet in Siciliam,
Nomenclaturam regioni reliquit, uti vocaretur Italia.
Tyrrheni quidpe italum vocant taurum.
Hunc taurum quum detinuiſſet Eryx, Neptuni filius,
Propriisque permiſcuiſſet armentis;
Hercules transgreſſus eò, ac ter cæſtu congreſſus,
Eum occîdit.

Iſacius autem Tzetza ita refert in dictis commentariis ad Lycophronis Alexandram; de Aeneâ loquens: Αὐτὸς δὲ ἀπὸ Μακεδονίας ἦλθεν εἰς Ἰταλίαν· ἣ πρὶν Ἄργεσσα ἐκαλεῖτο· εἶτα Σατουρνία, ἀπὸ Κρόνου· Σατοῦρνος γὰρ ὁ Κρόνος παρὰ Ῥωμαίοις· εἶτα ἀπό τινος Αὔσονος Αὐσονία· εἶτα Τυρσηνία· εἶτα ἀπὸ Ἰταλοῦ, ἢ ἀφ' ἑνὸς ταύρου τῶν Γηρυόνου, ἀγομένων παρὰ Ἡρακλέους, ἀπὸ Ῥηγίου διανηξαμένου εἰς Σικελίαν εἰς πεδίον Ἔρυκος, υἱοῦ τοῦ Ποσειδῶνος, Ἰταλία ἡ χώρα ἐκλήθη· ἰταλὸν γὰρ Τυῤῥηνοὶ τὸν ταῦρον καλοῦσιν. Hoc eſt: *Ipſe verò à Macedonia in Italiam venit: quæ prius Argeſſa vocabatur; dein Saturnia, à Crono. nam Saturnus Romanis dicitur, qui Græcis Cronus. dein à quodam Auſone adpellata eſt Auſonia: mox Tyrrhenia: poſteà verò ab Italo, vel ab uno taurorum Geryonis, quos Hercules abegit, in Siciliam ad Erycis, Neptuni filii, campum tranatante, Italia vocata eſt quidpe taurum Tyrrheni adpellant italum.* At Apollodorus de Diis lib. II: Εἰς Λιβύην [heic etiam lege Λιγύην] ἦλθεν· ἐν ᾗ τὰς βόας ἀφῃροῦντο Ἀλεβίων τε καὶ Δέρκυνος, οἱ Ποσειδῶνος υἱοί· οὓς κτείνας, διὰ Τυῤῥηνίας ᾔει. ἀπὸ Ῥηγίου δὲ εἷς ἀποῤῥήγνυσι ταῦρος, καὶ ταχέως εἰς τὴν θάλασσαν ἐμπεσὼν, καὶ διανηξάμενος εἰς Σικελίαν, καὶ τὴν πλησίον χώραν διελθὼν, τὴν ἀπ' ἐκείνου κληθεῖσαν Ἰταλίαν, (Τυῤῥηνοὶ γὰρ ἰταλὸν τὸν ταῦρον ἐκάλεσαν) ἦλθεν εἰς πεδίον Ἔρυκος, ὃς ἐβασίλευεν Ἐρυκίνων. Id eſt: *In Liguriam venit: ubi Alebion & Dercynus, Neptuni filii, boves abigebant. quibus interemptis, quum per Tyrrheniam iter haberet; taurorum unus apud Rhegium à cætero armento digreſſus, protinusque in fretum delapſus, tranavit in Siciliam: ac viciná terrâ percursâ, quæ ab illo Italia fuit adpellata (nam Tyrrheni taurum vocabant italum) in campos ſe contulit Erycis, qui Erycinorum erat rex.* Sitos fuiſſe hos Erycinos campos in ultimâ verſus occaſum Siciliæ parte, apud Erycem montem, in huius inſulæ deſcriptione, lib. II cap. I, docebo. Ergo igitur inſula Sicilia, in quam tranavit hic taurus ſive italus, quámque omnem à freto usque & proximo promontorio Peloro ad extimum promontorium Lilybæum percucurrit, inde adpellationem accepit *Italiæ*? Id quidem haud obſcurè ita innuere videntur præſcripta verba Apollodori. verùm non Siciliam voluiſſe eos auctores, à quibus id habuit Apollodorus; ſed ipſam continentem Italiam; patet ex utriusque Tzetzæ verbis. Atqui æquiſſima poſtulabat ratio, ſummumque erat jus, uti ea potiùs cognominaretur ab tranandi percurrendique argumento terra, in quam tranavit & quam omnem percucurrit taurus, quàm illa, à cuius litore tranavit. Marcus quidem Varro de Re ruſticâ lib. II cap. V tradit, *Alios ſcripſiſſe*, inde *dictam Italiam, quòd è Siciliâ Hercules perſequutus ſit eò nobilem taurum, qui diceretur Italus.* Puto alios iſtos advertiſſe prædictum abſurdum: eique mederi voluiſſe ratione quamvìs non minùs abſurdâ. quidpe longè notabilius erat, taurum à cætero armento ex continentis litore in inſulam tranaſſe, omnemque percucurriſſe; quàm quòd Hercules eum reduxerit. Probabiliorem paullo rationem attulit antiquus inter primos Græcorum auctor Hellanicus Lesbius; de quo ita refert Dionyſius Halicarnaſſenſis dicto lib. I: Ἑλλάνικος δὲ ὁ Λέσβιός φησιν, Ἡρακλέα τὰς Γηρυόνου βοῦς ἀπελαύνοντα εἰς Ἄργος, ἐπειδή τις αὐτῷ δάμαλις, ἀποσκιρτήσας τῆς ἀγέλης ἐν Ἰταλίᾳ ὄντι ἤδη, φεύγων διῆρε τὴν ἀκτὴν, καὶ τὸν μεταξὺ διανηξάμενος πόρον τῆς θαλάσσης, εἰς Σικελίαν ἀφίκετο, ἐρόμενον ἀεὶ τοὺς ἐπιχωρίους, καθ' οὓς ἑκάστοτε γίνοιτο διώκων τὸν δάμαλιν, εἴ ποι τις αὐτὸν ἑωρακὼς εἴη, τῶν τῇδε ἀνθρώπων, Ἑλλάδος μὲν γλώττης ὀλίγα συνιέντων, τῇ δὲ πατρίῳ φωνῇ κατὰ τὰς μηνύσεις τοῦ ζῴου,

ζώου, καλούντων τὸν δάμαλιν οὔιτουλον, ὥσπερ καὶ νῦν λέγεται, ἀπὸ δὲ ζώου τὴν χώραν ὀνομάσαι πᾶσαν, ὅσην ἡ δάμαλις διῆλθεν, Οὐϊταλίαν. μεταπεσεῖν δὲ ἀνὰ χρόνον τὴν ὀνομασίαν εἰς τὸ νῦν σχῆμα, οὐδὲν θαυμαστὸν, ἐπεὶ καὶ τῶν Ἑλληνικῶν πολλὰ τὸ παραπλήσιον πέπονθεν ὀνομάτων. Hoc eſt: *Hellanicus Lesbius ait, Herculem, quum Geryonis boves Argos per Italiam abigeret, & juvencus quidam, ab armento reſiliens, peragratâ universâ orâ, tranaviſſet in Siciliam, rogitantem ſemper obvios eius regionis homines, quà perſequebatur juvencum, nuncubi eum vidiſsent; illis Græcam lingvam parum intelligentibus, ſed patriæ vocis indicio vitulum nominantibus, quo modo etiam nunc animal iſtud adpellatur, vocaſse totam regionem, quam juvencus pertransierat, Vitaliam. Temporis autem proceſſu mutatum id vocabulum in præſentem formam, nihil mirum; quando ſimile quiddam accidit multis etiam Græcis nominibus.* Hanc narrationem haud dubiè etiam legit Servius; unde ad prædictum Aeneid. libri VIII locum ita ſcripſit: *Italia plura nomina habuit. dicta eſt enim Heſperia, Auſonia, Saturnia, Vitalia.* Sed omnem iſtam de Hercule bubulco ac Geryonis bobus fabulam jam olim ipſe rejecit Dionyſius eodem lib. I; & cum ipſo T. Livius lib V; graviſſimus uterque auctor. longéque alieni ab eâ fuêre antiquiſſimi quoque ſcriptores, Timæus atque Piſo. De Timæo ita refert Agellius lib. XI cap. I: *Timæus in hiſtoriis, quas oratione Græcâ de rebus populi Romani compoſuit, & M. Varro in antiquitatibus rerum humanarum, terram Italiam de Græco vocabulo adpellatam ſcripſerunt; quoniam boves Græcâ vetere lingvâ ἰταλοὶ vocitati ſunt; quorum in Italiâ magna copia fuerit; bucetaque in eâ terrâ gigni paſcique ſolita ſint complurima.* Huic conſentiens Columella de Re ruſticâ lib. VI, in prooemio; *Nec dubium*, inquit, *quin, ut ait Varro, cæteras pecudes bos honore ſuperare debeat; præſertim autem in Italiâ; quæ ab hoc nuncupationem traxiſse creditur, quòd olim Græci tauros ἰταλοὺς vocarent.* Ipſe Varro, de Re ruſticâ lib. II cap. I; *An non etiam item in mari*, inquit, *terrâque ab his regionum notæ? A pecore in mari, quod nominaverunt à capris Aegæum pelagus: ad Syriam, montem Taurum: in Sabinis Canterium montem: Boſphorum; unum Thracium, alterum Cimmerium. Nonne in terris multa? ut opidum in Græciâ* Ἵππιον Ἄργος. *denique Italia à vitulis; ut ſcribit Piſo.* Et eodem libro cap. V: *Nam bos in pecuariâ maximâ debet eſſe auctoritate: præſertim in Italiâ; quæ à bubus nomen habere ſit exiſtimata. Græcia enim antiqua, ut ſcribit Timæus, tauros vocabat* ἰταλοὺς· *à quorum multitudine & pulcritudine & fœtu vitulorum Italiam dixerunt.* Sic & Pompeius Feſtus: *Italia dicta, quòd magnos italos, hoc eſt, boves habeat. vituli enim itali ſunt dicti.* Sanè neque multitudine neque pulcritudine nec magnitudine boum ſeu taurorum præſtat hodiè Siciliam Italia: niſi fortè fulvum ac rufum colorem minùs pulcrum eſſe contendas, quàm cineraceum atque candidum. & olim, quum cultoribus longè frequentior foret Sicilia, maiora etiam ac numeroſiora eam aluiſſe buceta, certum eſt. Proinde nullam rationem video, cur id nominis antiqua illa potiùs acceperit Auſonia ſive Oenotria, quàm proxima illi inſula Sicilia. Longè igitur veriſimilior videtur illa altera ſententia Iſacii Tzetzæ, ubi ἀπό τινος Ἰταλοῦ, id eſt, *à quodam* viro, nomine *Italo*, ſic vocatam ait. cuius rei complureis ille habere potuit auctores. Inter alios Feſtus proximè citatis hæc continuò ſubnectit: *Italia ab Italo rege.* Et Virgilius ſuprà dictis Aeneid. libris I & III:

Eſt locus, Heſperiam Graii cognomine dicunt:
Oenotri tenuêre viri. nunc fama, minores
Italiam dixiſſe ducis de nomine gentem.

Verùm ſuper hoc etiam *Italo* ingens inter auctores eſt certamen: quisnam mortalium fuerit, aut cuius nationis. Hyginus Μυθολογικῶν cap. CXXVII ita tradit: *Telegonus, Vlyſſis & Circes filius, miſsus à matre, ut genitorem quæreret, tempeſtate in Ithacam eſt delatus; ibique, fame coactus, agros depopulari cœpit. cum quo Vlyſſes & Telemachus ignari arma contulerunt. Vlyſſes à Telegono filio eſt interfectus: quòd ei reſponſum fuerat, ut à filio caveret mortem. Quem poſtquàm cognovit, qui eſset; juſſu Minervæ cum Telemacho & Penelope in patriam redierunt in inſulam Aeæam, & ad Circen Vlyſsem mortuum deportarunt; ibique ſepulturæ tradiderunt. Eiusdem Minervæ monitu Telegonus Penelopen, Telemachus Circen, duxerunt uxores. Circe & Telemacho natus eſt Latinus; qui ex ſuo nomine Latinæ lingvæ nomen impoſuit. ex Penelope & Telegono natus eſt Italus; qui Italiam ex ſuo nomine denominavit.* Hæc meritò inter μυθολογικὰ recenſentur Hygino; quando fabulæ ſunt ineptiſſimæ. Iſidorus verò, Origin. lib. XIIII. cap. IIII. *Italiæ*, inquit, *olim adpellata eſt à regis nomine Saturnia: mox & Latium dicta; eò, quòd idem Saturnus, à Iove ſedibus ſuis pulſus, ibi latuerit. poſtremò ab Italo, Siculorum rege, ibi regnante, Italia nuncupata eſt.* In eamdem

ferè mentem & Servius ad Virgilii Aeneid. lib. I; *Italus*, inquit, *rex Siculorum, profectus è Siciliâ, venit ad loca, quæ sunt juxta Tiberim, & ex nomine ſuo adpellavit Italiam. Ibi autem habitaſſe Siculos, ubi eſt Laurolavinium, manifeſtum eſt; ſicut ipſe alio loco dicit; Siculi veteresque Sicani.* Et eodem libro poſteà: *Italus, rex Siciliæ, ad eam partem venit, in qua regnavit Turnus: quam à ſuo nomine adpellavit Italiam. unde eſt; Fineis ſuper usque Sicanos. Non usque ad Siciliam: nec enim poterat fieri: ſed usque ad ea loca, quæ tenuerunt Sicani, id eſt Siculi, à Sicano, Itali fratre, dicti.* Et ad Aeneid. lib. VIII: *Sicani, ſecundum nonnullos, populi ſunt Hiſpaniæ, à fluvio Sicori dicti. hi duce Siculo venerunt ad Italiam; & eam tenuerunt, expulſis Aboriginibus. mox ipſi pulſi ab illis, quos antè pepulerant, inſulam vicinam Italiæ occuparunt, & eam Sicaniam à gentis nomine, Siciliam verò à ducis nomine dixerunt. quamquàm Thucydides dicat, de Siciliâ Italum regem veniſſe; & ab eo eſſe Italiam adpellatam.* Quàm malè atque improbè contra omnium aliorum ſcriptorum ſententiam tota iſta de Sicanorum Siculorumque nominibus compilata ſit huic grammatico hiſtoria, Siciliæ lib. I cap. II oſtendetur. Thucydidis verba lib. VI ſunt hæc: Σικελοὶ δ' ἐξ Ἰταλίας (ἐντεῦθεν γὰρ ᾤκουν) διέβησαν ἐς Σικελίαν, φεύγοντες Ὀπικούς. εἰσὶ δὲ καὶ νῦν ἔτι ἐν τῇ Ἰταλίᾳ Σικελοί· καὶ ἡ χώρα ἀπὸ Ἰταλοῦ, βασιλέως τινὸς Σικελῶν, τοὔνομα τοῦτο ἔχοντος, οὕτως Ἰταλία ἐπωνομάσθη. Id eſt: *Siculi ex Italiâ, ubi habitavêre, in Siciliam trajecerunt, fugientes Opicos. Sunt autem etiam nunc in Italiâ Siculi. ipſaque regio ab Italo quodam, hoc nominis habente, ſic eſt cognominata.* At non *Siculum*, ſed *Oenotrum* fuiſſe hunc *Italum*, alii tradiderunt auctores. Dionyſius Halicarnaſſenſis dicto lib. I: Ἀντίοχος δὲ ὁ Συρακούσιος, συγγραφεὺς πάνυ ἀρχαῖος, ἐν Ἰταλίας οἰκισμῷ τοὺς παλαιοτάτους οἰκήτορας διεξιών, ὡς ἕκαστοί τι μέρος αὐτῆς κατεῖχον, Οἰνωτροὺς λέγει πρώτους τῶν μνημονευομένων ἐν αὐτῇ κατοικῆσαι, εἰπὼν ὧδε· Ἀντίοχος Ξενοφάνεος τάδε συνέγραψε περὶ Ἰταλίας, ἐκ τῶν ἀρχαίων λόγων τὰ πιστότατα καὶ σαφέστατα. Τὴν γῆν ταύτην, ἥτις νῦν Ἰταλία καλεῖται, τὸ παλαιὸν εἶχον Οἰνωτροί. Ἔπειτα διεξελθὼν ὃν τρόπον ἐπολιτεύοντο, καὶ ὡς βασιλεὺς ἐν αὐτοῖς Ἰταλὸς ἀνὰ χρόνον ἐγένετο, ἀφ' οὗ μετωνομάσθησαν Ἰταλοί, τούτου δὲ τὴν ἀρχὴν Μόργης διεδέξατο, ἀφ' οὗ Μόργητες ἐκλήθησαν, καὶ ὡς Σικελὸς ἐπιξενωθεὶς Μόργητι, ἰδίαν πράττων ἀρχὴν, διέστησε τὸ ἔθνος· ἐπιφέρει ταυτί· Οὕτω δὲ Σικελοὶ καὶ Μόργητες ἐγένοντο καὶ Ἰταλιῆτες, ἐόντες Οἰνωτροί. Hoc eſt: *Antiochus Syracuſanus, perantiquus ſcriptor, in Italiæ coloniis, vetuſtiſſimos eius incolas percenſens, & quæ loca ſingulis occupata ſint; ait, Oenotros primos omnium, quorum exſtet memoria, terram eam habitaſſe. Verba eius ſunt hæc: Antiochus, Xenophanis filius, è vetuſtiſſimis monimentis hæc, quæ fide digniſſima & certiſſima erant, de Italiâ conſcripſit: Terram hanc, quæ nunc Italia dicitur, olim tenuerunt Oenotri. Deinde, commemoratis eorum moribus ac formâ reipublicæ, & quòd regnum tandem Italo delatum ſit; à quo, mutato nomine, dicti ſint Itali: Morgetemque huic ſucceſſiſſe; à quo Morgetes ſint vocati: & quòd Siculus, à Morgete hoſpitio exceptus, proprium ſibi principatum quærens, gentem diremerit: hæc verba ſubjicit: Sic facti ſunt Siculi & Morgetes & Itali, quum eſſent Oenotri.* Et eodem libro poſteà, de Siculorum in Sicaniam inſulam, quæ inde dicta eſt Sicilia, migratione: Ἑλλάνικος δὲ ὁ Λέσβιος δύο φησὶ στόλους Ἰταλικοὺς διαβῆναι εἰς Σικελίαν· τὸν μὲν πρότερον Ἐλύμων, οὕς φησιν ὑπὸ Οἰνωτρῶν ἐξαναστῆναι· τὸν δὲ μετὰ τοῦτον ἔτει πέμπτῳ Αὐσόνων Ἰάπυγας φυγόντων· βασιλέα δὲ τούτων ἀποφαίνει Σικελόν, ἀφ' οὗ τοὔνομα τοῖς τε ἀνθρώποις καὶ τῇ νήσῳ τεθῆναι. ὡς δὲ Φίλιστος ὁ Συρακούσιος ἔγραψε, χρόνος μὲν τῆς διαβάσεως ἦν ἔτος ὀγδοηκοστὸν πρὸ τοῦ Τρωϊκοῦ πολέμου· ἔθνος δὲ τὸ διακομισθὲν ἐξ Ἰταλίας, οὔτε Σικελῶν, οὔτε Αὐσόνων οὔτ' Ἐλύμων, ἀλλὰ Λιγύων, ἄγοντος αὐτοὺς Σικελοῦ. τοῦτον δ' εἶναί φησιν υἱὸν Ἰταλοῦ. καὶ τοὺς ἀνθρώπους ἐπὶ τούτου δυναστεύοντος ὀνομασθῆναι Σικελούς. Ἀντίοχος δὲ ὁ Συρακούσιος Σικελοὺς τοὺς μεταναστάντας ἀποφαίνει, βιασθέντας ὑπό τε Οἰνωτρῶν καὶ Ὀπικῶν στρατῶν, ἡγεμόνα τῆς ἀποικίας ποιησαμένους. Θουκυδίδης δὲ Σικελοὺς μὲν γράφει τοὺς ἀπαναστάντας, Ὀπικοὺς δὲ τοὺς ἐκβαλόντας. Id eſt: *Hellanicus Lesbius duas migrationes tradit factas ex Italiâ in Siciliam: priorem Elymorum; quos ait ſedibus ſuis ejectos ab Oenotris: alteram verò, anno pòſt quinto, Auſonum, Iapygas fugientium. horum regem dicit fuiſſe Siculum: à quo nomen ſit inditum genti ſimul & inſulæ. Philiſtus autem Syracuſanus ſcribit, trajeciſſe illos anno* LXXX *ante bellum Troianum: gentem verò, transvectam ex Italiâ, nec Siculos nec Auſonas fuiſſe, nec Elymos; verùm Ligures, duce Siculo. hunc Itali filium, impoſuiſſe nomen ſuum ſubditis. Antiochus Syracuſanus, migratores fuiſſe ait Siculos, vi exactos ab Oenotrorum Opicorumque copiis; duce ſibi electo deducendæ coloniæ* .... [nomen ducis interiiſſe puto.] *Thucydides eos, qui migrarunt, vocat Siculos; eos, qui expulerunt, Opicos.* Et iterum infrà eodem libro; de Capitolino monte loquens: Ὡς δὲ ἐγὼ συμβαλλόμενος εὑρίσκω, καὶ πρὶν Ἡρακλέα ἐλθεῖν εἰς Ἰταλίαν, ἱερὸς ἦν ὁ τόπος τοῦ Κρόνου, καλούμενος ὑπὸ τῶν ἐπιχωρίων Σατόρνιος. καὶ ἄλλη δὲ ἀκτὴ σύμπασα, ἣ νῦν

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Ἰταλία καλουμένη, τῷ θεῷ τούτῳ ἀνέκειτο, Σατορνία πρὸς τῶν ἐνοικούντων ὀνομαζομένη, ὡς ἔστιν εὑρεῖν ἔν τε Σιβυλλείοις τισὶ λόγοις καὶ ἄλλοις χρηστηρίοις, ὑπὸ τῶν θεῶν δεδομένοις, εἰρημένον. Ἰταλία δὲ ἀνὰ χρόνον ὠνομάσθη, ἐπ᾽ ἀνδρὸς δυνατοῦ, ὄνομα Ἰταλοῦ. τοῦτον δέ φησιν Ἀντίοχος ὁ Συρακούσιος, ἀγαθὸν καὶ σοφὸν γεγενημένον, καὶ τῶν πλησιοχώρων τοὺς μὲν λόγοις ἀναπείθοντα, τοὺς δὲ βίᾳ προσαγόμενον, ἅπασαν ὑφ᾽ ἑαυτῷ ποιήσασθαι τὴν γῆν, ὅση ἐντὸς ἦν τῶν κόλπων τοῦ τε Λαμητίνου καὶ τοῦ Σκυλλητικοῦ. ἣν δὴ πρώτην κληθῆναι Ἰταλίαν, ἐπὶ τοῦ Ἰταλοῦ· ἐπεὶ δὲ ταύτης ἐγκρατὴς ἐγένετο, καὶ ἀνθρώπους πολλοὺς εἶχεν ὑπηκόους, αὐτίκα τῶν ἐχομένων ἐπορέγεσθαι, καὶ πόλεις συνάγεσθαι πολλάς· εἶναι δ᾽ αὐτὸν Οἰνωτρὸν τὸ γένος. Hoc eſt: *Sed quantum ego ex conjecturis colligo, etiam ante adventum Herculis in Italiam ſacer erat Saturno is locus, Saturnius incolis dictus. Quin & univerſa ora, quæ nunc vocatur Italia, dicata erat huic deo; & incolis Saturnia vocabatur; ut licet videre in Sibyllinis quibusdam carminibus & aliis oraculis, à diis redditis. Italia verò pòſt nominata eſt, ſub viro potente, Italo. hunc Antiochus Syracuſanus ait bonum ac ſapientem fuiſſe; &, propinquarum regionum hominibus partim oratione perſvaſis, partim vi coactis, totam eam terram ſub imperium ſuum redegiſſe, quanta patet Lametinum inter & Scyleticum ſinus: eamque primam Italiam vocatam Itali temporibus. eum, iſtâ ditione potitum, quum jam multos haberet ſubditos, adpetiſſe finitimos; civitatesque multas in unum coëgiſſe imperium. fuiſſe autem Oenotrum genere.* Ac tandem poſteà: Εἰ δέ τις ἀποδεῖν βουλήσεται τὰ προσώτερα, καὶ τρίτη τις, ἀρχαιοτέρα τούτων, εὑρεθήσεται Ῥώμη, γενομένη πρὶν Αἰνείαν καὶ Τρῶας ἐλθεῖν ἐν Ἰταλίᾳ. ταῦτα δὲ οὐ τῶν ἐπιτυχόντων τις οὐδὲ νέων συγγραφεὺς ἱστόρηκεν, ἀλλ᾽ Ἀντίοχος ὁ Συρακούσιος, οὗ καὶ πρότερον ἐμνήσθην. Φησὶ δὲ, Μόργητος ἐν Ἰταλίᾳ βασιλεύοντος, (ἦν δὲ τότε Ἰταλία, ἡ ἀπὸ Τάραντος ἄχρι Ποσειδωνίας παράλιος·) ἐλθεῖν πρὸς αὐτὸν ἄνδρα φυγάδα ἐκ Ῥώμης. λέγει δὲ ὧδε. Ἐπεὶ δὲ Ἰταλὸς κατεγήρα, Μόργης ἐβασίλευσεν. ἐπὶ τούτου δὲ ἀνὴρ ἀφίκετο ἐκ Ῥώμης φυγάς· Σικελὸς ὄνομα αὐτῷ. Hoc eſt: *Quòd ſi quis rem altiùs velit repetere, tertiam etiam Romam, his antiquiorem, inveniet; ut quæ ante Aneæ Troianorumque in Italiam adventum exſtiterit. Hoc autem nec vulgaris aliquis nec recens ſcriptor prodidit; ſed Antiochus Syracuſanus; cuius jam anteà memini. Is ait, Morgete in Italiâ regnante, (Italia tum erat ora, quàm longa à Tarento Pæſtum usque protenditur) veniſſe ad eum quemdam Romanum exſulem. Verba ipſius ſunt iſta: Poſtquàm Italus conſenuit, Morges pro illo regnavit. huius tempore Româ venit vir quidam profugus, nomine Siculus.* Hactenus Dionyſius. nunc alios etiam videamus auctores. Ariſtoteles Πολιτειῶν lib. VII cap. X: Τὰ δὲ περὶ τὴν Ἰταλίαν πολλῷ παλαιότερα τούτων. Φασὶ γὰρ οἱ λόγιοι τῶν ἐκεῖ κατοικούντων, Ἰταλόν τινα γενέσθαι βασιλέα τῆς Οἰνωτρίας, ἀφ᾽ οὗ τό τε ὄνομα μεταβαλόντας Ἰταλοὺς ἀντ᾽ Οἰνωτρῶν κληθῆναι, καὶ τὴν ἀκτὴν ταύτην τῆς Εὐρώπης Ἰταλίαν τοὔνομα λαβεῖν, ὅση τετύχηκεν ἐντὸς οὖσα τῶν κόλπων τοῦ τε Σκυλλητικοῦ καὶ τοῦ Λαμητικοῦ. τοῦτον δὴ λέγουσι τὸν Ἰταλὸν νομάδας τοὺς Οἰνωτροὺς ὄντας, ποιῆσαι γεωργούς· καὶ νόμους ἄλλους τε αὐτοῖς θέσθαι, καὶ τὰ συσσίτια καταστῆσαι πρῶτον. διὸ καὶ νῦν ἔτι τῶν ἀπ᾽ ἐκείνου τινὲς χρῶνται τοῖς συσσιτίοις, καὶ τῶν νόμων ἐνίοις. Hoc eſt: *Quæ verò in Italia celebrantur, multo his eſſe antiquiora. aiunt enim ex iis, qui illic habitant, viri docti atque eloquentes, & rerum antiquarum ſcriptores, Italum quemdam Oenotriæ regem fuiſſe: à quo, nomine mutato, Italos pro Oenotris eſſe adpellatos; & hanc Europæ oram, quæ Lametico Scylleticoque ſinubus continetur, Italiæ nomen eſſe conſequutam. Hunc igitur Italum, ferunt, Oenotros, quum paſtores eſſent, agricolas feciſſe; & primum cùm alias eis leges ſcripſiſſe, tùm ſodalitia ac convictus publicos inſtituiſſe. quapropter etiam nunc nonnulli ex iis, qui ab illo oriundi ſunt, ſodalitiis utuntur, & nonnullis aliis legibus.* Strabo lib. VI: Τὴν δ᾽ ἑξῆς παραλίαν Βρέττιοι μέχρι τοῦ Σικελικοῦ κατέχουσι πορθμοῦ. Φησὶ δ᾽ Ἀντίοχος, ἐν τῷ περὶ τῆς Ἰταλίας συγγράμματι, ταύτην Ἰταλίαν κληθῆναι, καὶ περὶ ταύτης συγγράφειν· πρότερον δ᾽ Οἰνωτρίαν προσαγορεύεσθαι. ὅριον δ᾽ αὐτῆς ἀποφαίνει τῷ Τυρρηνικῷ πελάγει, τὸ αὐτὸ, ὅπερ καὶ τῆς Βρεττίας ἔφαμεν, τὸν Λᾶον ποταμόν· πρὸς δὲ τῷ Σικελικῷ, τὸ Μεταπόντιον. τὴν δὲ Ταραντίνην, ἣ συνεχὴς τῷ Μεταποντίῳ ἐστὶν, ἐκτὸς τῆς Ἰταλίας ὀνομάζει, Ἰάπυγας καλῶν. ἔτι δ᾽ ἀνώτερον Οἰνωτρούς τε καὶ Ἰταλοὺς μόνους ἔφη καλεῖσθαι τοὺς ἐντὸς τοῦ ἰσθμοῦ, πρὸς τὸν Σικελικὸν κεκλιμένους πορθμόν. ἔστι δ᾽ αὐτὸς ὁ ἰσθμὸς μεταξὺ δυοῖν κόλπων, τοῦ τε Ἱππωνιάτου, ὃν Ἀντίοχος Λαμητῖνον εἴρηκε, καὶ τοῦ Σκυλλητικοῦ. μετὰ δὲ ταῦτα ἐπεκτείνεται, φησὶ, τοὔνομα καὶ τὸ τῆς Ἰταλίας καὶ τὸ τῶν Οἰνωτρῶν μέχρι τῆς Μεταποντίνης καὶ τῆς Σειρίτιδος. Hoc eſt: *Reliquam adusque fretum Siculum oram Brutii tenent. Antiochus in opere, quod de Italiâ conſcripſit, hanc regionem ait Italiam adpellatam fuiſſe; ac de eâ ſe ſcribere: priùs autem dictam Oenotriam. terminos verò ei conſtituit, ad mare Tyrrhenum, eumdem quem nos Brutiorum adſignavimus agro, Laum amnem; ad Siculum mare, Metapontium. cæterò Terentinum agrum, Metaponto conterminum, extra Italiam ſub Iapygiæ nomine cenſet. At verò anteà eos tantùm, tradit, Oenotros atque Italos fuiſſe dictos, qui, intra iſthmum poſiti, versùs Siculum vergerent fretum. Is iſthmus inter duos extenditur ſinus;*

Hippo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Hipponiaten; qui Lametinus nominatur Antiocho; & Scylleticum. Poſteà verò Italiæ nomen, ait, ut item Oenotriæ, propagatum fuiſſe adusque Metapontinam ac Siritim regiones. Et initio libri v: Μετὰ δὲ τὴν ὑπώρειαν τῶν Ἄλπεων ἀρχὴ τῆς νῦν Ἰταλίας· οἱ γὰρ παλαιοὶ τὴν Οἰνωτρίαν ἐκάλουν Ἰταλίαν, ἀπὸ τοῦ Σικελικοῦ πορθμοῦ μέχρι τοῦ Ταραντίνου κόλπου καὶ τοῦ Ποσειδωνιάτου διήκουσαν. Id eſt: *Poſt Alpium radices initium eſt eius, quæ nunc adpellatur Italia. priſci enim Oenotriam vocarunt Italiam, à Siculo freto usque ad Tarentinum Poſidoniatemque ſinus extenſam.* Poſidoniates ſinus hodiè vocatur Salernitanus; ad quem rudera etiamnunc conſpiciuntur opidi *Pæſti*, quod anteà dicebatur *Poſidonia*. Hinc igitur Herodotus etiam lib. I *Veliam* opidum memorat conditum fuiſſe ἐν τῇ Οἰνωτρίῃ, *in Oenotriâ*, à Phocenſibus. hinc & Plinius lib. III cap. VII; ubi de inſulis ad Italiam agit; *Contra Veliam*, inquit, *Pontia & Iſcia; utræque uno nomine Oenotrides; argumentum poſſeſſæ ab Oenotris Italiæ.* Sed in tantâ auctorum ſuper *Itali regis* genere discrepantiâ diſpiciendum nunc eſt, utrùm Thucydidis verior ſit ſententia, an Ariſtotelis & Antiochi. quamquàm Antiochum, ducentis propè annis ſuperiorem, ſequutum ſe eſſe, non dubiè innuit Ariſtoteles. Primò minùs veriſimile eſt, quod Antiochus adfirmavit, eam primùm adpellatam eſſe *Italiam* ab *Italo*, Oenotrorum rege, quæ prima fuerat Lametinum inter Scyleticumque ſinus *Oenotria*. quippe ſi jam ante Italum dicta fuit ad Metapontum ſive Tarentum usque & ad Laum ſive Silarum amnem *Oenotria*, ab Oenotris incolis: certè horum noviſſimus rex Italus non veterem iſtam tantùm ad Lametinum usque ſinum novo vocabulo de ſuo nomine adpellaſſet *Italiam*; ſed poſteriorem illam ad Silarum ac Bradanum amneis. Deinde ſatis ineptum item eſt, quòd tradidit Oenotros dictos poſtmodùm fuiſſe ab Italo rege *Italos*; deinde ab rege Morgete *Morgetes*; ac tandem partem eorum ab Siculo quodam Morgetis hoſpite, *Siculos*: nec minùs tamen ab Oenotris Italiâ exactos dixit eſſe Siculos; imò etiam Morgetas; ſi credimus Straboni: qui dicto lib. VI poſteà de ultimo Brutiorum intra Lametinum Scylleticumque ſinus angulo ita ſcribit: Ἀντίοχος δὲ τὸ παλαιὸν ἅπαντα τὸν τόπον τοῦτον οἰκῆσαι Σικελοὺς φησὶ καὶ Μόργητας. διαίρεσαι δ᾽ εἰς τὴν Σικελίαν ὕστερον, ἐκβληθέντας ὑπὸ τῶν Οἰνωτρῶν. id eſt: *Antiochus tradit, totam iſtam regionem priſcis temporibus fuiſſe à Siculis ac Morgetibus habitatam: qui poſteà in Siciliam migraverint, pulſi ab Oenotris.* Hinc idem Strabo eodem libro infrà; ubi de variis Siciliæ loquitur incolis; duas diverſas, Antiochum haud dubié heic etiam ſequutus auctorem, facit genteis *Siculos* atque *Morgetas*. Οὐδένα δὲ, inquit, τῆς παραλίας εἴων οἱ Ἕλληνες ἅπτεσθαι. τῆς δὲ μεσογαίας ἀπείργειν παντάπασιν οὐκ ἴσχυον· ἀλλὰ διετέλεσαν μέχρι δεῦρο Σικελοὶ καὶ Σικανοὶ καὶ Μόργητες καὶ ἄλλοι τινὲς νεμόμενοι τὴν νῆσον. Hoc eſt: *Græci quidem non ſinebant quemquam oram tangere maritimam. at è mediterraneo ejicere eos omnino non valebant. ſed permanebant ad ea tempora Siculi, Sicani, Morgetes, & alii nonnulli populi, inſulam incolentes.* At ſi Oenotri poſteà temporis facti ſint Itali; ac rurſus hi deinceps Morgetes; quæro, quinam illi aut unde fuerint Oenotri, qui Morgetas Italiâ exegerunt? item, ubi ac quomodò tunc latuerit Italorum genus ſimul atque nomen? item etiam, quomodò & in qua gente poſt exactos ex Italiâ Morgetas Italorum nomen iterum emerſerit atque evaluerit? Hæc igitur quum tam abſurda ac ridicula ſint, audacter ego Thucydidis amplectendam cenſeo ſententiam; qui *Siculorum regem* fecit *Italum*, à quo terra adpellata fuit ITALIA. Hoc autem nomine non eam demum ſic vocarunt intra Scylleticum Lamentinumque ſinus regionem Siculi, in quam poſtremò confugerunt, Sicaniam ſive Siciliam inſulam petituri, quum primùm è patriis ſedibus ab Oenotris ſive Aboriginibus, & mox è reliquâ Italiâ ab Auſonibus ſive Opicis, ut ipſe cum Thucydide innuit Antiochus, pellerentur; ſed ipſum priſcum illud ac patrium ſolum; in quod poſteà Sabini Latinique agri nomina tranſiverunt. neque enim credibile eſt, ab fugientibus patriæque jam extorribus populis inventum ac poſt ſe relictum nomen ſuscipere & uſurpare voluiſſe pulſores eorum. Hinc ipſe etiam Dionyſius, dicto lib. I, ſatis apertè ac manifeſtò ineptiſſima iſta Antiochi rejicit nugamenta, dum ex priſco illo Latio Siculos ab Oenotris, jam tum *Aboriginibus* dictis, pulſos tradit; idque oratione ac documentis ſatis prolixis. Philiſtus Syracuſanus, apud eumdem Dionyſium, loco ſuprà citato, Siculum fecit Itali filium: Antiochus verò Italo itidem poſteriorem, & natione Romanum. unde ego colligo, omnem illam gentem, cuiuscumque tandem fuerit originis atque ſtirpis (nam Ligures fuiſſe, ut voluit Philiſtus, minùs certum eſt) ab rege ſuo *Italo* dictam fuiſſe ITALOS; terramque, quam incolebant, ITALIAM. quum verò primi iſti Itali rebus egregiè

ac

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

ac præclarè geſtis, vel etiam imperio, longè latéque forent celebres; nomen Italiæ in reliquas etiam ad Alpeis usque tranſiit genteis. unde illud Strabonis lib. v: Εἰκὸς δ' αὖ τοὺς, εὐτυχήσαντας τοὺς πρώτους ὀνομασθέντας Ἰταλοὺς μεταδοῦναι καὶ τοῖς πλησιοχώροις τοὔνομα. id eſt: *Credibile eſt, eos, qui primi Itali ſunt dicti, ob res ſecundas id nominis cum finitimis communicaſſe.* Poſt Italum verò, ſive filius eius, ſive quis alius poſterorum, nomine *Siculus*, gentem de ſuo nomine adpellavit *Siculos*; ipſi terræ vocabulo priſco *Italiæ* ſervato. Hoc deinde novi cultores *Oenotri*, ſive, ut tum adpellabantur, *Aborigines*, pulſis Siculis in SATVRNIAE nomen commutarunt. nam falſum eſſe deprehendo, quòd Dionyſius, atque hunc fortaſſe ſequutus Iſidorus, ante Italiæ nomen terram hanc Saturniam dictam adfirmarunt. Apud Macrobium, dicto Saturnalior. lib. I cap. VII, hæc leguntur: *Regionem iſtam, quæ nunc vocatur Italia, regno Ianus obtinuit. qui, ut Hyginus, Protarchum Trallianum ſequutus, tradit, cum Cameſe, æquè indigenâ, terram hanc ita participatâ potentiâ poſſidebat, ut regio Cameſene, opidum Ianiculum vocitaretur. Poſt ad Ianum ſolum regnum redactum eſt. Hic Ianus quum Saturnum, claſſe pervectum, excepiſſet hoſpitio; &, ab eo edoctus peritiam ruris, ferum illum & rudem ante fruges cognitas victum in melius redigiſſet; regni eum ſocietate muneravit. quum primus quoque æra ſignaret; ſervavit & in hoc Saturni reverentiam; ut, quoniam ille navi fuerat advectus, ex unâ quidem parte ſui capitis effigies, ex alterâ verò navis exprimeretur: quò Saturni memoriam in poſteros propagaret. Hos unà concordesque regnaſſe, vicinaque opida communi operâ condidiſſe, præter Maronem, qui refert,*

Ianiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen,

etiam illud in promptu eſt, quòd poſteri quoque duos eis continuos menſeis dicarunt; ut December ſacrum Saturni, Ianuarius alterius vocabulum poſſideret. Quum inter hæc ſubitò Saturnus non comparuiſſet; excogitavit Ianus honorum eius augmenta. ac primùm terram omnem, ditioni ſuæ parentem, Saturniam nominavit: aram deinde cum ſacris tamquàm deo condidit, quæ Saturnalia nominavit. Regni eius tempora feliciſſima feruntur; cùm propter rerum copiam, tùm etiam, quòd nondum quiſquam ſervitio vel libertate diſcriminabatur. quæ res intelligi poteſt, quòd Saturnalibus tota ſervis licentia permittitur. Hinc & Virgilius poëta Euandrum fingit Aeneid. lib. VIII iſta narrantem:

Hæc nemora indigenæ Fauni Nymphæque tenebant;
Gens virûm truncis & duro robore nata:
Queis neque mos neque cultus erat: nec jungere tauros
Aut componere opes nôrant, aut parcere parto:
Sed rami atque aſper victu venatus alebat.
Primus ab ætherio venit Saturnus Olympo;
Arma Iovis fugiens, & regnis exſul ademptis.
Is genus indocile, ac diſperſum montibus altis,
Compoſuit; legesque dedit: Latiumque vocari
Maluit; his quoniam latuiſſet tutus in oris.
Aureaque, vt perhibent, illo ſub rege fuêre
Sæcula. ſic placidâ populos in pace regebat.
Deterior donec paullatim ac decolor ætas,
Et belli rabies, & amor ſucceſſit habendi:
Tum manus Auſoniæ & gentes venêre Sicani:
Sæpiùs & nomen poſuit Saturnia tellus.

Et aliquanto pòſt:

Hæc duo præterea disjectis opida muris
Reliquias veterumque vides monimenta virorum?
Hanc Ianus pater, hanc Saturnus condidit arcem.
Ianiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen.

Et Ovidius Faſtor. lib. I Iano deo hæc adfingit verba:

Hac ego Saturnum memimi tellure receptum.
Cælitibus regnis à Iove pulſus erat.
Inde diu genti manſit Saturnia nomen.
Dicta quoque eſt Latium terra, latente deo.

Et Faſtor. lib. VI ſic Iuno fatur:

A patre dicta meo quomdam Saturnia Roma eſt.

Ergo

Ergo ex horum duorum poëtarum ſententiâ SATVRNIA terra initio non omnis adpellabatur poſterior illa inter Alpeis fretumque Siculum Italia; ut voluerunt Dionyſius Halicarnaſſenſis & cum Protarcho ſuo Tralliano Hyginus; ſed priſca illa Siculorum Italia tantùm: quod poſteà LATIVM dictum eſt. Ita ſanè Iſidorus quoque intellexit, Origin. lib. XIIII cap. IIII. *Italia*, inquit, *olim à regis nomine Saturnia adpellata eſt. mox & Latium dicta; eò, quòd idem Saturnus, à Iove ſedibus pulſus, ibi latuerit.* Hinc & Columella in præfatione operis de Re ruſticâ: *In hoc Latio & Saturniâ terrâ, ubi dii cultus agrorum progeniem ſuam docuerunt.* Quòd autem Virgilius poſt Saturni in Latio regnum, poſtque adpellationem Saturniæ, Auſones Siculosque, ſive, ut ipſe vocat, Sicanos, huc invectos tradit; id confirmare equidem videbatur Dionyſii ſententiam, ubi is ait ante Italiæ vocabulum dictam fuiſſe incolis Saturniam: niſi ipſe Dionyſius fateretur, Saturnum deum fuiſſe Aboriginum; ſive Romanorum; qui illorum fuêre poſteri: hos verò ex Latio expuliſſe Siculos. Verba eius dicto lib. I ſunt hæc de Capitolino monte in urbe Româ: Ὡς δ' ἐγὼ συμβαλλόμενος εὑρίσκω, καὶ πρὶν Ἡρακλέα ἐλθεῖν εἰς Ἰταλίαν, ἱερὸς ἦν ὁ τόπος τοῦ Κρόνου, καλούμενος ὑπὸ τῶν ἐπιχωρίων Σατόρνιος. καὶ ἄλλη δ' ἀκτὴ σύμπασα, ἡ νῦν Ἰταλία καλουμένη, τῷ θεῷ τούτῳ ἀνέκειτο, Σατορνία πρὸς τῶν ἐνοικούντων ὀνομαζομένη· ὡς ἔστιν εὑρεῖν ἔν τε Σιβυλλείοις τισὶ λόγοις καὶ ἄλλοις χρηστηρίοις ὑπὸ τῶν θεῶν δεδομένοις εἰρημένον. ἱερά τε πολλαχῇ τῆς χώρας ἐστὶν ἱδρυμένα τῷ θεῷ, καὶ πόλεις τινὲς οὕτως, ὥσπερ ἡ σύμπασα τότε ἀκτή, ὀνομαζόμεναι· χῶροι δὲ πολλοὶ τοῦ δαίμονος ἐπώνυμοι, καὶ μάλιστα οἱ σκόπελοι καὶ τὰ μετέωρα. Id eſt: *Quantum ego verò ex conjecturis colligo, etiam ante adventum Herculis in Italiam ſacer erat Saturno is locus, Saturnius ab incolis dictus. Quin & univerſa ora, quæ nunc vocatur Italia, dicata erat huic deo, à cultoribus Saturnia vocata; ut licet videre in Sibyllinis quibusdam carminibus, & aliis oraculis à diis redditis. ſuntque paſſim per hanc regionem multa huic deo fana dicata, & quædam urbes eodem, quo univerſa tunc ora, dictæ nomine: loca etiam multa ab eodem nomine denominata; præſertim ſcopuli & editi tumuli.* Alibi per Italiam exſtitiſſe ante Romanorum imperium in montibus, ſcopulis, opidis, atque templis Saturni nomen, quàm in ſolo Latio, nusquàm hactenus reperi; niſi, quòd in proximâ Etruriæ parte opidum fuerit *Saturnia*; cuius nomen etiamnunc exſtat: quod ipſe Dionyſius, eodem libro anteà, inter alia recenſet eiusdem tractus opida, *Agyllam*, *Alſium*, *Feſcennium*, *Falerios*, *Piſas*: quæ cuncta à Græcâ gente Pelaſgis, Aboriginum Siculienſis belli quomdam in Latio ſociis, condita fuêre. Cæterùm ita ait Dionyſius eodem libro poſteà: Εἴτε Κρόνον αὐτὸν δεῖ καλεῖν, ὡς Ἕλληνες ἀξιοῦσιν, εἴτε Σάτορνον, ὡς Ῥωμαῖοι. hoc eſt: *Sive is Cronus eſt dicendus, ut Græci volunt; ſive Saturnus, ut Romani.* Et Tzetza in dictis commentariis ad Lycophronem: Εἶτα Σατουρνία ἐκαλεῖτο ἀπὸ τοῦ Κρόνου· Σατοῦρνος γὰρ ὁ Κρόνος παρὰ Ῥωμαίοις. id eſt: *Poſteà Saturnia eſt dicta à Crono. nam Romanis eſt Saturnus, qui Græcis Cronus.* Hinc igitur Salluſtius, in libro de bello Catilinario, *Aboriginibus*, Latii incolis, qui poſtmodùm inde dicti fuêre *Latini*, ac tandem à capite gentis *Romani*, eosdem adſcribit mores, quos ſuprà commemorarunt Virgilius & ex Hygino Macrobius. *Vrbem*, inquit Salluſtius, *Romam condidère atque habuêre initio Troiani; qui, Aeneâ duce, profugi, ſedibus incertis vagabantur: cumque his Aborigines; genus hominum agreſte, ſine legibus, ſine imperio, liberum atque ſolutum.* Idem facit & Ariſtoteles: niſi quòd antiquiori nomine *Oenotros* vocat, quos heic Salluſtius *Aborigines*; & regem eorum ille *Italum*, quem alii *Saturnum*. Verba eius ex Πολιτικῶν lib. VII cap. X ſuprà citavimus iſta: Ἰταλόν τινα φασὶ γενέσθαι βασιλέα τῆς Οἰνωτρίας, ἀφ' οὗ τό τε ὄνομα μεταβαλόντας Ἰταλοὺς ἀντ' Οἰνωτρῶν κληθῆναι, καὶ τὴν ἀκτὴν ταύτην τῆς Εὐρώπης Ἰταλίαν τοὔνομα λαβεῖν, ὅση τετύχηκεν ἐντὸς οὖσα τῶν κόλπων τοῦ τε Σκυλλητικοῦ καὶ τοῦ Λαμητίνου. τοῦτον δὴ λέγουσι τὸν Ἰταλὸν νομάδας τοὺς Οἰνωτροὺς ὄντας, ποιῆσαι γεωργούς. καὶ νόμους ἄλλους τε αὐτοῖς θέσθαι, καὶ συσσίτια καταστῆσαι πρῶτον. διὸ καὶ νῦν ἔτι τῶν ἀπ' ἐκείνου τινὲς χρῶνται τοῖς συσσιτίοις καὶ τῶν νόμων ἐνίοις. Hoc eſt: *Italum quemdam Oenotriæ regem fuiſſe aiunt, à quo, mutato nomine, Itali pro Oenotris fuerint adpellati, & hæc Europæ ora, quæ Scylletico Lametinoque ſinubus includitur, Italia ſit vocata. Hunc igitur Italum, ferunt, Oenotros, quum paſtores eſſent, primum agricolas feciſſe; & cùm alias eis leges ſcripſiſſe, tùm ſodalitia & epulationes publicas inſtituiſſe. quapropter etiam nunc nonnulli ex illius poſteris ſodalitiis utuntur, & quibusdam aliis legibus.* Pompeius verò Trogus, ut teſtis eſt breviator eius Iuſtinus, diſertiſſimis verbis *Aboriginum regem* fecit *Saturnum*. Verba Iuſtini lib. XLIII ſunt hæc: *Italiæ cultores primi Aborigines fuêre. quorum rex Saturnus tantæ juſtitiæ fuiſſe traditur, ut neque ſervierit ſub illo quisquam; neque quidquam privatæ rei habuerit; ſed omnia communia & indiviſa omnibus fuerint:*

veluti

veluti unum cunctis patrimonium eſſet. ob cuius exempli memoriam cautum eſt, ut Saturnalibus, exæquato omnium jure, paſſim in conviviis ſervi cum dominis recumbant. itaque Italia regis nomine Saturnia adpellata eſt; & mons, in quo habitabat, Saturnius: in quo nunc, veluti à Iove pulſo ſedibus ſuis Saturno, Capitolium eſt. poſt hunc tertio loco regnaſſe Faunum ferunt. ex filiâ Fauni & Hercule, qui eodem tempore, exſtincto Geryone, armenta, victoriæ præmia, per Italiam ducebat, ſtupro conceptus Latinus procreatur. quo tenente regnum, Aeneas ab Ilio, Troiâ à Græcis expugnatâ, in Italiam venit. Sic & Euſebius, Chron. lib. I: Πρῶτον φασὶ Πεῖκον, υἱὸν Κρόνου, βασιλεῦσαι χώρας Λαυρέντου λζ΄ ἔτη· εἶναι δὲ τὴν χώραν ἕως τῆς νῦν Ῥώμης πόλεως. μεθ' ὃν Φαῦνον, τὸν υἱὸν τοῦ Πείκου, ἔτη μδ΄. ἔπειτα Λατῖνον. *Primum ferunt Picum, Saturni filium, regnaſſe annis* XXXVII *in Laurenti agro; qui ad urbem usque, quæ nunc Roma dicitur, extendebatur. poſt eum verò Faunum, annis* XLIIII*: poſt hunc fuiſſe Latinum.* Et poëta Virgilius Aeneid. lib. VII:

——— Rex arva Latinus & urbeis
Iam ſenior longâ placidas in pace regebat.
Hunc Fauno & nymphâ genitum Laurente Maricâ,
Accipimus. Fauno Picus pater. isque parentem
Te, Saturne, refert: tu ſangvinis ultimus auctor.

Hæc verò quomodò cum illis congruant, quæ poſteà lib. VIII ſcripſit de Siculis atque Auſonibus Virgilius, haud ego equidem video. quidpe, ſi tam exiguâ annorum ſerie ante Latinum fuit Picus rex Aboriginum, huiusque pater Saturnus; neſcio, quando aut quomodò poſt Saturnum invectæ fuerint Latio Auſonum Siculorumque gentes; vel ubi interim Aborigines latuerint. niſi heic recipienda fortè ſit Servii hiſtoria; qui ad dictum libri VIII locum ita commentatur: *Sicani ſecundùm nonnullos populi ſunt Hiſpaniæ, à fluvio Sicori dicti. hi duce Siculo venerunt ad Italiam; & eam tenuerunt, excluſis Aboriginibus. mox ipſi pulſi ab illis, quos antè pepulerant, inſulam vicinam Italiæ occuparunt, & eam Sicaniam à gentis nomine, Siciliam verò à ducis nomine dixerunt.* Verùm hoc ſolus ita retulit Servius grammaticus; Virgilii haud dubiè diſcrepanteis iſtos duos locos conciliare ſtudens: utique quum perquàm ineptè iſta de Sicanorum Siculorumque nominum origine concinnata ei ſint; ut Siciliæ lib. I. cap. II me oſtenſurum ſuprà dixi. Dionyſius certè Halicarnaſſenſis, qui Aboriginum antiquitates omnium diligentiſſimè conquiſivit, eâ de re nihil habet. Aboriginum igitur, non Siculorum, nec aliorum ante hos indigenarum, rex habitus fuit in Latio Saturnus. & ab Aboriginibus demum Latio, ſive priſcæ illi Siculorum Italiæ, inditum eſt nomen SATVRNIAE. M. Varro, de lingvâ Latinâ lib. IIII ita ſcribit de monte Capitolino: *Hunc anteà montem Saturnium adpellatum prodiderunt; & ab eo latè Saturniam terram; ut etiam Ennius adpellat. Antiquum opidum in hoc fuiſſe Saturniam, ſcribitur.* Et Pompeius Feſtus: *Saturnia Italia, & mons, qui nunc eſt Capitolinus, Saturnius adpellabatur; quòd in tutelâ Saturni eſſe exiſtimantur. Saturnii quoque dicebantur, qui caſtrum in imo clivo Capitolino incolebant: ubi ara, dicata ei deo ante bellum Troianum, videtur.* Opidum heic fuiſſe *Saturniam*, præter præſcriptos alii etiam teſtantur auctores, quos ſuo loco citabo. Maximè igitur credibile eſt, primò opidum id à Saturni nomine accepiſſe adpellationem; mox etiam totam terram, quæ alio nomine erat *Latium.* cuius haud dubiè univerſi incolæ ſeſe nominarunt SATVRNIOS; non tantùm qui in imo Capitolino habitabant clivo caſtrum. De cætero nomen SATVRNIAE poſtmodùm, ut antè *Auſoniæ* & *Oenotriæ* vocabula, in totam transiit inter fretum Alpeisque Italiam. Hinc Virgilius Γεωργικῶν lib. II; ubi laudes univerſæ Italiæ celebrat:

Salve, magna parens frugum, Saturnia tellus,
Magna virûm.

Et Aeneid. lib. I Dido Italiam Siciliamque apud Ilioneum innuit his verbis:

Seu vos Heſperiam magnam, Saturniaque arva,
Seu Erycis fineis regemque optatis Aceſten.

Et item Aeneid. lib. XI Diomedes in Apuliâ ita reſpondet Latinorum legatis:

O fortunatæ gentes, Saturnia regna,
Antiqui Auſonii; quæ vos fortuna quietos
Solicitat, ſvadetque ignota laceſſere bella?

Verùm non à rege aliquo ſuo ſic terram adpellaſſe putaverim Aborigines, quem heic in Latio habuerint; ut fabulati ſunt antiqui poëtæ Latinorum, vel fortè etiam theologi eorum: ſed à *deo Saturno*; quem præ cæteris maximè colebant; & *in cuius tutelâ ſe*

B eſſe

eſſe exiſtimabant; ut inquit Pompeius Feſtus. Sic ſcilicet vaſta etiam illa Germania omni ævo apud incolas obtinuit nomen *Teutiſciæ* à Mercurio, deorum ſuorum maximo; quem patriâ lingvâ dixêre *Theuth*: ſic item pars Germanorum ab eodem dei nomine ſeſe vocarunt *Teutonos*, & aliis dialectis, *Danos, Codanos, Godanos*; quum ipſum etiam dei vocabulum *Theuth* dialectis variaretur, *Dan, Codan, Godan*; ut Germaniæ lib. I cap. VIIII & XXVI, item lib. III cap. XXXIIII & XL, docui. Quin *Saturnaliorum* nomen ſacrumque non in Italiâ demum inſtituiſſe novum, vel ab Siculis, hoſtibus ſuis, aut aliis indigenis accepiſſe Aborigines; ſed jam inde ex Græciâ ſimul cum origine gentis attuliſſe, ipſe haud diffitetur Macrobius dicto Saturnalior. lib. I cap. VII his verbis: *Sed ex his cauſis, quæ de origine huius feſti relatæ ſunt, adparet, Saturnalia vetuſtiora eſſe urbe Romanâ; adeo, ut ante Romam in Græciâ hoc ſolenne cœpiſſe L. Accius in annalibus ſuis referat his verſibus:*

Maxima pars Graiûm Saturno, & maximè Athenæ,
Conficiunt ſacra, quæ Cronia eſſe iterantur ab illis:
Eumque diem celebrant per agros, urbesque ferè omnes
Exercent epulis læti; famulosque procurant
Quisque ſuos. noſtrique itidem. & mos traditus illinc
Iſte, ut cum dominis famuli epulentur ibidem.

Cur autem & qua ratione Græcæ ſtirpis gens Oenotri ſive Aborigines priſcum patriæ lingvæ nomen *Cronus* mutaverint in novum vel peregrini ſermonis vocabulum *Saturnus*, nemini fas ſit mirari; quando infinita alia vocabula in Italico ſolo ab Auſonibus ſive Oſcis atque Sabinis in ſuum Latinæ lingvæ idioma adſciverunt: qua de re latiùs infrà cap. VI diſſeretur. Sabinum verò fuiſſe vocabulum *Saturnus*, ſatis apertè teſtatur Varro, dicto de lingvâ Latinâ lib. IIII his verbis: *Feronia, Minerva, Novenſiles, à Sabinis. paullo aliter ab eisdem dicimus Laram, Veſtam, Salutem, Fortem, Fortunam. Eâ re Sabinorum lingvam olent, quæ Tatii regis voto ſunt dedicata. nam, ut annales dicunt, vovit Opi, Floræque, Dijovi, Saturnoque, Soli, Lunæque, Volcano, Summanoque; item Larundæ, Termino, Quirino, Vortumno, Laribus, Dianæ, Cloacinæque. è queis nonnulla nomina in utrâque habent radices; ut arbores, quæ in confinio natæ, in utroque agro ſerpunt. poteſt enim eſſe Saturnus heic aliâ de cauſâ dictus, atque in Sabinis: & ſic Diana: de quibus ſuprà.*

LATIVM. De LATII vocabuli origine pòſt ſuo loco plura diſſeram. ſufficiet hoc loco paucis indicaſſe, omnem primam illam Aboriginum Saturniam, ſive priſcam Siculorum inter Tiberim Naremque amneis & mare inferum ad Circæum usque promontorium extenſam Italiam eo nomine fuiſſe adpellatam. Patet id ex Macrobii prædicto Saturnalior. lib. I cap. VII; ubi ita ſcriptum eſt: *Nec illam cauſam, quæ Saturnalibus adſignatur, ignoro; quòd Pelaſgi, ſicut Varro memorat, quum, ſedibus ſuis pulſi, diverſas terras petiſſent, confluxerunt plerique Dodonam; &, incerti quibus hærerent locis, eiusmodi accepêre reſponſum:*

Στείχετε μαιόμενοι Σικελῶν Σατουρνίαν αἶαν,
Ἠδ᾽ Ἀβοριγινέων Κοτύλην, οὗ νᾶσος ὀχεῖται.
Οἷς ἀναμιχθέντες, δεκάτην ἐκπέμψατε φοίβῳ
Καὶ κεφαλὰς Ἅδῃ· καὶ τῷ πατρὶ πέμπετε φῶτα.

[Hoc eſt:

Pergite quærentes Siculûm Saturnia rura,
Atque Aboriginidem Cotylen, ubi ſe inſula vectat.
Queis miſti, decimas Clario transmittite Phœbo,
Et Diti capita; & transmittite lumina patri.]

Acceptâ ſorte, quum Latium poſt errores adpuliſſent, in lacu Cutilienſi enatam inſulam deprehenderunt. hoc miraculo deprehenſo, has ſibi ſedeis prædictas eſſe didicerunt. vaſtatisque Sicilienſibus incolis, occupavêre regionem; decimâ prædæ, ſecundùm reſponſum, Apollini conſecratâ; erectisque Diti ſacello & Saturno arâ; cuius feſtum Saturnalia nominarunt. Exſtat *Cutilienſis* hic *lacus* in ultimis Sabinorum finibus, inter Reate & Interocream Sabinorum quondam opida; ut ſuo loco demonſtrabo. Hinc etiam, quum ex univerſo illo priſco inter Narem & mare Latio collectus Aboriginum ſive Latinorum populus *Valentiam* urbem, ſive, ut Græco vocabulo adpellabant, *Romam* condidiſſent; incolæ eius à *Curibus*, Aboriginum in Sabino agro urbe, dicti fuêre *Quirites*; & pars urbis ab eiusdem agri opido *Palanteo Palantium*; quod poſteà, extritâ unâ literâ, factum *Palatium*; ut infrà in Latinæ gentis & urbis Romæ expoſitione pluribus docebo. Cæterùm *Saturniæ* nomen mox in deſvetudinem abiiſſe videtur. *Latii* vocabulum aliquamdiu intra

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

intra prædictos fineis ſtetit; donec, invectâ Sabinorum adpellatione, parte hac diminutum fuit. priſcum autem ITALIAE nomen in omnem inter Alpeis fretumque Siculum evaluit regionem. cuius incolæ univerſi, licèt genere diverſi, communi adpellatione dicti ſunt ITALI. quæ nomina inde perpetuò ad hanc noſtram uſque ætatem obtinuerunt. Strabo dicto lib. v ita tradit: Εἰκάσαι δ' ἄν τις, εὐτυχήσαντας τοὺς πρώτους ὀνομασθέντας Ἰταλοὺς μεταδοῦναι καὶ τοῖς πλησιοχώροις τοὔνομα· εἶθ' οὕτως ἐπίδοσιν λαβεῖν μέχρι τῆς Ῥωμαίων ἐπικρατείας. ὀψὲ δέ ποτε, ἀφ' οὗ μετέδοσαν Ῥωμαῖοι τοῖς Ἰταλιώταις τὴν ἰσοπολιτείαν, ἔδοξε καὶ τοῖς ἐντὸς Ἄλπεων Γαλάταις καὶ Ἐνετοῖς τῆς αὐτῆς ἀπονεῖμαι τιμῆς, προσαγορεῦσαι δὲ καὶ Ἰταλιώτας πάντας καὶ Ῥωμαίους. Id eſt: *Credibile eſt, eos, qui primi Itali ſunt dicti, id nominis ob res ſecundas cum finitimis communicaſſe. quod inde ita auctum, donec Romani ſummâ rerum potirentur. tandem verò, quum hi Italos in ſocietatem civitatis recepiſſent; placuit eodem honore Gallos etiam dignari Cisalpinos, & item Venetos; omnibusque pariter Italorum atque Romanorum nomen tribuere.* Ergo *Gallia Cisalpina*, quæ Alpibus Apenninoque monte ac flumine Aeſi includebatur, ad id tempus *Italiæ* nomen non obtinuit? Atqui Galli, primùm Alpeis transgreſſi, iis locis *Tyrrhenos*, quos Latini vocarunt *Tuſcos* & *Etruſcos*, expulerunt, in quibus mox ipſi Mediolanum, Bergomum, Comum, Brixiam, condiderunt; teſte Pompeio Trogo apud epitomatorem Iuſtinum lib. xx. cui prolixiori narratione conſentiens T. Livius lib. v, Tarquinio Romæ regnante id factum eſſe tradit; id eſt, circiter annum ante natum Ieſum IↃC. An igitur Tuſcos extra Italiæ nomen cenſitos fuiſſe credas, antequàm, à Gallis pulſi, intra Apennium ad mare inferum conſederint? Haud temerè, mehercules. In tantum Italiæ populi jam inde antiquiſſimis temporibus habiti fuêre Græcis, ut, quum potentiſſimi in eâ forent, omnem ferè Italiam illi adpellaverint TYRRHENIAM. unde illud Iſacii Tzetzæ ad Lycophronis Alexandram: Αὐτὸς δὲ ἀπὸ Μακεδονίας ἦλθεν εἰς Ἰταλίαν, ἣ πρὶν Ἄργεσσα ἐκαλεῖτο· εἶτα Σατουρνία, ἀπὸ τοῦ Κρόνου· εἶτα ἀπὸ τινος Αὔσονος Αὐσονία· εἶτα Τυρσηνία· εἶτα ἀπὸ Ἰταλοῦ Ἰταλία. Hoc eſt: *Ipſe à Macedoniâ venit in Italiam: quæ priùs Argeſſa vocabatur; dein Saturnia, à Saturno; mox à quodam Auſone Auſonia; hinc Tyrrhenia; tandem ab Italo Italia.* Non equidem tota Italia dicebatur *Tyrrhenia*; ſed maxima pars eius. Dionyſius Halicarnaſſenſis lib. I: Τυρρηνίας μὲν δὴ ὄνομα τὸν χρόνον ἐκεῖνον ἀνὰ τὴν Ἑλλάδα ἦν, καὶ πᾶσα ἡ προσεσπέριος Ἰταλία τὰς κατὰ τὸ ἔθνος ὀνομασίας ἀφαιρεθεῖσα καὶ τὴν ἐπίκλησιν ἐκείνην ἐλάμβανεν, ὥσπερ τῆς Ἑλλάδος ἄλλη τε πολλαχῇ καὶ περὶ τὴν καλουμένην νῦν Πελοπόννησον ἐγένετο· ἐπὶ γὰρ ἑνὸς τῶν οἰκούντων ἐν αὐτῇ ἐθνῶν, τοῦ Ἀχαϊκοῦ, καὶ ἡ σύμπασα χερρόνησος, ἐν ᾗ καὶ τὸ Ἀρκαδικὸν καὶ τὸ Ἰωνικὸν καὶ ἄλλα συχνὰ ἔθνη ἔνεστιν, Ἀχαΐα ὠνομάσθη. Hoc eſt: *Erat Tyrrheniæ nomen illo tempore per Græciam celebre; & tota occidentalis Italia, nullo gentium diſcrimine, adpellationem eam habebat: quemadmodùm in Græciæ cùm aliis locis permultis, tùm in eâ, quæ nunc Peloponneſus dicitur, accidit. ab unâ enim inhabitantium gentium Achaicâ tota ea peninſula, in qua etiam ſunt Arcades & Iones & aliquot aliæ gentes, nominata eſt Achaia.* Et aliquanto pòſt: Ἦν δὴ γὰρ χρόνος, ὅτε καὶ Λατῖνοι καὶ Ὀμβρικοὶ καὶ Αὔσονες, καὶ συχνοὶ ἄλλοι, Τυρρηνοὶ ὑφ' Ἑλλήνων ἐλέγοντο· τῆς διὰ μακροῦ τῶν ἐθνῶν οἰκήσεως ἀσαφῆ ποιούσης τοῖς πρόσω τὴν ἀκρίβειαν· τήν τε Ῥώμην αὐτὴν πολλοὶ τῶν συγγραφέων Τυρρηνίδα πόλιν εἶναι ὑπέλαβον. Hoc eſt: *Fuit enim tempus, quo etiam Latini Vmbrique & Auſones atque alii aliquot populi Græcis adpellati fuerunt Tyrrheni: quòd propter longinquas earum gentium ſedeis difficile eſſet hæc exactè diſcernere: adeò, ut Romam ipſam Tyrrhenicam urbem multi ſcriptores opinati ſint.* Hinc iterum illud Iſacii Tzetzæ in iisdem commentariis anteà: Ἦσαν δὲ αἱ Σειρῆνες τὰ κάτω μέρη ὀρνίθων ἔχουσαι, τὰ δὲ ἄνω ἀνθρώπων, οἰκοῦσαι περὶ Τυρσηνίαν. Id eſt: *Erant Sirenes inferiori corporis parte volucrum, ſuperiori hominum ſpecie præditæ; habitabantque apud Tyrrheniam.* Domicilium eis tribuiſſe antiquos mortales in Capreis inſulâ ante Campaniæ ultima litora, infrà ſuo loco patebit. Hinc item Euripides ad fretum uſque Siculum *Tyrrheniæ* nomen protendit. Verſus eius hic eſt in Medeâ:

Καὶ Σκύλλαν, ἣ Τυρσηνὸν ᾤκησεν πέδον.

Et Scyllam, quæ in Tyrrheno ſolo habitavit.

Vnde tandem Livius lib. I, in rebus geſtis Aeneæ; *Tanta*, inquit, *opibus Etruria erat, ut jam non terras ſolùm, ſed mare etiam, per totam Italiæ longitudinem, ab Alpibus ad fretum Siculum, famâ nominis ſui impleſſet.* *Italiæ* igitur nomen jam tum ad Alpeis uſque extenſum fuit. Ac Polybius certè LX circiter annis antè, quàm Gallis civitas à Romanis data, Italiam Alpibus finivit; ut capite ſequenti patebit. Poſtquàm autem inter Alpeis & Apenninum montem prædictæ gentes Gallicæ, pulſis inde Etruſcis, agros occuparunt; pars hæc *Italia Gallica* adpellata eſt; ut poſteà ſuo loco monſtrabitur.

TYRRHENIA.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Cæterùm quum Græci omne propemodùm Italiæ ſimul & Siciliæ litus, & nonnulla item mediterranea loca, coloniis ſuis obſediſſent; nomen inde habuêre utræque iſtæ regiones apud Græcos τῆς Μεγάλης Ἑλλάδος, id eſt, ſi Latinè vertas, MAGNAE GRAECIAE. quod nomen poſtmodò de unâ plurimùm Italiâ uſurpatum eſt; ut ſuo loco oſtendam. Hinc ita legitur apud Iſidorum Origin. lib. XIIII cap. IIII: *Italia olim, à Græcis populis occupata, Magna Græcia adpellata eſt: deinde à regis nomine Saturnia; mox & Latium dicta, eò, quòd idem Saturnus, à Iove ſedibus pulſus, ibi latuerit. poſtremò ab Italo, Siculorum rege, ibi regnante, Italia nuncupata eſt.* Poſtremò tandem loco dictam fuiſſe *Græciam magnam*, certum eſt; quando pleræque Græcarum coloniarum poſt bellum Troianum demum huc deductæ fuerunt. Atque hactenus quidem de variis terræ Italiæ nominibus ſatis & abundè diſſertum exiſtimo.

MAGNA GRAECIA.

CAPVT II.

De finibus univerſæ ITALIAE.

DE variis Italiæ nominibus poſtquàm dictum eſt, fineis nunc eius indicentur. ITALIA igitur primùm dicebatur Siculorum regio ipſis Siculis indigenis, ab rege eorum Italo, inter Narem Tiberimque amneis & mare inferum ad Circæum usque promontorium protenſa. Id nomen poſtmodùm, ſive indigenarum ſeu Græcorum uſurpatione, ita crevit, uti tandem hinc ad Siculum fretum, inde ad Alpeis extenſum ſit. Livius ſuprà dicto lib. I, in rebus geſtis Aeneæ: *Tanta opibus Etruria erat, ut jam non terras ſolùm, ſed mare etiam, per totam Italiæ longitudinem ab Alpibus ad fretum Siculum, famâ nominis ſui impleſſet.* L. Florus lib. I, capite ultimo: *Talis domi ac foris, talis pace belloque populus Romanus fretum illud adoleſcentiæ, id eſt, ſecundam imperii ætatem, habuit. in qua totam inter Alpeis fretumque Italiam armis ſubegit.* Livius lib. XXX; de Hannibale: *Qui, ſenex vincendo factus, Hiſpanias, Gallias, Italiam ab Alpibus ad fretum monumentis ingentium rerum compleſſet.* Dionyſius Halicarnaſſenſis, antiquitat. Romanar. lib. I: Ἰταλίαν δὲ καλῶ τὴν ἀκτὴν σύμπασαν, ὅσην ὁ Ἰόνιός τε κόλπος καὶ Τυῤῥηνικὸς, καὶ τρίτη περιέχουσιν ἐκ γῆς Ἄλπεις. Id eſt: *Italiam verò voco oram omnem, quantam Ionius Tyrrhenicusque ſinus tertiæque ab terrâ continente Alpes includunt.* Polybius lib. II: Τῆς δὲ πάσης Ἰταλίας τῷ σχήματι τριγωνοειδοῦς ὑπαρχούσης, τὴν μὲν μίαν ὁρίζει πλευρὰν αὐτῆς, τὴν πρὸς ἀνατολὰς κεκλιμένην, ὅ τε Ἰόνιος πόρος, καὶ κατὰ τὸ συνεχὲς ὁ κατὰ τὸν Ἀδρίαν κόλπος· τὴν δὲ πρὸς μεσημβρίαν καὶ δυσμὰς τετραμμένην, τὸ Σικελικὸν καὶ Τυῤῥηνικὸν πέλαγος. τὴν δὲ λοιπὴν, τὴν παρά τε τὰς ἄρκτους καὶ τὴν μεσόγαιαν παρατείνουσαν, ὁρίζει κατὰ τὸ συνεχὲς ἡ τῶν Ἄλπεων παρώρεια. Hoc eſt: *Quum trigoni ſpeciem Italia tota referat; unum eius latus, quod orientem ſpectat, Ionium mare & continuus illi ſinus Hadriaticus terminant: meridiei verò & occaſui obverſum latus, Siculum Tyrrhenumque mare. reliquum latus, quod ſeptemtriones proſpicit, & mediterranea prætexit, Alpium continua juga definiunt.* Mela lib. II cap. IIII: *Italia ab Alpibus incipit in altum excedere: atque, ut procedit, media ſe perpetuo Apennini montis jugo attollens, inter Hadriaticum & Thuſcum, ſive, ut aliter eadem adpellantur, inter ſuperum mare & inferum excurrit.* Et ex Melâ haud dubiè Solinus, cap. VIII: *Ergo univerſa conſurgit à jugis Alpium, porrecta ad Rheginum verticem & litora Brutiorum, quò in mare meridiem versùs protenditur. inde procedens paullatim, ſe Apennini montis dorſo attollit; extenſa inter Tuſcum & Hadriaticum, id eſt, inter ſuperum mare & inferum.* Sed hæc partim ex Plinio: qui lib. III cap. V, *Italia,* inquit, *dehinc primique eius Ligures; mox Etruria, Vmbria, Latium; Volſcorum poſteà litus, & Campaniæ; Picentinum inde ac Lucanum Brutiumque; quò longiſſimè in meridiem ab Alpium fine lunatis jugis in maria excurrit Italia.* Paullus Diaconus Langobardicar. rer. lib. II cap. VIIII: *Omnis Italia Tyrrheni ſive Hadriatici maris fluctibus ambitur; ab occiduo verò & aquilone jugis Alpium circumcluditur.* Hinc etiam poëta Virgilius Γεωργικῶν lib. II; ubi laudes univerſæ Italiæ concelebrat:

An mare, quod ſuprà, memorem, quodque alluit infrà?

Et Aeneid. lib. VIII; ubi apud Euandrum ſic loquitur Aeneas:

Gens eadem, quæ te, crudeli Daunia bello
Inſequitur. nos ſi pellant; nihil abfore credunt,
Quin omnem Heſperiam penitus ſua ſub juga mittant;
Et mare, quod ſuprà, teneant, quodque alluit infrà.

Fineis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Fineis igitur jam olim habuit ITALIAE nomen, ab meridie ſive occaſu hiberno mare Tyrrhenum ſeu Tuſcum, quod & inferum; ab ortu æquinoctiali & æſtivo mare Hadriaticum, quod & ſuperum. hoc vulgò nunc adpellatur *Golfo di Venetia*: illud *Mar Tirreno*. à ſeptemtrionibus, quà continens eſt terra, Alpium jugis ſeparabatur ab Illyrico, Pannoniâ, Norico, Vindeliciâ, & parte Galliæ, quà erant Helvetii. ab occaſu æquinoctiali itidem Alpibus à Narbonenſi Galliâ ſubmovebatur. Termini fuêre ad mare, qui hodiéque permanent: ad inferum mare *Varus* fluvius; ad ſuperum *Arſia* amnis: vulgò etiam nunc *il Varo* atque *l'Arſi* dicti. Vibius Sequeſter in Catalogo fluminum: *Varus. hic nunc Galliam ab Italiâ dividit: antè Rubicon*. Satis imperitè atque ineptè; quum Rubicon ad ſuperum mare terminus aliquando fuerit inter Italiam & Galliam Ciſalpinam: Varus autem ad inferum mare eamdem Italiam finiverit. Ptolemæus: Ἡ Ἰταλία περιορίζεται, ἀπὸ μὲν δυσμῶν τοῖς τε Ἀλπίοις ὄρεσι, μέχρι Οὐάρου ποταμοῦ ἐκβολῶν· καὶ ἔτι τῇ παραλίᾳ τοῦ Τυῤῥηνικοῦ πελάγους, τῇ ἀπὸ Νεαπόλεως μέχρι Λευκοπέτρας ἄκρας. ἀπὸ δὲ ἄρκτων, τοῖς τε ὑπὸ τὴν Ῥαιτίαν Ἀλπίοις ὄρεσι, καὶ τοῖς Ποινίνοις, καὶ τῇ Ὄκρᾳ, καὶ τῇ Καρουάδῃ ὄρεσι τοῖς ὑπὸ τὸ Νωρικόν· καὶ ἔτι τῇ παραλίᾳ τοῦ Ἀδρίου κόλπου, τῇ ἀπὸ τοῦ Τιλαουέμπτου ποταμοῦ μέχρι τοῦ Γαργάνου ὄρους. ἀπὸ δὲ τῶν ἀνατολῶν, τῇ ἀπὸ τοῦ Γαργάνου ὄρους παραλίᾳ μέχρι τοῦ Ὑδροῦντος. ἀπὸ δὲ μεσημβρίας, τῇ τε τοῦ Ἀδρίου παραλίᾳ, ἀπὸ Τιλαουέμπτου ποταμοῦ μέχρι τοῦ πρὸς τὴν Ἰλλυρίδα ὁρίου· καὶ ἔτι τῇ τοῦ Λιγυστικοῦ καὶ τοῦ Τυῤῥηνικοῦ πελάγους παραλίᾳ, τῇ ἀπὸ τῶν ἐκβολῶν Οὐάρου ποταμοῦ μέχρι Νεαπόλεως. καὶ ἔτι τῇ ἀπὸ Λευκοπέτρας ἕως Ὑδροῦντος παραλίᾳ. Hoc eſt: *Italia finitur, ab occaſu Alpium jugis ad Vari amnis oſtium: præterea litore maris Tyrrheni, à Neapoli usque ad Leucopetram promontorium. à ſeptemtrionibus, Alpibus, quæ ſunt ſub Rhætiâ; & item Pæninis jugis, & Ocrâ atque Carvadâ montibus. qui ſunt ſub Norico: ad hæc litore Hadriatici maris, à Tilavempto flumine ad Garganum usque montem. ab ortu, litore, quod eſt inter Garganum & Hydruntem. ab meridie, Hadriatici maris litore, à Tilavempto flumine usque ad Illyrici finem: præterea Liguſtici Tyrrhenique maris litore, ab oſtio Vari usque Neapolim: tum litore ab Leucopetrâ ad Hydruntem.* Hæc equidem circumſcriptio ſatis conveniebat figuræ, quam Ptolemæus dedit tabulæ Italiæ. prout quæque partium ortum, meridiem, occaſum, vel ſeptemtriones ſpectabat, ita eos commemoravit. De Varo ita quoque Mela lib. II cap. IIII: *Tum Paulon & Varum flumina; utrumque ab Alpibus delapſa: ſed Varum, quia Italiam finit, aliquanto notius.* Et cap. V: *Gallia, Lemano lacu & Gebennicis montibus in duo latera diviſa, atque altero Thuſcum pelagus attingens, altero Oceanum; hinc à Varo, illinc ab Rheno, ad Pyrenæum usque promittitur.* Item & Plinius libro III capite IIII: *Narbonenſis provincia adpellatur pars Galliarum, quæ interno mari alluitur, Braccata antè dicta, amne Varo ab Italiâ diſcreta Alpiumque jugis.* Et epitomator Plinii Martianus Capella lib. VI: *Narbonenſis provincia adpellatur, quæ interno mari alluitur. hæc Bracchata anteà dicebatur. quæ ab Italiâ jugis Alpium atque amne Varo diſcernitur.* Sic Strabo lib. V: Ἐπικράτησαν δὲ τοὔνομα καὶ μέχρι τῆς ὑπωρείας τῶν Ἄλπεων προὔβη· προσέλαβε δὲ καὶ τῆς Λιγυστικῆς, μέχρι Οὐάρου ποταμοῦ, καὶ τῆς ταύτῃ θαλάττης ἀπὸ τῶν ὁρίων τῶν Τυῤῥηνικῶν, καὶ τῆς Ἰστρίας, μέχρι Πόλας. Id eſt: *Evaluit autem id nomen; & ad Alpium radices usque proceſſit: occupavit item etiam Liguriam, usque ad Varum amnem, & mare, quod à finibus Etruriæ eò pertinet; & item Hiſtriam, ad Polam usque.* Imo ad Arſiam usque flumen, Hiſtriæ terminum. Plinius lib. III cap. V: *Latitudo Italiæ varia eſt:* CCCCX *millium inter duo maria, inferum & ſuperum, amneisque Varum atque Arſiam.* Et paullo pòſt: *Univerſæ autem ambitus, à Varo ad Arſiam, vicies centena quadraginta novem millia efficit.* Et eodem libro, cap. XVIIII: *Opida Hiſtriæ; Aegida, Parentium, colonia Pola; quæ nunc Pietas Iulia: mox opidum Neſactium; &, nunc finis Italiæ, fluvius Arſia.* Hinc etiam Ptolemæus ultimum Hiſtriæ opidam recenſet *Neſactium*; primumque inde Illyrici ſive Liburniæ *Alvonam*: in quorum medio Arſia eſt fluvius. Νέσακτον, inquit, πέρας Ἰταλίας. *Neſactum, finis Italiæ.* Verùm Straboni clariſſimam placuit nominare, in extremis & ipſam ferè finibus Hiſtriæ, urbem *Polam*. At ante perdomitam à Romanis Hiſtriam qui terminus ab hac parte fuerit Italiæ, oſtendit Plinius eodem libro, cap. XVIII, his verbis: *Colonia Tergeſte: ultra quam* VI *millia paſſuum Formio amnis, antiquæ auctæ Italiæ terminus; nunc verò Hiſtriæ.* Is nunc vulgò vocatur accolis *Riſano fiume*. Hinc eſt illud prædicto cap. V: *Abeſt Italia à circumdatis terris Hiſtriâ & Liburniâ quibusdam locis centum millia paſſuum.* Unde etiam breviator Plinii Martianus Capella dicto lib. VI: *A ſolo igitur Italico Liburnia Hiſtriaque diſcretæ ſunt centenis millibus paſſuum.* Eumdem terminum Mela quoque obſervavit. dicto quidpe lib. II cap. III, de Hadriatico mari

 loquens;

loquens; *Hoc mare*, inquit, *Illyricis usque Tergeſtum*, *cæterà Gallicis Italisque gentibus*
[omnino legendum, *Italicisque gentibus*; ut mox capite ſequenti, *Italici populi*; &c,
inter Gallicas Italicasque genteis.] *cingitur. Parthini & Daſſaretæ prima eius tenent: ſequen-*
tia paullatim Encheleæ, Phæaces: deinde ſunt, quos propriè Illyricos vocant. tum Pyræi, &
Liburni & Hiſtri. Vrbium prima eſt Oricum; ſecunda Dyrrachium. ultrà ſunt, Apollonia,
Salona, Iadera, Narona, Tragurium, ſinus Polaticus, & Pola. Amnes autem Aeas & Nar &,
alius à Danubio, qui jam dictus eſt, Hiſter. ſed Aeas ſecundùm Apolloniam, Nar inter Pyræos
& Liburnos, per Hiſtros Hiſter emittitur. Tergeſtum, intimo in ſinu Hadriæ ſitum, finit Il-
lyricum. Et cap. IIII: *Interiora Italiæ aliæ aliæque gentes habitant. ſiniſtrâ parte Carni &*
Veneti colunt Togatam Galliam: tum Italici populi, Picentes, Frentani, Dauni.

Cæterò nomen *Italiæ* μέχρι τῆς ὑπωρείας τῶν Ἄλπεων, id eſt, *ad Alpium usque radices*
proceſſiſſe, ait Strabo loco proximè perſcripto; Polybium, ex quo multa deſumpſit,
haud dubiè ſequutus. hic quidpe loco ſuprà citato ita ſcribit: Τὴν δὲ λοιπὴν τῆς Ἰταλίας
πλευρὰν ὁρίζει ἡ τῶν Ἄλπεων παρώρεια. id eſt: *reliquum latus Italiæ Alpium radices definiunt.*
Verùm hoc, neſcio, an ſatis curatè dictum. quidpe non ad *radices* tantùm, ſed in ipſas
usque ἄκρας, id eſt, *ſummitates* Alpium extenſum fuiſſe Strabonis ætate id nomen,
cùm ipſe alibi, tùm alii teſtantur ſcriptores. ipſe Strabo, lib. IIII; in deſcriptione ho-
rum montium, de transitu per eos è Galliâ in Italiam: Ἐντεῦθεν ἐπὶ τοὺς ἑτέρους ὅρους τῶν
Οὐοκοντίων, πρὸς τὴν Κοττίου, μίλια ἑκατὸν ἑνὸς δέοντα, εἰς Ἐβρόδουνον κώμην· εἶτ᾽ ἄλλα τοσαῦτα, διὰ
Βριγαντίου κώμης καὶ Σκιγγομάγου, καὶ τῆς τῶν Ἄλπεων ὑπερθέσεως, ἐπὶ Ὤκελον τὸ πέρας τῆς Κοττίου γῆς.
καὶ ἀπὸ Σκιγγομάγου δ᾽ ἤδη Ἰταλία λέγεται. Id eſt: *Hinc ad alterum Vocontiorum finem & ad Cottii*
regnum millia XCVIIII, *ad Ebrodunum vicum usque. inde totidem per Brigantium vicum*
& Scingomagum Alpiumque transitum ad Ocelum, terræ Cottiæ finem. cæterùm à Scingo-
mago jam Italia dicitur. Et ante Strabonem Iul. Cæſar, belli Gallici comment. I, de ſe
ipſo loquens: *Quà proximum iter in ulteriorem Galliam per Alpeis erat, cum his quinque*
legionibus ire contendit. Ibi Centrones & Garoceli & Caturiges, locis ſuperioribus occupatis,
itinere exercitum prohibere conantur. Compluribus his prælìis pulſis, ab Ocelo, quod eſt cite-
rioris provinciæ extremum, in fineis Vocontiorum, ulterioris provinciæ, die ſeptimo pervenit.
Per *citeriorem provinciam* intelligit Galliam Ciſalpinam ſive Italicam; per *ulteriorem*,
Transalpinam Galliam. *Eborodunum* atque *Brigantium* hodiè vulgò vocantur incolis
Embrun & *Briançon*; utrumque ad Druentiam flumen; cuius mentionem facit ibidem
Strabo. *Scingomagum* eſſe eum vicum, cui vulgare nunc vocabulum *Seſana*, haud pro-
cul fonte Doriæ amnis; & *Ocelum* nunc *Eſilles*, ad idem flumen, infrà cap. XII clariùs
patebit. Ad eumdem igitur modum & ille Nazarii locus in panegyrico, quem Con-
ſtantino Aug. dixit, intelligendus. *Differamus*, inquit, *parumper Italicas expeditiones,*
quibus Seguſienſium civitatem, quæ, ſuperatis Alpibus, Italiæ clauſtrum objicit, quum vi &
velut januam belli refregiſſes, inde per objectas acies, per exercitus obvios, usque ad Romana
mœnia inoffenſus victoriarum impetus percucurrit. Ab Ocelo proximè ſequebatur in
eodem Cottiarum Alpium transitu opidum *Seguſium*, quod nunc vulgò dicitur *Suſa.*
Sic itinerarium etiam antiquum Hieroſolymitanum ad idem opidum *Italiam incipere*
tradit, qua de re pluribus agam infrà dicto cap. XII huius libri. Porrò Plinius dicto
lib. III cap. V, de Italiâ: *Patet longitudine ab Alpino fine Prætoriæ Auguſtæ, per Vrbem Ca-*
puamque curſu meante Rhegium, decies centena & viginti milla paſſuum. Et ipſa hæc *Præ-*
toria Auguſta, Salaſſorum gentis Alpinæ caput, non ad radices Alpium, ſed apud ſum-
mos earum transitus ſita eſt; vulgò nunc *Augſt* Germanis, Italis *Aoſta* dicta. At omnium
diſertiſſimum hac de re teſtimonium reliquit Velleius Paterculus, lib. II; ubi de Ma-
roboduo, Marcomannorum in Germaniâ rege, ita loquitur: *Nec ſecuram incrementi*
ſui patiebatur eſſe Italiam: quidpe quum à ſummis Alpium jugis, quæ finem Italiæ terminant,
initium eius finium haud multo plus CC *millibus paſſuum abeſſet.* Ptolemæus dum parteis
Alpium atque cognomina in Italiæ deſcriptione indicare voluit; perperam opida
Galliæ in iis *Vintium, Sanitium, Eburodunum, Brigantium, Aximam, Forum Claudii*, gen-
teisque Galliæ Alpinas, *Svetrios, Neruſios, Caturiges, Centrones*, Italiæ intulit. Velleius
dicto loco paullo pòſt de Pannoniorum exercitu ſic ſcribit: *Pars petere Italiam decre-*
verat; junctam ſibi Nauporti ac Tergeſtis confinio. Pannoniæ opidum erat *Nauportus*
apud amnem cognominem, qui vulgò nunc dicitur accolis *Laupach*: Italiæ verò opi-
dum erat *Tergeſte*, nunc *Trieſte*. in medio horum erant Alpes Pannonicæ; quarum
ſumma juga Italiam à Pannoniâ ſubmovebant. Patet igitur ex tot hactenus allatis
auctorum

auctorum teſtimoniis, ad ſummitates usque Alpium Italiæ fineis pertinuiſſe. Nec tamen neſcius ſum, etiam in externum usque earum latus nomen Italiæ protuliſſe Herodianum. Verba eius in fine libri VII de Maximini per Pannoniam itinere hæc ſunt: Ὁ δὲ Μαξιμῖνος ἀνύσας τὴν ὁδοιπορίαν, ἐπέστη τοῖς τῆς Ἰταλίας ὅροις. θύσας τε ἐπὶ τῶν μεθορίων βωμῶν, τῆς ἐπ' Ἰταλίαν εἰσβολῆς εἴχετο. Id eſt: *Maximinus confecto itinere jam Italiæ fineis attingebat: ac ſacrificato ad aras, quæ in finibus ipſis erectæ ſunt, pergebat iter facere.* Et initio libri VIII: Ὁ δὲ Μαξιμῖνος ἐπιστὰς τοῖς ὅροις, προύπεμψε σκοπούς, τοὺς ἐρευνήσοντας μή τινες ἐνέδραι ἐν κοιλάσιν ὀρῶν, ἢ λοχμαῖς, ὕλαις τε, κρύφιοι εἶεν· αὐτός τε καταγαγὼν εἰς τὸ πεδίον τὸν στρατόν, τὰς μὲν τῶν ὁπλιτῶν φάλαγγας ἐς τετράγωνα ἔταξε σχήματα, ἐπιμήκεις μᾶλλον ἢ βαθείας, ὡς ἂν πλεῖστον τοῦ πεδίου διαλαβοῖεν. * —— *. Ὡς δὲ πᾶν τὸ πεδίον διῆλθεν ὁ στρατὸς μετ' εὐκοσμίας τε καὶ εὐταξίας, ἐπέστησαν πρώτῃ Ἰταλίας πόλει, ἣν καλοῦσιν Ἡμῶναν οἱ ἐπιχώριοι· προοικεῖ) δὲ αὕτη ἐπ' ἀκροτάτῳ πεδίῳ, ἱδρυμένη πρὸ τῆς ὑπωρείας τῶν Ἄλπεων. ἔνθα ὑπαντώμενοι τῷ Μαξιμίνῳ οἱ προφύλακες καὶ σκοποὶ τοῦ στρατοῦ, ἤγγελλον κενὴν ἀνθρώπων εἶναι τὴν πόλιν, πανδημεί τε πεφευγέναι. *. *. Διανυκτερεύσαντες οὖν, οἱ μὲν ἐν τῇ πόλει ἐν ἀθύροις καὶ κοιναῖς πάντων οἰκίαις, οἱ δὲ ἐν τῷ πεδίῳ, ἅμα ἡλίῳ ἀνίσχοντι ἐπὶ τὰς Ἄλπεις ἠπείγοντο. * —— *. Μετὰ δέους οὖν πολλοῦ διῄει ὁ στρατός, ἐλπίζοντες τάς τε ἄκρας κατειλῆφθαι, πεφράχθαι τε τὰς διόδους εἰς κώλυμα τῆς αὐτῶν διαβάσεως. ὡς δὲ διέβησαν ἀκωλύτως, μηδενὸς ἐμποδὼν γενομένου, καταβαίνοντες εἰς τὸ στρατόπεδον, ἤδη ἀνεθάρρησάν τε καὶ ἐπαίνισαν. Hoc eſt: *Maximinus, poſtquàm ad Italiæ fineis pervênit, præmiſſis ſpeculatoribus, qui explorarent, an ullæ in Alpium convallibus atque denſiſſimis ſilvis inſidiæ deliteſcerent; ipſe, in planum deductis militibus, jubet armatorum acies quadrato agmine incedere, in longum porrectas potiùs, quàm confertas; ut ab iis quàm plurimum campi occuparetur.* Mox: *Vbi autem totam planitiem, ſervatis ritè ordinibus, transmiſerunt; ad primam Italiæ urbem perventum eſt, quæ Hemona ab incolis vocatur. ea ſita eſt in extremâ planitie, ad Alpium radices. Heic ſpeculatores atque exploratores exercitus narrant Maximino, vacuam relictam urbem; aufugiſſe omneis incolas.* Exiguo pòſt: *Quumque noctem exegiſſent, partim intra patenteis communeisque omnibus domos, partim in planitie ipsâ; ſtatim Sole oriente ad Alpeis acceſſerunt.* Mox, deſcriptis ipſis Alpibus: *Quapropter ingens transiturum illas exercitum formido tenebat; ſperantem, ſumma juga teneri jam ab hoſte; nullosque non obſtructos exitus ad ſe prohibendos. Poſteà verò quàm ſine ullo impedimento ſuperatis Alpibus in caſtra deſcenderant; læti omnes inſtauratis animis vitulabantur.* Diſertiſſimis heic verbis *Hemona* urbs & ultra Alpeis ponitur, & intra fineis Italiæ. At in Pannoniâ tamen eam cenſent Ptolemæus atque Plinius. quorum hic lib. III cap. XXV, *Inde glandifera*, inquit, *Pannonia; quà miteſcentia Alpium juga per medium Illyricum, à ſeptemtrione ad meridiem verſa, molli in dextrâ ac lævâ devexitate conſidunt. quæ pars ad mare Hadriaticum ſpectat, adpellatur Dalmatia & Illyricum: ad ſeptemtriones Pannonia vergit: finitur inde Danubio. in eâ coloniæ, Hemona, Siſcia. amnes clari & navigabiles in Danubium defluunt, Draus è Noricis violentior, Saus ex Alpibus Carnicis placidior.* Ptolemæus in deſcriptione Pannoniæ ſuperioris; Μεταξὺ δὲ Ἰταλίας ὑπὸ τὸ Νωρικὸν Παννονίας πάλιν [lege πόλις] Ἡμῶνα. id eſt: *Inter Italiam verò ac Noricum Pannoniæ urbs Hemona.* Nec ſitum huius urbis ignorare poſſumus; quando ita referunt antiqua itineraria Romana:

Tabulæ;		Antonini;	
Aquileia		*Aquileia*	
Ponte Sontî	XIIII.		
Fl. Frigido	....	*Fluvio Frigido*	XXXVI.
In Alpe Iuliâ	XV.		
Longatico	V.	*Longatico*	XXII.
Nauporto	VI.		
Emona	XII.	*Hemona*	XVIII.
Savo flu.	VIIII.		
Ad publicanos	XI.		
Adrante	VI.	*Adrante*	XXV.
Celeia	XXXVII.	*Celeia*	XXIIII.

Hoc ſcilicet illud erat uſitatiſſimum Romanis è Pannoniâ in Italiam iter. in quo *Celeia* opidum ultra Savum amnem in Carniolâ etiamnum clari comitatus caput eſt. in Italiâ verò *Sontius* fluvius hodiéque vulgò dicitur *l'Iſonzo fiume*; & in hunc defluens *Frigidus* fluvius, vulgò nunc *VVipach*: circa cuius fonteis ſunt *Alpes Iuliæ*; quæ & *Pannonicæ*

nicæ dicebantur; ut ſuo loco monſtrabitur. per has tranſitus erat viâ militari ex Italiâ in Pannoniam: cuius initium erat vallis ſive campus, quem *Nauportus* medium ſecat amnis, vulgò nunc accolis Germanis *Laubach*, ſive, aliâ dialecto, *Laupach* dictus; Italis *Lubiana.* ad hunc fuit opidum eiusdem nominis *Nauportum*, XI millia paſſuum à ſummo *Iuliæ Alpis* trajectu; & XII ab eo millia, in eâden planitie *colonia Hemona*: à qua in præſcripto itinere VIIII numerantur millia ad Savum amnem. unde patet, *Hemonam* eſſe eam urbem, quæ in ripâ dicti amnis vulgò nunc incolis vocatur communi amnis vocabulo *Laupach*, Italis *Lubiana*, Carniolæ caput. Huc accedit & inſcriptio vetus, quæ heic reperta eſt, *Hemonæ* nomen referens. Quum igitur Hemona, tam procul ultra Alpeis Pannonicas poſita, Pannoniæ urbs habeatur Plinio atque Ptolemæo; in eadémque provinciâ cenſeatur Tacito Annal. lib. I & Paterculo loco ſuprà ſcripto Nauportum; miror ego, qua ratione, vel qua limitum harum provinciarum commutatione, Herodianus poſteà Hemonam adſcripſerit Italiæ: utique, quum Antonini etiam itinerarium, cuius auctor, ut in Germaniæ lib. II cap. V docui, Herodiano fuit poſterior, Pannoniæ initium faciat ad *Longaticum manſionem*; id eſt, poſt tranſitum ſtatim Iuliæ Alpis. Sed quidquid ſibi voluerit Herodianus; auctoritas eius heic contra tot alios ſcriptores nulla eſſe poteſt. Stet igitur una hæc ſententia; Italiæ extimos fineis in ſummis fuiſſe Alpium jugis. Quapropter Plinii heic etiam notetur incuria; qui dicto lib. III cap. V *Iapidiam* quoque & *Liburniam* Italiæ gentibus adnumerat. *Italia dehinc*, inquit; *primique eius Ligures; mox Etruria, Vmbria, Latium: Volſcorum poſteà litus, & Campaniæ: Picentinum inde ac Lucanum Brutiumque. ab eo Græciæ ora: mox Salentini, Pediculi, Apuli, Peligni, Frentani, Marrucini, Veſtini, Sabini, Picentes, Galli, Vmbri, Thuſci, Veneti, Carni, Iapides, Hiſtri, Liburni.* Hanc ſupinam eius negligentiam miror; quando nemo aliorum ſcriptorum *Liburniam* Italiæ finibus attribuit: atque eo magis, quòd ipſe Plinius eodem capite poſteà ſemel, capite verò XVIIII bis, *Arſiam* flumen pronunciat terminum Italiæ; ut ſuprà oſtenſum. Sed idem Plinius mox capite XX omneis genteis Alpinas, in quibus etiam Norici, ad Danubium usque olim pertinentes, Italiæ accenſet. quidpe, omnibus enarratis, in hæc verba finit: *Hæc eſt Italia, diis ſacra; hæ gentes eius; hæc opida populorum.* Verùm *Rhætorum* ſitum, utrumque Alpium latus latè incolentium, huic rei occaſionem præbuiſſe puto. quos tamen contrà Ptolemæus ab Italiâ omnino ſecludit. Τῆς Ῥαιτίας, inquit, ἡ ἀπὸ μεσημβρίας πλευρὰ ὁρίζεται τοῖς ἐντεῦθεν ὑπὲρ τὴν Ἰταλίαν Ἀλπίοις ὄρεσιν. Id eſt: *Rhætiæ meridionale latus terminatur Alpibus, hinc ſuper Italiam extenſis.* Sed hoc minùs rectè; quum pars Rhætorum, internum Alpium latus colentium, ab Transalpinis alienari nequeat. Verùm Ptolemæi tempeſtate jam dudum priſcorum populorum, dum in provincias Romanas diſtribuerentur, & nomina & limites immutati fuerunt. Plinius lib. III cap. XX; ubi *de gentibus Alpinis* agit: *Noricis contermini Rhæti & Vindelici; omnes in multas civitates diviſi. Rhætos Thuſcorum prolem arbitrantur, à Gallis pulſos duce Rhæto. Verſo deinde in Italiam pectore Alpium, Latini juris Euganeæ gentes; quarum opida XXXIIII enumerat Cato. ex quibus Triumplini, venalis cum agris ſuis populus; dein Camuni, compluresque ſimiles, finitimis attributi municipiis.* Bergomum intelligit, Brixiam atque Veronam. quidpe valles, quas olim *Triumplini* & *Camuni* incolebant, hodiéque vulgò *Val Troppia*, & *Val Camonica* vocantur. At Camunos Strabo lib. IIII Rhæticam facit nationem. libro autem V Comum ait opidum adflictum fuiſſe à ſuprà colentibus Rhætis. qui nulli alii eſſe potuerunt, quàm qui Tellinam vallem & Clavennenſem habitarunt comitatum: quibus regionibus proximè jungitur lacus Larius ſive Comenſis. Sed & ipſe Plinius capite præcedenti, *Fertrini*, inquit, *& Tridentini & Bellunenſes, Rhætica opida: Rhætorum & Euganeorum Verona.* Verùm quum Rhætorum pars trans Alpeis unà cum Vindeliciâ, ad Danubium usque & Aenum amneis, in unius provinciæ formam, quæ *Rhætia* vocabatur, redigeretur; pars altera cis Alpeis *finitimis*, ut inquit Plinius, *Italiæ municipiis attributa eſt.* Quapropter idem in hac gente faciendum cenſeo, quod in Ligurum populis factum videmus. Nempe, quum hi ab Rhodano, Galliæ amne, ad Arnum usque, Italiæ flumen, protenſi forent; medius fluvius Varus in duas parteis eos diviſit; quorum alteri Galliæ accenſebantur, alteri Italiæ. Sic igitur Rhætos etiam, licèt una eademque fuerint gens; tamen hos in meridionali Alpium latere Italiæ eſſe adſcribendos judico; illos in ſeptemtrionali latere extra Italiam habendos cum reliquis Alpinis populis. quamquàm Italici ab initio fuerint generis;

pars

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

pars quondam Tuſcorum, ab Gallorum gente patriis, quas Alpeis inter & Apenninum tenebant, ſedibus pulſi; ac duce Rhæto in hæc montium juga transgreſſi. Cæterùm ab Gallis tunc ea Italiæ pars, quam occuparunt, dicta eſt Romanis GALLIA CISALPINA, vel CITERIOR; & item GALLIA ITALICA, & CIRCVMPADANA; ut ſuo loco oſtendetur: ſub cuius provinciæ nomine etiam Veneti & Carni ad ſuperum mare, ad inferum verò Ligures cenſebantur, ad Arnum usque amnem. finisque tum Italiæ erat, ad ſuperum mare primùm *Aeſis* fluvius, vulgò nunc *Ieſi* dictus; mox, deletis heic Senonibus Gallis, *Rubico* amnis inter Ravennam & Ariminum, vulgò nunc *Rugone* & *Fiumecino*. tandem, quum omnibus cis Alpeis Gallis cæterisque populis civitas tribueretur à Romanis; Italiæ etiam nomen ab his ad Alpeis rurſus promotum eſt. Hinc igitur eſt illud Strabonis initio libri V: Ἐπικρατῆσαν δὲ τοὔνομα τῆς Ἰταλίας καὶ μέχρι τῆς ὑπωρείας τῶν Ἄλπεων προὔβη· προσέλαβε δὲ καὶ τῆς Λιγυστικῆς μέχρι Οὐάρου ποταμοῦ, καὶ τῆς Ἰστρίας μέχρι Πόλας. ὀψὲ γάρ ποτε, ἀφ' οὗ μετέδοσαν Ῥωμαῖοι τοῖς Ἰταλιώταις τὴν ἰσοπολιτείαν, ἔδοξε καὶ τοῖς ἐντὸς Ἄλπεων Γαλάταις καὶ Ἐνετοῖς τὴν αὐτὴν ἀπονεῖμαι τιμήν, προσαγορεῦσαι δὲ καὶ Ἰταλιώτας πάντας καὶ Ῥωμαίους: Hoc eſt: *Id nomen deinde ita obtinuit, ut usque ad Alpium radices proferretur. occupavit etiam Liguriam, usque ad Varum flumen; & item Hiſtriam, usque ad Polam. poſtremò enim, quum Romani Italos in ſocietatem civitatis recepiſſent; placuit eodem honore Gallos quoque dignari Cisalpinos, & item Venetos; omnibusque pariter Italorum ac Romanorum nomen tribuere.* Item lib. VII: Ἔφαμεν δὲ ἐν τῇ περιοδείᾳ τῆς Ἰταλίας, Ἴστρους εἶναι πρώτους τῆς Ἰλλυρικῆς παραλίας, συνεχεῖς τῇ Ἰταλίᾳ καὶ τοῖς Κάρνοις· καὶ διότι μέχρι Πόλας, Ἰστρικῆς πόλεως, προήγαγον οἱ νῦν ἡγεμόνες τοὺς τῆς Ἰταλίας ὅρους. Id eſt: *Diximus in Italiæ deſcriptione, primos in Illyrici orâ eſſe Hiſtros, centerminos Italiæ & Carnis: principesque noſtros hodiè Italiæ fineis ad Polam usque, Hiſtriæ urbem, protuliſſe.* Sic & Iulianus in oratione de rebus geſtis Conſtantii imperatoris, de Alpibus loquens: Ὄρη δ' ἐστὶ ταῦτα ἀρχόμενα ἀπὸ θαλάττης, ἣν δὴ τὸν Ἰόνιον εἶναί φαμεν, ἀποτειχιζόμενα δὲ τὴν Ἰταλίαν ἀπό τε Ἰλλυριῶν καὶ Γαλατῶν, καὶ ἐς τὸ Τυῤῥηνὸν πέλαγος ἀναπαυόμενα. Ῥωμαῖοι γὰρ ἐπειδὴ τῆς χώρας ἁπάσης ἐκράτουν, (ἐστὶ δὲ ἐν αὐτῇ τό τε τῶν Ἐνετῶν ἔθνος καὶ Λίγυες τινὲς καὶ τῶν ἄλλων Γαλατῶν οὐ φαύλη μοῖρα·) τὰ μὲν ἀρχῆς σφῶν ὀνόματα σώζειν οὐ διεκώλυσαν, τῷ κοινῷ δὲ τῶν Ἰταλῶν ξυγχωρεῖν κατηνάγκασαν. καὶ νῦν ὁπόσα μὲν εἴσω τῶν Ἄλπεων κατῴκισται, ἔς τε ἐπὶ τὸν Ἰόνιον καὶ Τυρσηνὸν καθήκοντα, ταύτῃ κοσμεῖται τῇ προσωνυμίᾳ· τὰ δὲ ὑπὲρ τῶν Ἄλπεων Γαλάται νέμονται καὶ Ῥῆτοι. Hoc eſt: *Alpium juga ab Ionio mari incipiunt: inde Italiam ab Illyrico & Galliâ dividentes, in Etruſcum mare deſinunt. Romani verò quum regionem hanc omnem ſibi ſubjeciſſent; in qua & Veneti & Ligurum quidam & Gallorum haud exigua portio continetnr; veteres equidem adpellationes ſingulos retinere populos non vetuerunt; at univerſos in commune Italorum nomen concedere coëgerunt. Et nunc quidquid intra Alpeis eſt ad Ionium & Etruſcum usque pelagus, eo nomine cenſetur: quæ ultra Alpeis ſunt, Galli obtinent atque Rheti.* Huc etiam pertinet illud Taciti Annal. lib. XI; ubi ita Claudius imperator in ſenatu ſermonem habet: *Maiores mei (quorum antiquiſſimus Clauſus, origine Sabinâ, ſimul in civitatem Romanam & in familias patriciorum adſcitus eſt) hortantur, uti paribus conſiliis rempublicam capeſſam, transferendo huc, quod usquàm egregium fuerit. Neque enim ignoro, Iulios Albâ, Coruncanios Camerio, Porcios Tuſculo, & ne vetera ſcrutemur, Etruriâ Lucaniâque & omni Italiâ, in ſenatum accitos: poſtremò ipſam ad Alpeis promotam: ut non modò ſinguli viritim, ſed terræ gentesque in nomen noſtrum coaleſcerent. Tunc ſolida domi quies, & adversùs externa floruimus, quum Transpadani in civitatem recepti.* Sed de finibus Italiæ hactenus ſatis dictum. Nunc figura etiam eius atque magnitudo indicandæ.

CAPVT III.

De figurâ, magnitudine, ac ſitu ITALIAE.

FIGVRAM Italiæ deſcribit Polybius lib. II his verbis: Τῆς δὲ πάσης Ἰταλίας τῷ σχήματι τριγωνοειδοῦς ὑπαρχούσης, τὴν μὲν μίαν ὁρίζει πλευρὰν αὐτῆς, τὴν πρὸς ἀνατολὰς κεκλιμένην, ὅ τε Ἰόνιος πόρος, καὶ κατὰ τὸ συνεχὲς ὁ κατὰ τὸν Ἀδρίαν κόλπος. τὴν δὲ πρὸς μεσημβρίαν καὶ δυσμὰς τετραμμένην, τὸ Σικελικὸν καὶ Τυῤῥηνικὸν πέλαγος. αὗται δ' αἱ πλευραὶ συμπίπτουσαι πρὸς ἀλλήλας, κορυφὴν ποιοῦσι τοῦ τριγώνου, τὸ προκείμενον ἀκρωτήριον τῆς Ἰταλίας εἰς τὴν μεσημβρίαν, ὃ προσαγορεύεται μὲν Κόκινθος, διαιρεῖ δὲ τὸν Ἰόνιον πόρον καὶ τὸ Σικελικὸν πέλαγος. τὴν δὲ λοιπήν, τὴν παρά τε

ἄρκτους

ἄρκτου καὶ τὴν μεσόγαιαν περικλείουσαν, ὁρίζει κατὰ τὸ συνεχὲς ἡ τῶν Ἄλπεων παρώρεια, λαμβάνουσα μὲν ἀρχὴν ἀπὸ Μασσαλίας καὶ τῶν ὑπὲρ τὸ Σαρδῷον πέλαγος τόπων, παρήκουσα δὲ συνεχῶς μέχρι πρὸς τὸν τοῦ παντὸς Ἀδρίου μυχόν. παρὰ δὲ τὴν προειρημένην παρώρειαν, ἣν δεῖ καὶ νοεῖν ὡσανεὶ βάσιν τοῦ τριγώνου, παρὰ ταύτην ἀπὸ μεσημβρίας ὑπόκειται πεδία τῆς συμπάσης Ἰταλίας τελευταῖα πρὸς τὰς ἄρκτους, ὑπὲρ ὧν ὁ νῦν δὴ λόγος. Id eſt: *Quum trigoni ſpeciem Italia tota referat, unum eius latus, quod orientem ſpectat, Ionium mare & continuus illi ſinus Hadriaticus terminant; meridiei verò & occidenti obverſum latus, Siculum Etruſcumque mare. quà ſe duo hæc latera contingunt, triquetræ figuræ vertex efficitur: eſtque ibi procurrens ex Italiâ meridiem versùs promontorium, Cocinthum nomine. quo diſtingvuntur Ionium mare & Siculum pelagus. reliquum latus, quod ſeptemtrionem ſpectat, & mediterranea prætexit, Alpium continua juga definiunt; quæ à Maſſiliâ & proximis mari Sardoo locis incipiunt; indeque tractu perpetuo ad ultimum Hadriatici maris receſſum extenduntur. ſecundùm hæc montium juga, quæ pro baſi accipienda ſunt trigoni, à meridie campi ſubjacent, in ultimâ & maximè ſeptemtrionali parte Italiæ ſiti; de quibus nobis nunc eſt ſermo.* Galliam intelligit Ciſalpinam. Sed iſtam univerſæ Italiæ figuram reprehendit meritò Strabo initio libri v his verbis: Ἐν μὲν οὖν σχήματι σύμπασαν τὴν Ἰταλίαν οὐ ῥᾴδιον περιλαβεῖν γεωμετρικῶς· καίτοι φασὶν ἄκραν εἶναι τρίγωνον, ἐκκειμένην πρὸς νότον καὶ χειμερινὰς ἀνατολάς, κορυφουμένην δὲ πρὸς τῷ Σικελικῷ πορθμῷ. βάσιν δ' ἔχουσαν τὰς Ἄλπεις, συγχωρῆσαι δὲ καὶ τῶν πλευρῶν μίαν τὴν ἐπὶ τὸν πορθμὸν τελευτῶσαν, κλυζομένην δὲ ὑπὸ τοῦ Τυρρηνικοῦ πελάγους. τρίγωνον γὰρ ἰδίως τὸ εὐθύγραμμον καλεῖται σχῆμα. ἐνταῦθα δὲ καὶ ἡ βάσις καὶ αἱ πλευραὶ περιφερεῖς εἰσιν. ὥς τε εἰ φημὶ δεῖν συγχωρεῖν, περιφερογράμμου σχήματος θετέον καὶ τὴν βάσιν καὶ τὴν πλευράν· συγχωρητέον δὲ καὶ τὴν λόξωσιν ταύτης τῆς πλευρᾶς τὴν ἐπὶ τὰς ἀνατολάς. τἆλλα δ' οὐχ ἱκανῶς εἰρήκασιν, ὑποθέμενοι μίαν πλευρὰν ἀπὸ τοῦ μυχοῦ τοῦ Ἀδρίου μέχρι τοῦ πορθμοῦ. πλευρὰν γὰρ λέγομεν τὴν ἀγώνιον γραμμήν· ἀγώνιος δ' ἐστίν, ὅταν ἢ μὴ συννεύῃ πρὸς ἄλληλα τὰ μέρη, ἢ μὴ ἐπὶ πολύ. ἡ δὲ ἀπὸ Ἀριμίνου ἐπὶ τὴν ἄκραν τὴν Ἰαπυγίαν, καὶ ἡ ἀπὸ τοῦ πορθμοῦ ἐπὶ τὴν αὐτὴν ἄκραν, πάμπολύ τι συννεύουσιν. ὁμοίως δ' ἔχειν οἴομαι καὶ τὴν ἀπὸ τοῦ μυχοῦ τοῦ Ἀδρίου, καὶ τὴν ἀπὸ τῆς Ἰαπυγίας· συμπίπτουσαι γὰρ ἐπὶ τοὺς περὶ Ἀρίμινον καὶ Ῥάβενναν τόπους, γωνίαν ποιοῦσιν. εἰ δὲ μὴ γωνίαν, περιφέρειάν γε ἀξιόλογον, ὥστ' εἰ ἄρα τοῦτ' ἂν εἴη μία πλευρὰ ὁ παράπλους, ὁ ἀπὸ τοῦ μυχοῦ ἐπὶ τὴν Ἰαπυγίαν, οὐκ εὐθεῖα· τὸ δὲ λοιπόν, τὸ ἐνθένδε ἐπὶ τὸν πορθμόν, ἄλλην ἂν ὑπογράφοι πλευράν, οὐδὲ ταύτην εὐθεῖαν· οὕτω δὲ τετράπλευρον μᾶλλον ἢ τρίπλευρον φαίη ἄν τις τὸ σχῆμα· τρίγωνον δ' οὐδοπωσοῦν, πλὴν εἰ καταχρώμενος. βέλτιον δ' ὁμολογεῖν, ὅτι τῶν ἀγεωμετρήτων σχημάτων οὐκ εὐπερίγραφος ἡ ἀπόδοσις. κατὰ μέρος δ' οὕτως εἰπεῖν δυνατόν, ὅτι τῶν μὲν Ἄλπεων περιφερὴς ἡ ὑπώρειά ἐστι καὶ κολπώδης, τὰ κοῖλα ἔχουσα ἐστραμμένα πρὸς τὴν Ἰταλίαν. Hoc eſt: *Vniverſam Italiam geometricâ unâ aliquâ figurâ deſcribere, haud in proclivi eſt: quamquàm dicant, eam eſſe promontorium trianguli formâ porrectum versùs meridiem & ortum hibernum; cuius vertex ſit ad fretum Siculum, Alpes verò loco baſis: concedere autem laterum alterum id, quod Tyrrheno mari alluitur, finiturque freto Siculo. quidpe triangulum propriè dicitur figura tribus rectis lineis contenta. heic verò & baſis & latera circumferentias habent. Itaque, ſi concedendum, Italiam eſſe formâ trianguli; addendum eſt eius, cuius & baſis & latera circumductis deſcribantur lineis: concedenda eſt etiam lateris orientalis incurvatio. Reliqua haud ſatis aptè pronunciarunt; unum latus ponentes à ſinus Hadriatici intimo receſſu usque ad fretum. latus enim dicimus lineam absque ullo angulo. quod fit, quum partes invicem aut omnino non inclinantur, aut leviter admodùm. At linea ab Arimino ad Iapygium promontorium, & linea eòdem à freto ducta, ad angulum haud leviter in ſe invicem inclinantur. idemque ſentio de lineis ab intimo Hadriæ receſſu & ab Iapygiâ ductis; quæ, circa Ariminum & Ravennam concurrentes, angulum faciunt, aut ſaltem circumferentiam minimè negligendam. Itaque litus ab Hadriæ intimo receſſu ad Iapygiam ſi pro uno latere ponendum ſit, recta linea non erit. reliquum autem hinc ad fretum aliud porrò conficiet latus, ne ipſum quidem rectilineum. At ſic quadrilatera potiùs quàm triquetra erit figura, nullo modo triangula; niſi impropriè loqui velis.. Præſtat autem fateri, figurarum, quæ geometricis figuris non reſpondent, non facilè poſſe tradi circumſcriptionem. Particulatim autem ita licet dicere; Alpium radices circumferentiam habere ſinuoſam, cuius concavitas Italiæ ſit obverſa.* Sic & lib. II, Τῶν δ' Ἄλπεων, inquit, περιφερῆ ποιούντων γραμμήν, τὸ μὲν κυρτὸν ἐστράφθαι πρὸς τὰ λεχθέντα τῶν Κελτῶν πεδία καὶ τὸ Κέμμενον τὸ ὄρος, τὸ δὲ κοῖλον πρὸς τὴν Λιγυστικὴν καὶ τὴν Ἰταλίαν. τῆς δ' Ἰταλίας ἐστὶ τὰ μὲν πρῶτα μέρη, τὰ ὑποπίπτοντα ταῖς Ἄλπεσι πεδία, μέχρι τοῦ μυχοῦ τοῦ Ἀδρίου καὶ τῶν πλησίον τόπων· τὰ δ' ἑξῆς, ἄκρα στενὴ καὶ μακρά, χερρονησιάζουσα. ποιεῖ δὲ τὴν Ἰταλίαν χερρόνησον τό τε Τυρρηνικὸν πέλαγος, ἀρξάμενον ἀπὸ τοῦ Λιγυστικοῦ, καὶ τὸ Αὐσόνιον, καὶ ὁ Ἀδρίας. Hoc eſt: *Circumvexam lineam quum faciant Alpes; convexum eius latus Galliæ campis & Cemmeno*

monti

monti obvertitur, concavum Liguriæ atque Italiæ. Primæ partes Italiæ ſunt planities ſub Alpibus ſita, & ad intimum Hadriatici maris receſſum vicinaque loca pertingens. reliquum Italiæ eſt promontorium quoddam arctum atque longum, peninſulæ formam obtinens. redigunt autem Italiam in peninſulam mare Etruſcum, ab Liguſtico incipiens, & mare Auſonium Hadriaticumque. Iſta igitur figura, quam Italiæ tribuit Polybius, quum falſa eſſet, Plinius ita tradidit dicto lib III cap. v: *Eſt folio maximè querno adſimilata; multo proceritate amplior, quàm latitudine; in lævâ ſe flectens cacumine, & Amazonicæ figurâ deſinens parmæ: ubi à medio excurſu Cocinthos vocatur; per ſinus lunatos duo cornua emittens; Leucopetram dextrâ, Lacinium ſiniſtrâ.* Et ex Plinio epitomator eius Solinus, cap. VIII: *Similis querno folio, ſcilicet proceritate amplior, quàm latitudine.* Et item alter epitomator Martianus Capella lib. VI: *Lævorſum quoque ſe flectit; & item duobus promontoriis peltæ Amazonicæ formam reddit; dextero cornu Leucopetram tendens, lævo Lacinium.* Rutilius Itinerarii lib. II:

Italiam, rerum dominam, qui cingere viſu
Et totam pariter cernere mente velit;
Inveniet quernæ ſimilem procedere frondi,
Artatam laterum conveniente ſinu.
In latum variis damnoſa amfractibus intrat
Tyrrheni rabies Hadriacique ſali.

Ex duobus autem illis promontoriis *Lacinium* in Crotonienſi agro, quæ urbs nunc dicitur *Cotrone*, vulgò hodiè vocatur *Capo delle Colonne*; *Leucopetra* verò in Rhegino agro ad fretum Siculum, *Capo dell' Armi*. medium inter hæc *Cocinthos*, cuius Polybius ſuprà etiam meminit, vulgò nunc eſt *Capo di Stilo*. Hoc poſteà quoque memerat Plinius eodem lib. v cap. x. *A Locris*, inquit, *Italiæ frons incipit, in treis ſinus recedens Auſonii maris. In eâ orâ flumina innumera; ſed memoratu digna, à Locris Sagra, & veſtigia opidi Caulonis, Myſtra, Conſilinum caſtrum, Cocinthum; quod eſſe longiſſimum Italiæ promontorium aliqui exiſtimant. dein ſinus & opidum Scylacium.* Polybium non dubiè innuit; qui in hoc promontorio triangularis Italiæ verticem conſtituit. quem tamen Strabo apud ipſum fretum ſtatuit; haud dubiè in Rhegini agri promontorio Leucopetrâ: unde etiam Solinus dicto cap. VIII, *Italia*, inquit, *univerſa conſurgit à jugis Alpium, porrecta ad Rheginum verticem.* At id ſatis mirum, quòd Plinius ait *in lævâ Italiam ſe flectere cacumine:* quum eius cacuminis *alterum cornu in dextrâ* dicat eſſe *Leucopetram*, alterum in *ſiniſtrâ Lacinium.* Mendum verò librariorum in dictâ voce *lævâ* ſuſpicari haud licet; quando epitomator etiam eius Martianus pro eâ habet *lævorſum*. niſi mendum id perantiquum eſſe contendas, ante Martiani jam tempora inſperſum. Idem Plinius cap. v præſcriptis verbis hæc continuò ſubnectit: *Patet longitudine ab Alpino fine Prætoriæ Auguſtæ, per Vrbem Capuamque curſu meante Rhegium opidum, in humeris eius ſitum, à quo veluti cervicis incipit flexus, decies centena & viginti millia paſſuum. multoque amplior menſura fieret Lacinium usque; ni talis obliquitas in latus digredi videretur.* Quem heic *humerum*, quam *cervicem*, quam denique cap. x *frontem* effingere potuerit, haud equidem video; niſi ea omnia prædictis *cornibus* tantùm adplicata fuerint. Id iterum miror; Italiam heic versùs *Lacinium* promontorium *obliquitate in latus digredi*, eum dixiſſe: quum ea Italiæ pars, quam Brutii olim tenuêre, à Lao & Sybari fluminibus (*Laino* & *Cocile* hodiè dicuntur in Calabriâ) tota haud levi obliquitate abeat in Leucopetram promontorium & Siculum fretum. unde ipſe etiam Plinius ſub initium capitis v, *Volſcorum*, inquit, *poſteà litus, & Campaniæ: Picentinum inde ac Lucanum Brutiumque; quò longiſſimè in meridiem ab Alpium fine lunatis jugis in maria excurrit Italia.* Pliniumque ſequutus abbreviator Martianus, dicto loco, *Dehinc litus*, inquit, *in Volſcorum nomen ſortemque conceſſit. mox Campania Picenteſque ac Lucanum litus Brutiumque conjungitur; cuius promontorium, in meridiem auſtrumque reſpectans, in mare procurrit: lævâque alia interioris ſinus fluenta complectitur; ut, ſi à primis Alpibus dextrum latus & prolixi montis brachium contempleris, prominentias utrimque componens, theatrum quoddam ſpectare videaris undarum. lunata quidpe & quodam hemicyclio in promontorium memoratum circumfertur Italia. Interior verò tellus, quæ in ſuperum mare boreamque profertur, Græciæ orâ, Salentinis, Pediculis, Apulis, Pelignis, Hiſtris, Liburnis, & cæteris populis obſcurioribus habitatur.* Scripſiſſe debebat Martianus; *cuius promontorium Leucopetra, meridiem auſtrumque reſpectans, in mare Siculum procurrit:* ne ineptus epitomator

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Plinii fieret. Reliqua autem verba corrupta eſſe, ſat patet. Pro voce *alia*, quædam exemplaria habent *ala*. at ego hunc locum ſic lego: *Lævoque latere interioris ſinus fluenta complectitur: at, ſi à primis Alpibus dextrum latus & prolixi montis brachium contempleris*; & cætera, quæ probè ſequuntur. Sic ſcilicet Lucanus etiam atque Claudianus *duo* Italiæ pronunciarunt *latera*; *lævum*, ad mare ſuperum; *dextrum*, ad inferum; ut capite ſequenti videbimus. Notandum igitur in præſcriptis Plinii Martianique verbis; quòd, ubi ille Italiam ait *lunatis jugis*, ſcilicet Apennini montis, *ab Alpium fine*, qui eſt *Prætoriæ Auguſtæ*, *longiſſimè in meridiem in maria excurrere*; hic dicit, *Italiam dextro latere lunatam & quodam hemicyclio à primis Alpibus in meridiem promontoriumque* Leucopetram *circumferri*; non verò, ut poſtà Plinius tradit, *lævo latere obliquitate* aliquâ in orientem Solem *Laciniumque* promontorium *digredi*. Sic alter ille quoque Plinii epitomator Solinus dicto cap. VIII: *Vniverſa conſurgit à jugis Alpium, porrecta ad Rheginum verticem & litora Brutiorum; quò in mare meridiem versùs protenditur.* At Strabo accuratiùs etiam hunc Italiæ angulum notavit. quidpe lib. VI, commemorato Hipponio opido, quod nunc dicitur *Monte Leone*; Ἐντεῦθεν, inquit, ἐπὶ τὸν Ἡρακλέους λιμένα πλέουσιν ἀρχὴ τοῦ ἐπιστρέφειν τὰ ἄκρα τῆς Ἰταλίας, τὰ πρὸς τῷ πορθμῷ, πρὸς τὴν ἑσπέραν. Hoc eſt: *Hinc ad portum Herculis navigantibus, extrema Italiæ, apud fretum poſita, occidentem versùs ſeſe inflectere incipiunt.* Ea tamen inflexio levis eſt. At verò ſi Italiæ univerſæ menſuram non ſecundùm Apennini *lunatam obliquitatem*, ſed ad rectam lineam agas; extimum eius, & in quod longiſſimè excurrit, promontorium erit *Lacinium*. quò fortè reſpexerunt auctores, quos Plinius ſequutus eſt. Verùm hæc haud ſumma erat eius longitudo; ſed illa ad Leucopetram. Cæterùm *querni folii* ſimilitudo, quam ei tribuit Plinius, haud perinde inepta eſt: niſi quà ſub alpibus ad reliquam continentem latiſſimo tractu accedit. cætera eius pars, ad fretum usque, anguſta eſt: ut etiam veteres adnotarunt geographi. Mela, dicto lib. II cap. IIII: *Italia ab Alpibus incipit in altum excedere; atque, ut procedit, media ſe perpetuo Apennini montis jugo attollens, inter Hadriaticum & Thuſcum, ſive inter ſuperum mare & inferum excurrit: diu ſolida; verùm ubi longè abit, in duo cornua ſcinditur: reſpicitque altero Siculum pelagus, altero Ionium: tota anguſta; & alicubi multo, quàm unde cœpit, anguſtior.* Et Melæ partim, partimque Plinii exſcriptor Solinus dicto cap. VIII: *Italia univerſa conſurgit à jugis Alpium, porrecta ad Rheginum verticem & litora Brutiorum; quò in mare meridiem versùs protenditur. inde* [ſcilicet *ab Alpium jugis*] *procedens paullatim, ſe Apennini montis dorſo attollit; extenſa inter Thuſcum & Hadriaticum, id eſt, inter ſuperum mare & inferum; ſimilis querno folio; ſcilicet proceritate amplior, quàm latior. ubi longiùs proceſſit, in cornua duo ſcinditur; quorum alterum Ionium ſpectat æquor, alterum Siculum.* Non tota ab Alpibus, quà hæ ab ſeptemtrione Italiam finiunt, eſt *anguſta*: ſed incipit eſſe *anguſtior* haud procul à noviſſimo Alpium fine, qui eſt, ut ſuo loco oſtendetur, circa Genuam urbem & Trebiæ amnis fontem. unde etiam Strabo ſuprà dicto lib. II, poſt commemoratam Subalpinam Italiæ partem, Τὰ δ' ἑξῆς, inquit, ἄκρα ἐστὶ στενὴ καὶ μακρὰ, χερρονησιάζουσα. id eſt: *Reliquum Italiæ eſt promontorium quoddam arctum atque longum, peninſulæ formâ.* Libro autem V, memoratâ eâdem parte, quæ eſt circa Padum inter Alpeis Apenninumque; Ἡ λοιπὴ δὲ, inquit, Ἰταλία στενὴ καὶ παραμήκης ἐστὶ κορυφουμένη διχῶς, τῇ μὲν πρὸς τὸν Σικελικὸν πορθμὸν, τῇ δὲ πρὸς τὴν Ἰαπυγίαν. Id eſt: *Reliqua Italia anguſta eſt, & in longum porrecta: inque duos ſcinditur vertices; quorum alter ad fretum Siculum, alter ad Iapygiam eſt.* Horum *verticum*, alter eſt *Leucopetra promontorium*, apud fretum Siculum; alter *promontorium Iapygium*, vulgò nunc *Capo di Leuca*, ad Ionium mare, ſive ad maris Hadriatici fauceis. At ſi magis genuinam totius Italiæ figuram exprimere velimus; cruri erit adſimilis humano: cuius pes ad Siculum Ioniumque mare, quod Auſonium olim dicebatur, in Tarentinum Scylaciumque ſinus diviſum. pedis digiti erunt apud fretum Siculum, circa Rhegium & Leucopetram; calcaneus apud Iapygium promontorium & Hydruntum opidum, quod nunc vulgò eſt *O'tranto*. pro calcari quodam erit Garganus mons, vulgò *Monte di S. Angelo* nunc dictus. hinc medium ſuræ habebis apud Anconam in Cumerio promontorio; poplitem apud Ravennam; genu ad Liburnum portum. inde pars ima femoris ſeſe attollit ad Alpeis usque, quaſi laxis quibusdam brachis tectum. Huius igitur cruris; id eſt, univerſæ Italiæ longitudinem, atque ambitum poſthinc explicabimus.

Longitudo ITALIAE.

De *longitudine Italiæ* Plinium jam anteà audivimus lib. III cap. V ſic loquentem: *Patet*

Patet longitudine, ab Alpino fine Prætoriæ Auguſtæ per Vrbem Capuamque curſu meante Rhegium opidum, decies centena & viginti millia paſſuum. Eadem penè verba epitomatores Plinii Solinus atque Martianus Capella referunt. Apud hunc dicto loco ſic legitur: *Quum longa ſit ab Alpibus Prætoriæ Auguſtæ per urbem Capuam & Rhegium abſque recurvo flexu, decies centena & viginti millia paſſuum, nusquàm verò trecenta latitudo eius excedit.* Quum fieri non poſſit, uti aliquis ab Auguſtâ Prætoriâ per Capuam Rhegium usque eat *abſque recurvo flexu* illo, quem ſuprà indicavi; mendum ineſſe voci *abſque*; pro qua ſcribendum *usque*; facile cuivis diſpectu eſſe poterat, etiam ſine auctoritate alterius Plinii breviatoris Solini; apud quem dicto cap. VIII ita ſcriptum: *Italiæ longitudo, quæ ab Auguſtâ Prætoriâ per urbem Capuam porrigitur usque ad opidum Rhegium, decies centena & viginti millia paſſuum colligit.* At apud utrumque tamen alterum rurſùs mendum deprehenditur in voce *Capuam*; cui incuriâ librariorum ablata particula *que*. nam vocabulo *urbis* non Capua heic intelligitur; ſed ipſa Roma: quæ quàm frequentiſſimè ita apud auctores κατ' ἐξοχὴν ſimpliciter adpellatur *Vrbs*. Rectiùs itaque heic Plinii exemplaria, *per Vrbem Capuamque*. Apud Martianum tamen particula tantùm & transpoſita videtur. apud eumdem autem vox etiam *verò* abundat. Totum locum ſic reſcribo: *Quum longa ſit, ab Alpibus Prætoriæ Auguſtæ per Vrbem & Capuam Rhegium usque recurvo flexu, decies centena & viginti millia paſſuum, nusquàm trecenta latitudo eius excedit.* Cæterùm Plinius lib. IIII cap. XXIII, *Eſt autem*, inquit, *ipſius Italiæ, ut diximus, longitudo decies centena & viginti millia ad Alpeis.* Dixerat præſcripto lib. III cap. V. Rutilius Itinerarii lib. II, neſcio an metri causâ, *viginti* illa millia minùs habet. Verba eius hæc ſunt:

Millia per longum decies centena teruntur
A Ligurum terris ad freta Sicaniæ.

At non in Rhegio opido deſinebat Italia; ſed in Leucopetrâ promontorio, XII millia paſſuum ultra Rhegium ſito: *quò*, ut ipſe ait Plinius, *longiſſimè in meridiem excurrit Italia*: & ſupra Auguſtam item pluribus adhuc millibus adſcendit in ſumma usque Alpium juga, unde Duria oritur amnis. Verùm iſtam Plinii menſuram juxta publicas Romanorum vias, quæ ſæpè per celebriores urbeis perque vallium ac montium circumducebant amfractus, actas fuiſſe, ſatis conſtat. Hodiè totius Italiæ ab dicto Duriæ fonte ad Leucopetram longitudo, directiſſimo ac breviſſimo curſu, vix octingenta millia complet: ſi quis verò per urbem Romam ac Neapolim iter faciat; millia eius connumerabit haud minùs nongenta. Romanæ verò, ut dixi, viæ per celebriora loca circumducebant: tum millia Romanorum erant multo minora, quàm nunc ſunt in regno Neapolitano, in ditione Eccleſiæ Romanæ, & in Etruriâ; ubi omnium longiſſima. ita, uti prædictum *decies centenûm & viginti millium* numerum, quem Plinius tradit inter Auguſtam Prætoriam & Rhegium, haud falſum corruptumve eſſe putem. Strabo lib. IIII, in deſcriptione Alpium, Apennini initium ſtatuit inter Sabata & Genuam opida. longitudinem autem eius indicat lib. II his verbis: Τῆς δ' Ἰταλίας ἐστὶ τὰ μὲν πρῶτα τὰ ὑποπίπτοντα ταῖς Ἄλπεσι πεδία, μέχρι τοῦ μυχοῦ τοῦ Ἀδρίου καὶ τῶν πλησίον τόπων· τὰ δ' ἑξῆς, ἄκρα στενὴ καὶ μακρά, χερρονησιάζουσα, δι' ἧς ἐπὶ μῆκος τέταται τὸ Ἀπέννινον ὄρος, ὅσον ἑπτακισχιλίων [adde, quod interiit, σταδίων. Id eſt: *Prima pars Italiæ eſt planities ſub Alpibus ſita, & ad intimum Hadriatici maris receſſum vicinaque loca pertingens. reliquum Italiæ arctum quoddam & longum eſt promontorium, peninſulæ formâ; per quod Apenninus in longum producitur ad ſtadium ſeptem millia.* Id eſt, millia paſſuum IↃCCCLXXV. His ſi reliquum ſpatium addas, quod eſt inter initium Apennini & fontem Duriæ millium circiter CXXV; totius Italiæ longitudo ex mente Strabonis erit decies centenûm millium.

De *latitudine* eius ita ſcribit Plinius eodem cap. V libri III: *Latitudo eius varia eſt:* Latitudo. CCCCX *millium inter duo maria, inferum & ſuperum, amneisque Varum atque Arſiam. mediæ, atque fermè circa urbem Romam, ab oſtio Aterni amnis, in Hadriaticum mare influentis, ad Tiberina oſtia,* CXXXVI; *& paullo minus à Caſtro novo, Hadriatici maris, Alſium ad Tuſcum æquor: haud ullo loco trecenta in latitudinem excedens.* Hæc breviter Solinus dicto cap. VIII ita refert: *Latitudo, ubi plurimum,* CCCCX, *ubi minimum,* CXXXVI *millia colligit. artiſſima eſt ad portum, quem Hannibalis caſtra dicunt. neque enim excedit quadraginta* [lege *viginti*] *millia.* Et Martianus dicto lib. VI: *Nusquàm trecenta millia latitudo eius excedit: anguſtior plurimum eſt ad portum, quem Hannibalis caſtra dicunt. nam vix ibi viginti millia paſſuum lata eſt.* Hoc etiam ita habet Plinius, eodem lib. III cap. X. *Dein*, inquit, *ſinus & opidum Scylacium: quem locum occurrens Terinæus ſinus peninſulam efficit; & in eâ portus,*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

qui vocatur Caſtra Hannibalis; *nusquàm anguſtiore Italiâ*. XX *millia paſsuum latitudo eſt*. Hodiè *Terinæus ſinus* vulgò dicitur accolis *Golfo di S. Eufemia*; idem & *Lametinus* olim & *Hipponiates* adpellatus; ut ſuperiori capite patuit. *Scylacius* verò, ſive *Scylleticus*, vulgò nunc eſt *Golfo di Squillaci*; ab opido *Squillaci*, quod antiquum illud eſt *Scylacium*, ſive *Scylletium*, poſitum in prædictæ peninſulæ iſthmo; cuius longitudinem XX millium ipſe emenſus ſum. Citra hunc iſthmum alius eſt iſthmus, inter oſtium Crathis, in Tarentinum ſinum defluentis, & opidum Cetrarium ſive Cerillam porrectus; XXX, ut coram comperi, millium paſſuum. Inde jam latior incipit eſſe Italia. ab utroque tamen Gargani montis latere duo iterum ſunt quidam iſthmi; quorum alter ab dextro latere ad Salernum opidum pertinet; alter ab lævo ad Liris ſive Gareliani fluminis oſtium: uterque LXXV circiter millium paſſuum. Id verò miror; Plinium maiorem pronunciaſſe latitudinem inter Aterni & Tiberis oſtia; quorum ille nunc *Peſcára* eſt; quàm inter Caſtrum novum & Alſium: quum ſatis conſtet, quò altiùs versùs ſeptemtriones ab Gargano monte adſcendat Italia, eò latiùs eam ſeſe expandere; niſi quà circa Ravennam rurſus puſillum arctetur. Nec ſcio, per quas ambages ea menſura millium CXXXVI acta ſit; quando hodiè breviſſimo meatu vix C deprehenduntur. Rutilius, dicto Itinerarii lib. II, millia VI habet minùs, in his verſibus:

Quà tamen eſt juncti maris anguſtiſſima tellus,
Triginta & centum millia ſola patet.

Fortè inter Caſtrum novum & Alſium tot computabantur millia; id eſt, ut Plinius ait, *paullo minùs*, quàm CXXXVI. At illud omnium minimè diſpicio, quid ſibi voluerit Plinius his verbis; *Haud ullo loco trecenta in latitudinem excedens*. quæ (ne mendum iis inhærere cenſeas) Martianus etiam ita retulit; *Nusquàm trecenta millia latitudo eius excedit*. Hæc, inquam, minimè percipio, quid ſibi velint: ſiquidem ipſe Plinius continuò antè dixit, inter Aterni & Tiberis fluminum oſtia eſſe millia CXXXVI: inter Varum autem & Arſiam amneis millia CCCCX. Cæterùm hæc menſura ſatis æqua ac juſta eſt, ſi proximo itinere ab Vari oſtio ad oſtium Arſiæ proficiſcare, per opida Dertonam, Placentiam, Mantuam, Patavium, Tarviſium, Opitergium, Concordiam, Aquileiam, Tergeſte, Parentium & Polam. Eamdem verò latitudinem Plinius paullo alio itinere ducit poſteà eod. lib. III cap. XVIIII. *Latitudo*, inquit, *Italiæ ſubter radices Alpium, à Varo per Vada Sabatia, Taurinos, Comum, Brixiam, Veronam, Vicentiam, Opitergium, Aquileiam, Tergeſte, Polam, Arſiam*, IↃCCIII *millia paſſuum colligit*. Vbi tamen exemplaria mirum in modum variant; aliis IↃCCXIII *millia* ferentibus, aliis IↃCCXLII, nonnullis IↃCCXLV. Ex antiquâ equidem Romanorum tabulâ itinerariâ, quæ paſſim hiulca eſt, cum ſupplementis IↃCCX circiter millia colligo. at hodiè ſi quis per præſcripta loca iter faciat, IↃL circiter millia reperierit. per ſummos autem Alpium vertices, quà fines erant Italiæ, milllia erunt IↃCCC.

Ambitus. Porrò de *ambitu* totius *Italiæ* ita ſcribit idem Plinius eodem loco: *Vniverſæ ambitus à Varo ad Arſiam* XXX *paſ.* LVIII *efficit*. Sic equidem pleraque habent exemplaria antiqua. verùm ex eo numero nihil probi patet; niſi intelligas *tricies centena & quinquaginta octo millia paſſuum.* Plinii epitomator Solinus ita habet dicto cap. VIII: *At in ſolidum ſpatium circuitus univerſi vicies quadragies novies centena millia ſunt*. Sed quænam hæc eſt loquutio, *vicies quadragies novies centena?* cur non dixit, *ſexagies novies centena*; ſi Latinè loqui voluit? Haud dubiè ſcriptum ab ipſo Solino fuit, *vicies centena quadraginta novem millia*; ut quædam habent Plinii exemplaria; & alter item breviator eius Martianus Capella: apud quem dicto loco hæc leguntur: *Omnis Italiæ circuitus traditur vicies centena quadraginta novem millia*. At non univerſa tamen heic intelligenda eſt Italia, etiam quà Alpibus cingitur; ſed quà mari alluitur tantùm, à Varo ad Arſiam. Quamquàm nec omnem quidem oram maritimam is numerus explere Plinio potuit: ſiquidem ipſe ſimulque epitomatores eius longitudinem totius Italiæ ab Auguſtâ Prætoriâ ad Rhegium opidum fecerunt *decies centenûm & viginti millium*: ambitus autem oræ maritimæ, circùm promontoria atque ſinus actus, longè amplior eſt; maximè verò ad ſuperum mare, ad Leucopetram usque. Ad inferum mare intra promontoria ductus, ferè æqualis fit longitudini interiori. unde adparet, eum quoque ex publicis ſive militaribus viis eſſe ſumptum. Quum autem ſuperi maris ambitum illi cenſerent eſſe ferè parem; duplicato priori numero, *millia* inde effecta ſunt *vicies centena quadraginta novem*. At hodiè circuitus maritimus à Varo ad Arſiam, intra promontoria

montoria actus, *millia* efficit circiter *vicies quinquies centena*; ſive, ut ſimpliciùs dicam, *milliaria bis mille quingenta*. His ſi Alpium latus addas; *millia* erunt univerſi ambitus *tricies ter centena*; ſive *milliaria ter mille trecenta*. Hæc igitur longitudo eſt, hæc latitudo, hic denique ambitus univerſæ Italiæ. cuius menſura ſi variè à variis huius ſæculi etiam Italis auctoribus tradita inveniatur, nihil mirum ſit; quando ipſi per omnem Italiam Itali tam variè locorum intervalla colligunt, ſciſcitantibusque indicant; uti perquàm difficile ſit, verum inde aliquem ac germanum milliarium numerum elicere. Ego verò quum omnem pede meo peragraverim, paullo curatiùs ſingula, quæ ſcitu neceſſaria erant, perluſtrans obſervansque; omnium veriſſimam, quam heic dedi, eſſe menſuram coram cognovi.

Nunc *medium* etiam *Italiæ* ubi locorum poſuerint veteres, breviter indicabo. Martianus Capella, dicto lib. VI: *Eius umbilicus in agro dicitur Reatino*. Solinus cap. VIII: *Vmbilicum, ut Varro tradit, in agro Reatino habet*. Vterque hoc ex Plinio: apud quem ita lib. III cap. XII: *In agro Reatino Cutiliæ lacum Italiæ umbilicum eſſe, M. Varro tradit*. Opidum *Reate*, Sabinorum quondam caput, epiſcopali etiam nunc titulo inſigne, vulgò vocatur *Riéti*. in huius agro, haud procul opido, cui vulgaris adpellatio *Città Ducale*, *Cutiliæ lacum* eſſe, pòſt in Sabinis docebo. Is autem locus in medio ſitus eſt tam longitudinis quàm latitudinis univerſæ Italiæ. E regione eius fermè eſt urbs *Roma*, ad mare inferum à XVI millibus paſſuum accedens; quæ & ipſa in medio longitudinis poſita. hinc quidpe CCCCL ſunt millia ad Leucopetram; totidemque ad Alpium finem Prætoriæ Auguſtæ. *Medium.*

De *ſitu* denique univerſæ *Italiæ* hæc ſuprà ſcriptis addit Plinius dicto lib. III cap. V: *Abeſt à circumdatis terris Hiſtriâ ac Liburniâ quibusdam locis centum millia paſſuum; ab Epiro & Illyrico quinquaginta: ab Africâ minus ducentis; ut auctor adfirmat Varro: ab Sardiniâ* CCXX *millia: ab Siciliâ mille quingentos paſſus: à Corcyrâ minus* LXXX: *ab Iſſâ quinquaginta. Incedit per maria cœli regione ad meridiem quidem; ſed ſi quis id diligenti ſubtilitate exigat, inter ſextam horam primamque brumalem*. Simpliciùs poſtremum hoc expreſſit Paullus Diaconus, Langobardicar. rer. lib. II cap. VIIII, his verbis: *Omnis Italia versùs meridiem, vel potiùs in Eurum extenditur*. Et item Iſidorus Origin. lib. XIIII cap. IIII: *Italiæ ſitus à Circio in Eurum extenditur*. Reliqua Plinii ita transſcripſit epitomator Martianus, dicto lib. VI: *A ſolo igitur Italico Liburnia Hiſtriaque discretæ ſunt centenis millibus paſſuum: quod diſtat ab Epiro & Illyrico quinquaginta millia: ab Africâ intra ducenta millia; ut Varro commemorat: ab Sardiniâ centum viginti; ab Siciliâ mille quingentis; à Corſicâ minus ſeptuaginta; ab Iſſâ quinquaginta*. Alia heic exemplaria habent; *à Corcyrâ minus octoginta*; ut eſt apud Plinium. ſed apud hunc viciſſim alia habent, ut apud Martianum, *à Corſicâ minus ſeptuaginta*. Quæ ex his verior ſit lectio, facile diſpectu eſt. namque haud dubiè magnam inſulam *Corſicam* præ longè minori *Corcyrâ* obmittere Plinius noluit; utique, quum illa tam propè Italiam accedat; *Corcyra* verò centum diſtet millia paſſuum. & de *Corſicâ* ita legitur apud eumdem Plinium poſteà cap. VI: *Abeſt à Vadis Volaterranis* LXII *millia paſſuum*. Hinc ergo rectè capite præcedenti dixerit, *minus ſeptuaginta*. De *Sardiniâ* alia item Plinii exemplaria habent, ut eſt apud Martianum, CXX *millia*: quod verum ac genuinum eſt intervallum. Ad *Siciliam* item rectè CIↃIↃ *paſſus* poſuit; ut Siciliæ lib. I cap. V. docebo. Illa autem *millia minus ducentis ad Africam* apertum arguunt vel errorem Varronis, vel lapſum librariorum. quidpe breviſſimus ex Italiâ à Leucopetrâ in Africam meatus eſt per Siciliam inſulam. huius verò longitudo, inter duo promontoria Pelorum & Lilybæum, juxta rectam lineam CC ampliùs efficit millia: & à Lilybæo ad proximum Africæ promontorium, quod olim *Mercurii*, nunc autem vulgò Europæis *Capo Buono* dicitur, millia ſunt haud minùs centum. Rectiùs igitur ac veriùs Varro pronunciaſſet id intervallum Italiam inter & Sardiniam *millium minùs trecentis*. Id verò ſatis rectè, quod *ab Hiſtriâ Liburniâque quibusdam locis* Plinius ait *Italiam abeſſe centum millia*. item, quòd *ab Epiro quinquaginta* tantùm: nempe ab Hydrunto ad Ceraunios monteis. unde etiam poſteà cap. XI, *Hydruntum*, inquit, *ad discrimen Ionii & Hadriatici maris; quà in Græciam breviſſimus transitus, ex adverſo Apolloniæ opidi, latitudine intercurrentis freti quinquaginta millium non ampliùs*. At de Illyrico planè falſum eſt: quum breviſſimus inde in Italiam trajectus centum colligat millia. Idem error *Iſſam* quoque *inſulam* propiùs æquo Italiæ admovit; quum id intervallum ſit LXXX ferè millium. Quapropter rectiùs heic Ptolemæus LXX fecit millia tantùm. Sed de ſitu etiam Italiæ ſatis dictum.

Situs univerſæ Italiæ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

CAPVT IIII.

De APENNINO *monte, mediam fermè Italiam ſecante.*

ENARRATIS hactenus variis ITALIAE nominibus, finibus item eius ac magnitudine indicatis; antequàm ad populorum urbiumque in eâ expoſitionem pergam, rei ordo poſtulare videtur, uti APENNINVS MONS, qui univerſam in duo ſecat latera, priùs explicetur; quidpe cuis frequentiſſima in toto hoc opere occurret mentio. Nominis origo planè incerta eſt: ſiquidem nemo eam umquàm aperuit; niſi quæ per ſummum delirantis cerebri nugamentum de eo adnotaverunt grammatici. in quibus Iſidorus Origin. lib. XIIII cap. VIII ita tradit: *Apenninus mons adpellatus quaſi Alpes Pœninæ; quia Hannibal, veniens ad Italiam, easdem Alpeis aperuit: unde & Virgilius; Alpeis immittet apertas. has enim Hannibal poſt bella Hiſpaniæ aceto rupit. & inde loca ipſa, quæ rupit, Apenninæ Alpes vocantur.* Servius ad Virgilii Aeneid. lib. X: *Alpeis immittet apertas. Has antè exuſtas aceto infuſo Hannibal rupit. & inde loca ipſa, quæ rupit, Apenninæ Alpes vocantur.* Paul. Diaconus Langobard. rer. lib. II cap. XVIII: *Apenninæ Alpes, per mediam Italiam pergentes, Tuſciam ab Aemiliâ Vmbriamque à Flaminiâ dividunt. Alpes autem Apenninæ dictæ ſunt à Punicis, hoc eſt, Hannibale & eius exercitu; qui per easdem, Romam tendentes, tranſitum habuerunt.* Ecquid hos homines ullam Italiæ cognitionem habuiſſe dixeris? ecquid Romanas hiſtorias de bello Hannibalico umquàm legiſſe credideris? Vix arbitror. quidpe quis tam rudis imperitusque rerum Romanarum eſſe poteſt, qui ignoret, quo tractu ſint *Penninæ*, ſive, ut alii ſcripsêre, *Pœninæ Alpes*, quas Hannibal cum Punico ſuo exercitu ferro, igni, acetoque rupiſſe traditur? nempe, qui nunc vocatur *Mons Iovis*, ſive, alio nomine, *Mons divi Bernhardi*: quà tranſitus eſt ex Salaſſis ab Auguſtâ Prætoriâ in Veragros ad Octodurum, quod vulgò dicitur incolis *Martinach*. Sed de Alpibus pôſt ſuo loco diſſeretur. De Apennino ita tradit Livius lib. XXXVI: *Id jugum, ſicut Apennini dorſo Italia dividitur, ita mediam Græciam dirimit.* Et Martianus Capella lib. VI: *Si à primis Alpibus dextrum latus & prolixi montis brachium contempleris, prominentias utrimque componens; theatrum quoddam ſpectare videaris undarum. lunata quidpe & quodam hemicyclio in promontorium memoratum circumfertur Italia.* Leucopetram eum intelligere promontorium, ſuperiori capite dictum eſt. Plinius initio capitis V libri III: *Lucanum Brutiumque litus; quò longiſſimè in meridiem ab Alpium fine lunatis jugis in maria excurrit Italia.* Et eodem capite poſteà; expoſitâ Ligurum orâ maritimâ: *A tergo autem ſuprà dictorum omnium Apenninus mons, Italiæ ampliſſimus, perpetuis jugis ab Alpibus tendens ad Siculum fretum.* Vetus commentator Horatii ad Ἐπῳδῶν oden XVI: *Apenninus mons ab Alpibus ortus, & mediam Italiam longiſſimo tractu verſùs Siculum fretum quaſi dorſo quodam ſcindens, inferum mare à ſupero dividit.* Strabo lib. II: Νέμονται δ' οἱ Λίγυες μέρος τῶν Ἄλπεων, τὸ συνάπτον τοῖς Ἀπεννίνοις ὄρεσι, μέρος δὲ καὶ τῶν Ἀπεννίνων ὀρῶν κατέχουσι. Ταῦτα δ' ἐστὶν ὀρεινὴ ῥάχις διὰ τοῦ μήκους ὅλου τῆς Ἰταλίας διαπεφυκυῖα ἀπὸ τῶν ἄρκτων ἐπὶ μεσημβρίαν, τελευτῶσα δ' ἐπὶ τὸν Σικελικὸν πορθμόν. Id eſt: *Ligures partem Alpium incolunt Apenninis montibus contiguam; partemque horum montium tenent. ſunt autem Apennini montes montoſum quoddam dorſum, per Italiam, quàm ea longa eſt, porrecti, & in Siculum deſinentes fretum.* Claudianus in panegyrico de VI conſulatu Honorii:

——— Stipatus adhuc, equitumque catervis
Integer, ad monteis reliquo cum robore ceſſi,
Quos Apenninum perhibent. hunc eſſe ferebat
Incola, qui, Siculum porrectus adusque Pelorum,
Finibus ab Ligurum populos amplectitur omneis
Italiæ; geminumque latus ſtringentia longè
Vtraque perpetuo discriminat æquora tractu.

Ptolemæus, in deſcriptione Italiæ: Τὰ δὲ Ἀπέννινα ὄρη ὑπέρκειται μικρὸν τῆς Λιγουρίας, ἀρχόμενα ἀπὸ τῶν Ἄλπεων, καὶ μετὰ ταύτην ἐπεκταθέντα ἄχρι Ἀγκῶνος, κἀκεῖθεν ἐπιστραφέντα, καὶ μᾶλλον τῷ Ἀδρίᾳ συνεγγίζοντα, φέρεται μέχρι τοῦ Γαργάνου ὄρους· εἶτα ἐντεῦθεν ἐπιστραφέντα πρὸς μεσημβρίαν, τελευτᾷ ἐπὶ τὴν Λευκοπέτραν. Hoc eſt: *Apennini montes Liguriæ exiguâ ſui parte imminent,*

imminent, incipientes ab Alpibus. poſt eam extenſi usque Anconam; & inde converſi, magisque Hadriæ adpropinquantes; ad Garganum usque feruntur: rurſusque hinc converſi ad meridiem, in Leucopetram deſinunt. Polybius lib. II: Τὸν δ' Ἀπέννινον ἀπὸ μὲν τῆς ἀρχῆς Λιγυστινοὶ κατοικοῦσι, καὶ τὴν ἐπὶ τὸ Τυῤῥηνικὸν πέλαγος πλευρὰν αὐτοῦ κεκλιμένην, καὶ τὴν ἐπὶ τὰ πεδία. παρὰ θάλατταν μὲν, μέχρι πόλεως Πίσσης· ἑξῆς δὲ Τυῤῥηνοί· τούτοις δὲ συνεχεῖς ἑκάτερον τὸ κλίμα νέμονται τῶν προειρημένων ὀρῶν Ὄμβροι. λοιπὸν ὁ μὲν Ἀπέννινος ἀπέχων τῆς κατὰ τὸν Ἀδρίαν θαλάττης σταδίους ὡσανεὶ πεντακοσίους, ἀπολείπει τὰ πεδία δεξιὸς ἀπονεύων, καὶ διὰ μέσης τῆς λοιπῆς Ἰταλίας διήκων εἰς τὸ Σικελικὸν καταλήγει πέλαγος. Id eſt: *Apennini initium Ligures habent ex utroque latere, & quod Etruſcum mare ſpectat & quod planitiem; in orâ maritimâ Piſam usque. inde verò Etruſci; & his contermini Vmbri, dictorum montium latus utrumque inhabitantes. dehinc Apenninus, diſtans à mari Hadriatico ſtatia circiter* IↃ, [id eſt, millia paſſuum LXII & paſſus IↃ] *relictis campis, deflectit ad dextram, & mediam Italiam ſecans, ad Siculum usque fretum protenditur.* Ex hoc Polybii loco mutuatus Strabo lib. V iſta: Τὰ Ἀπέννινα ὄρη, ἀρξάμενα ἀπὸ τῆς Λιγυστικῆς, εἰς τὴν Τυῤῥηνίαν ἐμβάλλει, στενὴν παραλίαν ἀπολιπόντα· εἶτα ἀναχωροῦντα εἰς τὴν μεσόγαιαν κατ' ὀλίγον, ἐπειδὰν γένηται κατὰ Πισᾶτιν, ἐπιστρέφει πρὸς ἕω καὶ τὸν Ἀδρίαν, ἕως τῶν περὶ Ἀρίμινον καὶ Ἀγκῶνα τόπων· συνάψαντα δὲ τοῖς τόποις τούτοις, καὶ ἀφορίσαντα τὸ ταύτῃ πλάτος τῆς Ἰταλίας ἀπὸ θαλάττης ἐπὶ θάλατταν, ἐπιστροφὴν λαμβάνει πάλιν, καὶ τέμνει τὴν χώραν ὅλην ἐπὶ μῆκος. μέχρι μὲν δὴ Πευκετίων καὶ Λευκανῶν οὐ πολὺ ἀφίσταται τοῦ Ἀδρίου· συνάψαντα δὲ Λευκανοῖς, ἐπὶ τὴν ἑτέραν θάλατταν ἀποκλίνει μᾶλλον, καὶ λοιπὸν διὰ μέσων τῶν Λευκανῶν καὶ Βρεττίων διεξιόντα, τελευτᾷ πρὸς τὴν Λευκόπετραν τῆς Ῥηγίνης. Id eſt: *Apennini montes, à Liguriâ incipientes, in Etruriam pergunt, anguſtam oram maritimam relinquentes. inde paullatim in mediterranea recedentes, ubi ad agrum Piſanum acceſſerunt, in orientem convertuntur ac mare Hadriaticum, usque ad loca Arimino & Anconæ vicina. heic ubi Italiæ latitudinem ab uno mari ad alterum definiverunt; rurſum ſe convertunt, ac reliquam Italiam per longum ſecant. & ad Peucetios quidem ac Lucanos usque non procul ab Hadriatico mari recedunt: apud Lucanos verò verſus alterum mare incipiunt deflectere; ac deinceps per medios Lucanos Brutiosque pergentes, in Leucopetram Rhegini agri deſinunt.* Lucanus lib. II:

Mons inter geminas medius ſe porrigit undas
Inferni ſuperique maris: colleisque coërcent,
Hinc Tyrrhena vado frangentes æquora Piſæ,
Illinc Dalmaticis obnoxia fluctibus Ancon.

Rutilius Itinerarii lib. II:

Diverſas medius mons obliquatur in undas,
Quà fert atque refert Phœbus uterque diem.
Vrget Dalmaticos eoo vertice fluctus
Cærulaque occiduis frangit Etruſca jugis.

Strabo lib. VI; memorato Apuliæ maritimo opido *Egnatiâ*; cuius nomen adhuc in veſtigiis manet, quamvìs vitiatum, *Anazzo*, VI millia paſſuum ultra Monopolim: Μέχρι δεῦρο μὲν Πευκέτιοι κατὰ θάλατταν, τῇ μεσογαίᾳ δὲ μέχρι Σιλουίου· πᾶσα δὲ τραχεῖα καὶ ὀρεινὴ, πολὺ τῶν Ἀπεννίνων ὀρῶν κοινωνοῦσα. Id eſt: *Vsque huc in orâ maritimâ Peucetii pertinent: in mediterraneo autem usque ad Silvium. cæterùm tota regio eſt aſpera ac montoſa, Apenninorum montium magnam partem recipiens.* Vnus equidem Strabo Apennini quaſi alterum quoddam cornu à proximis Lucanorum finibus fonteque amnis Bradani in Apuliam producit. quod jugum, Alpibus cohærens, *Vulturem* dictum fuiſſe incolis, pòſt in Apuliæ deſcriptione oſtendam. Reliqui auctores pariter omnes unum Apennini lunatum jugum faciunt, ab Ligurum finibus ad Leucopetram usque promontorium. Strabonis, ut puto, verbis inducti noſtri ævi geographi, Apenninum in duo ſcindi cornua adfirmarunt; quorum alterum in Leucopetrâ, in Salentino ſive Iapygio promontorio alterum finiatur. quod idem innuere putarunt Melæ verba, quæ lib. II cap. IIII ſunt huiusmodi: *Italia ab Alpibus incipit in altum excedere; atque, ut procedit, media ſe perpetuo Apennini montis jugo attollens, inter Hadriaticum & Thuſcum, ſive, ut aliter eadem adpellantur, inter ſuperum mare & inferum excurrit: diu ſolida; verùm ubi longè abit, in duo cornua ſcinditur; reſpicitque altero Siculum pelagus, altero Ionium.* Quæ ita Solinus cap. VIII mutuata refert: *Italia univerſa conſurgit à jugis Alpium: inde procedens paullatim, ſe Apennini dorſo attollit, extenſa inter Tuſcum & Hadriaticum, id eſt, inter ſuperum mare & inferum. ubi longiùs proceſſit, in cornua duo ſcinditur; quorum alterum Ionium ſpectat æquor, alterum Siculum.* Verùm his verbis non Apenninus mons, ſed ipſa terra

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Italia *in duo ſcindi cornua*, diſertiſſimè perhibetur. Ac falſum eſt, quod illi noſtri ſæculi adfirmant homines, Apennini aliquod continuatum jugum in Iapygium uſque protendi promontorium. quidpe prædictus *Vultur mons*, quem Strabo partem vocat Apennini, non ultra regionem Egnatiæ extenditur. reliqua hinc terrarum pars, ad memoratum uſque promontorium, ſatis jam plana eſt: etiamſi incola nuper huius oræ Antonius Galatæus, in libro de Iapygiâ, monteis heic extollat tanto verborum tumore, uti Apennini adeóque ipſarum Alpium altitudinem, antequàm coram ipſe inſpexeram, exæquare eos exiſtimaverim. De cætero nec illud verum eſt, quod unus Ptolemæus ait, ad Garganum adpropinquare Apenninum montem: quum hac regione ferè medium teneat Italiæ inter gemina maria. Apud Lucanum quoque de eodem Apennino ſic ſcriptum eſt lib. II:

——— Non deſerit antè
Heſperiam, quàm quum Scyllæis clauditur undis;
Extenditque ſuas in templa Lacinia rupeis
Longior Italiâ, donec confinia pontus
Solveret incumbens, terrasque repelleret æquor.
At poſtquàm gemino tellus eliſa profundo eſt;
Extremi colles Siculo ceſſere Peloro.

Siciliam vult quondam adnexam fuiſſe Italiæ; ut plerique alii veteres auctores. ante eius divulſionem Apenninum extenſum fuiſſe in eam inſulam; quà *Pelorus* mons Meſſanæ Tauromenioque urbibus imminet. At quam heic partem ille facit Apennini, veluti cornu quoddam in Lacinium uſque promontorium ad XL fermè millia extenſum, Plinius, ut ſuo loco oſtendam, *Clibanum* vocat *montem*. Vno igitur perpetuo dorſo Apenninus à Ligurum finibus per omnem reliquam Italiam ad fretum uſque Siculum in promontorium Leucopetram excurrit. Longitudinem hanc eius immenſam Perſius etiam poëta voluit innuere Satyrâ I, hoc verſu:

APENNINI *Longitudo.*

Sic coſtam longo ſubduximus Apennino.

Initium eius variis equidem poſuerunt in locis auctores varii. ſed circa Genuam urbem & fontem Trebiæ amnis, qui apud Placentiam Pado miſcetur, ab Alpium fine incepiſſe, pòſt in harum expoſitione docebo. Altitudinem Apennini indicare voluit Petronius Arbiter, in Satyrico, Diſcordiam introducens hoc modo:

Altitudo.

Hæc ut Cocyti tenebras & Tartara liquit,
Alta petit gradiens juga nobilis Apennini;
Vnde omneis terras atque omnia litora poſſet
Adſpicere, ac toto fluitanteis Orbe catervas.

Sed maximè Silius atque Lucanus. Silius lib. II:

Subſident Alpes; ſubſidet mole nivali
Alpibus æquatum attollens caput Apenninus.

Et lib. IIII:

Horrebat glacie ſaxa inter lubrica ſummo
Piniferum cælo miſcens caput Apenninus;
Condiderat nix alta trabes; & vertice celſo
Canus apex ſtrictâ ſurgebat ad aſtra pruinâ.

Lucanus dicto lib. II ſuprà ſcriptis verbis proximè præmittit iſta:

Vmbroſis mediam quà collibus Apenninus
Erigit Italiam; nullo quà vertice tellus
Altiùs intumuit, propiùsque acceſſit olympo.

Verùm, licèt immenſæ ſit celſitudinis Apenninus; tamen Alpium ſublimitatem minimè adæquat. apud poëtas uſitatiſſimum illud Iuvenalis in Satyrâ IIII;

Vt perhibent, qui de magnis maiora loquuntur.

Cæterùm, ut Alpes, ſic Apenninus innumeros ab utroque latere fundit amneis. qua de re ita canit antiquus poëta Lycophron in Alexandrâ:

Βαιοῦ δ' ἀμείψας τοῦ κυβερνήτου τάφον
Καὶ Κιμμερίων ἔπαυλα, καὶ Ἀχερουσίαν
Ῥόχθοισι, κυμαίνουσαν οἴδματος χύσιν,
Ὅσσαν τε καὶ λέοντος ἀτραποὺς βοῶν
Χωστὰς, ὀβριμοῦς τ' ἄλσος οὐδαίας κόρης

Πυριφλεγές τε ῥεῖθρον, ἔνθα δύσβατος
Τείνει πρὸς αἴθραν κρᾶτα πολυδέγμων λόφος,
Ἐξ οὗ τὰ πάντα χύτλα καὶ πᾶσαι μυχῶν
Πηγαὶ κατ' Αὐσονῖτιν ἕλκονται χθόνα.

Hoc eſt:

Baii porrò transiens nautæ ſepulcrum
Et Cimmeriorum domicilia, Acheruſiamque
Procellis fluctuantem undæ ſcaturiginem;
Oſſamque, & leonis vias boum
Adgeſtas, Proſerpinæque nemus infernæ puellæ,
Et Pyrphlegethontem fluvium, ubi invius
Tollit in cœlum verticem immenſus collis,
Ex quo cuncti fluvii cunctique ſpecuum
Fontes per Italicam fluunt terram.

Præcipuos eorum recenſet Lucanus dicto lib. II, modò præſcriptis hæc continuò ſubnectens:

Fontibus hic vaſtis immenſos concipit amneis,
Fluminaque in gemini ſpargit divortia ponti,
In lævum cecidere latus, veloxque Metaurus
Cruſtumiumque rapax, & junctus Sapis Iſauro,
Senaque, & Hadriacas qui verberat Aufidus undas;
Quoque magis nullum tellus ſe ſolvit in amnem,
Eridanus factas devolvit in æquora ſilvas,
Heſperiamque exhaurit aquis. *
Dexteriora petens montis declivia Tybrim
Vnda facit, Rutubamque cavum: delabitur inde
Vulturnusque celer, nocturnæque editor auræ
Sarnus, & umbroſæ Liris per regna Maricæ
Veſcinis impulſus aquis, radensque Salerni
Culta Siler; nullasque vado qui Macra moratus
Alnos, vicinæ percurrit in æquora Lunæ.

Atque de Apennino hæc dixiſſe ſufficiebat, ni notandum quoque hoc loco foret, quòd etiam Alpium nomine magnam ejus partem adpellavit antiquitas. Agathias lib. I: Αὐτίκα δὲ Φιλίμουθ Φουλκάριν αὐτοῖς ἐπιστήσας, ἐκέλευσεν τὰς Ἄλπεις τὸ ὄρος περιελθόντας, ὃ δὴ ἐν μέσῳ Τουσκίας τε τῆς χώρας καὶ Αἰμιλίας ἀνέχει, ἀμφὶ τὸν Πάδον ἰκέσθαι τὸν ποταμόν. Id eſt: *Filimuth, præfecto ipſis Fulcari, juſſit, ut Alpium jugum, quod inter Tuſciam & Aemiliam prætenditur, circumgreſſi, in loca circa Padum ſe conferrent.* Aemilia regio dicebatur inter Apenninum & Padum; quæ opida habebat Ariminum, Forum Livii, Faventiam, Forum Cornelii, Bononiam, & alia. Sed hic ſcriptor I Ɔ L X circiter annis à nato Ieſu Chriſto, poſt exitum Iuſtiniani imperatoris, hiſtorias ſuas compoſuit: quo ſæculo jam non tantùm provinciarum limites ac nomina, ſed etiam urbium, fluviorum, montiumque vocabula haud pauca immutata fuerunt. idcircò haud perinde ducenda foret auctoritas eius; ni multis ſæculis ante ipſum diligentiſſimus poëta Lucanus idem feciſſet. cuius verba lib. I hæc ſunt:

Fonte cadit modico, parvisque impellitur undis
Puniceus Rubico, quum fervida canduit æſtas;
Perque imas ſerpit valleis, & Gallica certus
Limes ab Auſoniis diſterminat arva colonis.
Tum vires præbebat hiems, atque auxerat undas
Tertia jam gravido pluvialis Cynthia cornu,
Et madidis Euri reſolutæ flatibus Alpes.

Certè, niſi Apenninum heic intellexit; Alpium pluviales aquæ ad incrementum Rubiconis nihil facere potuerunt. quidpe Rubico amnis, ut ſuprà dixi, is eſt, qui vulgari nunc vocabulo *Rugone*, haud procul opido Cæſenâ exoritur. Poëticam lubens heic admitterem licentiam, licèt nimis longè petitam; niſi præter prædictum Agathiæ documentum, ac ſuprà ſcripta Servii Iſidorique teſtimonia, hodiéque exſtaret hac regione inter Florentiam & Cæſenam in Apennini jugo opidulum, vulgò *Caſtello dell'*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Alpi dictum. Quæ tamen ratio antiquis fuerit, cur hunc Apennini tractum Alpium adpellarint nomine, minimè diſpicio: niſi id non tam à Romanis, quàm ab adcolis quondam Gallis factum ſuſpicari libeat; quibus omnes ubique montes excelſi patriâ lingvâ dicebantur Alpes; ut ſuo loco auctorum teſtimoniis demonſtrabo. Hoc poſteà Romani etiam imitati ſunt; maximè, quum non tantùm Alpeis, ſed & omnem Italiam in nova provinciarum nomina ac limites diſtingverent. unde illud Paulli Diaconi Langobardicar. rer. lib. II cap. XVIII: *Nona Italiæ provincia in Apenninis Alpibus nuncupatur. Hæ Apenninæ Alpes per mediam Italiam pergentes, Tuſciam ab Aemiliâ Vmbriamque à Flaminiâ dividunt.* Hinc & illud lib. V cap. XXVII: *Per Alpem Bardonis Tuſciam ingreſſus.* Et lib. VI cap. LVIII: *In ſummâ Bardonis Alpe monaſterium, quod Barcetum dicitur, ædificavit.* Opida hodiéque duo, alterum *Bardo* in Placentino, alterum *Berzeto* in Parmenſi ducatu, exſtant in Apennini radicibus. Chronicon Alberti, abbatis Stadenſis, iter refert ex Galliâ Romam ducens; cuius pars eſt huiusmodi:

Bolonia	*Leucæ;*
Caſtellum S. Petri	XIII.
Imula	VII.
Faence	X.
Furli	X.
S. Martin en Strate	II.
Meldola	IIII.
Civitella	X.
Balneum S. Mariæ,	XV.
Alpes XV *Leucarum,*	
Champ	
Subean	VIII.
Aretium	VI.

Loca iſta hodiéque eisdem nominibus exſtant. ex quibus *Balneum S, Mariæ* haud procul Sapis fluvii fonte eſt, in Apennino.

CAPVT V.

De naturâ cœli ſolique Italici, ac laudibus eius.

DE Apennino etiam poſtquàm hactenus ſatis dictum; de naturâ cœli ſolique Italici ac laudibus eius quæ à veteribus concelebrata ſunt auctoribus, nunc deinceps aperiam. Dio Chryſoſtomus, in oratione de Troiâ non captâ; Αἰνείας, inquit, ὑπὸ Ἕκτορος πεμφθεὶς μετὰ στόλου καὶ δυνάμεως πολλῆς, Ἰταλίαν κατέσχε, τὴν εὐδαιμονεστάτην χώραν τῆς Εὐρώπης. Id eſt: *Aeneas, ab Hectore emiſſus cum claſſe ac numeroſâ manu, Italiam, beatiſſimam Europæ regionem, occupavit.* M. Varro, de re ruſticâ lib. I cap. II: *Quum conſediſſemus; Agraſius, Vos, qui multas perambulaſtis terras, ecquam cultiorem Italiâ vidiſtis, inquit? Ego verò, inquit Agrius, nullam arbitror eſſe, quæ tam tota ſit culta.* Et aliquanto pòſt: *Quid in Italiâ utenſile non modò non naſcitur, ſed etiam non egregium fit? Quod far comparem Campano? quod triticum Appulo? quod vinum Falerno? quod oleum Venafrano? Non arboribus conſita Italia eſt, ut tota pomarium videatur? An Phrygia magis vitibus coperta, quam Homerus adpellat* ἀμπελόεσσαν, *quàm hæc? aut Argos, quod idem poëta* πολύπυρον .... [deeſſe quædam videntur.] *In qua terrâ jugerum unum denos & quinos denos culleos fert vini, quot quædam in Italiâ regiones?* Aelianus Variar. hiſtoriar. lib. VIIII cap. XVI: Τὴν Ἰταλίαν φασὶν οἰκῆσαι ἔθνη πάμπολλα καὶ ὅσα οὐκ ἄλλην γῆν. τὸ δὲ αἴτιον, διὰ τὴν τῶν ὡρῶν εὐκρασίαν, καὶ τὴν τῆς χώρας ἀρετὴν καὶ τὸ ἔνυδρον αὐτῆς, καὶ τὸ πάμφορον, καὶ τὸ εὔβοτον, καὶ ὅτι ποταμοῖς ἐστι κατάρρυτος, καὶ ὅτι θάλασσα ἀγαθὴ περίκειται αὐτῇ, ὅρμοις πανταχόθεν διειλημμένη, καὶ καταγωγαῖς ἀφθόνοις καὶ κατάρσεσιν. ἀλλὰ καὶ τὸ τῶν οἰκητόρων καὶ πρᾶον ἐπῆρε πολλοὺς εἰς τὴν κατοίκησιν. Hoc eſt: *In Italiâ permultos variosque populos habitaſſe ferunt; ac plureis quidem, quàm in ullâ aliâ terrâ: eiusque rei cauſam eſſe, quòd omnium anni partium in eâ ſit moderata tempeſtas; quòd regio bonitate ſoli excellens ſit, & aquis irrigua, fertilisque omnium fructuum, atque compaſcua; item, quòd fluviis perfuſa; mare quoque commodos adpulſus habeat; portubusque ex omni parte ſit interſtincta, & adpellendis ſolvendisque navibus idonea. ſed &*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

incolarum ſingularis benignitas & manſvetudo multos pellexit, ut in eam ſedeis ſuas transferrent. Solinus cap. VIII: *Sed Italia tantâ curâ ab omnibus dicta eſt, præcipuè à M. Catone, ut jam inveniri non poſſit, quod non veterum auctorum præſumpſerit diligentia; largiter in laudem excellentis terræ materiâ ſuppetente: dum ſcriptores reputant locorum ſalubritatem, cœli temperiem, ubertatem ſoli, aprica collium, opaca nemorum, innoxios ſaltus, bifera violaria, tepenteis fontibus Baias, colonias tam frequenteis, tam adſiduam novarum urbium gratiam, tam clarum decus veterum opidorum. ad hæc litora portuoſa oraſque habet patentibus gremiis commercio Orbis accommodatas.* Verùm hæc Solinus habuit ex Plinio: qui lib. III cap. V copioſiùs ea ita celebrat: *Nec ignoro, ingrati ac ſegnis animi exiſtimari poſſe meritò, ſi breviter atque in tranſcurſu ad hunc modum dicatur terra omnium terrarum alumna, eadem & parens; numine deûm electa, quæ cœlum ipſum clarius faceret, ſparſa congregaret imperia, ritusque molliret, & tot populorum discordeis feraſque lingvas ſermonis commercio contraheret ad colloquia, & humanitatem homini daret; breviterque, una cunctarum gentium in toto Orbe patria fieret. Sed quid agam? tanta nobilitas omnium locorum. quos quis attigerit? tanta rerum ſingularum populorumque claritas tenet. Vrbs Roma, vel ſola in eâ, & digna tam feſtâ cervice facies, quo tandem narrari debet opere? qualiter Campaniæ ora per ſe, felixque illa ac beata amœnitas; ut palàm ſit, uno in loco gaudentis opus eſſe naturæ? Iam verò tota ea vitalis ac perennis ſalubritatis cœli temperies eſt, tam fertiles campi, tam aprici colles, tam innoxii ſaltus, tam opaca nemora, tam munifica ſilvarum genera, tot montium adflatus, tanta frugum ac vitium olearumque fertilitas, tam nobilia pecori vellera, tot opima tauris colla, tot lacus, tot amnium fontiumque ubertas, totam eam per fundens; tot maria, portus, gremiumque terrarum commercio patens undique; &, tamquàm ad juvandos mortaleis, ipſa avidè in maria procurrens. Neque ingenia ritusque ac viros, & lingvâ manuque ſuperatas commemoro genteis.* Et in fine totius operis hiſtoriæ naturalis: *Et jam peractis omnibus naturæ operibus, discrimen quoddam rerum ipſarum atque terrarum facere conveniat. Ergo in toto Orbe, & quacúmque cœli convexitas vergit, pulcherrima eſt omnium, rebusque meritò principatum naturæ obtinens, Italia; rectrix parensque mundi altera; viris feminis, ducibus, militibus, ſervitiis, artium præſtantiâ, ingeniorum claritatibus; jam ſitu ac ſalubritate cœli atque temperie; acceſſu cunctarum gentium facili, litoribus portuoſis, benigno ventorum adflatu, (etenim contingit recurrentis* [fortè *excurrentis*] *poſitio in partem utiliſſimam, & inter ortus occaſusque mediam) aquarum copiâ, nemorum ſalubritate, montium articulis, ferorum animalium innocentiâ, ſoli fertilitate, pabuli ubertate. quidquid eſt, quo carere vita non debeat, nusquàm eſt præſtantius: fruges, vinum, olea, vellera, lina, veſtes, juvenci. ne equos quidem in trigariis præferri ullos vernaculis, animadverto. metallis auri, argenti, æris, ferri, quàm diu libuit exercere, nullis ceſſit. & iis nunc in ſe gravida, pro omni dote varios ſuccos & frugum pomorumque ſapores fundit. Ab eâ, exceptis Indiæ fabuloſis, proximè quidem duxerim Hiſpaniam, quæcumque ambitur mari.* Et item præſcripto lib. III. cap. XX: *Hæc eſt Italia, diis ſacra; hæ gentes eius, hæc opida populorum. Super hæc, Italia, (quæ L. Aemilio Paulo, C. Atilio Regulo, Coss. nuntiato Gallico tumultu, ſola, ſine externis ullis auxiliis, atque etiam tunc ſine Transpadanis, equitum* LXXX M, *peditum* IↃCC M *armavit) metallorum omnium fertilitate nullis cedit terris. ſed interdictum id vetere conſulto patrum, Italiæ parci jubentium.* Idem hoc poſteà repetit lib. XXXIII cap. IIII: *Italiæ parcitum eſt vertere interdicto patrum; ut diximus. alioquin nulla fæcundior metallorum quoque erat tellus.* Easdem Italiæ laudes Strabo quoque memorat lib. VI his verbis: Τοσαύτη μὲν τοι καὶ τοιαύτη τις ἐστὶν ἡ Ἰταλία. Πολλὰ δ' εἰρηκότες, τὰ μέγιστα ἐπισημανούμεθα, ὑφ' ὧν νῦν εἰς τοσοῦτον ὕψος ἐξήρθησαν οἱ Ῥωμαῖοι. Ἓν μὲν, ὅτι νήσου δίκην ἀσφαλῶς φρουρεῖται τοῖς πελάγεσι κύκλῳ, πλὴν ὀλίγων μερῶν· καὶ αὐτὰ τετείχισται τοῖς ὄρεσι δυσβάτοις οὖσι. Δεύτερον δὲ, τὸ ἀλίμενον κατὰ τὸ πλεῖστον· καὶ τὸ τοὺς ὄντας λιμένας μεγάλους εἶναι καὶ θαυμαστούς. ὧν τὸ μὲν πρὸς τὰς ἔξωθεν ἐπιχειρήσεις χρήσιμον, τὸ δὲ πρὸς τὰς ἀντεπιχειρήσεις καὶ τὴν τῶν ἐμπορίων ἀφθονίαν συνεργόν. Τρίτον δὲ, τὸ πολλαῖς ὑποπεπτωκέναι διαφοραῖς ἀέρων τε κράσεων, παρ' ἃς καὶ ζῷα καὶ φυτὰ καὶ πάνθ' ἁπλῶς τὰ πρὸς τὸν βίον χρήσιμα πλείστην ἐξάλλαξιν ἔχει, πρός τε τὸ βέλτιον καὶ τὸ χεῖρον. Ἐκτέταται δὲ τὸ μῆκος αὐτῆς ἐπὶ μεσημβρίαν ἀπὸ τῶν ἄρκτων τὸ πλέον. προσθήκη δ' ἐστὶν ἡ Σικελία τῷ μήκει, τοσαύτη οὖσα, καὶ τοσοῦτον καθάπερ μέρος. Εὐκρασία δ' ἀέρων καὶ δυσκρασία κρίνεται παρὰ τὰ ψύχη καὶ τὰ θάλπη, καὶ τὰ μεταξὺ τούτων. ὥστε καὶ τούτων ἀνάγκη, τὴν Ἰταλίαν, ἐν μέσῳ τῶν ὑπερβολῶν ἀμφοτέρων κειμένην, τοσαύτην τῷ μήκει, πλεῖστον τοῦ εὐκράτου μετέχειν, καὶ κατὰ πλείστας ἰδέας. Τοῦτο δὲ καὶ ἄλλως συμβέβηκεν αὐτῇ. τῶν γὰρ Ἀπεννίνων ὀρῶν δι' ὅλου τοῦ μήκους διατεταμένων, ἐφ' ἑκάτερον δὲ πλευρὸν πεδία καὶ γεωλοφίας καλλικάρπους ἀπολιπόντων, οὐδὲν μέρος αὐτῆς ἐστιν, ὃ μὴ καὶ τῶν ὀρείων ἀγαθῶν καὶ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

τῶν ἀπὸ τῶν πεδίων ἀπολαῦον τυγχάνει. Καὶ προςτίθει τὸ μέγεθος καὶ πλῆθος ποταμῶν τε καὶ λιμνῶν· πρὸς δὲ τούτοις, θερμῶν τε καὶ ψυχρῶν ὑδάτων ἀναβολὰς, πολλαχοῦ πρὸς ὑγίειαν φύσει παρεσκευασμένων. Καὶ μὴν καὶ μετάλλων εὐπορίας παντοδαπῶν, ὕλης τε καὶ τροφῆς ἀνθρώποις τε καὶ βοσκήμασιν, οὐδ' ἀξίως εἰπεῖν ἐστι τὴν ἀφθονίαν, ὅσην παρέχεται, καὶ τὴν χρησοκαρπίαν. Ἐν μέσῳ δὲ καὶ τῶν ἐθνῶν τῶν μεγίστων οὖσα, καὶ τῆς Ἑλλάδος καὶ τῶν ἀρίστων τῆς Ἀσίας μερῶν· τῷ μὲν κρατιστεύειν ἐν ἀρετῇ τε καὶ μεγέθει τὰ περιεστῶτα αὐτὴν πρὸς ἡγεμονίαν εὐφυῶς ἔχει· τῷ δ' ἐγγὺς εἶναι, τὸ μετὰ ῥᾳστώνης ὑπουργείας πεπόρισται. Hoc eſt: *Ac talis quidem ac tanta eſt Italia. Sed quum multa commemoraverimus; præcipua nunc adnotare libeat, quæ tantam Romanis imperii maieſtatem paraverunt. Quorum primum eſt; quòd Italia inſulæ in ritum circumcircà maris tuto præſidio cingitur; exceptis paucis quibusdam partibus; quæ & ipſæ inviis montibus muniuntur. Secundum eſt; quòd & plerisque locis importuoſa eſt, & quos habet portus, ii magni ſunt atque mirandi. quorum illud adverſùs exterorum incurſiones uſui eſt: hoc ad invadendos viciſſim exteros & mercaturæ expeditam copiam conducit. Tertium eſt; quòd varietas ei temperiei aëris multiplex ſecundùm diverſas regiones accidit. qua de causâ etiam diverſitas magna eſt animalium, ſtirpium, & in ſummâ omnium ad vitæ uſum facientium; aliis alia quovis in genere excellentibus. In longum extenditur Italia, à ſeptemtrionibus versùs meridiem ut plurimùm. & Sicilia quaſi additamentum eſt longitudinis; tanta inſula, & tanta totius veluti pars. Aëris verò tam bona quàm mala temperies frigore æſtimatur & calore, horumque medio. ut hinc quoque neceſſe ſit, Italiam, in abundantiæ amborum medio ſitam, eamque tantâ præditam longitudine, plurimum temperatæ qualitatis obtinere; idque plurimis modis. quod ipſum aliunde quoque ei obtingit. quippe quum Apennini montes, per mediam eius porrecti longitudinem, ab utroque latere campos colleisque frugiferos relinquant; nulla Italiæ pars eſt, quæ non & montium & planitierum commoditatibus fruatur. Adde his magnitudinem multitudinemque fluviorum atque lacuum: tum aquarum calidarum juxta ac frigidarum plurimis in locis eruptiones, ad ſanitatem parandam à naturâ elaboratas. Iam verò omnis generis metallorum copiam, materiæque & alimentorum, hominibus pariter ac brutis convenientium, abundantiam, & huc facientem frugum præſtantiam, nemo poteſt pro dignitate verbis explicare. Præterea, quum media ſit inter genteis maximas & Græciam ac potiſſimas Aſiæ parteis; ſitu eo ad imperium virtute ac maieſtate tenendum adjuvatur; viciniâ verò exſequendis imperiis & abeundis miniſteriis eſt accommodata.* Verùm omnium elegantiſſimâ ſimul & copioſiſſimâ oratione eamdem ſoli Italici ubertatem opportunitatemque decantat Dionyſius Halicarnaſſenſis Romanar. antiquitat. lib. I. Ἔστι δέ τις, inquit, καὶ ἕτερος λόγος ὑπὸ τῶν ἐπιχωρίων μυθολογούμενος· ὡς πρὸ τῆς Διὸς ἀρχῆς ὁ Κρόνος ἐν τῇ γῇ ταύτῃ δυναστεύσειε, καὶ ὁ λεγόμενος ἐπ' ἐκείνου βίος ἅπασι δαψιλὴς, ὁπόσοις ὧραι φύουσιν, οὐ παρ' ἄλλοις μᾶλλον ἢ παρὰ σφίσι γένοιτο. Καὶ εἴ τις ἄλλως, ἀφελὼν τὸ μυθῶδες τοῦ λόγου, χώρας ἀρετὴν ἐξετάζειν ἐθελήσειεν, ἐξ ἧς γένος τῶν ἀνθρώπων πλείστας εὐφροσύνας ἐκαρπώσατο γινόμενον εὐθὺς, εἴτ' ἐκ γῆς, ὡς ὁ παλαιὸς ἔχει λόγος, εἴτ' ἄλλως πως· οὐκ ἂν εὕροι ταύτης τινὰ ἐπιτηδειοτέραν. ὡς γὰρ μία γῆ πρὸς ἑτέραν κρίνεσθαι τοσαύτην τὸ μέγεθος, οὐ μόνον τῆς Εὐρώπης, ἀλλὰ καὶ τῆς ἄλλης ἁπάσης κρατίστη, κατ' ἐμὴν δόξαν, ἐστὶν Ἰταλία. καίτοι με οὐ λέληθεν, ὅτι πολλοῖς οὐ πιστὰ δόξω λέγειν, ἐνθυμουμένοις Αἴγυπτόν τε καὶ Λιβύην καὶ Βαβυλῶνα, καὶ εἰ δή τινες ἄλλοι χῶροί εἰσιν εὐδαίμονες. ἀλλ' ἐγὼ τὸν ἐκ γῆς πλοῦτον οὐκ ἐν μιᾷ τίθεμαι καρπῶν ἰδέᾳ, οὐδ' εἰσέρχεταί μοι ζῆλος οἰκήσεως, ἐν ᾗ μόνον εἰσὶν ἄρουραι πίονες, τῶν δ' ἄλλων οὐδὲν ἢ βραχύ τι χρήσιμον· ἀλλ' ἥτις ἂν εἴη πολυαρκεστάτη τε, καὶ τῶν ἐπεισάκτων ἀγαθῶν ἐπιπολὺ ἐλάχιστον δεομένη, ταύτην κρατίστην εἶναι λογίζομαι. τοῦτο δὲ τὸ πάμφορον καὶ πολυωφελὲς παρ' ἥντινα ἄλλην γῆν Ἰταλίαν ἔχειν πείθομαι. οὐ γὰρ ἀρούρας μὲν ἀγαθὰς ἔχει καὶ πολλὰς, ἄδενδρος δ' ἐστὶν, ὡς σιτοφόρος· οὐδ' αὖ φυτὰ μὲν ἐστιν ἱκανὴ παντοῖα θρέψασθαι, σπείρεσθαι δὲ, ὡς δενδρῖτις, ὀλιγόκαρπος· οὐδ' ἄμφω μὲν ταῦτα παρέχειν δαψιλὴς, προβατεύεσθαι δ' ἀνεπιτήδειος. οὐδ' ἄν τις αὐτὴν φαίη πολύκαρπον μὲν εἶναι καὶ πολύβοτον, ἐνδιαίτημα δ' ἀνθρώποις ὑπάρχειν ἄχαρι· ἀλλ' ἔστι πάσης, ὡς εἰπεῖν, ἡδονῆς τε καὶ ὠφελείας ἔμπλεως. ποίας μὲν γὰρ λείπεται σιτοφόρου, μὴ ποταμοῖς, ἀλλὰ τοῖς οὐρανίοις ὕδασιν ἀρδόμενα τὰ καλούμενα Καμπανῶν πεδία; ἐν οἷς ἐγὼ καὶ τρικάρπους ἐθεασάμην ἀρούρας, θερινὸν ἐπὶ χειμερινῷ, καὶ μετοπωρινὸν ἐπὶ θερινῷ σπόρον ἐκτρεφούσας. ποίας δ' ἐλαιοφόρου τὰ Μεσσαπίων καὶ Δαυνίων καὶ Σαβινῶν καὶ πολλῶν ἄλλων γεώργια; ποίας δ' οἰνοφύτου Τυρρηνία καὶ Ἀλβανὴ καὶ Φαλερίνων χωρία θαυμαστῶς ὡς φιλάμπελα, καὶ δι' ἐλαχίστου πόνου πλείστους ἅμα καὶ κρατίστους καρποὺς ἐξενεγκεῖν εὔπορα; χωρὶς δὲ τῆς ἀνέργου, πολλὴν μὲν ἄν τις εὕροι τὴν εἰς ποίμνας ἀνειμένην αὐτῇ, πολλὴν δὲ τὴν αἰγονόμον· ἔτι δὲ πλείω καὶ θαυμασιωτέραν τὴν ἱπποφορβόν τε καὶ βουκολίδα· ἡ γὰρ ἕλειος καὶ λειμωνία βοτάνη δαψιλὴς οὖσα, τῶν τε ὀργάδων ἡ δροσερὰ καὶ κατάρρυτος, ἄπειρος ἡ θέρος νέμεται, παρέχει διὰ παντὸς εὐθηνούσας τὰς ἀγέλας. πάντων δ' εἰσὶν οἱ δρυμοὶ θαυμασιώτατοι, περί τε τὰ κρημνώδη χωρία καὶ τὰς νάπας, καὶ τοὺς ἀγεωργήτους λόφους, ἐξ ὧν πολλῆς μὲν εὐποροῦσι καὶ

καλῆς ναυπηγησίμου, πολλῆς δὲ τῆς εἰς τὰς ἄλλας ἐργασίας εὐθέτου. καὶ τούτων οὐδὲν οὔτε δυσπόριστόν ἐστιν, οὔτε πόῤῥω τῆς ἀνθρωπίνης χρείας κείμενον, ἀλλ' εὐκατέργαστα καὶ ῥᾴδια παρεῖναι πάντα, διὰ πλῆθος τῶν ποταμῶν, οἳ διαῤῥέουσιν ἅπασαν τὴν ἀκτὴν, καὶ ποιοῦσι τάς τε κομιδὰς καὶ τὰς ἀμείψεις τῶν ἐκ γῆς φυομένων λυσιτελεῖς. ἔχει δὲ ἡ γῆ καὶ νάματα θερμῶν ὑδάτων ἐν πολλοῖς εὑρημένα χωρίοις, λουτρὰ παρέχειν ἥδιστα, καὶ νόσους ἰάσασθαι χρονίους ἄριστα· καὶ μέταλλα παντοδαπὰ, καὶ θηρίων ἄγρας ἀφθόνους, καὶ θαλάττης φύσιν πολύγονον· ἄλλα τε μυρία, τὰ μὲν εὔχρηστα, τὰ δὲ θαυμάσια. ἁπάντων δὲ κάλλιστον, ἀέρα κεκραμένον ταῖς ὥραις συμμέτρως, οἷον ἥκιστα πημαίνειν κρυμῶν ὑπερβολαῖς καὶ θάλπεσιν ἐξαισίοις, καρπῶν τε γένεσιν ἢ ζώων φύσιν. Οὐδὲν οὖν θαυμαστὸν, τοὺς παλαιοὺς ἱερὰν ὑπολαβεῖν τοῦ Κρόνου τὴν χώραν ταύτην, τὸν μὲν δαίμονα τοῦτον οἰομένους εἶναι πάσης εὐδαιμονίας δοτῆρα καὶ πληρωτὴν ἀνθρώποις· εἴτε Κρόνον αὐτὸν δεῖ καλεῖν, ὡς Ἕλληνες ἀξιοῦσιν, εἴτε Σάτορνον, ὡς Ῥωμαῖοι· πᾶσαν δὲ περιειληφότα τὴν τοῦ κόσμου φύσιν, ὁπότερον ἄν τις ὀνομάσοι· τὴν δὲ χώραν ταύτην ὁρῶντας ἔκπλεω πάσης εὐπορίας καὶ χάριτος, ἧς τὸ θνητὸν ἐφίεται γένος, ἀξιοῦντας δὲ θείῳ καὶ θνητῷ γένει τὸ προσφορον εἶναι πάντων χωρίον ἁρμοδιώτατον. Hoc eſt: *Eſt & alia fabula inter indigenas vulgata: Saturnum ante Iovis regnum in his terris imperium habuiſſe: decantatamque illam ſub Saturno vitam, omnibus copiis, quas annus fert, adſluentem, nusquàm alibi magis, quàm apud illos floruiſſe. Quòd ſi quis, remotâ ex horum verbis fabulâ, bonitatem regionis velit exquirere, ex qua humanum genus plurima ad vitæ hilaritatem facientia mox à ſuis initiis perceperit; ſive ex terrâ, ut antiquorum habet opinio, ſive aliunde fuêre: non facilè aliam inveniet ad hoc magis idoneam. ſi enim unam terram conferas ad aliam, magnitudine parem; non ſolùm in Europâ, verùm etiam in toto Orbe, optima meo judicio eſt Italia. quamquàm non me latet, quòd multis incredibilia videbor dicere; cogitantibus Aegyptum & Africam ac Babyloniam, & ſi quarum aliarum celebrata eſt felicitas. At ego terræ opes non æſtimo ex unâ aliquâ fructus ſpecie: nec me ſubit deſiderium habitandi, ubi arva tantùm ſint pingvia; aliarum verò rerum ad vitam utilium aut nulla aut admodùm parva copia: ſed quæ ſibi ipſa maximè ſufficit, advectitiisque bonis plerumque quàm minimum indiget, eam puto optimam. hanc verò omnigenam fertilitatem & copiam, ſi cui alii terræ, Italiæ conceſſam credo. non enim arva modò bona habet; caret autem arboribus, ut frumentifera: neque plantis modò quibuslibet alendis eſt idonea; ſed inutilis ſegetibus, ut arbuſti agri: neque largiter quidem hæc utraque ſuppeditat; ſed parum apta eſt alendo pecori: neque dixerit quis, eam abundare quidem frugibus ac paſcuis; ſed ad degendam vitam eſſe ingratam hominibus: verùm eſt referta omnibus, ut ita dicam, voluptatibus ac commodis. Cui enim frumentiferæ terræ cedent rura Campana; non fluminibus, ſed aquis rigata cœleſtibus? in quibus campis ego vidi arva vel trifera; æſtivam poſt hibernam, & autumalem poſt æſtivam ſementem enutrientia. cui oliviferæ Meſſapiorum ac Dauniorum Sabinorumque, & aliorum multorum cultura? cui vitiferæ Etruria & Albanus Falernusque ager; mirum in modum amicus vitibus, & modico labori uberrimos reddens fructus atque optimos? Præter eam autem, quæ colitur, multum terræ invenias patere ovium, multum caprarum gregibus: plus etiam & præſtantius armentis equorum & boum. paluſtris enim & pratenſis herba, copioſa illa, cultivæque terræ irrigua & roſcida, immenſum quantum æſtate compaſcua, omni tempore vegetam præbet gregum copiam. Sed ſaltus in primis admiratione digni ſunt, circa prærupta & nemoroſa loca tumulosque culturæ parum idoneos. ex quibus multam ac pulcram fabricandis navibus, multam etiam aliis operibus aptam petunt materiem. atque horum nihil eſt vel paratu difficile, vel longè ab humanis uſibus remotum: ſed omnia & conſici facilè, & facilè convehi poſſunt, propter fluviorum frequentiam, qui univerſam oram permeant, & magnam opportunitatem importandis ac permutandis, quas terra fert, rebus adferunt. Eadem terra habet & aquarum calidarum multis in locis ſcaturigines; jucundiſſima exhibenteis lavacra, morbisque inveteratis ſanandis utiliſſima. item metalla omnis generis; ac venationes luculentas, maritimosque proventus varios: & innumera alia, vel utilitati ſervientia, vel delectantia miraculo. Sed omnium pulcherrima eſt aëris moderata, ut anni tempus fert, temperies: qualis nec nimio gelu nec immenſo æſtu fruges lædat aut animantia. Nihil igitur mirum, ſi antiqui Saturno ſacram putaverunt hanc terram; numen hoc rati omnem hominibus felicitatem plenè largiri: ſive is Cronus eſt, ut Græci volunt; ſive Saturnus, ut Romani: totam certè mundi naturam complexus; utrocumque eum nomines vocabulo. cernentesque, regionem hanc refertam eſſe omni opulentiâ & gratiâ, cuius ſtudioſum eſt genus humanum, æquum judicarunt, divino & mortali generi, quæ cuique convenientiſſima eſſent loca, offerri ac dedicari.* Hactenus igitur Dionyſius, felicitatis Italici ſoli facundiſſimus præco. Nunc etiam, quæ princeps poëtarum Virgilius de eâdem cecinit, huc addere haud pigeat. Ea ſunt Γεωργικῶν lib. II huiusmodi:

Sed neque Medorum ſilvæ, ditiſſima terra,
Nec pulcher Ganges, atque auro turbidus Hermus,
Laudibus Italiæ certent: non Bactra, neque Indi,
Totaque thuriferis Panchaïa pingvis arenis.
Hæc loca non tauri, ſpirantes naribus ignem,
Invertêre, ſatis immanis dentibus hydri;
Nec galeis denſisque virûm ſeges horruit haſtis:
Sed gravidæ fruges & Bacchi Maſſicus humor
Implevêre. tenent oleæque armentaque læta.
Hinc bellator equus campo ſeſe arduus infert;
Hinc albi, Clitumne, greges, & maxima taurus
Victima, ſæpè tuo perfuſi flumine ſacro,
Romanos ad templa deûm duxêre triumphos.
Heic ver adſiduum, atque alienis menſibus æſtas:
Bis gravidæ pecudes, bis pomis utilis arbos.
At rabidæ tigres abſunt, & ſæva leonum
Semina: nec miſeros fallunt aconita legenteis:
Nec rapit immenſos orbeis per humum, neque tanto
Squammeus in ſpiram tractu ſe colligit angvis.
Adde tot egregias urbeis, operumque laborem;
Tot congeſta manu præruptis opida ſaxis:
Fluminaque antiquos ſubter labentia muros.
An mare, quod ſuprà, memorem, quodque alluit infrà?
An ne lacus tantos? te, Lari maxime; teque
Fluctibus & fremitu adſurgens Benace marino?
An memorem portus? Lucrinoque addita clauſtra;
Atque indignatum magnis ſtridoribus æquor?
Julia quà ponto longè ſonat unda refuſo,
Tyrrhenusque fretis immitittur æſtus Avernis.
Hæc eadem argenti rivos ærisque metalla
Oſtendit venis, atque auro plurima fluxit.
Hæc genus acre virûm, Marſos, pubemque Sabellam,
Adſvetumque malo Ligurem, Volſcosque verutos
Extulit: hæc Decios, Marios, magnosque Camillos,
Scipiadas, duros bello, & te, maxime Cæſar;
Qui nunc, extremis Aſiæ jam victor in oris,
Imbellem avertis Romanis arcibus Indum.
Salve magna parens frugum, Saturnia tellus,
Magna virûm.

De univerſis Italiæ urbibus ita tradit Aelianus dicto Variar. hiſtoriar. lib. VIIII cap. XVI: Ὅτι πόλεις ᾤκησαν τὴν Ἰταλίαν πάλαι ἑπτὰ καὶ ἐννενήκοντα καὶ ἑκατὸν πρὸς ταῖς χιλίαις. id eſt: *Habitatam antiquitus fuiſſe Italiam ferunt urbibus* CIↃCXCVII. Atque hæc ferè ſunt, quæ de univerſæ Italiæ laudibus apud veteres adnotata reperio. *Campaniæ*, quæ nunc incolis dicitur *Terra di Lavoro*, celebritatem poſteà in eius deſcriptione pleniùs repetam. hanc quidpe omnium totius Italiæ regionum, primùm Græci, dein quoque Romani, feliciſſimam prædicarunt. Quamquàm non defuerunt, qui Circumpadanam regionem illi præferrent. In his Tacitus, Hiſtoriar. lib. II, *Florentiſſimum*, inquit, *Italiæ latus, quantum inter Padum Alpeisque camporum & urbium, armis Vitellii tenebatur.* Et Plutarchus in C. Mario, de Cimbris: Καθάπερ πρὸ αὐτῶν ἐπυνθάνοντο Κελτοὺς Ἰταλίας τὴν ἀρίστην κατασχεῖν, Τυῤῥηνῶν ἀφελομένους. Hoc eſt: *Ut olim Gallos acceperant uberrimum Italiæ agrum, expulſis inde Tuſcis, occupaſſe.* Et in Camillo: Πᾶσα δ' ἐστὶ δενδρόφυτος αὕτη καὶ θρέμμασιν εὔβοτος, καὶ κατάῤῥυτος ποταμοῖς· καὶ πόλεις εἶχεν ὀκτωκαίδεκα, καλὰς καὶ μεγάλας, καὶ κατεσκευασμένας πρός τε χρηματισμὸν ἐργατικῶς, καὶ πρὸς δίαιταν πανηγυρικῶς· ἃς οἱ Γαλάται, τοὺς Τυῤῥηνοὺς ἐκβαλόντες, αὐτοὶ κατεῖχον. Id eſt: *Arboribus regio omnis paſcuisque læta & fluminibus irrigua, incolebatur urbibus* XVIII, *inſignibus atque amplis, ad rem induſtriâ parandam & ad luxum vitæ pariter comparatis. has Galli, ejectis inde Tuſcis, ipſi inſedêre.* Polybius lib. II; de eâdem Galliâ Circumpadanâ ſive Ciſalpinâ loquens:

Παρὰ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Παρὰ δὲ τὴν προειρημένην τῶν Ἄλπεων παρώρειαν ἀπὸ μεσημβρίας ὑπόκειται πεδία τῆς συμπάσης Ἰταλίας πλεῖστα πρὸς ταῖς ἄρκτοις, ἀρετῇ καὶ μεγέθει διαφέροντα τῶν κατὰ τὴν Εὐρώπην ὅσα πέπτωκεν ὑπὸ τὴν ἡμετέραν ἱστορίαν. * —— *. Περί γε μὴν τῆς ἀρετῆς, οὐδ' εἰπεῖν ῥᾴδιον. σίτου τε γὰρ τοσαύτην ἀφθονίαν ὑπάρχειν συμβαίνει κατὰ τοὺς τόπους, ὥστ' ἐν τοῖς καθ' ἡμᾶς καιροῖς πολλάκις τεττάρων ὀβολῶν εἶναι τῶν πυρῶν τὸν Σικελικὸν μέδιμνον, τῶν δὲ κριθῶν δυεῖν. τοῦ δ' οἴνου τὸν μετρητὴν ἰσόκριθον. ἐλύμου γε μὴν καὶ κέγχρου τελέως ὑπερβάλλουσα δαψίλεια γίνεται παρ' αὐτοῖς. τὸ δὲ τῶν βαλάνων πλῆθος τὸ γινόμενον ἐκ τῶν κατὰ διάστημα δρυμῶν ἐν τοῖς πεδίοις, ἐκ τούτων ἄν τις μάλιστα τεκμήραιτο. πλείστων γὰρ ὑϊκῶν ἱερείων κοπτομένων ἐν Ἰταλίᾳ, διά τε τὰς εἰς τοὺς ἰδίους βίους καὶ τὰς εἰς τὰ στρατόπεδα παραθέσεις, τὴν ὁλοσχερεστάτην χορηγίαν ἐκ τούτων συμβαίνει τῶν πεδίων αὐτοῖς ὑπάρχειν. Περὶ δὲ τῆς κατὰ μέρος εὐωνίας καὶ δαψιλείας τῶν πρὸς τὴν τροφὴν ἀνηκόντων οὕτως ἄν τις ἀκριβέστατα κατανοήσειε. ποιοῦνται γὰρ τὰς καταλύσεις οἱ διοδεύοντες τὴν χώραν ἐν τοῖς πανδοχείοις, οὐ συμφωνοῦντες περὶ τῶν κατὰ μέρος ἐπιτηδείων, ἀλλ' ἐρωτῶντες πόσου τὸν ἄνδρα δέχεται. ὡς μὲν οὖν ἐπὶ τὸ πολὺ παρίενται τοὺς καταλύτας οἱ πανδοχεῖς, ὡς ἱκανὰ πάντ' ἔχειν τὰ πρὸς τὴν χρείαν, ἡμιασσαρίου· τοῦτο δέ ἐστι τέταρτον μέρος ὀβολοῦ. σπανίως δὲ τοῦτ' ὑπερβαίνουσι. Hoc eſt: *Secundùm hæc Alpium juga à meridie campi ſubjacent in ultimâ versùs ſeptemtriones Italiæ parte omnium, qui totâ Europâ nobis cogniti ſunt, longè præſtantiſſimi rebus univerſis, latiſſiméque patentes.* Et paullo pòſt: *Quantum verò excellat rebus omnibus hic terrarum tractus, ne dici quidem ſatis poteſt. Iam primùm frumenti ea copia eſt, ut perſæpè noſtrâ hac ætate tritici modius obolis quatuor væneat, hordei duobus; vini metreta cum pari menſurâ hordei permutetur. panico & milio adeò abundat, ut nihil ſuprà. glans quàm largâ copiâ in quercetis proveniat, quæ totis illis campis per varia intervalla cernuntur, ex hoc facilè intelligas, quòd, quum plurimos Itali homines porcos mactent, tùm ut privatim illis victitent, tùm ut in conditis militaribus reponant; maximam eorum copiam hæc planities ſubminiſtrat. omnium denique rerum ad victum neceſſariarum quanta ſit utilitas atque abundantia, ex eo conjiciat aliquis non malè: Qui per regionem hanc iter faciunt, quum ad caupones divertunt, non paciſcuntur de cibo particulatim; ſed, quanti quemque excipiant, rogant. qui, ut plurimum, præbituros ſe hoſpitibus neceſſaria omnia, ita ut deſit nihil, recipiunt, ſemiſſe; quæ oboli quarta pars eſt. idque pretium rarò excedunt.* Sanè hodiéque hæc Alpeis inter & Apenninum regio totius Italiæ florentiſſima eſt, tàm agrorum vario ac ubere proventu, quàm urbium vicorumque ſimul & incolarum frequentiâ atque celebritate planè mirandâ: ulteriore Italiâ, quod Neapolitanum nunc vocatur regnum, in ſqualore, exceptâ feliciſſimâ illâ Campaniâ, & pauciſſimis prætereà hinc inde locis, atque in ruinis penè jacente: uti verè de hac parte dici poſſit, quod olim poſt civilia bella de univerſâ cecinit Lucanus Italiâ ſub initium libri I:

At nunc ſemirutis pendent quòd mœnia tectis
Vrbibus Italiæ, lapſiſque ingentia muris
Saxa jacent, nulloque domus cuſtode tenetur;
Horrida quòd dumis multosque inarata per annos
Heſperia eſt; deſuntque manus poſcentibus arvis;
Non tu Pyrrhe ferox, nec tantis cladibus auctor
Pœnus erit. nulli penitus diſcindere ferro
Contigit. alta ſedent civilis vulnera dextræ.

Sed Neapolitanum regnum non tam civilia bella poſterioribus hiſce ſæculis, quàm varia exterorum imperia, divexarunt.

CAPVT VI.

De incolis ITALIAE, *ac vario eorum ſermone: item de diviſione huius terræ in varia gentium nomina.*

IPSA terrâ ITALIA ſummatim hactenus expoſitâ; proxima nunc fuerit cura, genteis etiam, quæ eam incoluerint, generatim indicare. Qui primi eam ab initio poſt aquarum eluviem tenuerint mortales, planè, ut ſuprà dixi, incompertum etiam ipſa habuit Græcorum pariter atque Romanorum antiquitas. Falſum eſſe cenſeo, quod poſteà, ſæculo jam ſemibarbaro, nonnulli Chriſtiani ſcriptores ex ſacris libris *Cethin*, Iavanis filium, Iapeti nepotem, Noaci pronepotem, à Babylonicæ urbis deſtructione, in diſperſione gentium, huc primum cum familiâ ſeu gente ſuâ perveniſſe tradiderunt. In his Cedrenus in Annalibus ſic ſcriptum reliquit: Τῆς δὲ Ἰταλίας ἐβασί- *Italiæ incolæ an* CETHIM *adpellentur in ſacris libris,*

λεύσεν ὁ υἱὸς τοῦ Ἡρακλέους ἀπὸ τῆς Αὐγῆς Τήλεφος· καὶ μετ᾽ αὐτὸν υἱὸς αὐτοῦ Λατῖνος ἔτη ι η΄· ὃς τοὺς Κητίους ἐπωνόμασε Λατίνους. Id eſt: *Italiæ autem regnum tenuit Herculis ex Augâ filius Telephus: & poſt hunc Latinus filius annos* XVIII: *qui Cetæis nomen Latinorum fecit.* Et deinde: Ὁ δὲ Ῥωμύλος Ῥώμην κατεσκεύασε, τῇ οἰκείᾳ προσηγορίᾳ ταύτην καλέσας. * —— *. Οὗτος μετωνόμασε τὴν πόλιν καὶ τὸ ἔθνος τῷ ἰδίῳ ὀνόματι Ῥωμαίους, πρότερον λεγομένους Λατίνους, πρὸ δὲ τούτου Ἀβοριγῖνας. Hoc eſt: *Romulus Romam exſtruxit; eamque de ſuo nomine adpellavit.* Exiguo pòſt: *Is urbem ac gentem à ſuo nomine denominavit Romanam. priùs enim Latini, & anteà Aborigines adpellabantur.* Hæc fortaſſe confirmare videbuntur, quæ Iuſtinus lib. XLIII ex Trogi Pompeii hiſtoriis adfert huiusmodi: *Italiæ cultores primi Aborigines fuêre; quorum rex Saturnus.* At ipſa ſacratæ noſtræ antiquitatis videamus loca, in quibus *Cetæorum* fit mentio: an inde fortè diſpicere queamus, qui nam populi hi ſint habendi. Geneſeos cap. x ita ſcriptum eſt: Vers. IIII; *Filii autem Iavanis, Eliſa, Tharſis, Cethim, & Dodanim.* Vers. V: *Ab his diviſæ ſunt inſulæ gentium in regionibus ſuis; unusquisque ſecundùm linguam ſuam & familias ſuas in nationibus ſuis.* Numeror. cap. XXIIII vers. XXIIII: *Venient in navibus à litore Cethæorum, & adfligent Aſſyrios, vaſtabuntque Hebræos; & ipſi etiam in perpetuum peribunt.* Regum lib. III cap. XI, vers. I: *Rex autem Salomo adamavit mulieres alienigenas multas; præterque filiam Pharaonis, Moabitidas, Ammonidas, Idumæas, Sidonias, & Cethæas.* Paralipom. lib. II cap. I, vers. XVI: *Vectigal ètiam erat Salomoni equorum & byſſi ex Aegypto à negotiatoribus regis, qui pretio coëmebant.* Vers. XVII: *Nam deducebant & exportabant ex Aegypto currum ſexcentenis argenteis; equum verò centenis quinquagenis. ſimiliter & pro omnibus regibus Cethæorum & regibus Syriæ manu ſuâ educebant:* Eſaias cap. XXIII, vers. I: *Onus Tyri. Ejulate naves maris; quia vaſtata eſt domus veſtra ab advenis de terrâ Cethæorum.* Et vers. XII: *Non perges ultra exſultare, contumeliam paſſa ô filia Sidonis. ſurge, & ad Cethæos transi. ibi quoque non erit requies tibi.* Ieremias cap. II, vers. X: *Peragrate inſulas Cethæorum; & videte: mittite in Cedarem; & conſiderate quàm diligentiſſimè. videte, an fuerit quid huiusmodi.* Vers. XI: *an mutaverit gens aliqua deos ſuos: quamquàm illi non ſunt dii: populus verò meus mutavit gloriam ſuam in idolum vanum.* Daniel cap. VIII, vers. XXI: *Hircus autem ille villoſus eſt rex Græciæ. cornu verò magnum, interjectum oculis eius, eſt rex primus.* Alexandrum Magnum heic intelligi, inter omneis convenit interpretes. Eumdem cap. X vers. XX *principem Græciæ* adpellat: & cap. XI vers. II, *regnum Græciæ*. Eodem verò capite frequenter reges Syriæ vocat *Aquilonis reges*; & reges Aegypti, *Auſtri reges*: quorum regnum etiam nominat *Aegyptum* vers. VIII. tandem verò vers. XXVIIII de Aquilonis rege ſic pergit: *Conſtituto tempore rurſus invadet Auſtrum. ſed non erit expeditio poſterior ut prior.* Vers. XXX: *venientibus enim adversùs eum navibus Cethæis, dolore adficietur. rurſusque indignabitur contra fœdus ſanctum; & efficiet. reverſus quidpe animum adhibebit eis, qui deliquerint fœdus ſanctum.* XXXI: *& brachia ab ipſo ſtabunt. polluentque ſanctuarium fortitudinis: tollentque juge ſacrificium: imponentque abominationem deſolantem.* XXXII: *Nam improbè in fœdus agenteis corrumpet blanditiis. at populus cognoſcens Deum ſuum obtinebit, & efficiet.* De Antiocho Epiphane, Syriæ rege, vaticinari heic prophetam, in aperto ac confeſſo eſt. qui quum ſecundâ Ptolemæum Philometorem, Aegypti regem, expeditione invaderet; quo minùs eum regno pelleret, à C. Popilio, Romanorum legato, prohibitus eſt. hinc in Iudæam reverſus, urbem Hieroſolymam devaſtavit. qua de re ita eſt in Maccabæor. lib. I: Vers. I; *Quum Alexander, Philippi filius, Macedo, profectus à terrâ Cethæorum, cæcidiſſet Darium, regem Perſarum ac Medorum, ut primus Græcorum regnaret loco eius;* Vers. V: poſt hæc] *decidit in lectum. quumque agnoſceret, ſe moriturum;* VI: *accerſivit miniſtros ſuos nobileis, qui unà cum ipſo fuerant educati à juventute; & diviſit illis regnum ſuum, quum adhuc viveret.* VII: *Poſtquàm igitur regnaſſet annos* XII, *ac mortuus eſſet;* VIII: *obtinuerunt dominatum miniſtri eius, in ſuo quisque loco.* VIIII: *& impoſuerunt omnes ſibi diademata poſt mortem eius; & filii eorum poſt illos annis multis. & multiplicata ſunt mala in terrâ.* X: *Et prodiit ex eis radix peccatrix, Antiochus Epiphanes, filius Antiochi regis, qui fuerat Romæ obſes; & regnavit anno* CXXXVII *regni Græcorum.* XI: *In diebus illis prodierunt ex Iſraële homines improbi; perſvaſeruntque multis, dicentes: Eamus & diſponamus fœdus cum gentibus circumſtantibus nos. quidpe ex quo receſſimus ab eis, obvenerunt nobis multa mala.* XII: *Et bonus viſus eſt hic ſermo in oculis eorum.* XIII: *Comparati igitur quidam è populo, profecti ſunt ad regem. qui dedit illis poteſtatem faciendi ſecundùm ſtatuta gentium.* XIIII: *Aedificarunt itaque gymnaſium*

Hieroſolymæ

Hie:::ſolyma ſecundùm leges gen:::m. *XV: Et facientes ſibi præputia, receſſerunt à fœdere
ſancto. conjunctique gentibus, venditi fuerunt ad faciendum malum. XVI: Comparato au-
tem regno coram Antiocho; præcepit quoque animo regnum Aegypti: uti regnaret ſuper duo
regna. XVII: Et ingreſſus Aegyptum cum ingenti multitudine, curribusque & elephantis,
ac equitibus & magnâ claſſe; XVIII: conſtituit bellum adversùs Ptolemæum, Aegypti re-
gem. At metuens Ptolemæus; averſus à facie eius, fugit: cecideruntque vulnerati multi.
XVIIII: Occuparunt itaque civitates munitas in terrâ Aegypti: accepitque ille ſpolia Aegypti.
XX: Inde revertens Antiochus, poſtquàm percuſſerat Aegyptum, anno CXLIII; adſcendit
contra Iſraëlem & Hieroſolymam cum ingenti multitudine. XXI: Et ingreſſus ſanctuarium
cum ſuperbiâ; cepit altare aureum & candelabrum luminis, cum omnibus vaſis eius, XXVIIII:
Poſt duos annos integros miſit rex præfectum tributorum in civitates Iudæ. qui venit Hiero-
ſolymam cum ingenti multitudine. XXX: & quum alloqueretur eos verbis pacificis doloſè,
crediderunt ei. ille verò irruit in urbem repentè; & cæcîdit eam plagâ magnâ; perdens po-
pulum multum ex Iſraële. XXXI: Et accipiens ſpolia civitatis, incendit eam igni; deſtruxit-
que domos eius & muros in circuitu. XXXVIIII: ſanctuarium eius deſolatum eſt ſicut ſoli-
tudo: dies feſti eius converſi ſunt in luctum, ſabbatha eius in opprobrium, honos eius in ni-
hilum. Cap. VIII, vers. I: Quum autem Iuda famam audiviſſet Romanorum; potenteis
eſſe viribus; placidoque animo adquieſcere iis omnibus, quæ peterentur ab ipſis: & quicum-
que accederent ad eos, ſtatuere cum iis amicitiam: ſed maximè, quòd viribus eſſent potentes;
(II: Narratum quidpe erat ei de bellis ipſorum & rebus egregiè geſtis apud Gallos: ut vi ſu-
peraſſent eos; tributariosque ſibi effeciſſent: III: item, quæ feciſſent in terrâ Hiſpaniâ, ad
obtinendum fodinas metallicas auri & argenti in eâ regione: V: Philippum item & Per-
ſeum, Cethæorum reges, & alios, qui adverſùm eos arma tulerant, ut contriviſſent bello, ac
ſuperaſſent:) XVII: elegit ergo Iuda Eupolemum & Iaſonem; miſitque eos Romam, ad conſti-
tuendam cum ipſis amicitiam & ſocietatem. Sed ex hactenus recitatis ſatis jam ſuperque
manifeſtum eſt, intelligi in prophetiâ Danielis, cap. XI vers. XXVIIII, Antiochum
Epiphanem; qui, ab ſecundâ expeditione ex Aegypto reverſus, Hieroſolymam ur-
bem devaſtavit. Hunc autem à Romanis prohibitum eſſe, quo minùs Ptolemæum,
Aegypti regem, regno ejiceret; inter alios auctores teſtatur graviſſimus rerum Ro-
manarum ſcriptor T. Livius lib. XLV. Poſtquàm de bello Romanorum & victoriâ
de Perſeo, Macedonum rege, narravit; Victoriæ, inquit, Romanæ fama quum pervaſiſſet
in Aſiam; Antenor, qui cum claſſe lemborum ad Phanas ſtabat, Caſſandriam inde trajecit:
C. Popilius, qui ad Delum præſidio navibus Macedoniam petentibus erat, poſtquàm debella-
tum in Macedoniâ & ſtatione ſummotos hoſtium lembos audivit; dimiſſis & ipſe Atticis na-
vibus, ad ſuſceptam legationem peragendam navigare in Aegyptum pergit; ut priùs occur-
rere Antiocho poſſet, quàm ad Alexandriæ mœnia accederet. Et aliquanto pòſt, de eodem
Antiocho: Ad Leuſinen tranſgreſſo flumen (qui locus IIII millia ab Alexandriâ abeſt)
legati Romani occurrerunt. quos quum advenienteis ſalutaſſet, dextramque Popilio porrige-
ret; tabellas ei Popilius, ſcriptum habenteis, tradit; atque omnium primùm id legere jubet.
quibus perlectis, quum ſe conſideraturum adhibitis amicis, quid faciendum ſibi eſſet, dixiſſet;
Popilius, pro cæterâ aſperitate animi, virgâ, quam in manu gerebat, circumſcripſit regem; ac,
Priusquàm hoc circulo excedas, inquit, redde reſponſum, ſenatui quod referam. Obſtupe-
factus tam violento imperio, parumper quum hæſitaſſet; faciam, inquit, quod cenſet ſenatus.
Tum demum Popilius dextram regi tamquàm ſocio atque amico porrexit. Die deinde finitâ
quum exceſſiſſet Aegypto Antiochus, legati Cyprum navigant: & inde, quæ jam vicerat præ-
lio Aegyptias naveis, claſſem Antiochi dimittunt. Clara ea per genteis legatio fuit: quòd haud
dubiè adempta Antiocho Aegyptus, habenti jam, redditumque patrium regnum ſtirpi Ptole-
mæi fuerat. Hoc ſcilicet erat illud, quod ſanctus propheta Daniel prædixerat dicto
cap. XI. vers. XXVIIII & XXX; At non erit poſterior expeditio ut prior. venientibus enim ad-
versùs eum navibus Cethæis dolore adficietur. rurſumque indignabitur contra fœdus ſanctum.
Heic igitur quum Romanam legationem innuerit propheta per naveis Cethæas; ipſos
Romanos, & poſteros Cethis, Iavanis filii, dictos fuiſſe Hebræis Cethæos, prædicti arbi-
trati ſunt auctores Chriſtiani: eóque in cunctis ſuprà ſcriptis ſacrorum librorum locis
id nominis de Romanis atque Italiâ accipiendum cenſuerunt. Verùm uti de reliquis
omnibus, ſi ita lubet, concedam; quid fiet duobus illis locis Maccabæor. lib. I cap. I &
VIII: ubi diſertè Alexander Magnus, & poſt eum Philippus huiusque filius Perſeus, Ce-
thæorum adpellantur reges. quorum ſanè nemo in Italiâ regnavit: ſed omnes in Mace-

doniâ

doniâ ac reliquâ Græciâ. Ex hoc igitur uno documento validiſſimo quidni colligam,
cæteris etiam locis per vocabulum *Cethim* intelligendum eſſe *Macedonum regnum?*
Ac in Eſaiæ prophetiâ de Tyriorum urbe quis dubitet? quando eam expugnaſſe atque
deſolaſſe Alexandrum Magnum, Græci pariter atque Latini produnt ſcriptores. Sa-
lomonem autem inter reliquas pellices habuiſſe mulieres ex Italiâ, quis crediderit?
Tum verò multo credibilius eſt, apud Ieremiam, memorato cap. II, Dominum po-
pulum ſuum Hebræos in Græciam juſſiſſe transire, ad cognoſcendas religiones Græ-
corum, quàm in Italiam; quum Romani, ſive Latini, deorum cultum ſacrorumque
ritus habuerint à Græcis; unde oriundi erant; ut ſuprà dictum. Quapropter omnino
Cethæorum vocabulo intelligenda eſt Macedonia cum reliquâ Græciâ. Quòd autem
ad Danielis locum attinet; cum ſic ego interpretor, uti non ipſos Romanorum lega-
tos intellexerit Cethæos; ſed à Cethæorum, id eſt Græcorum ſive Macedonum,
quos modò debellaverant, terrâ venienteis; idque fortè in navi vel triremibus Atti-
cis; quorum claſſem ad præſidium in Delo inſulâ habuit C. Popilius. Niſi fortè Ro-
manos quoque eodem Cethæorum nomine unà cum Græcis adpellatos fuiſſe velis,
quia Latini, qui priùs Aborigines, & antè Oenotri dicebantur, è Græciâ fuerunt
orti; iam inde aliquot ſæculis ante Troianum bellum in Italiam transgreſſi. At di-
ſertè ſcriptor rerum Maccabaicarum inter Romanos Cethæosque diſtingvit, ubi ait
Romanos *Philippum Perſeumque, Cethæorum reges, contriviſſe*. Cum Oenotris equidem
venêre etiam Peucetii in Italiam; & poſt utrosque Pelaſgorum magna manus: dein
poſt Troianum bellum complures eiusdem Græciæ coloniæ omne fermè Italiæ, ut
ſuprà dictum, Siciliæque litus occuparunt: unde duæ hæ terræ *Magna Græcia* adpel-
latæ fuêre. verùm hos Græcos ſub Cethæorum nomine neque Daniel propheta ne-
que Moſes innuere potuerunt; quando horum nulli umquàm bella contra Hebræos
Aſſyriosve moverunt. Maneat igitur illa ſententia; *Cethæorum* nomine intellexiſſe
Hebræos *Græciam ac Macedonum regnum*; non verò Italiam. cuius nulla in ſacris anti-
qui fœderis libris exſtat mentio, niſi quæ in ſupraſcripto rerum Maccabaicarum loco
ſub Romanorum nomine facta eſt.

[...]HIM vo[c]abulum in ſacris libris ſignificat Macedonum regnum.

De cætero, quòd Trogus Pompeius *primos Italiæ cultores* fecerit *Aborigines*; id ne-
que de Latio quidem, nedum de universâ Italiâ verè adfirmari potuit. ſiquidem ex
Latio Aborigines, Græcæ originis gens, expulêre Siculos; ut ſuprà cap. I dictum eſt.
Verùm enimverò datum hoc eſt à Romanis hominibus gloriæ gentis ſuæ; ut, quum
Aborigines, à freto Siculo atque extremo Italiæ angulo profecti, Latium, pulſis inde
Siculis, tenuerint; primos, non tantùm Latium, ſed omnem etiam Italiam maiores
ſuos incoluiſſe, prædicaverint poſteri eorum Latini ſive Romani. Rectiùs igitur ac
veriùs Columella; qui de Re ruſticâ lib. I cap. III ita ſcribit: *Niſi aliter exiſtimamus*
diverſum Orbem genteis univerſas petiiſſe, relicto patrio ſolo: Achæos dico, & Iberos, Alba-
nos quoque, nec minùs Siculos; &, ut primordia noſtra contingam, Pelaſgos, Aborigines, Ar-
cadas; quàm, quia malos vicinos ferre non potuerant. At alii, ut ſuprà dicto cap. I ex
Aeliani lib. VIII cap. XVI oſtenſum, primos Italiæ cultores adſeverarunt *Auſones*.
alii verò *Auruncos*, in Campaniæ finibus circa Lirim amnem colenteis. Agellius lib. I
cap. X, & ex Agellio Macrobius Saturnalior. lib. I cap. V: *Curius, Fabricius, & Corun-*
canius, antiquiſſimi viri noſtri, & his etiam antiquiores, Horatii illi trigemini, planè ac dilu-
cidè cum ſuis fabulati ſunt; neque Auruncorum aut Sicanorum aut Pelaſgorum, qui primi
incoluiſſe Italiam dicuntur, ſed ætatis ſuæ verbis loquuti ſunt. Certè *Sicanorum* neque gens
neque nomen umquàm fuit in Italiâ; ſed antiquiſſimis temporibus in Siciliâ; quæ
tum ex eorum vocabulo dicebatur *Sicania*. Quum autem prædicti Siculi, non tan-
tùm Latio ſuo, ſed totâ etiam reliquâ Italiâ pulſi, maximam inſulæ partem occupaſ-
ſent; dicti inde fuêre & ipſi nonnullis Græcorum pariter ac Latinorum ſcriptori-
bus *Sicani*; maximè poëtis; ut in deſcriptione huius inſulæ lib. I cap. II oſtende-
mus. Hinc factus poëticâ licentiâ error, uti, quum de Siculis etiam tum Latium
incolentibus loquerentur, *Sicanos* eos alieniſſimo nomine adpellarent: Virgilius
Aeneid lib. VIII:

Deterior donec paullatim ac decolor ætas,
Et belli rabies, & amor ſucceſſit habendi:
Tum manus Auſoniæ & gentes venêre Sicanæ:
Sæpiùs & nomen poſuit Saturnia tellus.

[...]origines non fuêre antiquiſſimi Italiæ incolæ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Siculi igitur, Aboriginibus in Italiâ longè antiquiores, licèt antiquiſſimi omnium totâ Italiâ certò dici nequeant; tamen inter vetuſtiſſimas eius genteis meritò connumerantur. Cæterùm alii *Sabinos* vetuſtiſſimos fecêre. Strabo lib. v: Ἔστι δὲ παλαιότατον γένος οἱ Σαβῖνοι, καὶ αὐτόχθονες. id eſt: *Antiquiſſima gens eſt Sabinorum, atque indigena.* Alii verò Vmbrorum eos fecêre propaginem; ut Zenodotus Trœzenius, apud Dionyſium Halicarnaſſenſem lib. II. Itaque de ipſis *Vmbris* ſic inter alios Florus lib. I cap. XVII: *Vmbri, antiquiſſimus Italiæ populus*: Et Plinius lib. III cap. XIIII: *Vmbrorum gens antiquiſſima Italiæ exiſtimatur; ut quos Ombrios à Græcis putent dictos, quòd inundatione terrarum imbribus ſuperfuiſſent.* Hæc originatio quamvìs Græcum ſapiat nugamentum; (quid enim gens barbara, Italiæ indigena, à Græcis nomen ſibi mutuata fuerit?) tamen antiquitatem gentis haud obſcurè arguit. Hinc etiam Herodotus lib. I antiquiores eos facit Etruſcis. At ipſi *Etruſci*, ſive, ut aliis nominibus dicuntur Latinis *Tuſci*, Græcis *Tyrrheni*, tam longinquæ originis populum ſeſe prædicarunt, uti Tagen, à quo omnem divini cultus ſacrorumque rituum & auſpiciorum acceperint diſciplinam, apud ſe in Etruriâ è terrâ ortum crediderint. quamquàm omnes auctores antiqui, uno excepto Halicarnaſſenſi Dionyſio, ex Aſiâ à Lydorum gente ſtirpem eorum deducant; in Italiam circa belli Troiani tempora profectam. Scilicet factum heic in Italiâ, quod per reliquum terrarum Orbem; ut antiquiſſima quæque gens primam præ cæteris originis gloriam ſuo nomini vendicaverint. Patet tamen ex hactenus dictis, vetuſtiſſimos Italiæ populos fuiſſe prædictos *Etruſcos, Vmbros, Sabinos, Siculos, Opicos, Auſonas.* quorum omnium tamen certa origo monſtrari nulla poteſt. At *Aborigines* initio dicebantur *Oenotri*; quum, duce Oenotro ex Arcadiâ profecti, extimam Italiæ oram, pulſis Auſonibus, apud fretum Siculum obſiderent. Oenotri frater fuit Peucetius: à quo alia Arcadum manus eodem tempore deducta eſt in Apuliam; ubi *Peucetii* dicti. Oenotri, adſumpto novo Aboriginum nomine, agris, qui poſteà Sabinus Latinusque dicebantur, ejecêre *Siculos*. qui, peragratâ omni hinc inferiore Italiâ, ab Opicis porrò ſive Auſonibus pulſi, Siciliam inſulam occuparunt. Circa eadem tempora *Pelaſgorum* ingens multitudo ad Padi oſtia adpulſa, longè lateque inde per Etruriam, Vmbriam, Sabinum Latinumque agrum, in Campaniam usque transfuſa fuit. *Opicos*, ſive *Oſcos*, alii voluêre eosdem eſſe & *Auſonas*; & parteis eorum *Auruncos* atque *Sidicinos*. Ab iisdem Opicis *Sabinos* quoque fuiſſe ortos, mox infrà ex utriusque populi ſermone colligere dabitur. Ab Sabinis porrò orti fuêre *Picentes, Frentani, Marrucini, Peligni, Veſtini, Marſi, Aequi, Hernici*, & omnium totâ Italiâ quondam nobiliſſimi *Samnites*. ab his *Hirpini* atque *Lucani*: ab Lucanis *Brutii*. Ab iisdem Samnitibus orti poſteà *Campani*, Opicos atque Auruncos totâ pepulêre Campaniâ. Inter hos & Lucanos *Picentini* Picentium fuêre pars; à populo Romano ab ſupero mari ad inferum transducti. *Aborigines* poſtmodum dicti fuêre *Latini*. horum pars fuêre *Rutuli*. Iuxta hos *Volſci* originem apud auctores non habent. At versùs ſeptemtriones Etruſcorum progenies *Rhæti*, duce Rhæto in Alpium juga deducti fuerunt, quum à Gallis agro inter Alpeis Padumque pellerentur. Iuxta Etruſcos quondam *Veneti*, Aſiatica gens credita eſt, à Troiæ excidio duce Antenore in *Euganeorum*, qui & ipſi inter antiquiſſimos Italiæ cultores numerandi, fineis deducta. Alii tamen, in quibus Herodotus, *Venetos* Illyrici generis pronunciarunt. Venetis contermini *Carni*, Inalpinæ ſive Celticæ originis gens, aliam Euganeorum agri partem obſederunt. Ad mare inferum quondam Vmbris, dein Etruſcis conterminus populus *Ligures*, itidem Alpini ſive Celtici fuêre generis. Denique ex Celtis ingentia *Gallorum* agmina Alpeis transgreſſa, pulſis Etruſcis, omnem regionem occuparunt inter Alpeis Apenninumque ad Anconam usque ſitam. Atque hæc breviter de univerſis Italiæ incolis tamquàm per indicem diſſerta ſint. ſingulorum genus atque originem poſteà ſuis locis ipſorum auctorum teſtimoniis adſeram. Ex his, quæ hactenus dicta ſunt, ſatis patet, treis tantùm in omni Italiâ fuiſſe populos indigenas; *Vmbros, Siculos*, & ingens illud *Auſonum* ſive *Opicorum* corpus; unde tot alia propagata fuêre nationum nomina. reliquæ gentes exterarum terrarum deprehenduntur fuiſſe coloniæ. Apud Aelianum hiſtoriar. variar. lib. VIIII cap. XVI ita ſcriptum eſt: Τὴν Ἰταλίαν φασὶν οἰκῆσαι ἔθνη πάμπολλα καὶ ὅσα οὐκ ἄλλην γῆν. id eſt, *Italiam ferunt permultos variosque habitaſſe populos; ac plureis quidem, quàm ullam aliam terram.* Id ſatis manifeſtè ex eo liquet, quòd prædictæ gentes propriam ſibi quæque

Antiquiſſimæ Italiæ gentes quæ.

Trespopuli Italiæ indigenæ, Vmbri, Siculi, *&* Auſones, *qui &* Opici.

ac peculiarem originem adſeruerint: unde etiam ſermo earum varius fuiſſe deprehenditur. Haud alienum fuerit hoc loco exempla eius rei ex veterum monimentis citaſſe.

Italiæ gentium varius ſermo.

Livius lib. I; *Inclyta*, inquit, *juſtitia religioque eâ tempeſtate Numæ Pompilii erat. Curibus Sabinis habitabat; conſultiſſimus vir, ut in illâ quisquam ætate eſſe poterat, omnis divini humanique juris. Auctorem diſciplinæ eius, quia non exſtat alius, falsò Samium Pythagoram edunt: quem Servio Tullio regnante Romæ, centum poſt annos & ampliùs, in ultimâ Italiæ orâ circa Metapontum Heracleamque & Crotonem juvenum æmulantium ſtudia cœtus habuiſſe conſtat. ex quibus locis, etſi eius ætatis fuiſſet, qua famâ in Sabinos, aut quo lingvæ commercio quemquam ad cupiditatem diſcendi excivilſet? quove præſidio unus per tot genteis diſſonas ſermone moribusque perveniſſet?* Lib. VIII, de Romanis loquens: *Curam acuebat, quòd adversùs Latinos bellandum erat, lingvâ, moribus, armorum genere, inſtitutis ante omnia militaribus congruenteis.* Ergo reliquorum Italiæ populorum ſermo erat diverſus. Pompeius Feſtus: *Strebula Vmbrico nomine Plautus adpellat coxendices hoſtiarum, quas Græci μηρία dicunt.* Svetonius in Auguſto, cap. XCVII: *Aeſar Etruſcâ linguâ deus vocatur.* Feſtus: *Falæ dictæ ab altitudine, à falando; quod apud Etruſcos ſignificat cœlum.* Idem: *Subulo Tuſcè tibicen dicitur. itaque Ennius; Subulo quondam marinas propter adſtabat aquas.* Varro de lingvâ Latinâ lib. VI: *Apud Ennium; Subulo finitimas propter adſtabat aquas. Subulo dictus, quòd ita dicunt tibicinem Tuſci. quocircà radices eius in Etruriâ, non in Latio, quærendum eſt.* Heſychius: Κάπρα, αἴξ Τυῤῥηνοῖς. id eſt: *Capra Tuſcis, quæ Græcis αἴξ.* Strabo. lib. V: Ἐφεξῆς δ᾽ τὸ Κύπρας ἱερὸν, Τυῤῥηνῶν ἵδρυμα καὶ κτίσμα. τὴν δ᾽ Ἥραν ἐκεῖνοι Κύπραν καλοῦσιν. hoc eſt: *Sequitur inde Cupræ fanum; conditum dedicatumque ab Etruſcis, Iunonem vocantibus Cupram.* Feſtus: *Mantiſa additamentum dicitur lingvâ Tuſcâ, quod ponderi adjicitur.* Idem: *Arſe verſe, averte ignem ſignificat. Tuſcorum enim lingvâ arſe averte, verſe ignem conſtat adpellari.* Macrobius Saturnalior. lib. I cap. XV: *Iduum nomen à Tuſcis; apud quos is dies itis vocatur, ſumptum eſt.* Varro de lingvâ Latinâ lib. IIII: *Ager Romanus primùm diviſus in parteis treis; à quo tribus adpellatæ, Tatienſium, Ramnienſium, Lucerum: nominati, ut ait Ennius, Tatienſes à Tatio, Ramnienſes à Romulo; Luceres, ut ait Iunius, à Lucumone. ſed omnia hæc vocabula Tuſca; ut Voluminius, qui tragœdias Tuſcas ſcripſit, dicebat.* Livius lib. VIIII, expeditionem Romanorum in Etruſcos commemorans; *Tum ex iis qui aderant, conſulis frater, ſpeculatum ſe iturum profeſſus, brevique omnia certa allaturum. Cære educatus apud hoſpites, Etruſcis inde literis eruditus erat; lingvamque Etruſcam probè noverat. Servus ei dicitur comes unus fuiſſe, nutritus unà; eóque haud ignarus lingvæ eiusdem.* Porrò Feſtus: *Sublicium pontem quidam putant adpellatum eſſe à ſublicibus, peculiari vocabulo Volſcorum.* Idem: *In omnibus ferè antiquis commentariis ſcribitur Obſcum pro Oſco: ut in Titinii fabulâ V: Qui Obſcè & Volſcè fabulantur: nam Latinè neſciunt.* Huius Opicæ ſive Oſcæ lingvæ permulta ſunt apud eumdem Feſtum vocabula. *Caſnar*, inquit, *ſenex, Oſcorum lingvâ. Dalivum Oſcorum lingvâ ſignificat inſanum. Famuli origo ab Oſcis dependet; apud quos ſervus famel nominabatur. unde & familia vocata. Mæſius lingvâ Oſcorum menſis Maius. Mamers lingvâ Oſcorum Mars ſignificatur. Mamercus prænomen Oſcum eſt; ab eo, quòd hi Martem Mamertem adpellant. Sufes dictus Pœnorum magiſtratus, ut Oſcorum mediastuticus. Meddix apud Oſcos nomen magiſtratus eſt. Ennius: Summus ibi capitur meddix. Multam Oſcè dici putant pœnam quamdam. Petoritum & Gallicum vehiculum eſſe, & nomen eius dictum eſſe exiſtimant à numero quatuor rotarum. alii Oſcè: quòd hi quoque petora quatuor vocent. Pitpit, Oſcè Quidquid. Pipatio, clamor plorantis, lingvâ Oſcorum. Sollum Oſcè totum & ſolidum ſignificat. Veia apud Oſcos dicebatur plauſtrum. unde veiarii, ſtipites in plauſtro: & vectura veitura. Vngulus, Oſcorum lingvâ anulus.* Sabinæ etiam lingvæ nonnulla adnotata ſunt apud auctores vocabula. Varro de lingvâ Latinâ lib. IIII: *Circuli, quòd mixtâ farinâ, caſeo & aquâ, circuitum æquabiliter fundebant. Hoc quidam; qui magis inconditè faciebant, vocabant Lixulas, & ſemilixulas; vocabulo Sabino. idque frequentiùs Sabini à globo farinæ dilatato.* Eodem libro poſteà: *Vicus Ciprius à cipro; quòd ibi Sabini, cives additi, conſederunt; qui à bono omine id adpellarunt. nam ciprum Sabinè bonum.* Et lib. V: *Crepuſculum à crepero. id vocabulum ſumpſerunt à Sabinis. Crepuſculum ſignificat dubium. ab eo res dubiæ dictæ creperæ: quòd crepuſculum dies etiamnum ſit, an jam nox, multis dubium.* Et lib. VI: *Crepuſculum dictum à Sabinis: & id dubium tempus, noctis an diei ſit. ideò dubiæ res creperæ dictæ.* Præſcripto lib. V paullo pòſt: *Februm Sabini purgamentum: & id in ſacris noſtris verbum.* Pompeius Feſtus: *Cubam*

Sabini

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Sabini vocant eam, quam militares lecticam. unde videtur derivatum eſſe cubiculum. Et: Curis eſt Sabinè haſta: Servius ad Virgilii Aeneid. lib. I: Haſta Sabinorum lingvâ curis dicitur. Et ad Aeneid. lib. VII: Sabini lingvâ ſuâ nar dicunt ſulphur. Et ad eumdem librum poſteà: Sabinorum lingvâ ſaxa herna vocantur. unde dicta ſunt Hernica loca, & populi Hernici. Feſtus: Hernici dicti à ſaxis, quæ Marſi herna dicunt. Scilicet, quia & Marſi, ut Hernici, Sabinæ erant ſtirpis. Porrò Svetonius in Tiberio, cap. I: Inter cognomina & Neronis adſumpſit; quo ſignificatur lingvâ Sabinâ fortis ac ſtrenuus. Sed Sabinorum lingva ſimilis fuiſſe deprehenditur Oſcorum lingvæ. Varro de lingvâ Latinâ lib. IIII: Mars ab eo, quòd maribus in bello præeſt: aut quòd à Sabinis acceptus; ubi Mamers. Et lib. VI: Caſcum ſignificat vetus. eius origo Sabina eſt; quæ usque radices in Oſcam lingvam egit. Caſcum vetus eſſe, ſignificat Ennius, quum ait;

Quam primùm caſci populi genuêre Latini.

Eo magis Manilius, quòd ait; Caſcum duxiſſe caſcam, non mirabile eſt; quoniam canoras conficiebant nuptias. Idem oſtendit Papinii epigrammation, quod in adoleſcentem fecerat [&] caſcam.

Ridiculum eſt, quum te caſcum tua dicit amica
Caſca Philotonis, ipſa ſenex puerum.
Dic tu illam puſam: ſic fiet, Mutua muli.
Nam verè puſus tu, tua amica ſenexſt.

Item oſtendit, quòd opidum vocatur Caſſinum. hoc enim à Sabinis orti Samnites tenuerunt; & nunc noſtri: unde & Caſſinum forum vetus. Item ſignificat in Atellanis aliquot pupum ſenem, quod Oſci caſnar adpellant, Sanè Oſco uſi ſunt ſermone Samnites; teſte haud dubio T. Livio lib. X. In Samnio, inquit, novi exercitus exorti ad depopulandos imperii Romani fineis, per Veſcinos in Campaniam Falernumque agrum transſcendunt, ingenteisque prædas faciunt. Volumnium, magnis itineribus in Samnium redeuntem, fama de Samnitium exercitu populationibusque Campani agri ad tuendos ſocios convertit. Mox: His ſatis exploratis profectus, tanto intervallo ab hoſtibus conſedit, ut nec adventus ſuus propinquitate nimiâ noſci poſſet; & egredientem è caſtris hoſtem opprimeret. Aliquanto ante lucem ad caſtra acceſſit: gnarosque Oſcæ lingvæ exploratum, quid agatur, mittit. Hinc etiam Campani, ab Samnitibus orti, Oſcum illud vocabulum habuêre mediastuticus. Livius lib. XXIIII: Q. Fabius conſul ad Caſilinum caſtra habebat; quod duûm millium Campanorum & ſeptingentorum militum Hannibalis tenebatur præſidio. Præerat Statius Metius; miſſus ab Cn. Magio Atellano: qui eo anno mediastuticus erat. Et lib. XXVI: Hoc ultimum, utcumque initum finitumque eſt, ante deditionem Capuæ prælium fuit. Mediastuticus, qui ſummus magiſtratus apud Campanos eſt, eo anno Seppius Leſius erat. Hinc item illa narratio Pompeii Feſti de nomine Mamertinorum; qui, genere Campani, Meſſanam, Siciliæ urbem, olim occuparunt. Marmertini, inquit, adpellati ſunt hac de causâ: Quum toto Samnio gravis incidiſſet peſtilentia, Sthennius Mettius, eius gentis princeps, convocatâ civium ſuorum concione, expoſuit, ſe vidiße in quiete præcipientem Apollinem, ut, ſi vellent eo malo liberari, ver ſacrum voverent; id eſt, quæcumque vere proximo nata eßent, immolaturos ſibi. quo facto levatis, poſt annum vicenſimmm deinde eiusdem generis inceſſit peſtilentia. rurſum itaque conſultus Apollo reſpondit, non eße perſolutum ab his votum; quòd homines immolati non eſſent. quos ſi expuliſſent, certò fore, ut eâ clade liberarentur. Itaque hi juſſi patriâ decedere, quum parte eâ Siciliæ conſediſſent, quæ nunc Tauromenitana dicitur; fortè laborantibus bello novo Meßanenſibus auxilio venerunt ultro; eosque ab eo liberarunt. Provinciales hoc ob meritum eorum ut gratiam referrent; & in ſuum corpus communionemque agrorum invitarunt eos, & nomen acceperunt unum, ut dicerentur Mamertini: quod, conjectis in ſortem XII deorum nominibus, Mamers fortè exierat; qui lingvâ Oſcorum Mars vocatur. cuius hiſtoriæ auctor eſt Alſius, lib. I belli Carthaginienſis. Campanos fuiſſe, Siciliæ lib. I cap. VI oſtendam. Pronum equidem erat conjecturâ colligere, quum Samnites, ab Sabinis orti, Oſcorum agrum in Samnio, ac poſteà ab Samnitibus orti Campani in Campaniâ occupaſſent, tum primùm Oſcam addidiciſſe lingvam. nam de Cumis etiam, Græcâ civitate, ita ſcribit Velleius Paterculus lib. I: Cumanos Oſca mutavit vicinia. Verùm M. Varroni, diligentiſſimo apud Romanos auctori, ignotus eſſe minimè potuit Sabinorum ſermo. Quapropter ex hoc validiſſimo ſermonis documento colligere datur, ipſos etiam Oſcæ fuiſſe originis Sabinos. Sed de variis etiam Italicarum gentium lingvis hactenus ſatis diſſertum puto. Nunc uti ad ſingu-

Italiæ univerſæ in varia gentium nomina diviſio.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

lorum populorum deſcriptionem ritè pergamus, diviſio antè totius Italiæ facienda erit, atque ordo, quo populi inter ſe juncti fuerunt, ab Alpibus ad fretum usque Siculum, indicandus. Verùm, quum ſuprà enarratæ gentes alios aliis temporibus incoluerint fineis, crebræque heic migrationes factæ ſint; nos originem quidem ſingularum gentium, primamque ſedem, dein migrationes, vel mutationes finium, ſuo quæque loco atque ordine commemorabimus; totius autem Italiæ in genteis atque regiones varias diviſionem ſequemur eam, quæ ſub Romano maximè imperio ac primis XII fuit imperatoribus. quidpe proximi hinc principes non tantùm lingvæ Latinæ rituumque ac muniorum in republicâ Romanâ, ſed & limitum per omneis propemodùm imperii provincias miram unà cum peregrinâ ſuæ gentis ſtirpe invexerunt mutationem. Plinius equidem lib. III cap. V, poſtquàm ſummam Italiæ univerſæ deſcriptionem abſolvit; *Nunc ambitum eius*, inquit, *urbeisque enumerabimus. qua in re præfari neceſſarium eſt, auctorem nos divum Auguſtum ſequuturos, deſcriptionemque ab eo factam Italiæ totius in regiones* XI: *ſed ordine eo, qui litorum tractu fiet*. Verùm, quum hæ XI totius Italiæ regiones haud facilè indicari poſſint, antequàm ſinguli eius populi exponantur; ad finem totius operis eam diviſionem reſervabimus. Primi igitur fuêre populi *Alpini*; in quibus præcipuæ gentes iſtæ: *Ligures*; in varia genera ac nomina diviſi; quorum omnium regio *Liguria*: dein *Taurini*, *Salaſſi*, *Lepontii*, *Euganei*; mox *Rhæti*; & ipſi in plura cognomenta diſtincti. Vltra hos incoluerunt *Veneti*; quorum regio *Venetia*. hinc *Carni*; ac proximè *Hiſtri*, ad Arſiam amnem, Italiæ finem; quorum regio *Hiſtria*. Liguribus ſimul & Taurinis, Salaſſis, Rhætis, atque Venetis contermina fuit *Gallia Ciſalpina*; quæ eadem & *Togata*, *Circumpadana*, & item *Italia Gallica*: cuius incolæ *Galli*, Græcis Γαλάται, pluribus nationibus discreti. præcipuarum nomina ſunt iſta: *Libicii*, *Lævi*, *Inſubres*, *Orobii*, *Cenomanni*; omnes trans Padum: inter Padum autem & Apenninum montem *Amanes*, ſive *Anamani*; dein *Boii*, & quondam *Lingones*; *Senoneſque* apud ſuperum mare, ad Aeſim usque flumen. Intra Apenninum apud mare inferum, ad Tiberim usque amnem *Tuſci*; iidem & *Etruſci*; & regio eorum *Etruria*. juxta hanc trans Tiberim ab utroque Apennini latere, inter ſuperum mare & Narem amnem *Vmbri*; quorum ager *Vmbria*. infra hanc *Sabini*. His porrò ſimulque Vmbris continuabantur trans Apenninum *Picentes*; quorum regio *Picenum*, ferè ad Aternum usque flumen, quod vulgò nunc accolis *Peſcára*. Poſt Picenum ſequebantur exiguæ quidem gentes, at armis quondam maximè claræ; *Veſtini*, *Marrucini*, *Peligni*, *Marſi*: dein *Aequi*; iidem *Aequani*, *Aequicolæ*, & *Aequiculani* dicti. Sub his atque Sabinis fuêre *priſci Latini*, apud mare inferum; quorum terra *priſcum Latium*: cuius ultimam partem tenuerunt *Rutuli*; membrum quondam Latini corporis. ultra hos fuêre *Volſci*, ad Tarracinam usque opidum: hinc veterum *Auſonum* exiguæ reliquiæ adusque Sinueſſam opidum & montem Maſſicum, vulgò nunc *Monte Dragone* adpellatum. ſupra Volſcos fuêre *Hernici*. At ſub imperatoribus Romanis in Latinorum nomen receptis etiam Aequis & Hernicis ac Volſcis Auſonibusque, *novi Latii* fines fuêre à Tiberi usque ad Maſſicum montem. Huic contermina fuit *Campania*, cuius incolæ *Campani*, ad Minervæ usque promontorium, quod & Surrentinum. Inde ſequebantur in eodem litore *Picentini*, ad Silarum usque amnem. Novo Latio ſupra Campaniam atque Picentinos continuabantur *Samnites*, quorum terra *Samnium*, quondam ad Aufidum usque amnem, qui vulgò nunc eſt *l'Ofanto*. ſed pars horum poſteà juxta Picentinos *Hirpini* fuêre dicti. Supra Samnites atque Hirpinos apud ſuperum mare, inter Pelignos & Frentonem amnem, qui vulgò nunc eſt *Fortore*, tenuêre *Frentani*. his contermini fuêre *Apuli*, Græcis *Iapyges* adpellati, in tria genera diſtributi; quorum nomina *Dauni*, *Peucetii*, & *Meſſapii*. univerſorum regio dicebatur incolis *Apulia*, Græcis *Iapygia*: ſingulorum verò agri, *Apulia Daunia*, *Apulia Peucetia*, *Apulia Meſſapia*. Sed poſtquàm Meſſapia in *Calabrorum Salentinorumque* nomina tranſiit; *Apulia* propriè ſub Romano imperio dicta eſt reliqua univerſæ pars. Calabrorum terra vocabatur *Calabria*, apud mare Hadriaticum; cuius præcipuæ urbes Brundiſium & Hydruntum vulgò nunc dicuntur *Brindiſi* & *Otranto*. Porrò Apuliæ ſimul & Hirpinis Picentiniſque contermini erant *Lucani* in *Lucaniâ*, apud utrumque mare, hinc ad Laum usque amnem, inde ad Sybarim fluvium; quorum hic nunc *Cocile* accolis, ille *Laino* vocatur. Hinc ultimum Italiæ angulum ad fretum usque Siculum habuêre *Brutii*. Atque hi ferè fuerunt ſub Romano imperio Italiæ populi: quorum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

quorum antiquitates hoc opere eodem ferè ordine, quo heic recenſuimus, ex veterum monimentis expoſitum imus. Italiæ autem univerſæ deſcriptione abſolutâ, in proximam ei inſulam Siciliam, auguſto freto diviſam, ſtilum deinceps laboremque transferemus; ut quæ & ipſa pars olim Italiæ, continenti adhærens, exiſtimata eſt.

Italiæ populorum alii dicebantur ITALI, *alii* ITALICI.

De cætero eadem Italia quum olim à tribus gentium generibus teneretur; nempe ab *Italis*, quaſi indigenis, & ab advenis *Græcis* atque *Gallis*; advenæ etiam à ſolo, quod inhabitabant, cognominabantur *Italici*, Græcis Ἰταλιῶται. unde illud Conſtantini Porphyrogeniti, in Themat. imperii oriental. lib. II, themate Siciliæ: Τῶν δὲ νησιωτῶν οἱ μὲν ἰθαγενεῖς Σικελοὶ λέγονται, οἱ δὲ ἐπήλυδες Ἕλληνές εἰσι Σικελιῶται, ὡς Ἰταλιῶται. id eſt: *Inſulanorum qui ſunt indigenæ, dicuntur Siculi; advenæ autem Græci ſunt Siciliotæ; ut Italiotæ.* Sed hoc ex Stephano grammatico ſumpſit Conſtantinus; quem exiguo antè citat. quidpe apud breviatorem Stephani leguntur iſta: Σικελία, ἡ χώρα καὶ ἡ νῆσος. τὸ ἐθνικὸν Σικελικοὶ καὶ Σικελιῶται. καὶ οἱ μὲν ἀπὸ τοῦ οἰκιστοῦ καὶ ἀρχηγέτου τῆς χώρας, ἀφ' οὗ καὶ ἡ χώρα· οἱ δὲ ἐπιγινόμενοι, καὶ τὴν χώραν εὑρόντες προκεκλημένην ἐπωνομάσθησαν, ὡς ἀπὸ τῆς Φθίας Φθιῶται, οὕτως αὐτοὶ ἀπ' Ἰταλίας καὶ Σικελίας Ἰταλιῶται καὶ Σικελιῶται. Hoc eſt: *Sicilia; regio atque inſula. gentilitium, Siculi & Siciliotæ. atque illi quidem ab conditore ac principe regionis; à quo & ipſa regio: advenæ autem, qui terram ſic adpellatam invenerunt, denominati ſunt, ut à Phthiâ Phthiotæ, ſic ipſi ab Italiâ & Siciliâ, Italiotæ & Siciliotæ.* Vtroſque Græcos advenas unâ eadémque operâ innuere voluit, ſimul illos, qui Italiæ oram obſederunt coloniis ſuis, ſimulque hos, qui Siciliam occuparunt. nam utraque tellus à dictis Græcis colonis vocabatur *Magna Græcia*; ut ſuprà cap. I diximus. Verùm hoc dictorum vocabulorum diſcrimen in neutrâ regione diligenter obſervatum eſt. quidpe etiam ipſi indigenæ Siculi & Itali quàm frequentiſſimè Græcis auctoribus dicuntur Σικελιῶται atque Ἰταλιῶται. Vnum atque alterum de Italiâ heic exemplum adferam. Plutarchus in Pyrrho: Οὕτω δὲ τοῦ δόγματος κυρίου γενομένου, πρέσβεις ἔπεμψαν οἱ Ταραντῖνοι εἰς Ἤπειρον, οὐκ αὐτῶν μόνων, ἀλλὰ καὶ τῶν Ἰταλιωτῶν τῷ Πύρρῳ κομίζοντας καὶ λέγοντας, ὡς ἡγεμόνος ἔμφρονος δέονται καὶ δόξαν ἔχοντος· δυνάμεις δ' αὐτόθεν ὑπάρξουσι μεγάλαι παρά τε Λευκανῶν καὶ Μεσαπίων καὶ Σαυνιτῶν καὶ Ταραντίνων. Id eſt: *Ita decreto facto, legatos mittunt Tarentini in Epirum, qui non ſuo tantùm ſed Italicorum etiam nomine dona Pyrrho ferant; eique exponant, prudente ſibi opus eſſe & celebri duce: copias Italiam ipſam ingenteis ex Lucanis, Meſſapiis, Samnitibus, atque Tarentinis ſuppeditaturam.* Heic disertè Plutarchus Lucanos, Meſſapios atque Samnitas vocat Ἰταλιώτας, Græcos verò Tarentinos ab eo vocabulo excludit. Sic & Herodianus Ligurem hominem adpellavit Ἰταλιώτην. Ἦν δὲ ὁ Περτίναξ, inquit lib. II, τὸ γένος Ἰταλιώτης. id eſt: *Erat Pertinax genere Italiôtes.* Ligurem fuiſſe, oſtendunt alii auctores. Dio Caſſius lib. LXXIII, & ex eo haud dubiè Zonaras Annal. lib. II: Ἦν δὲ ὁ Περτίναξ Λίγυς ἐξ Ἄλβας Πομπηΐας. id eſt: *Erat Pertinax Ligus ex Albâ Pompeiâ.* Hinc etiam Iul. Capitolinus, in vitâ eius: *Iuſſus eſt ſtatim à Perenne in Liguriam ſecedere, in villam paternam.* Quin jam inde antiquiſſimus rerum Italicarum ſcriptor Antiochus Syracuſanus, qui circa annum ante natum Chriſtum Iↄ vixit, primos illos Italos, qui ab Italo rege id cognominis accepêre, vocavit Ἰταλιῆτας, ut ſuprà cap. I ex Dionyſio Halicarnaſſenſi oſtenſum eſt.

Italiæ univerſæ populi Apennino diſtincti in SVPERNATES *&* INFERNATES.

Denique eiusdem Italiæ univerſos incolas, ab Alpibus ad fretum usque, Apennino monte, mediam Italiam ſecante, in duo diſtinctos fuiſſe cognomenta credo; quorum alteri verſùs mare ſuperum dicti ſint SVPERNATES; alteri ad inferum mare INFERNATES. Colligo hoc ex eo, quòd plantas ita denominatas invenio apud auctores. Plinius lib. XVI cap. XXXVI: *Romæ infernas abies ſupernati præfertur.* Vitruvius lib. II cap. VIIII: *Quæ in urbe ſupernas dicitur abies, deterior eſt, quàm quæ infernas.* Capite autem ſequenti X oſtendit, *ſupernates arbores* eſſe eas, quæ in *ulteriore Apennini curvaturâ, ad Hadriaticum mare* vergente, naſcuntur; *infernates*, quæ ad *citeriorem* montis *curvaturam*. Sed poſtquàm ſummam totius Italiæ veteris deſcriptionem abſolvimus, tempus nunc eſt, uti ad ſingulorum populorum explicationem tranſeamus.

CAPVT

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

CAPVT VII.

De LIGVRVM *nomine ac genere; item de ingenio & moribus eorum.*

PRIMA igitur Italiæ loca à Varo amne tenuêre LIGVRES; Græcis Λίγυες dicti. quidpe quum vocabulum hoc ſingulari numero eſſet Græcis Λίγυς, Latini, Græcam literam υ vertentes in ſuum *u*, fecerunt id *Ligus*. obliquus inde caſus factus eſt Græcâ formatione Λίγυος, Latinâ *Liguris*: & hinc rectus item apud Latinos *Ligur*. ſic quidpe bifariam ſcriptum legitur in Salluſtii libro de bello Iugurthino & in Ciceronis actione I in Verrem, item in oratione pro P. Sextio; & in Virgilii Aeneid. lib. XI. Poſterioris hinc etiam ſæculi auctores Græci, Latinâ magis quàm Græcâ formatione dixerunt Λίγουρες & Λίγυρες. quorum hoc, ut innumera alia vocabula, corruptum legitur apud epitomatorem Stephani Λίγυρος. At antiquis illis Græcis etiam Λιγυστῖνοι frequenter vocantur. quod Latinis quoque primùm ita uſurpatum eſt LIGVSTINI. Plinius lib. X cap. XXIIII: *Tradit Fabius Pictor in annalibus ſuis, quum obſideretur præſidium Romanum à Liguſtinis, hirundinem à pullis ad ſe allatam, ut, lino ad pedem eius alligato, nodis ſignificaret, quoto die adveniente auxilio eruptio fieri deberet.* Livius lib. XXXVIIII: *Sub hunc nuncium ex Liguſtinis vulgatum, literæ ex Hiſpaniâ miſſam gaudio triſtitiam adferentes, recitatæ ſunt.* Sed derivativum tamen hoc erat vocabulum. unde idem Livius lib. XXXIIII *Liguſtinos* dixit *monteis*; & lib. XXXV *bellum Liguſtinum.* & ipſa terra, quam Ligures incolebant, frequenter Græcis modò Λιγυστικὴ, *Liguſtica*, modò Λιγυστίνη, *Liguſtina*, adpellatur; quæ Latinis eſt LIGVRIA. quod & poſterioris ſæculi Græci fecerunt Λιγουρία. De cætero nomen id unde genti inditum, parum compertum habeo. fabulæ quidpe ſunt & nugamenta putida, quæ barbari jam ſæculi grammatici de eo adnotarunt. in quibus Paullus Diaconus Langobardicar. rer. lib. II cap. XV, *Liguria*, inquit, *à legendis, id eſt, colligendis leguminibus, quorum ſatis ferax eſt, nominatur: in qua Mediolanum eſt, & Ticinus, quæ alio nomine Papia adpellatur.* Sub poſterioribus Romanorum imperatoribus, ut ſuperiori capite dixi, quum gentium nomina provinciarumque fines in longè alienas ſæpè terras transferrentur; Luguriæ etiam nomen obtinuit maxima pars Galliæ Transpadanæ, in qua Mediolanum & Ticinum ſunt opida. ea terra quum ſit plana & leguminibus ferendis maximè apta; nomen inde Liguriæ traxiſſe, nugatus eſt prædictus Paullus Diaconus; ignarus, vel ſaltem parum memor, non heic demum id vocabuli natum eſſe. Apud Stephani epitomatorem hæc leguntur: Λίγυρες, ἔθνος προσεχὲς τοῖς Τυῤῥηνοῖς· Ἀρτεμίδωρος ἐν ἐπιτομῇ τῶν ἕνδεκα. ἀπὸ Λιγύρου ποταμοῦ. Id eſt: *Ligures, gens contermina Tuſcis; auctore Artemidoro in breviario librorum* XI: *à Liguro flumine ſic dicta.* Idem ita refert Euſtathius in ſcholiis ad Dionyſii Περιήγησιν· Οἱ μέντοι παρὰ Τυρσηνοῖς Λίγυες ἀπό τινος ποταμοῦ Λίγυος ὀνομάζονται. Hoc eſt: *At qui juxta Tuſcos incolunt Ligures, ab amne quodam Ligure nomen habent.* Amnis *Ligus* ſive *Ligurus* quum in Italiâ fuerit omnino nullus; certum eſt, nugatorium aliquem grammaticum à flumine Ligeri, quod mediam ſecat Galliam Transalpinam, dictam fuiſſe *Ligurum* gentem tradidiſſe: utique, quum altera pars Ligurum Galliæ ſolum incoluerit circa Maſſiliam; ut mox oſtendetur. Sed fabulam inſuper adfert idem Euſtathius eodem loco, quæ talis eſt: Ὅτι μετὰ τοὺς Μασσαλιώτας οἱ Λίγυες, οὓς Λιγυστίνους ὁ Λυκόφρων καλεῖ. ὀνομάζονται δὲ οὕτως ἀπὸ Λίγυος ἀνδρὸς, ὃς τὸν Ἡρακλέα ἐκώλυσεν εἰς τὰς Γηρυόνου βοῦς ἀπιόντα. ὅτε καί φασιν οἱ μῦθοι, ὡς ἐπέλιπε μὲν τὸν Ἡρακλέα πᾶν ἀμυντήριον βέλος· ὁ δὲ ηὔξατο τῷ Διῒ ἐπαμῦναι· κἀκεῖνος ἀναγαγὼν νεφέλην, λίθους ἄνωθεν ὗσεν, ἐξ ὧν καὶ τὸ λίθινον πεδίον μεταξὺ Μασσαλίας καὶ Ῥοδανοῦ. Id eſt: *Poſt Maſſilienſes ſunt Ligures; quos Liguſtinos Lycophron adpellat. Dicti autem ſunt ita à quodam viro Ligure, qui Herculi ſeſe oppoſuit ad Geryonis boves eunti. ubi, ut fabulæ narrant, quum omnia tela, quibus vim repelleret, Herculem defeciſſent; Iovem precatus eſt, uti ſeſe defenderet. itaque ille inductâ nube lapides deſuper pluit, ex quibus lapideus campus exſtitit, qui eſt inter Maſſiliam atque Rhodanum.* Albionem atque Bergionem vocant alii auctores, Neptuni filios, qui hoc loco Herculi ſeſe oppoſuerint. Vnum Pomponium Melam heic citaſſe, ſatis fuerit. Is igitur lib. II cap. V, *Inter Maſſiliam*, inquit, & *Rhodanum Maritima*


LIGVRES *unde dicti.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Avaticorum, ſtagno adſidet. Foſſa Mariana partem eius amnis navigabili alveo effundit. alioquin litus ignobile eſt, Lapideum, ut vocant: in quo Herculem, contra Albionem & Bergiona, Neptuni liberos, dimicantem, quum tela defeciſſent, ab invocato Iove adjutum imbre lapidum ferunt. Credas pluiſſe; adeò multi paſſim & latè jacent. Iſacius tamen Tzetza, in commentariis ad Lycophronem, Albionis fratrem facit prædictum *Ligurem*. Ὁ δὲ Λιγυστικὸν κλῖμα, inquit, ἐκλήθη ἀπὸ Λίγυος, τοῦ Ἀλεβίωνος ἀδελφοῦ· ὃ, κωλύων Ἡρακλῆ ἐπὶ τὰς Γηρυόνου βοῦς ἐλθεῖν, ἀνῃρέθη. Id eſt: *Liguſtica regio dicta eſt à Ligure, Alebionis fratre: qui quum Herculi ad Geryonis boves proficiſcenti ſeſe opponeret, interfectus eſt.* Sed huius fabulæ primum auctorem fuiſſe Aeſchylum poëtam, patet ex lib. IIII Strabonis; ubi etiam ipſa poëtæ verba introducuntur; exploduntúrque à Poſidonio. Ligurum gentem multo antiquiorem exiſtimaſſe alios auctores antiquiſſimos Herculeis temporibus, qui x annis ante bellum Troianum exſtinctus dicitur, mox infrà patebit. Cæterùm Plutarchus in C. Mario bellum Cimbricum commemorans, ita tradit: οἱ δὲ κρούοντες ῥυθμῷ τὰ ὅπλα καὶ συναλλόμενοι πάντες ἅμα τὴν αὑτῶν ἐφθέγγοντο πολλάκις προσηγορίαν Ἄμβρωνες· εἴτε ἀνακαλούμενοι σφᾶς αὐτοὺς, εἴτε τοὺς πολεμίους τῇ προδηλώσει προεκφοβοῦντες. τῶν δὲ Ἰταλικῶν πρῶτοι καταβαίνοντες ἐπ' αὐτοὺς Λίγυες, ὡς ἤκουσαν βοώντων, καὶ συνῆκαν, ἀντεφώνουν καὶ αὐτοὶ, τὴν πάτριον ἐπίκλησιν αὑτῶν εἶναι· σφᾶς γὰρ αὐτοὺς οὕτως ὀνομάζουσι κατὰ γένος Λίγυες. Hoc eſt: *Illi, concrepantes ad numerum armis, & ſimul cuncti tripudiantes; ſive, quò ſeſe mutuò cohortarentur; ſive, ut hoſteis nominis denunciatione conterrerent; nomen ſuum intonabant identidem Ambrones. Primi ex Italicis, qui moverunt in eos, Ligures, ut clamorem acceperunt intellexeruntque; vetus id ſuum cognomen, ex adverſo clamaverunt, eſſe. ita enim ſe ipſi Ligures totius gentis vocabulo nominant.* Verum genuinumque gentis Liguſticæ nomen ſi fuit AMBRONES; miror ego, unde & à quibus mortalibus *Ligurum* vocabulum iis inditum. quidpe *Ambrones* iſti, de quibus narrat Plutarchus, Helvetica fuêre natio, unà cum Tigurinis atque Tugenis in bellum Cimbricum domo profecti; ut docui Germaniæ lib. II cap. IIII. Porrò apud Virgilium Aeneid. lib. x hi leguntur verſus:

Ligurum nomen AMBRONES.

Cygnus fabuloſus Ligurum auctor & origo.

Non ego te, Ligurum ductor, fortiſſime bello,
Tranſierim, Cygne, & paucis comitate Cupavo:
Cuius olorinæ ſurgunt de vertice pennæ;
Crimen amor veſtrum, formæque inſigne paternæ.
Namque ferunt, luctu Cygnum Phaëthontis amati,
Populeas inter frondeis umbramque ſororum
Dum canit & mœſtum muſâ ſolatur amorem,
Canentem molli plumâ duxiſſe ſenectam,
Linquentem terras & ſidera voce ſequentem.

Eamdem fabulam Ovidius quoque refert Μεταμορφώσεων lib. II; ubi poſtquàm de Phaëthontis caſu ſororibusque eius in arbores converſis narravit, ita porrò pergit:

Adfuit huic monſtro proles Stheneleïa Cygnus.
Qui, tibi materno quamvìs à ſangvine junctus,
Mente tamen Phaëthon propior fuit. Ille, relicto
(Nam Ligurum populos & magnas rexerat urbeis)
Imperio, ripas virides amnemque querelis
Eridanum implerat, ſilvamque ſororibus auctam,
Quum vox eſt tenuata viro: canæque capillos
Diſſimulant plumæ; collumque à pectore longè
Porrigitur; digitosque ligat junctura rubenteis:
Penna latus velat; tenet os ſine acumine roſtrum,
Fit nova Cygnus avis: nec ſe cæloque Iovique
Credit; ut injuſtè miſſi memor ignis ab illo.
Stagna petit, patulosque lacus: ignemque peroſus,
Quæ colat, elegit contraria flumina flammis.

Eamdem item fabulam ſic narrat Hyginus Μυθολογικῶν cap. CLIIII: *Phaëthon, Clymeni, Solis filii, & Meropes nymphæ filius, quam Oceanitidem accepimus, quum indicio patris avum Solem cognoviſſet, impetratis curribus malè uſus eſt. nam quum eſſet propiùs terram vectus, vicino igni omnia conflagrarunt: & fulmine ictus, in flumen Padum cecidit. Hic amnis à Græcis Eridanus dicitur. Sorores autem Phaëthontis, dum interitum deflent fratris, in*

arbores

arbores ſunt populos verſæ. Harum lacrymæ, ut Heſiodus indicat, in electrum ſunt duratæ. Cygnus autem, rex Liguriæ, qui fuit Phaëthonti propinquus, dum deflet propinquum, in cygnum converſus eſt. is quoque moriens flebile canit. At anteà, cap. CLII, *Phaëthontem Solis & Clymenes facit filium;* qui *patris currum conſcenderit;* ut Ovidius etiam atque Servius. Huius verba ad ſuprà ſcriptum Virgilii locum ſunt iſta: *Phaëthon, Clymenes & Solis filius. qui quum doleret, objectum ſibi ab Epapho, rege Aegypti, quòd eſſet non de Sole, ſed de adulterio procreatus; duce matre venit ad Solem, & popoſcit, ut, ſi verè eſſet eius filius, petita præſtaret. quod quum Sol juraſſet per Stygiam paludem ſe eſſe facturum; petit ille, ut eius currus agitaret. Sol poſt jusjurandum negare non potuit. Acceptis itaque curribus Phaëthon, quum exiſſet orbitam Solis, & cœpiſſet mundus ardere; à Iove fulminatus in Eridanum cecidit; qui Padus vocatur. Huius interitum flentes ſorores Phaëthuſa & Lampetia, in arbores mutatæ ſunt deorum miſeratione. Fuit etiam quidam Ligus, Cygnus nomine, dulcedine cantus ab Apolline donatus; amator Phaëthontis. qui quum eum defleret exſtinctum, longo luctu in avem ſuo nominis verſus eſt. qui poſteà ab Apolline inter ſidera conlocatus eſt.* Vna eádemque hæc eſt fabula; ex duobus tantùm diverſis auctoribus collecta. Pauſanias in Atticis paullo ſimpliciùs eamdem refert his verbis: Ἔστι δὲ κύκνῳ τῷ ὄρνιθι μουσικῆς δόξα ὅτι Λιγύων, τῶν Ἠριδανοῦ πέραν ὑπὲρ γῆς τῆς Κελτικῆς, Κύκνον ἄνδρα μουσικὸν γενέσθαι βασιλέα, φασί· τελευτήσαντα δὲ Ἀπόλλωνος γνώμῃ μεταβαλεῖν λέγουσιν αὐτὸν ἐς τὸν ὄρνιθα. Hoc eſt: *Cygnum canoram maximè avem eſſe, vulgò creditur. namque Cygnum, Ligurum in Galliâ Transpadanâ regem, muſicæ laude clarum fuiſſe memorant: eumque, quum deceſſiſſet, ab Apolline in ſui nominis avem mutatum.* Auctor iſte Græcus, circa exitum Hadriani imperatoris monimenta ſua componens, ſuæ tempeſtatis Liguriam illam trans Padum ſitam malè heic nominavit; quum antiqua illa Liguria cis Padum fuerit. Verùm factum hoc fortaſſis ab ipſo, quò fabulam hanc de Cygno aptiùs fabulæ de Phaëthontis caſu accommodaret. quidpe huius ſorores tam prope mare Hadriaticum habitaſſe fabulati ſunt priſci illi mortales, uti etiam Electridas inſulas, in quibus lectum ſit electrum, ante Padi oſtia finxerint; ut ſuo loco infrà, in huius amnis deſcriptione, oſtendam. Ligurum ſanè antiquiſſimos fineis citra Padum poſuerunt omnes pariter antiqui ſcriptores; niſi quòd in Alpeis usque, ut mox videbimus, quidam eos produxerint. illos autem ultra Padum agros, in quibus poſteà Ticinum, Mediolanum, Brixiam, atque Bergomum Galli condiderant, vetuſtiſſimam atque primam fuiſſe ſedem Tuſcorum, antiquiſſimæ Italiæ gentis, infrà in horum deſcriptione patebit. Verùm poëtico figmento de Cygno rege occaſionem atque materiem præbuit ingens copia cygnorum, qui inter Ravennam & Ferrariam in hoc amne conſpiciebantur. unde illud Virgilii Aeneid. lib. XI:

Haud ſecus atque alto in luco quum fortè catervæ
Conſedère avium; piſcoſove amne Paduſæ
Dant ſonitum rauci per ſtagna loquacia cygni.

Et item iſtud Claudiani in epithalamio Palladii & Celerinæ:

Eridani ripas & raucæ ſtagna Paduſæ
Diffugiens nudavit olor.

Cæterò apud Virgilium eodem lib. XI poſteà leguntur iſta:

Incidit huic, ſubitoque adſpectu territus hæſit,
Apenninicolæ bellator filius Auni,
Haud Ligurum extremus.

Virgilium heic, ut ſemper alibi, imitatus Silius, ita canit lib. V:

Quæ vada Faunigenæ regnata antiquitus Auno,
Nunc volvente die Traſumeni nomina ſervant.
Lydius huic genitor, Tmoli decus, æquore longè
Mæoniam quondam in Latias advexerat oras
Tyrrhenus pubem; dederatque vocabula terris.

Ligures intellexit haud dubiè Virgilius eos, qui intra Varum amnem, Italiæ terminum, ab utroque Apennini montis latere incoluerunt: hinc ad mare inferum, illinc ad Padum usque amnem. at Silius, Ligurum olim fineis ad Traſumenum lacum ac Tiberim amnem, adeóque in Latium usque extenſos fuiſſe, haud obſcurè innuit, dum Aunum, Ligurum regem, circa Traſumenum regnaſſe, eumque Fauni filium, tradit. nam Faunum, Pici filium, Saturni nepotem, Aboriginum in Latio fuiſſe regem, ſuprà

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

cap. I oſtenſum eſt. Sed hæc poëticis ſimilia ſunt fabulis: utique, quum Virgilius Auni filium Aeneæ rebus inferat; Silius verò Aunum antiquiorem faciat Tyrrheno; qui Tyrrhenorum, id eſt, Tuſcorum gentem ex Lydiâ in Italiam deduxiſſe traditur ante bellum Troianum; ut ſuo loco oſtendam. Verùm tamen ex aliquo antiquarum rerum ſcriptore hæc hauſiſſe prædictos poëtas, facilè crediderim; quando de Siculis, antiquiſſimis Latii incolis, iſta lego apud Dionyſium Halicarnaſſenſem antiquitatum Romanar. lib. I: Ὡς δὲ Φίλιστος ὁ Συρακούσιος ἔγραψε, χρόνος μὲν τῆς διαβάσεως ἦν ἔτος ὀγδοηκοστὸν πρὸ τοῦ Τρωϊκοῦ πολέμου. ἔθνος δὲ τὸ κομισθὲν ἐξ Ἰταλίας οὔτε Σικελῶν οὔτε Αὐσόνων, ἀλλὰ Λιγύων, ἄγοντος αὐτοὺς Σικελοῦ. τοῦτον δ' εἶναί φησιν υἱὸν Ἰταλοῦ, καὶ τοὺς ἀνθρώπους ἐπὶ τούτου δυναστεύοντος ὀνομασθῆναι Σικελούς. ἐξαναστῆναι δὲ ἐκ τῆς ἑαυτῶν τοὺς Λίγυας ὑπό τε Ὀμβρικῶν καὶ Πελασγῶν. Id eſt: *Philiſtus autem Syracuſanus ſcribit, trajeciſſe eos in inſulam anno LXXX ante bellum Troianum. gentem verò transvectam ex Italiâ nec Siculos nec Auſonas fuiſſe; verùm Ligures, duce Siculo. hunc, Itali filium, impoſuiſſe nomen ſuum ſubditis. Ligures autem è ſuis agris pulſos fuiſſe Vmbrorum Pelaſgorumque injuriis.* Ejectos fuiſſe ex antiquâ illâ Italiâ, ſive ex Latio Siculos ab Aboriginibus, ſuprà cap. I ex pluribus patuit documentis veterumque auctorum teſtimoniis; pleniúſque infrà in Latii deſcriptione patebit. Quapropter contrarium iſti Philiſti opinioni tradiderunt ſcriptores, de quibus ita ſcribit Dionyſius eodem libro anteà: Ἄλλοι δὲ Λιγύων ἀποίκους μυθολογοῦσιν τοὺς Ἀβοριγῖνας γενέσθαι, τῶν ὁμορούντων Ὀμβρικοῖς. οἱ γὰρ Λίγυες οἰκοῦσι μὲν καὶ τῆς Ἰταλίας πολλαχῆ, νέμονται δέ τινα καὶ τῆς Κελτικῆς. ὁπότερα δ' αὐτοῖς ἐστὶ γῆ πατρὶς, ἄδηλον· οὐδὲ γὰρ ἔτι λέγεται περὶ αὐτῶν περαιτέρω σαφὲς οὐδέν. Id eſt: *Alii Ligurum colonos fuiſſe Aborigines fabulantur, Vmbris confinium. quidpe Ligures & Italiæ quasdam parteis habitant & Galliæ; incertum, ab utrâ profecti patriâ. nam hactenus nihil comperti de origine eius gentis proditum eſt.* Nemo equidem veterum auctorum, quorum monumenta exſtant, Gallicam eos eſſe gentem adfirmavit: & Strabo diſertè negat, his verbis lib. II; de Alpibus loquens: Ἔθνη δὲ κατέχει πολλὰ τὸ ὄρος τοῦτο Κελτικὰ, πλὴν τῶν Λιγύων. οὗτοι δ' ἑτεροεθνεῖς μέν εἰσι, παραπλήσιοι δὲ τοῖς βίοις. Id eſt: *Mons iſte, præter Ligures, multas continet Celticas nationes. Ligures, quamquàm alius ſint gentis, vitæ tamen utuntur eâdem ratione.* Reliqui etiam auctores tamquàm diverſam atque diſcretam à Gallis gentem referunt. Ad Rhodanum usque pertinuiſſe fluvium in Galliâ, complures antiquiſſimi adnotarunt ſcriptores. Scylax in Περίπλῳ· Ἀπὸ δὲ Ἰβήρων ἔχονται Λίγυες καὶ Ἴβηρες μιγάδες, μέχρι ποταμοῦ Ῥοδανοῦ. ἀπὸ Ῥοδανοῦ ποταμοῦ ἔχονται Λίγυες μέχρι Ἄρνου. ἐν ταύτῃ τῇ χώρᾳ πόλις ἐστὶν Ἑλληνὶς Μασσαλία. Id eſt: *Hiſpanis continuantur Ligures Hiſpanis permixti, ad Rhodanum usque amnem. Ab Rhodano Ligures ſequuntur usque ad Arnum. In hac regione urbs eſt Græca Maſſilia.* Marcianus Heracleenſis in Περιηγήσει·

Ligurum quæ vera origo.

Οἱ Μασσαλίαν κτίσαντες ἔχον Φωκαεῖς
Ἀγάθην, Ῥοδανουσίαν τε, Ῥοδανὸς ἣν μέγας
Ποταμὸς παραρρεῖ. Μασσαλία δ' ἔστ' ἐχομένη
Πόλις μεγίστη, Φωκαῶν ἀποικία.
Ἐν τῇ Λιγυστινῇ δὲ ταύτην ἔκτισαν.

Hoc eſt:

Maſſiliam qui condiderunt Phocæenſes, habuerunt
Agatham & Rhodanuſiam; Rhodanus quam magnus
Fluvius præterfuit. Maſſilia hinc ſequitur
Vrbs maxima, Phocæenſium colonia,
Quam in Liguriâ condiderunt.

Et Marciano longè antiquior Herodotus lib. V: Σιγύνας δ' ὦν καλέουσι Λίγυες οἱ ἄνω ὑπὲρ Μασσαλίης οἰκέοντες τοὺς καπήλους. id eſt: *Qui ſupra Maſſiliam incolunt Ligures, ſigynas adpellant inſtitores.* Hinc item pugna illa Herculis cum Liguribus loco inter Maſſiliam ac Rhodanum adſcribitur. At heic *Salyes* ſive *Salyi* incoluêre populi; in quibus urbs *Aquæ Sextiæ*, quæ nunc vulgò dicitur *Aix*, olim condita fuit. Plinius lib. III cap. IIII: *Aquæ Sextiæ Salyorum.* Strabo lib. IIII: Σέξτιος οὖν, ὁ καταλύσας τοὺς Σάλυας, οὐ πολὺ ἄπωθεν τῆς Μασσαλίας κτίσας πόλιν ὁμώνυμον ἑαυτοῦ τε καὶ ὑδάτων τῶν θερμῶν, ἐνταῦθά τε φρουρὰν κατῴκισε Ῥωμαίων, καὶ ἐκ τῆς παραλίας, τῆς εἰς τὴν Ἰταλίαν ἀγούσης ἀπὸ Μασσαλίας, ἀνέστελλε τοὺς βαρβάρους, οὐ δυναμένων τῶν Μασσαλιωτῶν ἀνείργειν αὐτοὺς τελέως. Id eſt: *Itaque Sextius, is qui Salyes ſubegit, urbem haud procul Maſſiliâ ſibi atque aquis calidis, quæ ibi*

ſunt, cognominem condidit; impoſitoque Romano præſidio, barbaros ab orâ, quæ à Maſſiliâ in Italiam ducit, rejecit; quum prorſus eos reprimere Maſſilienſes non potuiſſent. Et eodem libro poſteà: Οἱ μὲν οὖν Οὐόλκαι γειτνιῶσι τῷ ποταμῷ τῷ Ῥοδανῷ, τοὺς Σάλυας ἔχοντες ἀντιπαροικοῦντας αὐτοῖς ἐν τῇ περαίᾳ καὶ τοὺς Καουάρους. hoc eſt: *Volcæ Rhodano contermini ſunt; oppoſitos habentes in adverſâ ripâ Salyes & Cavaros.* Verùm hoſce *Salyes* alii Liguſtici fecêre generis, alii Gallici. Apud epitomatorem quidem Livii in pleriſque exemplaribus ita legitur lib. XLVI: *C. Sulpicius Gallos Ligures ſubegit.* At rectiùs heic ex antiquis quibuſdam exemplaribus Sigonius reſtituit, *C. Sulpicius Gallus Ligures ſubegit.* eo namque cognomento conſul fuit cum M. Claudio Marcello anno Vrbis IↃLXXXV; quo ea geſta ſunt. Rurſus apud eumdem Livii breviatorem lib. LX ſcriptum eſt: *M. Fulvius Flaccus primus omnium Tranſalpinos Ligures bello domuit; miſſus in auxilium Maſſilienſibus adversùs Salvios Gallos, qui populabantur fineis Maſſilienſium.* Suſpicabar equidem, legendum eſſe; *Tranſalpinos Gallos bello domuit:* &c; *adversùs Salvios Ligures.* quidpe uno & triginta annis antè Q. Opimius conſul *Deceates* atque *Oxybios Tranſalpinos Ligures* ſubegerat; teſte Polybio in Excerptis legationum; & item ipſo Livii abbreviatore lib. XLVII; cuius verba hæc ſunt: *Q. Opimius conſul Ligures, qui Maſſilienſium opida Antipolin & Nicæam vaſtabant, ſubegit.* Verùm ipſe Livius *Salvios* ab *Liguribus* diſtinxiſſe videtur lib. XXI, in his verbis: *Præter oram Etruriæ Ligurumque & inde Salyum mox, pérvenit Maſſiliam; & ad proximum oſtium Rhodani caſtra locat.* Sed heic fortè Salyes non tam à Ligurum genere ſeparare voluit, quàm ab Italiæ populis. poſteà certè lib. XXXI inter Ligures eos connumerat. *Inſubres*, inquit, *Cenomanique & Boii, excitis Sallyis Ilvatibusque & cæteris Liguſticis populis, Placentiam invaſerant.* Sed heic legendum potiùs eſſe, *excitis Statyellis Veliatibusque*, infrà cap. X oſtendam. Quapropter omnino probanda eſt illa vulgata ſcriptio in epitomâ libri LX. Et Fulvium proximos trans Varum & Alpeis debellaſſe Ligures *Deceates Oxubioſque*, auctor eſt Florus lib. II cap. III. *Ligures*, inquit, *maior aliquanto labor erat invenire, quàm vincere. Quum diu multumque eluderent Salyi, Deceates, Oxybii, Euburiates, Ingauni; tandem Fulvius latebras eorum ignibus ſepſit.* Hic tamen diſertè *Salyos* adpellat *Ligures*; ut & Iul. Obſequens, in libro de Prodigiis; & item Plinius lib. III cap. V, his verbis: *Ligurum celeberrimi ultra Alpeis, Sallyi, Deceates, Oxybii.* At contrà Strabo dicto lib. IIII à Ligurum nomine, ut Livius, eos excludit. Τὴν δὲ παραλίαν, inquit, ἔχουσιν οἵ τε Μασσαλιῶται καὶ οἱ Σάλυες μέχρι Λιγύων, ἐπὶ τὰ πρὸς Ἰταλίαν μέρη καὶ τὸν Οὔαρον ποταμόν. Id eſt: *Oram maritimam Maſſilienſes tenent & Salyes usque ad Ligures & Italiam Varumque flumen.* Et haud multo pòſt: Καὶ πόλεις ἔκτισαν οἱ Μασσαλιῶται, ἐπιτειχίσματα, τὴν μὲν Ῥόδην καὶ Ἀγάθην τοῖς περὶ τὸν ποταμὸν οἰκοῦσι τὸν Ῥοδανὸν βαρβάροις· τὸ δὲ Ταυροέντιον καὶ τὴν Ὀλβίαν καὶ Ἀντίπολιν καὶ Νίκαιαν τῷ τῶν Σαλύων ἔθνει καὶ τοῖς τὰς Ἄλπεις οἰκοῦσιν. Id eſt: *Opida quoque condiderunt Maſſilienſes, quibus pro munitionibus uterentur; Rhoden ſcilicet & Agatham contra Rhodanum adcolenteis barbaros; Tauroentium verò & Olbiam atque Antipolim Nicæamque adversùs Salyum gentem & Ligures Alpeis incolenteis.* Ac iterum aliquanto pòſt, de eâdem orâ inter Rhodanum ac Varum amneis ſitâ loquens: Κατέχουσι δὲ τὰ μὲν πρῶτα Σάλυες, τὰ δὲ τελευταῖα, πρὸς τὴν Ἰταλίαν συνάπτοντες Λίγυες. Id eſt: *Huius primam partem habent Salyes, ultimam Ligures; Italiæ contermini.* Et eodem libro poſteà, in Alpium deſcriptione: Καλοῦσι δὲ τοὺς Σάλυας οἱ μὲν παλαιοὶ τῶν Ἑλλήνων Λίγυας, καὶ τὴν χώραν, ἣν ἔχουσιν οἱ Μασσαλιῶται, Λιγυστικήν· οἱ δ᾽ ὕστερον Κελτολίγυας ὀνομάζουσι. Πρώτους δ᾽ ἐχειρώσαντο Ῥωμαῖοι τούτους τῶν Ὑπεραλπείων Κελτῶν, πολὺν χρόνον πολεμήσαντες καὶ τούτοις καὶ τοῖς Λίγυσιν. Hoc eſt: *Salyes priſci Græci Ligures vocarunt, regionemque, quam tenent Maſſilienſes, Liguſticam. poſteriores Galloligures dixerunt. Primos omnium Tranſalpinorum hos domuerunt Romani; geſto contra eos & Ligures diuturno bello.* Heic ſanè quàm diſertiſſimè *Gallos* adpellat *Salyes*. Vnde ego daud dubio argumento colligo, *Celtici* ſaltem fuiſſe generis, unà cum reliquis Alpinis populis, ſimulque cum Illyriis, Germanis, Gallis, Hiſpanis, atque Britannis: quos unius eiusdemque fuiſſe gentis, & unum idemque habuiſſe lingvæ genus, dialectis tantùm variis diſtinctum, innumeris pænè oſtendi documentis Germaniæ lib. I, & item in libro de Vindeliciâ ac Norico. Quum igitur *Salyes Galli* ſive *Celtæ* tam ſimiles fuerint ſermone moribusque ac cultu Liguribus, uti à pleriſque auctoribus, primùm Græcis, dein etiam Romanis, eiusdem gentis populi habiti ſint; ſanè liquidiſſimo hinc patet argumento, ipſos etiam in Italiâ Ligures non Italici ſed Celtici fuiſſe generis. Hinc in fragmentis faſtorum

trium-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

triumphalium, quæ Romæ in Capitolio adſervantur, non tantùm prædicti *Salyi*, ſive, ut illic ſcribuntur, *Salluvii*, ſed & Vocontii & Allobroges vocantur Ligures: quos tamen omnes auctores antiqui pro Gallicis habent nationibus. Hinc *Taurinos*, quorum caput *Auguſta Taurinorum* hodiéque vocatur vulgò *Turino*, auctores Liguſticam alii dixerunt eſſe gentem, alii Gallicam; ut poſteà in eorum expoſitione oſtendam. Hinc *Lævos* item, trans Padum circa Ticinum incolenteis, Livius atque Plinius fecêre Ligures, Pollybius verò Gallos; ut ſuo loco monſtrabitur. &, quod maximè notandum eſt; *Libicios à Sallyis* eſſe *ortos*, tradit Plinius lib. III cap. XVII; ſimulque Livius lib. V; uterque pro Gallis eos unà cum Polybio agnoſcens. nihilo minùs Plinius ſuprà dicto libri III capite V Sallyos pro Liguribus habet. Sed & *Caturiges*, Alpinum populum, inter Ligures numerat hic auctor, dicto lib. III cap. XX his verbis: *Sunt prætereà Latio donati incolæ, ut Octodurenſes, & finitimi Centrones, Cottianæ civitates, Caturiges, & ex Caturigibus orti Vagienni Ligures; & qui Montani adpellantur*. Cottii regnum etiam Strabo inter Ligurum genteis recenſet dicto lib. IIII, in deſcriptione Alpium. Ἐπὶ δὲ θάτερα μέρη, inquit, τὰ πρὸς τὴν Ἰταλίαν κεκλιμένα, τῆς λεχθείσης ὀρεινῆς Ταυρῖνοί τε οἰκοῦσι Λιγυστικὸν ἔθνος, καὶ ἄλλοι Λίγυες. τούτων δ' ἐστὶ καὶ ἡ τῶν Ἰδεόννου λεγομένη γῆ, καὶ ἡ τοῦ Κοττίου. Id eſt: *Alterum autem montium latus, Italiæ obverſum, Taurini colunt, Liguſtica gens, aliique Ligures. horum quoque eſt, quæ Ideonni dicitur terra, & item quæ Cottii.* Cottiæ terræ vicos facit Strabo eodem libro anteà *Brigantium* & *Scincomagum*: quæ loca nunc vocantur *Briançon* & *Seſaña*. Caturigum opidum recenſet Ptolemæus *Eborodunum*; quod nunc eſt *Embrun*. Duo itineraria antiqua, Antonini & Hieroſolymitanum, eodem tractu habent *Caturigas* locum; qui Tabulæ itinerariæ eſt *Catorigomagus*: prope quem in eâdem Tabulâ alius locus dicitur *Ictodurum*. At *dunum, magus, durum, briga, brigantium*, Celtica eſſe vocabula, Germaniæ lib. I cap. VII docui. Veragros autem, quorum fuit *Octodurum*, Plinio præſcripto loco memoratum, Livius lib. V adpellat *Semigermanos*; ut Germaniæ lib. I cap. XXVI oſtendi. Eosdem Livii breviator lib. XXI *Montanos* vocat *Gallos*, in his verbis: *Hannibal, ſuperato Pyrenæo ſaltu, per Gallias, fuſis Volcis, qui obſiſtere ei conati erant, ad Alpeis venit: & laborioſo per eos tranſitu, quum montanos quoque Gallos obvios aliquot prœliis repulißet, deſcendit in Italiam*. De eâdem re ita ipſe Livius dicto lib. XXI: *Hannibal quum ab Druentiâ campeſtri maximè itinere cum bonâ pace ad Alpeis incolentium ea loca Gallorum perveniſſet, conſiſtere ſigna jubet: Galliſque ad viſenda loca præmiſſis, poſtquàm comperit, tranſitum eà non eſſe; caſtra inter confragoſa omnia præruptaque, quàm extentiſſimâ poteſt valle, locat. tum per eosdem Gallos, haud ſanè multum linguâ moribusque abhorrenteis, quum ſe immiſcuiſſent colloquiis montanorum, edoctus, interdiu tantùm obſideri ſaltum; nocte in ſua quemque dilabi tecta: luce primâ ſubiit tumulos*. His inſuper adde, quæ Plinius tradit eodem lib. III cap XVI his verbis de Pado: *Metrodorus Scepſius dicit, Ligurum linguâ amnem Bodincum vocari: quod ſignificet fundo carentem. cui argumento adeſt opidum juxtà Induſtria, vetuſto nomine Bodincomagum; ubi præcipua altitudo incipit*. Et Polybius lib. II: Παρὰ δὲ τοῖς ἐγχωρίοις ὁ ποταμὸς προσαγορεύεται Βόδεγκος· id eſt: *Incolis amnis Bodencus adpellatur*. Certè hodiéque omnibus pariter Germanicis gentibus *fundus* vocatur *bodem*, & *boddem*. Quàm planiſſimè igitur ex his etiam argumentis liquet, Celticam fuiſſe gentem Ligures. Sed nec illud negligendum cenſeo, quod Servius ad Virgilii Aeneid. lib. X, ubi de origine urbis Piſarum agit, adfert huiusmodi: *Alii Piſum, Celtarum regem fuiſſe Apollinis Hyperborei filium, & cum Samnitibus bellum geſtaſſe; à quorum reginâ, quæ poſt conjugis mortem imperio ſucceſſerat, receptum in Etruriâ opidum ſuo nomine condidiſſe. Cato Originum,* [deeſt liber Originum, quoto id ſcriptum fuit] *qui Piſas tenuerunt ante adventum Etruſcorum, negat ſibi compertum: ſed inveniri, Tarchontem, Tyrrheno oriundum, Piſas condidiſſe; quum antè regionem eamdem Teutones quidam, Græcè loquentes, poſſederint. Alii, ubi modò Piſæ ſunt, Phocida opidum fuiſſe aiunt. quod nobis indicio eſt, à Peloponneſo originem id opidum trahere. Alii incolas eius opidi Teutas fuiſſe; & ipſum opidum Teutam nominatum: quod poſteà Piſas Lydi linguâ ſuâ Lunarem portum ſignificare dixerunt. quare huic urbi à portu Lunæ nomen impoſitum*. Hæc verba licet mirum in modum ſint vitiata, conturbata, ac mutilata; tamen iſta *Celtarum*, *Teutonum*, *Teutarumque* vocabula genus Ligurum apertè ac manifeſtè indicant. quidpe ad Arnum usque flumen & urbem Piſas olim pertinuiſſe Ligures, mox infrà patebit. in Germaniæ verò lib. I cap. VIIII & XXVI infinitis oſtendi documentis, ſummum illum

LIGVRES gens Celtica.

verum atque æternum Deum, rerum cunctarum conditorem moderatoremque, ſub Mercurii, quem præ cæteris diis ſuis maximè colebant, numine, apud Aegyptios, Arabas, Abiſſinos, & in Europâ apud Celticas genteis, Germanos, Gallos, atque Hiſpanos, nomen habuiſſe *Theuth:* ex quo etiam Græci ſua Θεὸς, Ζεὺς, Δεὺς, Δὶς, & alia, & hinc item Latini ſuum *Deus* formaverunt. ab eoque *Dite*, ſive *Theutho*, ſeu *Teutone*, ſive, ut apud Gallos atque Hiſpanos id fuiſſe referunt Livius ac Lucanus, *Teutate*, Germanos ſimul atque Gallos ſeſe ortos prædicaſſe: nomenque ſibi Germanos inde antiquiſſimum illud *Theuthiſcorum*, quod ad hæc usque tempora durat, derivaſſe. Heic igitur hoc Servii loco cum reliquis argumentis collato, auſim adfirmare, non tantùm Garmanos trans Rhenum ac Danubium, ſed omneis pariter Celticas genteis, Britannos, Hiſpanos, Gallos, Illyrios, atque Ligures, commune uſurpaſſe *Teutiſcorum* nomen ab initio; utique, quum & lingvam unam eamdemque Teutiſcam omneis prædictas genteis habuiſſe, innumeris documentis Germaniæ lib. I demonſtraverim. Sed de Ligurum genere dicta hæc ſufficiant.

TEVTISCI *olim adpellati omnes Celtici populi, id eſt,* Hiſpani, Galli, Britanni, Germani, Illyrii, *& in his* Ligures.

Ligurum ingenium ac mores.

De ingenio ac moribus eorum ita tradit Diodorus Siculus lib. IIII: Ὁ δὲ Ἡρακλῆς, διελθὼν τὰς Ἄλπεις, καὶ τῆς νῦν καλουμένης Γαλατίας τὴν πεδιάδα διεξιών, ἐποιήσατο τὴν πορείαν διὰ τῆς Λιγυστικῆς. οἱ δὲ ταύτην τὴν χώραν κατοικοῦντες Λίγυες νέμονται γῆν τραχεῖαν καὶ παντελῶς λυπράν· τῶν δ' ἐγχωρίων ταῖς ἐργασίαις καὶ ταῖς τῆς κακοπαθείας ὑπερβολαῖς φέρει καρποὺς πρὸς βίαν ὀλίγους. διὸ καὶ τοῖς ὄγκοις εἰσὶ συνεσταλμένοι, καὶ διὰ τὴν συνεχῆ γυμνασίαν εὔτονοι. τῆς γὰρ κατὰ τὴν τρυφὴν ῥᾳστώνης πολὺ κεχωρισμένοι, ἐλαφροὶ μὲν ταῖς εὐκινησίαις εἰσίν, ἐν δὲ τοῖς πολεμικοῖς ἀγῶσι ταῖς ἀλκαῖς διάφοροι. καθόλου δὲ τῶν πλησιοχώρων τὸ πονεῖν συνεχῶς ἠσκηκότων, καὶ τῆς χώρας πολλῆς ἐργασίας προσδεομένης, εἰθίκασι τὰς γυναῖκας τῶν κακοπαθειῶν τῶν ἐν ταῖς ἐργασίαις κοινωνοὺς ποιεῖσθαι. Μισθοῦ δὲ ἀλλήλοις ἐργαζομένων τῶν τε ἀνδρῶν καὶ τῶν γυναικῶν, ἴδιόν τι καὶ παράδοξον καθ' ἡμᾶς συνέβη περὶ μίαν γυναῖκα γενέσθαι. ἔγκυος γὰρ οὖσα, καὶ μετὰ τῶν ἀνδρῶν ἐργαζομένη μισθοῦ, μεταξὺ συνεχομένη ταῖς ὠδῖσιν, ἀπῆλθεν εἴς τινας θάμνους ἀθορύβως· εἰς οὓς τεκοῦσα, καὶ τὸ παιδίον φύλλοις ἐγκαλύψασα, τοῦτο μὲν εἴς τινας θάμνους ἀπέκρυψεν, αὐτὴ δὲ συμμίξασα τοῖς ἐργαζομένοις, τὴν αὐτὴν ἐκείνοις ὑπέμενε κακοπάθειαν, οὐδὲν δηλώσασα περὶ τοῦ συμβεβηκότος. τοῦ δὲ βρέφους κλαυθμυριζομένου, καὶ τῆς πράξεως φανερᾶς γενομένης, ὁ μὲν ἐφεστηκὼς οὐδαμῶς ἠδύνατο πεῖσαι παύσασθαι τῶν ἔργων· ἡ δ' οὐ πρότερον ἀπέστη τῆς κακοπαθείας, ἕως ὁ μισθωσάμενος ἐλεήσας, καὶ τὸν μισθὸν ἀποδοὺς, ἀπέλυσε τῶν ἔργων. Hoc eſt: *Hercules, Alpeis egreſſus, per Galliam, ut nunc vocatur, itinere continuato, in Liguriam pervênit. Ligures autem ſolum colunt aſperum ac planè jejunum. quod tamen, laborum & moleſtiarum adſiduitate ac pertinaciâ veluti coactum, fruges, ſed raras, producit. Ideò adſtrictis ac macilentis ſunt corporibus: ſed per continuas exercitationes benè compactis & nervoſis. procul enim à luxu & otio vitam agunt. & propterea expeditâ ſunt mobilitate, congreſſibusque bellicis egregiè fortes. Quumque perpetuis laboribus, agro multum operis flagitante, exerceantur; feminas etiam in laborum communionem adſciſcere illis mos eſt. Quapropter quum mercede mulieres ſimul ac viri operam elocent; res quædam mira & noſtratibus inſolens mulieri cuidam evênit. Prægnans dum opus inter viros mercenarium facit, partus doloribus correpta, in virgultum quoddam absque ſtrepitu ſecedit. ibique enixa infantem, foliis involutum inter arbuſta abscondit: & operariis denuò immixta, citra partus indicium eumdem cum ipſis laborem continuat. Re autem per vagitum infantis patefactâ; præfectus operis nullâ ratione puerperam inducere potuit, uti ab opere deſiſteret. nec illa antè ceſſavit, quàm conductor eius miſertus, perſolutâ mercede, vocationem ab opere ei conceſſit.* Eamdem hiſtoriam refert & Strabo lib. III his verbis: Ἐν δὲ τῇ Λιγυστικῇ, φησὶν ὁ Ποσειδώνιος, διηγήσασθαι τὸν ξένον ἑαυτῷ Χαρμόλεων, Μασσαλιώτην ἄνδρα, ὅτι μισθώσαιτο ἄνδρας ὁμοῦ καὶ γυναῖκας ἐπὶ σκαφητόν. ὠδίνασα δὲ μία τῶν γυναικῶν, ἀπέλθοι ἐπὶ τὸ ἔργον αὐτίκα, ὅπως μὴ ἀπολέσειε τὸν μισθόν. καὶ αὐτὸς ἐπιπόνως ἰδὼν ἐργαζομένην, οὐκ εἰδὼς τὴν αἰτίαν πρότερον, ὀψὲ μάθοι, καὶ ἀφίησι, δοὺς τὸν μισθόν. ἡ δ' ἐκκομίσασα τὸν νήπιον πρός τι κρηνίον, λούσασα, καὶ σπαργανώσασα οἷς εἶχε, διασώσειεν οἴκαδε. Id eſt: *Poſidonius tradit, ſibi in Liguriâ hoſpitem ſuum Charmolaum, Maſſilienſem, narraſſe; quum à ſe ad foſſionem quamdam conducti eſſen viri pariter ac mulieres; inter has quamdam, partus doloribus correptam, non longè ab opere ſeceſſiſſe: editoque fœtu, ad opus rediſſe; ne mercedem amitteret. quam ipſe, quum ægrè opus facere videret; primoque cauſam ignoraret; tandem re cognitâ, mercede datâ dimiſit. mulierem ad fonticulum quemdam extuliſſe infantem: lotumque, & pannis, quos habebat, involutum, domum incolumem detuliſſe.* Non uni ſoli id apud Ligures mulieri eveniſſe, ſed vulgare inter reliquas etiam fuiſſe, teſtis eſt Ariſtoteles, Poſidonii ætate longè prior, in Mirandis ſuis, his verbis: Ἴδιον δέ φασι καὶ τοῦτο περὶ τοῖς

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Λίγυσιν εἶναι. αἱ γυναῖκες ἅμα ἐργαζόμεναι τίκτουσι· καὶ τὸ παιδίον ὕδατι περικλύσασαι, παραχρῆμα σκάπτουσι, καὶ σκάλλουσι, καὶ τἄλλα οἰκονομοῦσιν, ἃ μὴ τικτούσαις ἦν πρακτέον. Hoc eſt: *Peculiare & hoc apud Ligures aiunt eſſe; quòd mulieres, dum opus faciant, pariunt: lotoque infante, ad ſarculum mox ac foſſionem redeunt; aliaque obeunt munia puerperis minimè convenientia.* Sed hoc cum cæteris Celticis gentibus Liguſticæ mulieres habuerunt commune; ut videre eſt Germaniæ noſtræ lib. I cap. XXI. Ac reliquos quidem mores omnemque adeò vivendi rationem cum cæteris Celtis habuiſſe communem, diſertè teſtatur Strabo lib. II; ubi de Alpibus earumque incolis loquitur: Ἔθνη δὲ κατέχει πολλὰ τὸ ὄρος τοῦτο Κελτικὰ, πλὴν τῶν Λιγύων. οὗτοι δ' ἑτεροεθνεῖς μέν εἰσι, παραπλήσιοι δὲ τοῖς βίοις. Id eſt: *Mons iſte, præter Ligures, multas continet Celticas nationes. Ligures quamquàm alius ſint gentis, tamen vitæ utuntur eâdem ratione.* Hinc etiam lib. IIII, in deſcriptione Alpium, de litore Liguſtico loquens; Κατοικοῦσιν, inquit, Λίγυες, ζῶντες ἀπὸ θρεμμάτων τὸ πλέον καὶ γάλακτος, καὶ κριθίνου πόματος. Id eſt: *Incolæ ſunt Ligures, vitam re pecuariâ ut plurimum ac lacte & hordeaceo potu ſuſtentantes.* Proprium hunc fuiſſe omnium Celticarum gentium victum, pluribus auctorum teſtimoniis docui Germaniæ libro I cap. XVII. Leve admodùm eſt, quod Strabo de genere Ligurum ibidem exiguo pòſt adfert huiusmodi: Ἀπὸ δὲ χαλκάσπιδας εἶναι τεκμαιρόμενοί τινες Ἕλληνας αὐτοὺς εἶναι. id eſt: *Nonnulli ex eo, quòd æneis utuntur ſcutis, Græcos eſſe ratiocinantur.* Cæterò patientiam laborum moleſtiarumque in hac gente etiam Virgilius poëta adnotavit Γεωργικῶν lib. II; ubi laudes totius Italiæ celebrat:

Hæc genus acre virûm, Marſos, pubemque Sabellam,
Adſvetumque malo Ligurem, Volſcosque virutos
Extulit.

Et Livius lib. XXVII: *Ligures, durum in armis genus.* Florus dicto libro II cap. III: *Ligures, imis Alpium jugis adhærenteis inter Varum & Macram flumen, implicitosque dumis ſilveſtribus, maior aliquanto labor erat invenire, quàm vincere. Tutum locis & fugâ, durum atque velox genus, ex occaſione magis latrocinia, quàm bella, faciebat.* Silius lib. VIII:

Tum pernix Ligus & ſparſi per ſaxa Vagenni.

Livius initio libri XXXVIIII: *Dum hæc Romæ aguntur, conſules ambo in Liguribus gerebant bellum. Is hoſtis velut natus ad continendam inter magnorum intervalla bellorum Romanis militarem diſciplinam erat. nec alia provincia militem magis ad virtutem acuebat. nam Aſia & amœnitate urbium, & copiâ terreſtrium maritimarumque rerum, & mollitiâ hoſtium, regiisque opibus, ditiores, quàm fortiores, exercitus faciebat. in Liguribus omnia erant, quæ militem excitarent: loca montana & aſpera; quæ & ipſis capere labor erat, & ex præoccupatis dejicere hoſtem: itinera ardua, anguſta, infeſta inſidiis: hoſtis levis & velox & repentinus; qui nullum usquàm tempus, nullum locum quietum aut ſecurum eſſe ſineret: oppugnatio neceſſaria munitorum caſtellorum, laborioſa ſimul periculoſaque: inops regio; quæ parſimoniâ adſtringeret milites, prædæ haud multum præberet. itaque non lixa ſequebatur, non jumentorum longus ordo agmen extendebat. nihil, præter arma & viros omnem ſpem in armis habenteis, erat. nec deerat umquàm cum iis vel materia belli, vel cauſa. quia propter domeſticam inopiam vicinos agros incurſabant. nec tamen in diſcrimen ſummæ rerum pugnabatur.* Fallax eorum ingenium complures adnotarunt auctores. Claudianus Idyllio XII:

Barbarus eſt Lydus, ſervus Geta, femineus Phryx;
Fallaces Ligures; nullo ſitus in precio Car.

Virgilius Aeneid. lib. XI:

Apenninicolæ bellator filius Auni;
Haud Ligurum extremus, dum fallere fata ſinebant.

Ad quæ ita commentator poëtæ Servius: *Apenninicolæ Auni. quia Liguria maiore parte ſui in Apennino eſt conſtituta. Ligures autem omnes fallaces ſunt; ſicut ait Cato in ſecundo Originum libro.* Et paullo pòſt: *Nigidius; Nam & Ligures, qui Apenninum tenuerunt, latrones inſidioſi, fallaces, mendaces. Cato Originum ſecundo, quum de Liguribus loqueretur: Sed ipſi, unde oriundi ſint, exactâ memoriâ, illiterati, mendaces, quæ ſunt & vera, minùs meminêre.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

CAPVT VIII.

De finibus LIGVRIAE *Italicæ; deque diviſione eius in varia populorum genera.*

Fines univerſi Liguſtici nominis.

NOMEN LIGVRVM longè latéque ab antiquis auctoribus, Græcis primùm, deinde Latinis, in Galliam ad Rhodanum usque diſperſum fuiſſe, ſuperiori capite oſtenſum eſt. Quin ultra Rhodanum quoque, ad Pyrenæos usque monteis & Hiſpaniam, partem eorum Hiſpanis permixtam tradit loco ſuprà ſcripto Scylax. Verùm nos de iis tantùm hoc opere agemus, qui ſub Romano imperio intra Italiæ fineis *Liguriam* incoluerunt propriè ſic dictam. Eius termini alii aliis fuêre temporibus. Apud Marcianum Heracleenſem, in Περιηγήσει, poſt commemoratam Maſſiliam urbem, ita legitur in vulgatis exemplaribus:

Εἶτ' ἐστὶ μετὰ ταύτην Ταυρόεις, καὶ πλησίον
Πόλις Ὀλβία, καὶ Ἀντίπολις, αὐτῶν ἐσχάτη
Μετὰ τὴν Λιγυστικήν. Πελασγοὶ δ' εἰσὶν οἱ
Πρότερον κατοικίσαντες ἐκ τῆς Ἑλλάδος,
Κοινὴν δὲ Τυῤῥηνοῖσι χώραν νεμόμενοι.

Id eſt:

Inde eſt poſt hanc Tauroentium, ac prope hanc
Vrbs Olbia, & Antipolis, earum poſtrema
Poſt Liguriam. Pelaſgi verò ſunt, qui
Primùm coloni huc ex Græciâ pervenerunt;
Communeisque cum Etruſcis agros coluerunt.

Improbam iſtic eſſe interpunctionem inter vocabula Λιγυστικὴν atque Πελασγοὶ, facilè quivis, veteris geographiæ vel modicè peritus, obſervaſſe poterat. Scripſit auctor ipſe hoc modo:

——— Καὶ Ἀντίπολις, αὐτῶν ἐσχάτη.
Μετὰ τὴν Λιγυστικὴν Πελασγοὶ δ' εἰσὶν, οἱ
Πρότερον κατοικίσαντες ἐκ τῆς Ἑλλάδος.

Id eſt: ——— *Et Antipolis, earum poſtrema.*
Poſt Liguriam autem Pelaſgi ſunt; qui
Primùm coloni huc ex Græciâ pervenerunt.

Magno litorum tractu in Italiam extenſos fuiſſe Ligurum fineis, alii clarè docent auctores. Apud Scylacem in Περίπλῳ hæc leguntur in vulgatis exemplaribus: Ἀπὸ Ῥοδανοῦ ποταμοῦ ἔχονται Λίγυες μέχρι Ἀντίου. Ἐν ταύτῃ τῇ χώρᾳ πόλις ἐστὶν Ἑλληνὶς Μασσαλία καὶ λιμήν. ἄποικοι αὗται Μασσαλίας εἰσίν. παράπλους δ' ἐστὶ ταύτης ἀπὸ Ῥοδανοῦ ποταμοῦ μέχρι Ἀντίου ἡμερῶν δ' καὶ νυκτῶν δ'. Ἀπὸ δὲ Ἡρακλείων στηλῶν μέχρι Ἀντίου ἡ χώρα πᾶσα αὕτη εὐλίμενος. Ἀπὸ δὲ Ἀντίου Τυῤῥηνοὶ ἔθνος μέχρι Ῥώμης πόλεως. Hoc eſt: *Ab Rhodano amne ſequuntur Ligures usque ad Antium. In hac regione urbs eſt Græca Maſſilia cum portu. coloniæ hæ ſunt Maſſiliæ. navigatio autem præter hanc oram eſt* IIII *dierum, totidemque noctium. Ab Herculis autem columnis usque Antium omnis hæc ora eſt portuoſa. Ab Antio ſequitur Etruſcorum gens usque ad urbem Romam.* Hunc quoque locum bonâ ex parte eſſe mutilum atque corruptum, ſatis manifeſtum eſt. Opida haud dubiè commemoravit, quæ Marcianus ac Strabo, Ταυροέντιον, Ὀλβίαν, Ἀντίπολιν· de quibus poſteâ ita ſubjunxit; ἄποικοι αὗται Μασσαλίας εἰσίν· id eſt; *Coloniæ hæ ſunt Maſſiliæ.* Porrò vocabulum *Antium* nullo pacto heic ſubſiſtere poteſt; quando nihil eo nomine in omni antiquitate reperitur, niſi quod opidum fuit & colonia Romana in litore Latino; unde hodiéque eius loci promontorium vulgò vocatur *Capo d' Anzo*. Scribo igitur ubique, μέχρι Ἄρνου, *usque ad Arnum*; & ἀπὸ Ἄρνου, *ab Arno*. Iuſtinus lib. XX: *Sed & Piſæ in Liguribus Græcos auctores habent.* Polybius lib. II: Τὸν δ' Ἀπέννινον ἀπὸ μὲν τῆς ἀρχῆς τῆς ὑπὲρ Μασσαλίαν καὶ τῆς πρὸς τὰς Ἄλπεις συμπλώσεως, Λιγυστῖνοι κατοικοῦσι, καὶ τὴν ἐπὶ τὸ Τυῤῥηνικὸν πέλαγος πλευρὰν αὐτοῦ κεκλιμένην, καὶ τὴν ἐπὶ τὰ πεδία· παρὰ θάλατταν μὲν μέχρι πόλεως Πίσης, ἣ πρώτη κεῖται τῆς Τυῤῥηνίας ὡς πρὸς τὰς δυσμάς· κατὰ δὲ τὴν μεσόγαιαν, ἕως τῆς Ἀῤῥητίνων χώρας. ἑξῆς δὲ Τυῤῥηνοί· τούτοις δὲ συνεχεῖς Ὄμβροι. Id eſt: *Initium Apennini ſuprà Maſſiliam & quà Alpibus jungitur, Ligures habent*

habent ex utroque latere; & quod Etruſcum mare ſpectat, & quod prædictam planitiem: juxta mare ad Piſam usque, primam Etruriæ versùs occaſum Solis urbem; in mediterraneo ad Aretinorum usque fineis: inde ſequuntur Etruſci; & mox his contermini Vmbri. Arnus igitur tum terminus fuit Liguriam inter & Etruriam. nam utraque urbs apud hoc flumen ſita: Aretium versùs fontem, haud procul lævâ ripâ; Piſa ipſi flumini utrimque impoſita, prope mare. Hinc etiam opidum *Luca*, x millia paſſuum à Piſâ & Arno diſſitum, Liguriæ adſcribitur. Frontinus Strategemat. lib. III cap. II: *Domitius Calvinus obſidebat Lucam opidum Ligurum, ſitu non tantùm & operibus, verùm etiam propugnatorum præſtantiâ tutum.* Et quum Iul. Cæſar utramque Galliarum provinciam, tàm Transalpinam quàm Cisalpinam, regendam ab ſenatu accepiſſet; ſub hac verò etiam Ligures & Veneti Carnique cenſerentur; ut ſuprà dictum: Svetonius hinc in vitâ eius cap. XXIIII ita de ipſo ſcribit: *Quum L. Domitius, conſulatus candidatus, palàm minaretur, conſulem ſe effecturum, quod prætor nequiſſet; ademptur umque ei exercitus: Craſſum Pompeiumque, in urbem provinciæ ſuæ Lucam extractos, compulit, ut, detrudendi Domitii causâ, conſulatum alterum peterent; & ut in quinquennium ſibi imperium prorogaretur. perfecitque utrumque.* De eâdem re ſcribit & Plutarchus in Cæſare ac Pompeio. Terminus igitur Liguriæ ad Cæſaris usque tempeſtatem ab ortu Solis, quà Etruſcis jungebantur, fuit prædictus Arnus fluvius. At ſtatim poſt Iul. Cæſarem Auguſtus Octavianus imperator, qui non tantùm Galliarum & aliarum Romani imperii provinciarum, ſed & Italiæ novam diviſionem fecit; ut ſuprà cap. VI ex Plinio oſtenſum; terminum Ligures inter & Etruſcos conſtituit Macram amnem. Plinius lib. III cap. V: *Opidum Genua, fluvius Feritor, portus Delphini, Tigulia, flumen Macra, Liguriæ finis.* Et mox: *Patet ora Liguriæ inter amneis Varum & Macram* CCLXI *millia paſſuum.* Florus lib. II cap. III: *Ligures, imis Alpium jugis adhærenteis, inter Varum & Macram flumen, implicitosque dumis ſilveſtribus, maior aliquanto labor erat invenire, quàm vincere.* Ptolemæus in deſcriptione Italiæ: Λιγυρίας παρὰ τὸ Λιγυστικὸν πέλαγος πόλεις εἰσὶν, Ἀλβιντιμίλιον, Ἀλβιγγαῦνον, Γένουα, Ἐντέλλα ποταμοῦ ἐκβολαὶ, Μάκρα ποταμοῦ ἐκβολαί. Τούσκων δὲ παρὰ τὸ Τυῤῥηνικὸν πέλαγος, Λοῦνα. Id eſt: *Liguriæ ſecundùm Liguſticum mare urbes ſunt, Albintimilium, Albingaunum, Genua, Entellæ amnis oſtium, Tigulia, Macræ fluminis oſtium. Tuſcorum verò juxta mare Tuſcum, Luna.* Strabo lib. V: Μεταξὺ δὲ Λούνης καὶ Πίσης ὁ Μάκρης ἐστὶ χωρίον, ᾧ πέρατι τῆς Λιγυστικῆς κέχρηνται τῶν συγγραφέων πολλοί. Id eſt: *Inter Lunam & Piſam locus eſt Macra; quem multi ſcriptores terminum ſtatuerunt Etruriam Liguriamque inter.* Huius *Macræ* quotquot alii meminerunt auctores, amnem, non locum, pronunciarunt. manetque in hanc usque diem hoc nomine, niſi quod exiguum emollito, vulgò *Magra* dictus, copioſiſſimis rapidiſſimisque aquis. Proinde penè ſuſpicatus ſum, ſcriptum fuiſſe hoc loco ab ipſo Strabone, ὁ Μάκρας ἐστὶ ποταμὸς, *Macra eſt fluvius.* quidpe geographum hunc, alioquin accuratiſſimum, Macra quid eſſet, non exploraſſe, quum Etruriam peragraret; ut ipſe paullo pòſt de Populonio promontorio abs ſe conſcenſo teſtatur; haudquaquàm veri erat ſimile. Sed dubium hoc in medium relinquo. De cætero ſatis apertè innuit, alium fuiſſe olim inter Liguriam Etruriamque terminum; nempe Arnum flumen, ſuprà dictum. nihilo tamen minùs & ipſe cum reliquis ſui ævi ſcriptoribus ſtatuit eumdem Macram: ut patet ex hisce verbis antè perſcriptis: Τὰ δὲ Ἀπέννινα ὄρη, ἀρξάμενα ἀπὸ τῆς Λιγυστικῆς, εἰς τὴν Τυῤῥηνίαν ἐμβάλλει, στενὴν παραλίαν ἀπολιπόντα· εἶτα ἀναχωροῦντα εἰς τὴν μεσόγαιαν καθ' ὀλίγον, ἐπειδὰν γένηται κατὰ τὴν Πισᾶτιν, ἐπιστρέφει πρὸς ἕω καὶ πρὸς τὸν Ἀδρίαν, ἕως τῶν περὶ Ἀρίμινον καὶ Ἀγκῶνα τόπων. Id eſt: *Apennini montes, ab Liguriâ incipientes, in Etruriam ſeſe extendunt, anguſtam oram maritimam relinquentes. inde paullatim in mediterranea recedentes, ubi ad agrum Piſanum acceſſerunt, in orientem convertuntur ac mare Hadriaticum, usque ad loca Arimino & Anconæ vicina.* Ab extremo Liguriæ fine, qui erat ad Macram, Apenninus transibat in Etruriam, usque ad Piſam & Arnum: inde in mediterranea convertebatur ad mare ſuperum versùs. Sed diſertiùs mens eius patet ex iis, quæ poſteà in Etruriæ deſcriptione ſcripſit huiusmodi: Τῆς δὲ Τυῤῥηνίας μῆκος μὲν τὸ μέγιστον εἶναί φασι τὴν παραλίαν ἀπὸ Λούνης μέχρι Ὠστίων δισχιλίων που καὶ πεντακοσίων σταδίων. Id eſt: *Summam Etruriæ longitudinem tradunt eſſe juxta litus ab Lunâ ad Oſtiam ſtadiûm bis mille circiter & quingentûm.* Vnde etiam lib. IIII, in deſcriptione Alpium, de Liguſticâ orâ loquens; Ὅλως δὲ ἡ παραλία αὕτη πᾶσα μέχρι τῆς Τυῤῥηνίας ἀπὸ Μονοίκου λιμένος προσεχής τε ἐστὶ καὶ ἀλίμενος. id eſt: *Omnino autem univerſum hoc litus à Monæci portu usque ad Etruriam continuum*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

eſt & importuoſum. Prima inde Etruriæ urbs erat ad Macram amnem *Luna*, cum portu celeberrimo. Nos igitur etiam eumdem terminum obſervabimus; loca maritima, quæ trans Macram ſunt, in Etruriâ commemoraturi: quandoquidem etiam ante Ligures Etruſci hæc loca tenuêre; teſte Livio lib. XLI. *Et Lucam*, inquit, *colonia eodem anno duo millia civium Romanorum ſunt deducta. De Ligure captus is ager erat: Etruſcorum antè, quàm Ligurum, fuerat.* Annus is fuit ab urbe Româ conditâ IↃLXXV: quo conſulatum geſsêre C. Claudius Pulcher & Ti. Sempronius Gracchus. Iam verò ſuper ſeptemtrionali Liguriæ limite haud modica videtur eſſe auctorum diſcrepantia. Noſtri ævi geographi ferè omnes veterem Liguriam interpretantur eam oram, quæ Apennini ſummis jugis & mari infero inter Varum Macramque incluſa, vulgò nunc vocatur *La riviera di Genoa*, id eſt, *Ager Genuenſis*: auctores haud dubiè ſequuti Strabonem, Melam, Florum, atque Ptolemæum. quorum hic ita habet: Τὰ δὲ Ἀπέννινα ὄρη ὑπέρκειται μικρὸν τῆς Λιγυρίας, ἀρχόμενα ἀπὸ τῶν Ἄλπεων, καὶ μετ' αὐτὴν ἐπεκταθέντα ἄχρι Ἀγκῶνος. Id eſt: *Apennini montes exiguâ ſui parte Liguriæ imminent, incipientes ab Alpibus, & poſt Liguriam versùs Anconam protendentes ſeſe*. Mela lib. II cap. IIII: *Interiora Italiæ aliæ aliæque gentes habitant. ſiniſtrâ parte Carni & Veneti colunt Togatam Galliam. tum Italici populi, Picentes, Frentani, Dauni, Apuli, Calabri, Salentini. ad dextram ſunt ſub Alpibus Ligures, ſub Apennino Etruria*. Florus lib. II cap. III: *Ligures, imis Alpium jugis adhærenteis inter Varum & Macram flumen, implicitosque dumis ſilveſtribus, maior aliquanto labor erat invenire, quàm vincere. Itaque quum diu multumque eluderent Salyi, Deceates, Oxybii, Eburiates, Ingauni; tandem Fulvius latebras eorum ignibus ſepſit.* Sed hic immodico brevitatis ſtudio per omne opus ſuum ut plurimum ſeſe confundit. Ligurum terminos ſtatuit Varum & Macram amneis: nec minùs tamen *Salyos* commemorat, *Deceates* & *Oxybios*; qui omnes fuêre extra Varum & Italiæ nomen. Strabonem igitur videamus. Verba eius hæc ſunt lib. V: Ὅρον δὲ τῆς χώρας ταύτης, ἣν ἐντὸς Κελτικὴν καλοῦμεν, πρὸς τὴν λοιπὴν Ἰταλίαν, τό τε Ἀπέννινον ὄρος, τὸ ὑπὲρ τῆς Τυῤῥηνίας, ἀποδέδεικται καὶ ὁ Αἶσις ποταμός. Id eſt: *Limes regionis huius quam citeriorem Galliam vocamus, quo ab reliquâ Italiâ diſtingvitur, mons Apenninus, Etruriæ imminens, conſtitutus eſt, & Aeſis fluvius.* Huius igitur inter Alpeis Apenninumque regionis deſcriptione abſolutâ, in qua etiam *Claſtidium*, & *Dertonam* & *Aquas Statiellas* opida commemorat; quæ hodiè inter Apenninum & Padum vulgò dicuntur *Chiaſtezzo*, *Tortona*, *Aich*: tandem in hæc verba pergit: Αὕτη μὲν δὴ πρώτη μερὶς τῆς Ἰταλίας μέχρι δεῦρο περιωδεύσθω. δευτέρα δὲ λεγέσθω ἡ Λιγυστικὴ, ἡ ἐν αὐτοῖς τοῖς Ἀπεννίνοις ὄρεσι, μεταξὺ ἱδρυμένη τῆς νῦν λεχθείσης Κελτικῆς καὶ τῆς Τυῤῥηνίας, οὐδὲν ἔχουσα περιηγήσεως ἄξιον, πλὴν ὅτι κωμηδὸν ζῶσι, τραχεῖαν γῆν ἀροῦντες καὶ σκάπτοντες, μᾶλλον δὲ λατομοῦντες, ὥς φησι Ποσειδώνιος. τρίτοι δ' εἰσὶ συνεχεῖς τούτοις οἱ Τυῤῥηνοί. Id eſt: *Hactenus igitur prima nobis deſcripta eſto Italiæ pars. Secunda hinc dicatur Liguria, in ipſis Apenninis montibus inter Galliam nunc dictam ſita & Etruriam. quæ nihil relatu dignum habet, niſi quòd per vicos diſperſi habitant incolæ, aſperam terram arantes ac fodientes, aut potiùs ſaxa cædentes, ut ait Poſidonius. Tertii ſunt his contermini Etruſci.* Opida Ligurum maritima, *Portum Monœci*, *Albium Intemelium*, & *Albium Ingaunum*, *Sabata*, *Genuamque*, jam anteà lib. IIII in Alpium deſcriptione memoravit: ubi etiam Alpium finem initiumque Apennini ait eſſe circa Genuam. Liguriam igitur iſtic lib. V in ipſo Apennino monte intellexit haud dubiè eam, quæ olim ad Piſam usque & Arnum flumen pertinebat. Quapropter etiam ad finem iſtius ſermonis de Liguriâ, antequàm de Etruriâ loqui inceperit, illa eum addidiſſe puto verba, quæ nunc loco alieniſſimo, in deſcriptione regionis Cispadanæ, leguntur huiusmodi: Πρὸς δὲ τοῖς ὄρεσίν ἐστι πόλις, τοῖς ὑπερκειμένοις τῆς Λούνης, Λοῦκα. Id eſt: *Ad monteis ſupra Lunam ſitos urbs eſt Luca*. Ac fortè quædam heic, quibus urbem deſcripſit, interiêre. At idem Strabo eodem lib. V, ubi bonitatem ſoli inter Alpeis Apenninumque celebrat; Ἐρέαν δὲ, inquit, τὴν μὲν μαλακὴν οἱ περὶ Μουτίνην τόποι καὶ τὸν Σκουλτάνναν ποταμὸν φέρουσι πασῶν πολὺ καλλίστην, τὴν δὲ τραχεῖαν ἡ Λιγυστικὴ καὶ ἡ τῶν Ἰσόμβρων, τὴν δὲ μέσην οἱ περὶ Παταούιον. Hoc eſt: *Lanam mollem & omnium longè optimam producunt loca circa Mutinam & Scultanam flumen; aſperam Liguria & Inſubrum ager; mediocrem Patavium.* Ergo etiam inter Alpeis maritimas & Padum fuit Liguria. nam clara heic fuit *lana Pollentina*: cuius opidi nomen ſuprà Albam, haud procul Tanari ac Sturæ confluentibus, vulgò nunc dicitur in exiguo vico *Polenza*. Idem Strabo eodem lib. V anteà: Τυπωδῶς μὲν οὖν εἴρηται περὶ τῆς Ἰταλίας ἁπάσης ταῦτα· πειρασόμεθα δὲ ἀναλαβόντες εἰπεῖν περὶ τῶν καθ' ἕκαστα· καὶ πρῶτον περὶ

τῶν

τῶν ὑπὸ τ᾽ Ἄλπεσι. ἔςι δὲ πεδίον εὔδαιμον σφόδρα ϰ) γεωλοφίαις εὐκάρποις πεποικιλμένον· διαιρεῖ δ᾽ αὐτὸ μέσον πως ὁ Πάδος· καὶ καλεῖται, τὸ μὲν ἐντὸς τοῦ Πάδου, τὸ δὲ πέραν· ἐντὸς μὲν, ὅσον ἐςὶ πρὸς τοῖς Ἀπεννίνοις ὄρεσι ϰ) τῇ Λιγυςικῇ· πέραν δὲ τὸ λοιπόν. οἰκεῖται δὲ, τὸ μὲν ὑπὸ τῶν Λιγυςικῶν ἐθνῶν ϗ τῶν Κελτικῶν, τῶν μὲν ὑπὸ τοῖς ὄρεσι οἰκούντων, τῶν δ᾽ ἐν τοῖς πεδίοις· τὸ δὲ ὑπὸ τῶν Κελτῶν καὶ Ἑνετῶν. Id eſt: *Hæc igitur ſummatim de univerſâ Italiâ dicta. nunc ordine de ſingulis eius partibus dicere adgrediemur. Ac primùm de eâ regione agemus, quæ ſub Alpibus eſt ſita. Eſt ea planities admodùm felix, & collibus terrenis frugiferis variè diſtincta. mediam ferè Padus dividit. unde regionis pars altera dicitur Cispadana, altera Transpadana. Cispadana adpellatur, quidquid ad Apenninum & Liguriam usque protenditur: reliquum Transpadana vocatur. illam Liguſticæ & Gallicæ colunt gentes; illæ in montibus degentes, hæ in campeſtribus: hanc tenent Galli ac Veneti.* Sanè mira hæc eſt ratio narrandi. quidpe ſi Cispadana inter Padum & Liguriam protenditur, quomodò Ligures in eâ? Conciliatio nulla alia dari poteſt, niſi huiusmodi: Duplicem Strabo mente conceperat Liguriam; alteram inter Padum & Alpeis Apenninumque; alteram in Apennino & Alpibus ad mare usque. hanc poſteà diviſionem parum exactâ diligentiâ explicavit. quidpe eam, quæ in Apennino & Alpibus maritimis ſita erat, quæque hodiè Genuenſem, Lucenſem & Piſtorienſem complectitur agrum, in duas rurſum dividens portiones; alteram memorat lib. IIII, in deſcriptione Alpium; ubi opida eius recenſet ſuprà ſcripta, *Portum Monœci*, *Albintemelium*, *Albingaunum*, *Sabata*, & *Genuam*: de alterâ loquitur lib. V, poſt Galliæ citerioris deſcriptionem; ubi ait, nihil eam memoratu dignum habere, præter *Lucam* opidum. illam verò inter Padum & Alpeis Maritimas Apenninumque Galliæ Cispadanæ paſſim immiſcet. namque præter ea, quæ ſuprà citavimus, hæc quoque eodem lib. V leguntur: οἱ δ᾽ ἐντὸς τοῦ Πάδου κατέχουσι μὲν ἅπασαν, ὅσην ἐγκυκλοῦται τὰ Ἀπέννινα ὄρη πρὸς τὰ Ἄλπια μέχρι Γενούας καὶ τῶν Σαβάτων. κατεῖχον δὲ Βοιοὶ ϰ) Λίγυες, ϗ Σένωνες, καὶ Γαισάται τὸ πλέον. τῶν δὲ Βοιῶν ἐξελαθέντων, ἀφανισθέντων δὲ ϰ) τῶν Γαισατῶν καὶ Σενώνων, λείπεται τὰ Λιγυςικὰ φῦλα ϰ) τῶν Ῥωμαίων αἱ ἀποικίαι. Id eſt: *Circumpadani tenent, quidquid includitur Apenninis montibus ſimul & Alpibus usque ad Genuam & Sabata. Incolæ fuêre quondam Boii, Ligures, Senones, & Gæſatæ, maximâ ex parte. poſteà pulſis Boiis, Senonibus verò atque Gæſatis deletis, ſuperfuerunt Liguſticæ gentes & Romanorum coloniæ.* Hinc igitur rectè etiam Ptolemæus: Ἡ μὲν οὖν Λιγουρία, ὑποκειμένη τοῖς Ἀπεννίνοις ὄρεσιν, ἔχει μεσογείους πόλεις, Σάβατα, Πολεντία, Ἄςα, Ἄλβα Πομπηΐα, Λιβάρνα. Ἡ δὲ Γαλλία ἡ Τογάτα ἔχει πόλεις, Πλακεντία, Φιδεντία, Βρίξελλον, Πάρμα. Id eſt: *Liguriæ, ſub Apenninis montibus ſitæ, opida mediterranea ſunt Sabata, Polentia, Aſta, Alba Pompeia, Libarna. Galliæ autem Togatæ urbes ſunt, Placentia, Fidentia, Brixellum, Parma.* Falsò tamen & imperitè idem Ptolemæus opida *Dertonam* atque *Iriam* Taurinorum genti tribuit, longè ultra Aſtam & Albam ſitas, Rectiùs Artemidorus apud Stephani epitomatorem, qui ita refert: Δέρτων, πόλις Λιγύρων· Ἀρτεμίδωρος ἐν ἐπιτομῇ τῶν ἕνδεκα. Id eſt: *Derto, urbs Ligurum; teſte Artemidoro in epitomâ undecim librorum.* Sed omnium optimè Plinius lib. III cap. V: *Italia dehinc; primique eius Ligures; mox Etruria.* Et eodem capite poſteà: *Ligurum celeberrimi ultra Alpes, Salyi, Deceates, Oxubii; citrà, Veneni, & Caturigibus orti Vagienni, Statielli, Vibelli, Magelli, Euburiates, Caſmonates, Veliates; & quorum opida in proximâ orâ dicemus. Flumen Rutuba, opidum Album Intemelium; portus Vadûm Sabatiûm, flumen Porcifera, opidum Genua, fluvius Feritor, portus Delphini, Tigulia, intus Segeſta Tiguliorum; flumen Macra, Liguriæ finis. A tergo autem ſuprà dictorum omnium Apenninus mons, Italiæ ampliſſimus, perpetuis jugis ab Alpibus tendens ad Siculum fretum. Ab altero eius latere, ad Padum amnem, Italiæ ditiſſimum, omnia nobilibus opidis nitent; Libarnâ, Dertonâ coloniâ, Iriâ, Barderate, Induſtriâ, Pollentiâ, Carreâ, quod Potentia cognominatur; Foro Fulvii, quod Valentinum; Auguſtâ Vagiennorum, Albâ Pompeiâ, Aſtâ, Aquis Statiellorum. Hæc regio ex deſcriptione Auguſti nona eſt. Patet ora Liguriæ inter amneis Varum & Macram CCXI millia paſſuum. adnectitur ſeptimæ; in qua Etruria eſt, ab amne Macrâ.* Octavæ autem regionis, in qua erat Gallia Togata, opida deſcribit poſteà cap. XV. *Induſtria* verò opidum, quod Ligures incolæ adpellabant *Bodincomagum*, in ipsâ Padi ripâ ſitum fuit; ut ſuperiori capite ex eodem Plinio oſtendimus. *Vagiennorum Ligurum finibus* Padum oriri flumen, eodem libro cap. XVI docet. *Forum Fulvii*, ſive *Valentinum*, hodiéque apud Padum dicitur *Valenza*. De *Albâ Pompeiâ* etiam Dio lib. LXXIII, & ex Dione Zonaras Annal. lib. II, ſic teſtantur: Ἦν δ᾽ ὁ Περτίναξ Λίγυς ἐξ Ἄλβας Πομπηΐας. id eſt: *Erat Pertinax Ligus, ex*

Albâ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Albâ Pompeiâ. Vnde etiam Iul. Capitolinus in vitâ Pertinacis: *Natus eſt Pertinax in Apennino, in villâ patris*. Et Poſteà: *Juſſus eſt ſtatim à Perenne in Liguriam ſecedere, in villam paternam*. *Iria* hodiè vocatur *Voghera*, opidum ultra Dertonam in orientem & Togatam Galliam versùs ſitum. Vltra hoc ſunt *Litubium* opidum & *Claſtidium* vicus, vulgò nunc *Ritorbio* & *Chiaſtezzo* dicta: quæ utraque Livius lib. XXXII Liguribus attribuit; libro verò XXVIIII *Claſtidium* Galliæ Ciſalpinæ; ut & Plutarchus in Marcello. unde adparet in ipſis confiniis fuiſſe Liguriæ Galliæque. unde etiam Plinius lib. III cap. XV proximam hinc urbem Placentiam Galliæ Togatæ adſcribit: libro autem VII cap. XLVIIII, *Circa Placentiam*, inquit, *in collibus opidum eſt Veliatium*. quod opidum *Velia* tam prope limitem fuit, uti dicto lib. III cap. XV Galliæ id Togatæ adnumeraverit *Veliates*: capite autem V Liguribus: à quorum nomine excluduntur in fragmento faſtorum triumphalium, quod Romæ in Capitolio exſtat; ubi ita ſcriptum eſt: .... M· F· M· N· NOBILIOR· PRO· COS· .... BVS· ET· ELEATIBVS· quæ ſic ſupplere conatus eſt Sigonius. M· FVLVIVS· M· F· M· N· NOBILIOR· PRO· COS· DE· LIGVRIBVS· ET· VELEATIBVS· Terminus igitur hoc tractu fuerit inter Ligures Galloſque Tido fluvius, ſupra Placentiam atque Trebiam amnem in Padum defluens. Atque hi univerſæ in Italiâ fuêre Liguriæ fines. à meridie mare inferum; quod inde Liguſticum adpellatum. ab occaſu Varus amnis & Alpium juga ad Padi usque fonteis: inde ipſe Padus. ab ſeptemtrionibus idem flumen ad Tidonis usque confluentem. hinc ab ortu ipſe Tido ad fontem usque: inde rurſum ab ſeptemtrionibus Apenninus mons, antiquitus ad Arnum usque flumen, poſteà verò ad Macram tantùm. Vtrumque autem montis latus tenuerunt Ligures, inde ad Galliæ Togatæ usque campos. Polybius lib. II: Τὸν δ' Ἀπέννινον ἀπὸ μὲν τῆς ἀρχῆς, τῆς ὑπὲρ Μασσαλίαν καὶ τῆς πρὸς τὰς Ἄλπεις συμπτώσεως, Λιγυστῖνοι κατοικοῦσι, καὶ τὴν ἐπὶ τὸ Τυῤῥηνικὸν πέλαγος πλευρὰν αὐτοῦ κεκλιμένην, καὶ τὴν ἐπὶ τὰ πεδία· παρὰ θάλατταν μὲν, μέχρι πόλεως Πίσης· κατὰ δὲ τὴν μεσόγαιαν, ἕως τῆς Ἀῤῥητίνων χώρας. Id eſt: *Initium Apennini, ſupra Maſſiliam & quà Alpibus jungitur, Ligures tenent ex utroque latere, & quod Etruſcum mare ſpectat, & quod prædictam planitiem: juxta mare, usque ad urbem Piſam; in mediterraneo, ad Aretinorum usque fineis*. Hucusque equidem Polybii tempore. unde ita legitur apud Livium lib. XXXVIIII: *C. Flaminius conſul cum Briniatibus Liguribus in agro eorum pluribus prœliis ſecundis factis, in deditionem gentem accepit; & arma ademit. & quia non ſincerâ fide tradebant, quum caſtigarentur, relictis vicis, in montem Auginum confugerunt. confeſtim ſequutus conſul. cæterùm effuſi rurſus, & pars maxima inermes, per invia & rupeis diruptas præcipitantes fugerunt, quà ſequi hoſtis non poſſet. ita trans Apenninum abierunt. qui caſtris ſe tenuerant, circumſeſſi & expugnati ſunt. Inde trans Apenninum ductæ legiones. ibi montis, quem ceperant, altitudine paulliſper ſe tutati, mox in deditionem conceſſerunt. Translatum deinde ad Apuanos Ligures bellum; qui in agrum Piſanum Bononienſemque ita incurſaverant, ut coli non poſſet. his quoque perdomitis, conſul pacem dedit finitimis. M. Aemilius, alter conſul, agros Ligurum vicoſque, qui in campis aut vallibus erant, ipſis monteis duos Balliſtam Suiſmontiumque tenentibus, deuſſit depopulatusque eſt. deinde eos, qui in montibus erant, adortus, primò levibus prœliis fatigavit; poſtremò, coactos in aciem deſcendere, juſto prœlio devicit. Subactis cis Apenninum omnibus, tum transmontanos adortus. In his & Friniates Ligures erant; quos non adierat C. Flaminius. Omneis Aemilius ſubegit; armaque ademit, & de montibus in campos multitudinem deduxit. Pacatis Liguribus, in agrum Gallicum exercitum duxit*. Et lib. XLI: *C. Claudius ex Hiſtriâ legiones in Ligures transduxit. Ad Scultennam flumen, in campos progreſſi, caſtra habebant hoſtes. ibi cum his acie dimicatum: XV millia cæſa; plus* ıↄCC *aut in prœlio aut caſtris capti: & ſigna militaria unum & L capta: Ligures, reliquiæ cædis, in monteis refugerunt paſſim. populantique campeſtreis agros conſuli nulla usquàm adparuerunt arma*. Fluvius hic *Scultenna* ex Apennino versùs Padum inter Bononiam ac Mutinam defluit, vulgari nunc vocabulo accolis dictus *Il Panaro*. Hinc eodem libro poſteà: *Interim C. Claudius exercitum ad Mutinam, quam Ligures priore anno ceperant, admovit. ante triduum, quàm oppugnari cœperat, receptam ex hoſtibus colonis reſtituit*. Colonia enim erat Romanorum. Mox Petilius etiam conſul cum eiſdem Liguribus pugnavit; eoque prœlio apud Letum montem occubuit. Inde alter conſul, *C. Valerius*, ut inquit Livius, *auditâ* [deſunt nonnulla: inter alia puto talia quædam; *morte collegæ, exercitum in Ligures*] *deduxit. Cis Apenninum Garuli & Lapicini & Hercates,*

Liguriæ Italicæ fines.

trans

trans Apenninum Frinitates fuerant. Montana igitur atque valleis Apennini jugi tenuêre etiam in ulteriori latere Ligures: infra hos campeſtria deinde Galli & coloniæ Romanorum in Galliam Ciſpadanam deductæ. Atque de finibus Ligurum etiam ſatis hactenus dictum eſt.

Ligures in varia genera ac civitates diſtincti.

De cætero diviſa fuit intra hos fineis univerſa gens in varia nationum ſive populorum nomina: quorum omnium certos velle indicare ſitus, furoris eſſe puto; quando turbatoriè tantùm ac ſine certis indiciis pleraque ab auctoribus memorantur. Florus dicto lib. II cap. III: *Ligures maior aliquanto labor erat invenire, quàm vincere. Quum diu multumque eluderent Salyi, Deceates, Oxybii, Euburiates, Ingauni; tandem Fulvius latebras eorum ignibus ſepſit*. Plinius lib. III cap. V: *Ligurum celeberrimi, ultra Alpeis Salyi, Deceates, Oxubii; citrà, Veneni, & Caturigibus orti Vagienni, Statielli, Vibelli, Magelli, Euburiates, Caſmonates, Veliates, & quorum opida in proximâ orâ dicemus. flumen Rutuba; opidum Albium Intemelium, flumen Merula, opidum Albium Ingaunum*. Strabo lib. IIII, in deſcriptione Alpium: Ἀλβιγγαῦνόν ἐστι πόλισμα, οἱ δ' ἐνοικοῦντες Λίγυες Ἰγγαῦνοι καλοῦνται· πόλις Ἄλβιον Ἰντεμέλιον, καὶ οἱ κατοικοῦντες Ἰντεμέλιοι. Id eſt: *Opidum eſt Albingaunum; cuius incolæ Ligures Ingauni vocantur. opidum Albium Intemelium; cuius incolæ Intemelii*. Tacitus in vitâ Agricolæ: *Claſſis Othoniana, licenter vaga, dum Intemelios (Liguriæ pars eſt) hoſtiliter populatur, matrem Agricolæ in prædiis ſuis interfecit*. De eâdem claſſe Hiſtoriar. lib. II: *Irritatus in prœlio Othonis miles, vertit iras in municipium Albintemelium*. Livius lib. XXVIIII: *Eisdem fermè diebus naves, quæ ab Carthagine ad Magonem miſſæ erant, inter Albingaunos Ligures Genuamque acceſſerunt*. Lib. XXXI: *Conſul cum Ingaunis Liguribus fœdus icit*. Et lib. XL: *Navibus inde Poſthumius ad viſendam oram Ingaunorum Intemeliorumque Ligurum proceſſit*. Plinius eodem cap. V paullo antè: *Nec ſitus originesque perſequi facile eſt; Ingaunis Liguribus, ut cæteri omittantur, agro tricies dato*. Cœlius Ciceroni, epiſt. XV Familiar. lib. VIII: *Intemelii in armis ſunt*. INTEMELII igitur Ligures fuêre circa *Albintemelium* opidum, quod nunc eſt vulgò *Vintimiglia*: INGAVNI verò circa *Albingaunum*, quod nunc dicitur *Albenga*. Hi corrupto vocabulo in antiquâ Romanorum tabulâ itinerariâ leguntur *Sengauni*. ubi primam literam S incuriâ imperitiâque librarii ablatam eſſe video ab ſupraſcripto illic vocabulo *Veliate*; quod erat ſcribendum *Veliates*. dein litera I eâdem incuriâ corrupta eſt in E. STATIELLI ab altero fuêre Apennini latere, circa opidum quod vulgò nunc incolis dicitur *Aich*, & reliquis Italis *Acqui*. nam hoc eſt illud, quod Plinio eodem capite dicitur *Aquæ Statiellorum*, & Straboni lib. V Ἄκουαι Στατιέλλαι, *Aquæ Statiellæ*. unde STATIELLATES vocantur iidem populi Livio lib. XLII. *Et in Liguribus*, inquit, *in agro Statiellati pugnatum ad opidum Cariſtum*. Et paullo pòſt: *Statiellates, qui uni ex Ligurum gente non tuliſſent arma adversùs Romanos*. VAGIENNI ortus Padi accoluerunt & proximam inde ripam; ut poſteà docebo. VELIATES tenuêre agros circa ſuprà dictum opidum *Veliam*. Hos apud Livium corrupto eſſe vocabulo lib. XXXI & XXXII *Ilvates*, infrà oſtendam. Plinio autem lib. III cap. XV iidem *Veliates* cognominantur VECTERI: neſcio unde. *Veliates*, inquit, *cognomine Vecteri*. EVBVRIATES quoque & CASMONATES ab opidis, quæ capita populorum fuêre, *Euburiâ* & *Caſmonâ*, dictos puto. Sed horum, ut & VIBELLORVM atque MAGELLORVM, ſitus planè non liquent. Præter modò enarratos populos CAPILLATI quoque *Ligures* & VEDIANTII memorantur eodem cap. V libri III. *Igitur ab amne Varo*, inquit, *Nicæa opidum, à Maſſilienſibus conditum: fluvius Paulo: Alpes, populique Inalpini multis nominibus; ſed maximè Capillati. opidum Vediantiorum civitatis Cemenelion; portus Herculis Monœci, Liguſtica ora*. Capillatorum poſteà iterum meminit cap. XX, quod eſt *de Alpibus & gentibus Alpinis*; ubi ita ait: *Caturiges, & ex Caturigibus orti Vagienni Ligures, & qui Montani vocantur: Capillatorumque plura genera ad confinium Liguſtici maris*. Et Dio lib. LIIII: Τότε καὶ αἱ Ἄλπεις αἱ παραθαλάσσιοι, ὑπὸ Λιγύων τῶν Κομητῶν καλουμένων ἐλευθέρως ἔτι καὶ τότε νεμόμεναι, ἐδουλώθησαν. Id eſt: *Tunc etiam Alpes maritimæ, quas Ligures Capillati hactenus liberi coluerant, in ſervitutem redactæ ſunt*. Factum hoc ſub Cæſare Auguſto. Vagiennos Padi ripam fonteisque accoluiſſe, ſuprà dixi. MONTANI igitur iſti *Ligures* his haud dubiè proximi fuêre in ſummis Alpium jugis, quæ à Veſulo monte, undè Padus oritur, ad Tendanum usque montem protenduntur; quorum eminentiores vertices vulgaribus adpellationibus dicuntur *Colle dell' Agnello, Colle di San Paolo, Colle dell' Argentera, Colle della Madonna*. Hinc ad Tendanam

montem

montem initium Alpium maritimarum habuêre CAPILLATI *Ligures*, *ad confinium*, ut inquit Plinius, *Liguſtici maris*. Horum fortè pars fuêre VEDIANTII; quorum opidum *Cemenelio*, v millia paſſuum ab lævâ Vari amnis ripâ disſitum;ut ſequenti capite oſtendam. Apud Ptolemæum ſic ſcriptum eſt: Ἐν ταῖς παραλίοις Ἄλπεσιν, Νερουσίων Οὔιντιον· Σουητρίων ἐν παραλίοις Ἄλπεσιν Σαλῖναι· Οὐεδιαντίων ἐν παραλίοις Ἄλπεσιν Κεμενέλεων, Σανίτιον. Id eſt: *In maritimis Alpibus Neruſiorum eſt Vintium: Suetriorum in maritimis Alpibus Salinæ: Vediantiorum in maritimis Alpibus Cemeneleon, Sanitium*. Sanè nec Vediantiorum fuit Sanitium, nec Suetriorum Salinæ; nec Neruſii in Italiâ populis erant connumerandi, ſi eorum fuit Vintium opidum: nec Suetrii quidem fuêre Italiæ incolæ; ſi Plinio credimus: cuius verba ſunt hæc lib. III cap. IIII, in deſcriptione Galliæ Narbonenſis: *At in orâ Maſſilia Græcorum Phocæenſium, fœderata. promontorium Cithariſta, Zaoportus; regio Cametullicorum: dein Suelteri; ſupráque Verucini. in orâ autem Athenopolis Maſſilienſium: Forum Iulii, Octavanorum colonia; quæ Pacenſis adpellatur & Claſſica: amnis in eâ Argenteus. regio Oxubiorum Lingaunorumque: ſuper quos Suetri, Quariates, Adunicates. at in orâ opidum Latinum Antipolis: regio Deciatium; amnis Varus*. Non ultra Varum modò, ſed ultra Antipolim etiam, quæ vulgò hodiè vocatur *Antibo*, ponit *Suetros*, ſuper Oxybios atque Lingaunos. Strabo lib. IIII *Oxybium* memorat *portum*: quod opidum Polybio, ut referunt Excerpta legationum, proprio nomine dicitur *Aegitna*; & juxta hoc *flumen Acro*. Opidum id nunc vulgò vocatur *Canes*, inter Forum Iulii & Antipolim ad intimum ſinus haud modici receſſum poſitum; juxta quod amnis in ſinum effunditur vulgari vocabulo *Siagne*; haud dubiè antiquus ille Polybii *Acro*. Super hunc igitur ſinum incoluêre quondam illi *Suetri*, quos falsò in Italiâ collocavit Ptolemæus circa opidum *Salinas*, quod nunc eſt *Saluzzo*, in Vagiennorum olim agro ſitum. Inter Antipolim & Varum Plinius collocat *Deciates*: & Polybius dicto loco Oxybiis eos facit finitimos. Supra hos igitur in eâdem Galliâ Narbonenſi incoluêre proximè Suetros *Neruſii*. nam horum opidum *Vintium* hoc tractu hodiè vulgò vocatur *Vence*, epiſcopatus titulo inſigne. Iam verò longè interiùs, versùs Diniam urbem, conſpicitur opidum vulgari vocabulo *Sanez* & *Senez* dictum. quod antiquum illud eſt *Sanitium* Ptolemæi, falsò intra Italiæ fineis Vediantiis attributum. *Neruſii* igitur atque *Suetri*, ulra Varum incolenteis Italicis Liguribus minimè accenſendi fuerunt. De cætero alii Ligurum populi recenſentur Livio præter jam memoratos, *Epanterii*, *Celelates*, *Cerdiciates*, *Briniates*, *Friniates*, *Garuli*, *Lapicini*, *Hercates*, & omnium celeberrimi *Apuani*. Ex his EPANTERII quo ſitu fuerint, facile eſt diſpectu. ſic quidpe de iis Livius ſub finem libri XXVIII: *Eâdem æſtate Mago* XXX *fermè roſtratis navibus & multis onerariis* XII *millia peditum, duo fermè equitum, trajecit; Genuamque, nullis præſidiis maritimam oram tutantibus, repentino adventu cepit. inde ad oram Ligurum Alpinorum, ſi quos ibi motus facere poſſet, claſſem adpulit. Ingauni (Ligurum ea gens eſt) bellum eâ tempeſtate gerebant cum Epanteriis montanis. Igitur Pœnus, Savone, opido Alpino, prædâ depoſitâ, & decem longis navibus in ſtatione ad præſidium relictis, cæteris Carthaginem miſſis; ipſe, ſocietate cum Ingaunis, quorum gratiam malebat, compoſitâ, montanos inſtituit oppugnare*. Ergo ſupra Albingaunum opidum Alpina juga incoluêre *Epanterii*, CELELATES atque CERDICATES circa *Claſtidium* ac *Litubium* opida in confinio Galliæ Togatæ fuerunt. Livius lib. XXXII: *Q. Minucius in lævâ Italiæ ad inferum mare flexit iter; Genuamque exercitu abducto, ab Liguribus orſus eſt bellum. Opida Claſtidium & Litubium, utraque Ligurum, & duæ gentis eiusdem civitates, Celelates Cerdiciatesque, ſeſe dediderunt. & jam omnia cis Padum, præter Gallorum Boios, Veliates Ligurum, ſub ditione erant. quindecim opida, hominum* XX *millia eſſe dicebantur, quæ dediderant. Inde in agrum Boiorum legiones duxit*. Hos quoque *Cerdiciates Celelatesque* ab opidis *Celelâ* atque *Cerdiciâ* denominatos exiſtimo. Vltra hos, versùs Etruriam in ſeptemtrionali Apennini latere fuêre FRINIATES, in meridionali BRINIATES; ut ſuprà ex Livii lib. XXXVIIII & XLI intellectum: & ipſi haud dubiè ab opidis ſive caſtellis *Friniâ* ac *Briniâ* ſic adpellati, de quibus poſteà dicemus. Cis Apenninum quoque fuêre, ut teſtatur lib. XLI Livius, GARVLI, LAPICINI, & HERCATES; eodem haud dubiè montis tractu, circa fonteis Laboniæ fluvii, qui vulgò nunc dicitur *Lavagna*. At APVANI, omnium prædictorum nobiliſſimi, Macræ fonteis accoluerunt, & inde tractum ad Lucam usque urbem; ut infrà oſtendam. Atque hi ferè ſunt populi ac nationes, in quas univerſam Liguriam diviſerunt auctores antiqui.

CAPVT

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

CAPVT VIIII.

De locis fluminibusque LIGVRIAE *maritimis.*

POPVLIS Ligurum generatim hactenus expoſitis, opida nunc eorum & cætera loca fluminaque, & quidquid priſcis memoratur ſcriptoribus, ſingulatim indicentur. ac primùm maritima. Plinius lib. III cap. V: *Igitur ab amne Varo Nicæa opidum, à Maſſilienſibus conditum. fluvius Padus. Alpes; populique Inalpini multis nominibus, ſed maximè Capillati, opido Vediantiorum civitatis Cemenelio. portus Herculis Monœci. Liguſtica ora. flumen Rutuba. opidum Albium Intemelium.* Ptolemæus: Μετὰ τὰς τοῦ Οὐάρου ποταμοῦ ἐκβολὰς ἐν τῷ Λιγυστικῷ πελάγει, Μασσαλιωτῶν Νίκαια, Ἡρακλέους λιμὴν, Τρόπαια Σεβαστοῦ, Μονοίκου λιμὴν. Λιγουρίας παρὰ τὸ Λιγυστικὸν πέλαγος, Ἀλβιντιμίλιον, Ἀλβίγγαυνον, Γένουα. Id eſt: *Poſt Vari oſtium, ad Liguſticum mare, Maſſilienſium ſunt, Nicæa, Herculis portus, Trophæa Auguſti, Monœci portus. Liguriæ verò apud Liguſticum mare, Albintimilium, Albingaunum, Genua.* Vterque poſt Monœci portum Liguſticæ oræ facit initium, quia priora illa Maſſilienſes obtinebant, opidis inibi conditis *Nicæâ & portu Herculis Monœci.* Strabo lib. IIII, in deſcriptione Alpium, de eodem hoc portu loquens: Ἔοικε δ' ἀπὸ τοῦ ὀνόματος καὶ μέχρι δεῦρο διατείνειν ὁ Μασσαλιωτικὸς παράπλους. id eſt: *Ex nomine colligere datur, hucusque Maſſilienſe litus pertinere.*

Primus igitur narrandus eſt VARVS *amnis*, Italiæ ab hac parte finis, quamplurimis memoratus auctoribus: quos quia ſuprà cap. II citavimus, eò curioſum lectorem remittimus. Vulgò nunc dicitur *il Varo*. VARVS *amnis.*

Sequitur inde Νίκαια, NICAEA *opidum*; & ipſum haud ignobile. nam præter Plinium atque Ptolemæum, memoratur etiam Straboni, Marcellino, & Livii Stephanique epitomatoribus. Vulgò nunc vocatur incolis *Nizza*. Stephani epitomator: Νίκαια, πόλις Κελτική. Μασσαλιωτῶν ἄποικος. id eſt: *Nicæa, opidum Galliæ, Maſſilienſium colonia.* Id quidem ſic rectè poſteriori ſæculo, quo Stephanus vixit. nam in Antonini etiam itinerario hoc modo legitur: NICAEA *opidum.*

Albintimilio		
Lumone	M. P.	X
Alpe ſumma		VI.
usque huc Italia. nunc Galliâ:		
Cemenelo		VIIII
Varum flumine		VI
Antipoli		V.

Maſſilienſium eſſe coloniam Nicæam, etiam Plinius teſtatur loco ſuprà ſcripto his verbis: *Nicæa opidum, à Maſſilienſibus conditum.* Et Livii epitomator lib. XLVII, *Q. Opimius*, inquit, *conſul Transalpinos Ligures, qui Maſſilienſium opida Antipolim & Nicæam vaſtabant, ſubegit.* Sed & Ptolemæus loco modò citato, Μασσαλιωτῶν Νίκαια, inquit; id eſt, *Maſſilienſium Nicæa.* Et lib. VIII, in Tabulâ Italiæ, inter illuſtriores Italiæ urbeis computatur Νίκαια Μασσαλιωτῶν, *Nicæa Maſſilienſium.* Omnium verò pleniſſimè Strabo originem eius deſcribit lib. IIII, his verbis de Maſſilienſibus loquens: Ὕστερον δὲ τῇ ἀνδραγαθίᾳ ἴσχυσαν προσλαβεῖν τινα τῶν πέριξ πεδίων, ἀπὸ τῆς αὐτῆς δυνάμεως, ἀφ' ἧς καὶ τὰς πόλεις ἔκτισαν, ἐπιτειχίσματα, τὰς μὲν Ῥόδην καὶ Ἀγάθην τοῖς περὶ τὸν ποταμὸν οἰκοῦσι τὸν Ῥοδανὸν βαρβάροις, τὸ δὲ Ταυροέντιον καὶ τὴν Ὀλβίαν καὶ Ἀντίπολιν καὶ Νίκαιαν, τῷ τῶν Σαλύων ἔθνει καὶ τοῖς Λίγυσι τοῖς τὰς Ἄλπεις οἰκοῦσιν. Id eſt: *Poſterioribus autem temporibus fortitudine ſuâ freti, quosdam circumjacentium agrorum in ſuam poteſtatem redegerunt. qua eâdem ſubnixi, urbeis quoque condiderunt, quibus pro munitionibus uterentur; Rhoden quidem atque Agatham adversùs Rhodanum adcolenteis barbaros; Tauroentiam verò, Olbiam, Antipolim, & Nicæam contra Salyum gentem ac Ligures Alpeis incolenteis.* Et iterum eodem libro poſteà: Ἡ μὲν οὖν ἀπὸ τῆς Πυρήνης ἐπὶ Μασσαλίαν παραλία τοιαύτη καὶ τοσαύτη τις. ἡ δ' ἐπὶ τὸν Οὔαρον ποταμὸν καὶ τοὺς ταύτῃ Λίγυας, τάς τε Μασσαλιωτῶν ἔχει πόλεις, Ταυροέντιον καὶ Ὀλβίαν, καὶ Ἀντίπολιν καὶ Νίκαιαν. ὁ δὲ Οὔαρος μέσος ἐστὶ τῆς Ἀντιπόλεως καὶ Νικαίας· ὥστε ἡ Νίκαια τῆς Ἰταλίας γίνεται κατὰ τὸν νῦν ἀποδεδειγμένον ὅρον, καίπερ οὖσα Μασσαλιωτῶν. ἐπετείχισαν γὰρ τὰ κτίσματα ταῦτα τοῖς ὑπερκειμένοις βαρβάροις οἱ Μασσαλιῶται, τὴν θάλατταν ἔχειν ἐλευθέραν βουλόμενοι, τῆς χώρας ὑπ' ἐκείνων κρατουμένης. Νυνὶ δὲ τοσοῦτον προσθετέον· ὅτι, τῆς μὲν Ἀντιπόλεως ἐν τοῖς τῆς Ναρβωνίτιδος μέρεσι κειμένης, τῆς δὲ Νικαίας ἐν τοῖς τῆς Ἰταλίας, ἡ μὲν Νίκαια ὑπὸ τοῖς Μασσαλιώταις μένει, καὶ τῆς ἐπαρχίας ἐστίν· ἡ δ' Ἀντίπολις τῶν Ἰταλιω-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

πίδων ἐξετάζεται, κριθεῖσα πρὸς τοὺς Μασσαλιώτας, καὶ ἐλευθερωθεῖσα τῶν παρ' ἐκείνων προσταγμάτων. Hoc eſt: *Atque talis ac tanta eſt à Pyrenæis montibus Maſſiliam usque ora maritima. Quæ autem hinc ad Varum flumen & Ligures ibi degenteis porrigitur, ea urbeis Maſſilienſium habet, Tauroentium, Olbiam, Antipolim, & Nicæam. Varus autem inter Antipolim eſt & Nicæam. itaque ſecundùm eum, qui nunc conſtitutus eſt, terminum, Nicæa Italiæ adcenſetur; quamquàm eſt Maſſilienſium. eam quidpe contra barbaros ſuprà adjacenteis illi condiderunt munitionem; ut mare liberum obtinerent, illis terram habentibus. Id hoc loco etiam addendum. quum in Narbonenſi provinciâ ſit Antipolis; Nicæam verò in Italiâ: tamen Nicæam ſub Maſſilienſibus manere, eiusque præfecturæ eſſe: Antipolim in judicio re disceptatâ à Maſſilienſium jurisdictione liberatam inter Italicas urbeis cenſeri.* Nomen haud dubiè ſortita eſt *Nicæa* à rei eventu; id eſt ἀπὸ τοῦ νικᾷν, *à vincendo*: ſcilicet quum Maſſilienſes devictis ejectisque Liguribus ea litora obtinuiſſent. Meminit eius Ammianus Marcellinus lib. XV; ubi *Nicea* eſt ſcriptum nomen eius: quod porrò in antiquo itinerario maritimo legitur *Nicia*: unde tandem factum, quod vulgò nunc apud incolas obtinet *Nizza*. nam Græci quondam incolæ, Maſſilienſium coloni, accentum ponebant in primâ ſyllabâ Νίκαια. Atque hæc ferè ſunt, quæ de hoc opido apud auctores adnotata reperio.

PAVLO *fluvius.*

De cætero verba Plinii ſuprà citata è lib. III cap. V hæc ſunt: *Igitur ab amne Varo Nicæa opidum, à Maſſilienſibus conditum: fluvius Padus: Alpes; populique Inalpini multis nominibus; ſed maximè Capillati, opido Vadiantiorum civitatis Cemenelion. portus Herculis Monœci. Liguſtica ora. flumen Rutuba: opidum Albium Intemelium.* Miror ſanè ego, *Padi* quorſum heic mentio in orâ maritimâ Ligurum. minimè placet. ſuſpicorque mendum ingens. Videamus Melam de eâdem hac orâ. Is ita habet lib. II cap. IIII: *Genua, Sabata, & Albingaunum. tum Paulon, & Varum flumina; utraque ab Alpibus delapſa: ſed Varum, quia Italiam finit, aliquanto notius.* Adverſo hic ordine, ab ortu in occaſum, litus Italiæ perſequitur: quum Plinius & reliqui ab occaſu in ortum procedant. At quis non ex iſtis Melæ verbis ſuſpicetur, apud Plinium quoque ſcriptum fuiſſe, *Nicæa opidum, à Maſſilienſibus conditum: fluvius Paulo: Alpes; populique Inalpini?* Imò, præter hoc ex Melâ documentum, perſvadent etiam complura Plinii exemplaria, tam manu veteri exarata, quàm typis vetuſtioribus edita; in quibus eſt, *fluvius Pado.* quod vocabulum immatura imperitorum judicia, quibus ignotus fuit amnis *Paulo*, converterunt, quaſi obliquum caſum in rectum, *Padus*. Et eſt hodiéque hoc tractu fluviolus inter Varum & Nicæam, ſub huius mœnibus labens, vulgari vocabulo *Palione*, cum vico eiusdem nominis. Nec impedit, quòd Plinius eum Nicææ poſtponat. ſic quidpe *flumen Rutubam* opido *Albio Intemelio* præpoſuit; quum hoc præcedat; ut mox oſtendam. In antiquâ tabulâ itinerariâ duo itidem hoc tractu inter Antipolim & Cemenelium opida depicti ſunt fluvii; quorum alteri titulus adſcriptus eſt, *Fl. Varum*; alteri, *Fl. Vulpis.* hoc etiam vacabulum corruptum eſſe cenſuerim ex genuino *Fl. Paulo*: licèt ea corruptio immanis videatur. nam & innumera alia tam fluminum quàm urbium in eâdem tabulâ nomina adeò viatata reperiuntur, uti agnoſci planè nequeant. leviora paullo menda ſunt in his, *Tiliabutte, Licenna, Afeſia, Rigonum, Paala*: quæ erant, *Tiliavemptum, Liquentia, Ateſis, Rhenum, Parma.*

HERCVLIS MONOECI *portus.*

Vltra Paulonem amnem Nicæamque opidum, ὁ τοῦ Ἡρακλέους Μονοίκου λιμήν, HERCVLIS MONOECI *portus*, etiam nunc nomen antiquum retinet, vulgò *Mónaco* & *Mónico* dictus; locus antiquis monimentis celebratiſſimus. Memoratur Virgilio, Valer. Maximo, Iul. Obſequenti, Straboni, Plinio, Silio, Lucano, Tacito, Ptolemæo, Mamertino, Marcellino, ac Stephani breviatori. Plinii ac Ptolemæi verba paullo antè citata ſunt. Virgilius ſub finem Aeneid. libri VI de civili bello inter Pompeium Magnum & Iul. Cæſarem ita canit:

Illæ autem, paribus quas fulgere cernis in armis,
Concordes animæ nunc, & dum nocte premuntur;
Heu quantum inter ſe bellum, ſi lumina vitæ
Attigerint, quantas acies ſtragemque ciebunt;
Aggeribus ſocer Alpinis atque arce Monæci
Deſcendens; gener adverſis inſtructus Eois!

Val. Maximi lib. I cap. VI hæc ſunt: *C. Hoſtilio Mancino conſuli, in Hiſpaniam ituro, hæc prodigia acciderunt: Quum ab Herculis portu, quò pedibus pervenerat, navem conſcenderet; talis vox ſine ullo auctore ad aureis eius pervênit; Mancine mane. qua territus, quum itinere*

converſo

converſo Genuam ictiſſet, & ibi ſcapham eſſet ingreſſus; angvis eximiæ magnitudinis viſus, è conſpectu abiit. Eamdem hiſtoriam refert & Iul. Obſequens, in libro de Prodigiis, his verbis: *M. Aemilio, C. Hoſtilio Mancino, conſulibus. Hoſtilius Mancinus conſul in portu Herculis quum conſcenderet navem, petens Numantiam, vox improviſò audita, Mane Mancine. quumque, egreſſus, poſteà navem Genuæ conſcendiſſet, angvis in navi inventus, è manibus effugit. ipſe conſul devictus, mox Numantinis deditus.* Lucanus lib. I:

Quique ſub Herculeo ſacratus nomine portus.
Vrget rupe cavâ pelagus. non Corus in illum
Ius habet, aut Zephyrus. ſolus ſua litora turbat
Circius; & tutâ prohibet ſtatione Monœci.

Silius lib. I; de legatis Saguntinorum, Romam navigantibus:

Intereà Rutulis, longinqua per æquora vectis,
Herculei ponto cœpere exſiſtere colles,
Et nebuloſa jugis attollere ſaxa Monœci.

Tacitus, Hiſtoriar. lib. III: *Fabius Valens è ſinu Piſano ſævitiâ maris aut adverſante vento Portum Herculis Monœci depellitur.* Mamertinus in genethliaco Maximiani Auguſti: *Tu modò Galliæ opida illuſtraveras; jam ſummas arceis Monœci Herculis præteribas.* Stephani breviator: Μόνοικος, πόλις Λιγυστική. Ἑκαταῖος Εὐρώπῃ. Id eſt: *Monœcus, opidum Liguſticum; auctore Hecatæo in Europâ.* Non, quia Ligurum erat; ſed, quòd in Liguſtico ſolo. De origine eius vulgatam Græcorum, vaniſſimæ gentis, fabulam libuit recenſere Marcellino lib. XV; ubi de Alpium tranſitibus narrat. *Primam*, inquit, *viam Thebanus Hercules, ad Geryonem exſtingvendum per Tauriſcos leniùs gradiens, prope maritimas compoſuit Alpeis: hiſque harum nomen indidit. Monœci ſimiliter arcem & portum ad perennem ſui memoriam conſecravit.* Nomen *Graiarum Alpium* reliquiſſe eum heic, innuit: quod falſum eſt. nam Graias Alpeis fuiſſe ad Prætoriam Auguſtam, pòſt ſuo loco oſtendetur. A Maſſilienſibus & ipſum opidum hoc conditum fuiſſe, unà cum præſcriptis, Rhodâ, Agathâ, Tauroentio, Olbiâ, Antipoli, & Nicæâ, haud dubium eſt. Strabo dicto lib. IIII, in deſcriptione Alpium: ὁ δὲ τοῦ Μονοίκου λιμὴν ὅρμος ἐστὶν οὐ μεγάλαις οὐδὲ πολλαῖς ναυσίν, ἔχων ἱερὸν Ἡρακλέους Μονοίκου καλουμένου. ἔοικε δὲ ἀπὸ τοῦ ὀνόματος, καὶ μέχρι δεῦρο διατείνειν ὁ Μασσαλιωτικὸς παράπλους. Hoc eſt: *Portus Monœci neque magnas neque multas capit naveis. in eo templum eſt Herculis Monœci. Ex nomine colligere datur, huc uſque Maſſilienſe litus pertinere.* Id diſertè ac liquidò adfirmant, ut ſuprà oſtenſum, Plinius atque Ptolemæus. *Monœci* cognomen unde Hercules heic habuerit, docet Servius, in commentariis ad præſcriptum Virgilii locum. *Arce Monœci*, inquit; *de Liguriâ; ubi eſt portus Monœci Herculis. Dictus autem* Μόνοικος, *vel quòd, pulſis omnibus, illic ſolus habitavit; vel quod in eius templo numquàm aliquis deorum ſimul colitur; ſicut in Iovis Minerva & Iuno; in Veneris Cupido.*

At video nonnullos noſtri ævi ſcriptores in dubium vocaſſe, utrùm *Portus Herculis Monœci* id habendum ſit opidum, quod vulgò nunc dicitur *Mónaco*; an verò portus prope Nicæam, cui vulgaris hodie adpellatio *Villa Franca*: quò illi maximè inclinant; pro ratione adferentes, quòd, quum tam celebris olim fuerit *Herculis Monœci portus*, magis id conveniat portui Villæ Francæ; ut longè maiori, magnarumque etiam navium capaci. tum, quia hic quoque Ἡρακλέους λιμὴν, id eſt, HERCVLIS *portus* à Ptolemæo vocatur. Verùm horum ego judicium, vel potiùs ignorantiam, mirari ſatis nequeo. Primùm enim, etiamſi Villæ Francæ quoque portus nudum *Herculis* nomen habuiſſe potuerit; ille verò alter ad huius diſcrimen *Monœci* tantùm: tamen ſuſpicio mihi eſt haud levis, Ptolemæum, quum apud quoſdam auctores *portum Herculis Monœci* nudè *Herculis* adpellari videret; ut eſt apud Valerium Max. & Iul. Obſequentem apud alios verò *Monœci* nomine tantùm; ut eſt apud Virgilium & Stephani epitomatorem, & item apud Strabonem quater, dicto lib. IIII: quumque duos heic exſtare portus accepiſſet: nomen *Herculis* eum à cognomine *Monœci* ſeparaviſſe, duobuſque diverſis tribuiſſe locis. Ego verò exiſtimo, ſi portu hoc jam tum uſi ſint accolæ eius populi, *Nicæenſium* eum accepiſſe cognomen; ut in quorum agro fuerit ſitus, duo millia circiter paſſuum ab Nicæâ diſtans. In antiquo tamen itinerario maritimo ita legitur:

OLIVVLA & NAVO *portus.*

Ab Hercle Monico Aviſione, portus,	M. P. XXII.
Ab Aviſione Anaone, portus,	M. P. IIII.
Ab Anaone ad Olivulam, portus,	M. P. XII.

Ab Olivula Niciam, plagia, M. P. V.
A Niciâ Antipoli, portus, M. P. XVI.

Numeri omnes pariter corrupti ſunt. namque à Monœco ad Nicæam VIIII tantùm ſunt millia: & hinc Antipolim X. Credo igitur, vocabula iſta, *Aviſione* & *Anaone* unius eiusdemque loci fuiſſe nomen; quod bifariam in duobus variis exemplaribus fuit ſcriptum. utrum rectiùs haud facilè divinaverim. OLIVVLA autem hic *portus* nullus alius fuit, quàm qui *Villa franca* nunc vocatur. NAVO *portus* inter hunc fuit & Monœcum. Opidum verò, quod vulgò nunc dicitur *Mónaco*, eſſe antiquum illum *Herculis Monœci portum*, tribus maximè claret documentis. Primum eſt in ipſo nomine: quod jam inde antiquis temporibus ſimpliciter dixêre, ſine *Herculis* adjunctione, Μόνοικος, *Monœcus*; ut liquidò videre eſt ex Virgilii Stephanique teſtimonio. Id poſteà vocabulum, quia Græci incolæ accentum ponebant in primâ ſyllabâ, diphthongum autem οι pronunciabant ut ſimplex ι, factum eſt vulgari Italorum lingvâ *Mónico*; & hoc tandem, quia ſimplex vulgus à monachi nomine dictum putabat, *Mónaco*. Alterum argumentum eſt in ipsâ portus huius naturâ: quem Strabo ὅρμον εἶναι ait ὐ μεγάλαις ναυσὶν, id eſt, *ſtationem haud magnarum navium:* quum è diverſo Villæ Francæ portus etiam maximarum, quas inibi conſpexi, ſit capax. Tertium indicium capitur ex ſitu portus: quem Lucanus loco ſuprà citato ita deſcribit:

——— *Non Corus in illum*
Ius habet aut Zephyrus. ſolus ſua litora turbat
Circius; & tutâ prohibet ſtatione Monœci.

Sanè Villæ Francæ portus non Circio expoſitus eſt vento; ſed maximè Africo. contrà Monœci portus illo validè infeſtatur. Quartum documentum colligitur ex intervallo; quod Strabo eodem lib. IIII inter Antipolim & Monœci portum facit ſtadiûm ampliùs ducentûm; id eſt, millium paſſuum plus XXV. quidpe à Monico hodie numerantur ad Villam Francam millia fermè VIII. hinc ad Nicæam II; ac totidem ad Varum: inde Antipolim VIII, quæ in univerſum conficiunt millia XX. At ab Antipoli ad Villam Francam XII tantùm ſunt millia.

TROPHAEA *Auguſti.*

Cæterùm Monœco imminet, à duobus fermè millibus paſſuum, in edito aſperoque jugo, ignobile nunc caſtellum, vulgò *Torbia* dictum. Hoc eum eſſe locum, qui Ptolemæo Τρόπαια Σεβαστοῦ, id eſt TROPHAEA AVGVSTI, vocatur, nomen ſimul & ſitus docent. Oſtentant incolæ lapidem cum inſcriptione victoriarum Auguſti Cæſaris, unde loco nomen ſit quæſitum. is talis eſt:

IMP. CAESARI . DIVI . F . AVGVSTO
PONT. MAX. IMP. XIIII. TRIBVNIC. POTEST. XVII
S . P . Q . R
QVOD . EIVS . DVCTV . AVSPICISQVE
GENTES . ALPINAE . OMNES . QVAE . A . MARI
SVPERO . AD . INFERVM . PERTINEBANT
SVB . IMPERIVM . P . R . REDACTAE . SVNT

Verùm hanc inſcriptionem meritò prudentiſſimus quisque pro adulterinâ ſuſpectam habet; quum conficta eſſe videatur ex Plinii lib. III cap. XX, quod eſt *de Alpibus & gentibus Alpinis*; ubi ita ſcriptum: *Non alienum videtur, hoc loco ſubjicere inſcriptionem è trophæo Alpium, quæ talis eſt: Imperatori Cæſari, divi fil. Aug. Pontifici Maximo, Imp.* XIIII, *tribunitiæ poteſtatis, ſenatus populusque Romanus, quòd eius ductu auſpiciisque gentes Alpinæ omnes, quæ à mari ſupero ad inferum pertinebant, ſub imperium populi Romani ſunt redactæ. Gentes Alpinæ devictæ: Triumplini, Camuni, Vennonetes, Iſarci, Breuni, Naunes, Focunates. Vindelicorum gentes quatuor; Conſuanetes, Virucinates, Licates, Catenates. Abiſontes, Riguſci, Suanetes, Calucones, Brixentes, Lepontii, Viberi, Nantuates, Seduni, Veragri, Salaſſi, Acitavones, Medulli, Vceni, Caturiges, Brigiani, Sogiontii, Ebroduntii, Nemaloni, Edenates, Eſubiani, Veamini, Gallitæ, Triulatti, Ectini, Vergunni, Eguituri, Nementuri, Oratelli, Neruſii, Velauni, Suetri.* Hoc ego trophæum puto poſitum fuiſſe in Alpibus maritimis, apud mare inferum, in loco prædicto, qui inde adpellatus eſt TROPHAEVM ſive TROPHAEA AVGVSTI. Id verò quum dudum interiiſſet; poſterioris ſæculi incolæ loci, priſcâ illâ quaſi gloriâ gaudentes, ex Plinii monimentis adulterinum eius effinxerunt; quemadmodùm innumera alia paſſim per Italiam reperiuntur.

Proximè

Proximè hinc ſequitur ALBIVM INTEMELIVM, *urbs* quondam magna; vulgò nunc *Vintimiglia* incolis adpellata. Meminêre eius, Varro, Strabo, Plinius, Tacitus, Ptolemæus, Romana itineraria. Plinius dicto lib. III cap. V: *Igitur ab amne Varo Nicæa opidum; fluvius Paulo: portus Herculis Monœci. Liguſtica ora: flumen Rutuba, opidum Albium Intemelium; flumen Merula, opidum Albingaunum.* Ptolemæus: Νίκαια, Ἡρακλέους λιμήν, Τρόπαια Σεβαστοῦ, Μονοίκου λιμήν, Ἀλβιντιμίλιον, Ἀλβίγγαυνον. Strabo lib. IIII, in deſcriptione Alpium: Στάδιοι δ' εἰσὶ μεταξὺ Γενούας καὶ Σαβάτων σ' πρὸς τοῖς ξ'· μετὰ δὲ τ' πρὸς τοῖς ο' Ἀλβίγγαυνόν ἐστι πόλισμα. οἱ δ' ἐνοικοῦντες Λίγυες Ἴγγαυνοι καλοῦνται· ἐντεῦθεν δ' εἰς Μονοίκου λιμένα υ' καὶ π'. ἐν δὲ τῷ μεταξὺ πόλις εὐμεγέθης Ἄλβιον Ἰουτεμέλιον, καὶ οἱ κατοικοῦντες Ἰντεμέλιοι. καὶ δὴ καὶ σημεῖον τίθενται τοῦ τὴν ἀρχὴν ἀπὸ τῶν Σαβάτων εἶναι τοῖς Ἄλπεσιν ἐκ τῶν ὀνομάτων τούτων. τὰ γὰρ Ἄλπια καλεῖσθαι πρότερον Ἄλβια. τῶν οὖν Λιγύων τῶν μὲν ὄντων Ἰγγαύνων, τῶν δὲ Ἰντεμελίων, εἰκότως τὰς ἀποικίας αὐτῶν ἐπὶ τῇ θαλάττῃ τὴν μὲν ὀνομάζεσθαι Ἄλβιον Ἰντεμέλιον, οἷον Ἄλπιον, τὴν δὲ ἐπιτετμημένως μᾶλλον Ἀλβίγγαυνον. Hoc eſt: *Inter Sabata & Genuam ſtadia ſunt* CCLX. *hinc, poſt ſtadia* CCCLXX, *opidum eſt Albingaunum; unde opidani dicuntur Ligures Ingauni. inde ad portum Monœci* CCCCXXC. *in medio urbs eſt magna Albium Intemelium; cuius Incolæ Intemelii. Cæterùm pro ſigno, quo probent, Alpeis à Sabatis initium ducere, hæc nomina ſumunt. nimirum Alpia antè dicta fuiſſe Albia. inde, quum Ligurum alii ſint Ingauni, alii Intemelii; conſentaneum eſſe, eorum colonias maritimas alteram vocari Albium Intemelium, alteram conciſiùs aliquanto Albingaunum.* *Alpeis* ſive *Alpios* monteis etiam fuiſſe dictos *Albios*, infrà in horum montium deſcriptione docebo. De cætero *Albium* etiam *Intemelium* poſteà contractè dictum eſt, ALBINTEMELIVM. quod porrò factum eſt ALBINTEMILIVM; ut eſt in multis exemplaribus manu ſcriptis itinerarii Antoniniani: à quo etiam puto, transpoſitione vocalium, natum eſſe per incuriam librarii illud in Tabulâ itinerariâ *Albentimillo* pro *Albintemilio*. Sed hoc porrò, *e* mutato in *i*, factum eſt ALBINTIMILIVM; ut pleraque habent exemplaria Antonini, & item vetus itinerarium maritimum; & Tacitus hiſtoriar. lib. II: ubi id vocabulum à mendo purgandum cenſuit Lipſius in *Albintemelium*: quod ego minùs probaverim; quandoquidem apud Ptolemæum quoque, Taciti ferè æqualem, reperiatur Græcis characteribus Ἀλβιντιμίλιον· quod alia exemplaria corruptum referunt Ἀλβιντιμίνιον, alia corruptius Ἀλβινιμίνιον. Apud Varronem lib. III cap. VIIII hæc leguntur: *Ab his gallinis dicitur inſula, Gallinaria adpellata, quæ eſt in mari Tuſco ſecundùm Italiam, contra monteis Liguſticos, Intemelium, Albium, Ingaunum*: Quum tam longè ab Albio Ingauno & inſulâ Gallinariâ diſſitum ſit Albium Intemelium, promontoriumque, quod vulgò dicitur *Capo delle Melle*, ita intercedat, ut inſula ab Albio Intemelio conſpici nequeat; miror ego, qua ratione aut quorſum iſtic Varro vocabulum *Intemelium* inſeruerit. Verùm corruptum eſſe eam lectionem, & licèt id vocabulum heic ferendum ſit, tamen imperfectam atque mancam eſſe orationem, in aperto eſt. ſcribendum quidpe fuiſſet; *contra monteis Liguſticos, & Albium Intemelium, & Albium Ingaunum*. Ego verò ſuſpicor ſcriptum fuiſſe ab ipſo Varrone; *contra monteis Liguſticos & Albium Ingaunum* Nec tamen nuperum hoc eſſe mendum credo; quando etiam antiqua exemplaria habent, alia *Intiminium*, alia *Vintimilium*. quorum utraque poſteriori ac barbaro jam ſæculo enata ſunt. quidpe integrum vocabulum *Albintimilium*, abjectâ poſteà primâ ſyllabâ *Al*, factum eſt primò BINTIMILIVM. in hoc cum eo ævo literæ B & V vulgariter commiſcerentur; cuius rei innumera reperiuntur exempla; nec pauca nos in contextu huius operis per Italiam adnotabimus: effectum porrò inde eſt illud VINTIMILIVM. quod lingvâ poſtmodùm Italorum vulgari dictum primò *Vintimilio* ſive *Vintimiglio*; ac tandem ſimplicitate vulgi vigenarium numerum in eo intelligentis, *Vintimiglia*; ut nunc vulgò obtinet. Alii rurſus, eodem ſæculo barbaro, illud *Vintimilium*, neſcio qua ratione, formarunt *Victimilium*. Martyrologium Romanum ita habet: *Septimo Calend. Septemb. apud Albintimelium, Liguriæ civitatem, S. Secundi martyris*. ubi ſic aliud Martyrologium vetus Romanum: *Apud Victimilium Secundi Martyris*. & apud Vſuardum ſimul & Adonem; *Apud Victimilium, caſtrum Italiæ, natalis beati Secundi martyris*. Olim εὐμεγέθη πόλιν, id eſt, *magnam* fuiſſe *urbem*, ſuprà è Strabone intelleximus. Hinc *municipium* etiam Romanorum adpellat Tacitus dicto Hiſtoriar. lib. II. *Irritatus*, inquit, *eo prælio Othonis miles, vertit iras in municipium Albintimilium*.

ALBINTEMELIVM *opidum.*

Orientale Albintimilii latus abluit FLVMEN RVTVBA, vulgò nunc *la Rotta* de-

RVTVBA *flumen.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

torto vocabulo dictus: quod apud nonnullos Italos auctores legitur *Rodoria*;& ipſum miro modo detortum, quum eſſet *Rotta rio*; id eſt, *Rotta fluvius*. Imperitè hunc Plinius Albintemelio præpoſuit; ut ſuprà dictum eſt. Meminit eius etiam Lucanus lib. II; ubi amneis recenſet, quos Apenninus mons fundit. Verba eius hæc ſunt:

Dexteriora petens montis declivia Thybrim
Vnda facit, Rutubamque cavum.

Cavum dixit, quia profundam vallem perlabitur prææltis ripis.

CEMENELIO opidum.

Porrò Plinii verba ex dicto lib. III cap. V jam anteà citata fuêre iſta: *Igitur ab amne Varo Nicæa opidum, à Maſſilienſibus conditum: fluvius Paulo: Alpes; populique Inalpini multis nominibus; ſed maximè Capillati, opido Vediantiorum civitatis Cemenelion. portus Herculis Monœci: Liguſtica ora*. Et eodem libro cap. XX: *Caturiges,& ex Caturigibus orti Vagienni Ligures,& qui Montani vocantur; Capillatorumque plura genera ad confinium Liguſtici maris*. Nempe CAPILLATI hi incoluêre à Varo ſupra Maſſilienſium Intemeliorumque litus in Alpibus maritimis; ut ſuperiori capite dictum. Ex pluribus autem eorum generibus ſive civitatibus uni fuêre VEDIANTII; quorum opidum CEMENELIVM, ſive CEMENAEVM & CEMENELIO, ſive CEMENELEO, præter Plinium, Ptolemæo quoque, Itinerariis Romanis, antiquo lapidi, & Vſuardo memoratur. Ad ſitum eius indagandum Itinerariorum indicio opus erit; quæ ſic habent:

Antonini;		Tabulæ;	
Albintimilio		*Albentimillo*	
Lumone M. P.	X	|	
Alpe ſummâ	VI.	*In Alpe Maritimâ*	VIIII.
Cemenelo	VIIII.	*Gemenello*	VIIII.
Varum flumine	VI.	*Varum*	VI.
Antipoli	X.	*Antipoli*	X.

Iter hoc antiquum ductum fuiſſe per mediterraneum, paullo ſuper modò dicta loca, patet ex eo, quòd ipſa in eo nòn memorantur: tum, quòd à Varo ad Antipolim ponuntur in utroque itinerario X millia; quum ab oſtio amnis ad id opidum vix ſint VIII. Sed & ipſe Plinius, recitato loco, non in litore, ſed in Alpibus collocat *Vediantiorum Cemenelionem*. cui conſentiens Ptolemæus, in mediterraneis id Italiæ opidis refert his verbis: Οὐεδιαντίων ἐν παραλίοις Ἄλπεσι Κεμενέλεον. id eſt; *Vediantiorum in maritimis Alpibus Cemeneleon*. Eſt tumulus ſupra Nicæam in Alpibus, in quo hodiéque exigua quædam conſpiciuntur antiqui opidi veſtigia: unde, faciliori expeditiorique viâ, V numerantur ad Varum flumen millia paſſuum. Ab altero verò latere, versùs Albintemelium, ingens eſt Alpium jugum; cuius ſummus vertex, ſive ſummus tranſitus VIIII circiter à prædicto tumulo diſtat millia paſſuum. Quum igitur hic vertex ſine controverſiâ ſit is locus, qui Antonino vocatur IN ALPE SVMMA, Tabulæ verò IN ALPE MARITIMA; dubium nullum eſſe poteſt, quin prædicta veſtigia ſint reliquiæ veteris opidi *Cemenelionis*. Huc accedit, quòd circumjectus ei ager etiamnunc *Cemeni* cognomen ferat. Apud Plinium lib. III cap. IIII, in vulgatioribus exemplaribus ita legitur: *At in orâ opidum Latinum Antipolis, regio Deciatium; amnis Varus, ex Alpium monte Acema profuſus*. At alia exemplaria habent, *monte Cema:* complura autem, eaque antiquiora, tam typis edita, quàm manu ſcripta, *monte Cemeno:* quod vocabulum CEMENVS, Græcè Κεμενὸς, verum atque genuinum montis eſt nomen; unde opidum denominatum fuit Κεμεναῖον, CEMENAEVM; ut antiquus lapis refert, qui trans Alpeis in Vincio opido (vulgo incolis dicitur *Vence*,) adſervatur huiusmodi:

MARTI · VINCIO · M · RVFINVS · FIL · GAL
IIIIII VIR · ET · INCOLA · CEMENAEI
EX · VOTO

Hoc autem vocabulum *Cemenæum* variatum poſtmodùm eſt in *Cemelium*; ut habent probatiora Antonini exemplaria. ex quo in Tabulâ corruptum illud natum eſt *Gemenello*. Apud Ptolemæum, ut modò citavimus, idem vocabulum legitur Κεμενέλεον. id neſcio qua Græci oris formatione vel dialecto. Itaque ſuſpicor ſcriptum fuiſſe ab

ipſo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

ipſo auctore Κεμενέλεων, CEMENELEON. quod Plinius item ita formatum ex Græco aliquo hauſit auctore, mutatâ tantùm vocali penultimâ, CEMENELION; quum Latino ore dicendum foret, CEMENELIO, *Cemenelionis*. Pleraque tamen Plinii exemplaria corruptum id habent *Cemelion*; haud dubiè à vitiatio itidem montis nomine *Cema* imperitis grammaticis formatum. Quamquàm hodiéque montis jugum, ex quo Varus funditur, vulgò vocatur *Camelione*: quæ eadem eſt vox illa antiqua; *e* tantummodò primæ ſyllabæ in *a* converſo: nam C ante E etiam & I antiquitus eumdem obtinebat ſonum, quem K habet apud Græcos. *Cemenus* autem *mons* non id tantùm jugum adpellabatur, ex quo oritur dictus amnis; ſed quidquid hinc montium erigitur ad *Cemenæi* usque opidi locum: quod à ſolo ſuo id nominis taxit. De cætero nomen hoc opidi poſterioribus temporibus declinatum atque contortum eſt in CEMELA & CIMELLA. Vſuardus in Martyrologio: *Pridiè Idus Maii, in Galliis, civitate Cimella, natalis S. Pontii martyris.* Martyrologium Romanum: *In Galliâ S. Pontii martyris.* Colitur etiam nunc præcipuè Niciæ. Poſteriori autem ævo terminum Italiam inter & Galliam conſtitutum fuiſſe in ſummâ Alpe maritimâ, ſuprà ex Antonini itinerario oſtenſum eſt. Hinc in antiquo etiam catalogo provinciarum Galliæ ſic ſcriptum eſt: *Metr. civ. Ebrodunenſium; civ. Dignenſium; civ. Rigomagenſium; civ. Sollinienſium; civ. Sanicienſium; civ. Glanatica; civ. Celemenſium; civ. Venſienſium.* Scribenda ſunt duo hæc poſteriora, *Cemelenſium*, & *Vencienſium*.

At locus ille LVMO, quem Antonini itinerarium refert inter Albintimilium atque LVMO, *locus.* Alpem ſummam, quo ſitu fuerit, incertum eſt; quando numeri intervallorum corrupti eſſe videntur. qui ſi veri atque probi; longè interiùs eum locum fuiſſe, neceſſum eſt.

Ad litus rurſum iter deſcribitur in prædicto itinerario maritimo huiusmodi:

Ab Albingauno portum Maurici, M. P. XXV.
Ab Albintimilio, plagia M. P. XV. MAVRICII *portus.*
Ab Albintimilio Hercle Monico portus; M. P. XVI.

Scriptum fuit haud dubiè ſecundâ lineâ, *A portu Maurici Abintimilium, plagiam* M. P. XV. PORTVS autem MAVRICII nomen hodiéque ſervat, vulgò *Porto Moriſo* dictus. Origo eius incerta eſt; ut ipſe huius itinerarii auctor.

ALBIVM INGAVNVM, ſive, contractis in unum duobus vocabulis, ALBINGAVNVM, vulgò nunc vocatur *Albenga*, & nonnumquàm *Arbenga*. Memoratur Varroni, ALBINGAVNVM *opidum.* Straboni, Melæ, Plinio, Tacito, Ptolemæo, Vopiſco, Itinerariis Romanis. Atque apud Varronem quidem & Plinium locis citatis, duobus vocabulis legitur *Albium Ingaunum*; ut *Albium Intemelium*. apud reliquos verò eſt *Albingaunum*; ut quidem pleraque Plinii etiam habent exemplaria. Apud Melam lib. II cap. IIII, extrito per incuriam librariorum *n*, legitur *Albigaunum*; atque eodem modo apud Ptolemæum Ἀλβίγαυνον, pro Ἀλβίγγαυνον. Nomen id traxiſſe opidum ab Alpibus, qui olim etiam *Albii* dicebantur *montes*, & ab incolis *Ingaunis*; ſuprà ex Strabone didicimus, ad expoſitionem Albintemelii. Tacitus eius meminit Hiſtoriar. lib. II his verbis: *Vitelliani retro Antipolim, Narbonenſis Galliæ municipium, Othoniani Albingaunum, interioris Liguriæ, revertêre.* Flavio Vopiſco, in vitâ Proculi, dicitur plurali numero ALBINGAVNI. *Proculo*, inquit, *patria Albingauni fuêre, poſiti in Alpibus maritimis.* Strabonis tempeſtate haud magni fuiſſe momenti, patet ex eo, quòd πόλισμα id adpellat, id eſt, *parvum opidum*: quum è diverſo Albium Intemelium vocet πόλιν εὐμεγέθη, *urbem magnam*.

Prope Albingaunum, ab occidentali eius latere, fluit MERVLA *amnis*, Plinio memoratus; vulgò nunc *Arocia* dictus. quamquàm is nonnullis ſcriptoribus hodiè perperam vocatur *Centa*: quum hic in Arociam confluat. Plinii verba lib. III cap. V hæc ſunt: *Flumen Rutuba; opidum Albium Intemelium: flumen Merula; opidum Albium Ingaunum.* Plinius, credo, quum comperiſſet, duo maxima huius litoris inter Varum & Albingaunum eſſe flumina; alterum *Rutubam*, apud Albintemelium; alterum *Merulam*, haud procul Albingauno: quumque audiſſet, Merulam ab occidentali opidi fluere parte: Rutubam quoque ab eâdem Albintemelii regione labi, falsò exiſtimavit; ut ſuprà oſtenſum. MERVLA *amnis.*

De cætero iter inter dicta duo opida deſcribitur Itinerariis huiusmodi: COSTA BALENAE, *locus.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Antonini;		Tabulæ;	
Albintimilio		*Albentimillo*	
Coſta Ballene	XVI.	*Coſta Ballene*	XVI.
Locobormani	XVI.	*Luco Bormani*	....
Albingauno	XV.	*Albingauno*	XV.

LVCVS Bor-*mani.*

Spatium litoris, quod eſt inter Albintemelium & Albingaunum, ſi in treis æquas ferè portiones dividas; COSTA BALLENAE erit circa oſtium amnis Caprioli; LVCVS verò BORMANI, neſcio cuius dei, inter opidum Dianium & Cervum vicum.

SAVONA *opi-dum: quod &* SABATA, *&* VADA SA-BATIA.

Poſt Albingaunum à XXX fermè millibus ſequitur opidum celebre, vulgari vocabulo *Savona*. Id Livio etiam, jam inde in rebus belli Punici ſecundi, adpellatur SAVO. Verba eius lib. XXVIII hæc ſunt: *Eadem æſtate Mago Genuam repentino adventu cepit. Inde ad oram Ligurum Alpinorum, ſi quos ibi motus facere poſſet, claſſem adpulit. Ingauni bellum eâ tempeſtate gerebant cum Epanteriis montanis. igitur Pœnus Savone, opido Alpino, prædâ depoſitâ, & X longis navibus in ſtatione ad præſidium relictis, cæteris Carthaginem miſſis, ipſe ſocietate cum Ingaunis compoſitâ, montanos inſtituit oppugnare.* Sed aliis auctoribus locus hic vocatur SABATA; & VADA SABATORVM, ſive VADA SABATIA. Ptolemæus: Τῆς δὲ Λιγουρίας ὑποκειμένης τοῖς Ἀπεννίνοις ὄρεσιν, εἰσὶ μεσόγειοι πόλεις, Σάβατα, Πολεντία, Ἄστα, Ἄλβα Πομπηΐα, Λιβάρνα. Id eſt: *Liguriæ, Apenninis ſubjacentis montibus, opida mediterranea ſunt, Sabata, Polentia, Aſta, Alba Pompeia, Libarna.* Imperitè opidum maritimum inter mediterranea poſuit. Iulius Capitolinus in vitâ Pertinacis: *Avaritiæ ſuſpicione privatus non caruit, quum apud Vada Sabatia oppreſſis fœnore poſſeſſoribus, latiùs ſuos teneret fineis.* Strabo lib. IIII, in deſcriptione Alpium: Ἄρχονται δὲ αἱ Ἄλπεις, οὐκ ἀπὸ Μονοίκου λιμένος, ὡς εἰρήκασί τινες, ἀλλ' ἀπὸ τῶν αὐτῶν χωρίων, ἀφ' ὧνπερ καὶ τὰ Ἀπέννινα ὄρη κατὰ Γένουαν, καὶ τὰ καλούμενα Σαβάτων Οὔαδα, ἅπερ ἐστὶ τενάγη. τὸ μὲν γὰρ Ἀπέννινον ἀπὸ Γενούας, αἱ δὲ Ἄλπεις ἀπὸ τῶν Σαβάτων ἔχουσι τὴν ἀρχήν. στάδιοι δ' εἰσὶ μεταξὺ Γενούας καὶ Σαβάτων σ' πρὸς τοῖς ξ'. Id eſt: *Incipiunt Alpes, non à Monœci portu, ut quidam tradiderunt; ſed ab iisdem locis, à quibus & Apenninus mons, circa Genuam & quæ vocantur Sabatorum Vada; quæ ſunt loca cœnoſa ac paluſtria. nam Apenninus à Genuâ incipit; Alpeis à Sabatis. Stadia autem ſunt inter Genuam & Sabata* CCLX. Duplici adpellatione rem geminam innuere voluit. *Sabata* erat nomen ipſius urbis; ab urbe cognominabantur vicina loca paluſtria ac lutoſa *Vada Sabatorum*. At quia urbi contigua ſunt hæc Vada; ipſa etiam urbs, non tantum *Vada Sabatorum* & *Vada Sabatia*, ſed & ſimpliciter VADA adpellata fuit. Apud Melam equidem lib. II cap. IIII ita legitur: *Deinde Luna Ligurum, & Liguria, & Genua, Sabatia, & Albigaunum.* Aut *Sabata* heic ab ipſo Melâ ſcriptum fuit, aut *Vada Sabatia*. Itineraria ſic habent:

Tabulæ;		Antonini;		Itinerar. maritim:	
Genua		*Genua*			
Ad Figlinas	XXVII.	*Libarnum*	XXXVI.		
Haſta	XIII.	*Dertona*	XXV.		
Ad Navalia	VII.	*Aquis*	XXVIII.		
Alba Docilia	XIII.	*Crixia*	XX.		
Vico Virginis	X.	*Canalico*	X.		
Vadis Sabates	VIIII.	*Vadis Sabatîs*	XII.	*Genua Vadis, portus,*	XXX.
|		*Pollupice*	XII.	*A Vadis Suadis Albingauno, poſitio,*	XVII.
Albingauno	XXIX.	*Albingauno*	VIII.		

Iter Antonini ab Genuâ ad Vada Sabatia longiùs trans Alpeis ſive Apenninum per Dertonam & Aquas Statiellas circumactum eſt: quod etiam Tabula habet. unde patet, in hac id, quod huc adſcripſimus, fuiſſe ſecundùm litus ductum. Inter Sabata & Genuam Strabo ponit ſtadia CCLX; quæ ſunt millia XXXII cum paſſibus IↃ: & itinerarium quoque maritimum heic habet millia XXX: quot hodiéque inter Genuam & Savonam numerantur. ex quo liquidò patet, hanc urbem eſſe vetera illa *Sabata* ſive *Vada Sabatia*. Quapropter plerique in Tabulâ numeri corrupti ſint neceſſum eſt. Bruto, apud Ciceronem Familiar. epiſt. lib. XI, locus is bis ſimpliciter dicitur VADA. Verba eius in epiſtolâ, cuius initium, *Nec mihi rempublicam*, hæc ſunt: *Huc acceſſit manus Ventidii: quæ trans Apenninum, itinere facto difficillimo, ad Vada pervênit; atque ſe ibi cum Antonio conjunxit.* Et poſteà, epiſtolâ, cuius principium, *Iam*

non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

non ago tibi gratias, ita cum deſcribit : *Antonius conſtitit nusquàm priùs, quàm ad Vada venit. quem locum volo tibi eſſe notum. Iacet inter Apenninum & Alpeis, impeditiſſimus ad iter faciendum.* Scilicet impeditiſſimus eſt hodiéque, propter τὰ τενάγη, ut inquit Strabo; quæ Apollonii Rhodii ſcholiaſtes in lib. IIII interpretatur γῆν ἐπιπόλαιον ὕδωρ ἔχουσαν, ἢ πηλῶδες ὕδωρ· id eſt; *terram, quæ aquam ſuperficiariam minúsque altam, ſive cænoſam habet.* hæc Latinis proprio vocabulo dicuntur *vada*. quæ in hoc Liguriæ litore ita deſcribit Lucanus lib. I:

Quáque ſub Herculeo ſacratus nomine portus,
Vrget rupe cavâ pelagus. non Corus in illum
Ius habet, aut Zephyrus. ſolus ſua litora turbat
Circius; & tutâ prohibet ſtatione Monœci.
Quáque jacet litus dubium, quod terra fretumque
Vindicat alternis vicibus, quum funditur ingens
Oceanus; vel, quum refugis ſe fluctibus aufert.

At quia hodiè hoc litore portus, VI circiter millia ab Savonâ versùs Albingaunum disſitus, vulgari vocabulo Italis dicitur *Vadi*, ſive contractè *Vai*, & rudiori incolarum lingvâ *Vè*; hunc locum ſimul ex ipſo vocabulo ſimulque ex portus opportunitate plerique opinantur eſſe *Vada* illa Bruti, & *Vada Sabatia* itinerariorum. Verùm huic ſententiæ ſatis refragatur vel unum hoc documentum, quod eſt in numero millium, quæ inter Sabata Strabo, ſive Vada Sabatorum, ſeu Vada Sabatia & Genuam unà cum itinerario maritimo refert. quibus apertè adſentitur etiam Tabula, XXIX millia à Vadis Sabatiis ad Albingaunum exhibens: quod ſatis juſtum hodiéque deprehenditur eſſe intervallum. Apud Antoninum autem, & in maritimo itinerario, alterum X ad Albingauni nomen interiiſſe, neceſſe eſt. Hodiè *Savona* totius Liguſtici litoris ſecundùm Genuam eſt celeberrima. Eam dignitatem jam olim *Vada Sabatia* obtinuiſſe, patet ex Tabulâ; in qua ſola in omni hoc litore cum Genuâ primariæ urbis ſigno exhibentur. At quæres; Vnde igitur id nominis prædicto portui *Vadi*? quod ſanè vocabulum unum idemque eſt cum illo Latinorum *Vada* pluralis numeri. nam vulgari Italorum lingvâ à ſingulari *il Vado* pluralis fit *i Vadi*. Apud Plinium dicto lib. III cap. V ita ſcriptum eſt: *Flumen Rutuba; opidum Albium Intemelium: flumen Merula; opidum Albium Ingaunum. portus Vadûm Sabatiûm. flumen Porcifera; opidum Genua.* Imperitè heic quidam pro ſingularis numeri ac nominativi caſus vocabulis accipiunt iſtas duas voces *Vadum Sabatium*; quum re verâ ſint genitivi plurales contracti, à ſolutis *Vadorum Sabatiorum*. unde etiam in quibusdam exemplaribus legitur, *Portus Vadorum Sabatiûm*. Euphoniæ gratiâ, quum duo vel plures eiusmodi pares genitivi inter ſe junguntur, ita contrahi, pueri in ſcholis diſcunt. Hic igitur PORTVS VADORVM SABATIORVM, ſive VADV̄M SABATIV̄M, nullus alius Plinio intellectus eſt, quàm qui hodiéque vulgò dicitur *Vadi*. Nec magis mirum cuiquam ſit, hunc nomen *Vadorum* perpetuò ad hæc usque tempora retinuiſſe, quum id in ipſis Vadis Sabatiis, id eſt, in *Savone*, dudum interierit; quàm quòd *Hipponii* quoque in agro Brutio, ſive ut Romani vocabant, *Vibonis Valentiæ*, navale etiam nunc vocetur *Vibona*, & *Bevona*; quum ipſa urbs, omni ævo in his oris celeberrima, nunc dicatur *Monte Leone*; ut ſuo loco oſtendam. Quòd autem apud Strabonem & Antoninum in vulgatis exemplaribus vocabulum id geminato *bb* legatur Σάββατα; *Sabbata*; id errore atque imperitiâ Chriſtianorum librariorum factum; quibus notiora fuêre Iudæorum feſta Sabbatha, quàm unde urbs Liguriæ id nominis habuerit. Quamquàm nec ego quidem facilè divinaverim, unde ita denominata fuerit; niſi incolarum Ligurum, Celticæ gentis, nativum *Sabon*, ſive, ut Livius habet, *Savon*, Romani poſtmodò, hac orâ potiti, formaverint in *Sabata*; quia hæc vox jam anteà ipſis familiaris eſſet in proximâ Etruriâ, apud lacum, qui inde dictus *Sabatinus*. Alioquin mirum foret, opidum, quod jam inde à ſecundo bello Punico nomen perpetuò apud incolas habuit *Savo* ſive *Savona*; nemini veterum auctorum eſſe memoratum, niſi uni Livio. qui id haud dubiè ex iis belli Hannibalici habuit monumentis, quæ antè, quàm Romani opidum id adpellarent *Sabata*, conſcripta fuêre. Eodem autem modo SAVO etiam SAVONA Latino ori dici potuit, ut Græcorum formatio Ἀγκὼν, Κρεμὼν, Δερθὼν, Romanis facta, *Ancona*, *Cremona*, *Dertona*; & his ſimilia. Id quoque inſuper monendum cenſeo; in Antonini itinerario obliquum caſum in *Vadis Sabatis* non intelli-

intelligendum ab recto *Vada Sabata*: ſed contractum hoc itidem eſſe à *Sabatiis*, *Sabatis*; ut innumera alia in Antonini ſimul & Tabulæ itinerariis reperiuntur eiusdem formationis vocabula: in quæ pleroſque noſtri ſæculi homines, interioris geographiæ ignaros, impingere video. In Tabulâ neſcio, an idem *i* ab initio fuerit, an verò diphthongus *ei*. Longè corruptius idem vocabulum legitur in dicto itinerario maritimo *Suadis*; fortè à *Savatis*. Sed de hac etiam urbe ſatis dictum. Reliqua illa loca, quæ Tabula inter Genuam ac Sabata refert, nunc explicentur.

VICVS VIRGINIS.

Millia eſſe inter Genuam ac Savonem omni numero XXX, jam antè dixi. in Tabulâ quum numeri eo intervallo in univerſum conficiant millia LXXVIIII; mirum in modum pleroſque eſſe corruptos certum eſt; vel etiam vocabula fortè ex aliis locis huc tranſpoſita. Nec eſt, quod ſuſpicari velis, circumactum eſſe & hoc per devia loca iter. quidpe VICVS VIRGINIS, VIIII vel VIII millibus paſſuum à Savonâ verſùs Genuam, hodiè detorto vocabulo in litore dicitur *Veraze* incolis, & aliis Italis *Viragine*. quod *Virgium* etiam atque *Voragium* Latinis, neſcio quibus auctoribus, dici affirmant Blondus ac Leander; Iacobus autem Bracelius Genuenſis, in deſcriptione oræ Liguſticæ, nonnullis quoque *Vicum Virginis*. Hic igitur ſaltem numerus VIIII millium, quæ Tabula heic habet, ſatis eſt incorruptus. in reliquis verò error eò immanior eſt. Turbatum eſſe omnem ordinem huius litoris ab Albingauno ad Genuam, certum eſt.

ALBA DOCILIA, oppidum.

Locum iſtum, qui dicitur ALBA DOCILIA; fortè ad diſcrimen alterius Ligurum opidi, quod trans Apenninum vocabatur *Alba Pompeia*; nullum alium eſſe exiſtimo, quàm qui ignobilis nunc vicus, inter Savonam & Vicum Virginis, vulgò incolis dicitur *Albizzuola*.

HASTA, opidum.

HASTA haud dubiè id eſt opidum, quod VII circiter millia ab Genuâ vulgari nunc vocabulo dicitur *Seſtri di Ponente*, Latinè *Segeſta occidentalis*; ad differentiam ſcilicet opidi, quod ab alterâ dictæ urbis parte vocatur *Seſtri di Levante*, id eſt, *Segeſta orientalis*. quidpe quum huius antiquum, ut mox infrà videbimus, verumque nomen eſſet *Segeſta*; in hoc etiam illud poſteà *Haſtæ* vocabulum detorſit ætas barbara; ac tandem utrumque in *Seſtri*; ut nunc obtinet.

FIGLINAE, *locus.* PORCIFERA *flumen.*

Inter hanc Haſtam, ſive, ut nunc vocatur, Segeſtam & Genuam urbem ſi illæ fuêre FIGLINAE; planè ego circa oſtium PORCIFERAE *amnis*, vulgò nunc *Porcèvera* & *Pocèvra* dicti, eas fuiſſe crediderim, III millia paſſuum vel paullo ampliùs à Genuâ. Meminit *Porciferæ* unus Plinius, loco proximè citato.

NAVALIA *opidum.*

At locum illum AD NAVALIA longè alio ſitu fuiſſe cenſeo, quàm quo eum Tabula exhibet. Nimirum opidum hodiè eſt inter Savonam & Albingaunum, V millia paſſuum à portu Vadûm Sabatiûm; quod, epiſcopali titulo gaudens, vulgari incolarum lingvâ dicitur *Noli*; Latinè verò loquentibus *Naulum*; portu præditum eximio. Hoc antiqua illa eſſe *Navalia*, cùm natura loci tùm nomen ipſum maximè perſvadent.

POLLVPICE, *locus.*

Antoninus, ut ſuprà relatum, inter Vada Sabatia & Albingaunum habet locum POLVPICEM, ſive, ut alia ferunt exemplaria, PVLLOPICEM nomine, hoc modò:

Vadis Sabatis
Pollupice XII.
Albingauno VIII.

Corruptum eſſe alterum horum numerorum, vel fortè utrumque, jam anteà oſtendi. Quapropter certus ſitus huius *Pollupicis* (ſi modò & ipſum quoque vocabulum non fuerit vitiatum) monſtrari ex eis nullus poteſt. Conjicere, fallaci forſitan opinione, licuerit, fuiſſe id opidum, quod proximum Naulo verſùs Albingaunum vulgò nunc dicitur *Finale*, mille ferè paſſus à litore in vallem recedens.

GENVA *urbs.*

Sed poſt Porciferam flumen ipſa ſequitur Γένȣα, GENVA, vulgò nunc *Gènoa*, ſive *Gènova*; verè regia atque ſuperba, Italicarum nulli ferè ſecunda. Nomen eius apud omneis veteres auctores, Livium, Valerium Maximum, Strabonem, Melam, Plinium, Ptolemæum, & item in itinerariis Romanis, conſtanter ita ſcribitur. Poſterioris atque barbari jam ſæculi homines, quibus quasvis fingendi fabulas ſemper fuit libido, IANVAM maluerunt dicere; quaſi à *Iano* deo conditam denominatamque. Id vocabulum eſt apud Procopium lib. II ac III; apud Luithprandum & in Faſciculo temporum; item in libro de pace Conſtantiæ. & inſcriptio etiam marmorea heic

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

heic exſtat in muro civitatis, quà mare proſpicit, idem nomen ferens. Vetuſta tamen adpellatio in uſu obtinuit ad hæc usque tempora. Stephanus Byzantinus neſcio quid ſibi voluerit, dum *Staliam* ſuâ ætate vocari adfirmaret. niſi ingens illic vel librariorum mendum, vel abbreviatoris nugamentum; ut ſæpè aliàs. Γενόα, inquit, πόλις Λιγυρῶν, Σταλία καλουμένη νῦν, ὡς Ἀρτεμίδωρος· τὸ ἐθνικὸν Γενοάτης. Id eſt: *Genua, opidum Ligurum, Stalia nunc adpellata; auctore Artemidoro. gentilium inde Genuates.* Certè hæc peſſimè cohærent. ingens quidpe ſæculorum eſt intervallum Artemidori inter & Stephani ætates. Credo in hanc mentem ſcripſiſſe Stephanum: Γενόα, πόλις Λιγυρῶν ἐν Ἰταλίᾳ, ὡς Ἀρτεμίδωρος, καλουμένη νῦν Ἰάνουα. hoc eſt: *Genua, urbs Ligurum in Italiâ, auctore Artemidoro; nunc Ianua adpellata.* Iam antiquiſſimis temporibus præcipuum fuiſſe Liguſticæ oræ opidum, facilè crediderim. Strabo lib. IIII & V Liguriæ id adpellat emporium. Verba eius lib. IIII, in deſcriptione Alpium hæc ſunt: ὅλως δὲ ἡ παραλία αὕτη πᾶσα, μέχρι τῆς Τυρρηνίας ἀπὸ Μονοίκου λιμένος, προσεχής τε ἐστὶ καὶ ἀλίμενος, πλὴν βραχέων ὅρμων καὶ ἀγκυροβολίων. ὑπέρκεινται δὲ οἱ τῶν ὀρῶν ἐξαίσιοι κρημνοὶ, στενὴν ἀπολιπόντες πρὸς θαλάττῃ πάροδον. κατοικοῦσι δὲ Λίγυες, ζῶντες ἀπὸ θρεμμάτων τὸ πλέον, καὶ γάλακτος καὶ κριθίνου πόματος, νεμόμενοι τά τε πρὸς θαλάττῃ χωρία, καὶ τὸ πλέον τὰ ὄρη. ἔχουσι δ' ὕλην ἐνταῦθα τὰ ὄρη παμπόλλην ναυπηγήσιμον, καὶ μεγαλόδενδρον· ὥστ' ἐνίων τὸ πάχος τὴν διάμετρον ὀκτὼ ποδῶν εὑρίσκεσθαι· πολλὰ δὲ καὶ τῇ ποικιλίᾳ τῶν θυΐνων οὐκ ἔστι χείρω πρὸς τὰς τραπεζοποιΐας. ταῦτά τε δὴ κατάγουσιν εἰς ἐμπορεῖον τὴν Γένουαν, καὶ θρέμματα καὶ μέλι. ἀντιφορτίζονται δὲ ἔλαιον καὶ οἶνον, τὸν ἐκ τῆς Ἰταλίας· ὁ δὲ παρ' αὐτοῖς ὀλίγος ἐστὶ, πιττίτης, αὐστηρός. Id eſt: *Omnino univerſum hoc litus, à Monæci portu ad Etruriam usque, continuum ſolidumque eſt & importuoſum; niſi quatenus exiguæ quædam navium ſunt ſtationes, ubi anchoræ defigi poſſint. Deſuper imminent grandes atque præruptæ montium rupes; anguſtum relinquentes juxta mare tranſitum. Incolunt Ligures; vitam re pecuariâ ferè ſuſtentantes, ac lacte & hordeaceo pôtu; depaſcentesque maritima loca ac maiori ex parte monteis. Sunt illic ſilvæ frequentes, ligna ad naveis compingendas ſuppeditantes, magnarum feraces arborum: quarum nonnullæ craſſitiei diametrum octo pedes habeant. quædam etiam ob varietatem ad menſas conficiendas thyâ nihilo deteriores. Hæc igitur illi ligna ad emporium Genuam deportant: item pecora, pelleis, mella. pro quibus rebus oleum exportant & vinum Italicum. apud ipſos enim parum vini naſcitur; idque picem reſipiens, atque auſterum.* Antiquiſſima urbis mentio exſtat apud Livium in rebus geſtis belli Punici ſecundi. Fine lib. XXVIII: *Mago in Italiam* XXX *fermè roſtratis navibus, & multis onerariis,* XII *millia peditum, duo fermè equitum, trajecit: Genuamque, nullis præſidiis maritimam oram tutantibus, repentino adventu cepit.* Lib. XXVIIII: *Eisdem fermè diebus naves, quæ ab Carthagine ad Magonem miſſæ erant, inter Albingaunos Ligures Genuamque acceſſerunt.* Lib. XXX: *Et Lucretio prorogatum eſt imperium, ut Genuam opidum, à Magone Pœno dirutum, exædificaret.* Factum hoc Cn. Servilio Cœpione & C. Servilio Nepote conſulibus, anno à conditâ Româ IↃL, ante natum Ieſum CCIII. *Municipium* poſteà factum eſſe Romanorum, patet ex antiquâ inſcriptione, in quâ memorantur DECVR. GENVAE. Meminêre eius præterea, Valerius Max. lib. I cap. VI, & Mela lib. II cap. IIII.

Reliquum hinc Liguriæ litus ad Etruriæ usque finem ita recenſet Plinius dicto lib. III cap. V: *Flumen Porcifera: opidum Genua; fluvius Feritor; portus Delphini; Tigulia: intus Segeſta Tiguliorum: flumen Macra, Liguriæ finis.* Itineraria Romana ſic habent:

Antonini;		Tabulæ;		Itinerraii maritimi;	
Genua		*Genua*		*A Piſis Lunæ, fluvius Macra,*	XXX.
Delphinis	XXII.	*Ricina*	VII.	*A Lunæ Segeſte, poſitio,*	XXX.
Tegolata	XXI.	*Ad Solaria*	XV.	*A portu Veneris portu Delphini,*	XVIII.
Bodetia	XII.	*Ad Monilia*	VI.	*A portu Delphini Genua portus,*	XVIII.
Boaceas	XXVII.	*In Alpe pennino*	XIII.		
Lune	XII.	*Boron*	II.		
		Lune	...		

Ex his locis PORTVS DELPHINI hodièque vocabulo vitiato vocatur vulgò *Porto Fino*, XVII circiter millia paſſuum ab urbe Genuâ diſtans. unde certum, apud Antoninum hoc intervallo V mutatum eſſe in X.

Fluvius

FERITOR *fluvius.*

Fluvius inter hunc portum & Genuam nullus omnino eſt memoratu dignus, niſi qui ſub ipſis urbis mœnibus ad orientem versùs vulgari nunc vocabulo dicitur *Biſagno*. hic igitur ille eſt Plinii FERITOR *fluvius*.

MONILIA, *locus.*

De cætero ab Genuâ millia quum ſint ad Lunam, (quod opidum nunc vocari *Lerice*, pòſt docebo) circiter LXX; in omnibus præſcriptis itinerariis numerorum pleroſque eſſe corruptos, certum eſt. Locus tamen AD MONILIA hodiéque dicitur *Moneglia*, vicus V millia paſſuum ultra *Seſtri* opidum ſitus. Apud Antoninum quoque pro *Bodetia* ſcribendum eſſe MONELIA, præcedens vocabulum *Tegolata* ſimulque ſequens *Boaceas* indicium faciunt. De hoc poſteà agam. *Tegolata* eum eſſe exiſtimo locum, qui à Plinio ac Ptolemæo TIGVLIA vocatur *opidum*.

TIGVLIA *opidum.*

Plinius loco præſcripto: *Portus Delphini; Tigulia: intus Segeſta Tiguliorum. flumen Macra.* Ptolemæus: Γένουα, Ἐντέλλα ποταμοῦ ἐκβολαί, Τιγουλία, Μάκρα ποταμοῦ ἐκβολαί. id eſt: *Genua, Entellæ amnis oſtium, Tigulia, Macræ fluminis oſtium*. Opidum heic eſt epiſcopāle, quod vulgari incolentium lingvâ dicitur *Seſtri*; Latinè verò loquentibus *Segeſta*. Hoc licèt Blondus atque Leander Plinii eſſe *Segeſtam Tiguliorum* doceant; tamen ego ipſam *Tiguliam*, Plinio ſimul atque Ptolemæo in litore memoratam, eſſe exiſtimo. Intus verò, ad II circiter millia paſſuum, egregii opidi, cum præclari templi reliquiis, viſuntur rudera vulgò *Tergoſa* & *Tregoſa* dicta. Hæc haud dubiè antiqua illa eſt Plinii SEGESTA TIGVLIORVM.

SEGESTA TIGVLIORVM, *opidum.*

Hac poſtmodùm bello vel aliâ calamitate deſtructâ; ipſa in litore *Tigulia* nomen eius ſibi adſcivit. Neque id jam mirum videatur; quando & Vadorum Sabatiorum portus, VI ab ipſis Sabatis diſtans millibus paſſuum, *Vada* poſteà adpellatus; & Vibonenſium navale, tribus ab urbe diſſitum millibus, *Vibona*; ut ſuprà oſtendimus. Illam autem in Tiguliâ nominis mutationem non eſſe nuperam; ex præſcripto patet itinerario maritimo. Apud Antoninum inter *Delphini portum* & *Tegulata* unum quidem & XX leguntur milliaria. at ego ſcriptum fuiſſe cenſeo XVI: quando hodiè ad Rapallum vicum X numerantur millia; inde verò circumflexo itinere ad Delphinum V circiter.

ENTELLA & LABONIA *amnes.*

Ptolemæi verò ENTELLAE *fluvii* oſtium nullum aliud eſſe poteſt, quàm quod vulgò nunc adcolis vocatur *Lavagna*. quidpe Ptolemæus ab oſtio ad Genuam intervallum facit XVIIII millium; ad Tiguliam autem ferè V. ego verò ab opido Seſtrio ad Lavaniam milliaria deprehendi IIII cum dimidio; & hinc Genuam XXIII cum dimidio. Blondus in deſcriptione Italiæ, hoc flumen aliis auctoribus ait vocari LABONIAM. Equidem ego, quos ille habuerit auctores, ignoro. at in Tabulâ itinerariâ hoc Liguriæ tractu refertur *Fl. Iabonia*: haud dubiè *L* vitiato in *I*. At verò hoc nomen quum tam antiquum ſit, ferè ſuſpicor ego, de *Sturlâ* flumine, in dextram Laboniæ ripam haud ita longè à mari confluente, aliquid inaudiviſſe Ptolemæum, eumque ſub *Entellæ* nomine retuliſſe, vel fortè etiam alio vocabulo, quod poſteà ita corruptum eſt. nam ibidem τοῦ Μακράλλα, id eſt *Macrallæ* legitur vocabulum pro *Macrâ*. Ille tamen, neſcio cuius ſæculi homo, qui ſibi itinerarium ſex ab urbe Româ in Gallias itinerum quàm ineptiſſimum confinxit, *Entellam* quoque opidum hoc loco nominat.

TIGVLIA *fluvius.*

In eâdem tabulâ inter Laboniam & Macram alius depictus eſt amnis, cum titulo *Fl. Tigtilia*, Hoc quoque ſine controverſiâ corruptum eſt vocabulum; cuius genuinum fuit FL. TIGVLIA. Eſt enim is amnis; qui, ſuprà dicta Segeſtæ Tiguliorum rudera adluens, ſub mœnibus Tiguliæ ſive Seſtrii in mare effunditur.

At ille in eâdem tabulâ inter Laboniam & Varum FL. LVCVS, quis amnium hodiè habendus ſit, minimè diſpicio; nec an vocabulum eius ſine mendo ſit, ſatis ſcio. Ad præſcriptum igitur iter noſtrum redeamus.

RICINA, *locus.*

À Monilibus Genuam ſi proficiſcare; invenies poſt XXI millia vicum vulgari vocabulo *Recco*. eum ex nominis ſimul adfinitate & ex intervallo deprehendo eſſe eumdem locum, qui in Tabulâ dicitur RICINA.

SOLARIA, *locus.*

Porrò numeri iſti, qui ponuntur in Tabulâ inter Ricinam & Monilia, quia ſatis juſti atque incorrupti ſunt; locus ille alter AD SOLARIA, mille paſſus ab Seſtrio, versùs Genuam, eo ſitu fuerit, ubi iter ab litore in ardua illa atque aſpera adſcendit montium juga. Seſtrium, ſive Tiguliam non nominavit, ut Antoninus, in hoc itinere auctor Tabulæ, quia extra rectam viam paullum ad mare deflectit, in peninſulâ poſita.

Iam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Iam verò ad reliqua huius oræ loca, quæ in Itinerariis memorantur, uti commodè penetremus; MACRA *fluvius* priùs dicendus erit. Memoratur Livio, Straboni, Plinio, Lucano, Ptolemæo, Tabulæ itinerariæ, Itinerario maritimo, & aliis. MACRA *flumen.* Vulgò nunc vocatur *Magra*. Plinius dicto lib. III cap. V: *Tigulia; intus Segeſta Tiguliorum. flumen Macra, Liguriæ finis.* Mox: *Patet ora Liguriæ inter amneis Varum & Macram* CCXI *millia paſſuum. Adnectitur ſeptimæ regioni; in qua Etruria eſt, ab amne Macrâ.* Ptolemæus: Γένυα, Ἐντέλλα ποταμοῦ ἐκβολαί, Τιγυλία, Μακράλλα ποταμοῦ ἐκβολαί. id eſt: *Genua, Entellæ fluminis oſtium, Tigulia, Macrallæ amnis oſtium.* Alia exemplaria habent Μαρκάλλα, *Marcallæ*. Vtrumque corruptum eſſe, ſatis certum eſt; quando omnibus reliquis auctoribus eſt *Macra*. Apud Strabonem quidem lib. V ita ſcriptum eſt: Μεταξὺ δὲ Λούνης καὶ Πίσης ὁ Μάκρης ἐστὶ χωρίον, ᾧ πέρατι τῆς Τυῤῥηνίας καὶ τῆς Λιγυστικῆς κέχρηνται τῶν συγγραφέων πολλοί. Id eſt: *Inter Lunam & Piſam Macres eſt locus, quem multi ſcriptorum terminum ſtatuerunt Etruriam inter & Liguriam.* Verùm ſuſpectum eſſe hunc locum; ac fortè ſcripſiſſe Strabonem ὁ Μάκρας ἐστὶ ποταμὸς, id eſt, *Macra eſt amnis*; ſuprà docui. Nihil tamen temerè muto. De cætero, quoſdam ait hunc fluvium terminum ſtatuiſſe inter dictas regiones. ſcilicet, ut ſuprà oſtendi, anteà erat Arnus amnis. Hinc Livius lib. XXXVIIII: *Sempronius à Piſis profectus in Apuanos Ligures, vaſtando agros urendoque vicos & caſtella eorum, aperuit ſaltum usque ad fluvium Macram & Lunæ portum.* Rapidum impetuoſumque ſimul & navigiorum impatientem eſſe, oſtendit Lucanus lib. II his verbis:

——— Nullasque vado qui Macra moratus
Alnos, vicinæ percurrit in æquora Lunæ.

Apud Ptolemæum ita porrò legitur: Μακράλλα ποταμοῦ ἐκβολαί, ἐκτροπὴ Βοάκτου ποταμοῦ. Id eſt: *Macrallæ fluminis oſtium: divergium Boactæ amnis.* Ἐκτροπὴν Ptolemæum intelligere id, quod alii auctores συμβολὴν, id eſt, *confluentem amnium*, patet ex Germaniæ deſcriptione; ubi trium amnium in Danubium confluenteis memorat, quorum duo ſunt, Aenus ab lævâ ripâ, Marus ab ſiniſtrâ in Moraviâ. BOACTES *amnis.* Βοάκτης igitur iſte ποταμὸς, id eſt, BOACTES *amnis*, ex poſitione eius is eſt, qui, opidum *Brignolo* præterlapſus, in dextram Macræ ripam defluit. Idem nomen puto apud Antoninum quoque perſcriptum fuiſſe in dicto itinere inter *Moneliam* & *Lunam*; ubi nunc in vulgatis exemplaribus legitur *Boaceas*, & in nonnullis *Boæcias*. Idem hoc an voluerit auctor Tabulæ, ubi nunc conſpicitur vox *Boron*, haud temerè dixerim.

At proximus ille locus IN APENNINO (ſic enim corrigendum eſt in Tabulâ) ſummus eſt Apennini montis trajectus inter Monilia & Boacten amnem. A Monilibus igitur ad Lunam per Boactæ vallem ducebat olim iter Romanum. at nunc per aſperrima montium juga & vicos, quibus vulgaria vocabula *Pignon* & *Riccô*, opidumque *Spetiam* itur. Hæc igitur eſt totius Liguriæ inter Varum Macramque amnem ora maritima: quam Plinius patere ait CCXI millia paſſuum. hodiè vero in eâ numerantur milliaria CC. *Luna* opidum, ſive *Lunæ portus*, ac *promontorium Lunæ*, licèt intra Macram, Liguriæ terminum, ſita fuerint; tamen, quia Tuſci tenebant incolæ, in Etruriâ commemorabuntur.

Cæterùm inſulæ parvæ, ſeu potius ſcopuli, ante Liguſticam oram viſuntur apud Albintemelium, Albingaunum, & Navalia ſive Naulum; ab ipſis opidis, quibus objacent, cognominatæ. GALLINARIA *inſula.* Ex his ea, quæ vulgò dicitur *l'Iſola d'Arbenga*, antiquis etiam monumentis celebrata eſt, nomine GALLINARIA *inſula*. Sozomenus Eccleſiaſticæ hiſtoriæ lib. III cap. XIII; de Martino Sabarienſi, qui poſteà epiſcopus Tarracone in Hiſpaniâ factus: Εἰς Μεδιόλανον ἐλθὼν, καθ' ἑαυτὸν διέτριβεν. ὑπεχώρησέ τε ἔνθεν, ἐπιβουλευόμενος παρὰ Αὐξεντίου τοῦ ἐπισκόπου, οὐδὲ αὐτοῦ ὑγιῶς ἔχοντος περὶ τὴν πίστιν τῶν ἐν Νικαίᾳ συνελθόντων. καὶ ἐπί τινα χρόνον ῥίζαις βοτανῶν ἀρκούμενος νῆσον ᾤκησεν ἣν Γαλλιναρίαν καλοῦσι. μικρὰ δὲ αὕτη, καὶ ἀοίκητος, ἐν τῷ Τυῤῥηνικῷ πελάγει κειμένη. Hoc eſt: *Quum Mediolanum veniſſet, ſolitariam vitam egit. Inde etiam, quum Auxentius, eius urbis epiſcopus, qui & ipſe erga fidem concilii Niceni parum ſano ac ſincero adfectus erat animo, ei paraſſet inſidias, ſe clam ſubduxit. atque ad aliquod tempus radicibus herbarum contentus, inſulam, quam Gallinariam vocant, incoluit. Eſt ea parva, cultoribusque vacua, in Tuſco mari poſita.* Eamdem hiſtoriam refert & Sulpicius in vitâ divi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Martini. Id nominis unde inſula acceperit, docent Varro & Columella. quorum hic de Re ruſticâ lib. VIII cap. II, *Gallinarum*, inquit, *genera ſunt vel cohortalium, vel ruſticarum, vel Africanarum. Cohortalis eſt avis, quæ vulgò per omneis ferè villas conſpicitur. ruſtica, quæ, non diſſimilis villaticæ, per aucupem decipitur. eaque plurima eſt in inſulâ quam nautæ, in Liguſtico mari ſitam, producto nomine alitis, Gallinariam vocitaverunt.* Varro item de Re ruſticâ lib. III cap. VIIII: *Gallinæ ruſticæ ſunt in Vrbe caræ: nec ferè manſuetæ ſine caveâ videntur Romæ; ſimiles facie, non his villaticis gallinis noſtris, ſed Africanis; adſpectu & facie incontaminatâ. in ornatibus publicis ſolent poni cum pſittacis, ac merulis albis; item aliis id genus rebus inuſitatis. neque ferè in villis ova ac pullos faciunt; ſed in ſilvis. Ab his gallinis dicitur inſula Gallinaria adpellata, quæ eſt in mari Thuſco ſecundùm Italiam, contra monteis Liguſticos & Albium Ingaunum.*

CAPVT X.

De locis LIGVRIAE *mediterraneis.*

LITORE Liguriæ hactenus explicato, mediterranea nunc eius introſpiciamus. ac primùm dicantur ea, quæ cis Apenninum inter Macram atque Arnum Piſamque retinuêre Liguriæ nomen ad Auguſti Cæſaris usque tempeſtatem. Gens heic incoluit quondam Liguſtica, nomine APVANI; Livio haud ſemel memorati. Lib. XXXVIIII: *Translatum deinde ad Apuanos Ligures bellum; qui in agrum Piſanum Bononienſemque ita incurſaverant, ut coli non poſſet.* Et eodem libro poſteà: *Q. Martius in Ligures Apuanos eſt profectus. Dum penitus in abditos ſaltus, quæ latebræ receptaculaque ſemper illis fuerant, perſequitur; in præoccupatis anguſtiis loco iniquo eſt circumventus. IIII millia militum amiſſa.* Mox: *Conſul, ubi primùm ex hoſtium agro evaſit; ne, quantum diminutæ copiæ forent, adpareret; in locis pacatis exercitum dimiſit. Non tamen obliterare famam rei malè geſtæ potuit. nam ſaltus, unde eum Ligures fugaverant, Martius adpellatus.* Et iterum eodem libro: *Sempronius à Piſis profectus in Apuanos Ligures, vaſtando agros urendoque vicos & caſtella eorum, aperuit ſaltum usque ad fluvium Macram & Lunæ portum. Hoſtes montem, antiquam ſedem maiorum ſuorum, ceperunt: & inde, ſuperatâ locorum iniquitate, prœlio dejecti ſunt.* Lib. XL: *Q. Fabius ex Liguribus ſcripſerat, Apuanos ad rebellionem ſpectare; periculumque eſſe, ne impetum in agrum Piſanum facerent.* Et poſteà eodem libro: *P. Cornelius & M. Bæbius, qui in conſulatu nihil memorabile geſſerant, in Apuanos Ligures exercitum induxerunt. Ligures, qui ante adventum in provinciam conſulum non exſpectaſſent bellum: improviſo oppreſſi, ad XII millia hominum dediderunt ſe. Eos, conſulto per literas priùs ſenatu, deducere ex montibus in agros campeſtreis, procul ab domo, ne reditus ſpes eſſet, Cornelius & Bæbius ſtatuerunt; nullum alium antè finem rati fore Liguſtini belli. Ager publicus populi Romani erat in Samnitibus, qui Taurafinorum fuerat. in eum quum traducere Ligures Apuanos vellent; edixerunt, Ligures ab Anido monte ut deſcenderent cum liberis conjugibusque: ſua omnia ſecum portarent. Ligures, ſæpè per legatos deprecati, ne penateis, ſedem, in qua geniti eſſent, ſepulcra maiorum, cogerentur relinquere; arma, obſides pollicebantur. Poſteaquàm nihil impetrabant; neque vires ad rebellandum erant; edicto paruerunt. Traducti ſunt publico ſumptu ad XL millia liberorum capitum cum feminis puerisque. argenti data CL millia HS; unde in novas ædeis compararent, quæ opus eſſent.* Et haud ita multo pòſt: *Conſules ambo in Ligures exercitus induxerunt diverſis partibus. Poſthumius Primâ & Tertiâ legione Baliſtam Suiſmontiumque monteis obſedit; &, premendo præſidiis anguſtos ſaltus eorum, commeatus interclusit; inopiâque omnium rerum eos perdomuit. Fulvius Secundâ & Quartâ legione adortus à Piſis Apuanos Ligures, qui eorum circa Macram fluvium incolebant, in deditionem acceptos, ad VII millia hominum in naveis impoſitos, præter oram Etruſci maris Neapolim transmiſit. inde in Samnium traducti: agerque his inter populareis datus*

APVANI *Ligures.*

datus eſt. De his cunctis loquitur Florus lib. II cap. III: *Ligures, imis Alpium jugis adhærenteis, inter Varum & Macram flumen, implicitosque dumis ſilveſtribus, maior aliquanto labor erat invenire, quàm vincere. Tutum locis & fugâ, durum atque velox genus, ex occaſione magis latrocinia, quàm bella faciebat. Itaque quum diu multumque eluderent Salyi, Deceates, Oxybii, Euburiates, Ingauni; tandem Fulvius latebras eorum ignibus ſepſit; Bæbius in plana deduxit; Poſthumius ita exarmavit, ut vix reliquerit ferrum, quo terra coleretur*. Illorum in Samnium deductorum meminit inter Hirpinos Plinius lib. III cap. XI. *Compſani*, inquit, *Caudini; Ligures, qui cognominantur Corneliani, & qui Bæbiani*. Opidum cuius ager ipſis diſtributus, hodiéque vulgò vocatur *Taurafi*, ad Calorem amnem ſupra Beneventum. Sed in Liguriâ ſedem habuiſſe inter Macram & Arnum flumina opidumque Piſam, ſatis & abundè ex ſuprà ſcriptis claret. Hinc quoque idem Livius poſteà lib. XLI: *Et Lucam colonia eodem anno deducta. De Ligure captus is ager erat. Etruſcorum antè, quàm Ligurum, fuerat*. Nomen *Apuanorum* unde
APVA *opidum.*
habuerint, planè incompertum manebit, ſi ſuprà dicto nugatori, qui itinerarium ſex ab urbe Româ in Gallias itinerum ineptiſſimum confinxit, fides nulla habeatur. apud hunc quidpe circa Macræ fontem APVA *opidum* reperitur. quod quum caput Ligurum inter Macram Arnumque eſſet; dicti inde ipſi fuerint LIGVRES APVANI. Sed verba eius inſpiciamus. *Ab Vrbe*, inquit, *in Gallias itur itineribus* VI; *Maritimo, Litoreo, Aureliano, Caſſiano, Tiberino, Flaminio. Maritimum tenet Fregenas, Caſtrum novum, Cellas, Herculem, Telamonem, Caput Etruriæ, Faliſcas, Traianum, Populonium, Vada, Ligurnum, Ericem, Entellam, Delphinum, Genuam inter Porciferam & Feritorem, Monæcum, Niceam. Litoreum continet Alſium, Cære, Pyrganum, Forum Cellæ, Graviſcas, Coſas, Volaterras, Piſam, Lucam, & ipſum transitum in Gallias Carariam. Aurelianum, quod & Claudianum, fertur per ipſam Aureliam, Thermas Stygianas, Forum Novempaganorum Claudii, Tarquinios, Saturniam, Volcen, Tuniaten montem, Roſellas, Roſetum, Turſenam, & transitum Apuam. Caſſiano itinere itur per Politorum, Arcenum, Minionem, Forum Caſſii, Aruntes Camillarios, Tudernum, Varentanum, Ambronem montem, Senam coloniam, Phocenſes, Lucam, & Caferonianum, transitum in Gallias*. Quàm abſurdi ſint horum itinerum ductus, poſteà in Etruriæ deſcriptione patebit. Quodnam verò diſcrimen heic dari potuerit inter *maritimum* & *litoreum* iter, equidem nondum intelligo. nam litus eſſe, quod mari perfunditur, ſat ſcio. Iſte verò in maritimo itinere habet nihil, niſi quod in ipſo litore ſitum fuit: in litoreo autem itinere ea loca, quæ paullum à litore introrſus recedebant. Sed maritimum fortè iter intellexit id, quod mari conficiebatur, litus & loca maritima legendo. Reliqua tria fuêre terreſtria: quorum primum per *Piſam, Lucam* & *Carariam*, ducebat, loca hodiéque antiqua nomina ſervantia. tertium per eamdem *Lucam* & *Caferonianum*, quod erat in valle Auſeris amnis, vulgò nunc *Carfagnana* dictâ. Medium neſcio qua ὑπερανδήσῳ à *Roſellis* ſive *Roſeto*, quod nunc eſt *Groſeto*, ad *Turſenam* & *Apuam* deduxit. Sed *Volaterras* heic iterum, & *Lucam* tertiò nominare, puduiſſe eum credo. Nam TVRSENA (niſi hoc etiam vocabulum, ut pleraque alia, quorum heic partem correxi vitiatum fuerit à vero ac germano CVRSENA) haud dubiè is eſt locus, qui vicus XV circiter millia
TVRSENA *vicus.*
paſſuum ſupra Lucam, in edito jugo vulgò vocatur *Corſena*. unde trajectus eſt montium ad Macram amnem: in cuius ſummâ valle opidum nobile atque munitum, vulgari vocabulo *Pontremoli*, frequentiſſimum hodiéque transitum ultra Apenninum in Placentinum Parmenſemque agrum euntibus præbet. Hoc igitur jam dudum viri docti ex ſitu judicarunt eſſe antiquam illam Ligurum *Apuam*; unde *Apuani* dicti.

Illud autem præſcripti itinerarii CAFERONIANVM *opidum* extra controverſiam
CAFERONIANVM, *opidum.*
eſt id, quod in prædictâ valle *Carfanianâ*, apud fontem Auſeris, qui nunc eſt *Serchio*, vulgò vocatur *Carfigliano*; id eſt, ſi Latinè ſcribas *Carfilianum*.

Ptolemæus in mediterraneis Etruriæ opidis primum refert Βιῤῥάκελον, BIRACELVM, ſive VIRACELVM; ſitu ei tributo circa Macræ lævam ripam.
VIRACELVM *opidum.*
Id ego opidum ex eo ſitu ſimulque ex nominis ſimilitudine cenſeo eſſe idem, quod nunc medio tractu inter Auſerem & Aulam amneis, quorum hic in Macram influit, vulgari vocabulo dicitur *Vericolo*.

Apud Livium lib. XLI ita ſcriptum legitur: *Inter Audenam amnem Q. Mucius cum iis* [*Liguribus*,] *qui Lunam Piſaſque depopulati erant, bellum geſſit: omnibusque*,
AVDENA *flumen.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

in deditionem redactis, arma ademit. Vt in præcedenti oratione multa deſunt, ſic in his etiam nonnihil interiit. hic quidpe ſermo eſt omnino mutilus; *Inter Audenam amnem bellum geſſit.* Sed quidquid adjunctum fuerit; AVDENA hic *amnis* (modò ne hoc quoque mendoſum ſit vocabulum) haud dubiè is eſt, qui, in ſiniſtram Macræ ripam defluens, vulgò nunc accolis vocatur *Vla*, & *Aula*; & cum articulo *La Vla*, & *L'Aula*. quod vulgi etiam ſimplicitas facit vnâ voce *Laula*.

BRINIVM *opidum.*

Idem Livius lib. XXXVIIII, ut paullo antè attulimus, *Sempronius*, inquit, *à Piſis profectus in Apuanos Ligures, vaſtando agros urendoque vicos & caſtella eorum, aperuit ſaltum usque ad fluvium Macram & Lunæ portum. Hoſtes montem, antiquam ſedem maiorum ſuorum, ceperunt. & inde, ſuperatâ locorum iniquitate, prælio dejecti ſunt.* Mirum, non nominaſſe montem; nec tempus, vel bellum, quibus maiores eorum eum occupaverint, indicaſſe. ideóque ſuſpicor interiiſſe nomen: aut ſaltem huc pertinere, quæ eodem libro anteà retulit his verbis: *C. Flaminius conſul, cum Briniatibus Liguribus in eorum agro pluribus præliis factis, in deditionem gentem accepit, & arma ademit: &, quia non ſincerâ fide tradebant, quum caſtigarentur, relictis vicis in montem Auginum confugerunt. confeſtim ſequutus conſul. caterùm effuſi rurſus, & pars maxima inermes, per invia & rupeis diruptas præcipitantes fugerunt, quà ſequi hoſtis non poſſet. ita trans Apenninum abierunt. qui caſtris ſe tenuerant, circumſeſſi & expugnati ſunt. Inde trans Apenninum ductæ legiones. ibi montis, quem ceperant, altitudine paullisper ſe tutati; mox in deditionem conceſſerunt. Tum conquiſita cum intentiore curâ arma; & omnia adempta. Translatum deinde ad Apuanos Ligures bellum: qui in agrum Piſanum Bononienſemque ita incurſaverant, ut coli non poſſet. His quoque perdomitis, conſul pacem dedit finitimis. M. Aemilius, alter conſul, agros Ligurum vicosque, qui in campis aut vallibus erant, ipſis monteis duos Baliſtam Suiſmontiumque tenentibus, deuſſit depopulatusque eſt. deinde eos, qui in montibus erant, adortus; primò levibus præliis fatigavit; poſtremò, coactos in aciem deſcendere, juſto prælio devicit. Subactis cis Apenninum omnibus, tum transmontanos adortus. in his Friniates Ligures erant; quos non adierat C. Flaminius. omneis Aemilius ſubegit; armaque ademit: & de montibus in campos multitudinem deduxit.* At heic diſertiſſimum facit diſcrimen Livius inter Apuanos Ligures atque BRINIATES: quorum caput ego fuiſſe cenſeo BRINIAM ſive BRINIVM *opidum*; unde illis nomen. Id verò opidum nullum aliud fuerit, quàm quod hodiè ad ſuprà memoratum conſpicitur amnem Boacten, vulgari vocabulo *Brignolo*, ſive *Brignalo*. nam in his locis bellum tunc geſſit C. Flaminius conſul. unde mox, confecto bello, in finitimos Briniatium movit Apuanos Ligures. Alter verò conſul, M. Aemilius, ab altero Briniatium latere, ut mox oſtendam, in eos duxerat exercitum, qui in Baliſtam Suiſmontiumque monteis confugerunt. In Tabulâ itinerariâ, ut ſuperiori capite allatum, circa hæc loca, apud Boacten Ptolemæi & Antonini, legitur mutilum vocabulum ſine millium numero *Boron*. an *Brinium* ſcriptum fuerit, haud temerè dixerim. AVGINVS autem *mons* in Briniatibus Liguribus videtur eſſe is, qui vulgò nunc vocatur *Monte Codoro*, Boacten amnem èffundens. quidpe tota hæc vallis, quam Boactes efficit, Briniatium fuit.

AVGINVS *mons.*

ANIDVS *mons.*

Cæterùm Livius lib. XL, ubi de Apuanis Liguribus agit, ut ſuprà recitavimus, qui à P. Cornelio & M. Bæbio in Samnium deducti fuêre; *Ager*, inquit, *publicus populi Romani erat in Samnitibus, qui Taurasinorum fuerat. in eum quum traducere Ligures Apuanos vellent, edixerunt Ligures ab Anido montibus deſcendere cum liberis conjugibusque; ſua omnia ſecum portarent.* Ita equidem omnia vulgata hactenus exemplaria habent orationem hanc corruptam & ſaniore ſenſu carentem. quid enim hoc erat dicere; *Cornelius & Bæbius edixerunt Ligures deſcendere?* quid item, *ab Anido montibus?* Ego ſuprà ſcripto loco ita legendum cenſui: *Ligures ab Anido monte ut deſcenderent.* ANIDVS verò *mons* is fortè fuerit, qui, Macram effundens flumen, vulgò nunc adpellatur *Monte Borgada*, & *Monte Borgalla*. Hunc Anidum montem ſuprà etiam, lib. XXXVIIII, intellexiſſe Livium, ubi ait, *Apuanos montem, antiquam ſedem maiorum ſuorum, cepiſſe*; patet ex eo, quòd continuò ait *Sempronium, à Piſis profectum, vaſtando agros urendoque vicos & caſtella eorum, aperuiſſe ſaltum usque ad fluvium Macram & Lunæ portum*. Heic ſcilicet in dicto Borgadâ ſive Anido monte apud fonteis Macræ *antiqua maiorum* ipſorum ſedes fuit, in antiquiſſimo eorum opido *Apuâ*; unde *Apuani* dicti.

Nunc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Nunc BALISTA quoque & SVISMONTIVM *montes* quo ſitu fuerint, diſpiciendum eſt. Præter ea, quæ modò ex libro XXXVIIII de eis attulimus, hæc etiam memorat idem Livius lib. XL: *Conſules ambo in Ligures exercitus induxerunt diverſis partibus. Poſthumius primâ & tertiâ legione Baliſtam Suiſmontiumque monteis obſedit: & premendo præſidiis anguſtos ſaltus eorum, commeatus interclusit: inopiâque omnium rerum eos perdomuit. Fulvius ſecundâ & quartâ legione adortus à Piſis Apuanos Ligures, qui eorum circa Macram fluvium incolebant, in deditionem accepit ad* VII *millia hominum. Navibus inde Poſthumius ad viſendam oram Ingaunorum Intemeliorumque Ligurum proceſſit.* Ergo Fulvius inter Piſas & Macram bellum tunc geſſit, Poſthumius ultra Macram, &, ut ante ipſum Aemilius, ultra Briniates & Boactæ amnis fontem. unde poſteà, confecto bello, navibus præter Genuam atque Savonam ad inſpiciendam Ingaunorum Intemeliorumque oram profectus. Nec abhorrent ab iſto juxta Briniates tractu, quæ Livius poſteà lib. XLI tradit. *C. Claudius*, inquit, *auditâ rebellione Ligurum, præter eas copias, quas ſecum Parmæ habebat, ſubitariis collectis militibus, exercitum ad fineis Ligurum admovit. Hoſtes ſub adventum Claudii, à quo duce ſe meminerant nuper ad Scultennam flumen victos fugatosque; locorum magis præſidio adversùs infeliciter expertam vim, quàm armis, ſe defenſuri; duos monteis Letum & Baliſtam ceperunt: muroque inſuper amplexi; tardiùs ex agris demigrantes, oppreſſi ad* CIↃ & IↃ *perierunt. cæteri montibus ſe tenebant. Q. Petilius conſul, ne abſente ſe debellaretur; literas ad C. Claudium miſit, ut cum exercitu ad ſe in Galliam veniret. campis Macris ſe eum exſpectaturum. Literis acceptis Claudius ex Liguribus caſtra movit; exercitumque ad campos Macros conſuli tradidit. Eódem paucis poſt diebus C. Valerius, conſul alter, venit. Profecti inde in diverſas regiones. Petilius adversùs Baliſtæ & Leti jugum, quod eos monteis perpetuo dorſo inter ſe jungit, caſtra habuit. Ibi adhortantem eum pro concione milites, immemorem ambiguitatis verbi ominatum ferunt, ſe eo die Letum capturum eſſe. Duabus ſimul partibus ſubire in adverſos monteis cœpit. Ea pars, in qua ipſe erat, impigrè ſuccedebat. alteram hoſtes quum propuliſſent, ut reſtitueret rem inclinatam conſul equo advectus; ſuos quidem à fugâ revocavit; ipſe, dum incautiùs ante ſigna obverſatur, miſſili trajectus cecidit.* Mox: *C. Valerius, auditâ* [perierunt heic, ut ſuprà cap. VIII monui, ſequentia, fortè talia; *morte collegæ, legiones in Ligures*] *deduxit. Cis Apenninum Garuli & Lapicini & Hercates, trans Apenninum Friniates fuerant. Inter Audenam amnem Q. Mucius cum iis, qui Lunam Piſasque depulati erant, bellum geſſit; omnibusque, in deditionem redactis, arma ademit. Ob eas res in Galliâ Liguribusque geſtas, duorum conſulum ductu auſpicioque, ſenatus in triduum ſupplicationes decrevit.* Sed & poſt vocem *deduxit*, haud modica pars hiſtoriæ huius belli Liguſtici interiit. Patet tamen ex his pariter & ex iis, quæ anteà recitata ſunt, *Suiſmontium* & *Baliſtam* monteis eſſe eos, qui ad Laboniæ ſive Entellæ ac Sturlæ fonteis hodiè vulgaribus adpellationibus dicuntur *Monte Cervera* & *Monte Peneſe*. unde per Ceni atque Tari amnium valleis itur ad Parmam & Macros campos, inter Parmam & Mutinam ſitos; ut ſuo loco oſtendetur. Vtri autem montium utrum vocabulum antiquum tribuendum, planè incertum eſt. LETVS verò *mons* pars Baliſtæ videtur fuiſſe. Huius meminit etiam Valerius Max. lib. I. cap. V; eumdem Petilii caſum referens. Ergo ſub his montibus ad Laboniam Sturlamque amneis incoluerunt *Ligures* (ſi modò ſine mendis ſint hæc vocabula) GARVLI, LAPICINI, & HERCATES. Horum opidum HERCA, unde denominati, quo ſitu fuerit, minimè diſpicio.

BALISTA & SVISMONTIVM *montes.*

LETVS *mons.*

GARVLI LAPICINI, & HERCATES, *Ligures.*

Iuxta hos monteis, in orientem versùs, poſterioris ſæculi ſcriptoribus, Paullo Diacono, Chronico Caſſinenſi, & Luitprando Ticinenſi, memoratur BARDO *mons*: per quem & olim transitus fuit, & nunc eſt celeberrimus, ex Macræ amnis valle ab opidis Sarzanâ, Villâ Francâ, Ponte Tremulo ad Bercetum opidum: de quo poſteà, fine capitis XXVIII, in Boiis agam.

BARDO *mons.*

At verò FRINIATES Ligures trans Apenninum incoluiſſe, cùm loco proximè dicto, tùm ſuprà lib. XXXVIIII teſtatur Livius. Ex cuius hiſtoriis adparet, conterminos fuiſſe modò explicatis Liguribus ab altero Apennini latere. Oritur heic ex ſeptemtrionali ſuprà dicti montis Penenſis latere amnis vulgari vocabulo *Prino*: vallemque efficit ad Trebiam usque fluvium, in quem confluit, cognomento vulgari *Val di Prino*. Hanc cenſeo antiquam *Friniatum* Ligurum eſſe ſedem; & nominis ſimilitudine & vallis ſitu perſvadentibus.

FRINIATES *Ligures.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

VELIA opidum.

Circa eumdem Trebiam vel circa Tidonem amnem VELIA fuit *opidum*, in confinio, ut ſuprà cap. VIII dictum, Liguriæ Galliæque Togatæ; unde VELIATES *Ligures* denominati, apud Livium, Plinium, & in Tabulâ itinerariâ. Plinius lib. VII cap. XLVIIII: ubi de ſpatiis vitæ longiſſimis agit: *Accedunt experimenta & exempla recentiſſimi cenſus, quem intra quadriennium imperatores Cæſares Veſpaſiani, pater filiusque, cenſores egerunt. Nec ſunt omnia vaſaria excutienda. mediæ tantùm partis inter Apenninum Padumque ponemus exempla. Centum viginti annos Parmæ tres edidère; Brixelli unus* CXXV, *Parmæ duo* CXXX; *Placentiæ unus* CXXXI; *Faventiæ una mulier* CXXXII; *Bononiæ L. Terentius, Marci filius, Arimini verò M. Aponius* C & L, *Tertulla* CXXXVII. *circa Placentiam in collibus opidum eſt Velleiacium, in quo* CX *annos ſex detulère.* Legendum heic *Veleiatium*. quidpe Phlegonti Tralliano in libello de Longævis ἐξ αὐτῶν τῶν ἀποτιμήσεων, id eſt, *ex ipſis cenſuum commentariis*, inter multa alia eiusdem Galliæ Togatæ exempla quater nominatur opidum Βέλεια, *Veleia*. Apud Livium lib. XXXI ita legitur: *Inſubres, Cenomanique & Boii, excitis Sallyis Ilvatibusque & cæteris Liguſticis populis, Placentiam invaſerant.* Et lib. XXXII: *Q. Minucius in lævâ Italiæ ad inferum mare flexit iter: Genuamque exercitu adducto, ab Liguribus orſus eſt bellum. opida Claſtidium & Litubium, utraque Ligurum, & duæ gentis eiusdem civitates, Celelates Çerdiciatesque, ſeſe dediderunt. & jam omnia cis Padum, præter Gallorum Boios, Ilvates Ligurum, ſub ditione erant.* Et haud ita multo pòſt: *Per eosdem dies Claſtidium incenſum. Inde in Liguſtinos Ilvates, qui ſoli non parebant, legiones ductæ. Ea quoque gens, ut Inſubres acie victos, Boios ita ut tentare ſpem certaminis non auderent, territos, audivit; in deditionem venit.* Iſti *Ilvates* quum nusquàm alibi apud auctores reperiantur; ſuſpicati nonnulli viri docti vitiatum id eſſe vocabulum, emendare conati ſunt in *Lituates*,: tamquàm ab *Litubio* opido opidanos ſic dictos. At hæc opidò quàm mirifica derivatio; cuius exemplum par in omni Latinitate vix reperias. Quapropter omnino ego legendum cenſeo ubique *Valiates*, & *Veliatibus*: utique, quum bis heic iſti populi contermini fiant Claſtidio opido, quod eodem tractu cum Veliâ ſupradictâ ſitum. Quid autem mirum Veliatium vocabulum heic eſſe corruptum, quando etiam *Sallyi* iſti, illis juncti, nullo modo in eâ hiſtoriâ ſubſiſtere queant. quis enim credat, ultimam Ligurum trans Alpeis gentem à Gallis Boiis, circa Bononiam, Parmam, ac Placentiam incolentibus, excitos fuiſſe, proximis ac finitimis Liguribus neglectis? Proinde pro voce *Sallyis* malim reſtituere *Statyellis*. In fragmentis marmoreis triumphorum ovationumque ducum Romanorum, quæ Romæ in Capitolio viſuntur, hæc leguntur verba: .... M · F · M · N · NOBILIOR · PRO · COS · ...... BVS · ET · ELEATIBVS · A · DX ·.·. Quæ ita ſupplere conatus eſt Sigonius: M · FVLVIVS, M · F · M · N · NOBILIOR · PRO · COS · DE LIGVRIBVS ET VELEATIBVS · A · DXCV · Ego verò omnino cenſeo legendum eſſe ſimpliciter ELEATIBVS. quidpe quum in Lucanis Græcum opidum Romanis dictum fuerit *Velia*, ipſis verò Græcis *Elea*, & inde opidani *Eleates*; hoc quoque Liguriæ opidum primò dictum fuiſſe *Eleam*, credo, Romanis, & opidanos *Eleates*. De cætero certus ſitus opido *Veliæ* adſignari nullus poteſt. In ipſis Liguriæ Galliæque Togatæ finibus fuiſſe, inde adparet, quòd aliàs huic aliàs illi ſit tributum; ut ſuprà dicto cap. VIII oſtenſum.

LITVBIVM ſive RITVBIVM opidum.

At LITVBIVM *opidum*, Livio dicto loco memoratum, nomen antiquum hodiè ſervat; paullo tamen detortiùs liquidâ L in liquidam R commutatâ, vulgò *Retorbio* & *Ritorbio* ac *Ritarbio* dictum. Apud Plinium lib. XVIIII cap. I hæc leguntur: *Galliæ univerſæ vela texunt. In Germaniâ autem defoſſi atque ſub terrâ id opus agunt. ſimiliter & in Italiâ ratione aliâ, inter Padum Ticinumque amneis: ubi à Setabi tertia in Europâ lino palma. ſecundam enim in vicino Allianis capeſſunt Retovina; & in Aemiliâ viâ Faventina. Candore Allianis, ſemper crudis, Faventina præferuntur. Retovinis tenuitas denſitasque: candor æquè ut Faventinis.* Ex poſterioribus hisce priori loco viri docti legendum cenſuerunt *regione Allianâ*, pro *ratione aliâ*. Ego verò ſuſpicer, legendum eſſe *regione Laumellanâ*; ab opido ſeu vico *Laumello*, quod nunc vulgò eſt inter Padum Ticinumque *Lumello*. His locis quum vicinum ſit cis Padum prædictum *Retarbium* opidum, quod olim Livius adpellavit *Litubium*; facilè ego ſuſpicer, jam Plinii ætate dictum id fuiſſe RETOBIVM & RETOVIVM: unde opidani RETOBINI, & RETOVINI. Apud Livium quis præſtiterit, haud corruptum eſſe vocabulum ab exſcriptoribus RITVBIVM in *Litubium*?

Infra

Infra hoc, versùs Padum eſt vicus nunc vulgò *Chiaſteggio*, ſive *Chiaſtezo*, & nonnumquàm *Clauſtrezo* ac *Schiattezzo* dictus. Antiquùm hoc eſt illud CLASTIDIVM *opidum*, Polybio, Livio, Valerio Maximo, Straboni, atque Aemilio Probo memoratum. quorum hic in vitâ Hannibalis: *Cum P. Cornelio Scipione de Claſtidio apud Padum decernit.* Et Valerius Max. lib. I, cap. I: *Marcellus Claſtidio potitus.* Strabo lib. V: Ὑπὲρ δὲ Πλακεντίας, ἐπὶ μὲν τοὺς ὅρους τῆς Κοττίου γῆς Τικινόν ἐστι πόλις, καὶ Κλαστίδιον καὶ Δέρθων καὶ Ἀκοῦαι Στατιέλλαι. Id eſt: *Supra Placentiam, ad fineis Cottii terræ, Ticinum eſt opidum, & Claſtidium, & Dertho, & Aquæ Statiellæ.* Plutarchus in Claudio Marcello: Μυρίους δὲ τῶν Γεσατῶν ὁ βασιλεὺς Βιρδόμαρος ἀναλαβὼν, τὴν περὶ Πάδου χώραν ἐπόρθει. ταῦτα Μάρκελλος πυθόμενος, τὸν μὲν συνάρχοντα πρὸς Ἀκέρρας ἀπέλιπε, τὴν πεζὴν καὶ βαρεῖαν ὁμοῦ πᾶσαν ἔχοντα δύναμιν καὶ τῶν ἱππέων μέρος τρίτον· αὐτὸς δὲ τοὺς λοιποὺς ἱππεῖς ἀναλαβὼν, καὶ τοὺς ἐλαφροτάτους τῶν ὁπλιτῶν περὶ ἑξακοσίους, ἤλαυνεν, οὔτε ἡμέρας οὔτε νύκτας ἀνεὶς τὸν δρόμον, ἕως ἐπέβαλε τοῖς μυρίοις τῶν Γεσατῶν περὶ τὸ καλούμενον Κλαστίδιον, Γαλατικὴν κώμην, οὐ πρὸ πολλοῦ Ῥωμαίοις ὑπήκοον γεγενημένην. Id eſt: *Virdomarus, Geſatarum rex, X millibus adſumptis, regionem Circumpadanam vaſtat. Quod ubi perlatum ad Marcellum; collegâ ad Acerras cum peditatu univerſâque gravi armaturâ & tertiâ parte equitum relicto; reliquum equitatum ſecum ducens, & ex peditibus expeditiſſimum quemque ad ſexcentos; nec die nec nocte, raptim agmine ducto, remiſit iter, donec ad hoſteis pervenit circa Claſtidium, vicum Galliæ; qui non multo antè in ditionem Romanorum venerat.* Eodem ſcilicet Marcello potiente; ut modò è Valerio Maximo intelleximus. Galliæ autem vicum adpellat Plutarchus, quem diſertè Livius loco ſuprà ſcripto Ligurum unà cum Litubio, vel quia in dubiis utriusque gentis finibus erat poſitus; vel quia hæc etiam Liguriæ pars inter Apenninum ac Padum ſub Galliæ Ciſalpinæ provinciâ eius tempore cenſebatur. Eamdem putaverim rationem Livio quoque fuiſſe lib. XXVIIII; ubi ita ſcriptum: *Aedem Virtutis eo anno ad portam Capenam M. Marcellus dedicavit, ſeptimodecimo anno pòſt, quàm à patre eius primo conſulatu vota in Galliâ ad Claſtidium fuerat.* Polybius eamdem, quam Plutarchus, hiſtoriam refert lib. II his verbis: Οἱ δὲ Κελτοὶ ἀποτυχόντες καὶ κρίναντες ἐξελέγξαι τὰς τελευταίας ἐλπίδας, αὖθις ὥρμησαν ἐπὶ τὸ μισθοῦσθαι τῶν περὶ τὸν Ῥοδανὸν Γαισατῶν Γαλατῶν εἰς τρισμυρίους· οὓς παραλαβόντες, εἶχον ἐν ἑτοίμῳ, καὶ προσεδόκων τὴν τῶν πολεμίων ἔφοδον. οἱ δὲ Ῥωμαίων στρατηγοὶ, τῆς ὥρας ἐπιγινομένης, ἀναλαβόντες τὰς δυνάμεις, ἦγον εἰς τὴν τῶν Ἰσόμβρων χώραν. παραγενόμενοι δὲ καὶ στρατοπεδεύσαντες περὶ πόλιν Ἀχέρας, ἣ μεταξὺ κεῖται τοῦ Πάδου καὶ τῶν Ἀλπεινῶν ὀρῶν, ἐπολιόρκουν ταύτην. οἱ δ᾽ Ἴσομβροι βοηθεῖν μὲν οὐ δυνάμενοι, διὰ τὸ προκαταληφθῆναι τοὺς εὐφυεῖς τόπους· σπεύδοντες δὲ λῦσαι τὴν πολιορκίαν τῶν Ἀχερῶν, μέρος τι τῆς δυνάμεως διαβιβάσαντες τὸν Πάδον εἰς τὴν τῶν Ἄνδρων χώραν, ἐπολιόρκουν τὸ Κλαστίδιον προσαγορευόμενον. προσπεσόντος δὲ τοῦ συμβαίνοντος τοῖς στρατηγοῖς, ἀναλαβὼν τοὺς ἱππεῖς Μάρκος Κλαύδιος, καὶ τῶν πεζῶν, ἠπείγετο σπεύδων βοηθῆσαι τοῖς πολιορκουμένοις. Hoc eſt: *Galli, ultimam ſpem ſibi tentandam rati, ad mercede conducenda auxilia Gæſatarum Gallorum, qui Rhodanum adcolunt, denuò ſe convertunt. quorum ubi XXX millia accepiſſent; hoſtis adventum præſtolantes, paratos in armis eos habebant. Conſules primo vere legiones in agros Inſubrum ducunt. urbem deinde Acerras, inter Padum & Alpina juga ſitam, admotis caſtris obſident. Inſubres, quum ferre opem, occupatis omnibus locis opportunis, non poſſent; ſtudio liberandi Acerras obſidione, partem copiarum trajecto Pado in ditionem Romanorum mittunt, & Claſtidium obſident. de quo poſtquàm certiores facti conſules fuerunt; M. Claudius, equites & peditum partem ſecum trahens, auxiliatum obſeſſis ire feſtinat.* Eripuit tum Claſtidium Marcellus; Gallosque fudit atque fugavit. Atque hæc antiquiſſima eſt huius loci memoria, in conſulatu dicti M. Claudii Marcelli & Cn. Cornelii Scipionis, anno ab urbe Româ conditâ IↃXXXI, ante natum Ieſum CCXXII. Ac κώμη, id eſt *vicus*, heic adpellatur à Plutarcho: ut & quadriennio pòſt, ſub initium belli Punici ſecundi à Livio lib. XXI. *Nec procul inde*, inquit, *Hannibal quum conſediſſet; quantum victoriâ equeſtri elatus, tantum anxius inopiâ; quæ per hoſtium agros euntem, nusquàm præparatis commeatibus, maior indies excipiebat. Ad Claſtidium vicum, quo magnum frumenti numerum congeſſerant Romani, mittit. Ibi quum vim pararent, ſpes facta proditionis. nec ſanè magno pretio, nummis aureis quadringentis datis, P. Brundiſino præfecto præſidii corrupto, traditur Hannibali Claſtidium. Id horreum fuit Pœnis ſedentibus ad Trebiam.* At Polybius, horum temporum æqualis, in eâdem hiſtoriâ lib. III πόλιν, id eſt *opidum*, adpellat. Κατὰ δὲ τοὺς αὐτοὺς, inquit, καιροὺς Ἀννίβας πραξικοπήσας πόλιν Κλαστίδιον, ἐνδόντος αὐτῷ τοῦ πεπιστευμένου παρὰ Ῥωμαίων ἀνδρὸς Βρεντησίνου, κατέσχε· γενόμενος δὲ κύριος τῆς τοῦ σίτου παραθέσεως, τούτῳ πρὸς τὸ

CLASTIDIVM *opidum.*

πυρὸν ἐχρήσατο. Id eſt *Sub idem tempus Hannibal Claſtidium opidum deditione cepit; tradente Brunduſino, quem ei loco Romani præfecerant. Pœnus frumento ibi condito potitus, ad ſublevandam præſentem inopiam eo eſt uſus.* Nec veri ſimile eſt, Romanos, tanto adventante hoſte, frumentum congeſſiſſe in vicum, muro ac foſsâ non munitum. nec magis credibile ſit, quadriennio antè fuiſſe vicum, quum id à M. Marcello caperetur, item quum ab Virdomaro Gallorum rege obſideretur. Proinde ego ex his argumentis colligo, opidum quidem id jam tum fuiſſe, ut XX annis pòſt, quum Ligures unà cum Litubio tenerent; ſed exiguum atque tenue.

IRIA, *opidum & flumen.*

Porrò haud procul Litubio & Claſtidio fuit Εἰρία, IRIA *opidum*, Plinio, Ptolemæo, & Itinerariis Romanis memoratum. Ptolemæus perperam id unà cum proximâ Dertonâ Taurinis tribuit. Ταυρίνων δὲ, inquit, Αὐγοῦστα Ταυρίνων, Αὐγοῦστα Βαγιεννῶν, Εἰρία, Δερτῶνα. id eſt; *Taurinorum ſunt, Auguſta Taurinorum, Auguſta Vagiennorum, Iria, Dertona.* Rectiùs Plinius lib. III cap. V, poſtquàm Liguriæ oram maritimam recenſuit: *Flumen Macra, Liguriæ finis. A tergo autem ſuprà dictorum omnium Apenninus mons, Italiæ ampliſſimus, perpetuis jugis ab Alpibus tendens ad Siculum fretum. Ab altero eius latere ad Padum amnem, Italiæ ditiſſimum, omnia nobilibus opidis nitent; Libarnâ, Dertonâ coloniâ, Iriâ, Barderate, Induſtriâ, Pollentiâ, Carreâ, quod Potentia cognominatur; Foro Fulvî, quod Valentinum; Auguſtâ Vagiennorum, Albâ Pompeiâ, Aſtâ, Aquis Statiellorum.* Ligurum omnia hæc fuiſſe opida, ſuprà cap. VIIII oſtenſum eſt. Situs *Iriæ* ita notatur in Itinerariis:

Tabulæ;		Antonini;	
Placentia		*Placentia*	
Cameliomagus	.....	*Cumillomago*	XXV.
Iria	XVI.	*Iria*	XVI.
Dertona	.....	*Dertona*	X.

Dertona vulgò hodiè vocatur *Tortona*. Hinc Placentiam versùs eundo tranſitur à V milliaribus vicus *Ponte Corone*; & inde à IIII milliaribus opidum *Voghiera*. Hoc igitur ex VIIII milliarium intervallo ſimulque ex nominis ſimilitudine deprehenditur eſſe antiquum illud opidum *Iria*: quod poſterioribus temporibus putatur dictum fuiſſe *Vicus Iria*. At ego adpellatum credo *Vicum Iriæ*; id eſt, vicum ad IRIAM *flumen* poſitum. hoc quidpe vocabulum fuit huic amni, qui nunc vulgò dicitur *La Staffa*. Iornandes de rebus Goticis: *Poſt Maximum Maioranus occidentale ſuscepit imperium. Sed & ipſe non diu regnans, dum contra Alanos, qui Gallias infeſtabant, moviſſet procinctum, Dertonæ juxta fluvium Ira cognomento occiditur.* Et in libro de regnorum ſucceſſione: *Apud Dertonam occiditur.* Non equidem apud ipſam Dertonam; ſed in agro Dertonenſi. qui tamen modus loquendi perquàm familiaris fuit ſæculò Iornandis; ut plurimis patet exemplis apud alios ſcriptores eiusdem ævi; maximè verò in martyrologiis Romanis: ubi ſæpè Roma nominatur in mentione feſtorum ſeu ſepulcrorum, quæ longiùs abfuerunt. Neque enim veri eſt ſimile, fluvium apud Dertonam ſimul & opidum X millia paſſuum inde diſſitum eiusdem fuiſſe nominis. De reliquo non dubito, quin jam Iornandis tempore opidum ſimul & flumen *Iria* corrupto vocabulo dicta fuerint *Ira*. unde etiam vulgare nunc opido nomen *Voghiera*.

COMILIOMAGVM *opidum.*

Alterum illud *opidum* in Itinerariis COMILIOMAGVM Padi ripæ adpoſitum fuiſſe, ex voce *magum* colligo; quæ non niſi locis ad fluminum ripas poſitis fuit adjuncta, trajectum fluminis ſignificans; ut Germaniæ lib. I cap. VII pluribus exemplis docui. Situm autem fuiſſe id opidum haud ita longè infra Ticini confluentem, ex intervallorum numeris, quos refert Antoninus, deprehendo. In Tabulâ vocabulum id per oſcitantiam vel fortè imperitiam exſcriptoris bis poſitum eſt: primo loco *Cameliomagus*; mox *Comelimagus*. Apud Antoninum in variis exemplaribus prima ſyllaba aliàs *o*, aliàs verò *u* habet. Vnde, utroque itinerario inter ſe collato ferè conjecerim, nomen, ſive opidi ſive vici, fuiſſe CAMELIOMAGVS & COMILIOMAGVS: niſi ſuſpicio quædam animum teneret, legendum fortè CAMILLOMAGVS. nam in Gallorum etiam gente nomen virorum proprium fuiſſe *Camillus*, apud Appianum fine libri III Civilium bellorum reperio. Apud Oroſium lib. VI cap. XVIII, & apud transſcriptores eius Paul. Diaconum hiſtoriæ miſcellæ lib. VII, Freculfum tomi primi lib. VII cap. XIIII, ita ſcriptum eſt: *Poſteà Decius Brutus in Galliâ à Sequanis*

captus & occiſus eſt. Eamdem rem epitomator Livii lib. cxx narrat his verbis: *Et D. Brutus, quum, relictus à legionibus ſuis, profugiſſet; juſſu Antonii, in cuius poteſtatem venerat, à Capeno Sequano interemptus eſt*. At apud Appianum, dicto libro, diſertè *Camillus* vocatur Gallorum regulus, cuius dolo Brutus cecidit. idque nomen ter ibidem repetitur. Verùm in re tam dubiâ certi aliquid decernere difficile eſt.

DERTONA *colonia*.

Ipſa hinc DERTONA *urbs*, M. Bruto, Velleio Paterculo, Straboni, Plinio, Ptolemæo, Itinerariis Romanis, Inſcriptionibus antiquis ac Stephani epitomatori memorata, vulgò nunc, ut antè dixi, vocatur *Tortona*. Ptolemæus vocabulum eius Romanâ formatione ſcripſit Δερτῶνα, ut Ἀγκῶνα, Οὐηρῶνα, Κρεμῶνα. at Strabo Græcè Δερθὼν, ut Ἀγκὼν, Οὐηρὼν, Κρεμών· de quibus terminationum variationibus ſuperiori capite dictum eſt. Sed neſcio, an Strabo in eo vocabulo ſcripſerit θ, quum reliqui auctores habeant τ. Stephani epitomator: Δερτὼν, πόλις Λιγυρῶν· Ἀρτεμίδωρος ἐν ἐπιτομῇ τῶν ια΄· τὴν καλουμένην Δερτῶνα πόλιν. τὸ ἐθνικὸν Δερτώνιος. Id eſt: *Derton, Ligurum opidum. Artemidorus in epitomâ duodecim librorum: Dertonem nomine urbem. Gentilitium inde Dertonius*. At Latinâ formatione Caſſiodoro Variar. lib. x epiſt. xxvii, & lib. xii. epiſt. xxvii, opidani inde dicuntur DERTONENSES. Strabonis verba, ex lib. v, ubi huius urbis meminit, ſuprà ad Claſtidium citavimus: Ptolemæi verò ad Iriam. Apud Ciceronem, Familiar. lib. xi, in fine epiſtolæ Bruti, ad Ciceronem ſcriptæ, ita eſt: *Ex caſtris Dertonæ*. Romanorum fuiſſe *coloniam*, teſtantur Velleius atque Plinius. quorum hic dicto lib. iii cap. v, *Ab altero*, inquit, *Apennini latere, ad Padum amnem omnia nobilibus opidis nitent; Libarnâ, Dertonâ coloniâ, Iriâ, Barderate*. Velleius, ſub finem libri ii, ubi ediſſerit, quæ Romanorum coloniæ quibus temporibus ſint deductæ; tandem addit; *De Dertonâ ambigitur*. Haud poſtremi fuiſſe ſplendoris, adparet ex veterum ſepulcrorum monumentis, quæ juxta viam Poſthumiam ab utrâque urbis parte etiam nunc ſemiruta conſpiciuntur. Hinc in lapide antiquo Romæ vocatur IVLIA DERTONA. Hinc etiam Strabo paullo poſt ſuprà ſcripta verba: Ἔστι δὲ ἡ Δερθὼν πόλις ἀξιόλογος, κειμένη κατὰ μέσην τὴν ὁδὸν τὴν ἀπὸ Γενούας εἰς Πλακεντίαν, ἑκατέρας διέχουσα σταδίους υ΄. κατὰ δὲ ταύτην τὴν ὁδὸν καὶ αἱ Ἀκύαι Στατιέλλαι εἰσίν. Id eſt: *Eſt Derthon urbs inſignis, ſita medio inter Genuam & Placentiam itinere; ſtadiis ab utrâque diſtans* cccc. *in eodemque itinere ſunt & Aquæ Statiellæ*. Stadia quadringenta ſunt millia paſſuum l.

At hoc tamen iter inter Genuam ac Dertonam aliter referunt itineraria Romana antiqua; quæ ſic habent:

Tabulæ;		Antonini;	
Genua	M. P.	*Genua*	M. P.
Libarnum	XXVI.	*Libanum*	XXXVI.
Dertonæ	.....	*Dertona*	XXXV.
Aquis Tatelis	XXVII.	*Aquis*	XXXVIII.
Crixia	XXII.	*Crixia*	XX.
Calanico	XX.	*Canalico*	X.
Vadis Sabates	XII.	*Vadis Sabatîs*	XII.

LIBARNVM *opidum*.

Heic quum itineraria tam vehementer in millium numeris varient, difficile admodùm eſt indicare, quo ſitu fuerit LIBARNVM, ſive, ut Plinius ac Ptolemæus habent, LIBARNA *opidum*. Iter id à Genuâ ad Dertonam, per Pontem decimum, Voltagium & Seravallem, milliaria continet xl: per Inſulam autem & Arcuatum paullo prolixiùs dextrorſum circumagitur. quod haud dubiè antiquum illud eſt Romanorum iter, in prædictis itinerariis deſcriptum. In quibuſdam Antonini exemplaribus numerus millium inter Libarnum & Dertonam, qui in Tabulâ penitus interiit, eſt xxv. Quòd ſi hunc emendes in xv; circa *Arcuatum*, quod vulgò dicitur *Arquâ*, erit locus veteris *Libarni*. Nec malè inter hoc atque Genuam congruent xxvi millia paſſuum, quæ refert Tabula. Et exſtitiſſe heic ſuprà Seravallem antiqua opidi veſtigia ſuo ævo, teſtatur Merula in hiſtoriâ Vicecom. lib. vi. Hinc puto abſportatam fuiſſe ab Seravallenſibus antiquam inſcriptionem, quam oſtentant apud ſeſe. *Nobile* id quondam fuiſſe *opidum*, ex Plinio, loco proximè ſcripto, intelleximus. Ptolemæi exemplaria alia habent feminino genere, ut Plinius, Λίβαρνα, alia neutro Λίβαρνον.

AQVAE STATIELLAE *opid.*

Inter Dertonam & Vada Sabatia AQVAE STATIELLAE, ſive AQVAE STATIELLORVM, hodiéque vulgari vocabulo adpellari *Acqui*, & incolarum ore *Aich*,

jam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

jam antè dixi. Ea loci adpellatio miſerè ac fœdè in Strabonis exemplaribus vitiata eſt; primo loco Δέρθων καὶ Ἀκυδίστεπελλα· altero, κατὰ δὲ ταύτην τὴν ὁδὸν καὶ Ἀάκυιστας ἰέλλα. Vtrobique doctiſſimus Caſaubonus emendavit Ἀκυστεπέλλαι. an ſatis rectè, dubito. quidpe primùm haud ignoraſſe auctorem puto, geminum id eſſe loci nomen. dein, quia poſteriori loco eſt vocalis ι in principio vocis ἰέλλεια, omnino perſvaſum habeo, utrobique ſcripſiſſe Strabonem Ἀκύαι Στατιέλλαι· poſteriori verò loco etiam addidiſſe verbum εἰσί. Nec eſt, quòd heic aliquis allegare velit ſimilem ſcriptionem ex Livii lib. XLII; ubi ita habetur: *Et in Liguribus, in agro Statellati, pugnatum ad opidum Cariſtum*. Et paullo pòſt: *Atrox res viſa ſenatui, Statellates, qui uni ex Ligurum gente non tuliſſent arma adversùs Romanos, omni ultimæ crudelitatis exemplo laceratos ac deletos eſſe*. Et eodem libro infrà: *Aucta etiam invidia eſt Popilii, literis eius, quibus, iterum cum Statellatibus Liguribus, proconſul, pugnaſſe ſe, ſcripſit*. Et mox: *Sanciebatur, ut, qui ex Statellis deditis in libertatem reſtitutus ante Calendas Sextileis primas non eſſet; cuius dolo malo is in ſervitutem veniſſet, ut juratus ſenatus decerneret, qui eam rem quæreret animadverteretque*. Nec heic quidem dubito, quin vocalis *i* ubique librariorum injuriâ interierit; quando eam Ciceronis pariter atque Plinii exemplaria habent. Nam in Ciceronis Familiar. lib. XI eſt epiſtola Bruti, quæ ſic finitur: *Pridiè Nonas Maii, ex caſtris, finibus Statiellorum*. Et apud Plinium ſuprà ſcripto loco memorantur *Aquæ Statiellorum*. libro autem XXXI cap. II, de aquis diſſerens; *Augent*, inquit, *numerum deorum nominibus variis, urbeisque condunt: ſicut Puteolos in Campaniâ, Statiellas in Liguriâ, Sextias in Narbonenſi provinciâ*. Sed utroque loco inepti librarii in nonnullis exemplaribus vocalem Græcam *y* in vocabulo minimè Græco perſcripſerunt. & Ciceronis nonnulla exemplaria præſcripto loco habent *finibus Statiellenſium*. Vtrum horum ipſe ſcripſerit Brutus, in certum eſt: niſi quid ex diſcrimine eorum elicere poſſis. Quum enim univerſa gens vocata ſit STATIELLI; quorum caput fuit opidum nomine *Aquæ Statiellæ*: huius verò *opidani* dicti STATIELLENSES: non in opidi, ſed in totius gentis finibus caſtra eſſe, haud dubiè voluit Brutus. Livius item ſi utramque vocem, ut exemplaria eius ferunt, uſurpavit ipſe, STATIELLI, & STATIELLATES; hoc opidanos, illo totam gentem indicare voluit. Sed verendum, ne iſta quoque vox *Statellis* vitioſa ſit, quemadmodùm innumeræ aliæ in quintâ eius auctoris hiſtoriarum decade. Quin ego haud video, quorſum iteratio particulæ *ut* in iiſdem verbis. Quapropter *Statiellates* ubique uſurpaſſe Livium, omnino credo; quemadmodùm ab aliis itidem opidis dicti fuêre *Veliates*, *Euburiates*, *Caſmonates*, *Cerdiciates*, *Celelates*, *Hercates*, *Briniates*, *Friniates*; de quibus omnibus ſuprà actum. At in archetypo Tabulæ itinerariæ haud aliter ſcriptum fuit, quàm *Aquis Statiellis*. Morem fuiſſe antiquis, in medio dictionum geminatas literas ſimplici charactere notare, maiori tamen formâ, vulgò notum eſt. Idem poſteà imperiti librarii in fine ac principio binarum vocum uſurparunt. quod huic etiam loci adpellationi in Tabulâ accidit; ut ſcriptum fuerit *AquiStatiellis*. poſterior transſcriptor quum hoc non perciperet; gemellam verò opidi adpellationem eſſe, ſatis intelligeret: fecit eam *Aquis Tatiellis*. hoc porrò alii fecerunt, omiſſo *i*, *Tatellis*; ac tandem *Tatelis*: quum jam tum barbaro ſæculo, quo etiam Livii exemplaria corrupta ſunt, *Aquæ* dicerentur *Statellæ*; & inde opidani *Statellates*, ſive *Statellenſes*. Poſtremò etiam, nomine gentis omiſſo, ſimpliciter urbs dicta eſt AQVAE; ut eſt apud Antoninum. Hinc etiam liber Notitiæ imperii occidentalis: *Præfectus Sarmatarum gentilium, Aquis, ſive Tertonæ*. Et Paul. Diaconus, Langobardicar. rer. lib. II cap. XVI: *Quinta provincia Alpes Cottiæ dicuntur. In hac Aquis, ubi calidæ ſunt aquæ, Dertona, & monaſterium Bobium, Genua quoque & Savona civitates habentur*. Sic equidem barbaro iſto ævo innumera alia vocabula apud ſcriptores obliquis caſibus formata loco nominativi reperiuntur. Atque ab hoc obliquo *Aquis*, qui vulgò in uſu fuit, vulgare nunc vocabulum *Acqui* promanavit. Opidani illo tempore inde dicebantur AQVENSES. Anaſtaſius, in vitâ Sergii II: *Odelvertus, epiſcopus eccleſiæ Aquenſis*. Eſt autem fons aquarum calidiſſimarum in medio urbis: ſuntque alii extra urbem. unde opidum nomen accepit.

CARISTVM opidum.

De cætero Livius, dicto libro XLII, *Et in Liguribus*, inquit, *in agro Statiellati, pugnatum ad opidum Cariſtum*. Hoc CARISTVM *opidum* fortè fuerit is locus, qui hodiè circa viam, quà Dertonam itur ab Genuâ, vulgò incolis dicitur *Caruſco*.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Inter Aquas verò Statiellas & Vada Sabatia iter, ut ſuprà relatum, deſcribitur in Itinerariis huiusmodi:

Tabulæ;		Antonini;	
Aquis Tatelis		*Aquis*	
Crixia	XXII.	*Crixia*	XX.
Calanico	XX.	*Canalico*	X.
Vadis Sabates	XII.	*Vadis Sabatîs*	XII.

Hoc quoque iter per montium valliumque ambages ductum fuit. Opida hodie ad Bormiæ fluvii, qui Aquas adluit, ſuperiorem partem viſuntur *Cairo* & *Cortemiglia*: quorum hoc CRIXIAM, illud CALANICVM ſive CANALICVM, ex intervallis colligo eſſe. Nec dubium eſt, in Tabulâ alterum x abundare. CRIXIA & CANALICVM *opida.*

Vltra Cairum & Cortemiliam ad Tanari amnis ripam conſpicitur opidum *Ceva*, marchionatus titulo inſigne. id quoque perantiquæ eſt originis; olim CEBA dictum: & inde opidani CEBANI. Plinius lib. XI cap. XLII; quod eſt de optimis caſeorum generibus: *Duobus Alpes generibus pabula ſua adprobant. Dalmaticæ Docleatem mittunt; Centronicæ Vatuſicum. Numeroſior Apennino. Cebanum hic ex Liguriâ mittit; Aeſinatem ex Vmbriâ*. Apenninum heic impropriè dixit, quæ *Alpes* erant *Maritimæ*; ut infrà ſuo loco patebit. Vnde dubium fit, Vatuſicum intellexerit caſeum an Cebanum Iul. Capitolinus in vitâ Antonini Pii, his verbis: *Quum Alpinum caſeum in cœnâ ediſſet avidiùs, nocte rejectavit; atque aliâ die febre commotus eſt.* CEBA *opidum.*

Apud Tanari Sturæque confluenteis nobilis olim fuit POLLENTIA *urbs*, veterum monimentis celebratiſſima. cuius exigua veſtigia etiamnunc manent cum vulgari vocabulo *Polenza*, ſive *Polenzo*. Auctorum exemplaria heic alia ſimplex tantùm habent, alia geminum *LL*. Verùm ut à *placendo Placentia*, à *potendo Potentia*, à *florendo Florentia*, à *ſidendo Fidentia*, à *favendo Faventia*; ſic à *pollendo* haud dubiè *Pollentia* nomen accepit. Vulgaris hic jam olim fuit mos, & nunc etiam à criticis reſtitutus, uti geminatæ liquidæ in ſimplicem redigantur. Hinc paſſim in novis librorum editionibus leguntur *anulus, numus, flama, milia, miliaria*; & hoc genus alia. Apud Ptolemæum hoc Liguriæ opidum legitur unico λ Πολεντία, *Polentia*. at in Balearide ad Hiſpaniam inſulâ eiusdem nominis opidum apud eumdem auctorem eſt gemino λλ Πολλεντία, *Pollentia*. quorum utrumque in plerisque exemplaribus Plinii utroque ſcribitur modo. Tabula itineraria ſic refert: POLLENTIA *urbs.*

Aquis Tatelis	
Alba Pompeia	X.
Polentia	.....
Auguſta Taurinorum	XXXV.

Poſteriori ævo, ut pleraque alia per Romanum imperium urbium nomina, ſic hoc etiam barbaro jam tum ore detortum eſt in POLLENTIVM, & hoc etiam peiùs, genere feminino, POLLENTVS. unde haud dubiè iſta vulgaris nunc adpellatio profluxit *Polenzo*. Stephani epitomator: Πόλλεντος, ὡς Σώρεντος, ἢ Πολλέντιον, ὡς Ῥήγιον. τὸ γὰρ τούτων ἐθνικὰ τύπον ἕνα διὰ τοῦ ινος ἔχουσιν, ὡς Ῥηγῖνος, Σωρεντῖνος. Hoc eſt: *Pollentus, ut Sorentus: aut Pollentium, ut Rhegium. horum quidpe gentilitia unam habent formationem per inus; ut Rheginus, Sorentinus*. Opidum hoc eſt Campaniæ *Surrentum*: unde opidani *Surrentini* ſunt apud auctores Latinos. Sic igitur etiam à *Pollentiâ* opidani dicti ſunt POLLENTINI. Vetuſtiſſima, eaque jam inde clariſſima, huius urbis mentio exſtat apud Svetonium in Tiberio, cap. XXXVII. *Quum Pollentina*, inquit, *plebs funus cuiusdam primipilaris non priùs ex foro miſiſſet, quàm extorta pecunia per vim heredibus ad gladiatorium munus; cohortem ab Vrbe, & aliam à Cottii regno, diſſimulatâ itineris causâ, detectis repentè armis, concinentibusque ſignis, per diverſas portas in opidum immiſit: ac partem maiorem plebis ac decurionum in perpetua vincula conjecit*. Claret ex mentione *plebis ac decurionum*, fuiſſe id *municipium* Romanorum. Nobilitata aliquot ſæculis pòſt fama eius fuit, ſub Arcadio & Honorio imperatoribus, clade mutuâ Romanorum Gotorumque. qua de re ita M. Aurelius Caſſiodorus in Chronico: *Arcadius V & Honorius V. His conſulibus Pollentiæ Stiliconem cum exercitu Romano Gothi acie victum fugaverunt*. Oroſius lib. VII cap. XXXVII: *Taceo de Alarico rege cum Gothis ſuis ſæpè victo, ſæpè concluſo, ſæpè dimiſſo: taceo de infelicibus illis apud Pollentiam geſtis*. Hiſtoria Miſcellanea

lanea lib. XIII: *Poſt hæc Italiam ingreſſus Alaricus, quum ab Honorio ſedeis expeteret, Honorius, deliberato conſilio, Gallias Gothis conceſſit. Qui quum, ad Gallias pergens, ob recuperationem jumentorum apud Pollentiam reſediſſet; Stilico patricius in perniciem reipublicæ Gothos pertentans, dum eos inſidiis adgredi cuperet, belli ſummam Sauli, pagano duci, commiſit. qui ipſo ſacratiſſimo die Paſchæ, Gothis ſupplicantibus, nihilque tale ſperantibus, ſuper eos irruit; magnamque eorum partem proſtravit. nam primùm perturbati Gothi, ac propter religionem cedentes, demum arma corripiunt, more ſolito ſe cohortantur; virtute potiori proſternunt exercitum. hinc in rabiem furoris excitati, cœptum iter deſerentes, Romam contendunt petere; cuncta, per quæ ierant, igne ferroque vaſtantes. Nec mora. venientes urbem capiunt ac devaſtant.* Proſper Aquitanus: *Stilicone ac Aureliano conſulibus, Gothi Italiam Alarico & Radagaiſo ducibus ingreſſi. Arcadio V & Honorio V conſulibus, adversùm Gothos vehementer utriusque partis clade Pollentiæ pugnatum.* Iornandes de rebus Gothicis: *Gothi ad traditam ſibi patriam proficiſcuntur. Poſt quorum diſceſſum, nec quidquam mali in Italiâ perpetratum, Stilico, patricius & ſocer Honorii imperatoris, ad Pollentiam, in Alpibus Cottiis locatam, doloſè accedens, nihilque mali ſuſpicantibus Gothis, ad necem totius Italiæ ſuamque deformitatem ruit in bellum.* Narrat hinc omnem belli ordinem, donec Romam pervenerint. Hanc tamen Stiliconis expeditionem non ſine inſigni adulatione mirum in modum extollit poëta eius ævi Claudianus, in carmine, quod de bello Gothico compoſuit: ubi inter alia ita ait de Alarico:

——— Ligurum regione ſupremâ
Pervenit ad fluvium miri cognominis Vrbem;
Atque illic domitus, vix tandem interprete caſu,
Agnovit dubiis illuſa vocabula fatis.
Nec non & Stilico pugnam poſcentia movit
Pleno caſtra gradu; dictisque inſtigat eunteis.

Et tandem:

O celebranda mihi cunctis Pollentia ſæclis!
O meritum nomen felicibus apta triumphis!
Virtutis fatale ſolum; memorabile buſtum
Barbariæ! nam ſæpè locis ac finibus illis
Plena laceſſito rediit vindicta Quirino.

Et in panegyrico de VI conſulatu Honorii:

Iam Pollentini tenuatus funere campi,
Conceſſâque ſibi (rerum ſic admonet uſus)
Luce, tot amiſſis ſociis, atque omnibus unà
Direptis opibus, Latio diſcedere juſſus
Hoſtis; & immenſi revolutus culmine fati;
Turpe retexit iter:

Et aliquanto pòſt:

Tu quoque non parvum Gotico, Verona, triumpho
Adjungis cumulum. nec plus Pollentia rebus
Contulit Auſoniis, aut mœnia vindicis Aſtæ.

VRBS *fluvius, & ſilva; qui & POLLENTINUS ſaltus.*

VRBS iſte *fluvius*, inter Pollentiam & Aſtam, quæ nomen ſervat, exortus, apud ipſam Aſtam in lævam Tanari ripam defluit, vulgari etiamnunc vocabulo *Orba* dictus. Paullo Diacono eodem hoc tractu VRBS *ſilva* memoratur. Verba eius Langobardicar. rer. lib. V. cap. XXXVII, de Cuniberto rege hæc ſunt: *Nec mora. venatum in ſilvam, quam Vrbem adpellant, perrexit: ſecumque ſuam conjugem Hermelindam venire præcepit. qui exinde noctu egrediens, Ticinum rediit*, Et cap. XXXVIIII de Alachi rege: *Qui eorum verbis perſuaſus, civitatem egreſſus; atque ad Vrbem vaſtiſſimam ſilvam profectus eſt: ibique ſe jocis & venationibus exercere cœpit.* Et lib. VI cap. LVIII; de Liutprando rege; qui & ipſe ſedem regiam habebat Ticini: *Huius regis temporibus fuit in loco, cui Forum nomen eſt, juxta fluvium Tanarum, vir miræ ſanctitatis, Boadolinus nomine, qui multis miraculis refulſit. qui ſæpè futura prædixit; abſentia quoque, quaſi præſentia, nunciavit. Denique, quum rex Liutprandus in Vrbem ſilvam venatum iſſet; unus ex eius comitibus, cervum ſagittâ percutere niſus, regis nepotem nolens ſauciavit. quod rex cernens, ſtatim unum è ſuis equitem miſit, qui ad virum Dei Baodolinum curreret, eumque peteret, ut pro vitâ pueri Chriſtum ſupplicaret. qui quum ad ſervum Dei pergeret, puer defunctus eſt. cui Chriſti famulus*

ad

ad ſe pervenienti ita dixit : Scio quam ob cauſam veneris . ſed illud , quod poſtulas , jam ſieri non poteſt ; quia puer ille defunctus eſt . Adparet ex hac narratione , *ſilvam* quoque *Vrbem* cum fluvio cognomine apud Tanarum amnem fuiſſe. Atque equidem credo, fontem fluvii effudiſſe ſilvam in Pollentino tractu . hinc quidpe POLLENTINVS *ſaltus* dicitur Statio, vel, poëtico more, plurali numero *Pollentini ſaltus*, Silvar. lib. II carm. V, in his verſibus :

O quàm, divitiis cenſuque exutus opimo,
Fortior Vrſe fores ! ſi vel fumante ruinâ
Ructaſſent diteis Veſuvina incendia Locros ,
Seu Pollentinos merſiſſent flumina ſaltus ;
Seu Lucanus ager, ſeu Tybridis impetus altas
In dextram torſiſſet aquas ; paterère ſerenâ
Fronte deos : ſivè alma fidem meſſeisque negaſſet
Cretaque Cyreneque, & quà tibi cumque beato
Larga redit Fortuna ſinu .

Pollentina lana.

De reliquo *Lana Pollentina* inter nobiliſſimas auctoribus celebratur : Plinius lib. VIII cap. XLVIII, quod eſt de generibus lanarum : *Hiſpania nigri velleris præcipuas habet : Pollentia juxta Alpeis cani : Aſia rutili ; item Bætica : Canuſium fulvi : Tarentum & ſuæ pulliginis .* Columella de Re ruſticâ lib. VII cap. II : *Generis eximias Mileſias oveis, Calabras Apulasque noſtri exiſtimabant : earumque optimas Tarentinas. Nunc Gallicæ pretioſiores habentur : earumque præcipuæ Altinates : item, quæ circa Parmam & Mutinam Macris ſtabulantur campis .* Mox : *Sunt etiam ſuapte naturà pretio commendabiles colores pullus atque fuſcus ; quos præbent in Italiâ Pollentia, in Bæticâ Corduba .* Silius Italicus lib. VIII :

Vercellæ, fuſcique ferax Pollentia villi .

Martialis lib. VIIII, epigrammate, cui lemma, *Lanæ Pollentinæ :*

Non tantùm pullo lugenteis vellere lanas,
Sed ſolet & calices hæc dare terra ſuos .

ALBA POMPEIA, municipium.

Porrò infra Pollentiam eſt ALBA *urbs*, cognomento POMPEIA . Memoratur Plinio, Ptolemæo, Dioni, Tabulæ itinerariæ, Zonaræ, & lapidi antiquo . Plinius lib. III cap. V ; in deſcriptione Liguriæ : *Ab altero Apennini latere ad Padum amnem omnia nobilibus opidis nitent ; Libarnâ, Dertonâ coloniâ, Iriâ, Barderate, Induſtriâ, Pollentiâ , Albâ Pompeiâ, Aſtâ, Aquis Statiellorum .* Ptolemæus itidem Liguriam deſcribens : Πόλεντία, Ἄστα κολώνια, Ἄλβα Πομπηία, Λίβαρνα . *Polentia, Aſta colonia, Alba Pompeia, Libarna .* Tabulæ iter ſuprà ad Pollentiam adpoſuimus . Dionis lib. LXXIII, & Zonaræ Annal. tomo II, hæc ſunt : Ἦν δὲ ὁ Περτίναξ Λίγυς ἐξ Ἄλβας Πομπηίας . *Erat Pertinax Ligus, ex Albâ Pompeiâ.* Hinc Paullus Diaconus, Hiſtoriæ miſcellæ lib. X, & auctor Epitomæ de Cæſaribus, quæ Sex. Aurelio Victori adſcribitur : *Helvius Pertinax origine ortus ſordidâ. nam libertino genitus patre apud Ligures in agro ſqualido Lollii Gentiani .* Apud Iul. Capitolinum, in eiusdem Pertinacis vitâ, ita legitur . *Natus eſt Pertinax in Apennino, in villâ Martis .* Ad quæ ita doctiſſimus huius auctoris commentator nuper adnotavit : *Quia inferiùs Vada Sabatia nominantur ; ſcripſerunt nonnulli, Martis villam, ubi natus Pertinax, ad Vada Sabatia fuiſſe olim ſitam . ex Dione potiùs ſtatuas, Albæ Pompeiæ fuiſſe vicinam . Sed quum in Liguriâ Martis villam invenerim apud veteres nullam ; poſſintque verba Dionis de origine non minùs, quàm de nativitate intelligi : dubito, num Martis villa hæc illa ſit, quam in Terentii vitâ Donatus ſtatuit in viâ Appiâ . certum enim , Appiam non procul ab Vrbe ad montana deflexiſſe & Apenninum .* Miror ſanè ego , potuiſſe tale quid vel ſomniaſſe tantum virum de Apennino ; quum & plurima pars Latii , & Aequorum gens , & Hernici , & Marſi fuerint inter Appiam viam & Apennini juga interpoſiti . Verùm errorem hunc hauſiſſe videtur ex Hercule Prodicio Stephani Pigii ; qui frequens Apenninos in itineribus ſuis ad Appiam & Latinam vias nominat monteis. Ego præſcripto loco apud Capitolinum legerim ; *in villà patris .* ſic quidpe poſteà : *Iuſſus eſt præterea ſtatim à Perenne in Liguriam ſecedere in villam paternam . nam pater eius tabernam coctiliariam in Liguriâ exercuerat . Sed poſtquàm in Liguriam venit, multis agris coëmptis, tabernam paternam, manente formâ priore, infinitis ædificiis circumdedit . fuitque illic per triennium ; & mercatus eſt per ſuos ſervos .* Cæterùm *opidani* ab *Albâ Pompeiâ* erant ALBENSES POMPEIANI . Plinius lib. XVII cap. IIII : *In Albenſium Pompeianorum agro .* Lapis antiquus :

T · VENNONIO · T · F · STELL
ALBVTIANO · PATRONO · ET
MVNICIPI · COL · AVG · LAVR
EQ · R · EQ · P · IVD · EX · V · DEC
SELECTO · CVR · R · P · ALB
POMPEIANORVM

Heic etiam *municipium* adpellatur ea urbs.

ASTA, colonia.

Sequitur Albam ad Tanari Vrbisque amnium confluenteis ASTA, vulgò nunc *Aſte* & *Aſti* dicta; urbs hodiéque ſatis magna, ſplendida, atque opulenta. Memoratur Plinio ac Ptolemæo, locis proximè ſcriptis. item Tabulæ itinerariæ; ubi vocabulum id adſpiratur, *t* in *i* corrupto, *Haſia*. *Opidani* inde dicuntur ASTENSES, A. Hirtio in libro de bello Hiſpanienſi, ac Paulo Diacono Langobardicar. rer. lib. V cap. II. *Coloniam* fuiſſe Romanorum, teſtis eſt Ptolemæus.

Porrò iter in Tabulâ itinerariâ tale eſt:

Dertona *Foro fulvi* .... *Haſia* XXII.

FORVM FVLVI, opidum; quod & VALENTINVM.

Hoc FORVM FVLVII Notitiæ etiam imperii occidentalis memoratur, & item Plinio; cui cognominatur VALENTINVM. Notitia: *Item in provinciâ Italiâ mediterraneâ; Præfectus Sarmatarum gentilium Forofulvienſi.* At FOROFVLVIENSES dicebantur ipſi *opidani*, non opidum; ut à Foro Cornelii, Foro Iulii, Foro Livii, Forocornelienſes, Forojulienſes, Forolivienſes; de quibus ſuo loco. Plinii verba lib. III cap. V hæc ſunt: *Ab altero Apennini latere ad Padum amnem omnia nobilibus opidis nitent; Libarnâ, Dertonâ coloniâ, Iriâ, Barderate, Induſtriâ, Pollentiâ, Carreâ, quod Potentia cognominatur; Foro Fulvî, quod Valentinum, Auguſtâ Vagiennorum, Albâ Pompeiâ.* Ex intervallo XXII millium, quæ Tabula habet inter Aſtam & Forum Fulvii; item ex cogonmento eius, quod Plinius ei tribuit *Valentinum*; apertè patet eſſe eum locum, qui haud procul Padi Tanarique confluentibus vulgò nunc dicitur *Valenza*.

BARDERATE & CARREA POTENTIA, opida.

At BARDERATE iſtud *opidum* Plinii, item CARREA *cognomento* POTENTIA, quibus locis fuerint, minùs liquet: niſi *Barderate* is dicendus ſit vicus, qui haud procul Padi ripâ, quâ ab Iriâ Ticinum ſive Papiam itur, vulgò nunc vocatur *Pancrana*. Illi immane delirant, qui *Carream* tradunt eſſe id opidum, quod inter Piſas & Macram amneis vulgò dicitur *Carrara*. quidpe Plinius diſertè trans Apenninum cum reliquis hactenus enarratis collocat opidis *Carream Potentiam*.

INDVSTRIA opidum; quod & BODINCOMAGVM.

Vni item Plinio ibidem memoratur INDVSTRIA *opidum*: Romanis haud dubiè ita cognominatum; quum ipſis Liguribus fuerit BODINCOMAGVM; teſte eodem Plinio, eodem lib. III cap. XVI. *Metrodorus*, inquit, *Scepſius dicit, quoniam circa fontem arbor multa ſit picea, quæ pades Gallicè vocetur, Padum hoc nomen accepiſſe. Ligurum quidem linguâ amnem ipſum Bodincum vocari; quod ſignificet fundo carentem. cui argumento adeſt opidum juxtà Induſtria, vetuſto nomine Bodincomagum, ubi præcipua altitudo incipit.* Romæ etiam lapidis antiqua inſcriptio reperta eſt, in qua, præter alia, hæc continebantur verba: DOMO · BODINCOMAGVS. Eſt ad Padi quoque ripam in Monteferratenſi agro lapis, in vico cui vulgare vocabulum *Odolengo*, cum hac inſcriptione:

T · LOLLIVS · T · LOLLI · MASCVLVS
IIII VIR · BONDICOMENSIS
HIC · PROPTER · VIAM · POSITVS
VT · DICANT · PRAETEREVNTES
LOLLI · VALE

Sed hæc inſcriptio viris doctis confictitia videtur. credo, præter alias fortè rationes, ob vitioſum vocabulum *Bondicomenſis*: cuius neque principium nec finis ad vetus nomen opidi quadrat. Nec enim veriſimile eſt, tam mirificè id poſteriori ſæculo potuiſſe detorqueri. Ex Padi altitudine documentum nos nullum certum ſumere poſſumus; quando ea ſæpiùs intra tot annorum ſæcula immutari potuit. Hoc tamen tractu inter Duriæ ac Seſſiæ fluviorum in eum confluenteis *præcipua incipit altitudo*. apud Taurinorum urbem, quæ ſupra Duriam ſita, navigabilis jam eſſe hodiéque incipit, ut olim Plinii tempore: qui lib. III cap. XVII, *Auguſta*, inquit, *Taurinorum; inde navigabili Pado*. Ac fortè, id opidum vetus eſt Bodincomagum, quod nunc vulgò dicitur *Caſal di S. Evaſio*.

AVGVSTA VAGIENNORVM, opidum.

Reliqua hinc eſt apud eumdem Plinium AVGVSTA VAGIENNORVM. quam Ptolemæus quidem quoque habet; ſed falsò Taurinorum nomini ac finibus unà cum

Iriâ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

riâ atque Dertonâ attributam. Huius ſitum uti inveſtigare queamus, ipſi VAGIENNORVM *Ligurum* fines priùs inquirendi erunt. Plinius eodem lib. III cap. V anteà: *Ligurum celeberrimi citra Alpeis Veneni, & Caturigibus orti Vagienni, Statielli, Vibelli, Magelli, Euburiates, Caſmonates, Veliates*. Et cap. XX: *Ex Caturigibus orti Vagienni Ligures.* Caturigum opidum fuiſſe *Eborodunum*, ultra Alpeis ſitum, ſuprà cap. VII dixi. itaque Plinius eodem libro cap. XVI, *Padus*, inquit, *è gremio Veſuli montis finibus Ligurum Vagiennorum viſendo fonte profluit*. Hos proximos etiam cap. V nominavit cis Alpeis poſt Venenos. Immenſum igitur erraſſe deprehenduntur ii, qui Auguſtam Vagiennorum eum interpretati ſunt locum, qui apud ſuprà dictum Forum Fulvii, ſive Valentinum, vulgò nunc vocatur *Baſignana*. Apud Velleium quidem Paterculum lib. I, ubi de coloniis Romanis agit, ita ſcriptum eſt: *Narbo Martius in Galliâ M. Porcio Q. Martio conſulibus deducta colonia eſt. poſt tres & viginti annos in Vagiennis Eporedia*. Hæc urbs hodiè vulgò adpellatur *Lamporeggio*, & alio nomine *Invréa*. Verùm hucusque à Padi fonte pertinuiſſe Vagiennorum gentem, minimè credibile eſt; utique, quum trans Padum ſtatim fuerint Taurini; quibus porrò Salaſſi continuantur ab auctoribus, Fuerunt igitur ad ſupremam Padi partem; inter dextram eius ripam & Sturam flumen, in ipſis Alpium radicibus. Hinc etiam in Tabulâ itinerariâ citra Taurinos versùs Varum flumen ponuntur. Sed nomen eorum illic corruptum legitur *Bagitenni*, pro BAGIENNI. Græcorum literam Βῆτα illud ſæculum promiſcuè pro Latinorum V uſurpaſſe, præter ea, quæ apud alios auctores repeciuntur, in ipsâ Tabulâ permulta viſuntur exempla. Hinc quoque in nonnullis Plinii exemplaribus id nomen eodem modo ſcriptum invenitur: in aliis verò BAGIENNI; ut eſt in antiquo etiam lapide Romæ. Hinc rurſus illud eſt VAGENNI apud Silium lib. VIII:

Tum pernix Ligus, & ſparſi per ſaxa Vagenni.

Cæterùm Ptolemæo in Italiâ memoratur *opidum* SALINAE, his verbis: Σουητρίων ἐν παραλίοις Ἄλπεσι Σαλῖναι. id eſt; *Suetriorum in Maritimis Alpibus Salinæ*. Situm ei tribuit in tabulâ proximè Taurinorum gentem eum, qui apertè indicet, eſſe id opidum, quod haud ita procul à Padi fonte, à ſalinis nomen hodiè vulgare habet *Saluzzo*. Vagienorum igitur hoc fuit; non Suetrorum: quos ultra Alpeis & Varum amnem in Galliâ ſedeis habuiſſe, ſuprà cap. VIII docui. Inter has Salinas Auguſtamque Taurinorum, Pollentiam, Albam, & Aſtam, medio ferè ſitu locatur Ptolemæo Αὐγοῦστα Βαγιεννῶν, AVGVSTA VAGIENNORVM. unde colligo, circa *Carmaniolam* opidum fuiſſe ſitam. SALINAE *opidum.*

Hi igitur totius intra Italiæ fineis Liguriæ ſunt populi; hæ urbes & opida, antiquis ſcriptoribus memorata. amnium item qui mare petunt, heic expoſiti ſunt. in Padum qui influunt, pòſt in ipſius Padi deſcriptione ſuo loco dicentur.

CAPVT XI.

De TAVRINIS.

PRIMI igitur trans Padum fuère Ταυρῖνοι, TAVRINI: quos Liguſtici faciunt generis Livius, Strabo, ac Plinius. Strabo lib. IIII, in deſcriptione Alpium; expoſito Gallico earum latere: Ἐπὶ δὲ θάτερα μέρη, τὰ πρὸς τὴν Ἰταλίαν κεκλιμένα τῆς λεχθείσης ὀρεινῆς, Ταυρῖνοί τε οἰκοῦσι, Λιγυστικὸν ἔθνος, καὶ ἄλλοι Λίγυες. Id eſt: *Alterum montium latus, Italiæ obverſum, Taurini tenent Liguſtica gens, & alii Ligures.* Plinius lib. III cap. XVII: *Opida, Vibii Forum, Seguſio: colonia ab Alpium radicibus Auguſta Taurinorum; antiquâ Ligurum ſtirpe.* At è diverſo Appianus in Hannibalicis, ut mox videbimus, disertè Gallicam eos facit gentem. & Ptolemæus item extra Ligurum eos locat & nomen & fineis. quamquàm Plinius quoque idem facit lib. III cap. V; ad Padi dextram ripam Liguriam finiens; ut ſuprà docuimus. Livius lib. XXI ita ſcribit de Hannibale ad Trebiam caſtra habente: *Hæ fuère hibernæ expeditiones Hannibalis. Haud longis inde temporibus, dum intolerabilia frigora erant, quies militi data eſt. & ad prima ac dubia ſigna veris profectus ex hibernis, in Etruriam ducit; eam quoque gentem, ſicut Gallos Liguresque, aut vi aut voluntate adjuncturus*. Galli Inſubres atque Boii ſuapte ſe voluntate ei junxerant. Ligurum Italicorum nullam antè neque ipſe Livius neque Polybius in hac hiſtoriâ facit mentionem; nec ullîus gentis, quam per vim ſibi Hannibal adjunxerit; niſi quòd de Taurinis ita Polybius lib. III: Μετὰ δὲ ταῦτα, προσαναληφυίας ἤδη τῆς δυνάμεως, τῶν Ταυρίνων, οἱ τυγχάνουσι

χάνουσι πρὸς τῇ παρωρείᾳ κατοικοῦντες, στασιαζόντων μὲν πρὸς τοὺς Ἰσόμβρους, ἀπιστούντων δὲ τοῖς Καρχηδονίοις, τὸ μὲν πρῶτον αὐτοὺς εἰς φιλίαν προὐκαλεῖτο καὶ συμμαχίαν, οὐχ ὑπακουόντων δὲ, περιστρατοπεδεύσας τὴν βαρυτάτην πόλιν, ἐν τρισὶν ἡμέραις ἐξεπολιόρκησε. κατασφάξας δὲ τοὺς ἐναντιωθέντας αὐτῷ, τοιοῦτον ἐνειργάσατο φόβον, ὥστε πάντας ἐκ χειρὸς παραγίνεσθαι, διδόντας αὑτοὺς εἰς τὴν πίστιν. τὸ δὲ λοιπὸν πλῆθος τῶν τὰ πεδία κατοικούντων Κελτῶν ἐσπούδαζε μὲν κοινωνεῖν τοῖς Καρχηδονίοις τῶν πραγμάτων κατὰ τὴν ἐξ ἀρχῆς ἐπιβολήν· παρηλλαχότων δὲ τῶν Ῥωμαϊκῶν στρατοπέδων ἤδη τοὺς πλείστους αὐτῶν, καὶ διακεκλικότων, ἡσυχίαν ἦγον· τινὲς δὲ καὶ συστρατεύειν ἠναγκάζοντο τοῖς Ῥωμαίοις. Hoc eſt: *Secundùm hæc, recreato jam exercitu, Taurinos, qui ad radices Alpium ſiti, bellum eo tempore adverſus Inſubres moverant, neque fidem Pœnis habebant, pellicere primò ad amicitiam ſocietatemque ſuam tentavit. deinde, quum parum benignè reſpondiſſent, caſtris ante urbem, quæ caput gentis erat, poſitis; triduo eam expugnavit. occiſisque omnibus, qui ſe ei oppoſuerant; tantum finitimis omnibus Barbaris metum injecit, ut extemplò omnes advenirent, in fidem illius ſeſe dedentes. Cæteri Galli, qui planitiem illam colunt, cupiebant illi quidem, ſicut ab initio conſtituerant, Hannibali ſe adjungere: ſed quia ulteriùs jam Romanæ legiones proceſſerant, & ipſorum inſidias evitaverant; quieſcebant. nonnulli etiam Romanis militare cogebantur.* Verùm heic Polybius *Taurinos* etiam inter Gallorum genteis cenſere videtur. nec alia ei mens fuit lib. II: ubi eamdem hanc Taurinorum gentem *Tauriſcos* vocat, & à Gallorum nomine minimè excludit. Poſtquàm Galliam Ciſalpinam, ſeu planitiem Italiæ, quæ eſt inter Alpeis & Apenninum, ad Senam Gallicam usque urbem expoſuit; Τῶν δ᾽ Ἄλπεων, inquit, ἑκατέρας τῆς πλευρᾶς, τῆς ἐπὶ τὸν Ῥοδανὸν ποταμὸν, καὶ τῆς ἐπὶ τὰ προειρημένα πεδία νευούσης, τοὺς βουνώδεις καὶ γεώδεις τόπους κατοικοῦσι, τοὺς μὲν ἐπὶ τὸν Ῥοδανὸν καὶ τὰς ἄρκτους ἐστραμμένους Γαλάται Τρανσαλπῖνοι προσαγορευόμενοι· τοὺς δ᾽ ἐπὶ τὰ πεδία Ταυρίσκοι καὶ Ἀγῶνες, καὶ πλείω γένη βαρβάρων ἕτερα. τὸν δ᾽ Ἀπέννινον, ἀπὸ μὲν τῆς ἀρχῆς, τῆς ὑπὲρ Μασσαλίαν καὶ τῆς πρὸς τὰς Ἄλπεις συμπτώσεως, Λιγυστῖνοι κατοικοῦσι, καὶ τὴν ἐπὶ τὸ Τυρρηνικὸν πέλαγος πλευρὰν αὐτοῦ κεκλιμένην, καὶ τὴν ἐπὶ τὰ πεδία. Id eſt: *In utroque Alpium latere, & quod Rhodanum reſpicit, & quod expoſitos modò campos, inhabitant terrenos colleis, ab illâ quidem parte, quæ Rhodano & ſeptemtrionibus eſt obverſa, Galli, quos Tranſalpinos vocant; ab alterâ verò Tauriſci & Agones, & aliæ gentes Barbaræ. Apennini autem initium, ſupra Maſſiliam & quà Alpibus jungitur, Ligures habent ab utroque latere, & quod Etruſcum mare ſpectat, & quod prædictam planitiem.* Heic diſertè Tauriſcos ab Ligurum nomine excludit. Eodem autem libro poſteà ſic dicit: Οἱ δὲ Κελτοὶ τοὺς μὲν ἐκ τῶν Ἄλπεων Γαισάτους προσαγορευομένους ἔταξαν πρὸς τὴν ἀπ᾽ οὐρᾶς ἐπιφάνειαν· ἐπὶ τούτοις τοὺς Ἰσόμβρους· πρὸς δὲ τὴν κατὰ πρόσωπον τοὺς ἐπὶ τάδε τοῦ Πάδου κατοικοῦντας Βοιοὺς παρενέβαλον. Id eſt: *Galli Inalpinos Gæſatos in poſtremâ acie ſtatuunt: ponè hos Inſubres locant: in fronte Tauriſcos &, qui cis Padum incolunt, Boios in aciem inſtruunt.* Et aliquanto pòſt: Τὸ μὲν οὖν τῶν Γαισατῶν φρόνημα παρὰ τῶν ἀκοντιστῶν τούτῳ τῷ τρόπῳ κατελύθη· τὸ δὲ τῶν Ἰσόμβρων καὶ Βοιῶν, ἔτι δὲ Ταυρίσκων πλῆθος ἐποίει μάχην ἰσχυράν. Hoc eſt: *Ita Gæſatorum feroces animi à Romanis jaculatoribus dejecti ſunt. Inſubres verò ac Boii & Tauriſci atrociter dimicabant.* Heic apertè inter reliquos Gallos in acie Gallicâ connumerantur & *Tauriſci*; id eſt, ut poſteà lib. III vocat, *Taurini*. Stephani epitomator: Ταυρίσκοι, ἔθνος περὶ τὰ Ἄλπεια ὄρη. λέγονται καὶ Ταυρῖνοι, ὡς Πολύβιος τρίτῳ. Ἐρατοσθένης Τευρίσκους αὐτούς φησι, διὰ τοῦ ε. Id eſt: *Tauriſci, gens circa Alpeis. Dicuntur etiam Taurini; ut Polybius habet lib.* III. *Eratoſthenes Teuriſcos adpellat, per e.* Livius tamen præſcripto loco nullos alios intellexit Ligures per vim Hannibali adjunctos, niſi Taurinos. Hinc quoque in eâdem hiſtoriâ anteà ita ſcripſit: *L. Cincius Alimentius ex ipſo ſe audiſſe Hannibale ſcribit; poſtquàm Rhodanum tranſierit,* XXXVI *millia hominum ingentemque numerum equorum & aliorum jumentorum amiſiſſe in Taurinis; quæ Gallis proxima gens erat in Italiam digreſſo.* Et paullo pòſt: *Iam ex ſtativis moverat Hannibal; Taurinorumque unam urbem, caput gentis, quia volens in amicitiam non veniebat, vi expugnarat. junxiſſetque ſibi, non metu ſolùm, ſed etiam voluntate Gallos adcolas Padi; ni eos, circumſpectanteis defectionis tempus, ſubitus adventus conſulum oppreſſiſſet. Et Hannibal movit ex Taurinis; incertus, quæ pars ſequenda eſſet; Gallos præſertim ſe ſequuturos ratus.* Scribo; *Et Hannibal movit ex Taurinis in incertos, quæ pars ſequenda eſſet; Gallos præſertim ſe ſequuturos ratus.* Heic utrobique ſatis apertè Taurinos à Gallorum genere diſtingvit. Scilicet, quum Ligures & reliqui Alpini populi unius eiusdemque eſſent generis cum Gallis, Illyriis, Germanis, Britannis, atque Hiſpanis, *Celtæ* in univerſum adpellati; ut ſuprà cap. VII oſtendi: auctorum hinc alii Taurinos Liguſtico, alii Gallico adſcripſerunt nomini. Omneis autem Alpinos populos dictos olim fuiſſe *Tauriſcos*, ipſorum lingvâ

TAVRINI *Celtica gens.*

Celticâ

Celticâ *di Tauriſchen*, ab ipſo Alpium vocabulo Celtico *di Tauren*, in libro de Vindeliciâ ac Norico docui. Hinc igitur eſt, quòd Polybius unam eamdemque gentem, primùm lib. II *Tauriſcos*, dein verò lib. III *Taurinos*, adpellat. Atque hactenus de genere ac nomine Taurinorum ſat dictum.

Fines eorum fuerunt haud perinde ampli; inter Padi lævam ripam & Orgum amnem Alpiumque radices in longum protenſi. Conterminos habuêre, in dextrâ Padi ripâ Ligures, ſuprà expoſitos; ultra Orgum Libicios; in Alpium jugis Cottii & Ideonni regna: de quibus proximè hinc agemus. Vltra Orgum non extenſos fuiſſe Taurinorum agros, patet ex eo, quod Livius lib. XXI, ubi de Hannibalis ex Galliâ in Italiam tranſitu verba habet, negat itinera ex Penninis Graiiſque Alpibus per Salaſſos in Taurinos deducere, ſed in Libicios; ut infrà, cap. XXIII, in horum deſcriptione videbimus.

Caput gentis ac præcipua *urbs* eorum, quam Hannibalem expugnaſſe narrant Polybius Liviuſque, adpellata fuit Ταυρασία, TAVRASIA. Appianus in Hannibalicis: Ἕκτῳ δ' ᾗ μόλις ἀπὸ τῆς ἐκ τῶν Ἰβήρων ἀναστάσεως μηνὶ, πλείστους ἀποβαλὼν, ἐς τὸ πεδίον ἐκ τῶν ὀρῶν κατέβαινεν. καὶ μικρὸν ἀναπαύσας, προσέβαλλε Ταυρασίᾳ, πόλει Κελτικῇ. καὶ κράτει δ' αὐτὴν ἑλὼν, τοὺς αἰχμαλώτους ἔσφαξεν, ἐς κατάπληξιν τῶν ἄλλων Κελτικῶν. Id eſt: *Sexto menſe pòſt, quàm ex Hiſpaniâ moviſſet, vix tandem, multis amiſſis, è montibus in plana deſcendit. ibi aliquantum quietis militi conceſſum. Inde Tauraſiam, Gallicam urbem, bello petiit. qua per vim expugnatâ; captivos, ad terrendum reliquos Gallos, interfecit.* Apud Stephani breviatorem ita legitur: Ταυρανία, πόλις Ἰταλίας. τὸ ἐθνικὸν, Ταυρανῖνος, ὡς Πλακεντῖνος, καὶ Ταυρανιανός. id eſt: *Taurania, opidum Italiæ. gentilitium Tauraninus, ut Placentinus; & Tauranianus.* Quum nulla uſquàm apud alios auctores reperiatur Italiæ urbs *Taurania*; omnino perſvaſum habeo, ſcripſiſſe Stephanum Ταυρασία, Ταυρασῖνος, καὶ Ταυρασιανός· *Tauraſia, Tauraſinus, & Tauraſianus.* Vtrùm autem hanc intellexerit Taurinorum urbem, an verò illud in Samnitibus opidum, cuius agri Apuanis Liguribus, ut ſuprà cap. X intelleximus, attributi fuerunt, incompertum habeo. Cæterùm poſtquàm in Romanorum pervênit ditionem unà cum gente Taurinorum urbs Tauraſia; deductâ eo coloniâ, AVGVSTA TAVRINORVM cœpit vocari. quod nomen complures referunt lapides illic exſtantes, non tantùm auctores antiqui. in quibus Ptolemæus, Ταυρίνων, inquit, οἳ εἰσιν ὑπὸ τοὺς Σαλασσοὺς, Αὔγουστα Ταυρίνων. id eſt; *Taurinorum, qui ſub Salaſſis incolunt, eſt Auguſta Taurinorum.* Plinius lib. III cap. XVII: *Tranſpadana adpellatur ab eo* [Pado] *regio, tota in mediterraneo; cui maria cuncta fructuoſo alveo important. Opida Vibî forum, Seguſio. coloniæ ab Alpium radicibus, Auguſta Taurinorum; dein Salaſſorum Auguſta Prætoria.* Tacitus Hiſtoriar. lib. II: *Auguſtæ Taurinorum dum opificem quemdam Batavus ut fraudatorem inſectatur, legionarius ut hoſpitem tuetur. ſui cuique commilitones adgregati, à conviciis ad cædem tranſière.* Mox: *Nocte, qua proficiſcebatur legio, relictis paſſim ignibus, pars Taurinæ coloniæ ambuſta.* Opidani inde dicuntur Mamertino in genethliaco Maximiani Auguſti, Paullo Diacono Langobardicar. rer. lib. III cap. XXXV, & lib. IIII cap. LIII, item auctori vitæ beati Epiphanii, epiſcopi Ticinenſis, & aliis poſterioris ævi, TAVRINATES: & eidem Diacono lib. III cap. XXX, lib. V. cap. II, ac lib. VI cap. XVIII, TAVRINENSES.

TAVRVSIA *opidum; quæ &* AVGVSTA TAVRINORVM, *colonia.*

Aliud Taurinorum opidum fuit FORVM VIBII. cuius nomen exſcriptores Plinii imperitè compegerunt in unum vocabulum *Vibiforum*: quum ab ipſo Plinio ſcriptum fuerit *Vibî forum*. unde opidanos fecit, non *Vibiforenſes*; ſed FOROVIBIENSES; ut alibi *Forocornelienſes, Forojulienſes*: & ut ſuprà ſcripti *Forofulvienſes.* Situm opidi indicat lib. III cap. XVI: *Padus è gremio Veſuli montis, finibus Ligurum Vagiennorum, viſendo fonte profluens, condenſque ſeſe cuniculo, & in Forovibienſium agro iterum exoriens, nulli amnium claritate inferior eſt.* Padus poſt tria circiter à fonte millia paſſuum cuniculo abſorbetur: atque inde poſt II millia iterum emergit. haud procul infra hunc locum caſtellum eſt vulgari adpellatione *Caſtel Fiori*. quod & ſitu & nomine ſimul indicat, eſſe locum antiqui *Fori Vibii*. ſiniſtrâ Padi ripâ, id eſt intra Taurinorum fineis fuiſſe hoc *Forum Vibii*, diſertè teſtatur Plinius lib. III cap. XVII, verbis modò adſcriptis. Apud Solinum, cap. VIII, de eodem amne ita ſcriptum eſt in cunctis exemplaribus: *Submerſuſque cuniculo, rurſus in agro Vibonenſi extollitur.* Certè librario opidum Brutiorum *Vibo Valentia* notius fuit, quàm *Forum Vibii*. Ipſe Solinus ſcripſerat, ſi non *Forovibienſi*, ſaltem *Vibienſi*.

FORVM VIBII, *opidum.*

Caput XII.

De Cottii *&* Ideonni, *Alpinorum regulorum, regnis.*

Segvsiani *populi.*

Tavrinis continuabantur ab occidente populi Inalpini, qui Ptolemæo dicuntur Segvsiani, inſcriptionibus autem antiquis Segvsini; à *Seguſio*, capite ſuæ gentis, ut mox videbimus, ſic dicti. Cottii id fuit *regnum*, antiquis Græcorum pariter ac Romanorum monimentis celebratiſſimum. Strabo lib. IIII, in deſcriptione Alpium: Ἐπὶ δὲ θάτερα μέρη, τὰ πρὸς τὴν Ἰταλίαν κεκλιμένα τῆς λεχθείσης ὀρεινῆς, Ταυρινοί τε οἰκοῦσι, Λιγυστικὸν ἔθνος, καὶ ἄλλοι Λίγυες. τούτων δ᾽ ἐστὶ καὶ ἡ τοῦ Ἰδεόννου λεγομένη γῆ, καὶ ἡ τοῦ Κοττίου. μετὰ δὲ τούτους καὶ τὸν Πάδον Σαλασσοί. ὑπὲρ δὲ τούτων ἐν ταῖς κορυφαῖς Κέντρωνες καὶ Κατόριγες καὶ Οὐάραγροι καὶ Ναντουάται. Hoc eſt: *Alterum autem Alpium latus, Italiæ obverſum, Taurini tenent, Liguſtica gens, aliique Ligures. horum quoque eſt, quæ Ideonni dicitur terra, & item quæ Cottii. poſt hos & Padum ſunt Salaſſi. Super hos in verticibus Alpium ſunt Centrones & Caturiges & Veragri ac Nantuates.* Non tantùm ſuper Salaſſos hi incoluerunt, ſed ſuper omneis pariter prædictos. ſuper Salaſſos Veragri, & ultra hos Nantuates; ſuper Ideonni terram Centrones; ſuper Cottii regnum Caturiges. An verò Ideonni & Cottii terræ ad radices tantùm Alpium, ut vult Strabo? Negat hoc Polybius; negant cum Polybio Ptolemæus, Marcellinus, atque Sidonius. Polybius quidpe lib. III, ut ſuperiori capite recitatum, Taurinos πρὸς τῇ παρωρείᾳ. id eſt, *ad radices* Alpium incoluiſſe tradit. Cottii autem regnum in ſummis fuiſſe verticibus, ſatis Sidonius Apollinaris indicat carmine VII his verbis:

——— Vtque ſatis ſibimet numeroſa coiſſe
Nobilitas viſa eſt, quam ſaxa nivalia Cottî
Deſpectant.

Ptolemæi hæc ſunt: Σεγουσιανῶν, Σεγούσιον καὶ Βριγάντιον. *Seguſianorum ſunt Seguſium & Brigantium.* Marcellinus lib. XV, *In his*, inquit, *Alpibus Cottiis, quarum initium à Seguſione opido eſt, præcelſum erigitur jugum, nulli ferè ſine diſcrimine penetrabile.* Et mox, poſt deſcriptionem eius jugi: *A ſummitate autem huius Italici clivi planities adusque ſtationem nomine Martis per* VII *extenditur millia. & hinc alia celſitudo erectior, ægréque ſuperabilis, ad Matronæ porrigitur verticem. unde declive quidem iter, ſed expeditius, ad caſtellum Virgantiam.* Intelligit *Brigantium* Ptolemæi. quod opidum in Gallico Alpium latere hodiéque vocatur *Briançon*. Ergo & τὰς κορυφὰς & utrumque latus Alpium obtinuit Cottii terra. Sed & ipſe Strabo, eodem libro anteà, in ſummitates usque Alpium eam protendit. Ἐντεῦθεν, inquit, ἐπὶ τοὺς ἑτέρους ὅρους τῶν Οὐοκοντίων πρὸς τὴν Κοττίου, μίλια ἑκατὸν ἑνὸς δέοντα, εἰς Ἐβρόδουνον κώμην· εἶτ᾽ ἄλλα τοσαῦτα, διὰ Βριγαντίου κώμης καὶ Σκιγγομάγου καὶ τῆς τῶν Ἄλπεων ὑπερθέσεως, ἐπὶ Ὤκελον, τὸ πέρας τῆς Κοττίου γῆς. καὶ ἡ ἀπὸ Σκιγγομάγου δὲ ἤδη Ἰταλία λέγεται. Id eſt: *Hinc ad alterum Vocontiorum finem, versùs Cottii terram, millia ſunt* XCVIIII, *ad Ebrodunum usque. hinc totidem per Brigantium vicum & Scingomagum Alpiumque ſummum tranſitum, usque ad Ocelum, terræ Cottiæ finem. ceterùm à Scingomago jam Italia dicitur.* Itineraria antiqua iter per has Cottias Alpeis habent huiusmodi:

Hieroſolymitanum;		Tabulæ;		Antonini;		Antonini;	
Taurinis		*Auguſta Taurinorum*		*Taurinis*		*Taurinis*	
Ad Octavum	VIII.						
Ad Fines	VIII.	*Finibus*	XVIII.	*Fines*	XVIII.	*Ad Fines*	XVI.
Ad Duodecimum	XII.						
Secuſſione	XII.	*Seguſione*	XXII.	*Seguſione*	XXIII.	*Seguſione*	XXIIII.
Ad Martem	XVI.	*Martis*	XVII.	*Ad Martis*	XVI.	*Ad Martis*	XVI.
Geſdaone	VIIII.	*Gadaone*	VIII.				
Inde adſcendis Matronam.		*In Alpe Cottiâ*	V.				
Brigantium	X.	*Brigantione*	VI.	*Brigantione*	XXIIII.	*Brigantione*	XVIII.
Rame	XVII.	*Rama*	XVIIII.	*Rame*	XVIIII.	*Roame*	XVIII.
Ebriduno	XVII.	*Eburuno*	XVII.	*Eburuduno*	XVIIII.	*Ebroduno*	XVII.
Catorigas	XVI.	*Catorigomagus*	VII.	*Caturrigas*	XVII.	*Caturica*	XVI.

Hiero-

Hieroſolymitanum equidem adverſo itinere ex Galliâ in Italiam perſcripta habet iſta loca. finemque Cottiarum Alpium indicat hoc modo:

Vapinco
Catorigas XII.
Ebriduno XVI.
Inde incipiunt Alpes Cottiæ
Rame XVII.
Brigantium XVII.

Vapincum opidum in Galliâ hodiè dicitur vulgò *Gap*; *Caturigæ*, ſive, ut Tabula habet itineraria *Catorigomagus*, *Chorges*; *Eburodunum*, *Embrum*. in medio huius & Brigantii *Rama* nunc *Rame*, vicus eſt. *Eburodunum* Ptolemæus tribuit Caturigum nationi. quorum etiam fuit *Caturigomagus*. Ab Eburoduno igitur initium erat in Gallico Alpium latere regni Cottiani; non ab Ocelo, ut vult Strabo. quem ille errorem inde hauſit, quòd Cottii terram eisdem finibus includi putavit, quibus ipſa Italia. In huius autem latere finis Cottii regni fuit apud locum, qui inde *Finium* nomen traxit. Apud Svetonium in Neronis vitâ, cap. XVIII ita ſcriptum eſt: *Ponti regnum, concedente Polemone, item Alpium, defuncto Cottio, in provinciæ formam redegit*. Nam magis omnem Alpium Italiam cingentium tractum in unam proviuciam redegit, quàm Pontum & Alpeis. neque omnes pariter Alpes, Penninæ, Graiæ, Cottiæ, Maritimæ, ſub uno Cottii regno fuerunt; ſed Cottiæ tantùm. Sex. Aurel. Victor, in Nerone: *Pontum in jus provinciæ, Polemonis reguli permiſſu, redegit; itemque Cottias Alpeis, Cottio rege mortuo*. M. Aurelius Caſſiodorus in Chronico: *Celſinus & Apuleius. His conſulibus duæ provinciæ factæ ſunt; Pontus Polemoniacus, & Alpes Cottiæ, Cottio rege defuncto*. Eutropius lib. VII, & Paul. Diaconus Hiſtor. miſcel. lib. VIII; in eodem Nerone: *Duæ provinciæ ſub eo factæ ſunt; Pontus Polemoniacus, concedente rege Polemone; & Alpes Cottiæ, Cottio rege defuncto*. Idem tradit & Hieronymus in Chronici Euſebiani lib. II. Flavius verò Vopiſcus in Aureliano; *Nero*, inquit, *ſub quo Pontus Polemoniacus & Alpes Cottiæ Romano nomini tributæ*. Hinc illa verba in antiquâ inſcriptione Romæ: ...... ATORI. ET · PRAESIDI · ALPIVM · COTTI · Incertus auctor in Collectaneis hiſtoriarum: Ὀλυμπ. σε΄ ἔτει δ΄ Κλαύδιος Μάρκῳ Ἰουλίῳ Κοττίῳ τὴν πατρῴαν ἀρχὴν, ἣν ἐπὶ τῶν Ἄλπεων τῶν ὁμωνύμων εἶχε προσεπηύξησε, βασιλέα αὐτὸν τότε πρῶτον ὀνομάσας. Id eſt: *Olymp.* CV *anno* IIII *Claudius Marco Iulio Cottio paternum imperium, quod in eiusdem cognominis Alpibus tenebat, adauxit; regem tum primùm ipſum adpellans*. Annus hic fuit IIII imperii Claudii imperatoris, à nato verò Chriſto XLIIII. Atque tunc haud dubiè adſumpſit nomina iſta Romana, *Marcus Iulius*. quamquàm jam anteà in amicitiam Cæſaris Auguſti receptus fuit. Ammianus Marcellinus dicto lib. XV, de Galliâ loquens: *Vnde ad Solis ortus attollitur, aggeribus cedit Alpium Cottiarum: quas rex Cottius, perdomitis Galliis, ſolus in anguſtiis latens, inviâque locorum aſperitate confiſus, lenito tandem timore in amicitiam Octaviani receptus principis, molibus magnis exſtruxit, ad vicem memorabilis muneris, compendiarias & viantibus opportunas*.

Regnum igitur Cottii patuit, quatenus ipſæ Alpes Cottiæ: inter ortum & occaſum, à ſuprà dictis *Finibus* usque ad *Eburodunum* opidum: inter ſeptemtriones ac meridiem ab Graiis Apibus ad Maritimas usque: quarum terminos infrà in tractatu de univerſis Alpibus curatiùs indicabo. Quòd autem Marcellinus loco ſuprà ſcripto ait, *initium Cottiarum Alpium eſſe à Seguſione opido*; id non de regno Cottii, ſed adſcenſu Alpium ad ſummum tranſitum accipiendum eſt.

De opidis Cottiæ terræ ita tradit Plinius lib. III cap. XX, quod eſt de Alpibus & populis Inalpinis: *Sunt prætereà Latio donati incolæ, ut Octodurenſes, & finitimi Centrones, Cottianæ civitates, Caturiges, & ex Caturigibus orti Vagienni Ligures, & qui Montani vocantur, Capillatorumque plura genera ad confinium Liguſtici maris*. Et paullo pòſt, recitatis populis, qui trophæo Auguſti in Alpibus fuêre inſcripti: *Non ſunt adjectæ Cottianæ civitates* XII; *quæ non fuerunt hoſtiles*. In his haud dubiè fuêre connumerata cuncta illa loca ſuprà memorata, licèt pleraque vici tantùm fuerint.

Caput gentis atque regni fuit SEGVSIO, ſive SEGVSIVM *opidum*. unde ipſa gens poſteà Ptolemæo dicta *Seguſiani*. Vulgò nunc vocatur *Suſa*. Priſci incolæ quum id lingvâ Celticâ vocarent *Segehuus* & *Segehuſen*, fortè ab amne *Sege*, qui, vulgari nunc adpellatione *Semar*, in Duriam minorem heic confluit; Romani id ſuo ore fecêre

SEGVSIO *ſive* SEGVSIVM *opidum*.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Seguſium & *Seguſio*: quorum illud Ptolemæus, hoc Plinius, Marcellinus, & itineraria habent. Barbaro deinde ſæculo factnm eſt SEGVSIVM; ut eſt apud Paul. Diaconum, Langobardicar. rer. lib. III cap. VIII: & SEGVSIO: ut præſcriptum itinerarium Hieroſolymitanum habet. Opidani inde ſunt in antiquis inſcriptionibus, quæ Auguſtæ Taurinorum exſtant, SEGVSINI: apud Nazarium autem, in Panegyrico Conſtantino Aug. dicto, SEGVSIENSES: Ptolemæo, ut modò dixi, SEGVSIANI. quam ille vocabuli formationem fortè mutuatus eſt ab eiusdem nominis gente, quæ in Galliâ ad Rhodanum Araremque amneis incoluit. Caput hoc fuiſſe gentis, inde colligo, quòd heic monimentum fuit *Cottii regis*. Marcellinus dicto lib. XV: *Huius ſepulcrum reguli, quem itinera ſtruxiſſe retulimus, Seguſione eſt, mœnibus proximum*. Poſteà verò *municipium* factum Romanorum, præſcripti lapides teſtantur; in quibus mentio fit MVNICIPI SEGVSINI. Præſidium heic, poſtquàm in amicitiam ſocietatemque Auguſti ſeu reipublicæ Romanæ receptus Cottius, fortè locavit Auguſtus, vel ſaltem ſucceſſor eius Tiberius, in tutelam viæ huius per Alpeis Cottias; qua omnium plurimùm utebantur Romani ex Italiâ in Galliam commeantes. ſic enim eſt apud Svetonium in Tiberio, cap. XXXVII: *Quum Pollentina plebs funus cuiusdam primipilaris non priùs ex foro miſiſſet, quàm extorta pecunia per vim heredibus ad gladiatorium munus; cohortem ab urbe, & aliam à Cottii regno, diſſimulatâ itineris causâ, per diverſas portas in opidum immiſit*.

Reliqua loca, in itinerariis memorata, ex intervallis & ductu itineris ſic interpretor:

AD OCTA-VVM.

AD OCTAVVM, intellige *lapidem*, ab Auguſtâ Taurinorum; opidum nunc fuerit vulgari vocabulo *Rivoli*.

AD FINEIS.

AD FINEIS; opidum *Aviliana*.

AD DVODE-CIMVM, *loca*.

AD DVODECIMVM; ſcilicet *lapidem* ab Seguſione; nunc *S. Raſe*.

FANVM MARTIS.

Locus autem ille AD MARTEM, ſive AD MARTIS FANVM, quo ſitu fuerit, ex ſuprà ſcriptis Marcellini verbis, cum itinerariis collatis, diſpicere licet. *In Alpibus*, inquit, *Cottiis, quarum initium à Seguſione opido eſt, præcelſum erigitur jugum, nulli ferè ſine diſcrimine penetrabile. eſt enim è Galliis venientibus pronâ humilitate divexum, pendentium ſaxorum altrinſecus viſu terribile; præſertim verno tempore: quum liquente gelu, nivibusque ſolutis flatu gelidiore ventorum, per diruptas utrimque anguſtias & lacunas pruinarum, congerie latebroſas, deſcendentes cunctantibus plantis homines & jumenta procidunt & carpenta. A ſummitate autem huius Italici clivi planities adusque ſtationem nomine Martis, per* VII *extenditur millia. & hinc alia celſitudo erectior, ægréque ſuperabilis, ad Matronæ porrigitur verticem: cui vocabulum caſus feminæ nobilis dedit. unde declive quidem iter; ſed expeditius, adusque caſtellum Virgantiam*. Ex hac deſcriptione ſimulque ex XVI vel XVII millium intervallo, quod itineraria referunt, MARTIS FANVM colligo fuiſſe eo ſitu, ubi nunc conſpicitur opidum, cui vulgare vocabulum apud Italos *Orſi*, ſive *Vrſe*; apud Gallos *Ours*.

OCELVM *opidum*.

Imperitè faciunt, qui hoc opidum interpretantur, ex neſcio qua vocabuli ſimilitudine, Strabonis & Cæſaris OCELVM. Cæſaris verba hæc ſunt, de bello Gallico commentario I: *Cæſar treis legiones, quæ circùm Aquileiam hiemabant, ex hibernis educit; &, quà proximum iter in ulteriorem Galliam per Alpeis erat, cum his ire contendit. Ibi Centrones & Garoceli & Caturiges, locis ſuperioribus occupatis, itinere exercitum prohibere conantur. compluribus his prœliis pulſis, ab Ocelo, quod eſt citerioris provinciæ extremum, in fineis Vocontiorum ulterioris provinciæ die ſeptimo pervenit*. Strabonis ſunt iſta lib. IIII: Ἐντεῦθεν ἐπὶ τοὺς ἑτέρους ὅρους τῶν Οὐοκοντίων πρὸς τὴν Κοττίου μίλια ἑκατὸν ἑνὸς δέοντα, εἰς Ἐβρόδουνον κώμην· εἶτ' ἄλλα τοσαῦτα διὰ Βεργαντίου κώμης καὶ Σκιγγομάγου καὶ τῆς τῶν Ἄλπεων ὑπερθέσεως, ἐπὶ Ὤκελον τὸ πέρας τῆς Κοττίου γῆς. καὶ ἡ ἀπὸ Σκιγγομάγου δ' ἤδη Ἰταλία λέγεται. ἔστι δὲ ἐνθένδε ἐπὶ Ὤκελον μίλια κζ'. Id eſt: *Hinc ad alterum Vocontiorum finem, versùs Cottii regnum, milliaria ſunt centum uno minùs, ad vicum Ebrodunum usque. hinc totidem per Brigantium & Scingomagum Alpiumque ſummum tranſitum, usque ad Ocelum, terræ Cottiæ finem. Ceterùm à Scingomago jam Italia dicitur. millia autem hinc ſunt ad Ocelum* XXVII. Suprà oſtenſum eſt, in latere Alpium, quod Italiæ obverſum eſt, collocare Strabonem Cottii Ideonnique regna; ἐν ταῖς κορυφαῖς verò, id eſt *in ſummis verticibus* Caturiges atque Centrones. Ergo *Ocelum*, quod finem facit Cottiæ terræ, citra ſummum primi à Marcellino deſcripti jugi trajectum fuit, versùs Seguſionem. quem ſummum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

trajectum etiam ipſe Strabo heic proximè ante Ocelum nominat ὑπέρθεσιν τῶν Ἄλπεων. nam *alteram* illam *celſitudinem* Marcellini fuiſſe inter Scingomagum & Brigantium, mox patebit. Eſt in prædicti tranſitus interiori latere hodiéque vicus, vulgari vocabulo *Ezilles* & nonnullis *Iſilles*, & *Inſilles* dictus, Duriæ amnis ripæ imminens; qui ex ſitu atque nominis ſimilitudine deprehenditur eſſe antiquum illud *Ocelum*. Obſervandum igitur heic, quòd Cæſaris ævo finis Italiæ fuerit habitus apud Ocelum in primo huius itineris jugo: Strabonis autem tempeſtate, poſtquàm Auguſtus novos, ut ſuprà dictum, provinciis pleriſque limites dediſſet; terminus heic inter Galliam Italiamque factus eſt alter ille vertex inter Scingomagum & Brigantium; qui MATRONA vocatur Marcellino & auctori itinerarii Hieroſolymitani; Tabulæ autem itinerariæ ALPIS COTTIA; id eſt, *Summus Alpium Cottiarum tranſitus*. ſic quidpe etiam *in Alpe Maritimâ* dixit, ubi Antoninus *in Alpe ſummâ*. ſic itém *in Alpe Graiâ*, & *in Alpe Iuliâ*; quum alioquin dixerit *In ſummo Pennino*. Verùm poſt auctorem tamen tabulæ itinerariæ Nazarius in panegyrico Conſtantino Aug. dicto, & item auctor dicti itinerarii Hieroſolymitani, initium Italiæ ſtatuerunt apud *Seguſionem* opidum; ut ſuprà cap. II. oſtenſum: id eſt, in primo jugo, apud Ocelum opidum ſeu vicum. Strabonem & auctorem tabulæ non per errorem tale quid tradidiſſe, adparet ex Plinii etiam conſenſu; qui & ipſe apud *Scingomagum*, ſive, ut ipſe vocat, apud *Cincomagum vicum*, finem Italiæ initiumque Galliæ ſtatuit. Verba eius lib. II cap. CVIII, ubi de univerſæ terræ menſurâ ac longitudine agit, hæc ſunt: *A Corcyrâ Acroceraunia centum triginta duo millia, quingenti paſſus; Brunduſium octoginta ſex millia, quingenti; Romam* CCC *millia ſexaginta; ad Alpeis usquè ad Cincomagum vicum, quingenta decem & octo millia: per Galliam ad Pyrenæos monteis Illiberim, quingenta quinquaginta ſex millia.* Eſt autem SCINGOMAGVS, ſive SCINCOMAGVS (nam apud Plinium arbitror primam literam S interiiſſe) is locus qui vulgò nunc vocatur *Seſanne*, apud alterum illud jugum ſive *Matronam*, ſeu, ut nunc vocatur, *Genebram montem*, qui Italiam Strabonis Pliniique ac Tabulæ auctoris tempeſtate finiebat. Eumdem vicum poſt Strabonis Pliniique ævum priſcum nomen mutaſſe, patet ex Tabulæ ac Hieroſolymitano itinerario: nam locus iſte, ſive GESDAO ſive GADAO, ex intervallis idem eſſe deprehenditur. Vtrum vocabulum correctius ſit, minimè liquet. utrumque eſſe corruptum, valdè ſuſpicor.

MATRONA *mons.*

SCINCOMAGVS *vicus; qui & GEDAO.*

Vltra Matronam montem ſive Alpem Cottiam BRIGANTIVM *vicus* ſive *caſtellum*, Straboni, Ptolemæo, & itinerario Hieroſolymitano hoc vocabulo vocatur; Antonino autem & Tabulæ BRIGANTIO. è cuius obliquo caſu *Brigantione*, vulgare poſtmodò vocabulum apud Italos natum *Briganzone*, apud Gallos *Briançon*. Barbaro ævo adpellatum fuiſſe Latinè loquentibus VIRGANTIVM, ſive feminino genere VIRGANTIAM, Marcellini cunctis exemplaribus credere cogimur.

BRIGANTIVM *opidum.*

Extremus Cottiani regni vicus ſive opidum fuit RAMA, medio itinere inter Brigantium & Eburodunum in itinerariis poſitus: qui hodiéque vulgò vocatur incolis *Rame*, ad Druentiam flumen. Sed Brigantium & Rama licèt Cottiæ terræ fuerint loca, tamen Romanis extra Italiæ fineis cenſebantur.

RAMA *vicus.*

IDEONNI regnum.

COttii regno jungebatur in Alpibus versùs ſeptemtriones IDEONNI *regnum*. Strabo ſuprà citato lib. IIII: Ἐπὶ δὲ θάτερα μέρη, τὰ πρὸς τὴν Ἰταλίαν κεκλιμένα τῆς λεχθείσης ὀρεινῆς, Ταυρῖνοί τε οἰκοῦσι, καὶ ἄλλοι Λίγυες. τούτων δ' ἐστὶ καὶ ἡ τοῦ Ἰδεόννου γῆ, καὶ ἡ τοῦ Κοττίου. μετὰ δὲ τούτους Σαλασσοί. ὑπὲρ δὲ τούτων ἐν ταῖς κορυφαῖς Κέντρωνες καὶ Κατόριγες καὶ Οὐάραγροι. Id eſt: *Alterum autem Alpium latus, Italiæ obverſum, Taurini colunt, aliique Ligures. Horum quoque eſt, quæ Ideonni dicitur terra; & item quæ Cottii. Poſt hos ſunt Salaſſi. ſuper hos, in verticibus Alpium, Centrones & Caturiges & Veragri:* Hæc *Ideonni terra*, quam Strabo cum Cotii regno conjungit, longè illo eſt obſcurior ac minùs celebrata. Ovidius tamen ſatis diſertè, fuiſſe quoddam *Ideonni regnum*, innuit in Ponticis eleg. VII. ubi ita adloquitur Veſtalem, Ideonni filium:

Alpinis juvenis regibus orte; —— .
——— *Progenies alti fortiſſima Donni*.

Fortè ſcriptum ab ipſo Ovidio fuit, *fortiſſima Ideonni*. in qua voce *e* etiam metri cauſâ eliſum. fuiſſe id regnum Cottiano regno junctum, haud obſcurè diſcitur ex Strabonis

bonis verbis. at qua parte Alpium? Verſùs meridiem in Maritimis Alpibus ſupra Nicæam & Herculis Monœci portum, fuiſſe *Capillatos Ligures*; & ſupra hos ad Veſulum uſque montem ac ortum Padi *Ligures Montanos*, Cottiano regno conterminos, ſuprà cap. VIII oſtenſum eſt. manet igitur ea regio, quæ ſeptemtrionibus obtenditur. *Alpes* heic fuêre *Graiæ*, inter Cottias Penninasque Alpeis ſitæ; ut ſuo loco docebo. Has igitur totas *regnum Ideonni* ſive *Donni* occupaſſe arbitror, inter montem Ceniſium & Minorem montem divi Bernhardi. cui regno finitimi fuêre verſùs orientem Taurini, ac Salaſſi; verſùs ſeptemtriones Veragri; verſùs occidentem Centrones. Incolæ fuêre GRAII dicti: unde & Alpibus cognomen. Plinius lib. III cap. XX: *Lepontios & Salaſſos Tauriſcæ gentis idem Cato arbitratur. cæteri ferè Lepontios relictos ex comitatu Herculis, interpretatione Græci nominis credunt, præuſtis intra ſinus Alpium membris. eiusdem & Graios fuiſſe poſitos in tranſitu, Graiarum Alpium incolas: præſtanteisque genere Euganeos, inde tracto nomine.* Et anteà cap. XVII: *Auguſta Prætoria, juxta geminas Alpium fauceis, Graias atque Pœninas. his Pœnos, Graiis Herculem tranſiſſe memorant.* Græcæ vanitatis ſunt fabulæ; etiam à Livio lib. V rejectæ; ut pòſt in Alpium deſcriptione oſtendetur. Alii per Maritimas Alpeis tranſiſſe è Galliâ Herculem in Italiam nugati ſunt, ut ſuprà cap. VIIII patuit. Liguſtici, id eſt Celtici, fuiſſe generis, tutiùs Straboni creditur. Cæterùm opida heic, aliave loca, ab auctoribus adnotata ſunt nulla.

CAPVT XIII.

De SALASSIS.

TAVRINIS juxta atque Ideonni regno contermini fuêre SALASSI; & ipſi gens Inalpina, vallem, quam Duria efficit flumen, incolentes. Nomen unde habuerint, veterum ſcriptorum nemo adnotàvit. Celtici quum eſſent generis cum reliquis Alpinis populis; *Galli* nonnullis auctoribus adpellati ſunt; ut mox ex Iul. Obſequente & Oroſio patebit. Plinius lib. III cap. XX: *Incolæ Alpium multi populi; ſed illuſtres, juxta Carnos quondam Tauriſci adpellati, nunc Norici: his contermini Rhæti & Vindelici. Lepontios & Salaſſos Tauriſcæ gentis Cato arbitratur.* Scilicet, ut capite XI dixi, omnes Inalpinæ gentes, non tantùm Norici, uno communi vocabulo adpellabantur *Tauriſci*, à nomine Alpium Celtico *Tauren*; unde incolæ patriâ lingvâ *di Tauriſchen.* Porrò regionem Salaſſorum ita deſcribit Strabo lib. IIII, in enarratione Alpium: Ἐπὶ δὲ θάτερα μέρη, τὰ πρὸς τὴν Ἰταλίαν κεκλιμένα, τῆς λεχθείσης ὀρεινῆς Ταυρῖνοί τε οἰκοῦσι, καὶ ἄλλοι Λίγυες. τούτων δ' ἐστὶ καὶ ἡ τοῦ Ἰδεόννου λεγομένη γῆ, καὶ ἡ τοῦ Κοττίου. μετὰ δὲ τούτους καὶ τὸν Πάδον Σαλασσοί. * —— * Ἡ δὲ τῶν Σαλασσῶν πολλὴ μέν ἐστιν ἐν αὐλῶνι βαθεῖ, τῶν ὀρῶν ἀμφοτέρων κλειόντων τὸ χωρίον· μέρος δέ τι αὐτῶν ἀνατείνει καὶ πρὸς τὰς ὑπερκειμένας κορυφάς. τοῖς οὖν ἐκ τῆς Ἰταλίας ὑπερτιθεῖσι τὰ ὄρη, διὰ τοῦ λεχθέντος αὐλῶνός ἐστιν ἡ ὁδός. Ἔχει δὲ χρύσεια ἡ τῶν Σαλασσῶν· ἃ κατεῖχον ἰσχύοντες οἱ Σαλασσοὶ πρότερον, καθάπερ καὶ τῶν παρόδων ἦσαν κύριοι. προσελάμβανε δὲ τὸ πλεῖστον εἰς τὴν μεταλλείαν αὐτοῖς ὁ Δουρίας ποταμὸς εἰς τὰς χρυσοπλυσίας. Id eſt: *Alterum autem Alpium latus, Italiæ obverſum, Taurini colunt, aliique Ligures. Horum quoque eſt, quæ Ideonni dicitur terra; & item quæ Cottii. Vltra hos & Paduum ſunt Salaſſi.* Et aliquanto pòſt: *Salaſſorum quidem regio magnâ ex parte in profundâ eſt convalle, montibus utrimque eam includentibus: pars verò quædam etiam ad ſuperimminenteis attollitur vertices. Qui igitur ex Italiâ profecti monteis hòſce ſuperare volunt, iis iter per eam eſt convallem. in hac Salaſſorum regione auri ſunt metalla; quæ olim obtinuerunt ipſi Salaſſi; ſicut & itinera. Maximum illis adjumentum ad rem metallicam attulit flumen Duria, ad eluendum aurum.* Hinc Salaſſorum opida recenſentur Ptolemæo *Auguſta Prætoria* & *Eporedia*; quæ utraque in ripâ Duriæ ſita ſunt. & Plinius lib. III cap. XVII; *Coloniæ*, inquit, *ab Alpium radicibus, Auguſta Taurinorum, Salaſſorum Auguſta Prætoria: opidum Eporedia.* Regio ipſa hodiè adpellatur vulgò *Val d' Agoſta.* Conterminos olim Salaſſi habuêre, ab occidente Ideonni regnum & Centrones; ut ſuperiori capite dictum: ab ſeptemtrionibus Veragros; quorum opidum quondam *Octodurum*, nunc vulgò *Martinach*; & item Sedunos, quorum opidum *Sedunum*, vulgò nunc *Sitten* Germanis incolis, Gallis *Sion.* ab oriente fuêre Lepontii; ut ſequenti capite oſtendemus. ab meridie infra Eporediam opidum, quod nunc vulgò vocatur *Ivréa*, finitimos habuêre, in dextrâ Duriæ ripâ Taurinos:

rinos; in lævâ Libicios Gallos; de quibus ſuo loco videbimus. Non ad Padi ripam usque pertinuiſſe Salaſſos, mox ex Strabone atque Plinio diſcemus. Cottii etiam & Ideonni regna in ipſis fuiſſe Alpium jugis, ſuperiori capite oſtenſum eſt. Quapropter, ubi Strabo in præſcriptis verbis ultra duo iſta regna & Taurinorum gentem ait incolere Salaſſos; hos Taurinis conterminos apud inferiorem Duriæ ripam eum intellexiſſe, certum eſt. Hinc & Ptolemæus: Ταυρίνων, οἵ εἰσιν ὑπὸ τοὺς Σαλασσούς, Αὐγοῦστα Ταυρίνων. id eſt; *Taurinorum, qui ſunt ſub Salaſſis, Auguſta Taurinorum*. Hinc item Plinius, loco proximè ſcripto, *Auguſtam Taurinorum & Salaſſorum Auguſtam Prætoriam* proximè conjungit. Quando gens hæc primùm à Romanis perdomita fuerit, complures adnotarunt ſcriptores. Breviator Livii, lib. LIII: *Ap. Claudius conſul Salaſſos, gentem Alpinam, domuit*. Oroſius lib. V cap. IIII: *Ap. Claudio, Q. Metello Cæcilio, conſulibus. Ap. Claudius adversùs Salaſſos Gallos congreſſus, & victus,* X *millia militum perdidit. reparatâ pugnâ,* V *millia hoſtium occîdit*. Iul. Obſequens, in libro de Prodigiis: *Ap. Claudio, Q. Metello,* Coss. *quum à Salaſſis illata clades eſſet Romanis, decemviri pronunciaverunt, ſe inveniſſe in Sibyllinis, quoties bellum illaturi Gallis eſſent, ſacrificari in eorum finibus oportere*. Annus hic fuit ab urbe Româ conditâ IↃCX, ante Chriſtum natum CXLIII. Poſt CVIII annos rebellarunt; L. Cornificio, Sex. Pompeio, conſulibus; teſte Dione: cuius verba lib. XLVIIII in rebus geſtis huius anni hæc ſunt: οἵ τε Σαλασσοὶ καὶ οἱ Ταυρίσκοι, Λιβυρνοί τε καὶ Ἰάπυδες, οὐδὲν μὲν οὐδὲ ἐκ τοῦ πρὶν μέτριον ἐς τοὺς Ῥωμαίους ἔπρασσον, ἀλλὰ τήν τε συντέλειαν τῶν φόρων ἐξέλιπον, καὶ ἐσβάλλοντες ἔστιν ὅτε ἐς τὰ ὁμοροῦντα σφίσιν ἐκακούργουν· τότε δὲ φανερῶς πρὸς τὴν ἀπουσίαν τοῦ Καίσαρος ἐπανέστησαν. Id eſt: *Salaſſi & Tauriſci Liburnique ac Iapydes, quum jam antè in Romanos haud mediocriter injurii fuiſſent; ac, ſtipendio, quod pendere debebant, non ſoluto, etiam finitima invaſiſſent, eaque maleficiis infeſtaſſent: tunc apertè propter Auguſti abſentiam rebellarunt:* Redacti ſunt iterum ſub imperium mox eodem anno. ſic enim Dio eodem libro poſteà, ſub iiſdem conſulibus: Τοὺς δὲ Σαλασσοὺς ὁ Μεσσαλᾶς Οὐαλέριος ἐχειρώσατο. *Salaſſos Valerius Meſſalla debellavit*. Decimo anno pòſt denuò rebellaverunt: ſtatimque rurſus debellati. Caſſiodorus in Chronico: *C. Auguſtus Cæſar* VIIII *& M. Silanus. His conſulibus Cantabros, Germanos, Salaſſos, Cæſar perdomuit*. Dio lib. LIII, ſub iiſdem conſulibus: Αὔγουστον ἐς τὴν Βρεττανίαν στρατευσείοντα κατέσχον οἵ τε Σαλασσοὶ, ἐπαναστάντες αὐτῷ, καὶ οἱ Κάνταβροι, οἵ τε Ἄστυρες. διὸ οὖν ταῦτα ἐπὶ μὲν τοὺς Σαλασσοὺς Τερέντιον Οὐάρρωνα ἔπεμψε. καὶ ὃς πολλαχῇ ἅμα, ὅπως μὴ συστραφέντες δυσχειρωτότεροι γένωνται, ἐμβαλὼν, ῥᾷστά τε αὐτοὺς, ἅτε καὶ κατ' ὀλίγους προσπίπτοντας σφίσιν, ἐνίκησε· καὶ συμβῆναι καταναγκάσας, ἀργύριόν τε τι ῥητὸν, ὡς καὶ μηδὲν δεινὸν ἄλλο δράσων ᾔτησε· κἀκ τούτου πανταχῇ πρὸς τὴν εἴσπραξιν δῆθεν αὐτοῦ στρατιώτας διαπέμψας, συνέλαβέ τε τοὺς ἐν τῇ ἡλικίᾳ, καὶ ἀπέδοτο, ἀφ' ᾧ μηδεὶς σφῶν ἐντὸς εἴκοσιν ἐτῶν ἐλευθερωθείη. καὶ αὐτῶν ἡ ἀρίστη τῆς γῆς τῶν τε δορυφόρων τισὶν ἐδόθη, καὶ πόλιν, τὴν Αὐγοῦσταν Πραιτωριανῶν ὠνομασμένην, ἔχον. Hoc eſt: *Auguſtum, in Britanniam expeditionem animo agitantem, Salaſſi, Cantabri, Aſturesque, rebellionem facientes, redhibuerunt. Igitur adversùm Salaſſos Terentium Varronem miſit. Is in terram hoſtilem multis ſimul locis, ne coire inter ſe ac junctis viribus victoriam diſtinere quirent, irrumpens, facillimè Salaſſos, non magnis nimirum ſibi viribus occurrenteis, vicit, & ad accipiendas pacis condiciones adegit; tum certam pecuniæ ſummam eis imperavit, quaſi nihil prætereà damni accepturis. Ad eam pecuniam exigendam undique dimiſſis militibus, omnem juventutem comprehendit; diven ditque eâ condicione, ne quis eorum ante viceſimum annum liber fieret. Agri eorum pars optima cohortibus prætorianis data eſt; & urbem quæ Auguſta Prætorianorum dicta, accepit*. Sed hiſtoriam gentis, quomodò à Romanis debellata, opidaque in eorum agro condita ſint, paucis refert Strabo dicto loco, in hæc verba de metallis & Duriâ flumine pergens: Διόπερ ἐπὶ πολλοὺς τόπους σχίζοντες εἰς τὰς ἐξοχετείας τὸ ὕδωρ, τὸ κοινὸν ῥεῖθρον ἐξεκένουν. τοῦτο δ' ἐκείνοις μὲν συνέφερε πρὸς τὴν τοῦ χρυσοῦ θήραν. τοὺς δὲ γεωργοῦντας τὰ ὑπ' αὐτοῖς πεδία, τῆς ἀρδείας στερουμένους, ἐλύπει, τοῦ ποταμοῦ μὴ δυναμένου ποτίζειν τὴν χώραν, διὰ τὸ ὑπερδέξιον ἔχειν τὸ ῥεῖθρον. ἐκ δὲ ταύτης τῆς αἰτίας πόλεμοι συνεχεῖς ἦσαν ἀμφοτέροις τοῖς ἔθνεσι πρὸς ἀλλήλους. κρατησάντων δὲ Ῥωμαίων, τῶν μὲν χρυσουργιῶν ἐξέπεσον καὶ τῆς χώρας οἱ Σαλασσοί· τὰ δ' ὄρη κατέχοντες, ἀκμὴν τὸ ὕδωρ ἐπώλουν τοῖς δημοσιώναις τοῖς ἐργολαβήσασι τὰ χρύσεια· καὶ πρὸς τούτους δ' ἦσαν ἀεὶ διαφοραὶ, διὰ τὴν πλεονεξίαν τῶν δημοσιωνῶν· οὕτω δὲ συνέβαινε τοὺς στρατηγιῶντας ἀεὶ τῶν Ῥωμαίων, καὶ πεμπομένους ἐπὶ τοὺς τόπους, εὐπορεῖν προφάσεων, ἀφ' ὧν πολεμήσουσι. μέχρι μὲν δὴ τῶν νεωστὶ χρόνων, τοτὲ μὲν πολεμούμενοι, τοτὲ δὲ καταλυόμενοι τὸν πρὸς τοὺς Ῥωμαίους πόλεμον, ἴσχυον ὅμως, καὶ πολλὰ κατέβλαπτον τοὺς δι' αὐτῶν ὑπερβάλλοντας τὰ ὄρη, κατὰ τὸ λῃστρικὸν ἔθος. οἵ γε καὶ Δέκιμον Βροῦτον, φυγόντα ἐκ Μουτίνης, ἐπράξαντο δραχμὴν κατ' ἄνδρα. Μεσσαλᾶς δὲ,

πλησίου

πλησίον αὐτῶν χειμάῤῥων, τιμὴν ξύλων κατέβαλε, τῶν τε καυσίμων καὶ τῶν πελεϊνῶν ἀκοντισμάτων, καὶ τῶν γυμναστικῶν. Ἐσύλησαν δέ ποτε καὶ χρήματα Καίσαρος οἱ ἄνδρες οὗτοι, καὶ ἐπέβαλον κρημνοὺς στρατοπέδοις, πρόφασιν ὡς ὁδοποιοῦντες, ἢ γεφυροῦντες ποταμούς. Ὕστερον μέντοι κατεστρέψατο αὐτοὺς ἄρδην ὁ Σεβαστός, καὶ πάντας ἐλαφυροπώλησε, κομισθέντας εἰς Ἐπορεδίαν, Ῥωμαίων ἀποικίαν· ἣν συνῴκισαν μὲν, φρουρὰν εἶναι βουλόμενοι τοῖς Σαλασσοῖς. ὀλίγον δ' ἀντέχειν ἐδύναντο οἱ αὐτόθι, ἕως ἠφανίσθη τὸ ἔθνος. τῶν μὲν οὖν ἄλλων σωμάτων τρεῖς μυριάδες ἐξητάσθησαν ἐπὶ τοῖς ἑξακισχιλίοις, τῶν μαχίμων ἀνδρῶν ὀκτακισχίλιοι· πάντας δ' ἐπώλησε Τερέντιος Οὐάῤῥων ὑπὸ δόρυ, καταστρεψάμενος αὐτοὺς στρατηγός. τρισχιλίους δὲ Ῥωμαίων πέμψας, ᾤκισε τὴν πόλιν Αὐγοῦσταν ὁ Καῖσαρ, ἐν ᾧ ἐστρατοπέδευσε χωρίῳ Οὐάῤῥων· καὶ νῦν εἰρήνην ἄγει πᾶσα ἡ πλησιόχωρος, μέχρι τῶν ἄκρων ὑπερβολῶν τοῦ ὄρους. Hoc eſt: *Quapropter multis locis flumen in rivulos ſcindentes, communem alveum exinaniverunt. quod ut illis ad auri inveſtigationem profuit; ſic pernicioſum fuit his, qui ſubjectos illis agros colebant, rigandi facultate ſpoliatis, quam flumen ſupernè labens ſolebat præbere. Atque ea res cauſam continentium invicem bellorum utriſque gentibus dedit. Poſtquàm verò Romani eos debellarunt; & metallis exciderunt & regione ſuâ Salaſſi. Qui verò montium juga adhuc obtinebant, ii aquam venditabant publicanis, qui conduxerant auri metalla. tamen his quoque perpetuæ erant lites, ob avaritiam publicanorum. unde factum eſt, ut, qui à Romanis eò mitterentur, quum bellum gerere cuperent, facilè eius invenirent occaſiones. Et ſuperioribus quidem annis modò bellis impediti, modò pace cum Romanis compoſitâ, tamen viribus pollebant; ita, uti more prædonum magna injungerent damna iis, qui per eas Alpeis tranſirent. quidpe & Decimum Brutum, Mutinâ cum ſuis fugientem, viritim denarium ſolvere coëgerunt: & Meſſalla, in viciniâ hiemans, pecuniâ ab iis redemit ligna, cùm ad focum, tùm ad ulmea haſtilia, & ad rudeis, quibus milites exercentur. Quin & Cæſaris aliquanto diripuerunt pecuniam Salaſſi; occupatiſque locis ſuperioribus, ſaxa in exercitus proruerunt; ſimulantes, viam ſe reficere, aut fluminibus ponteis imponere. Ad poſtremum Auguſtus eos devicit: omneiſque ſub haſtâ vendidit, Eporædiam deductos. quam coloniam Romani condiderunt, ut præſidio eſſet contra Salaſſos. Sed parum reſiſti à colonis potuit, donec tota gens exciſa eſt. Numerata ſunt capitum millia* XXXVI; *præterque armatorum millia* VIII. *univerſos ſub haſtâ vendidit Terentius Varro; qui dux belli eos devicerat. Auguſtus autem Cæſar, miſſis Romanorum tribus millibus, urbem Auguſtam condidit, quo loco Varro caſtra habuerat. Atque nunc tota vicinia pacata eſt, ad ſummos usque montis tranſitus.* En; ait Salaſſos ita Duriam amnem ad uſum metallorum in rivos diduxiſſe, uti infrà colentes populi rigandi agros ſuos facultate privarentur; eamque cauſam fuiſſe continentium inter eos bellorum. ergo igitur ipſi Salaſſi, ut jam antè dixi, ad Padum usque & Duriæ confluentem non pertigerunt. Idem puto intelligendum ex Plinii verbis, quæ lib. XVIII cap. XX ſunt huiusmodi: *Non omittemus unam etiamnum arandi rationem, in Tranſpadanâ Italiâ bellorum injuriâ excogitatam. Salaſſi quum ſubjectos Alpibus depopularentur agros, panicum miliumque jam excreſcens tentavêre.*

AVGVSTA PRAETORIA, *colonia.*

De cætero nova iſta urbs AVGVSTA dicta fuit; quia juſſu & auſpiciis Auguſti Cæſaris condita: & PRAETORIA cognominata; quia *prætorianorum colonia* eò deducta; anno ante Chriſtum natum XXV; Auguſto VIIII & M. Silano conſulibus. Nomen antiquum hodiè retinet; vulgò Italis *Augoſta*, *Auoſta*, & *Aoſta*, Germanis *Augſt* dicta; antiquitatum reliquiis etiamnum conſpicua. Præter Strabonem, Plinium, Dionem, atque Ptolemæum, qui omnes *coloniam* eam pronunciavêrunt, meminêre eius etiam Plinii epitomatores Solinus atque Martianus, & itineraria Romana. Martianus lib. VI: *Italia longa eſt ab Alpibus Prætoriæ Auguſtæ per Vrbem & Capuam Rhegium usque decies centena & viginti millia paſſuum.* Solinus cap. VIII: *Italiæ longitudo, quæ ab Auguſtâ Prætoriâ per Vrbem Capuamque porrigitur usque ad opidum Rhegium, decies centena & viginti millia.* Eadem penè verba Plinius habet dicto lib. III cap. V in ſummâ totius Italiæ deſcriptione.

EPOREDIA, *colonia.*

At longè antiquior *colonia* EPOREDIA: ut quæ C annis ante natum Ieſum condita; XLII annis pòſt, quàm ipſa Salaſſorum gens ab Ap. Claudio primùm perdomita. Velleius Paterculus lib. I: *Narbo Martius in Galliâ, M. Porcio, Q. Marcio conſulibus, deducta colonia eſt. poſt treis viginti annos in Vagiennis Eporædia, Mario ſexies Valerioque Flacco conſulibus.* A Marcii conſulatu ad ſextum Marii conſulatum XVIII haud ampliùs numerantur anni. tam ignarum ſuæ reipublicæ chronologum fuiſſe Velleium, quamvis aliis paſſim erroribus obnoxius deprehendatur, uti tam exiguo temporis ſpacio V annis aberraverit, haud temerè crediderim: ſed ſcripſiſſe eum putaverim duode-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

duodeviginti. quod poſteà vitiatum in *duo & viginti*: mox in notas II & XX; & hinc in III & XX: ac tandem integris iterum dictionibus *tres & viginti*. Cæterùm malè atque per ſummum errorem *Vagiennos* heic nominaſse Velleium, ſuprà cap. x dictum. De ortu eiusdem coloniæ ita Plinius, lib. III cap. XVII: *Coloniæ ab Alpium radicibus, Auguſta Taurinorum, antiquâ Ligurum ſtirpe: dein Auguſta Prætoria; opidum Eporedia, Sibyllinis libris à populo Romano condi juſſum. Eporedicas Galli bonos equorum domitores vocant*. Et lib. XXI cap. VII; ubi de *ſaliuncâ* agit; *Pannonia hanc gignit & Noricum, Alpiumque aprica: urbium Eporedia*. Nomen equidem *coloniæ* priore loco, ut Auguſtæ Taurinorum & Auguſtæ Prætoriæ, dare recuſavit. at coloniam tamen fuiſſe, ſatis cum Velleio ac Strabone fatetur, dum *à populo Romano opidum conditum* adfirmat. Verùm credo, nomen coloniæ eum non adpoſuiſſe, quia tum *municipium* Romanorum effectum erat. Tacitus Hiſtoriar. lib. I: *Et, ut donum aliquod novo principi, firmiſſima Transpadanæ regionis municipia, Mediolanum, ac Novariam, & Eporediam, ac Vercellas, adjunxêre*. Nomen eius quum in Plinii, Taciti, Ptolemæi & itinerariorum cunctis exemplaribus, item in omnibus lapidibus antiquis ſit ſcriptum per E in tertiâ ſyllabâ Ἐπορεδία, EPOREDIA; an apud Strabonem & Paterculum ritè ſcribatur Ἐποραιδία, EPORAEDIA, etiamnum dubito. nec quidquam confirmant Ciceronis exemplaria in Familiar. lib. XI: quandoquidem alia habent diphthongum, alia ſimplicem vocalem. Hodiè urbs ea adpellatur incolis vulgò *Ivréa*, & *Invréa*; nonnullis verò *Lamporeggio*: quaſi cum articulo primùm fuerit *l'Eporeggio*, *l'Emporeggio*, ac tandem *l'Amporeggio*. nam in Notitiâ imperii occidentalis legitur; *Præfectus Sarmatarum gentilium Quadratis & Eporizio*. apud Liuthprandum verò Ticinenſem in Hiſtoriis modò *Eporegia*, modò *Iporegia*: & peiùs apud Reginonem, Chron. lib. II, an. IↃCCCI, & apud Aimoinum Francicar. rer. lib. IIII cap. XC, *Eboreia*. quod haud dubiè antè uſurpabatur *Eboredia*; ut in nonnullis Antonini exemplaribus reperitur. Sita eſt urbs in ipſis faucibus Salaſsorum vallis; inter duo altiſsima juga in edito vertice condita, uti hoc ſitu ceu firmiſsimum repagulum Salaſſos prohiberet, quò minùs in ſubjectos agros incurſiones facerent.

Porrò iter in itinerariis Romanis deſcribitur huiusmodi:

Tabulæ;		Antonini;		Antonini;		Antonini;	
Eporedia		*Eporedia*		*Eporedia*		*Eboredia*	
Vtricio	XXI.	*Vitricio*	XXI.	*Vitricium*	XXI.	*Vitricium*	XXI.
Auguſta Prætoria	XXVIII.	*Auguſta Prætoria*	XXV.	*Auguſta Prætoria*	XXV.	*Auguſta Prætoria*	XXV.
Eudracinum	XXV.	|					
In ſummo Pennino	XIII.	*Summo Pennino*	XXV.				
Octoduro	XXV.	*Octudoro.*	XXV.				

Ex his VITRICIVM eſſe nunc vicum vulgari vocabulo *Vereggio*, ſeu incolarum ore *Verezo*, ad Duriam flumen, cùm nominis ſimilitudo, tùm maximè intervalla, hinc XXI, illinc XXV millium paſsuum, diſertiſsimis documentis indicant. *Octodurum* eſse nunc opidum *Martinach*, haud procul Rhodani ripâ, Veragrorum quomdam caput, & *Summum Penninum*, nunc *Montem Iovis* ſeu *Maiorem divi Bernardi*; in Germaniæ lib. II cap. VI docui. inter hunc & Auguſtam Prætoriam millia ſunt haud ampliùs XXV; ut rectè notatum eſt in Antonini itinerario. Quum igitur in Tabulâ itinerariâ XIII millia abundent; corruptos eſse numeros, vel alterum ſaltem eorum, ſatis certum eſt. fueritque fortè EVDRACINVM medio ferè itinere inter Summum Penninum & Auguſtam.

VITRICIVM, *opidum.*

EVDRACINVM *opidum.*

Cæterùm Plinius dicto lib. III cap. XVII, *Salaſſorum*, inquit, *Auguſta Prætoria, juxta geminas Alpium fauceis, Graias atque Pœninas. his Pœnos, Graiis Herculem transiſſe memorant*. Alterum hoc iter per Graias Alpeis ita deſcribitur in Itinerariis:

Tabulæ;		Antonini;		Antonini;	
Auguſta Prætoria		*Auguſta Prætoria*		*Auguſta Prætoria*	
Arebrigium	XXV.	*Areburicum*	XXV.	*Arebrigium*	XXV.
Ariolica	XVI.	|		|	
In Alpe Graiâ	VI.	|		|	
Bergintrum	XII.	*Bergintrum*	XXIIII.	*Bergintrum*	XXIIII.
Axunam	VIIII.	|		|	
Darantaſia	XI.	*Darantaſia*	XVIIII.	*Darantaſia*	XVIIII.

Apud

Forum Claudii, opidum; quod & Darantasia.

Apud Ptolemæum ita legitur in deſcriptione Italiæ: Ἐν δὲ ταῖς Γραΐαις Ἄλπεσι Κευτρώνων φόρος Κλαυδίου, Ἄξιμα. id eſt; *In Graiis Alpibus Centronum ſunt Forum Claudii & Axima.* In Tabulâ igitur etiam vocabulum *Axunam* corrigo in *Aximam.* At *Forum Claudii* principem gentis obtinuit dignitatem; vocabulo tamen mutato, *Darantaſia* poſteà dictum. unde libellus provinciarum civitatumque Galliæ; *Alpium Graiarum metropolis civ. Centronum, hoc eſt Darantaſia.* Hæc hodiéque vocatur vulgò *Monſtier* ſive *Mouſtier en Tarantaiſe* Gallis, Germanis *Münſter in Tarentäſen*, ad Iſaræ fluminis ripam.

Axima & Bergintrum opida.

Supra hoc opidum, Axima ex itineris ratione cognoſcitur id opidum, quod vulgò nunc adpellatur *Ema*, ſive *S. Giacomo d'Ema* Italis, Gallis *S. Iaques d'Eme*: Bergintrum verò, vicus, vulgari nunc vocabulo *Belenta*. Ex hoc igitur itinere, ab Auguſtâ Prætoriâ ad Darantaſiam, adparet

Alpis Graia, mons.

Alpem Graiam, ſive Summam alpem Graiam, ſeu Summum alpium Graiarum transitum eſſe id jugum, quod vulgò nunc incolis vocatur *Mons divi Bernardi minor*. Quum autem utrobique apud Antoninum inter *Arebrigium* & *Bergintrum* XXIIII tantùm ſint millia paſſuum, ac reliquum porrò iter inter Auguſtam & Darantaſiam ſatis congruat; in Tabulâ inter *Arebrigium* & *Ariolicam* pro millibus XVI ſcribenda eſſe cenſeo VI. & erit

Arebrigium, opidum.

Arebrigium is locus, qui vulgò nunc in hac Salaſſorum valle dicitur *Moriago*, apud Duriam amnem: unde etiam nominis antiqui formatio ei quæſita. nam vocem *brige* pontem ſignificaſſe Celticis gentibus, atque ab eo argumento complura per Galliam Hiſpaniam, aliaſque Celticas nationes formata fuiſſe opidorum vocabula, Germaniæ lib. I cap. VII docui.

Artolica, opidum.

Alternm illum locum inter *Arebrigium* & ſummum Alpium Graiarum trajectum eſſe eumdem, qui hodiè vulgò Italis dicitur in ſummâ valle *Tuglia*, Gallis *Tuille*, ipſe ſitus indicat. nec dubito, quin in archetypo Tabulæ ſcriptum fuerit Artolica, ſive minuſculis characteribus *Artolica*: quod prono librarii lapſu poſteà corruptum in *Ariolica*. nam in eâdem Tabulâ inter Brixiam & Veronam idem vocabulum *Ariolica* mendoſa legitur, pro *Artelica*; à quo opidani in lapide antiquo ſunt *Ardelicenſes*.

Caput XIIII.

De Lepontiis.

Salaſſis continuabantur ab æſtivi Solis ortu Lepontii. Ptolemæus, in deſcriptione Italiæ: Ἐν ταῖς Κοττίαις Ἄλπεσι Λιπουντίων Ὄσκελα· id eſt; *In Cottiis Alpibus Lipontiorum Oſcela.* Ingens ac ſatis fœdus error. nempe, quum in Cottiis Alpibus, quas ſuprà indicavi, vicus ſeu opidum eſſet *Ocelum*, Cæſari ac Straboni memoratum; Ptolemæus id Lepontiorum putavit eſſe *Oſcelam*: atque eâ ratione Lepontios Oſcelamque adfixit dictis Alpibus. Eſt vallis hodiè, quam Toſa efficit flumen, ex ſummis Alpium jugis Verbanum lacum (vulgò hic nunc eſt *Lago Maggiore*) petens. ea vallis etiam nunc vulgò incolis dicitur Italis *Val d'Oſcela*, & ſimplicius *Val d'Oſula*; Germanis verò *das Eſchetaal*: & opidum, quod caput etiamnum gentis, *Domo d'Oſcela*, ſive *Domo d'Oſula*. Latiſſimè quondam patuiſſe Lepontiorum fineis; ita uti omneis valleis omniaque flumina, quotquot Verbanum petant lacum, comprehenderint; cùm ex antiquis ſcriptoribus, tùm ex hodiernis deprehendo locorum vocabulis. Hodiéque vallis, quam Ticinus ſecat amnis, incolis vocatur Italis vulgò *Val Leventina*; quaſi *Lepontina*; Germanis *das Livinen taal*, & nonnunquàm *Levantiner taal*. Cæſar belli Gallici comment. IIII, *Rhenus*, inquit, *oritur ex Lepontiis; qui Alpeis incolunt.* Plinius lib. III cap. XX: *Rhætorum Vennonetes Sarunetesque ortus Rheni amnis adcolunt; Lepontiorum qui Viberi vocantur, fontem Rhodani eodem Alpium tractu.* Ticinus amnis ex altiſſimo oritur Alpium jugo, quod vulgò vocatur *Divi Gothardi mons*. proximè hunc alius eſt vertex, vulgò *Furca mons* dictus; ex quo Rhodanus profluit. Rheni duo ſunt ortus: quorum alter eſt in *Criſpaltâ monte*, XVI circiter millia paſſuum ab Rhodani fonte diſſitus; alter in monte, qui vulgò Italis vocatur *Monte d'Vcello*, Germanis *der Vogel berg*; XXX ampliùs ab eodem Rhodani fonte diſtans. Apud Am. Marcellinum lib. XV ita

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

ita ſcriptum eſt: *Inter montium celſorum amfractus impulſu immani Rhenus discurrens, extenditur per Lepontios; perque deciduas cataractas inclinatione pernici funditur ut Nilus, torrente ab ortu protinus primogenio copiis aquarum propriis irruenti curſu ſimplici. jamque adjutus nivibus liquatis ac ſolutis, altaque divortia riparum adradens, lacum invadit vaſtum, quem Brigantiam adcola Rhetus adpellat.* Per Lepontios lapſum ſive extenſum fuiſſe Rhenum, diſertis ſatis verbis negat Plinius, Rhætos protinus à fontibus eius collocans; Lepontios verò ad fontem Rhodani. Nec ego dubito, quin ex Cæſare malè intellecto hauſerit hunc errorem Marcellinus. Cæſar verò non ferri per Lepontios Rhenum, dixit; ſed tantùm ex iis oriri: id eſt, ex iis Alpium jugis, quorum auſtrinum latus, Italiæ obverſum, Lepontii, ſeptemtrionale Rhæti incolebant. Ac fortè etiam ipſos ſummos vertices, infra quos ſuprà dicti amnes oriuntur, Lepontii tenebant, contermini Rhætis, ortuum Rheni adcolis. Plinio haud obſcurè adſentitur & Tacitus, initio libri de Germaniâ, his verbis: *Rhenus, Rhæticarum Alpium inacceſſo ac præcipiti vertice ortus, modico flexu in occidentem verſus, ſeptemtrionali Oceano miſcetur.* Idem autem de Rhodano quoque intelligendum cenſeo: ad fontem quidem eius incoluiſſe Viberos Lepontios Furcam montem, haud procul Ticini fonte ac valle, quæ hodiéque *Leventina* vocatur; vallem verò Penninam, per quam fertur à fonte Rhodanus, non item. Habuêre igitur Lepontii ab occaſu hiberno Salaſſos; ab occaſu æſtivo Penninam vallem, quæ nunc vulgò dicitur *Valleſia*, Germanis incolis *VValliſſerland*; ab ſeptemtrionibus Helvetios atque Rhætos; ab ortu, trans Larium lacum, Euganeos; de quibus proximo capite dicam: à meridie Orobios, Inſubres, & Lebecios, Gallos: quorum opida fuêre, Vercellæ, Novaria, Mediolanum, Comum. Atque hoc eſt, quod Strabo lib. IIII, in deſcriptione Alpium populorumque Alpinorum, τοῦ Κώμου ὑπερκεῖσθαι tradit τοὺς Ληποντίους, id eſt, *ſupra Comum ſitos eſſe Lepontios.*

De vocabulo & origine gentis ita tradit Plinius dicto loco: *Lepontios & Salaſſos Tauriſcæ gentis Cato arbitratur. cæteri ferè Lepontios relictos ex comitatu Herculis, interpretatione Græci nominis credunt, præuſtis intra ſinus Alpium nive membris.* Græcorum ſcilicet hæc vanitas & nugamentum: qui vocabulorum ineptiſſimâ interpretatione quasvis ſibi ubique finxerunt fabulas. Nempe à Græco verbo λείπειν, ſive λιπεῖν, quod eſt *linquere*, ſeu *relinquere*, dictam eſſe nugati ſunt gentem Λειποντίους, ſive, ut apud Ptolemæum eſt, Λιποντίους: quia, quum, aduſtis frigore membris, Herculem ſequi impediti nequirent, iſto Alpium in tractu ab eo relicti ſint. Verùm hanc fabulam, unà cum Catone, minimè admiſit Strabo; dum gentis nomen per η ſcripſit Ληπόντιοι, quo Romanorum *e* exprimeret; ipſamque gentem Rhætorum generi adſeruit. unde patet, grammatici exſcriptoris ineptiſſimum eſſe nugamentum, quòd eodem libro paullo pòſt idem vocabulum legitur per ει, Λειπόντιοι. Verba iſtic leguntur hæc: Οἱ μὲν οὖν Ῥαιτοὶ μέχρι τῆς Ἰταλίας καθήκουσι, τῆς ὑπὲρ Οὐήρωνος καὶ Κώμου· διατείνουσι δὲ καὶ μέχρι τῶν χωρίων, δι' ὧν ὁ Ῥῆνος φέρεται. τούτου δ' εἰσὶ τοῦ φύλου καὶ Λειπόντιοι καὶ Καμοῦνοι. Id eſt: *Rheti usque in Italiam protenduntur, ſuper Veronam & Comum. pertingunt etiam ad loca, per quæ Rhenus fertur. Eiusdem verò gentis ſunt & Lepontii Camunique.* Prior autem locus ſic habet: Ὑπέρκεινται δὲ τοῦ Κώμου, πρὸς τῇ ῥίζῃ τῶν Ἄλπεων ἱδρυμένου, τῇ μὲν Ῥαιτοὶ καὶ Οὐέννωνες, ἐπὶ τὴν ἕω κεκλιμένοι· τῇ δὲ Ληπόντιοι καὶ Τριδεντῖνοι καὶ Στόνοι, καὶ ἄλλα πλείω μικρὰ ἔθνη. Hoc eſt: *Supra Comum, quod ad Alpium radices ſitum eſt, hinc Rhæti & Vennones, ad orientem verſi, colunt; illinc Lepontii & Tridentini ac Stoni, aliæque complures exiguæ gentes.* Patet ex poſteriore loco, priorem hunc eſſe corruptum. nam heic porticulâ καὶ, quæ inter Rhætorum Vennonumque nomina ponitur, Lepontii etiam ab Rhætorum genere excluduntur: illic verò diſertè Lepontii Rhætica dicuntur eſſe natio. Atque in eo etiam ſatis apertè ac fœdè ſive ab ipſo Strabone ſive ab exſcriptore eius erratum, quòd Tridentini ac Stoni eâdem regione cùm Lepontiis verſùs occidentem ab Como poſiti; quum apud Atheſim fuerint amnem; ubi etiamnum eſt opidum Tridentum. Scriptum fuiſſe ab Strabone ſuſpicer in hunc modum: Ὑπέρκεινται δὲ τοῦ Κώμου, πρὸς τῇ ῥίζῃ τῶν Ἄλπεων ἱδρυμένου, τῇ μὲν Ληπόντιοι Ῥαιτοὶ, τῇ δὲ Οὐέννωνες, ἐπὶ τὴν ἕω κεκλιμένοι, καὶ Τριδεντῖνοι καὶ Στόνοι, καὶ ἄλλα πλείω μικρὰ ἔθνη· Id eſt: *Supra Comum, quod ad Alpium radices ſitum eſt, hinc Lepontii Rhæti colunt; illinc Vennones, ad orientem verſi & Tridentini ac Stoni, aliæque complures exiguæ gentes.* Rhætos ſupra Comum incolere, etiam

poſteà lib. v adſeveravit, hiſce verbis de Como loquens: Αὕτη δ' ἦν μὲν κατοικία μετρία· Πομπήϊος δὲ Στράβων κακωθεῖσαν ὑπὸ τῶν ὑπερκειμένων Ῥαιτῶν συνῴκισεν. Id eſt: *Hoc quidem opidum erat modicum: ſed Pompeius Strabo adflictum à ſuprà colentibus Rhætis colonis inſtauravit.* Quòd autem Rhætorum generi adcenſuerit Lepontios, contra Catonis Pliniique ac Ptolemæi ſententiam, nihil mirum; quando idem fecit Stonis quoque & Camunis: quos tamen Euganeorum fuiſse populos, infrà teſtem audiemus Plinium, in hiſce oris Comi natum. cuius unius ob id ipſum fides etiam de Lepontiis potior eſſe debet; ſi quis fortè Catonis quoque auctoritatem reſpuat: qui *Tauriſcæ*, id eſt, ut ſuprà in Taurinis Salaſsiſque docui, Alpinæ ſive Celticæ *gentis Lepontios arbitratus eſt.*

VIBERI & MESIATES *populi.*

De cætero complura fuiſſe tanto terrarum ſpatio Lepontiorum genera ſeu nationes, patet apertè ex eo, quòd Plinio eorum quidam proprio ac peculiari vocabulo dicuntur VIBERI. Tabulæ itinerariæ ſunt hoc Alpium tractu MESIATES. quos ego incolas cenſuerim vallis, quam *Meſa* amnis mediam ſecat, Ticinum inlabens; quam vulgò nunc Itali vocant *Val Meſaucina*, Germani *Maſoxertaal*; à vico amni adpoſito, qui Germanis *Maſox*, Italis *Meſauco* dicitur. Apud Polybium lib. II hæc leguntur: Τῶν δ' Ἄλπεων ἑκατέρας τῆς πλευρᾶς, τῆς ἐπὶ τὸν Ῥοδανὸν ποταμὸν, καὶ τῆς ἐπὶ τὰ προειρημένα πεδία νευούσης, τοὺς βουνώδεις καὶ γεώδεις τόπους κατοικοῦσι, τοὺς μὲν ἐπὶ τὸν Ῥοδανὸν καὶ τὰς ἄρκτους ἐστραμμένους Γαλάται, Τρανσαλπῖνοι προσαγορευόμενοι, τοὺς δ' ἐπὶ τὰ πεδία Ταυρίσκοι καὶ Ἄγωνες, καὶ πλείω γένη βαρβάρων ἕτερα. Id eſt: *In utroque Alpium latere, & quod Rhodanum reſpicit, & quod dictos modò campos, colunt terrenos colleis, ab illâ quidem parte, quæ Rhodano & ſeptemtrionibus eſt obverſa, Galli Transalpini; ab alterâ Tauriſci & Agones, aliæque gentes barbaræ.* Tauriſcos hoſce eſſe eoſdem, quos & ipſe poſteà Polybius & alii omnes ſcriptores vocant Taurinos, ſuprà oſtenſum eſt. AGONES verò iſti, obſcurâ famâ & nemini alii memorati, nonnullis huius ſæculi doctis viris putantur fuiſſe in Ticini amnis valle, circa opidum epiſcopali dignitate clarum, quod vulgò incolis *Ogonia*, *Vgonia*, & *Augonia* dicitur. Verùm conjectura hæc eſt admodùm lubrica & incerta. nam unum populum pro totâ gente Lepontiorum voluiſſe nominare Polybium, vel ignotum illi atque inauditum fuiſſe gentis nomen, minimè credibile eſt; quando ipſe hoc Alpium tractu Salaſſorum fineis ingreſſus eſt; ut poſteà in Alpium explicatione patebit. Ego corruptum mendoſumque eſſe hoc *Agonum* vocabulum potiùs ſuſpicer. nec tamen facilè dixerim, utrùm Σαλασσῶνες, *Salaſſones*, an quid aliud ab auctore fuerit perſcriptum.

OSCELA *opidum.*

Caput gentis Lepontiorum, ut antè dictum, fuit OSCELA: quod opidum etiamnum vulgò dicitur *Domo d'Oſcela* incolis Italis, Germanis *Tuhm in Eſchentaal*. In Ptolemæi equidem pleriſque exemplaribus vocabulum eius antiquum geminato legitur λλ, Ὄσκελλα· verùm ſimplici id ſcribendum eſſe λ, ex eo colligo, quòd hodiè in *Oſcela*, ſive etiam in *Oſula*, ut plerique incolarum vocant, penultima ſyllaba corripitur.

CANINI *Campi.*

Quænam alia fuerint antiquis illis temporibus Lepontiorum opida, nemo veterum auctorum adnotavit. Cæterò apud Am. Marcellinum ſic ſcriptum eſt lib. XV: *Paullo pòſt & Lentienſibus Alemannicis pagis indictum eſt bellum, collimitia ſæpè Romana latiùs inrumpentibus. Ad quem procinctum imperator egreſſus, in Rhetias campoſque venit Caninos. & digeſtis diu conſiliis; id viſum & honeſtum & utile omnibus, ut eò cum militis parte Arbetio, relegens margines lacus Brigantiæ, pergeret; protinus Barbaris congreſſuris.* Deſcribit hinc & Rheni ortum decurſumque in Brigantinum lacum & ipſum lacum: cuius orationis partem jam anteà recitavi. Denique ita pergit: *Arbetio, qui adventus Barbarorum nunciarent, non exſpectans dum adeſſent, in occultas delatus inſidias, veluti immobilis malo repentino perculſus eſt.* Proſperè tandem bello confecto, *hocque exitu prælio terminato, imperator Mediolanum ad hiberna ovans revertit & lætus.* Diſertè ex hiſce patet, *Caninos* iſtos *campos* fuiſſe citra lacum Brigantinum, quem nunc Conſtantienſem ac Bodamicum dici, in Germaniæ opere, lib. II cap. XL, docui, citraque Rheni fonteis atque ipſas Alpeis, id eſt, in Italico harum latere. Hinc etiam Apollinaris Sidonius carm. v ita canit:

——— Iam tempus ad illa
Ferre pedem, quæ fanda mihi vel Apolline muto.
Pro Muſis Mars veſter erit. Conſcenderat Alpeis,
Rhætorumque jugo per longa ſilentia ductus
Romano exierat populato trux Alamannus;
Perque Cani quomdam dictos de nomine campos
In prædam centum novies dimiſerat hoſteis.

Hi per Helvetiam & montem divi Gothardi longo itinere ducti, Alpibus transſcenſis, in Italiæ latus & Caninos campos pervenerunt. Sed hos dilucidiùs indicat Gregorius Turonenſis lib. x cap. III, his verbis: *His à Grippone Childeberto regi relatis, confeſtim exercitum in Italiam commoveri jubet: ac* XX *duces ad Langobardorum gentem debellandam dirigit. Adpropinquantes autem ad terminum Italiæ, Andovaldus cum* VI *ducibus dextram petiit; atque ad Mediolanenſem urbem advênit. ibique eminus in campeſtria caſtra poſuerunt. Olo autem dux ad Bilitionem, huius urbis caſtrum, in campis ſitum Caninis, importunè adcedens, jaculo ſub papillâ ſauciatus, cecidit, & mortuus eſt. Hi autem quum egreſſi fuiſſent, in prædâ ut aliquid victus adquirerent; à Langobardis, inruentibus paſſim per loca, proſternebantur. Erat autem ſtagnum quoddam, in ipſo Mediolanenſis urbis territorio, quod Ceresium vocitant; ex quo parvus quidem fluvius, ſed profundus, egreditur. ſuper huius laci litus Langobardos reſidere audierant. Ad quem quum adpropinquaſſent, priusquàm flumen, quod diximus, transierant à litore illo, unus Langobardorum, ſtans loricâ protectus & galeâ, contum manu geſtans, vocem dedit contrà Francorum exercitum, dicens; Hodiè adparebit, cui divinitas obtinere victoriam præſtet. Tunc pauci transeuntes contra Langobardum hunc, decertantes proſtraverunt eum. & ecce, omnis exercitus Langobardorum in fugam verſus, præteriit. Hi quoque transeuntes flumen, nullum de iis reperiunt; niſi tantùm recognoſcentes adparatum caſtrorum, ubi vel focos habuerant, vel tentoria fixerant. Quumque nullum de iis deprehendiſſent; ad caſtra ſua regreſſi ſunt. Chedinus autem cum* XIII *ducibus lævam Italiæ ingreſſus,* V *caſtella cepit.* Mox poſteà: *Quid plura? per* III *ferè menſeis Italiam pervagantes, quum nihil proficerent; neque ſe de inimicis ulciſci poſſent; eò, quòd ſe in locis communiſſent firmiſſimis; neque regem capere, de quo ultio fieret; qui ſe intra Ticinenſeis munierat muros, infirmatus, ut diximus: aerum intemperantiâ exercitus ac fame adtritus redire ad propria deſtinavit.* Hic igitur auctor ſitum *Caninorum camporum* clariùs indicat.

BILITIO *opidum.*

namque BILITIO *caſtrum* ſive *caſtellum* hodiéque in radicibus Alpium Rhæticarum ſupra lacum Verbanum, qui vulgò dicitur adcolis *Lago Maggiore*, ad Ticinum amnem ſitum, detorto paullùm vocabulo dicitur *Belizona*, & *Belinzona*. Ducum igitur Childeberti regis, ex Galliâ cum exercitu profectorum, Andovaldus dextro itinere, quod hodiéque maximé frequentatur, ex Helvetiis per montem divi Gothardi & vallem Lepontinam, juxta Ticini ripam ad Bilitionem opidum ſive caſtellum, atque inde Mediolanum, venit. Chedinus verò lævo itinere per Griſonum, quos vocant, opida Curiam & Clavennam, atque hinc per Larium lacum & Comum opidum, in eiusdem Mediolanenſis urbis agrum pervênit. quo itinere Arbetio etiam cum parte exercitus ad Brigantinum lacum adverſùs Alemannos Lentienſeis, ultra fontem Danubii, ut Germaniæ lib. III cap. IIII docui, incolenteis, profectus eſt; ipſo Conſtantio imperatore apud Bilitionem in campis Caninis ſubſiſtente: quia hoc itinere per divi Gothardi jugum, ad eumdem lacum Brigantinum fontemque Danubii, ſi res poſtulaſſet, profecturus erat. qua etiam viâ poſtmodùm eadem Alemannorum gens, teſte Sidonio in carmine præſcripto, ſub Maiorano imperatore, in eoſdem campos erupit. CANINI igitur CAMPI ſunt ii, in quibus *Belinzona* opidum eſt poſitum: pars ſcilicet inferior ac latior vallis, quam Ticinus efficit amnis. Vehementer itaque errare deprehenduntur omnes illi, qui, ex vocabuli ſimilitudine conjectantes, eumdem terrarum tractum eſſe cenſent, quem nunc populi in ipſis Rhæticarum Alpium jugis incolunt vaſtis finibus, vulgò Italis *Griſoni*, Gallis *Griſons*, & Germanis *Grawpüntner* dicti. ſcilicet, quia *canus* Germanis eſt *graw*, Italis *griſo*, Gallis *gris*: quod Germani etiam variantibus dialectis dicunt *greis* & *gries*. Atqui Ammianus & Gregorius Turonenſis non *Canos* adpellant *campos*; ſed *Caninos*. quod vocabulum de *Cani* nomine deductum Sidonius teſtatur. Is *Canus* quis mortalium fuerit, nullibi adnotatum eſt. Fuiſſe aliquem huius tractus regulum, ſuſpicari libet; quando

à Cottio etiam rege Alpes Cottiæ nomen acceperunt; & aliam Alpium partem Idconnus rex tenuit; ut ſuprà oſtenſum. De cætero *Bilitionis caſtrum* Paullus quoque Diaconus, Langobardicar. rer. lib. III cap. XXXI, & Aimoinus Francicar. rer. lib. III cap. LXXXII, memorarunt, his verbis: *Childebertus iteratò* XX *duces cum lectâ in Italiam dirigit pube, ad delendam Langobardorum gentem: è quibus Andoaldus & Olo atque Cedinus eminentiores fuêre. Sed Olo, quum improvidè ad Bilitionis caſtrum acceſſiſſet; jaculo ſub mamillâ ſauciatus cecidit, & mortuus eſt.*

CERESIVS *lacus & amnis.*

CERESIVS autem iſte Gregorii *lacus* nullus alius fuerit, quàm qui inter Belinzonam & Comum opida, ſive inter Verbanum & Larium lacus, vulgò nunc adpellatur *Lago di Lugano*, ab opido eius nominis juxtà ſito. Ex hoc parvus atque brevis, ſed altus, in Verbanum defluit lacum àmnis vulgari vocabulo *Treſa* dictus. qui antiqui CERESII *fluminis* memoriam, unà cum vico adpoſito, ferre videtur.

CAPVT XV.

De EVGANEIS.

LEpontiis trans Larium lacum contermini fuêre EVGANEI, Alpina itidem gens, ad Atheſim usque flumen extenſa; in primis Italiæ antiqua; & olim, ante Troiana bella, ultra Atheſim inter Alpeis Hadriaticumque mare incolens. Livius ſub initium libri I: *Primùm omnium ſatis conſtat, Troiâ captâ in cæteros ſævitum eſſe Troianos: duobus, Aeneâ Antenoreque, & vetuſti jure hoſpitii & quia pacis reddendæque Helenæ ſemper auctores fuerant, omne jus belli Achivos abſtinuiſſe. Caſibus deinde variis Antenorem cum multitudine Henetûm (qui, ſeditione ex Paphlagoniâ pulſi, & ſedeis & ducem, rege Pylemene ad Troiam amiſſo, quærebant) veniſſe in intimum maris Hadriatici ſinum: Euganeisque, qui inter mare Alpeisque incolebant, pulſis, Henetos Troianosque eas tenuiſſe terras. & in quem primum egreſſi ſunt locum, Troia vocatur; pagoque inde Troiano nomen eſt. gens univerſa Veneti adpellati.* Hinc Silius lib. VIII:

Tum Troiana manus, tellure antiquitus orti
Euganeâ, profugique ſacris Antenoris oris.

Sidonius Apollinaris, in carm. II; de Livii Patavini hiſtoriis loquens:

——— *Vel quidquid in ævum*
Mittunt Euganeis Patavina volumina chartis.

Martialis, lib. IIII epigrammate XXV:

Quæque Antenoreo Dryadum pulcherrima Fauno
Nupſit ad Euganeos ſola puella lacus.

Et lib. X, epigr. XCIII:

Si prior Euganeas, Clemens, Helicaonis oras
Pictaque pampineis videris arva jugis;
Perfer Ateſtinæ, nondum vulgata, Sabinæ
Carmina, purpureâ ſed modò ſuta togâ.

Servius ad Virgilii Æneid. lib. I: *Capto Ilio, Menelaus, memor ſe & Vlixem beneficio Antenoris ſervatos, quum repetentes Helenam ab eo eſſent ſuſcepti, ac penè à Paride aliisque juvenibus interempti eſſent; parem gratiam reddens, inviolatum dimiſit. qui cum uxore Theano & filiis Helicaone & Polydamante cæterisque ſociis in Illyricum pervênit; & bello exceptus ab Euganeis & rege Veleſo, victor urbem Patavium condidit.* Priſcos autem Euganeorum fineis, quos Veneti occuparunt, ultra Aquileiam & Timavum amnem ad Hiſtriam usque extenſos fuiſſe, poſteà in Venetiæ deſcriptione adcuratiùs indicabimus. nunc unum atque alterum heic citaſſe poëtam ſufficiat. In his Silius Italicus ita canit lib. XII:

Polydamantéis juvenis Pedianus in armis
Bella agitabat atrox; Troianaque ſemina & ortus
Atque Antenoreâ ſeſe de ſtirpe ferebat:
Haud levior generis fama, ſacroque Timavo
Gloria, & Euganeis dilectum nomen in oris.
Huic pater Eridanus Venetæque ex ordine gentes

Atque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Atque Apono gaudens populus, ſeu bella cieret,
Seu Muſas placidus doctæque ſilentia vitæ
Mallet, & Aonios plectro mulcere labores,
Non ullum dixêre parem.

Lucanus lib. VII:

Euganeo, ſi vera fides memorantibus, augur
Colle ſedens; Aponus terris ubi fumifer exit,
Atque Antenorei diſpergitur unda Timavi.

Horum ſimilia leguntur apud Martialem quoque & Statium ac Claudianum Sidoniumque Apollinarem: quæ omnia, ut haud parum abſurda, poſteà in Carnis ad Timavum amnem exactiore diligentiâ examinabimus. Cæterùm à Venetis Euganei avitis ſedibus pulſi, prædictum Alpium tractum inter Larium lacum & Atheſim amnem obſederunt. Plinius lib. III cap. XX: *Incolæ Alpium multi populi: ſed illuſtres; à Polâ ad Tergeſtis regionem, Secuſſes, Subocrini, Catili, Menocaleni; juxtaque Carnos, quondam Tauriſci adpellati; nunc Norici: his contermini Rhæti & Vindelici: omnes in multas civitates diviſi. Verſo deinde in Italiam pectore Alpium, Latini juris Euganeæ gentes: quarum opida XXXIIII enumerat Cato. Ex iis Triumplini, venalis cum agris ſuis populus: dein Camuni; compluresque ſimiles, finitimis attributi municipiis. Lepontios & Salaſſos Tauriſcæ gentis idem Cato arbitratur. cæteri ferè Lepontios relictos ex comitatu Herculis, interpretatione Græci nominis credunt, præuſtis intra ſinus Alpium nive membris. eiusdem & Graios fuiſſe poſitos in tranſitu, Graiarum Alpium incolas: præſtanteisque genere Euganeos, inde tracto nomine: caput eorum Stonos.* Municipia intelligit, Comum, Bergomum, Brixiam, Veronam. quorum hoc etiam ab Euganeis ſimul & Rhætis olim conditum teſtatur capite præcedenti XVIIII: *In mediterraneo* inquit, *regionis decimæ coloniæ, Cremona, Brixia, Cenomanorum agro; Venetorum autem Ateſte, & opida Acelum, Patavium, Opitergium, Belunum, Vicentia; Mantua, Tuſcorum trans Padum ſola reliqua: Feltrini & Tridentini & Beruenſes, Rhætica opida; Rhætorum & Euganeorum Verona; Julienſes Carnorum.* Apud Ptolemæum ita ſcriptum eſt: Βεχουνῶν, οἵ εἰσιν ἀπὸ δύσεως Οὐενετίας, Οὐαννία, Κάῤῥακα, Βρέτινα, Ἀνώνιον. id eſt: *Bechunorum, qui Venetiæ ab occaſu contermini ſunt, Vannia, Carraca, Bretina, Anonium.* Horum opidorum tria poſteriora circa Atheſim eſſe fluvium, mox infrà oſtendam. Vanniam Ptolemæus in tabulâ maximè occiduam facit, haud procul Lario lacu. Ex his igitur documentis, ſimulque quòd *Bechunorum* nomen nusquàm aliàs auditum vel lectum, corruptum id eſse vocabulum ego cenſuerim ex nobiliſsimo clariſsimoque τῶν Εὐγανεῶν nomine. Situs certè idem in tabulâ Ptolemæi obſcuris iſtis tribuitur Bechunis, qui à Plinio Euganeis; Inſubribus, Cenomanis, ac Venetis finitimus.

Varias fuiſſe ac multas Euganeæ gentis nationes, diſertè teſtatur Plinius loco præſcripto, his verbis: *Ex iis Triumplini, venalis cum agris ſuis populus: dein Camuni; compluresque ſimiles, finitimis attributi municipiis.* Item; *Caput eorum* eſse *Stonos.* Apud Strabonem lib. IIII, ubi Alpes deſcribuntur, populique Inalpini, hæc leguntur verba: Ὑπέρκεινται δὲ τοῦ Κώμου, πρὸς τῇ ῥίζῃ τῶν Ἄλπεων ἱδρυμένου, τῇ μὲν Ῥαιτοὶ καὶ Οὐέννωνες, ἐπὶ τὴν ἕω κεκλιμένοι· τῇ δὲ Ληπόντιοι καὶ Τελδεντῖνοι καὶ Στόνοι, καὶ ἄλλα πλείω μικρὰ ἔθνη, κατέχοντα τὴν Ἰταλίαν ἐν τοῖς πρόσθεν χρόνοις, λῃστρικὰ καὶ ἄπορα· νυνὶ δὲ τὰ μὲν ἐξέφθαρται, τὰ δ' ἡμέρωται τελέως· ὥς τι τὰς δι' αὐτῶν ὑπερβολὰς τοῦ ὄρους, [legendum eſſe τῶν ὀρῶν, infrà cap. XXXIII docebo] πρότερον οὔσας ὀλίγας καὶ δυσπεράτους, νυνὶ πολλαχόθεν εἶναι καὶ ἀσφαλεῖς ἀπὸ τῶν ἀνθρώπων καὶ εὐβάτους· ὧν ἔνεστι διὰ τὴν κατασκευήν. Hoc eſt: *Supra Comum, quod ad radices Alpium eſt ſitum, hinc Rhæti ac Vennones, ad orientem verſi, incolunt; illinc Lepontii & Tridentini ac Stoni, aliæque complures exiguæ nationes; quæ ſuperioribus temporibus Italiam tenuerunt, latrociniis deditæ, & egenæ. Eæ nunc partim exciſæ ſunt, partim domitæ: ita, ut tranſitus montium per eas, qui antè erant pauci & ſuperatu ardui, multis nunc locis pateant, tutique ſint ab injuriâ hominum, atque expediti. in quorum montium uno perfectum id eſt opere.* Eum tranſitum intellexiſſe videtur, qui eſt juxta Atheſis ripam, per Tridentum & Brixenteis, in Vindeliciam, ad Auguſtam Vindelicorum. At plenum eſſe hunc locum ſive ipſius Strabonis ſive librarii èrrorum, jam anteà in Lepontiis dixi. Haud multo pòſt ita ſcriptum eſt: οἱ μὲν οὖν Ῥαιτοὶ μέχρι τῆς Ἰταλίας καθήκουσι, τῆς ὑπὲρ Οὐήρωνος καὶ Κώμου· διατείνουσι δὲ καὶ μέχρι τῶν χωρίων, δι' ὧν ὁ Ῥῆνος φέρεται. τούτου δ' εἰσὶ τοῦ φύλου καὶ Ληπόντιοι, καὶ Καμοῦνοι. Οἱ δὲ Οὐινδελικοὶ καὶ Νωρικοὶ τῆς ἐκτὸς παρωρείας κατέχουσι τὸ

πλέον, μετὰ Βρεωύνων καὶ Γεναυύων, ἤδη τούτων Ἰλλυρικῶν. Ἰταμώτατοι δὲ τῶν μὲν Οὐϊνδελικῶν ἐξητάζοντο Λικάττιοι καὶ Κλαυτηνάτιοι καὶ Οὐέννωνες· τῶν δὲ Ῥαιτῶν Ῥουκάντιοι καὶ Κοτουάντιοι. Id eſt: *Rhæti usque in Italiam protenduntur, ſupra Veronam & Comum. pertingunt etiam usque ad loca per quæ Rhenus fertur. Eiusdem verò gentis ſunt & Lepontii Camuniquè. Vindelici autem & Norici externum Alpium latus tenent plurimâ ex parte, cum Breunis atque Genaunis: quorum hi jam Illyrici ſunt generis. Ferociſſimi Vindelicorum habiti ſunt Licatii; Clautinatii, ac Vennones: Rhætorum Rucantii & Cotuantii.* Mira ſanè unius eiusdemque mentis variatio; ſi ita utrobique ſcripſit ipſe Strabo. Heic Vennones attribuuntur Vindelicis, ultra Alpeis ſive in externo eorum latere incolentibus: ſuprà connumerantur inter populos Italiæ, ſupra Comum habitanteis. heic Lepontii Rhætis adſcribuntur, unà cum Camunis: illic ab eorum nomine ac genere excluduntur, unà cum Stonis ac Tridentinis; quorum hi tamen Rhætorum fuêre caput; ut infrà oſtendam.

TRIVMPLINI *populi.*

Qui TRIVMPILINI apud Plinium bis, ii in tribus antiquis inſcriptionibus, Brixiæ exſtantibus, ſunt TRIVMPLINI; in Tabulâ verò antiquâ itinerariâ TRVMPLI. quorum hoc poſterioribus temporibus fuiſſe in uſu, ex eo colligo, quòd vulgare vocabulum vallis, quam ea gens incoluit, dictum inde fuit *Trompla*; & mox *Trompia*; ac tandem, ut nunc viget, *Troppia*: quemadmodùm à Latinis vocibus *planta, plano, pleno, plumbo, flacco, flore, clave*, factæ ſunt vulgares Italicæ, *pianta, piano, pieno, piombo, fiacco, fiore, chiave*, & id genus aliæ. Eſt autem vallis, quam Mela amnis per XXV millia paſſuum ſecat: cuius fauces V millia ab urbe Brixiâ diſtant.

CAMVNI, *populi.*

Καμοῦνοι, CAMVNI Strabonis atque Plinii, apud Dionem, ut mox videbimus, ſunt Καμμούνιοι, CAMMVNII. Hi Ollii fluminis vallem incoluerunt, longam L circiter millia paſſuum, latam, ubi plurimum patet, VIII. quæ à priſcis cultoribus etiam nunc nomen retinet, vulgò *Val Camonica* adpellata. In huius opidulo, quod vulgò dicitur incolis *Civedà*, vetus inſcriptio nomen gentis refert eâdem formâ, ut eſt apud Strabonem ac Plinium CAMVNI. alius verò lapis, in eiusdem opidi agro, & item alius in vico *Eſeno*, habent ORDO · CAMVNN. quod abbreviatum eſt ab integro CAMVNNORVM. At in nonnullis Plinii ac Strabonis exemplaribus vetuſtis idem nomen per L ſcriptum reperitur Κάμουλοι, CAMVLI. quod equidem mendoſum exiſtimabam, niſi nummus quoque antiquus argenteus, quem ſagaciſſimus abstruſiorum antiquitatum indagator, Octavius Roſsius, in Antiquitatibus ſive Memoriis ſuis Brixianis referret, idem nomen gentis ſimul & numinis, unde gens ſeſe denominavit, haberet his verbis: CAMVLO · INVICTO · CAMVLI. A Rhætorum hos genere ſeparare unà cum Plinio Dionem, mox oſtendam.

VENNONES *populi.*

Qui Οὐέννωνες, VENNONES, ſunt Straboni, Ptolemæo dicuntur Οὐίννωνες, VINNONES, Dioni Οὐεννόνιοι, VENNONII; ſive Οὐενόνιοι, VENONII. apud Plinium variis in exemplaribus variè leguntur, VENNONES, VENONES, VENNONETES, VENONETES, & VENONENSES. Hic auctor atque Ptolemæus diſertè eos faciunt Rhætos. quorum hic in deſcriptione Rhætiæ, Κατέχουσι δὲ, inquit, τῆς Ῥαιτίας, τὰ μὲν ἀρκτικώτερα Βριξάνται, τὰ δὲ νοτιώτερα Σουανῖται καὶ Ῥιγοῦσκαι, τὰ δὲ μεταξὺ Καλούκωνες καὶ Οὐίννωνες. id eſt: *Tenent autem Rhætiæ ſeptemtrionalia Brixantæ; meridionalia Suanitæ ac Riguſcæ; media Calucones & Vinnones.* Plinius dicto lib. III cap. XX: *Rhætorum Vennonetes Sarunetesque ortus Rheni amnis adcolunt; Lepontiorum qui Viberi vocantur, fontem Rhodani, eodem Alpium tractu.* At Dio à Rhætorum gente eos prorſus excludit, lib. LIIII, in his verbis: Καμμούνιοι καὶ Οὐεννόνιοι, Ἀλπικὰ γένη, ὅπλα τε αὐτήραντο, καὶ νικηθέντες ὑπὸ τοῦ Πουπλίου Σιλίου ἐχειρώθησαν. Id eſt: *Cammunii ac Vennonii, Alpinæ gentes, arma contra Romanos ſumpſerunt; victique à P. Silio & ſubacti ſunt.* En, Rhætorum heic nationes minimè eos adpellat; & mox poſteà, ſeparatim ab iis, Rhætorum & ſitum & bellum adcuratè deſcribit. Conjunctos inter ſe habuiſſe fineis illos, patet ex eo, quòd junctis viribus bellum contra Romanos moverint. Hinc etiam in trophæo Auguſti, quod Plinius eodem capite poſteà recitat, tres prædicti populi conjunctim his verbis referuntur: *Gentes Alpinæ devictæ; Triumplini, Camuni, Vennones.* Vltra fonteis Ollii vallis eſt, vulgari nunc vocabulo Italis *Val Venoſca*, Germanis *Vinſchgăw* dicta; in qua Atheſis oritur amnis. à Vennonibus, Camunorum finitimis, quin id nominis retineat, haud equidem dubitaverim. Latinorum grammaticorum vulgus jam inde ab aliquot ſæculis Latinam originem in eo ſuſpicantes vel fingentes, dixerunt *vallem Venuſtam.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

nuſiam. unde incolis etiam nunc vulgò vocatur plerumque *Val Venoſta* Italis, & Germanis *Vinſtgäw*. Verùm quum incolæ olim, gentis Euganeæ, ſtirpiſque Celticæ, ut mox oſtendam, dicerentur ſibi ipſis patrio vocabulo *di Vennon* & *Vinnon*; quod nunc formes *di Vennen* ac *Vinnen:* Græci ac Latini ſuo ore id fecerunt οὐέννωνες *Vennones*, & οὐΐννωνες *Vinnones*. Incolis inde regio, quam incolebant, derivativo vocabulo vocata eſt *das Venniſchgäw* & *Vinniſchgäw*; id eſt, ſi Latinè interpreteris, *pagus Vennonicus*. id poſteà contractum eſt in *Vinſchgäw*; ut etiamnunc uſurpatur. Ptolemæus, loco proximè citato, ſemptemtrionalia Rhætiæ habitaſſe *Brixentas*, tradit; auſtralia *Suanitas* & *Riguſcas*; media *Calucones* ac *Vinnones*. Iidem populi in prædicto Auguſti trophæo apud Plinium ita conſtruuntur: *Ruguſci, Suanetes, Calucones, Brixentes, Lepontii*. Ex his *Brixentas* circa opidum incoluiſſe, quod vulgò nunc in Alpibus ſupra Tridentum dicitur *Brixen*; nemo hactenus dubitavit. Ab hoc verſùs occaſum Solis hiberni quum poſitâ ſit Vennonica vallis; fortè ultra hanc porrò, verſùs eamdem cœli regionem, in Telinâ valle & Clavennenſi comitatu fuêre RVGVSCI ſeu RIGVSCI, & SVANETES ſive SVANITAE. At verò Plinius, dicto loco, *Rhætorum*, inquit, *Vennones Sarunetesque ortus Rheni amnis adcolunt*; *Lepontiorum qui Viberi vocantur, fontem Rhodani, eodem Alpium tractu*. Hoc ſi verum, certè VENNONES primùm non prædictam Vennonicam vallem, ſed Telinam Clavennenſemque incoluerunt, ad montem usque Adulam, qui nunc vulgò eſt *der Vogel*, & poſterioris Rheni ortus extenſi; ut Euganeorum contermini Lepontii in eodem Alpium latere ac tractu ad fontem usque Rhodani; de quo ſuperiori capite diſſertum. Ex Telinâ autem valle ad Atheſis fonteis poſtmodùm transiêre. SVANITAE igitur fortè fuerint verſùs auſtrum, quod vult Ptolemæus, à Vennonibus, ad caput Camunicæ vallis, circa vicum, cui vulgare vocabulum, variantibus omnium Italorum more vocalibus, *Zeân*, *Zoân*, *Zuân*. quod fortè olim fuit SVANA ſive SVANVM *opidum:* unde incolæ ſimul atque adcolæ *Suanitæ* denominati. Hæc ſedes Suanitis ſi concedatur; RIGVSCI ſanè, ſive RIGVSCI juxta hos verſùs ortum poterunt locari in eâ valle, quæ vulgò incolis Italis dicitur *Val del Sôl*, Germanis *das Sulstaal*. Euganeorum hanc fuiſſe, patet ex opido eius *Anonio*, nunc vulgò *Nôn* dicto, quod apud Ptolemæum falſis illis Bechunis attribuitur. CALVCONES an jam extra Italiæ terminum, ultra ſummos Alpium transitus, fuerint juxta Vennones, in Aeni fluminis valle, quæ vnlgò incolis *Engadina*, Germanis *das Intaal* vocatur, haud temerè dixerim.

RVGVSCI & SVANETES *populi*.

CALVCONES, *populi*.

Reſtant nunc STONI, Straboni ac Plinio memorati, locis præſcriptis. quorum hic caput eos facit Euganeorum. In fragmento quodam Faſtorum triumphalium, Romæ effoſſo, triumphus memoratur DE · LIGVRIBVS · STOENIS. unde patet, Euganeos quoque, Alpinam gentem, eiusdem cùm Liguribus fuiſſe generis, nempe Celtici. Apud epitomatorem Livii, lib XLII ita legitur in vulgatis exemplaribus: *Q. Marcius conſul Sarnos, gentem Alpinam, expugnavit*. Sigonius, ad hunc locum commentans, teſtatur, in veteri exemplari fuiſſe *Stonos*; & in aliquot aliis *Stinos*. unde colligit, *Tricaſtinos* fortè legendum: quæ Galliæ Transalpinæ fuit gens in Sabaudiâ. confirmatque hanc opinionem ſuam auctoritate Oroſii; apud quem lib. v cap. XIIII ita ſcriptum eſt: *Q. Marcius conſul Gallorum gentem, ſub radice Alpium ſitam, bello adgreſſus est. qui quum ſe Romanis copiis circumſeptos viderent, belloque impares fore intelligerent; occiſis conjugibus ac liberis, in flammas ſe projecerunt. qui verò, præoccupantibus Romanis, peragendæ tunc mortis ſuæ copiam non habuerant, captique fuerant; alii ferro, alii ſuſpendio, alii abnegato cibo, ſeſe conſumpſerunt: nullusque omnino vel parvulus ſuperfuit, qui ſervitutis condicionem vitæ amore toleraret*. Eadem verba ex Oroſio refert & Freculfus tomo I, lib. VI, cap. VIII. Huc inſuper addit Sigonius & id argumentum, quod Velleius lib. I & Eutropius lib. IIII teſtentur; *M. Porcio Catone & Q. Marcio Rege conſulibus, Narbonem Marcium in Galliâ deductam eſſe coloniam*. Quid, debellatâ Tricaſtinorum gente, opus fuerit coloniam ultra Rhodanum ſub Pyræneum usque montem & fineis Hiſpaniæ deducere, equidem rationem hauddum video: utique, quum quadriennio antè à C. Sextio Domitio colonia deducta ſit *Aquæ Sextiæ* in Salluviis; quam gentem ipſe ante biennium perdomuerat. Apud Oroſium aut interiiſſe gentis Gallicæ vocabulum, quam devicit Marcius, neceſſum eſt, aut ipſam vocem *Gallorum* eſſe corruptam atque mendoſam. nam uniuerſa *Gallorum* inter

STONI, *ſive* STOENI, *populi*.

Rhenum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Rhenum Pyrenæosque monteis & Oceanum gens neque ſub Alpium radicibus ſita erat, neque à Marcio debellata. In dicto Faſtorum triumphalium fragmento triumphi memorantur hoc ordine:

DE · LIGVRIBVS · VOCONTEIS · SALLVVIEIS · QVE
DE · LIGVRIBVS · STOENIS
DE · GALLEIS · KARNEIS

Ex hoc loco audacter contenderim, & apud Oroſium & apud Livii epitomatorem ſcriptum fuiſſe *Carnorum* nomen. In Livii exemplaribus quum antiquum eo in vocabulo eſſet mendum; quidam criticus ex Faſtis Romanis, vel alio quopiam vetuſto hiſtorico id emendare tentavit in *Stonos:* quia hi circa eadem tempora debellati fuêre. niſi fortè utraque gens eodem anno ab eodem conſule domita fuerit. Occaſionem priori mendo dediſſe videtur opidum *Sarni,* quod inter Tridentum & Veronam refert Tabula itineraria; ut infrà videbimus: tum, quòd Strabo Tridentinos cum Stonis conjungit, Plinius verò Veronam Euganeorum ſimul & Rhætorum facit opidum. Quo autem tractu ſedeis ſuas habuerint STONI, planè non liquet: niſi vallem Condinam, quam Cleſius ſecat amnis, Idrinum lacum petens, incoluiſſe ſuſpicari libeat, circa vicum, cui vulgare vocabulum *Stôr.* Hi igitur ſunt fines Euganeorum; hi populi auctoribus memorati.

De nomine ac genere univerſæ gentis ita Plinium ſuprà audivimus loquentem lib. III cap. XX: *Lepontios & Salaſſos Tauriſcæ gentis Cato arbitratur. cæteri ferè Lepontios relictos ex comitatu Herculis, interpretatione Græci nominis credunt, præuſtis intra ſinus Alpium membris. eiusdem & Graios fuiſſe poſitos in tranſitu, Graiarum Alpium incolas; præſtanteisque genere Euganeos, inde tracto nomine.* Scilicet dicti videbantur *Euganei* quaſi Εὐγένιοι, quòd præſtanti ac nobili orti eſſent genere. Hanc fabulam prolixâ narratione, ſpecioſè confictâ, auxit inſuper hac noſtrâ ætate quidam Belunenſis in antiquitatibus patriæ ſuæ: ac pro ſede primis illis Euganeis attribuit omnem planitiem ab intimo ſinus Hadriatici receſſu ad Padi usque fontem; nullis adductis veterum auctorum teſtimoniis vel documentis. Ego verò miror, cur non & Euganei iſti & Lepontii æquè dicti ſint Graii; quum eiusdem fuerint generis ex Græciâ, ut μυθολόγοι iſti voluerunt, cum Hercule profecti. At Celtici fuiſſe generis, jam anteà oſtenſum eſt. Opida nunc eorum indicentur.

Plinius eodem cap. XX: *Verſo deinde in Italiam pectore Alpium, Latini juris, Euganeæ gentes; quarum opida* XXXIIII *enumerat Cato.* Ex his quorundam memoriam nobis reliquerunt auctores lapidesque antiqui. Apud Ptolemæum, ut ſuprà relatum, ſunt iſta: Οὐαννία, Κάῤῥακα, Βρέτινα, Ἀνώνιον. *Vannia, Carraca, Bretina, Anonium.*

ANONIVM *ſive* ANAVNIVM, *opidum.*

Ex his Ἀνώνιον, ANONIVM, ſive, ut Vaticanum habet exemplar, Ἀναυώιον, ANAVNIVM, ſupra Tridentum vulgò nunc vocatur *Nôn* & *Nân:* unde vallis etiam, quam Noſius fluvius, in Atheſim defluens, ſecat, cognominatur *Val di Nôn*; ſuperiori autem ſui parte, verſùs fontem amnis, *Val del Sôl,* Germanis *das Sulstaal*; ut antè dixi. In Martyrologiis & vallis & opidum vocatur ANAVNIA. ſic quidpe habent Martyrologium Romanum, Vſuardus, & Ado: *Quarto Calend. Maii SS. martyrum Siſinnii, Martyrii, atque Alexandri: qui in Ananiæ partibus, ut ſcribit S. Paulinus, martyrii coronam adepti ſunt.* Addit Ado: *Hos Vigilius, Tridentinæ urbis epiſcopus, ad regionem vicinam, cui vocabulum Anaunia, ad prædicandum miſit.* Quum opidum eſſet in Latio clariſſimum *Anagnia,* ad huius vocabuli formam aliis poſteà *Anonium* ſive *Anaunia* dicta eſt plurali numero ANAGNI; ut eſt in vitâ divi Siſinnii, & apud Paul. Diaconum: cuius verba Langobardicar. rer. lib. III cap. VIIII hæc ſunt: *His diebus, advenientibus Francis, Anagnis caſtrum, quod ſuper Tridentum in confinio Italiæ poſitum eſt, ſe eisdem tradidit. Quam ob cauſam comes Langobardorum de Legare, Raligo nomine, Anagnis veniens deprædatus eſt. Qui quum de prædâ reverteretur, in campo Rotaliano ab obvio ſibi duce Francorum Cramnichis cum pluribus è ſuis peremptus eſt. Qui Cramnichis non multum poſt tempus Tridentum veniens devaſtavit. Quem ſubſequens Evin, Tridentinus dux, in loco, qui Salurnis dicitur, ſuis cum ſociis interfecit; prædamque omnem, quam ceperat, excuſſit: expulſisque Francis, Tridentinum territorium recepit.* Barbaro jam ſui ſæculi more vocabulis *Anagnis* & *Salurnis* obliquo caſu locali, tamquàm indeclinabilibus, uſus eſt.

ROTA-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

ROTALIANVS iſte CAMPVS, inter Anaunium & Tridentum ſitus, haud dubiè infima pars erat prædictæ vallis, quà Noſius amnis in Atheſim confluit. Et manent etiamnum veſtigia antiqui nominis. vulgò quidpe adpellatur incolis *Val di Râl*. *Salurnum* opidum ad ulteriorem Atheſis ripam nunc dicitur *Salorno*.

ROTALIANVS *campus.*

Locus autem iſte Langobardorum, ſive opidum *Lagare*; cuius comitem heic nominat Paulus *Raligum*, neſcio an non id ſit, quod nunc vulgò apud ripam lacus Benaci vocatur GARDA; unde lacui hodiè cognomen. quidpe dici poterat Ragilus barbarâ jam tum lingvâ *Comte de la Garda*. & antiquitatem huic loco adſerunt antiquarum inſcriptionum monumenta, quæ heic eruta.

GARDA *opidum.*

Eidem Diacono, eod. lib. cap. XXXI, memoratur MALETVM *caſtrum, territorii Tridentini*. quod hodiéque vulgò dicitur *Maleto*, apud ſuperiorem Noſii ripam.

MALETVM *opidum.*

BRETINA *opidum* haud dubiè is locus eſt, qui in dextrâ Atheſis ripâ, mediâ ferè Benaci lacus regione, vulgò nunc vicus adpellatur *Brentino*. Is quum vero nomine diceretur *Bretino*; ex *Brentæ*, haud ita longè diſſiti, fluminis clariſſimi vocabulo attraxit *n* literam.

BRETINA *opidum.*

Paulus Diaconus prædicto lib. III cap. XXXI, BRENTONICVM *caſtrum* memorat *in territorio Tridentino*. quod ſupra Brentinum in eâdem Atheſis ripâ vulgò vocatur *Brentonico*, ſive *Brentonego*.

BRENTONICVM *opidum.*

Verba Diaconi eo loco hæc ſunt: *Nomina autem caſtrorum, quæ diruerunt Franci in territorio Tridentino, iſta ſunt: Teſana, Maletum, Semiana, Appianum, Fagitana, Cimbra, Vitianum, Brentonicum, Volenes, Ennamaſe, & duo in Alſucâ, & unum in Veronâ*. Ex his pleraque eſſe trans Atheſim in Rhætorum agro, ſequenti capite patebit. Pro iſtis vocibus, *Volenes, Ennemaſe*, alia exemplaria habent; *Balenefene & Maſe*. Ego ferè conjecerim, ſcriptum fuiſſe, *Volenes* & *Malſeſene*. quorum illud trans Atheſim poſteà monſtrabo: in Benaci verò ripâ, mediâ regione inter Brentinum & Brentonicum hodiéque dicitur opidum MALSESENE.

MALSESENE, *opidum.*

CARRACA *opidum* meo judicio fuerit idem, quod apud fluvium cognominem, qui in Benacum lacum defluit, vulgò nunc adpellatur *Sarca*. In antiquo vocabulo an litera Σ corrupta ſit in K, haud temerè dixerim.

SARRACA *opidum.*

E regione Bretinæ haud procul dextrâ dicti lacus ripâ, vicus vulgari vocabulo *Toſculano* antiqui opidi reliquiis & innumeris penè antiquarum inſcriptionum monumentis refertus eſt. In his IIII diverſis imperatoribus inſcriptæ ſunt, *M. Aurelio Antonino, M. Aurelio Commodo, L. Septimio Severo, M. Aurelio Claudio*. poſuerunt autem, ut in fine adſcriptum eſt, BENACENSES. Hinc nonnulli noſtri ſæculi auctores contenderunt, opidum hoc loco quondam exſtitiſſe eiusdem cum lacu nominis. Verùm hos ſcitè confutavit ſuprà dictus Octavius Roſſius alio lapide antiquo, apud vicum Gardam vallis Camunicæ reperto, cuius inſcriptio talis:

TVSCVLANVM, *opidum.*

MAX · TRIB · P · $\overline{\text{VI}}$
$\overline{\text{XII}}$ · COS · $\overline{\text{II}}$ · PP
M · AVRELIVS · MENOLPHI
LVS · ORNATVS · IVDICIO
EIVS · EQVO · PVBLICO
SACERDOS · TVSCVLANI
AEDILIS · BRIX ·

Iam igitur antiquis temporibus locus iſte TVSCVLANVM fuit *opidum*. in quod omnes Benaci lacus adcolæ, uno nomine BENACENSES dicti, vel ſaltem huius tractus, qui nunc vulgò *La Riviera*, & ſuperioribus jam inde ſæculis *Riparia* ſive *Riperia* vocatus, de negotiis publicis conſulturi conveniebant; quemadmodùm hodiè in opidum congrediuntur, quod vulgò *Salô* adpellatur. Sed univerſos lacus adcolas commune id uſurpaſſe cognomentum, adparet ex aliâ inſcriptione, quæ, in adverſo litore apud vicum divi Vigilii reperta, verba refert iſta: .... LOLLIA · BENACO.

Prope Tuſculanum in ipſo lacus litore eſt opidum MATERNVM, vulgò incolis *Maderno* dictum. in hoc quoque complures repertæ ſunt inſcriptiones veteres. Ego NAVALE ſive PORTVM fuiſſe conjecerim *Tuſculanenſium*.

MATERNVM, *opidum.*

A Salodio opido verſùs occaſum Solis VII circiter millia paſſuum diſtat SABIVM *opidum,*

SABIVM *opidum.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

opidum, vulgò *Sabio* & *Sabbio* dictum, ad ripam Cleſii amnis: à quo vallis cognominatur incolis *Val di Sabio*. Antiquum hoc eſſe & opidum & nomen, teſtatur vetus inſcriptio, quam Octavius Roſſius ex vico eiusdem vallis *Savallo* profert huiusmodi:

FIRMVS IN
GENVI · F · PRIN
CEPS · SABINORVM
SIBI · ET · CORNELI
AE · RVSTICAE · CON
IVGI · M · CORNELI
O · PRISCO · F · ANNOR
XIII

A *Sabio* igitur opido *opidani* dicebantur SABINI. quorum nomen haud dubiè in omnem etiam vallem diffuſum fuit. In horum civitate qui primum locum obtinebat, *princeps Sabinorum* dictus eſt; quemadmodùm in Actis Apoſtolorum cap. XXVIII in Melitâ inſulâ Πρῶτος τῆς νήσου, id eſt, *primus* ſive *princeps inſulæ* vocatur Publius; & alius in antiquo marmoreo monumento Πρῶτος Μελιταίων, id eſt, *princeps Melitenſium*; ut Siciliæ lib. II cap. XVI nobis adnotatur.

VOBERNA *opidum.* Inter Salodium & Sabium, ad ripam Cleſii amnis, vicus eſt vulgò *Boarno* dictus. antiquum huic nomen fuiſſe VOBERNA, antiquus teſtatur lapis cum hac inſcriptione:

P · ATINIVS · L · F · FAB
HIC · SITVS · EST
SI · LVTVS · SI · PVLVIS
TARDAT · TE · FORTE
VIATOR · ARIDA · SIVE
SITIS · NVNC · TIBI · ITER
MINVIT · PERLEGE · CVM
IN · PATRIA · TVLERIT · TE
DEXTERA · FATI · VT · RE
QVIETVS · QVEAS · DICERE
SAEPE · TVIS · FINIBVS · ITA
LIAE · MONVMENTVM ·
VIDI · VOBERNA · IN · QVO
EST · ATINI · CONDITVM

EDRVM, *opidum.* Supra Sabium in lacus, quem Cleſius tranſit, lævâ ripâ opidum eſt vulgari nunc vocabulo *Idro*. id quoque antiquum eſſe, olimque EDRVM fuiſſe dictum, unde opidani EDRANI, ex antiquâ huius loci inſcriptione diſco, quæ talis eſt:

VOSSIS · PONTIS · F ·
SASSVS · ET · CVSSAE
GASSVMI · F · VXORI · ET
LVIDIAE · VOSSIS
F · EDRANI

SEVVM *opidum.* Plinius lib. III cap. XVIIII de Transpadanâ regione loquens: *In hac regione & X lacus inclyti ſunt, amnesque eorum partus aut alumni; ſi modò exceptos reddunt; ut Adduam Larius, Ticinum Verbanus, Mincium Benacus, Ollium Sebinus, Lambrum Eupilis; omneis incolas Padi*. Et lib. II cap. CIII: *Quædam aquæ dulces inter ſe ſupermeant alias. ut in Fucino lacu Iuvencus amnis, in Lario Addua, in Verbano Ticinus, in Benaco Mincius, in Sevino Ollius*. Lacus, quem Ollius amnis tranſit, vulgò nunc vocatur *Lago d'Iſéo*, ab opido eius nominis juxtà ſito. Id quoque vetuſtate ſuâ meritò gaudere gloriarique debet. quidpe quum olim SEBVM vocaretur & SEVVM; lacus inde cognominatus eſt SEBINVS & SEVINVS. Ab auferendi caſu *Sevo* factum eſt vulgare vocabu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

vocabulum *Séo*. inde quum lacus adpellaretur *Lago di Seo*; imperitum vulgus ex eo fecit *Lago d'Iſéo*. unde id vocabulum corruptum opido manſit.

Ab opido, quod Ptolemæo VANNIA dicitur, opidani Plinio ſunt VANNIENSES, dicto cap. XVIIII, his verbis: *In mediterraneo regionis decimæ coloniæ, Cremona, Brixia, Cenomanorum agro; Venetorum autem Ateſte; & opida, Acelum, Patavium, Opitergium, Belunum, Vicentia; Mantua, Tuſcorum trans Padum ſola reliqua: Feltrini & Tridenti & Beruenſes, Rhætica opida: Rhætorum & Euganeorum Verona; Iulienſes Carnorum. dein, quos ſcrupuloſè dicere non attineat, Alutraenſes, Aſſeriates, Flamonienſes, Vannienſes, & alii, cognomine Culici; Forojulienſes, cognomine Transpadani, Foretani, Venidates, Quarqueni, Tarviſani, Togienſes, Varuani.* Ptolemæus in tabulâ Vanniam ſuam verſùs occaſum à Bretinâ, Carracâ, & Anonio collocat circa lacum Larium ſive Comenſem. eò usque extenſam fuiſſe regionem Italiæ decimam, cui undecima jungebatur verſùs occaſum inter Padum & Alpeis, haud ſimile veri eſt. At ſupra Cremonam & Brixiam in ſeptemtriones verſùs, in valle Camunicâ opidulum eſt, ut ſuprà dixi, vulgari vocabulo *Civedâ*, ſive politiori ore *Cividato*, & *Cividado*; quod vocabulum multis Italiæ opidis, ut in contextu huius operis paſſim adparebit, antiquæ originis memoriam ſervat. heic verò vetuſtatem loci etiam veſtigium amphitheatri & alia marmorum monumenta teſtantur. ſed & ſuprà dictæ inſcriptiones heic & in proximo vico *Fſeno* repertæ, in quibus hæc verba ORDO CAMVNN, dignitatem *municipii* juxtà cum amphitheatro indicant. Minimè igitur dubitem, quin hæc *Vannia* illa ſit vetus Plinii ac Ptolemæi. Altera illa Plinii *Vannia* haud dubiè fuit in Carnis. VANNIA, *municipium.*

Porrò Camunicæ valli proxima eſt ab ſeptemtrionibus VALLIS TELINA, quam Addua flumen mediam ſecat, ad lacum usque Larium. In hac opido SVNDRIO vetuſtatis gloriam adſerunt antiqui Romanorum imperatorum nummi, qui heic haud pauci humo eruuntur: ſed ſine ullâ loci mentione vel nomine. VALLIS TELINA. SVNDRIVM, *opidum.*

Valli nomen dedit caput haud dubiè quondam eius TELIVM *opidum*; quod vulgò nunc vocatur Germanis *Tell*, Italis *Teglio*, &, ut vulgus totius ferè inter Alpeis Apenninumque Italiæ literam *l* in medio dictionum inter duas vocaleis elidit, *Teio*. Blondus hiſtoriar. decade I lib. VIII ita ſcribit: *Longinus Venetæ regionis urbibus præſidia impoſuit. fuerunt autem Patavium, Mons Silicis, Cremona, & Mantua; & in montibus opidum Vulturnia; quod valli; quam nunc corruptè Telinam vocant, dedit nomen.* Et poſteà: *Et in Transpadanis, Cremona, Mantua, Vulturnia, Mons Silicis, Patavium.* Ac deinde: *Erant trans Padum hinc Comum inde Vulturnia remotiores.* Scilicet, quia vallis ab imperito vulgo, more totius Italiæ communi, nomina locorum, montium, fluminum, variè ac mirificè detorquente, dicitur plerumque *Voltollina*; proprio ac vero vocabulo dicendam eſſe ille conjecit *Vulturninam*, ab opido *Vulturniâ*, Paullo Diacono memorato, Langobardicar. rer. lib. IIII. Sed quàm proba hæc ſanaque fuerit conjectura, cuivis diſpectu facile eſt, ipſa Diaconi verba rimanti. Cap. XXIIII, *Vsque ad hæc tempora*, inquit, *Patavium civitas, fortiſſimè militibus repugnantibus, Langobardis rebellavit. ſed tandem, injecto igne, tota flammis vorantibus concremata eſt; & juſſu regis Agilulfi ad ſolum usque deſtructa.* Cap. XXVI: *Sequenti tempore Langobardi caſtrum Montis Silicis invaſerunt.* Cap. XXVIIII: *Erat autem iis diebus adhuc discordia Langobardis cum Romanis, propter captivitatem filiæ regis. qua de causâ Agilulfus rex, egreſſus Mediolano menſe Iulio, obſedit civitatem Cremonenſem, & cepit eam* XII *Kalendas Septembris; & ad ſolum usque deſtruxit. pari etiam modo expugnavit Mantuam, interruptis muris eius cum arietibus; dans veniam militibus, qui erant in eâ, revertendi Ravennam. Tunc etiam partibus Langobardorum ſeſe tradit caſtrum, quod Vulturina vocatur. milites verò Brexillum opidum igni cremantes, fugerunt. His ita patratis, reddita eſt filia regis à Smaragdo patricio, cum viro & filiis ac rebus cunctis: factaque eſt pax. filia verò regis mox à Ravennâ Parmam rediit.* Qui in hoc bello Vallem Telinam quærat vel reſpiciat, neminem, præter Blondum, fore puto; quando omnia circa Padum geſta; apud Mediolanum, Cremonam, Parmam, Brixellum, Mantuam, Montem Silicis, Patavium, & Ravennam. Proinde, ſive *Vulturnia* in Diaconi exemplari, quo uſus eſt Blondus, ſcriptum fuit; ſive, ut in vulgatis eſt exemplaribus; *Vulturina*; ſeu denique, quod fortè rectiùs, *Vulturia*; locus is certè nullus alius eſt, quàm qui hodiéque ad ſiniſtram Padi ripam, inter Cremonam & Brixellum vulgò dicitur *Valdoria*, vocabulo vitiato; quum à valle aliquâ, quæ heic nulla eſt, nomen id habere nequeat. Errat igitur etiam Paullus Iovius; qui in deſcriptione lacus Comenſis

Volturrenam urbem fuiſſe apud Oloniam turrim, lævâ ripâ Adduæ amnis, quà is in lacum influit, conſtare ait ex veſtigiis ibi exſtantibus. Celebrem jam olim fuiſſe ob amœnitatem fertilitatemque ſuam, pluribusque opidis ac vicis habitatam, nemo temerè negaverit. at quid quoque loco fuerit, à priſcis auctoribus nullibi adnotatum reperio. De cætero ipſa vallis haud ineleganter deſcribitur in vitâ beati Antonii, monachi Lirinenſis, his verbis: *Antonium noſtrum famuli ad Italiæ parteis Chriſto duce perducunt. Principe loco Telinæ vallis limen ingreditur: quam montium ex utroque latere brachiis fabricata ditat amœnitas; & de verticibus fœcundis animum plebis locupletat uber ſolum: quod avaris reſpondet juxta deſideria immoderata cultoribus. non tamen ita ariſtis prægravidum, aut dotatum paſcuis, aut arbuſtis compoſitum; aut fluminibus lætum; ut non plus ſupervenientis perſonæ gratia præſtaret, quàm ipſius originis* [lege *regionis*] *variata & diſtincta formoſitas*. Nobilitatur regio nunc maximè vino; quod dulcedine ac ſvavitate omnia fermè totius Orbis vina præſtare putatur. ob eamque rem nonnulli *Rhæticum* hoc eſſe exiſtimant, cuius Virgilius aliique auctores meminerunt; & quo Auguſtus Cæſar tantoperè delectatus fuit. verùm hos vehementer falli, poſteà in Rhætis docebo.

Valli Telinæ continuatur ab ſeptemtrionibus *Vallis Clavennenſis*, vulgò *Val di Chiavenna* dicta, comitatus titulo inſignis. Sed hic ſuperiori parte vallem occupat, quam Lirus amnis ex ſummis Alpibus Rhæticis ortus, efficit; item partem inferiorem vallis, quam Meira fluvius ſecat. ſuperior quidpe pars *Prægalia* vocitata, extra dictum comitatum cenſetur. Omnia hæc loca in Italico Alpium ſunt latere. Itinera per ea deſcribuntur in itinerariis Romanis ad hunc modum:

Tabulæ;		Antonini;		Antonini;	
Brigantio		*Brigantia*		*Brigantia*	
Clunia	XVII.				
Magia	XVIII.				
Iuria	XVI.	*Curia*	L.	*Curia*	L.
Lapidaria	XXXII.			*Tinnetione*	XX
Cunu aureu	XVII.			*Muro*	XV.
Tarveſſedo	X.	*Tarveſede*	LX.	*Summo laco*	XX.
Clavenna	XX.	*Clavenna*	XV.		
		Ad lacum Comacenum	X.		
Como	....	*Per lacum Comum usque*	LX.	*Como*	XV.

Ex his locis CLAVENNA *opidum*, ad Meiræ Lirique confluenteis, hodiéque vulgò Germanis dicitur *Clâven*, Italis *Chiavenna*. Exſtat heic in divi Petri, ſi benè memini, templo inſcriptio antiqua Romana. Meminit prætereà huius opidi etiam Paullus Diaconus Langobardicar. rer. lib. VI cap. XXI, his verbis: *Miſit quoque exercitum adversùs Anſprandum in inſulam Comacinam. quo comperto, Anſprandus fugit Clavennam: deinde per Curiam, Rhætorum civitatem, venit ad Theudebertum, Baioariorum ducem*.


A Clavennâ duobus itineribus ibatur ad Curiam verſùs; quæ hodiéque nomen retinet: altero, per vallem Liri amnis & Spelugam opidum, ad Rheni ripam ſitum; altero per vallem Meiræ, ſive Prægaliam: in quo itinere erant *Murus* & *Tinnetio*: quorum hic etiamnum vulgò vocatur Italicè *Tenezone*, Germanicè *Tintzen*.

MVRVS, VII millia paſſuum ſupra Clavennam, & XVI circiter à Tinnetione, vulgò nunc incolis dicitur *Promontoin*; quaſi *Promontorium*. eſtque caſtellum dirutum, quod nuper dicebatur *Caſtel Mûr*. unde etiam nunc nobiliſſima Prægaliæ familia cognomentum habet. Murus ibi antiqui operis à lævâ Meiræ ripâ ad montis usque objacentis radicem perductus longitudine CIϽ paſſuum, latitudine duûm, altitudine trium. in cuius medio turris de caſtello reliqua eſt Romani operis, rotunda. Paullo ſupra turrim, verſùs montem, porta in eo ſatis magna tranſitum viatoribus præbet. unde locus hodiè vulgò incolis dicitur *La Porta*, univerſam Prægaliam in duas diſtingvens parteis; quarum incolæ hinc *Infernates*, illinc *Supernates* vocantur.


SVMMVS LACVS VI millia paſſuum à Clavennâ, vulgò hodiè, vocabulo mirum in modum detorto, vocatur *Sammôlico*, penultimâ correptâ. Vicus antehac celeberrimus, ruinâ imminentis jugi ita periit, uti vix veſtigia eius exſtent. Nomen quondam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

quondam traxit à lacu, cui adpoſitus. is quidpe reſpectu inferioris lacus, qui Larius olim, nunc verò Comenſis eſt, vocabatur *Summus*. vulgò hodiè dicitur *Lago di Chiavenna*; & item *Lago di Mezuola*, à vico juxtà ſito. Apud Antoninum hoc itinere inter *Murum* & *Summum lacum* numerus xx millium mendoſus eſt; quum xv millia ægrè hoc intervallo colligere queas. In altero itinere, ubi x millia inter *Clavennam* & *lacum Comacenum* notata ſunt, ſpatium id ad Comenſem usque lacum, quà Addua ei miſcetur amnis, intelligendum eſt; non verò ad Summum lacum; ut quidam interpretantur.

In altero hoc itinere, quod per Liri fluminis vallem agitur, TARVESEDVM eſſe eum vicum, qui vulgò nunc incolis dicitur *Madéſe*, in Rhætis ſequenti capite oſtendam.

CAPVT XVI.

De RHAETIA & RHAETIS.

RHAETORVM ingens fuit natio, à Rheni fontibus ad ortus usque Dravi amnis utrique Alpium lateri latè adfixa. Plinius lib. III cap. XX: *Rhætorum Vennones Sarunetesque ortus Rheni amnis adcolunt*. Et cap. XVIIII: *Feltrini & Tridentini, & Beruenſes, Rhætica opida: Rhætorum & Euganeorum Verona*. Feltrinorum opidum hodiéque dicitur vulgò *Feltre*, in finibus Tarviſanæ marchiæ. Strabo lib. IIII, in deſcriptione Alpium populorumque Inalpinorum: Ὑπέρκεινται τοῦ Κώμου Ῥαιτοί· *Supra Comum Rhæti ſiti ſunt*. Sed hoc loco Lepontios atque Euganeos pro Rhæticis nationibus adcepit; ut ſuprà oſtenſum. Paullo pòſt ita ſcribit: Τὰ πρὸς ἕω μέρη τῶν ὀρῶν, καὶ τὰ ἐπιστρέφοντα πρὸς νότον, Ῥαιτοὶ καὶ Οὐινδελικοὶ κατέχουσι, συνάπτοντες Ἐλουηττίοις καὶ Βοΐοις. id eſt: *Eas Alpium parteis, quæ ortum proſpectant, quæque ad meridiem vertuntur, Rhæti ac Vindelici tenent, Helvetiis Boiisque finitimi*. Rhæti quidem unis Helvetiis; Vindelici Helvetiis ſimul & Boiis; qui tunc ad Aenum amnem partem Vindeliciæ incolebant; ut in libro de Norico ac Vindeliciâ docui. Pergit Strabo: Οἱ μὲν οὖν Ῥαιτοὶ μέχρι τῆς Ἰταλίας καθήκουσι, τῆς ὑπὲρ Οὐήρωνος καὶ Κώμου· διατείνουσι δὲ καὶ μέχρι τῶν χωρίων, δι' ὧν ὁ Ῥῆνος φέρεται. Hoc eſt: *Rhæti in Italiam usque protenduntur, ſupra Veronam & Comum. pertingunt etiam ad loca, per quæ Rhenus fertur*. Et lib. VII, de Brigantino lacu, quem Rhenus tranſit, loquens: Προσάπτονται δὲ τῆς λίμνης, ἐπ' ὀλίγον μὲν οἱ Ῥαιτοί, τὸ δὲ πλέον Ἐλουήττιοι καὶ Οὐινδελικοί. Id eſt: *Lacum Rhæti exiguâ ex parte, plurimâ Helvetii ac Vindelici attingunt*. Scilicet Vindelici totum latus dextrum; Helvetii ſiniſtrum: Rhæti eam tantùm particulam, quæ eſt inter Brigantium opidum & Rheni influxum in lacum. De Veronâ adeò verum eſt, uti etiam vinum eius agri *Rhæticum* adpellatum fuerit; ut infrà patebit.

At notandum eſt; quamquàm Vindelici diverſiſſimi fuerint generis populi, ut mox oſtendetur; tamen omne etiam illorum ſolum, poſtquàm terræ inter Danubium Italiamque, Augusti auſpiciis à Romanis debellatæ, in provinciam redactæ fuerunt, ſub unius RHAETIAE nomine eos comprehendiſſe, à Rheno ſeu lacu Brigantino ad Aenum usque amnem, terminum Vindelicos ac Noricos inter. Hinc illud Ptolemæi: Ῥαιτίας καὶ Οὐινδελικίας θέσις. Τῆς μὲν Ῥαιτίας ἡ μὲν δυσμικὴ πλευρὰ ὁρίζεται τῷ τε Ἀδούλᾳ ὄρει, καὶ τῇ μεταξὺ τῶν κεφαλῶν τοῦ τε Ῥήνου καὶ τοῦ Δανουβίου ποταμοῦ [adde γραμμῇ.] ἡ δὲ ἀρκτικὴ, μέρει τοῦ Δανουβίου ποταμοῦ, ἀπὸ τῶν πηγῶν μέχρι τῆς τοῦ Αἴνου ἐκτροπῆς· ἡ δὲ ἀνατολικὴ πλευρὰ, αὐτῷ τῷ Αἴνῳ ποταμῷ· ἡ δὲ ἀπὸ μεσημβρίας, τοῖς ἐντεῦθεν ὑπὲρ τὴν Ἰταλίαν Ἀλπίοις ὄρεσιν. Id eſt: *Rhætiæ latus occidentale terminatur Adulâ monte, & lineâ inter Rheni Danubiique fonteis ductâ: ſeptemtrionale, parte Danubii, quæ eſt à fontibus ad Aeni usque confluentem: orientale latus, ipſo Aeno flumine: meridionale, Alpibus, quæ hinc ſuper Italiam extenduntur*. Et paullo pòſt: Τὸ Νωρικὸν περιορίζεται ἀπὸ δύσεως Αἴνῳ ποταμῷ· id eſt; *Noricum ſinitur ab occaſu Aeno flumine*. Sic & Claudianus, de bello Gotico:

——— Sublimis in Arcton
Prominet Hercyniæ confinis Rhætia ſilvæ;
Quæ ſe Danubii jactat Rhenique parentem;
Vtraque Romuleo protendens flumina regno.

Mox:

Sed latus, Heſperiæ quo Rhætia jungitur oræ,
Præruptis ferit aſtra jugis, panditque tremendam
Vix æſtate viam.

Vterque inter Danubium & ſummos Alpium tranſitus eam expandit. Sic Dio quoque lib. LIIII: Ῥαιτοί, οἰκοῦντες μεταξὺ τοῦ τε Νωρικοῦ καὶ τῆς Γαλατίας, πρὸς ταῖς Ἄλπεσι ταῖς πρὸς τῇ Ἰταλίᾳ ταῖς Τριδεντίναις, τὴν Γαλατίαν, πρόσορον σφίσι, πολλὰ κατέτρεχον. Id eſt: *Rhæti, inter Noricum & Galliam ad Alpeis Italiæ finitimas, quas Tridentinas vocant, incolentes, conterminam Galliam frequenter populabantur.* Nempe Helvetiorum agrum; qui illis erat conterminus apud Rheni in Brigantinum lacum influxum. Tacitus, Annal. lib. I: *Veterani in Rhætiam mittuntur; ſpecie defendendæ provinciæ, ob imminentîs Svevos.* Hi nulli alii, quàm Hermunduri, aut Nariſci Marcomannique, ſiniſtram Danubii ripam colentes: in cuius amnis dextrâ ripâ Romanorum præſidiorum erant caſtra. Idem auctor in libro de Germaniâ: *Et hæc quidem pars Svevorum in ſecretiora Germaniæ porrigitur. propior (ut, quo modo paulo antè Rhenum, ſic nunc Danubium ſequar) Hermundurorum civitas; fida Romanis: eóque ſolis Germanorum non in ripâ commercium, ſed penitus atque in ſplendidiſſimâ Rhætiæ provinciæ coloniâ. paſſim ſine cuſtode tranſeunt.* Nempe Danubium, Rhætiæ provinciæ terminum ab ſeptemtrionibus, ad *Auguſtam Vindelicorum*; quam heic *ſplendidiſſimam Rhætiæ coloniam* adpellat. Idem, Hiſtoriar. lib. III: *Trahuntur in parteis Sido atque Italicus, reges Svevorum; quibus vetus obſequium erga Romanos, & gens fidei commiſſæ patientior: oppoſita in latus auxilia infeſtâ Rhætiâ; cui Porcius Septimius procurator erat, incorruptæ erga Vitellium fidei. Igitur Sextilius Felix, cum alâ Taurinâ & VIII cohortibus ac Noricorum juventute, ad occupandam ripam Aeni fluminis, quod Rhætos Noricosque interfluit, miſſus.* Hiſtoriar. lib. IIII: *Sextilius Felix cum auxiliariis cohortibus per Rhætiam irrupit.* Hiſtoriar. I: *Duæ Mauritaniæ, Rhætia, Noricum, Thracia.* Solinus, cap. XXIIII: *Si Thracia ſit petenda è Galliâ, excipit ager Rheticus, opimus & ferax, Brigantino lacu nobilis. inde Noricus, frigidus, & parciùs fructuoſus.* Plinius lib. IIII cap. XIII: *Græci, & quidam noſtri vicies quinquies centenûm millium paſſuum oram Germaniæ tradiderunt. Agrippa, cum Rhætiâ ac Norico, longitudinem* IↃ C LXXXVI *millium paſſuum, latitudinem* CCLXVIII *millium; Rhætiæ propè unius maiore longitudine, ſanè circa exceſſum eius ſubactæ.* Rhætiæ latitudinem heic Plinium atque Agrippam intellexiſſe eam, quæ eſt inter Danubii fontem & confluentem Aeni, Germaniæ lib. I cap. XI docui. *Rhætiæ* igitur *provinciæ* limites tunc Romanis fuêre, ab occaſu Adula mons; cuius tractus ab fontibus Rheni protenditur ad opidum usque *Sargantium*: hinc ipſe Rhenus & lacus Brigantinus, lineaque inde ducta ad fontem Danubii: ab ſeptemtrione ipſe Danubius, ad Aeni usque confluentem: ab ortu Aenus, ad opidum usque *Schwatz*, in ripâ eius ſub Alpium jugis ſitum: à meridie ipſe Alpes, ad Rheni usque fonteis. Hinc factum eſt, uti Ptolemæus Tridentum Cenomanis, Belunum verò Venetis tribuerit, utraque Rhætica opida; Tridentum etiam caput omnium Rhætorum. At poſteà tamen Antoninus in itinerario non tantùm Tridentum, ſed & Veronam in Rhætiæ provinciâ ponit, & lacum Comenſem; primum heic Italiæ opidum ſtatuens Comum. Hinc etiam illud, quòd Am. Marcellinus lib. XV ait, *Conſtantium imperatorem, Mediolano egreſſum, in Rhetias camposque veniſſe Caninos*: quos apud Ticinum amnem opidumque Bilitionem eſſe, ſuprà in Lepontiis oſtendi. Sed ego heic non eam Rhætiam, quæ provincia fuit ſub hoc nomine Romanorum, verùm quatenus ipſe nativæ incoluêre Rhætorum gentes, explicabo; ſi antè oſtendero, diverſi fuiſſe generis Rhætos à Vindelicis: item hos ad Danubium pertinuiſſe; illos verò minùs.

Inter Rhætos igitur atque Vindelicos diſertè diſcernunt complures auctores. Sex. Aurel. Victor, in Auguſto: *Iſte Cantabros & Aquitanos, Rhætos, Vindelicos, Dalmatas, numero provinciarum populi Romani conjunxit.* Eutropius lib. VII, de eodem: *Romano adjecit imperio Aegyptum, Cantabriam, Dalmatiam, Pannoniam, Aquitaniam, Illyricum, Rhætiam, Vindelicos, & Salaſſos in Alpibus.* Svetonius etiam in Auguſto, cap. XXI: *Domuit autem, partim ductu, partim auſpiciis ſuis, Cantabriam, Aquitaniam, Pannoniam, Dalmatiam, cum Illyrico omni; item Rhætiam, & Vindelicos, ac Salaſſos, genteis Inalpinas.* Et in Tiberio, cap. VIIII: *Exhinc Rhæticum Vindelicumque bellum geſſit.* & mox: *Rhætico atque Vindelico genteis Alpinas ſubegit.* Velleius Paterculus lib. II: *At Tiberius Cæſar*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Rhætiam & Vindelicos ac Noricos Pannoniamque, novas imperio noſtro ſubjunxit provin-
cias. Et poſteà; ubi milites Tiberium ita adclamant: *Ego tecum, imperator, in Ar-*
meniâ, ego in Rhætiâ fui: ego in Pannoniâ, ego à te in Vindeliciâ, ego in Germaniâ donatus
ſum. Tacitus Annal. lib. II: *Arminius manu, voce, vulnere, ſuſtentabat pugnam. in-*
cubueratque ſagittariis, illà rupturus, ni Rhætorum Vindelicorumque & Galliæ cohortes ſi-
gna objeciſſent. Plinius lib. III cap. XX: *Iuxta Carnos, quondam Tauriſci adpellati, nunc*
Norici. his contermini Rhæti & Vindelici. Strabo ſuprà dicto lib. IIII, in deſcriptio-
ne Alpium: Ἑξῆς δὲ τὰ πρὸς ἕω μέρη ὀρῶν, καὶ τὰ ἐπιστρέφοντα πρὸς νότον, Ῥαιτοὶ καὶ Οὐϊνδελικοὶ
κατέχουσιν. Id eſt: *Hinc montium parteis, quæ ortum ſpectant, quæque ad meridiem ver-*
tunt, Rhæti tenent ac Vindelici. Horatius, carmin. lib. IIII odâ IIII:

Vidêre Rhæti bella ſub Alpibus
Druſum gerentem, & Vindelici.

Falſum heic eſſe, quod M. Velſerus in Vindeliciâ ſuâ docet, expungendam eſſe particulam disjunctivam *&*, ſatis apertè ipſe teſtatur Horatius eodem libro poſteà, odâ XIIII; ubi diſertè inter Rhætos & Vindelicos diſtingvit, his verbis de Auguſto canens:

Quem legis expertes Latinæ
Vindelici didicêre nuper,
Quid Marte poſſes.

Et mox:

Maior Neronum mox grave prœlium
Commiſit; immaneisque Rhætos
Auſpiciis pepulit ſecundis.

RHAETI igitur diverſiſſimi fuêre generis à *Vindelicis*. Hos partem fuiſſe *Illyriorum*,
inter Danubium & Italiam Hadriaticumque mare ad Mœſiam usque incolentium,
in volumine de Vindeliciâ ac Norico docui. De *Rhætis* ita Epitomator Stephani:
Ῥαιτοὶ, Τυῤῥηνικὸν ἔθνος. *Rhæti, gens Tuſca*. Plinius dicto lib. III cap. XX: *Rhætos*
Tuſcorum prolem arbitrantur; à Gallis pulſos, duce Rhæto. Iuſtinus lib. XX: *Galli quum*
in Italiam veniſſent, ſedibus Tuſcos expulerunt; & Mediolanum, Comum, Brixiam, Vero-
nam, Bergamum, Tridentum, Vicentiam, condiderunt. Tuſci quoque, duce Rheto, avitis ſe-
dibus amiſſis, Alpeis occupavêre; & ex nomine ducis genteis Rhetorum condiderunt. Livius
lib V; ubi de eisdem Tuſcis ei ſermo eſt: *Alpinis quoque ea gentibus haud dubiè origo*
eſt; maximè Rhætis: quos loca ipſa efferarunt, ne quid ex antiquo, præter ſonum lingvæ, nec
eum incorruptum, retinerent. Narrat hinc de transitu Gallorum è Galliâ in Italiam;
qui *Priſco Tarquinio Romæ regnante*, id eſt circa annum ante natum Ieſum IↃC, factus.
Rhæti, igitur, qui ex argumento lingvæ haud dubiè fuerunt Tuſcæ originis, *Tau-*
riſcos tunc, id eſt, magnam *Alpinorum Illyriorum* partem, inter Dravi Rhenique fon-
teis incolentem, ſedibus pulſos, in inferiora Illyrici abire coëgerunt; ut in prædicto
libro de Norico latiùs docui: Euganeorumque populis, qui & ipſi à Venetis ex
Transpadanis campis in proximas inter Comenſem lacum Atheſimque flumen Al-
peis ejecti fuerant, tam arctè, ceu priſcis vicinis, ſeſe conjunxerunt, ut communi
operâ atque opibus, quod ſuprà è Plinio patuit, urbem Veronam condiderint: imò
ita ſe illis permiſcuerunt, ut difficile poſtmodùm auctoribus fuerit, certum aliquod
inter eos discrimen ſtatuere; ut ſuperiori capite in Euganeorum deſcriptione intel-
lectum eſt.

Limites igitur ſtatuo Rhætis propriè dictis; ab occaſu ſuprà memoratum Adulam
montem & Rhenum amnem, ad lacum usque Brigantinum: quo termino ab Hel-
vetiis diſcernebantur. ab ſeptemtrionibus, quà Vindelicis jungebantur, Brigantium
amnem, apud opidum eiusdem nominis in dictum lacum delabentem; & à fonte
eius montium juga, quæ Aeni lævam ripam proſequuntur ad ſuprà dictum usque
opidum *Schwatz*. ab oriente inter eos ac Noricos termini fuêre, primò jugum mon-
tium ab dicto opido ad fontem Aichæ fluvii protenſum; inde ipſe Aicha ad con-
fluentem usque in Aiſacum amnem; mox Aiſacus ipſe ad fontem usque. inde mon-
tium jugo, quod lævam proſequitur Plavis amnis ripam, ab Carnis ac Venetis ſub-
movebantur, ad regionem usque Beluni opidi; inde ipſo Plavi, ad regionem usque
Aſuli opidi. hinc eos lineâ, per Baſſanum & Bregantiam ad Delgæ fontem ductâ,
mox ipſo Delgâ ad Atheſim usque, ab eisdem Venetis distermino. inde rurſus ab

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

occaſu Atheſi ab Euganeis arcebantur, ad opidum usque Salurnum, ſupra Tridentum ſitum. Hinc à meridie ab eisdem populis ſeparabantur, primùm montium jugo, quod juxta ſiniſtram Noſii ripam protenditur ad ſummos usque Alpium vertices; mox ipſis Alpium ſummis jugis, ad ortus usque Rheni: quo tractu etiam Lepontios habuêre finitimos. Tam vaſtum igitur incoluerunt Rhæti terrarum ſpatium. cuius longitudo inter Rheni ac Plavis amnium fonteis millia colligit circiter CC: latitudo inter Suatium opidum & Veronam ad CXX. Haud equidem ignoro, Veronenſium fuiſſe vicum Hoſtiliam, Pado amni infra Mincii confluentem adpoſitum. verùm hi agri Veronenſium civitati attributi ſunt, poſtquàm colonia Romanorum Veronam deducta; ut infrà oſtendetur. anteà fuêre Cenomanorum Gallorum, in confinio Venetorum.

Nomen gentis quod attinet; antiquiores id auctores omnes ſcripſerunt per diphthongum in primâ ſyllabâ Ῥαιτοὶ, RHAETI: poſterioris autem ſæculi ſcriptores per vocalem η, Ῥῆτοι, RHETI; ut apud Iulianum in oratione de rebus geſtis Conſtantii imperatoris, apud Iuſtinum præſcripto loco, & apud Marcellinum paſſim in hiſtoriis aliosque eius ævi auctores legere eſt. Alii verò Græcam adſpirationem in literâ R averſantes, ſcripſêre RAETI, & RETI. Cæterùm eadem gens apud Dionyſium Περιηγητὴν vocatur Γέῤῥαι, GERRAE, in his verſibus:

Ῥήνῳ δ' ἑξείης ἐπιτέλλεται ἱερὸς Ἴστρος.
Τῷ μὲν πρὸς Βορέην πανυστάτια φῦλα νέμονται,
Γερμανοὶ, Σαμάται τε, Γέται θ' ἅμα, Βαστέρναι τε·
Πρὸς δὲ νότον Γέῤῥαι, καὶ Νωρίκι' ἄστε' ἐρυμνᾶ,
Παννόνιοι, Μυσοί τε. Id eſt:

Poſt Rhenum exoritur immenſus Iſter.
Hunc ad ſeptemtrionem porrectæ gentes adcolunt
Germani, Sarmatæque, Getæque ſimul, Baſtarnæque:
Ad auſtrum verò Gerræ, & Noricia opida munita;
Pannonii, Myſique.

Rhætos eum intelligere per *Gerrarum* vocabulum, inde perſpicitur, quòd Germanis, lævam Danubii ripam colentibus, eos opponit in dextrâ amnis ripâ, ſtatim à fonte ad Noricos usque. At unde ei id vocabuli natum, haud equidem diſpicio; quando nullibi aliàs reperitur. Mendum librariorum eſſe dixerim; ni antiquus eius ſcholiaſtes Euſtathius jam tum pro genuino auctoris agnoviſſet: ut & Feſtus Avienus atque Priſcianus; qui geographica Dionyſii Latino carmine reddiderunt. ex quibus Avienus ita canit:

Hæ gentes Iſtrum, quà ſe plaga dura Bootis
Porrigit, incumbunt. Medii de parte diei
Gerræ habitant. Gerras attingunt opida latè
Norica. & immodicæ rurſum loca pingvia glebæ
Pannonia exercet.

Priſcianus verò ita:

Tot dirimit genteis Aquilonis partibus Iſter.
Huius ad auſtraleis terras Gerræque feroces,
Noriciique colunt bellaces, Pannoniique.

Verùm Rhætos dictos umquàm fuiſſe *Gerras*, minimè credibile eſt. & cur Dionyſius obſcuriore ac nemini aliàs memorato vocabulo in gente tam nobili atque clarâ uſus foret, haud video; utique, quum vox Ῥαιτοὶ metro æquè conveniret. Sic igitur ſtatuo; antiquum id eſſe mendum in exemplaribus eius.

De cætero, complureis fuiſſe *Rhætorum* nationes ſive populos, teſtatur diſertè Iuſtinus, dicto lib. XX. *Tuſci*, inquit, duce *Rheto, avitis ſedibus amiſſis, Alpeis occupavêre; & ex nomine ducis genteis Rhetorum condiderunt.* Cui conſentiens Plinius dicto lib. III cap. XX, *Iuxta Carnos*, inquit, *quondam Tauriſci adpellati, nunc Norici: his contermini Rhæti & Vindelici; omnes in multas civitates diviſi.* At in enarrandis harum gentium civitatibus, ſive nationibus, tam immodicè inter ſe diſcrepant auctores, uti componere eos conciliareque haud facilè poſſis; quemadmodùm ſuprà dictum. Strabo lib. IIII, in deſcriptione Alpium: Ἰταμώτατοι δὲ τῶν μὲν Οὐινδελικῶν ἐξητάζοντο Λικάττιοι καὶ Κλαυτηνάτιοι καὶ Οὐέννωνες, τῶν δὲ Ῥαιτῶν Ῥουκάντιοι καὶ Κωτουάντιοι. Hoc eſt: *Ferociſſimi Vindeli-*

Vindelicorum habiti ſunt Licatii, Clautinatii, ac Vennones: Rhætorum Rucantii & Cotuantii. Ptolemæus, in deſcriptione Rhætiæ: Κατέχουσι δὲ τῆς Ῥαιτίας, τὰ μὲν ἀρκτικώτερα, Βριξάνται, τὰ δὲ νοτιώτερα Σουανῖται καὶ Ῥιγοῦσκαι, τὰ δὲ μεταξὺ Καλουκῶνες καὶ Οὐέννωνες. Id eſt: *Rhætiæ ſeptemtrionalia colunt Brixantæ; auſtralia Suanitæ & Riguſcæ: media Calucones & Vennones*. Plinius dicto lib. III cap. XX: *Rhætorum Vennones Sarunetesque ortus Rheni amnis adcolunt; Lepontiorum qui Viberi vocantur, fontem Rhodani, eodem Alpium tractu*. Et mox ex trophæo Auguſti: *Ruguſci, Suanetes, Calucones, Brixentes, Lepontii, Viberi*. Ex his *Ruguſcos, Suanetes, ac Vennones*, Euganeorum genti adſeruimus. RVCANTII atque COTVANTII quo tractu incoluerint, planè incertum habeo. SARVNETES apud fontem ulterioris Rheni fuerint, quà nunc nobiliſſimum conſpicitur cœnobium cum vico celebri, vulgò *Diſſeratis* & *Diſentis* dictum, primâ ſyllabâ elevatâ. CALVCONES, ut ſuperiori capite memoratum, fortè in valle Engadinâ ſunt collocandi. At BRIXENTES ſive BRIXENTAE omnibus creduntur ii fuiſſe populi, qui apud Aiſacum amnem opidum incoluêre, cui vulgare etiam nunc vocabulum *Brixen*; antiquitate, ut mox videbimus, ſatis conſpicuâ.

Caput univerſæ gentis fuiſſe videtur Τελδεντον, TRIDENTVM, Atheſi amni adpoſitum, opidum hac regione celeberrimum; ut à quo populus ſeu natio integra Straboni dicta TRIDENTINI; item à quo Alpes Rhæticæ cognominatæ ſunt *Tridentinæ*; ut ſuprà ex Dione intelleximus. Strabonis verba dicto lib. IIII hæc ſunt: Ὑπέρκειται δὲ τοῦ Κώμου, τῇ μὲν Ῥαιτοὶ καὶ Οὐέννωνες, ἐπὶ τὴν ἕω κεκλιμένοι. τῇ δὲ Ληπόντιοι καὶ Τελδεντῖνοι καὶ Στόνοι. Id eſt: *Supra Comum hinc Rhæti ac Vennones, ad orientem verſi, incolunt; illinc Lepontii & Tridentini ac Stoni*. Plinius lib. III cap. XVIIII: *Feltrini & Tridentini ac Beruenſes, Rhætica opida*. Vocabulum opidi in pleriſque Ptolemæi exemplaribus eſt Τελδεντε, TRIDENTE. at in uno Vaticanorum habetur Τελδεντον, *Tridentum*; ut & apud Marcellinum lib. XVI. unde etiam apud Phlegontem Trallianum in libro de Mirandis & longævis, item in incerti auctoris Collectaneis hiſtoriarum, obliquus caſus eſt πόλεως Τελδέντου, id eſt, *opidi Tridenti*; & in Antonini itinerario ter *Tridento*: unde hodiéque incolis Italis vulgò dicitur *Trento*. In Tabulâ tamen itinerariâ etiam eſt, ut in pleriſque Ptolemæi exemplaribus, *Tridente*. unde adparet, eo ſæculo dictum fuiſſe ita quibuſdam ad eundem modum, ut *Tergeſte, Ateſte, Præneſte, Reate, Arelate, Condate*.

Proxima hinc ſplendore fuit VERONA: cuius vocabulum, ut reliqua Italiæ, Latino more Ptolemæo quoque refertur Οὐηρῶνα. apud Strabonem verò lib. IIII legitur Οὐήρων, libro autem V Βήρων· id eſt, ſi Latinè formes, VERO, *Veronis*: ut & Latinorum *Dertona, Cremona, Ancona*, eidem auctori dicuntur Δερτὼν, Κρεμὼν, Ἀγκών. Apud Procopium variè legitur in Gothicis: lib. II & IIII Βερόνη· libro autem III ἐπὶ Βερῶνα· quum lib. IIII ſit ἀμφὶ Βερόναν. Credo ipſum ſcripſiſſe auctorem recto caſu Βερῶνα, & obliquo Βερῶναν. Quanquàm in primâ ſyllabâ ſcribendum erat η, ut eſt apud Strabonem ac Ptolemæum. quidpe longam fuiſſe eam ſyllabam, patet ex poëtis. Ovidius Amor. lib. III eleg XIIII:

Mantua Virgilio gaudet, Verona Catullo.

Martialis lib. X epigr. CIII:

Nec ſua plus debet tenui Verona Catullo.

Et lib. XIIII epigr. CXCV:

Tantum magna ſuo debet Verona Catullo,
Quantum parva ſuo Mantua Virgilio.

Et ipſius Catulli auctoritatem mox videbimus. *Opidani* inde ſunt Tacito Hiſtoriar. lib. III, Catullo in carm. CI, Plinio lib. XIIII cap. I & VI, item inſcriptionibus antiquis VERONENSES. Vrbem Atheſis amnis ferè mediam nunc ſecat; olim verò alluebat tantum. Silius lib. VIII: *Tum Verona Atheſi circumflua*. Incerti auctoris panegyricus, Conſtantino Aug. dictus: *Quis tam demens videbatur, ut aut obſideri auderet, aut congredi? præſertim, quum tu, dies aliquot Mediolani reſiſtens, tempus ſibi omnibus conſulendi dediſſes, ut de te ſperarent. Sed enim ærumnoſa illa & jam pridem memoriâ ætate noſtrâ civili ſangvine maculata Verona maximo hoſtium exercitu tenebatur, acerrimis ducibus pertinaciſſimoque præfecto: ſcilicet, ut, quam coloniam Cn. Pompeius aliquando deduxerat, Pompeianus everteret. O miſerabilem Veronenſium calamitatem! quos non tam tua, quàm inteſtina ſatellitum preſſit obſidio. quidpe Atheſis ille, ſaxis aſper & gurgi-*

gurgitibus vorticoſus & impetu ferox, oppugnationem prohibebat: omnemque retro regionem evehendis copiis tutam defenſamque præſtabat. Servius in Virgilii Aeneid. lib. VIII: *Atheſis Venetiæ fluvius eſt, Veronam civitatem ambiens.* Super origine variare videntur auctores ſententiis. Pompeii Trogi epitomator Iuſtinus dicto lib. XX: *Gallis cauſa in Italiam veniendi ſedeisque novas quærendi inteſtina discordia & adſiduæ domi diſſenſiones fuêre. quarum tædio quum in Italiam veniſſent, ſedibus Tuſcos expulerunt; & Mediolanum, Comum, Brixiam, Veronam, Bergamum, Tridentum, Vicentiam, condiderunt.* Tridentum non Gallorum, ſed Rhætorum fuiſſe opidum, ſatis ſuprà patuit. Vicentiam, longè ultra Atheſim ſitam, Venetorum fuiſſe, pòſt oſtendetur. At verò Veronam Livius quoque Gallis tribuit lib. V; ubi de tranſitu eorum in Italiam narrat. *Alia ſubinde*, inquit, *manus Cenomanorum, Elitovio duce veſtigia priorum ſequuta, eodem ſaltu favente Belloveſo quum transſcendiſſent Alpeis, ubi nunc Brixia ac Verona urbes ſunt, locos tenuêre.* Sic locum hunc, miſerè in vulgatis hactenus exemplaribus corruptum, eſſe legendum, pòſt ſuo loco docebo. Veronam igitur diſertè Livius juxtà cum Trogo Gallis attribuit. Hinc etiam haud dubiè Catullus, Veronenſis poëta, carm. LXVIII *Brixiam* vocat *matrem Veronæ*: quia Galli à Brixiâ profecti eam condiderant. Verba eius hæc ſunt:

Atqui non ſolùm hunc ſe dicit cognitum habere
Brixia, Chinéæ ſuppoſita ſpeculæ;
Flavus quam molli percurrit flumine Mela:
Brixia Veronæ mater amata meæ.

At è diverſo Plinius, dicto lib. III cap. XVIIII, *Feltrini*, inquit, *& Tridentini, & Berunenſes, Rhætica opida; Rhætorum & Euganeorum Verona; Iulienſes Carnorum.* Euganeos ante bellum Troianum inter Hadriaticum mare & Atheſim Alpeisque incoluiſſe, ſuperiori capite dictum eſt. conterminos tunc in adverſâ amnis ripâ habuiſſe Tuſcorum populos, in horum deſcriptione infrà lib. II cap. I oſtendetur. Quum igitur Euganeorum agros occupârint Veneti, Tuſcorum verò Galli; certè in lævâ Atheſis ripâ Galli nihil habuêre: ſed ea loca circa Veronam urbem Euganei ac Tuſci, hi ab Gallis, illi ab Venetis pulſi, tenuêre, ut teſtatur Plinius. Hinc etiam vina Veronenſis agri *Rhætica* dicta ſunt. Idem Plinius lib. XIIII cap. I: *Ante Tiberium Cæſarem Rhæticis prior menſa erat uvis, Veronenſium agro.* Et cap. VI: *In Veronenſi Rhætica vina, Falernis tantùm poſthabita à Virgilio.* Svetonius in Auguſto Cæſare, cap. LXXVII: *Vini quoque naturâ parciſſimus erat. & maximè delectatus eſt Rhætico.* Virgilii locus, quem Plinius innuit, eſt huiusmodi Γεωργικῶν lib. II:

Sunt Thaſiæ vites, ſunt & Mareotides albæ:
Pinguibus hæ terris habiles, levioribus illæ.
Et paſſo Pſythia utilior, tenuisque Lageos;
Tentatura pedes olim, vincturaque lingvam:
Purpureæ, Preciæque; & quo te carmine dicam
Rhætica? ne cellis ideò contende Falernis.

Verùm, quia nonnihil Gallici agri inter Atheſim & Padum Veronenſium civitati adjectum, in quo etiam *Hoſtilia* eorum *vicus* memoratur Tacito Hiſtoriar. lib. III; credo quosdam exiſtimaſſe, Veronam quoque urbem jam inde ab initio ab Gallis fuiſſe conditam. Ptolemæus equidem diſertè Cenomanorum finibus eam adſcribit. at quia is Tridentum quoque, &, quod longè abſurdiſſimum, Butrium opidum, prope mare Hadriaticum & Ravennam ſitum, eidem genti tribuit; auctoritas heic illi nulla eſſe debebat; niſi apud Plinium etiam lib. VIIII cap. XXII exſtarent iſta: *Lacus eſt Italiæ Benacus, in Veronenſi agro, Mincium amnem tranſmittens.* niſi item Catullus prædicto loco diſertè *Brixiam Veronæ matrem* adpellaſſet. Proinde ita ego judico; à Rhætis Euganeisque urbem eam primò fuiſſe conditam; poſtmodùm verò ab Gallis Cenomanis, Brixiâ profectis, occupatam, & coloniâ auctam. quod vicinæ quoque urbi Mantuæ adcidiſſe, infrà cap. XXVI videbimus. Cæterùm, ut Martialis ſuprà ſcripto lib. XIIII epigr. CXCV, ſic etiam Strabo lib. V *magnam* eam ſuâ ætate refert *urbem*, his verbis: ἴσομβροι καὶ νῦν εἰσί· Μεδιολάνιον δ' ἔσχον μητρόπολιν, πάλαι μὲν κώμην, νῦν δ' ἀξιόλογον πόλιν. πλησίον δὲ καὶ Βήρων, καὶ αὕτη πόλις μεγάλη. ἐλάττους δὲ τούτων Βριξία καὶ Μάντουα καὶ Βέργομον καὶ Κῶμον. Id eſt: *Inſubres etiamnunc exſtant. quorum caput Mediolanium; vicus olim, nunc verò urbs præclara. Propè eſt Verona; & ipſa urbs magna.*

magna. His verò minores ſunt, Brixia, Mantua, Bergomum, & Comum. Splendorem eius & opulentiam etiam Tacitus deprædicat dicto Hiſtoriar. lib. III; ubi etiam *colonia* vocatur. *Verona,* inquit, *potior viſa; patentibus circùm campis ad pugnam equeſtrem, qua prævalebant: ſimul, coloniam copiis validam auferre Vitellio, in rem famamque videbatur.* Deduxerat coloniam Cn. Pompeius Strabo, Magni pater; teſte panegyrico ſuprà citato; teſte item Aſconio Pediano in commentariis ad orationem Ciceronis contra L. Piſonem. *Magnoperè,* inquit, *me hæſitare confiteor, quid ſit, quare Cicero Placentiam municipium eſſe dicat. video enim in annalibus eorum, qui Punicum bellum ſecundum ſcripſerunt, tradi, Placentiam coloniam deductam prid. Calend. Iun. primo anno eius belli, P. Corn. Scipione, patre Africani, Ti. Sempronio Longo* Coss. *Neque illud dici poteſt; ſic eam coloniam eſſe deductam, quemadmodùm poſt plureis ætates Cn. Pompeius Strabo, pater Cn. Pompeii Magni, Tranſpadanas colonias deduxerat. Pompeius enim non novis colonis eas conſtituit: ſed, veteribus incolis manentibus, jus dedit Latii; ut poßent habere jus, quod cæteræ Latinæ coloniæ; id eſt, ut petendi magiſtratus gratiâ civitatem Romanam adipiſcerentur.* Non omnibus hiſce Tranſpadanis coloniis, manentibus veteribus incolis, jus tantùm Latii additum fuiſſe, teſtatur Strabo, dicto proximè loco hæc de Como continuè adnectens: Αὕτη δ' ἦν μὲν κατοικία μετρία· Πομπήϊος δὲ Στράβων, ὁ Μάγνου πατὴρ, κακωθεῖσαν ὑπὸ τῶν ὑπερκειμένων Ῥαιτῶν συνῴκισεν. Id eſt: *Hoc quidem opidum erat mediocre. at Pompeius Strabo, Magni pater, adflictum à ſuprà colentibus Rhætis inſtauravit colonis.* Idem Veronæ quoque factum, haud ita obſcurè innuunt verba ſuprà ſcripti panegyrici. *Municipium* etiam aliquando factum, teſtatur lapis antiquus, qui heic repertus: & item Catullus Veronenſis, qui carm. XVII Mantuam ſic alloquitur:

Munus hoc mihi maximi da, colonia, riſus:
Quemdam municipem meum de tuo volo ponte
Ire præcipitem in lutum per caputque pedesque.

Sanè magnum fuiſſe huius loci ſplendorem, magnam dignitatem, patet vel ex eo, quòd nullibi aliàs in totâ Italiâ Gallicâ ſive Circumpadanâ tot reperiantur antiquitatum monumenta, quot heic, tam in ipſâ urbe, quàm in agro eius paſſim; maximè verò Coloniolæ, Calderii, Græcani; & in Policellâ valle ad Atheſim. quibus locis licèt hiſce inſcriptionum monumentis antiquæ originis gloria adſeri poſſit; nomina tamen vetuſta indicari nequeunt. *Calderio* tamen celebritatem dediſſe jam inde antiquis temporibus AQVAS CALIDAS, certum eſt. Antiqua inſcriptio huius loci memorat IVNONIS FONTES. hoc igitur calidarum aquarum cognomen fuit. quæ haud dubiè etiam dictæ fuêre AQVÆ IVNONIS.

Proximam hinc celebritatem dignitatemque in Rhætico agro obtinuiſſe videtur FELTRIA, in confiniis Carnorum ſimul Venetorumque poſita; celebre etiamnunc & epiſcopali ſede clarum opidum, vulgò *Feltre* dictum. Memoratur inſcriptioni antiquæ, quæ heic exſtat, & Antonino in itinerario: *opidani* verò eius FELTRINI Plinio, Caſſiodoro, & Paullo Diacono. Apud Plinium equidem lib. III cap. XVIIII ita ſcriptum eſt: *Fertini & Tridentini & Beruenſes, Rhætica opida.* at quia hodiéque opidum vocatur *Feltre,* & apud Antoninum diſertiſſimis literis eſt *Feltria;* atque in inſcriptione antiquâ FELTRIAE; in aliâ verò ODRO FELTR; apud Caſſiodorum item Variar. lib. V in ſuperſcriptione epiſtolæ VIIII, *Poſſeßoribus Feltrinis;* & apud Diaconum Langobardicar. lib. III cap. XXVI, *Fonteius Feltrinus:* dubium jam nemini eſſe poteſt, quin præſcripta vox apud Plinium ſit mendoſa. *Municipium* aliquando, aut *Præfecturam* ſaltem fuiſſe Romanorum, conjicere datur ex præſcriptis verbis ORDO FELTR. Sed integra inſcriptio ſic habet:

IMP · CAES
C · MESSIO
QVINTO · TRA
IANO · DECIO
PIO · FOELICI · AVG
PONTIFICI · MAX
TRIB · POT · III · COS · II
PP · PR · COS
ORDO FELTR

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Imperator hèic Decius fuit circa annum à nato Ieſu Chriſto CCL. Altera inſcriptio ita habet:

C · FIRMIO · C · F
MENEN · RVFINO
EQ · PVB · LAVREN · LAV
DEC · FLAMIN · PATRONO
COLLEGIORVM · FABR
CENT · DENDR · FELTRIAE
ITEM · QVE · BERVENS
COLLEG
FABR · ALTINATIVM
PATRONO

Infra Feltriam, quà Tarviſium itur, ad dextram Plavis fluvii ripam vicus eſt, vulgò nunc *Quer* dictus. id ego vocabulum ab inſigni aliquâ *quercu* olim loco quæſitum puto; vocatumque opidum AD QVERCVM: quemadmodùm complura loca, cùm in eâdem hâc Italiâ, tum alibi, dicta fuerunt *Ad Pirum*: item locus in Carnorum Hiſtrorumque confinio *Ad Malum*. Inde opidani Plinio eodem cap. XVIIII libri III denominati fuerant QVERQVANI. quod vocabulum nunc in vulgatis eius legitur exemplaribus *Quarqueni*; inuſitatâ planè Romanis formatione. *Feltrini*, inquit, *& Tridentini, & Beruenſes, Rhætica opida: Rhætorum & Euganeorum Verona; Iulienſes Carnorum. dein, quos ſcrupuloſè dicere non attineat, Alutraenſes, Aſſeriates, Flamonienſes, Vannienſes, Forojulienſes, Foretani, Venidates, Quarqueni, Tauriſani, Togienſes, Varuani*. In his non tantùm *Fertini* & *Quarqueni* emendandi erant in *Feltrinos* & *Querquanos*; ſed etiam *Tauriſani* & *Venidates* genuinis vocabulis erant *Tarviſani* & *Vedinates*, ut infrà in Venetis atqne Carnis docebitur. Cæterùm antiquæ etiam inſcriptiones, apud dictum vicum *Quer* repertæ, vetuſtatem loci teſtantur. At BERVENEES iſti, antiquo lapidi ac Plinio loco proximè ſcripto memorati, à quo opido ſic dicti ſint, quærendum nobis reliquerunt ii, qui maximè indicaſſe ſe putarunt. Ioannes Pierius Valerianus, Belunenſis, in antiquitatibus patriæ ſuæ, unum idemque vult eſſe opidum *Belunum* & *Verunum* ſive *Virunum*. Cui ſententiæ duo documenta patrocinari cenſet. Primum eſſe vult in Stephani ac Svidæ verbis: quorum ille ita tradit: Βέρουνος, ὡς Λούγδουνος, Ἰταλικὴ πόλις μεταξὺ τῶν Νωρικῶν. τὸ ἐθνικὸν Βερουνήσιος, ὡς Λουγδουνήσιος. Id eſt: *Verunus, ut Lugdunus; Italicum opidum inter Noricos. gentilitium inde Verunenſis, ut Lugdunenſis*. Svida ſic ſcribit: Βηρούνιον, ὄνομα πόλεως. Νωρικοὶ γὰρ ἔθνος, ἔνθα σῦς χρῆμα θεόπεμπτον τὴν χώραν ἐλυμαίνετο. καὶ αὐτῷ πάντες ἐπιχειροῦντες, οὐδὲν ἤνυον, μέχρις εἷς ἀνὴρ τὸν σῦν περιτρέψας, ἐπὶ τοὺς ὤμους ἀνέθετο, οἷον ἦν καὶ περὶ Καλυδῶνος μυθεύεται. οἱ δὲ Νωρικοὶ ἐπεβόησαν, Εἷς ἀνήρ, τῇ ἰδίᾳ φωνῇ, τουτέστι Βὴρ οὖνος· ὅθεν ἡ πόλις Βηρούνιον ἐκλήθη. Hoc eſt: *Virunium, nomen opidi. Norici ſunt populi, apud quos vaſtæ molis aper, divinitus immiſſus, agrum vaſtabat. Hunc quamvìs omnes adgrederentur; nihil tamen proficiebant; donec vir quidam aprum proſtratum in humeros impoſuit; cuiusmodi quædam fabula de Calydone quoque narratur: Norici verò adclamarunt ſuâ linguâ, Vir unus. unde ipſum opidum Virunium adpellatum fuit*. Lepida ſanè ac feſtiva delirantis grammatici fabula; nec indigna, quæ cum illâ de Calydonio apro conferatur. An verò Norici Latinè loquuti ſunt? Vocalem η ſui ævi more pronunciavit ut ι: quum eem ſuperiorum temporum homines protulerint ut Latinorum *e* longum. unde etiam apud Stephanum eſt per *e* breve Βέρουνος, *Verunus*. At vocalis *i* in Latinâ voce brevis eſt. cuius rei Svida ignarus fuiſſe videtur. Prædictus tamen Pierius Valerianus ad fabulam hanc Svidæ confirmandam documentum alterum producit ex lapide Belunenſis opidi antiquo; ubi quidam *C. Fl. Hoſtilius Sertorianus*, cuius nomen illic inſcriptum, equo inſidens, aprum venabulo trajicit. At huiusmodi figura aliis etiam in locis lapidibus antiquis inſculpta conſpicitur paſſim; quæ tamen loca ſive opida non adpellantur *Viruna*. Nec veri eſt ſimile, ſi equo inſidens iſte Hoſtilius aprum proſtravit, peditem voluiſſe opido inferre; vel equitem humeris ſuis potiùs, quàm equi dorſo imponere. nec celebrior in lapide magisque conſpicua debebat eſſe ovatio proſternentis ex equo aprum, quàm humeris proſtratum opido inferentis. Verùm ex hoc argumento adparet, peditem intellexiſſe

Svidam,

Svidam, non equitem: quemadmodùm illos omneis pedites facit Μεταμορφ. lib. VIII Ovidius, qui cum Meleagro Calidonium aprum impetierunt. ad cuius fabulæ exemplum hæc, ut innumeræ paſſim aliæ, conficta eſt vaniſſimis nugatoribus, grammaticis eius ævi, fabula putidiſſima. Pierius tamen nihilo minùs pro hac ſummis, quantum potis eſt, viribus depugnat; etiam contra antiquiores auctores, Ptolemæum atque Antoninum: quos ille ordinem regionum itinerumque per inſcitiam confudiſſe contendit. nam Ptolemæus diſertè Οὐίρουνον, *Virunum* opidum in extimis ferè verſùs orientem ponit Norici finibus, circa *Celeiam* opidum, quod hodiéque nomen retinet *Cillei*: Antoninus verò, unà cum Tabulâ, iter habet huiusmodi:

Tabula;		Antoninus;		Tabula;	
Ovilia		*Ovilabis*			
Vettoniana	XI.				
Tutaſtione	XI.	*Tutatione*	XX.		
Ernolatia	XII.				
Gabromagi	VIII.	*Gabrumago*	XX.		
Stiriate	XV.				
Tarturſanis	XV.				
Viſcellis	IX.				
Ad pontem	...				
Noreia	XIIII.	*Montana*	XXX.		
Matucaio	XIII.	*Candalicas*	XVIII.		
Varuno	XIIII.	*Viruno*	XX.	*Varuno*	
Iuenna	XXIII.				
Colatione	XX.			*Saloca*	XI.
		Santico	XXX.		
Vpellis	XVI.			*Taſinemeti*	VIIII.
Celeia	XIII.				
Ragandone	XVIIII.				
Petavione	XVIII.				
		Larice	XXVII.		
		Viam Beloio	XXIIII.	*Ad Silanos*	....
		Aquileia	XXX.	*Aquileia*	XXXV.

Ex his locis quum *Ovilia*, ſive *Ovilaba*; & *Iuenna*, *Santicum*, *Celeia*, *Petavio*; item altero itinere *Saloca* & *Aquileia* iiſdem nominibus etiam nunc exſtent; niſi, quòd detortis, *VVels*, *Iaunſtein*, *Saneck*, *Cillei*, *Pettaw*, *Selch*, *Aquileia*: facile erat diſpectu, quonam fuerit ſitu *Virunum*: nempe, ubi nunc opidum conſpicitur, cui vulgare vocabulum *Folkmark*, apud Draum amnem; ut in libro de Vindeliciâ & Norico pluribus docui. His adde & Plinium. cuius verba lib. III cap. XXIIII hæc ſunt: *Opida Noricorum, Virunum, Celeia, Teurnia, Aguntum, Viana, Aemonia, Claudia, Flavium, Solvenſe*. Malè igitur de Ptolemæi Antoninique fide ſuper ſitu *Viruni* opidi iudicavit Pierius. quem vel unum hoc, ſi cætera defuiſſent, ab hac opinione prohibuiſſe aut revocaſſe debebat, quòd non tantùm Plinio, Ptolemæo atque Antonino, ſed & ipſis Stephano ac Svidæ opidum id perhibetur *Noricorum*. quorum regionem *Noricum* non intra Italiæ fineis circa *Belunum* fuiſſe; ſed extra Alpeis ad Danubium uſque, inter Aenum amnem montemque Cetium, qui eos à Pannoniis ſeparabat; quis tandem veteris geographiæ vel modicè peritus ignorare poteſt. Verùm enimverò diſpicere mihi videor, quidnam impoſuerit viro cætera doctiſſimo. nempe, quòd Stephanus tradit, τὴν Βέρουνον eſſe πόλιν Ἰταλικὴν μεταξὺ τῶν Νωρικῶν· id eſt, *opidum Italicum, inter Noricos*. In quibus verbis ingentem puto latere ipſius Stephani errorem. Scilicet, quum duo diverſa eſſent opida; alterum *Virunum*, ſive *Verunum*; ultra Alpeis in Norico; alterum Βελοῦνον, BELVNVM, Rhætorum in Italiâ, Plinio ac Ptolemæo memoratum; quod hodiè vulgò incolis ſupra Feltriam vocatur *Belluno*: ille, ut aliàs etiam haud ſemel erravit, unum idemque id eſſe arbitratus eſt. Nec dubitaverim, quin *Belunum* quoque nonnunquàm dixerint Βεροῦνον, BERVNVM; unde

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

unde *opidani*, qui à *Beluno* erant BELVNENSES, facti ſunt BERVNENSES; & expeditiori ore BERVENSES; ut Plinius juxtà cum præſcripto lapide antiquo habet. In hoc ſaltem mihi cum ſagaciſſimo Pierio conveniat: præſertim, quum Belunum tam propè ſit Feltriam, cuius idem lapis, eo loci ſitus, meminit: nec ullum usquàm opidum reperiatur apud auctores, vel hoc noſtro ſæculo, nomine *Berua*; nedum tam clarum, cuius mentio in uno eodemque lapide ſimul cum Feltriâ & Altino collocari condignè potuiſſet. Sed fortè quis objecerit, quòd Plinius juxtà ac Ptolemæus *Belunum* Venetorum faciant opidum; *Beruenſes* verò idem Plinius *Rhætici opidi* incolas. nam Plinii verba dicto lib. III cap. XVIIII hæc ſunt: *Venetorum agro colonia Ateſte, & opida Acelum, Patavium, Opitergium, Belunum, Vicentia.* Ptolemæi verò iſta: Τῆς δὲ Οὐενετίας μεσόγειοι πόλεις, Οὐïκεντία, Βελοῦνον, Ἄκελον, Ὀπιτέργιον, Ἀτεστὲ, Παταύïον, Ἄλτινον. Id eſt: *Venetiæ mediterranea opida ſunt, Vicentia, Belunum, Acelum, Opitergium, Ateste, Patavium, Altinum.* Ptolemæi auctoritatem heic jam minùs duco valere; quando frequentiſſimi eius in Italiâ æquè ac in aliis Orbis partibus deprehenduntur errores. At Plinio argumentum oppono ex ſuâ ipſius auctoritate ſumptum. nempe, ſi *Feltria*, cuius ille incolas recenſet *Feltrinos Rhætos*, extra Venetorum fineis in Rhætiâ fuit poſitum; multo magis in eâdem regione poni debebat *Belunum*: quidpe quod ultra Feltriam eſt ſitum. Huic jam argumento addo inſuper & Antonini auctoritatem; qui in itinerario ſub *Rhætiæ* titulo opida refert iſta:

Burgio	
Ad Cepaſias	XXVIII.
Feltria	XXVIII.
Auſugo	XXX.
Tridento	XXIIII.

Ex his BVRGIVM vulgò vocatur *Burgo*, vicus Plavi impoſitus, haud procul opido, cui vulgaris adpellatio *Pieve di Cadore*.

Locus verò AD CEPASIAS, ſeu, quod fortè minùs mendoſum, AD CEPLASIAS, medio itinere inter Burgium & Feltriam, is eſt, qui Germanis dicitur vulgò *Plasburg*, in eâdem Plavis ripâ.

Quum igitur hæc loca, tam longè ultra Belunum ſita, Rhætiæ tribuerit Antoninus; certè multo magis eidem regioni adſcribi debuit ipſum *Belunum*. Plinio verò haud novum eadem loca bis commemorare. ſic eodem lib. III anteà, cap. XI recenſentur ei opida Apuliæ, *Baſta, Baleſium, Vria, Larinum, Venuſia, Arpi*: quorum poſteà opidani referuntur circa finem capitis, *Baſterbini, Valentini, Hyrini, Larinates, Venuſini, Arpani*: ut ſuo loco certis documentis latiùs demonſtrabitur. Sed de *Beluno*, ſive *Beruno*, ſatis ſuperque dictum mihi erat, niſi locum de eo apud Paullum Diaconum Langobardicar. rer. lib. III cap. XXVI corrigere operæ pretium duxiſſem. Is igitur talis eſt: *Nomina verò epiſcoporum, qui ſe ab hoc ſchiſmate cohibuerunt, hæc ſunt: Petrus de Altino, Ingenuinus de Sabione, Agnellus Tridentinus, Iunior Veronenſis, Horuntius Vincentinus, Ruſticus de Tarviſio, Fonteius Feltrinus, Agnellus de Acilio, Laurentius de Lunenſis.* Omnino emendandum eſſe *Laurentius Belunenſis*, reliquarum civitatum vicinia docet. ſed & in aliis exemplaribus eſt *Velunenſis*.

AVSVGVM ſive ALSVGA *caſtellum.*

Porrò locus iſte in itinerario Antonini AVSVGVM, Paullo Diacono Langobardicar. rer. lib. III cap. XXXI dicitur ALSVGA; uſitatiſſimâ jam ab antiquis inde temporibus variatione, qua *l* poſt *a* mutatur in *u*; ut hodiè Gallofranci ac Neapolitani faciunt in vocibus *altro, alto, ſalto*, & ſimilibus; quæ illi efferunt, *autro, auto, ſauto*; hi verò *autre, haut, ſaut*. Sic & *Alſa* flumen propè Aquileiam nonnullis auctoribus dicitur *Auſa*. ſic, quod nomen viri erat *Merobaldes*, alii fecerunt *Merobaudes*; ut eſt apud Ammianum Marcellinum; & *Melobaudes* ac *Malobaudes*; ut apud eumdem legitur. quod Tacito ac Velleio Paterculo dicitur *Maroboduus*. Sed Paulli Diaconi verba dicto loco hæc ſunt: *Nomina autem caſtrorum, quæ diruerunt Franci in territorio Tridentino, iſta ſunt: Teſana, Maletum, Semiana, Appianum, Fagitana, Cimbra, Vitianum, Brentonicum, Volenes, Ennemaſe, & duo in Alſucâ, & unum in Veronâ. Hæc omnia caſtra quum diruta eſſent à Francis; cives univerſi ab eis ducti ſunt captivi. Pro Verruge verò caſtro, intercedentibus epiſcopis, Ingenuino de Savione & Agnello de Tridentino, data eſt redemptio, pro capite uniuscuiusque viri ſolidi ſexcenti.* Haud poſtremi

fuiſſe

fuiſſe nominis opidum *Alſugam*, ex eo adparet, quòd duo in eo fuerunt caſtra, ſive arces. Eſt hodiè opidum, medio fermè itinere inter Tridentum & Baſſanum, vulgari vocabulo *Aſiaga*: quod ex ſitu ac nominis ſimilitudine, item ex intervallo XXX millium paſſuum, quæ Antoninus habet inter Feltriam & Auſugum, colligo eſſe ipſam *Alſugam*. hinc verò Tridentum quum millia ſint circiter XVIII; apud eumdem Antoninum ſcriptum fuiſſe cenſeo XVIIII.

Ex reliquis illis caſtris *Maletum* & *Brentonicum* in Euganeorum ſolo capite ſuperiori indicavi. ibidemque docui, pro *Ennemaſe* rectiùs legi *Malſeſene*: quod & ipſum in Euganeorum eſt agro. De CIMBRA nihil planè liquet.

CIMBRA, TESANA, VIVIANVM, APPIANVM, SEMIANA, FAGITANA, VOLENVM, VERRVCA, *caſtella*.

TESANA vulgò hodiè vocatur *Teſſina*, inter Feltriam & Tridentum. Medium his intercedit VIVIANVM, in edito colle apud Brentæ ripam ſitum. ex cuius nomine colligo, vitioſum eſſe apud Diaconum vocabulum *Vitianum*; pro quo alia exemplaria habent longè corruptius *Brixianum*; niſi quod figura literæ *x* propiùs accedat ad *v*, quam *t*. APPIANVM ſupra Tridentum vulgò nunc adpellatur *Albiano*. SEMIANA vulgò nunc, inter Alſugam & Feltriam, apud Ciſmonem amnem, dicitur *Meân*. Inter hoc & Feltriam eſt vicus vulgari vocabulo *Faiân*. is fortè fuerit FAGITANA. Hinc verò VOLENES is haud dubiè vicus eſt, qui vulgò nunc apud Atheſim, ſuprà Veronam, prope Cluſam, dicitur *Volagne* & *Volargne*. Poſtremi illius loci, qui vocatur in vulgatis Pauli exemplaribus *In Ferruge*, neſcio an non corruptum ſit vocabulum à vero genuinoque VERRVCA. nam hoc nomine caſtellum hac regione refertur apud Caſſiodorum Variar. lib. III epiſt. XLVIII; cuius inſcriptio talis eſt: *Vniverſis Gothis & Romanis, circa Verrucam caſtellum conſiſtentibus Theodericus rex*. ſequuntur autem poſteà in ipſâ epiſtolâ verba hæc: *Ideo Leodefiido, Saioni noſtro, præſenti delegavimus juſſione, ut eius inſtantiâ in Verrucâ caſtello vobis domicilia conſtruatis. quod à poſitione ſui congruum nomen accepit. eſt enim in mediis campis tumulus ſaxeus, in rotunditate conſurgens; qui, proceris lateribus ſilvis evaſus, totus mons quaſi una turris efficitur: cuius ima graciliora ſunt, quàm cacumina; &, molliſſimi fungi modo, ſuperiùs extenditur, quum inferiori parte tenuetur. agger ſub pugnâ; obſeſſio ſecura. ubi nec adverſarius quidquam præſumat; nec incluſus aliquis expaveſcat. Hunc Atheſis, inter fluvios honorus, amœni gurgitis puritate præterfluit; cauſam præſtans munimis & decoris. caſtrum planè in Mundo ſingulare; tenens clauſtra provinciæ. quod ideò probatur magis eſſe præcipuum, quia feris gentibus conſtat objectum*. Video nonnullos hodiè interpretari hanc Verrucam id caſtellum, quod in Atheſis ripâ prope ſuprà dictum *Volanium* vulgò nunc dicitur *La Chiuſa*; alios verò id, quod inter Cluſam & Tridentum vulgò dicitur *Roverédo* & *Roverê*. Verùm horum neutrum *mediis in campis* ſitum eſt. At ſupra Roboretum eſt caſtellum apud Atheſim in *ſaxeo tumulo*, quem *campi* undique cingunt, vulgari adpellatione, ab argumento ſitus ſumptâ, *Caſtello della Pietra*, ſive, vt incolæ loquuntur, *Caſtel della Preda*; id eſt, *Caſtellum Petræ*. quod hodiéque principum Auſtriacorum præſidio, ut in finibus ferè ditionis poſitum, anxiè cuſtoditur. Hoc igitur antiquum illud haud dubiè eſt *Verruca caſtellum*. De vocabulo ita eſt apud Nonium Marcellum lib. II & apud Agellium lib. III cap. VII, ex libris Originum M. Catonis: *Cenſeo, inquit, ſi rem ſervare vis, faciendum, ut quadringentos aliquos milites ad verrucam illam (ſic enim M. Cato locum editum aſperumque adpellat) ire jubeas; eamque uti occupent, imperes*. Idem caſtellum an intellexerit Livius in hiſtoriâ belli Cimbrici, ad Atheſim amnem, haud temerè dixerim. Verba breviatoris eius lib. LXVIII hæc ſunt: *Cimbri, repulſo ab Alpibus fugatoque Q. Catulo proconſule, qui fauceis Alpium obſederat, & ad flumen Atheſim caſtellum editum inſederat, reliqueratque; ubi, virtute ſuâ explicitâ, fugientem proconſulem exercitumque proſequnti, in Italiam trajeciſſent; junctis eiusdem Catuli & C. Marii exercitibus, prælio victi ſunt ab eis*.

BALZANVM *opidum*.

Porrò apud eumdem Paulum Diaconum lib. V cap. XXXVI hæc leguntur: *Hic quum dux eſſet in Tridentinâ civitate, cum comite Baioariorum, qui Bauzanum & reliqua caſtella regebat, conflixit*. Hoc quoque BAVZANVM *caſtellum* variante dialecto dicebatur BALZANVM, ut ſuprà dictum opidum *Auſugum*, *Alſugum*. inde quidpe hodiernum manet vocabulum in celebris mercatus opido, ad Atheſis Aiſacique fluminum confluenteis ſito, quod vulgò dicitur Italis *Bolzano*, Germanis *Botzen*.

SALVRNVM *caſtellum*.

Inter Bolzanum atque *Tridentum* eſt SALVRNVM *opidum*, vulgò *Salurno*. huius quoque origo haud nupera eſt. Diaconus lib. III cap. VIIII: *His diebus advenien-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

tibus Francis, Anagnis caſtrum, quod ſuper Tridentum in confinio Italiæ poſitum eſt, ſe eisdem tradidit. quam ob cauſam comes Langobardorum de Lagare, Raligo nomine, Anagnis veniens deprædatus eſt. qui quum de prædâ reverteretur; in campo Rotaliano ab obvio ſibi duce Francorum Chramnichis cum pluribus è ſuis peremptus. qui Chramnichis non multum poſt tempus Tridentum veniens devaſtavit. quem ſubſequens Evin, Tridentinus dux, in loco, qui Salurnis dicitur, ſuis cum ſociis interfecit.

De cætero iter per hæc loca deſcribitur in itinerariis Romanis huiuſmodi:

Tabulæ;	
Auguſta Vindelicûm	
Ad novas	....
Avodiaco	....
Coveliacas	....
Tarteno	XX.
Scarbia	XI.
Vetonina	XVIII.
Matreio	XVIII.
Vepiteno	XX.
Sublabione	XXXV.
Ponte Druſi	XIII.
Tridente	XL.
Sarnis	XX.
Vennum	XXIIII.
Verona	XVIII.

Antonini;	
Auguſta Vindelicum	
Abuzaco	XXXVI.
Parthano	XXX.
Veldidana	XXX.
Vipiteno	XXXVI.
Sublavione	XXXII.
Endide	XXIIII.
Tridento	XXIIII.
Ad Palatium	XXIIII.
Verona	XXXVI.

In hoc itinere initium Rhætiæ in Antonini exemplaribus vulgatis fit ab *Sublabione*. at in alio mox itinere, quod eſt ab Aquileiâ Veldidenam, hoc opidum etiam cum proximo Vipiteno Rhætiæ titulo adſcribitur. *Abudiacum* igitur, *Coveliacæ*, *Partanum*, & *Scarbia*, Vindeliciæ fuêre loca, hodiè *Füſſen*, *Kochel*, *Partenkirch*, & *Mittenwald*, dicta.

VELDIDENA *opidum.*

VELDIDANA, quæ quinquies in eodem Antonini itinerario perſcribitur VELDIDENA, haud dubiè in Tabulâ erat VELDIDINA. Ex nomine & itineris ductu ſine omni controverſiâ deprehenditur eſſe opidulum nunc cum cœnobio prope urbem Aeni pontem vulgari vocabulo *VVilten*, ad Aeni Vtiique amnium confluenteis. Fuiſſe quondam alicuius nominis celebritatisque locum, vel ex eo patet, quòd varia itinera eò terminavit Antoninus.

VIPITENVM *opidum.*

VIPITENVM ex itineris ductu ac juſto ferè milliarium numero convenit opidulo nunc *Sterzingen*, apud Vtium amnem poſito. ubi etiam vetus inſcriptio nuper humo eruta.

MATREIVM *opidum.*

Medio ferè inter dicta opida itinere opidulum conſpicitur in eâdem Vtii amnis valle, vulgari vocabulo *Matray*. quod vetus illud eſt Tabulæ MATREIVM.

Locus *Sublabione*, ſive *Sublavione* ex itineris ductu atque intervallo deprehenditur fuiſſe circa opidum *Brixen*, in citeriori Alpium latere ad flumen Aiſacum ſitum, epiſcopatus titulo conſpicuum. Paullo Diacono Langobardicar. rer. lib. III cap. XXVI epiſcopale his in oris memoratur opidum SABIO; cuius vocabulum poſteà cap. XXXI eſt SAVIO. Verba eius cap. XXVI ſunt iſta: *Nomina verò epiſcoporum, qui ſe ab ſchiſmate Severi, patriarchæ Aquileienſis, cohibuerunt, hæc ſunt: Petrus de Altino, Ingenuinus de Sabione, Agnellus Tridentinus, Iunior Veronenſis, Horuntius Vincentinus, Ruſticus de Tarviſio, Fonteius Feltrinus, Agnellus de Acilio, Laurentius Belunenſis.* Alterum illum locum ex cap. XXXI ſuprà ad opidum Alſugam recitavi: ubi eiusdem epiſcopi *Ingenuini de Savione* fit mentio. In Martyrologio Romano ita ſcriptum eſt: *Brixinone SS. epiſcoporum Ingenuini & Albini*. Eſt hodiè opidulum X circiter millia paſſuum à Brixenâ diſſitum, vulgari vocabulo *Säben*. unde epiſcopalem ſedem translatam eſſe Brixenam, annales horum locorum teſtantur. Is igitur locus extra controverſiam eſt antiquum illud opidum *Sabio* ſive *Savio*. Præſcripti itineris ductus quum juxta dextram Aiſaci amnis ripam ad hoc opidum adpropinquaret;

locus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

locus is apud amnem à ſitu dictus eſt SVB SABIONE; ſive SVB SAVIONE: ut in iisdem itinerariis eiusdem Italiæ loca memorantur, *Sub Coſâ, Sub Lanuvio, Sub Romulâ, Sub Lupatiâ*. Illud verò poſtmodùm per ignorantiam ſupinamque incuriam exſcriptoris contractum eſt, ut & omnia reliqua, quæ modò dixi, in *Subſabione*, ſive *Subſavione*. ex hoc porrò factum *Sublabione*, & *Sublavione*. An verò is locus *Sub Sabione* idem ſit, qui poſteà in Martyrologio dictus BRIXINO, vulgò nunc *Brixen*; equidem haud facilè divinaverim. Antiquum tamen opidum nomenque eſſe *Brixinonis*, inde colligere datur, quòd jam inde Plinii Ptolemæique tempeſtatibus incolæ huius tractus adpellati fuêre BRIXENTES; ut ſuprà dictum.

BRIXINO *opidum.*

PONS DRVSI in ſuprà ſcripto itinere, intervallo XIII millium paſſuum convenit in caſtellum lævæ Aiſaci ripæ adpoſitum, vulgari nunc adpellatione *Caſtel Drud*; quaſi *Caſtellum Druſi*.

PONS DRVSI *locus.*

Locus ille ENDIDAE (ſic enim recto caſu legitur in quibusdam exemplaribus antiquis) ſi in medio fuit itinere inter Sabionem & Tridentum; ſitus eius quadrabit in caſtellum *Rendelſtein*, ſupra Bolzanum Aiſaco adpoſitum. Verùm vicus eſt infra Bolzanum vulgari vocabulo *Egna* ſive *Enia* dictus, à quo millia ſunt Tridentum usque circiter XXIIII: is ex nominis ſimilitudine & millium numero fortè fuerit antiquum opidum *Endidæ*.

ENDIDAE *locus.*

Iam verò loca inter Tridentum & Veronam, SARNI, PALATIVM, VENNVM, queis ſitibus ad Atheſim amnem fuerint, minùs liquet. ac dubium eſt, an non *Vennum* corruptum ſit vocabulum à genuino VOLENVM, quod *Volenes* ſcribitur apud Paullum Diaconum; ut ſuprà memoratum.

VOLENVM *locus.*

Cæterùm alterum Antonini iter, cuius paullo antè memini, eſt tale:

Aquilcia	
Ad Triceſimum	XXX.
Iulio Carnico	XXX.
Loncio	XVI.
Agunto	XVII
Littamo	XXIIII.
Sebato	XXIII.
Vipiteno	XXXIII.
Veldidena	XXXVI.

Tria priora loca Carnorum fuiſſe, ſatis conſtat. Nomina hodiè retinent; vulgò *Aquilea, Triceſimo, Zuglio,* dicta. Ex nominis ſimilitudine & itineris ductu *Loncium* deprehenditur eſſe opidum *Lientz* ad Dravi Iſulæque confluenteis. *Aguntum* eodem Alpium tractu eſſe id opidum, quod, ad Dravum haud ita procul à fonte eius ſitum, vulgò dicitur *Innichen*, mox è Paullo Diacono & Fortunato perſpiciemus. Noricorum id fuiſſe, teſtatur Plinius lib. III cap. XXIIII. Eorumdem igitur & *Loncium* judicandum eſt; ut, quod interiùs ſitum. LITTAMVM hinc interpretor opidum *Lutach*. Ac fortè vox ea vitiata eſt à vero vocabulo LITACVM, vel LITIACVM. SEBATVM quo loco fuerit, minimè diſpicio. Sed quum ex dictis duobus auctoribus manifeſtum ſit, Aguntum eſſe *Innichen*; nec dubitare liceat, *Loncium* eſſe *Lientium*; transpoſita eſſe ea vocabula certum eſt. Paulli Diaconi Langobardicar. rer. lib. II cap. XIII verba hæc ſunt: *Fortunatus in tantum beatum Martinum veneratus eſt, ut, relictâ patriâ, paullo antè, quàm Langobardi Italiam invaderent, Turonos ad eiusdem beati viri ſepulcrum properaret. qui ſibi, ut in ſuis ipſe carminibus refert, illuc properandi per fluenta Tiliamenti & Reuniam, per Oſopum & Alpem Iuliam perque Aguntum caſtrum Dravumque & Byrrum fluvios ac Briones & Auguſtam civitatem, quam Virdo & Lech fluentant, iter fuiſſe deſcribit*. Locus is apud Fortunatum in lib. IIII de vitâ beati Martini, compluribus mendis ſcatens, ita ex iſto Paulli loco purgandus eſt:

LITACVM & SEBATVM *opida.*

Pergis ad Auguſtam, quam Virdo Lycusque fluentant.
Si vacat ire viam; neque te Boioarius obſtat;
Quà vicina ſedent Breonum loca, perge, per Alpem
Ingrediens, rapido quà gurgite volvitur Oenus.
Inde Valentini benedicti templa require,
Norica rura petens; ubi Byrrus vertitur undis.

Per Dravum itur iter, quà ſe caſtella ſupinant.
Heic montana ſedens in colle ſuperbit Aguntus.
Hinc pete raptè vias, ubi Iulia tenditur Alpis,
Altiùs adſurgens, & mons ad nubila pergit.
Inde Foro Iulii de nomine principis exi.
Per rupeis, Oſope, tuas quà labitur undis
Et ſuperinſtat aquis Reunia Tiliamenti.

BYRRVS fluvius.

Ex his locis amnibusque *Licus* & *Virdo* apud Auguſtam Vindelicorum vocantur *VVertach* & *Lech*: *Oenus*, nobiliſſimus fluvius, *In* dicitur: BYRRVS, *Aicha*, in Aiſacum defluens; ad cuius confluentem vicus etiamnunc adpellatur *Pyrhack*. hinc *Aguntus*, Dravo adpoſita, nulla alia poteſt eſſe in hoc itinere urbs, quàm quæ vulgò nunc dicitur *Innichen*. nam inde quæ recto ordine ſequuntur, *Alpis Iulia*, *Oſopum*, *Reunia*, vulgaribus vocabulis nunc ſunt *Zuglio*, *Oſopo*, *Ragonia*. Cæterùm ipſe Aiſacus apud Strabonem lib. IIII, in deſcriptione Alpium, eſt Ἄταγις, ATAGIS; ut infrà cap. XVIII in Venetis oſtendetur.

ATAGIS amnis.

Atque hæc ferè ſunt loca, quæ auctoribus in extremis Rhætiæ verſus orientem finibus commemorantur. Reliquum eſt, uti ea etiam indicentur, quæ verſùs occidentem fuêre ſita.

Atheſis ſiniſtræ ripæ, medio fermè itinere inter fontem amnis & opidum Bolzanum, adpoſita eſt arx cum opidulo, vulgari nunc vocabulo *Tiroli* Italis, Germanis *Tirôl* dicta: unde nobiliſſimus totius Germaniæ *comitatus Tirolenſis* cognomentum accepit. is locus antiquâ etiam origine haud poſtremam obtinet claritudinem. quidpe jam inde in libro Notitiæ imperii occidentalis pluralis numeri vocabulo memoratur TERIOLI. Verba illic leguntur iſta: *Præfectus legionis Tertiæ Italicæ, transvectioni ſpecierum deputatæ Teriolis.* Item: *Tribunus Gentis per Retias deputatæ Teriolis.*

Cæterùm iter Antonino per Rhætiam deſcribitur huiusmodi:

Brigantia	
Curia	L.
Tinnetione	XX.
Muro	XV.
Summo laco	XX.
Como	XV.

Ex his *Brigantiam* Vindelicorum fuiſſe ad lacum Brigantinum, vulgò nunc *Bregentz*, in libro de Vindeliciâ docui. Hinc à L circiter millibus paſſuum occurrit opidum CVRIA; Italis vulgò nunc *Coira*, Germanis *Kûr*, ſeu, ut incolæ ferè *κ* in *χ* vertunt, *Chûr* dictum; caput eius, quæ nunc Rhætia vel Griſonum terra adpellatur, Germanicè *di Grawpüntner*; vel ſimpliciter *di Pünten*. Memoratur præterea Tabulæ etiam; ut mox videbimus; & Paullo Diacono Langobard. rer. lib. VI cap. XXI, his verbis: *Miſit quoque exercitum adversùs Ansprandum in inſulam Comacinam. quo comperto, Ansprandus fugit Clavennam. deinde per Curiam, Rhætorum civitatem, venit ad Theudebertum, Baioariorum ducem.*

Sequitur à Curiâ poſt XX circiter millia paſſuum TINNETIO, vicus nunc, vulgò Italis *Tenezone*, Germanis *Tintzen* adpellatus.

At idem iter aliâ viâ ita agebatur:

Tabulæ;		Tabula;		Antonini;	
Arbor felix		*Arbor felix*			
		Brigantio	X.	*Brigantia*	
		Clunia	XVII.		
		Magia	XVIII.		
Curia	XLIII.	*Iuria*	XVI.	*Curia*	L.
		Lapidaria	XXXII.		
		Cunu aureu	XVII.		
		Tarveſſedo	X.	*Tarveſede*	LX.
		Clavenna	XX.	*Clavenna*	XV.
				Ad lacum Comacenum	X.
......	LX.	*Como*	XVIII.	*Per lacum Comum usque*	LX.

Ex

Ex his CLVNIA eſt id opidum, quod, XXII circiter millia à Brigantio disſitum, vulgò dicitur *Feldtkirchen*; celebris Auſtriacæ ditionis locus. In Tabulâ alterum X mutatum eſt in V. *CLVNIA opidum.*

Ab opido *Feldtkirch* ad XVIII millia, ut rectè Tabula habet, occurrit opidum Rhætorum *Meienfeld*; quod ipſo nomine antiquam MAGIAM prodit. Hinc ad XIII millia ſequitur ipſa *Curia*, jam antè dicta. hic igitur etiam numerus in Tabulâ corruptus eſt: ut toto iſto priore itinere; in quo linea ab *Arbore felice*, qui locus ad ſiniſtram Brigantini lacus ripam vulgò dicitur *Arbon*, ad Curiæ nomen ducta, numerum fert millium XLIII; hinc verò alia linea ad lacum Comacenum ſive Comenſem alia millia LX: quum tamen maius ſit intervallum inter Arborem & Curiam, quàm inter hanc & Brigantium; ipſius verò lacus Comenſis millia numerentur ad Comum usque LX. *MAGIA opidum.*

Sed iter à Curiâ ad Clavennam hodiè agitur uſitatiſſimâ viâ juxta ulterioris, ut incolis habetur, Rheni ripam, ad vicum usque *Splügen*. quo intervallo XXXII numerantur millia paſſuum. unde is locus vetus eſſe LAPIDARIA diſpicitur. *LAPIDARIA locus.*

Inde ſummus Rhæticarum Alpium ſive Adulæ montis tranſitus adſcenditur: qui mons vulgò incolis dicitur *der Vrſeler*; & item *der Splügener berg*. Summus eius adſcenſus à dicto vico eſt millium VII. à quo haud ita longè ad veterem pervenitur turrim ſive ſpeculam, apud bivium poſitam; cuius altera via dextrorſum per arduum deſcenſu aſperrimumque montem, nomine *Cardinalem*, in Vallem ducit divi Iacobi; altera ſiniſtrorſum antiquior, per vicum qui vulgò dicitur *Madéſe*, tranſiens, faciliori paullo clivo in eamdem deſcendit vallem apud vicum *Campodolcino*. Hinc jam una eſt viâ Clavennam usque. Vtroque autem itinere à Spelugâ ad Clavennam XX ſunt millia paſſuum. unde liquidò adparet, corruptos eſſe in itinerariis numeros milliarium. neque verò aliud iter à Curiâ Clavennam usque datur; niſi illud per Tinnetionem ac Murum. Ego apud Antoninum inter Curiam & Tarveſedum LV millia poſita fuiſſe judico; & hinc Clavennam X: totidemque in Tabulâ, eodem intervallo. & in hac porrò à Tarveſedo ad Cuneum aureum III tantùm. TARVESEDVM igitur nullus alius eſſe poteſt locus, quàm qui vicus nunc dicitur *Madéſe*. CVNEVS autem AVREVS (modò ſatis feliciter mutilatas voces reſtituere ſanitati conatus ſim) meo judicio ipſe eſt ſummus Splugenſis montis trajectus. *TARVESEDVM opidum.* *CVNEVS AVREVS mons.*

Cæterò Ptolemæus in deſcriptione Rhætiæ, Πρὸς δὲ τὴν κεφαλὴν, inquit, τοῦ Ῥήνου ποταμοῦ Ταξγαίτιον· id eſt: *Ad Rheni amnis caput eſt Taxgætium*. Ex poſitione apud Rheni fontem ſimulque ex nominis ſimilitudine, TAXGAETIVM *opidum* is fuerit vicus, qui, V millia paſſuum ab citerioris Rheni fonte disſitus, vulgò vocatur incolis *Tavêtſch*. *TAXGAETIVM opidum.*

CAPVT XVII.

De VENETORVM *nomine ac genere; item de* VENETIAE *finibus, fecunditate ac fertilitate.*

RHætis igitur, ut ſuprà dictum, contermini fuêre ab ortu hiberni Solis VENETI; pleriſque Græcis quoque ita ſub Romanorum imperio Οὐενετοὶ ſive Βενετοὶ dicti: antiquioribus autem omnibus Ἑνετοὶ, HENETI. Super huius etiam gentis origine variæ exſtant auctorum ſententiæ. Strabo lib. V, de Tranſpadanâ agens Italiâ: Οἰκεῖται δ' ὑπὸ τῶν Κελτῶν καὶ Ἑνετῶν. Οἱ μὲν οὖν Κελτοὶ τοῖς Ὑπεραλπείοις ὁμοεθνεῖς εἰσι· περὶ δὲ τῶν Ἑνετῶν διττός ἐστι λόγος. οἱ μὲν γὰρ καὶ αὐτοὺς φασιν Κελτῶν εἶναι ἀποίκους, τῶν ὁμωνύμων παρωκεανιτῶν· οἱ δ' ἐκ τοῦ Τρωϊκοῦ πολέμου μετ' Ἀντήνορος σωθῆναι δεῦρό φασι τῶν ἐκ τῆς Παφλαγονίας Ἑνετῶν τινάς. Id eſt: *Colunt hanc Galli ac Veneti. Ac Galli quidem Gallorum Tranſalpinorum ſunt conſangvinei. de Henetis duplex fertur ſententia. quidam enim hos quoque faciunt Gallorum progeniem, eodem nomine Oceanum adcolentium:*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

tium: alii è bello Troiano duce Antenore huc evaſiſſe tradunt Henetorum ex Paphlagoniâ quosdam. Nempe quum in Transalpinæ Galliæ extremo angulo apud Oceanum *Venetorum* incoleret gens, quorum opidum *Dartorigum* hodiéque gentis univerſæ nomine vocatur vulgò *Vannes* in Britanniâ minori; quorumque regio Iulio Cæſari in belli Gallici commentario III dicitur *Venetia:* ex nomine quidam conjecerunt jam Strabonis ævo, Italiæ *Venetos* ex Galliâ cum reliquis Gallis Cisalpinis eſſe profectos. Idem Strabo lib. IIII, in deſcriptione Galliæ: Μετὰ δὲ τὰ λεχθέντα ἔθνη τὰ λοιπὰ Βελγῶν ἐστιν ἔθνη, τῶν παρωκεανιτῶν· ὧν Οὐενετοὶ μέν εἰσιν οἱ ναυμαχήσαντες πρὸς Καίσαρα. Τούτους οἶμαι τοὺς Οὐενετοὺς οἰκιστὰς εἶναι τῶν κατὰ τὸν Ἀδρίαν· καὶ γὰρ οἱ ἄλλοι πάντες σχεδόν τι οἱ ἐν τῇ Ἰταλίᾳ Κελτοὶ μετανέστησαν ἐκ τῆς ὑπὲρ τῶν Ἄλπεων γῆς, καθάπερ καὶ οἱ Βοιοὶ καὶ οἱ Σένονες. διὰ δὲ τὴν ὁμωνυμίαν Παφλαγόνας φασὶν αὐτούς. λέγω δ' οὐκ ἰσχυριζόμενος. ἀρκεῖ γὰρ περὶ τῶν τοιούτων τὸ εἰκός. Hoc eſt: *Poſt dictas genteis Belgæ ſunt, Oceanum adcolentes. De his Veneti navali pugnâ cum Cæſare congreſſi ſunt. Hos ego Venetos exiſtimo Venetorum ad Hadriaticum ſinum auctores; quando reliqui etiam ferè Galli, qui Italiam incolunt, ex Transalpinis eò immigraverunt regionibus; ut Boii, & Senones. propter nominis autem ſimilitudinem Paphlagones eos eſſe aiunt. Verùm tamen pro certo id ego non adfirmo: quum in huiusmodi rebus probabili conjecturâ par ſit eſſe contentum.* Hinc ſub initium ſtatim libri v, ubi de Italiæ & Italorum nominis origine atque incremento agit, diſertè inter Gallos Venetosque diſtingvit. Ὀψὲ δέ ποτε, inquit, ἀφ' οὗ μετέδοσαν Ῥωμαῖοι τοῖς Ἰταλιώταις τὴν ἰσοπολιτείαν, ἔδοξε καὶ τοῖς ἐντὸς Ἄλπεων Γαλάταις καὶ Ἐνετοῖς τὴν αὐτὴν ἀπονεῖμαι τιμήν. Id eſt: *Tandem, quum Romani Italos in ſocietatem civitatis recepiſſent, placuit eodem honore dignari Gallos etiam Cisalpinos & Venetos.* Certè auctor hoc ſæculo unus ſolus exſtat Strabo, qui Venetorum in Italiâ originem ex Galliâ deducat. reliqui ſcriptores pariter omnes à Gallorum ſtirpe eos ſeparant. Apud Melam equidem lib. II cap. III, ubi de Hadriatico loquitur ſinu, ita ſcriptum eſt: *Hoc mare, magno receſſu litorum acceptum, & vaſtè quidem in latitudinem patens, quà penetrat tamen, vaſtiùs, Illyricis usque Tergeſtum, cætera Gallicis Italicisque gentibus cingitur.* Et cap. IIII: *Interiora Italiæ aliæ aliæque gentes habitant. ſiniſtrâ parte Carni & Veneti colunt Togatam Galliam. tum Italici populi, Picentes, Frentani, Dauni, Apuli, Calabri, Salentini.* Verùm heic dubium eſt, utrùm Mela Carnorum Venetorumque genus ſatis exploratum habuerit; an verò Gallos eſſe inde conjecerit, quòd provinciam incolebant, quam Romani, circumſcriptis pro libitu ac commodo ſuo limitibus, dixêre *Togatam Galliam.* Livius lib. v; ubi de Gallorum in Italiam primo transitu, qui Tarquinio Priſco Romæ regnante factus eſt, narrat; *Tuſcorum,* inquit, *ante Romanum imperium latè terrâ marique opes patuêre. mari ſupero inferoque quantum potuerint, nomina ſunt argumento; quòd alterum Tuſcum, communi vocabulo gentis, alterum Hadriaticum mare, ab Hadriâ, Tuſcorum coloniâ, vocavêre Italicæ gentes. Ii, in utrumque mare vergentes, incoluêre urbibus duodenis terras, priùs cis Apenninum ad inferum; poſteà trans Apenninum totidem, quot capita originis erant, coloniis miſſis: quæ trans Padum omnia loca, excepto Venetorum angulo, qui ſinum circumcolunt maris, usque ad Alpeis tenuêre.* Iam anteà heic incoluiſſe Venetorum gentem, Tuſcis conterminam, antequàm ulli ex Galliâ transgreſſi in Italiam fuerint Galli, diſertè teſtatur. Lingvam utriusque gentis haud obſcurè item diſtingvit Plinius lib. XXVI cap. VII. *Halus,* inquit, *quam Galli ſic vocant, Veneti cotoneam, medetur lateri.* Sed discrimen eorum omnium luculentiſſimè oſtendit Polybius lib. II; ubi de eodem Gallorum in Italiam primo transitu agit. Τὰ μὲν οὖν πρῶτα, inquit, καὶ περὶ τὰς ἀνατολὰς τοῦ Πάδου κείμενα Λάοι καὶ Λεβέκιοι, μετὰ δὲ τούτους Ἴσομβροι κατῴκησαν, ἑξῆς δὲ τούτοις Κενομανοί· τὰ δὲ πρὸς τὸν Ἀδρίαν ἤδη προσήκοντα γένος ἄλλο πάνυ παλαιὸν διακατέσχε· προσαγορεύονται δὲ Οὐενετοί, τοῖς ἔθεσι καὶ τῷ κόσμῳ βραχὺ διαφέροντες Κελτῶν, γλώττῃ δ' ἀλλοίᾳ χρώμενοι· περὶ ὧν οἱ τραγῳδιογράφοι πολύν τινα πεποίηνται λόγον, καὶ πολλὴν διατέθεινται τερατείαν. Hoc eſt: *Ad Padi igitur ortus ſedeis poſuerunt Lai & Lebecii; poſt hos Inſubres; ac deinceps Cenomani. quod ſupereſt hinc ſpatium ad Hadriaticum mare alia gens, longè antiquiſſima, obtinebat, nomine Veneti; ſermone diverſo à Gallis utentes; cætera moribus & cultu parum differentes. de quibus multam tragici poëtæ mentionem fecerunt, multaque fabulantur.* Originem haud dubiè eorum innuit ex Paphlagoniâ, & migrationem à Troiâ captâ Antenore duce in has oras: quam præter prædictum Strabonem alii etiam memorarunt auctores. Livius ſub initium lib. I: *Iam primùm omnium ſatis conſtat, Troiâ captâ in cæteros ſævitum eſſe Troianos; duobus Aeneâ Antenoreque,*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

noreque, & vetuſti jure hoſpitii & quia pacis reddendæque Helenæ ſemper auctores fuerant, omne jus belli Achivos abſtinuiſſe. caſibus deinde variis Antenorem cum multitudine Henetûm, qui, ſeditione ex Paphlagoniâ pulſi, & ſedeis & ducem, rege Pylæmene ad Troiam amiſſo, quærebant, veniſſe in intimum maris Hadriatici ſinum: Euganeisque, qui inter mare Alpeisque incolebant, pulſis, Henetos Troianosque eas tenuiſſe terras. &, in quem primum egreſſi ſunt locum, Troia vocatur; pagoque inde Troiano nomen eſt: gens univerſa Veneti adpellati. Pompeii Trogi epitomator Iuſtinus lib. XX: *Venetos, quos incolas ſuperi maris videmus, capta & expugnata Troia Antenore duce miſit.* Marcianus Heracleenſis in Περιηγήσει·

Τὸν κόλπον ἱστοροῦσι τὸν Ἀδριατικὸν
Τῶν βαρβάρων πλῆθός τι περιοικεῖν κύκλῳ.
* . * . Ἐνετῶν δ' εἰσὶ πεντήκοντά που
Πόλεις ἐν αὐτῷ κείμεναι πρὸς τῷ μυχῷ·
Οὓς δὴ μετελθεῖν φασιν ἐκ τῶν Παφλαγόνων
Χώρας, κατοικῆσαί τε περὶ τὸν Ἀδρίαν.

Id eſt:

Sinum tradunt Hadriaticum
Barbarorum multitudinem circumcolere.
Mox: *Henetorum autem ſunt ad quinquaginta*
Opida ad ipſum, in intimo eius receſſu ſita:
Hos profectos aiunt ex Paphlagonum
Terrâ, ſedeisque poſuiſſe circa Hadriam.

Ovidius, Faſtor. lib. IIII; ubi colonias externarum gentium enumerat, quæ in Italiam deductæ fuerunt:

Adjice Troianæ ſvaſorem Antenora pacis;
Et generum Oeniden, Apule Daune, tuum.
Serus ab Iliacis, & poſt Antenora, flammis
Attulit Aeneas in loca noſtra deos.

Silius lib. VIII:

Tum Troiana manus, tellure antiquitus orti
Euganeâ, profugique ſacris Antenoris oris.

Venetos & ipſe intelligit, qui cum aliis Italiæ gentibus vires ſuas ad bellum Hannibalicum contulerunt; orti terrâ, quæ antiquitus erat Euganeorum; ut ſuprà cap. XV oſtenſum. Idem poëta lib. XII:

Polydamantéis juvenis Pedianus in armis
Bella agitabat atrox; Troianaque ſemina & ortus
Atque Antenoreâ ſeſe de ſtirpe ferebat:
Haud levior generis fama, ſacroque Timavo
Gloria, & Euganeis dilectum nomen in oris.
Huic pater Eridanus Venetæque ex ordine gentes
Atque Apono gaudens populus, ſeu bella cieret,
Seu Muſas placidus doctæque ſilentia vitæ
Mallet, & Aonio plectro mulcere labores,
Non ullum duxêre parem.

Plinius lib. III cap. XVIII: *Venetos Troianâ ſtirpe ortos, auctor eſt Cato.* Strabo lib. XII, in deſcriptione Ponticarum gentium: Ἔπειτα ἡ Παφλαγονία καὶ οἱ Ἐνετοί. Ζητοῦσι δέ, τίνας λέγει τοὺς Ἐνετοὺς ὁ ποιητής, ὅταν φῇ,

Παφλαγόνων δ' ἡγεῖτο Πυλαιμένεος λάσιον κῆρ
Ἐξ Ἐνετῶν, ὅθεν ἡμιόνων γένος ἀγροτεράων.

οὐ γὰρ δείκνυσθαί φασι νῦν Ἐνετοὺς ἐν τῇ Παφλαγονίᾳ. οἱ δὲ κώμην ἐν τῷ αἰγιαλῷ φασι, δέκα σχοίνους ἀπὸ Ἀμάστρεως διέχουσαν. Ζηνόδοτος δ' ἐξ Ἐνετῆς γράφει· καί φησι δηλοῦσθαι τὴν νῦν Ἀμισόν. ἄλλοι δὲ φῦλόν τι τοῖς Καππάδοξιν ὅμορον στρατεῦσαι μετὰ Κιμμερίων· εἶτ' ἐκπεσεῖν εἰς τὸν Ἀδρίαν. τὸ δὲ μάλισθ' ὁμολογούμενόν ἐστιν, ὅτι ἀξιολογώτατον ἦν τῶν Παφλαγόνων φῦλον οἱ Ἐνετοί, ἐξ οὗ ὁ Πυλαιμένης ἦν. καὶ δὴ καὶ συνεστράτευσαν αὐτῷ οὗτοι πλεῖστοι. ἀποβαλόντες δὲ τὸν ἡγεμόνα, διέβησαν εἰς τὴν Θρᾴκην μετὰ τὴν Τροίας ἅλωσιν. πλανώμενοι δ' εἰς τὴν νῦν Ἐνετικὴν ἀφίκοντο. τινὲς δὲ καὶ Ἀντήνορα καὶ τοὺς παῖδας αὐτοῦ κοινωνῆσαι τοῦ στόλου φησί, καὶ ἱδρυθῆναι κατὰ τὸν μυχὸν τοῦ Ἀδρίου, καθάπερ ἐμνήσθημεν ἐν τοῖς Ἰταλικοῖς. τοὺς μὲν οὖν Ἐνετοὺς διὰ τοῦτ' ἐκλιπεῖν εἰκός, καὶ μὴ δείκνυσθαι ἐν

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

τῇ Παφλαγονίᾳ. Hoc eſt: *Sequitur inde Paphlagonia, & Heneti. Quæritur autem, quosnam Henetos intelligat poëta, ubi ait,*

Paphlagonas autem ducebat Pylæmenis denſum cor
Ex Henetis; ubi mularum generatio agreſtium.

Neque enim hodiè in Paphlagoniâ Henetos inveniri aiunt. Alii dicunt vicum eſſe in litore, decem ſchœnis ab Amaſtri diſſitum. Zenodotus autem legit, Ex Henetâ. aitque urbem notari, quæ nunc dicitur Amiſus. alii gentem quamdam ferunt, Cappadocibus conterminam, expeditione cum Cimmeriis factâ, tandem in Hadriaticum ſinum delatam fuiſſe. Id maximè in confeſſo eſt, præcipuam Paphlagonum gentem fuiſſe Henetos; è qua fuerit Pylæmenes: quem plurimi ex eâ gente ad bellum fuerunt ſequuti. qui, eversâ Troiâ, amiſſo duce, in Thraciam abierint: vagatique deinde in eam terram, quæ nunc Venetia dicitur, pervenerint. Sunt, qui Antenorem quoque & filios eius ſocios huius profectionis fuiſſe perhibent; & ad intimum Hadriæ ſinum conſediſſe: ut in Italiæ deſcriptione commemoravimus. Probabile ergo eſt, hac de causâ Henetos defeciſſe, uti jam in Paphlagoniâ nulli reperiantur. Filios Antenoris commemorat Servius, in commentariis ad Virgilii Aeneid. lib. I. *Capto*, inquit, *Ilio, Menelaus, memor ſe & Vlixem beneficio Antenoris ſervatos, quum repetentes Helenam ab eo eſſent ſuſcepti, ac penè à Paride aliisque juvenibus interempti eſſent, parem gratiam reddens, inviolatum dimiſit. qui cum uxore Theano & filiis Helicaone & Polydamante cæterisque ſociis in Illyricum pervênit; & bello exceptus ab Euganeis & rege Veleſo, victor urbem Patavium condidit.* Hinc illud ſuprà recitatum Silii lib. XII:

Polydamantéis juvenis Pedianus in armis.

Et item iſtud Martialis lib. X epigr. XCIII:

Si prior Euganeas, Clemens, Helicaonis oras
Pictaque pampineis videris arva jugis;
Perfer Ateſtinæ, nondum vulgata, Sabinæ
Carmina, purpureâ ſed modo ſuta togâ.

Verùm hanc Henetorum, Paphlagonicæ gentis, à Troiâ exciſâ in Italiam duce Antenore commigrationem pro τερατείᾳ, id eſt, pro fabulâ habuit Polybius prodigioſâ, à tragicis poëtis confictâ. Hinc etiam Herodotus, antiquiſſimus auctor, Illyricæ eos adſcribit genti. Verba eius hæc ſunt lib. I: Νόμοι δὲ αὐτοῖσι, ὁ μὲν σοφώτατος, ὅδε, τῷ καὶ Ἰλλυριῶν Ἐνετοὺς πυνθάνομαι χρῆσθαι. Id eſt: *Leges verò ipſis ſunt, una quidem prudentiſſima; altera, qua Henetos quoque, Illyricam gentem, uti audio.* Venetos eum intelligere, Hadriatici maris adcolas, patet ex lib. V; ubi ita ſcriptum: Κατήκειν δὲ τούτων πυνθάνομαι τοὺς οὔρους ἀγχοῦ Ἐνετῶν, τῶν ἐν τῷ Ἀδρίῃ. Hoc eſt: *Horum fineis proximè accedere ferunt ad Henetos, qui Hadriam adcolunt.* Hinc item Dio Chryſoſtomus, in oratione de Ilio non capto, Antenorem non deduxiſſe huc Henetos, ſed jam anteà incolenteis ſubditos ſibi reddidiſſe tradit; auctorem haud dubiè ſequutus & ipſe aliquem ex antiquiſſimis. Ἀντήνωρ δὲ, inquit, Ἐνετῶν ἐκράτησε, καὶ τῆς ἀρίστης γῆς περὶ τὸν Ἀδρίαν. Id eſt: *Antenor Henetos & optimam circa Hadriaticum ſinum regionem ſui juris fecit.* Hinc quoque illud puto natum Virgilio Aeneid. lib. I; ubi nihil prorſus de Henetis ab Antenore huc deductis:

Antenor potuit, mediis elapſus Achivis,
Illyricos penetrare ſinus atque intima tutus
Regna Liburnorum, & fontem ſuperare Timavi;
Vnde per ora novem vaſto cum murmure montis
It mare proruptum, & pelago premit arva ſonanti.
Heic tamen ille urbem Patavî ſedeisque locavit
Teucrorum, & genti nomen dedit.

Ad quem locum commentans Servius, poſt ſuprà ſcripta verba ita dicit: *Antenor non Illyricum, non Liburniam, ſed Venetiam tenuit. ideò autem Virgilius dicit Illyricos ſinus, quòd inde venit quidam Aenetus rex, qui Venetiam tenuit; à cuius nomine Aenetiam dictam poſteri Venetiam nominaverunt.* Heneti igitur, ex Illyrico profecti ante bellum Troianum, Euganeos ex his locis ejecerunt. hos poſteà, Troiâ exciſâ, Antenor, (ſi umquàm in Italiam eum veniſſe credimus) cum Troianâ manu ſuo juri ſubjecit. Virgilius ait, *genti* quoque eum *nomen dediſſe*; non Paphlagonibus Henetis, quos ſecum adduxerit; ſed *Teucris*, id eſt Troianis ſuis. de quo nomine ita ibidem

Servius

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Servius: *Hi primis temporibus ab Antenore dicti ſunt* ANTENORIDAE. Hinc illud Lucani lib. VII:

> *Euganeo (ſi verâ fides memorantibus) augur*
> *Colle ſedens; Aponus terris ubi fumifer exit,*
> *Atque Antenorei diſpergitur unda Timavi.*

Lucanum non dubiè imitatus Sidonius Apollinaris, carm. VIIII:

> *Nec quos, Euganeum bibens Timavum,*
> *Colle Antenoreo videbat augur*
> *Divos Theſſalicam movere pugnam.*

Sed VENETORVM tamen nomen evaluit: quod etiam nunc in reginâ Italicarum urbium *Venetiis* memoriam retinet. Servius dicto loco an ſcripſerit *Aenetus rex*, & *Aenetiam*, equidem adhuc dubito: & facilè ſuſpicer, uti Gallorum trans Alpeis populus promiſcuè apud auctores legitur modò *Aedui*, modò *Hedui*; & item Thraciæ mons nunc *Aemus*, nunc *Hemus*: ſic apud Servium quoque vocabula iſta *Henetus* & *Henetiam*, poſteà ab exſcriptoribus facta *Aenetus* atque *Aenetiam*: niſi apud Paullum Diaconum, malum grammaticum potiùs, quàm hiſtoricum bonum, ita Langobard. rer. lib. II cap. XIIII ſcriptum foret; *Eneti, licèt apud Latinos una litera addatur, Græcè laudabiles dicuntur*: & apud Caſſiodorum quoque, Paullo Diacono priorem, Variarum lib. XII epiſt. XXIIII; *Venetiæ, prædicabiles quondam plenæ nobilibus, ab auſtro Ravennam Padumque contingunt; ab oriente jucunditate Ionii litoris perfruuntur*. Vnam ille literam intelligit V; quia Latinis dicebantur *Veneti*, qui Græcis Ἑνετοί. At *laudabilis*, ſive *prædicabilis*, Græcè non dicebatur ἐνετὸς, ſed αἰνετὸς, à voce primitivâ αἶνος· quæ *laudem* & *encomium* ſignificat. Atque hinc conjicere datur, apud Servium quoque grammaticum ſcribendum eſſe, ut vulgata hactenus exemplaria habent, *Aenetus rex*, & *Aenetiam*. Hæc autem vocabula, additâ unâ literâ V, fierent *Vaenetus* & *Vaenetia*: quæ nuſquàm apud auctores reperiuntur. nec auctoritas heic ducenda antiqui lapidis, quem Ioannes Pierius Valerianus, Belunenſis, in antiquitatibus patriæ ſuæ citat his verbis: *Venetos verò illos antiquiores per noſtræ huius regionis tractus habitaſſe, &, ſuperatis Alpium verticibus, in Pannoniæ usque fineis proceſſiſſe, ſi quis antiquæ nolit hiſtoriæ fidem adhibere; teſtimonio eſt antiquiſſimus terminus literis Græcis inciſus, qui ſe noſtro itinere, ubi Iuliam Albam versùs Alpeis transſcenderis, oſtentat. Quatuor is eſt lateribus inſignis; in quibus literæ huiusmodi leguntur:*

1.	2.	3.	4.
TROIAS	ΠΕ	ΤΟΥΟΥ	ΔΙΑΒΑΕ
ΑΛΟΥ	ΡΑΣ	ΑΙΝ·Ε	ΝΟΝ
ΣΗΣ		ΤΟΥ	ΤΟΣ

Huiusmodi inſcriptio an alicubi exſtiterit, vel etiamnuuc exſtet, equidem ignorare me fateor. ſi exſtat; à tenebrione aliquo non minùs flagitioſo quàm imperito ac barbaro confictam, ut ſunt paſſim innumeræ aliæ, judico. quis enim umquàm legit, niſi fortè in barbaris iſtiusmodi poſterioris ſæculi inſcriptionibus, à Græcis Romanorum R uſurpatum pro Græco Ρ, & item S pro Σ, vel C; quis umquàm Græcus ſcripſit αε pro diphthongo αι; quis denique credat, ullum Græcum auctorem *Venetorum* nomen in primâ ſyllabâ ſcripſiſſe per diphthongum αι· quando apud omneis pariter poëtas ea ſyllaba eſt brevis? Græcâ verò lingvâ uſos fuiſſe vel Illyrios vel Paphlagonas, quibus tandem evincetur documentis? Quapropter certum eſt, adulterinum atque confictitium eſſe iſtum lapidem; à poſterioris ac barbari jam ævi hominibus ibi locorum poſitum, quò nunquàm antiquorum Venetorum transſcenderunt fines. Poſterioribus autem temporibus non tantùm Venetorum, verùm etiam omnem Carnorum Hiſtrorumque agrum, ſub uno *Venetiæ provinciæ* nomine cenſum fuiſſe, poſteà ſuo loco docebo. Hinc Paullus Diaconus dicto Langobard. rer. lib. II. cap. XIIII: *Venetiæ terminus à Pannoniæ finibus usque Adduam fluvium protelatur*. Graviorem igitur & fide longè digniorem teſtem audiamus Iulianum Cæſarem; qui in oratione de Conſtantii imperatoris rebus geſtis ita tradit: Ἑνετοὶ τὸ πρόσθεν ὠνομάζοντο. νῦν δὲ ἤδη Ῥωμαίων τὰς πόλεις ἐχόντων, τὸ μὲν ἐξ ἀρχῆς ὄνομα σώζουσι, βραχεία

προς-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

προςθήκη γράμματος ἐν ἀρχῇ τῆς ἐπωνυμίας. ἔστι δὲ αὐτοῦ σύμβολον χαρακτὴρ εἷς, ὀνομάζουσι δὲ αὐτὸν Οὐ· καὶ χρῶνται αὐτῷ τοῦ Βῆτα πολλάκις, προσπνεύσεως οἶμαί τινος ἕνεκα καὶ ἰδιότητος γλώττης. Id eſt: *Heneti priùs adpellabantur. nunc, poſtquàm in Romanorum poteſtatem venerunt, vetus nomen cum unius literæ adjectione retinent; cuius nota una eſt ac ſimplex figura, quam V vocant; eàque pro B Græco ſæpiùs utuntur, propter adſpirationem, ut arbitror, quamdam & linguæ proprietatem.* Sic ſcilicet Græcorum ἕσπερος Latinis dictus eſt *veſper*; ſic ἑςία, *Veſta*; & id genus alia. Sed de nomine ac genere *Venetorum* hactenus ſatis. De gentis vocabulo regio, quam incoluerunt, dicta eſt Græcis Ἑνετική, HENETICA; ut eſt apud Strabonem ſuprà dicto lib. XII: Romanis verò VENETIA: & inde poſterioribus Græcis Βενετία ſive Οὐενετία· ut eſt apud Ptolemæum in deſcriptione Italiæ, & apud Euſtathium in commentariis ad Dionyſii Περιήγησιν. apud quem etiam Ἑνετία, *Henetia*, legitur. *Venetiæ* nomen habent complures auctores Romani: Livius lib. XXXVIIII, Velleius lib. II, Florus lib. III cap. III; Plinius lib. II cap. LXXII, lib. III cap. XVIII, lib. XVII cap: XXIII, lib. XXXV cap. IIII, lib. XXXVI cap. XXII: & alii.

VENETIAE universæ fines.

Huius Venetiæ fineis alios aliis fuiſſe temporibus reperio. In Scylacis Περίπλῳ vulgatis exemplaribus ita ſcriptum eſt: Μετὰ δὲ τὸ Ὀμβρικὸν Τυῤῥηνοί· διήκουσι δὲ καὶ οὗτοι ἀπὸ τοῦ Τυῤῥηνικοῦ πελάγους ἔξωθεν εἰς τὸν δαφνίαν διήκοντες, καὶ πόλις ἐν αὐτῇ Ἑλληνὶς καὶ ποταμός· καὶ ἀνάπλους εἰς τὴν πόλιν κατὰ ποταμὸν ὡς κ΄ σταδίων· καὶ Τυῤῥηνία ἐστὶν διήκουσα ἀπὸ τῆς ἔξωθεν θαλάττης ἕως εἰς τὸν Ἀδρίαν κόλπον, ἀπὸ πόλεων πόλεως· καί ἐστιν ὁδὸς ἡμερῶν τριῶν. Μετὰ δὲ Τυῤῥηνοὺς εἰσὶ Κελτοὶ ἔθνος, ἀπολειφθέντες τῆς στρατείας ἐπὶ στενῶν μέχρι Ἀδρίου· ἐνταῦθα δέ ἐστιν ὁ μυχὸς τοῦ Ἀδρίου κόλπου. Μετὰ δὲ Κελτοὺς Ἐνετοί εἰσιν ἔθνος, καὶ ποταμὸς Ἠριδανὸς ἐν αὐτοῖς. ἐντεῦθεν δὲ παράπλους ἐστὶν ἐπ᾽ αὐτῆς ἀπὸ Πίσης πόλεως ἡμέρας μιᾶς. Μετὰ δὲ Ἐνετοὺς εἰσὶν ἔθνος Ἴστροι. Hæc mirum in modum temporum vetuſtate librariorumque injuriâ vitiata ſunt. quid enim hoc eſt, Τυῤῥηνοὶ διήκουσι εἰς τὸν δαφνίαν διήκοντες; aut quò referendum iſtud ἐν αὐτῇ; item, quid hoc ſibi vult, ἀπὸ πόλεων πόλεως; denique quomodò hoc conſiſtere poteſt, ἐντεῦθεν, id eſt, ἀπὸ τοῦ Ἠριδανοῦ, ſive ἀπὸ τῶν Ἐνετῶν παράπλους ἐστὶν ἐπ᾽ αὐτῆς ἀπὸ Πίσης πόλεως ἡμέρας μιᾶς; quum ab Venetis ſive Padi oſtiis totum ferè Italiæ litus circumnavigandum ſit ad Piſam urbem. Ego, quæ reſtitui poſſe videntur, ſic reſtituo: Μετὰ δὲ τοὺς Ὀμβρικοὺς Τυῤῥηνοί εἰσιν ἔθνος, ἀπὸ τοῦ Τυῤῥηνικοῦ πελάγους ἔξωθεν εἰς τὸν Ἀδρίαν διήκοντες· καὶ πόλις ἐν αὐτοῖς Ἑλληνὶς Σπίνη, καὶ ποταμός· καὶ ἀνάπλους εἰς τὴν πόλιν κατὰ ποταμὸν ὡς κ΄ σταδίων. καὶ Τυῤῥηνία ἐστὶν διήκουσα ἀπὸ τῆς ἔξωθεν θαλάττης ἕως εἰς τὸν Ἀδρίαν κόλπον, ἀπὸ πόλεως Πίσης μέχρι Σπίνης πόλεως· καί ἐστιν ὁδὸς ἡμερῶν τριῶν. Μετὰ δὲ Τυῤῥηνοὺς εἰσὶ Κελτοὶ ἔθνος, ἀπολειφθέντες τῆς στρατείας ἐπὶ στενῶν μέχρι Ἀδρίου. ἐνταῦθα δέ ἐστιν ὁ μυχὸς τοῦ Ἀδρίου κόλπου. Μετὰ δὲ Κελτοὺς Ἐνετοί εἰσιν ἔθνος, καὶ ποταμὸς Ἠριδανὸς ἐν αὐτοῖς. ἐντεῦθεν δὲ παράπλους ἐστὶν ἐπ᾽ αὐτοὺς ἀπὸ Σπίνης πόλεως ἡμέρας μιᾶς. Μετὰ δὲ Ἐνετοὺς εἰσὶν ἔθνος Ἴστροι. Hoc eſt: *Poſt Vmbros ſunt Tuſci, à Tuſco mari ad Hadriam usque porrecti. urbsque in iis eſt Græca Spina cum amne: ad quam adverſo amne navigatur ſtadia circiter* XX. *Tuſcia igitur ab Tuſco mari ad ſinum Hadriam pertinet, à Piſâ urbe ad urbem Spinam, itinere trium dierum. Poſt Tuſcos Gallorum eſt gens, relicta in expeditione ad anguſtias Hadriæ. heic quidpe ſinus Hadriæ intimus eſt receſſus. Poſt Gallos gens eſt Venetorum, amnisque Eridanus in ipſis. huius autem litoris tractus eſt ad eos à Spinâ urbe unius diei iter. Venetos ſequuntur deinceps Hiſtri.* Vrbem heic fuiſſe *Spinam* circa oſtium Eridani ſive Padi amnis, qui cognomentum inde habuit *Spinetis*, infrà oſtendam. De cætero Tuſcos heic ſimul & Gallos Venetosque ponit Scylax ad Hadriaticum mare inter Vmbriam & Hiſtriam; quum tamen omnes ſimul hoc litus uno eodemque tempore adcolere nequiverint. quidpe, ſi Vmbri ad Ravennam usque, quod ſuo loco monſtrabo, incoluerunt; in Venetis verò fluxit Padus amnis; cuius oſtium maximum atque præcipuum haud procul Ravenna fuit; locum heic Tuſcis Gallisque medium inter Vmbros ac Venetos relinqui video nullum. Temporum itaque, quibus alii ſubinde atque alii hæc loca incoluerunt populi, facienda erat diſtinctio. Ac Gallorum quidem Senones oram hanc Vmbriæ inter Ravennam & Anconam urbeis, pulſis Vmbris, tenuêre, donec à Romanis exciſi fuerunt; ut ſuo loco oſtendetur. Hos intellexiſſe Scylacem Gallos, patet ex eo, quòd Vmbriam faciat perperam eam oram, quam ab Apulis Daunis ad Senones usque Gallos incoluerunt Frentani, Peligni, Veſtini, Marrucini, atque Picentes. Μετὰ δὲ Δαυνίτας, inquit, ἔθνος ἐστὶν Ὀμβρικὸν, καὶ πόλις ἐν αὐτῷ Ἄγκων. παράπλους δὲ τῆς Ὀμβρικῆς ἐστιν ἡμερῶν δύο καὶ νυκτός. Id eſt: *Poſt Daunitas Vmbrorum eſt gens, urbs-*

urbsque in eâ Ancon. litoris tractus duarum dierum ac noctis navigationem conficit. Non in Vmbriâ, ſed in Piceno fuiſſe Anconam, pòſt ſuo loco patebit. De Tuſcis Livium ſuprà citavimus ita loquentem lib. v: *Tuſcorum ante Romanorum imperium latè terrâ marique opes patuêre. mari ſupero inferoque quantum potuerint, nomina ſunt argumento: quòd alterum Tuſcum, communi vocabulo gentis, alterum Hadriaticum mare, ab Hadriâ, Tuſcorum coloniâ, vocavêre Italicæ gentes. Ii in utrumque mare vergentes, incoluêre urbibus duodenis terras priùs cis Apenninum ad inferum mare; poſteà trans Apenninum totidem, quot capita originis erant, coloniis miſſis: quæ trans Padum omnia loca, excepto Venetorum angulo, qui ſinum circumcolunt maris, usque ad Alpeis tenuêre.* Quum ex XII iſtis Tuſcorum coloniis una fuerit *Hadria*, inter extimum Padi alveum & Atheſim amnem poſita; quod opidum eodem nomine etiamnum exſtat; patet inde, terminum tunc inter Tuſcos Venetosque fuiſſe Atheſim: citra quem *Mantua* etiam in mediterraneo eorumdem fuit Tuſcorum; teſte Plinio lib. III cap. XVIII. *Mantua*, inquit, *Tuſcorum trans Padum ſola reliqua*. At poſtquàm pars Tuſcorum, quæ inter Apenninum & Alpeis incoluit, à Gallis, Tarquinio Priſco Romæ regnante, ut tradit eodem lib. v Livius, pulſa fuit, & translatis ſedibus duce Rhæto in Alpeis conceſſit; partem eorum agri trans Padum, ab Atheſi ad citimum usque Padi alveum, quem præcipuum fuiſſe antè dixi, ejectis inde Gallis, occuparunt Veneti. unde in hac gente fluere Padum tradidit prædictus Scylax, auctor inter primos antiquus. Atque hinc is alveus perpetuò terminus ſub Romano imperio inter Venetiam Galliamque Ciſpadanam manſit. Propertius lib. I eleg. XII:

Quantum Hypanis Veneto disſidet Eridano.

Lucanus lib. IIII:

Sic Venetus ſtagnante Pado, fuſoque Britannus
Navigat Oceano.

Plinius equidem lib. III cap. XVII Italiam Transpadanam ex Auguſti Cæſaris deſcriptione undecimam facit regionem Italiæ; urbemque in eâ memorat Spinam ſuprà dictam: capite verò XVIII, cuius inſcriptio, *Venetia, decima regio*; ita tradit: *Sequitur decima regio Italiæ, Hadriatico mari adpoſita, Venetia; cuius fluvius Silis, opidum Altinum, flumen Liquentia.* quà ratione Spinam & loca circùm ſita à Venetiâ excludit; initiumque huius facere videtur à Sili fluvio. Verùm cur Silim primo loco heic nominaret, ratio erat, quòd jam anteà, cap. XVI, & Padi omnia oſtia & Atheſim & utrumque Meduacum explicuerat; & cum his item opidum Hadriam. ideóque poſteà cap. XVIIII hanc omiſit, ubi ait; *In mediterraneo regionis decimæ coloniæ, Cremona, Brixia, Cenomanorum agro; Venetorum autem Ateſte, & opida, Acelum, Patavium, Opitergium, Belunum, Vicentia, Mantua; Rhætorum & Euganeorum Venona.* Quamquàm vetuſta quædam exemplaria manu ſcripta habent, *Venetorum autem Hadria, Ateſte.* Si igitur & Hadria & Verona ac Mantua decimæ regionis fuêre loca; Spinam & Padi oſtia undecimæ regioni, in qua fuêre Galli Transpadani ac populi Inalpini, ad lacum usque Benacum & Mincium flumen, quî adſcribere potuerit, minimè video: utique, quum Veronenſium ager ad Padi usque ripam pertigerit; ubi vicus eorum *Hoſtilia* nomen antiquum hodiéque retinet; ut ſuo loco oſtendetur. Rectiùs igitur Ptolemæus: Βοιῶν Γαλλῶν, Ῥουβίκωνος ποταμοῦ ἐκβολαί, Ῥάβεννα, Πάδου ποταμοῦ ἐκβολαί. Μετὰ τὰς ἐκβολὰς τοῦ Πάδου, Οὐενετίας ὁμοίως, Ἀτριανοῦ ποταμοῦ ἐκβολαί. Id eſt: *Boiorum Gallorum; Rubiconis fluminis oſtium, Ravenna, Padi amnis oſtium. poſt Padi oſtium, Venetiæ tractu, Atriani fluminis oſtium. Atrianus* fluvius adpellabatur ab opido *Atriâ*, poſteà *Hadria* dicto: quod & ipſum Venetiæ adſcribit Ptolemæus. fluvius autem alio nomine vocabatur *Tartarus:* quod nomen etiamnunc retinet; vulgò *Tartaro* dictus. Ex intervallo, quod facit Ptolemæus in tabulâ inter Padi & Atriani fluminum oſtia millium paſſuum XLV, ſatis manifeſtè patet, id eum intellexiſſe oſtium Padi, quod, haud procul Ravennâ, Eridanum antiquitus Græcis vocatum, verumque & antiquiſſimum exiſtimatum fuit; ut ſuo loco docebo: hodiè verò vulgò dicitur ab opido *Argenta*, *Il Pò d'Argenta*; id eſt, *Padus Argentanus*; & oſtium eius *Porto di Primaro*. Hic igitur verus & antiquus Padus, terminus fuit Venetiæ ab auſtro, poſtquàm Veneti Gallos hanc oram inter eum amnem & Atheſim relinquere coëgerunt. Tenuiſſe Boios Gallos ab initio adventus hæc loca, proximo hinc capite in deſcriptione Spinæ & Hadriæ urbium patebit. Ab alterâ parte Venetos producit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

producit Scylax loco ſuprà memorato, ad Hiſtriam usque: cuius terminum tradit Plinius lib. III cap. XVIII *Formionem amnem*; qui nunc vulgò adcolis dicitur *Riſano*. Sic & Marcianus Heracleenſis in Περιηγήσει·

Ἐνετῶν ἔχονται Θρᾷκες Ἴστροι λεγόμενοι.

Venetis contermini ſunt Thraces, qui Hiſtri vocantur.

Huc igitur intelligendum eſt & illud Livii, loco proximè citato; *Venetos ſinum circumcolere maris Hadriatici*. Idem auctor lib. XXXVIIII, *Eodem*, inquit, *anno Galli Transalpini, transgreſſi in Venetiam ſine populatione aut bello, haud procul inde, ubi nunc Aquileia eſt, locum opido condendo ceperunt*. Factum id anno urbis Romæ IↃLXVI, Sp. Poſthumio Albino & Q. Marcio Philippo conſulibus; ante natum Chriſtum anno CLXXXVII. Hinc etiam Silius Italicus in hiſtoriâ belli Punici ſecundi, quod XV annis ante dictos conſules finitum fuit, ita canit lib. VIII:

Nec non cum Venetis Aquileia perfurit armis.

Livius ſuprà dicto lib. I ait, *Antenorem cum multitudine Henetûm veniſſe in intimum maris Hadriatici ſinum; Euganeisque, qui inter mare Alpeisque incolebant, pulſis, Henetos Troianosque eas tenuiſſe terras; gentemque univerſam Venetos adpellatos*. Hinc Timavum amnem, qui medio ferè itinere inter Aquileiam & Formionem eſt, in Euganeis memorant poëtæ, Silius, Lucanus, Sidonius; ſuprà hòc capite & item cap. XV citato. Strabo verò lib. V diſertis verbis, ut proximo hinc capite in deſcriptione Atriæ urbis videbimus, teſtatur, Diomedi in Venetis apud Timavum honores & templum fuiſſe conſtitutum. Vbi ad finem eius narrationis hæc addit: Μετὰ τὸ Τίμαυον ἡ τῶν Ἴστρων ἐστὶ παραλία μέχρι Πόλας· *Poſt Timavum Hiſtrorum eſt ora maritima, usque ad Polam*. Et mox: Τὰ μὲν δὴ πέραν τοῦ Πάδου χωρία οἵ τε Ἐνετοὶ νέμονται καὶ οἱ Ἴστροι, μέχρι Πόλας. ὑπὲρ δὲ τῶν Ἐνετῶν Κάρνοι. Id eſt: *Ergo quæ trans Padum ſunt, Veneti incolunt & Hiſtri usque ad Polam. ſuper Venetos ſunt Carni*. At poſtquàm Carni, Alpina gens, partem Venetiæ occuparunt; vel à Romanis, ut in eorum deſcriptione patebit, bello victi, pars eorum ex montanis locis in plana deducti fuerunt; terminus inter Carnos atque Venetos factus eſt Tilavemptus amnis, vulgò nunc Italis *Tagliamento*, & adcolarum dialecto *Taiamento* dictus. De hoc termino quia Strabonis ac Plinii verba partim mutilata ſunt, partim obſcuriora, quàm ut primo ſtatim intuitu intelligi poſſint; ad Carnorum agri deſcriptionem ea rejiciemus. Limites igitur univerſæ Venetiæ fuerunt iſti: Ab ortu Solis, mare Hadriaticum & Tilavemptus amnis: ab ſeptemtrionibus idem amnis. ab occaſu Liquentiâ flumine, vulgò nunc *Livenza* dicto, ad regionem usque Aſuli opidi, hinc lineâ per Baſſanum & Brigantiam ad Delgæ fontem ductâ, mox ipſo Delgâ ad Atheſim usque, à Rhætis eam & Euganeis diſtermino. inde ipſo Atheſi, ad regionem usque ſuprà dicti opidi Hoſtiliæ, in Padi ripâ ſiti; hinc lineâ ad Padum; tum à meridie ipſo Pado, qui propter Ferrariam ad Argentam opidum defertur, ac tandem Primario oſtio in ſinum Hadriaticum effunditur; ab Galliâ Togatâ ſeparabatur.

VENETI *agri fecunditas.* De naturâ & facie agri Veneti ſequenti capite dicetur. De fecunditate eius ita tradit prædictus Marcianus Heracleenſis in Περιηγήσει·

Τὸν κόλπον ἱστοροῦσι τὸν Ἀδριατικὸν
Τῶν βαρβάρων πλῆθός τι περιοικεῖν κύκλῳ,
Ἑκατὸν σχεδὸν μυριάσι πεντήκοντά τε
Χώραν ἀρίστην νεμομένων καὶ καρπίμην.
Διδυμοτοκεῖν γάρ φασι καὶ τὰ θρέμματα.
* · * · Ἐνετῶν δ' εἰσὶ πεντήκοντά που
Πόλεις ἐν αὐτῷ κείμεναι πρὸς τῷ μυχῷ·

Hoc eſt:

Sinum ferunt Hadriaticum
Barbarorum multitudinem circumcolere,
Quindecies ferè centenis millibus
Regionem præſtantiſſimam incolentibus & fructiferam.
Geminos quidpe fœtus edere pecora aiunt.
Mox: — *Venetorum autem ſunt ad quinquaginta*
Opida ad ipſum, in intimo eius receſſu ſitæ.

Et de

Et de eâdem re Stephani breviator: Ἀδρία, πόλις, καὶ παρ' αὐτὴν κόλπος Ἀδρίας, καὶ ποταμὸς ὁμοίως· ὡς Ἑκαταῖος. Ἡ χώρα τοῖς βοσκήμασίν ἐστιν ἀγαθή, ὡς δὶς τίκτειν τὸν ἐνιαυτὸν, καὶ διδυμοτοκεῖν, πολλάκις καὶ τρεῖς καὶ τέσσαρας ἐρίφους τίκτειν, ἐνίοτε δὲ καὶ πέντε, καὶ πλείους· καὶ τὰς ἀλεκτορίδας δὶς τίκτειν τῆς ἡμέρας· τῷ δὲ μεγέθει πάντων εἶναι μικροτέρας τῶν ὀρνίθων. Id eſt: *Hadria, urbs, & juxta eam ſinus Hadria, amniſque eodem nomine; auctore Hecatæo. Regio pecoribus eſt egregia: ita, uti bis pariant in anno, geminoſque fœtus edant; ſæpiùs etiam treis atque quatuor hœdos; interdum verò quinque, ac plureis. gallinæ autem bis die pariant; quum alioquin omnibus aliis gallinis ſint minores.* Plinius lib. x cap. LIII; de Gallinis loquens: *Eſt autem tanta fœcunditas, ut aliquæ & ſexagena pariant; aliquæ quotidiè; aliquæ bis die; aliquæ in tantum, ut effœtæ moriantur. Hadrianis laus maxima.* Ariſtoteles, neſcio, an idem de Venetiâ acceperat; quod poſteà per errorem atque oblivionem Vmbris adſcripſit. Verba eius in Mirandis hæc ſunt: Παρὰ τοῖς Ὀμβρικοῖς φασὶ τὰ βοσκήματα τρὶς τίκτειν τοῦ ἐνιαυτοῦ, καὶ τὴν καρποὺς αὐτοῖς τὴν γῆν πολλαπλασίους ἀνιέναι τῶν καταβαλλομένων. εἶναι δὲ καὶ τὰς γυναῖκας πολυγόνους, καὶ σπανίως ἓν τίκτειν, τὰς δὲ πλείστας δύο καὶ τρία. Id eſt: *In Vmbris aiunt pecora ſingulis annis ternos partus edere; terramque multiplicem ſerentibus frugem reddere. ſed & mulieres fœcundas admodùm eſſe: ut, quæ rarò ſingulos, ſed plerumque geminos aut ternos enitantur.*

CAPVT XVIII.

De VENETIAE *opidis, fluminibus, & aliis locis.*

FInibus VENETIAE circumſcriptis, interiora nunc eius exponantur. De urbibus Venetorum ita ſcribit Marcianus Heracleenſis in Περιηγήσει·

——— Ἑνετῶν δ' εἰσὶ πεντήκοντά που
Πόλεις ἐν αὐτῷ, κείμεναι πρὸς τῷ μυχῷ.
Hoc eſt: *Venetorum ſunt ad quinquaginta*
Vrbes ad hunc ſinum, in intimo eius receſſu ſitæ.

Prima urbium & antiquiſſima in ipſo limite ad Padi ſiniſtram ripam fuit ſuprà dicta SPINA *urbs.*
Σπίνη ſive Σπῖνα, SPINA; à Pelaſgis ante Troianum bellum condita. nam Pelaſgos ante Troianam expeditionem in Italiam perveniſſe, pòſt ſuo loco docebo. Quamquàm alii à Diomede poſt excidium Troiæ conditam Spinam ſcripſerunt; ut mox videbimus. Memoratur Scylaci, Dionyſio Halicarnaſſenſi, Straboni, Plinio, Stephani breviatori. quorum hic ita habet: Σπῖνα, πόλις Ἰταλίας· ὡς Εὔδοξος καὶ Ἀρτεμίδωρος. τὸ ἐθνικὸν Σπινάτης, ὡς τὸ Βεμβῖνα, Βεμβινάτης. ἔστι δὲ καὶ ποταμὸς Σπῖνος καλούμενος. Id eſt: *Spina, urbs Italiæ; auctoribus Eudoxo atque Artemidoro. Gentilitium inde eſt Spinates; ut à Bembinâ Bembinates. Eſt & amnis nomine Spinus.* At apud Strabonem opidani ſunt Σπινῆται, ut apud Stephani breviatorem in voce Βεμβῖνα, Βεμβινῆται. Strabonis verba lib. v hæc ſunt: Ἔστι δὲ καὶ Ἄλτινον ἐν ἕλει, παραπλήσιον ἔχον τῇ Ῥαουέννῃ τὴν θέσιν. μεταξὺ δὲ Βούτριον, τῆς Ῥαουέννης πόλισμα· καὶ ἡ Σπῖνα, νῦν μὲν κωμίον, πάλαι δὲ Ἑλληνὶς πόλις ἔνδοξος· θησαυρὸς γοῦν Σπινητῶν ἐν Δελφοῖς δείκνυται· καὶ τἆλλα ἱστορεῖται περὶ αὐτῶν ὡς θαλαττοκρατησάντων. φασὶ δὲ καὶ ἐπὶ θαλάττῃ ὑπάρξαι· νῦν δ' ἐστὶν ἐν μεσογαίᾳ τὸ χωρίον, περὶ ἐνενήκοντα τῆς θαλάττης σταδίους ἀπέχον. Hoc eſt: *Eſt & Altinum in paludibus, eodem, quo Ravenna, modo ſitum. Interjacet Butrium, Ravennatium opidulum; & item Spina, nunc vicus quidem exiguus; quomdam verò urbs Græcanica nobilis. ſiquidem & Spinenſium oſtenditur Delphis theſaurus, & alioqui traditur, eos maris potenteis fuiſſe. Aiunt etiam ad mare fuiſſe ſitam. nunc in mediterraneo eſt, ſtadiis à mari circiter* XC. Id eſt, millibus paſſuum XI cum CCL paſſibus. Superiori capite ex Scylacis Περίπλῳ verba citavimus iſta: Μετὰ δὲ τοὺς Ὀμβρικοὺς Τυρρηνοί εἰσιν ἔθνος, ἀπὸ τοῦ Τυρρηνικοῦ πελάγους ἔξωθεν εἰς τὸν Ἀδρίαν διήκοντες· καὶ πόλις ἐν αὐτοῖς Σπίνη, καὶ ποταμός. καὶ ἀνάπλους εἰς τὴν πόλιν κατὰ τὸν ποταμὸν ὡς κ' σταδίων. Hoc eſt: *Poſt Vmbros ſunt Tuſci, à Tuſco mari ad Hadriam usque porrecti: urbsque in iis eſt Græca Spina cum amne eiusdem nominis; ad quam adverſo amne navigatur ad ſtadia* XX. Id eſt, bis mille quingentos paſſus. Non Tuſci eam habuêre; ſed Græci in Tuſco ſolo condiderunt,


Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

longè ante Troiana bella: quod prolixâ oratione docet ex vetuſtiſſimis Græcorum auctoribus Dionyſius Halicarnaſſenſis, Romanar. antiquitat. lib. I. ubi, poſtquàm de longinquo Pelaſgorum errore & habitatione apud Dodonæos narravit, hæc ſubjicit: Κατασκευασάμενοι δὲ ναῦς πολλὰς, περαιοῦνται τὸν Ἰόνιον, σπουδὴν μὲν ποιούμενοι τῆς ἔγγιστα τῆς Ἰταλίας ἅψασθαι χώρας· ὑπὸ δὲ νότου πνεύματος καὶ ἀγνοίας τῶν τόπων μετέωροι ἐνεχθέντες, καὶ πρὸς ἑνὶ τῶν τοῦ Πάδου στομάτων ὁρμισάμενοι, Σπινῆτι καλουμένῳ, ναῦς μὲν αὐτοῦ ταύτῃ καταλείπουσι, καὶ τὸν ἥκιστα δυνάμενον ταλαιπωρεῖν ὄχλον, φυλακὴν ἐπ' αὐτοῖς καταστήσαντες, ὡς ἔχοιεν, εἰ μὴ προχωροίη σφίσι τὰ πράγματα, καταφυγήν. καὶ οἱ μὲν ὑπομείναντες ἐν τούτῳ τῷ χωρίῳ, τεῖχος τῷ στρατοπέδῳ περιβαλλόμενοι, καὶ ταῖς ναυσὶν εἰσκομίσαντες τὰς εἰς τὸν βίον εὐπορίας, ἐπειδὴ κατὰ γνώμην ἐδόκει αὐτοῖς χωρεῖν τὰ πράγματα, πόλιν ἔκτισαν ὁμώνυμον τῷ στόματι τοῦ ποταμοῦ. εὐτύχησάν τε μάλιστα τῶν περὶ τὸν Ἰόνιον οἰκούντων, θαλασσοκρατοῦντες ἄχρι πολλοῦ, καὶ δεκάτας εἰς Δελφοὺς ἀνῆγον τῷ θεῷ καὶ ἀπὸ τῶν τῆς θαλάσσης ὠφελειῶν, ὥσπερ τινὲς καὶ ἄλλοι, λαμπροτάτας. Οἱ δὲ διὰ τῆς μεσογαίου τραπόμενοι τὴν ὀρεινὴν τῆς Ἰταλίας ὑπερβαλόντες, εἰς τὴν Ὀμβρικῶν ἀφικνοῦνται χώραν. Id eſt: *Paratâ claſſe, ſinum Ionium transmittunt; cupientes oram Italiæ proximam contingere. ſed flante auſtro, & locorum ignari, provecti longiùs, adplicuerunt ad unum è Padi oſtiis, nomine Spineten: ibique naveis reliquerunt, & turbam ferendis laboribus imparem; non ſine præſidio: ut refugium haberent, ſi res non ſuccederent ex ſententiâ. Hi eo loco manentes, caſtra cinxerunt mœnibus; navibus importantes neceſſaria victui. & quum eis ex voto cederent omnia; condiderunt urbem, cognominem oſtio fluminis. proſperâque præ cunctis ſinum Ionium adcolentibus uſi fortunâ, & diu potiti maris imperio; Delphos deo decimas ex maritimis proventibus, ſi qua alia civitas, miſerunt magnificas. At illi, qui mediterranea petierunt, ſuperatis Italiæ montibus, pervenerunt in Vmbriam.* De ſitu huius urbis, potentiâ, & conditore, ita ſcribit Plinius lib. III cap. XVI: *Proximum inde Padi oſtium magnitudinem portus habet, qui Vatreni dicitur. Hoc antè Eridanum oſtium dictum eſt: aliis Spineticum; ab urbe Spinâ; quæ fuit juxtà, prævalens; ut Delphicis creditum eſt theſauris; condita à Diomede.* Quædam heic exemplaria habent; *Delphicis, ut creditum eſt, theſauris condita à Diomede;* ſenſu longè diverſo. quam lectionem qui amplectuntur, quàm imperitè faciant, præſcripta Dionyſii Strabonisque arguunt verba. Cæterò oſtium iſtud *Eridanum* ſive *Spineticum* eſſe id, quod hodiè dicitur vulgò *Primaro,* poſteà in deſcriptione Padi docebo. Iuxta hoc ſitam fuiſſe *Spinam,* patet ex præſcriptis Dionyſii Pliniique teſtimoniis. In ſiniſtrâ fuiſſe ripâ, colligo ex eodem Plinio: qui cap. XVII in Transpadanâ regione eam recenſet. Strabo quidem ait quosdam ad mare eam fuiſſe tradere. at ſitum eius exactiùs indicavit Scylax, bis mille quingentos paſſus à mari. Qua ratione poſtmodùm vicus, qui nomen antiquæ urbis ad Strabonis usque tempora tulit, in mediterraneo ſit conditus, equidem haud reperio. Plinii verba dicto cap. XVII hæc ſunt: *Interiêre & Caturiges, Inſubrum exſules; & Spina, ſuprà dicta.* Strabo geographica ſua edidit ſexto Tiberii anno, M. Iunio Silano & C. Norbano Flacco conſulibus; ut patet ex lib. IIII. Plinius LX circiter annis pòſt Tito Veſpaſiano Cæſari opus ſuum de Hiſtoriâ naturali dedicavit. Vicum igitur quoque jam tum interiiſſe volueritne, an urbem Spinam tantùm, haud facilè dixerim. urbem tamen eum intellexiſſe, opinor. Hæc quo modo interierit, oſtendit eodem loco Dionyſius, præſcriptis verbis hæc continuò ſubnectens: Ὕστερον μέντοι μεγάλῃ χειρὶ τῶν προσοικούντων βαρβάρων ἐπιστρατευσάντων αὐτοῖς, ἐξέλιπον τὴν πόλιν· οἱ δὲ βάρβαροι μετὰ χρόνον ἀνέστησαν ὑπὸ Ῥωμαίων. καὶ τὸ μὲν ἐν τῷ Σπινῆτι καταλειφθὲν γένος τῶν Πελασγῶν οὕτως ἐφθάρη. Id eſt: *Poſteà tamen, quum magnis copiis finitimi Barbari expeditionem adversùs eos facerent, deſeruerunt urbem. Barbari verò tandem à Romanis deleti ſunt. Atque ita ad Spinetem relictorum Pelaſgorum genus interiit.* Iſti Barbari nulli alii fuerunt, quàm Galli; qui Tuſcos inter Apenninum Alpeisque ſedibus ſuis expulerunt. Strabo lib. V: Τὸ μὲν οὖν ἀρχαῖον ὑπὸ Κελτῶν περιῳκεῖτο τῶν πλείστων ὁ Πάδος. μέγιστα ἦν τῶν Κελτῶν ἔθνη Βοΐοι καὶ Ἴσομβροι, καὶ οἱ τὴν Ῥωμαίων πόλιν ἐξ ἐφόδου καταλαβόντες Σένωνες μετὰ Γαισατῶν. τούτους μὲν οὖν ἐξέφθειραν ὕστερον τελέως Ῥωμαῖοι· τοὺς δὲ Βοΐους ἐξήλασαν ἐκ τῶν τόπων. Ἴσομβροι δὲ καὶ νῦν εἰσίν. Hoc eſt: *Antiquis igitur temporibus circa Padum coluerunt plurimâ ex parte Galli: quorum maximæ gentes Boii & Inſubres, &, qui Romanam urbem repentino incurſu ceperunt, Senones cum Gæſatis. Hos equidem poſteà temporis prorſus deleverunt Romani: Boios autem ſedibus ſuis ejecerunt.*


Inſubres

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Inſubres etiam non exſtant. Deletos fuiſſe à Romanis Gallos Senones anno urbis Romæ CCCCLXLII, M: Curio Dentato & P. Cornelio Rufino conſulibus, id eſt, anno ante Chriſtum Ieſum natum CCXC, ex Polybii lib. II & Epitomatoris Livii lib. XII diſco. Vrbs igitur illa tam vetuſta tamque nobilis SPINA jam ante ea tempora deſerta fuit. Hinc magis miror, quinam mortalium vicum eo nomine multis ſæculis pôſt ſuperiori regione conſtituerit. Sed apud Plinium loco proximè dicto ita ſcriptum eſt: *Interière & Caturiges, Inſubrum exſules: & Spina ſuprà dicta: item Melpum, opulentiâ præcipuum: quod ab Inſubribus & Boiis & Senonibus deletum eſſe eo die, quo Camillus Veios ceperit, Nepos Cornelius tradit*. Heic nonnulli noſtri ævi ſcriptores, *Melpum* opidum intelligunt eſſe id, quod in Mediolanenſi agro, XV millia paſſuum ab ipsâ urbe Mediolano in ortum verſùs, vulgò dicitur *Melzi*. At quæro ego, quodnam tunc opulentiâ præcipuum opidum qui homines incoluerint in Mediolanenſi agro, quum jam CC annos hæc loca Galli pulſis inde Tuſcis tenuiſſent? aut quid huc usque, non tantùm Boios, ſed etiam Senones, inter Ravennam & Anconam incolenteis, in auxilium opus erat vocari? Omnino ego credo corruptas eſſe has voces, *item Melpum*, à genuinis, *olim opidum opulentiâ præcipuum*, nempe *Spina ſuprà dicta*. quam Barbari finitimi Boii Senonesque, &, quos hi in auxilium vocavêre, *Inſubres, eodem die deleverunt, deſertam jam à Spinenſibus Græcis, quo Camillus Veios cepit:* anno ſcilicet urbis Romæ CCCLX, ante natum Ieſum CCCXCIII.

ATRIA *ſive* HADRIA *opidum.*

Sequitur poſt Spinam, trans omnia Padi oſtia, vetuſtate atque potentiâ quondam maximè conſpicua *urbs*, ATRIA priùs dicta, dein ADRIA atque HADRIA: quæ vulgò nunc etiam vocatur *Adria*, & plerumque *Adri*; exiguæ veteris opidi reliquiæ; piſcatoribus & id genus hominibus habitatæ: quamvìs epiſcopali ſede hodiéque clara ſit. De hac ita legitur apud Stephani breviatorem: Ἀτρία, πόλις Τυρρηνίας, Διομήδους κτίσμα, χειμῶνος πλεύσαντος, καὶ μετὰ τὸ διασωθῆναι καλέσαντος Αἰθρίαν· καὶ παρεφθάρη παρὰ τοῖς Βαρβάροις τὸ ὄνομα. Ἔστι καὶ ἄλλη πόλις Βοΐων, ἔθνους Κελτικοῦ. Id eſt: *Atria opidum Tuſciæ, Diomedis opus, qui poſtquàm è tempeſtate, qua in mari jactatus fuerat, ſalvus evaſiſſet, vocavit urbem Aethriam. id nomen poſteà à Barbaris corruptum fuit. Eſt & alia, Boiorum urbs, gentis Gallicæ*. Trogi Pompeii epitomator Iuſtinus lib. XX: *Multæ urbes adhuc poſt tantam vetuſtatem veſtigia Græci nominis oſtentant*. Mox: *Hadria quoque Illyrico mari proxima, quæ & Hadriatico mari nomen dedit, Græca urbs eſt. Arpos Diomedes, exciſo Ilio, naufragio in ea loca delatus, condidit*. En, ut hi duo inter ſe diſcrepant. Auctor, quem Stephanus ſequutus eſt, Hadriam Diomedem, naufragio ſeu tempeſtate in ea loca delatum, condidiſſe tradidit. è diverſo Trogus Adriam quidem Græcam adpellat urbem, ſed non à Diomede conditam: à quo Arpos, ſive, ut ab initio dicebatur, Argos Hippium, Apuliæ Dauniæ urbem, eâ occaſione exſtructam adfirmat. Verùm video, omnia circa hunc ſinum antiquitate conſpicua huic Diomedi tribui. at vereor, ne multa fabuloſè; pro ingenitâ Græcorum vanitate. Strabo lib. V: Ἐν αὐτῷ δὲ τῷ μυχῷ τοῦ Ἀδρίου καὶ ἱερὸν τοῦ Διομήδους ἐστὶν ἄξιον μνήμης, τὸ Τίμαυον. λιμένα γὰρ ἔχει καὶ ἄλσος ἐκπρεπές. * · Τῆς δὲ τοῦ Διομήδους δυναστείας περὶ τὴν θάλατταν ταύτην, αἵ τε Διομήδειοι νῆσοι μαρτύρια, καὶ τὰ περὶ Δαυνίους καὶ τὸ Ἄργος τὸ Ἵππιον ἱστορούμενα· περὶ ὧν ἐροῦμεν, ἐφ' ὅσον πρὸς ἱστορίαν χρήσιμον· τὰ δὲ πολλὰ τῶν μυθολογουμένων ἢ καταψευδομένων ἄλλοις ἐᾶν δεῖ. * · Τῷ δὲ Διομήδει παρὰ τοῖς Ἐνετοῖς ἀποδεδειγμέναι τινὲς ἱστοροῦνται τιμαί· καὶ γὰρ θύεται λευκὸς ἵππος αὐτῷ, καὶ δύο ἄλση, τὸ μὲν Ἥρας Ἀργείας δείκνυται, τὸ δὲ Ἀρτέμιδος Αἰτωλίδος. προσμυθεύουσι δὲ, ὡς εἰκὸς, τὸ ἐν τοῖς ἄλσεσι τούτοις ἡμεροῦσθαι τὰ θηρία, καὶ λύκοις ἐλάφους συναγελάζεσθαι· προσιόντων δὲ τῶν ἀνθρώπων καὶ καταψαυόντων, ἀνέχεσθαι· τὰ δὲ διωκόμενα ὑπὸ τῶν κυνῶν, ἐπειδὰν καταφύγοι δεῦρο, μηκέτι διώκεσθαι. Φασὶ δέ τινα τῶν πάνυ γνωριζομένων ὡς εἴη φιλέγγυος, καὶ σκωπτόμενον, ἐπὶ τούτῳ παρατυχεῖν κυνηγέταις, λύκον ἐν τοῖς δικτύοις ἔχουσιν· εἰπόντων δὲ κατὰ παιδιὰν, εἰ ἐγγυᾶται τὸν λύκον, ἐφ' ᾧτε τὰς ζημίας, ἃς εἴργασται, διαλύειν, ἀφήσειν αὐτὸν ἐκ τῶν λίνων, ὁμολογῆσαι· ἀφεθέντα δὲ τὸν λύκον, ἵππων ἀγέλην ἀπελάσαντα ἀκαυστηριάστων ἱκανὴν προσαγαγεῖν πρὸς τὸν τοῦ φιλεγγύου σταθμόν· τὸν δὲ ἀπολαβόντα τὴν χάριν, καυστηριάσαι τε τὰς ἵππους λύκον, καὶ κληθῆναι λυκοφόρους, τάχει μᾶλλον ἢ κάλλει διαφερούσας· τοὺς δ' ἀπ' ἐκείνου διαδεξαμένους τό τε καυστήριον φυλάξαι καὶ τοὔνομα τῷ γένει τῶν ἵππων· ἔθος δὲ ποιῆσαι, θήλειαν μὴ ἐξαλλοτριοῦν, ἵνα μένοι παρὰ μόνους τὸ γνήσιον γένος, ἐνδόξου γενομένης ἐντεῦθεν ἱππείας. Νυνὶ δὲ, ὥσπερ ἔφαμεν, πᾶσα ἐκλέλοιπεν ἡ τοιαύτη ἄσκησις. Hoc eſt:

In ipſo intimo ſinus Hadriatici receſſu Timavum eſt, Diomedis templum memorabile: namque & portum habet & elegantem lucum. Mox: *Diomedem circa hoc mare ditionem tenuiſſe, teſtantur cum Diomedeæ inſulæ, tum ea, quæ de Dauniis & Argo Hippio traduntur. de quibus dicemus, quantum hiſtoriæ videbitur convenire. nam fabuloſa illa multa & conficta aliis relinquenda cenſemus.* Statim: *Memoriæ autem proditum eſt, Diomedi apud Venetos fuiſſe aliquos honores decretos. quidpe & albus equus ei immolatur, & duo monſtrantur luci; alter Iunonis Argivæ, Dianæ Aetolicæ alter. Additur, ut fieri ſolet, fabulà: his in lucis feras ita manſveſcere, uti cervi lupis adgregentur; & ab hominibus quoque adcedentibus contrectari ſuſtineant: item, quæ ab canibus agitentur feræ, ubi huc confugerint, tutas perſequutionis eſſe. Ferunt, quemdam, eo nomine, quòd libenter ſponderet, celebrem atque dicteriis hominum obnoxium, incidiſſe in venatores, qui lupum in caſſibus tenebant. qui quum per jocum dicerent, ſe lupum, ſi ipſe fidejuberet, eum damna inlata compenſaturum, miſſum facturos; hominem id in ſe recepiſſe. lupum ita dimiſſum, armentum equarum, nullâ inuſtâ notâ ſignatarum, ſatis magnum ad ſponſoris ſtabulum abegiſſe. ſponſorem, receptâ beneficii mercede, equas inuſto lupi notaſſe ſigno, & Lupiferas adpellaſſe; velocitate, quàm pulchritudine, inſigniores. poſteros eius & notam & nomen equarum ſervaſſe: & quò id genus apud ſolos ipſos perduraret genuinum; conſvetudinem introduxiſſe, ne equa ulla abalienaretur; quandoquidem nobilis eſſet reddita iſta equarum progenies. Verùm noſtra, ut diximus, ætate omne hoc ſtudium deſiit.* Dixit ſuprà: ſed longè aliâ huius ſtudii alendorum apud Venetos equorum origine. Ἐκ τοῦ Τρωϊκοῦ, inquit, πολέμου μετ' Ἀντήνορος σωθῆναι δεῦρο φασὶ τῶν ἐκ τῆς Παφλαγονίας Ἐνετῶν τινας. μαρτύριον δὲ τούτου προφέρονται τὴν περὶ τὰς ἱπποτροφίας ἐπιμέλειαν· ἣ νῦν μὲν τελέως ἐκλέλοιπε, πρότερον δὲ ἐτιμᾶτο παρ' αὐτοῖς, ἀπὸ τοῦ παλαιοῦ ζήλου, τοῦ κατὰ τὰς ἡμιονίτιδας ἵππους. τούτου δὲ καὶ Ὅμηρος μέμνηται· Ἐξ Ἐνετῶν, ὅθεν ἡμιόνων γένος ἀγροτεράων. Καὶ Διονύσιος, ὁ τῆς Σικελίας τύραννος, ἐντεῦθεν τὸ ἱπποτροφεῖον συνεστήσατο τῶν ἀθλητῶν ἵππων· ὥστε καὶ ὄνομα ἐν τοῖς Ἕλλησι γενέσθαι τῆς Ἐνετικῆς πωλείας. καὶ πολὺν χρόνον εὐδοκιμῆσαι τὸ γένος. Hoc eſt: *E bello Troiano, ferunt, cum Antenore huc evaſiſſe Henetorum ex Paphlagoniâ quosdam. cui rei teſtimonium proferunt ſtudium alendorum equorum: quod nunc quidem planè deſiit; quondam verò in pretio apud eos fuit; imitatione priſcorum, qui procreandis mulis equas alebant. cuius rei etiam Homerus meminit; Ex Henetis, ubi mularum generatio agreſtium. Dionyſius quoque, Siciliæ tyrannus, hinc equorum ad certamina educandorum greges inſtituit: ut etiam fama apud Græcos pullorum Venetorum innotuerit; atque longo tempore genus id in pretio fuerit.* Hæc ſanè longè alia eſt alendorum apud Venetos equorum origo. Patet igitur jam ex hac diverſitate traditionum ſumma illa, quam dixi, Græcorum vanitas: qui circa vetuſtas gentium urbiumque origines immania plerumque & opidò quàm abſurda commenti ſunt. Quia Diomedes, Aetolorum princeps, *Argos Hippium*, id eſt, ſi Latinè id cognomentum vertas, *Argos Equinum*, in Dauniis condidiſſe tradebatur; Veneti autem ἱπποτροφίαις, id eſt, *alendis equis* ſtudere ferebantur: quidam poſteà Græcorum auctores, hac occaſione impulſi, urbem Diomedem in Venetiâ condidiſſe finxerunt *Atriam:* cuius illum non magis auctorem conditoremque concedunt eſſe Varro, Livius, ac Plinius, quàm ſuprà dictæ Spinæ Dionyſius. Varro, de lingvâ Latinâ lib. IIII: *Atrium adpellatum ab Atriatibus Tuſcis. illinc enim exemplum ſumptum.* Plinius lib. III cap. XVI: *Omnia ea flumina foſſasque primi à Pado fecêre Tuſci, egeſto amnis impetu per transverſum in Atrianorum paludes, quæ Septem maria adpellantur, nobili portu opidi Tuſcorum Atriæ, à quo Atriaticum mare antè adpellabatur, quod nunc Hadriaticum.* Vetus commentator Horatii ad Oden III libri I: *Eſt autem Hadria civitas & portus; unde dictum eſt Hadriaticum mare.* Strabo dicto lib. V: τὴν Ἀτρίαν ἐπιφανῆ γενέσθαι πόλιν φασίν· ἀφ' ἧς καὶ τοὔνομα τῷ κόλπῳ γενέσθαι τῷ Ἀδρίᾳ, μικρὰν μετάθεσιν λαβόν. *Atriam ferunt illuſtrem fuiße urbem: à qua & ſinui Hadriæ nomen factum, exiguâ literarum mutatione.* Livius lib. V: *Tuſcorum ante Romanum imperium latè terrâ marique opes patuêre. mari ſupero inferoque, quibus Italia inſulæ modo cingitur, quantum potuerint, nomina ſunt argumento; quòd alterum Tuſcum, communi vocabulo gentis, alterum Hadriaticum mare, ab Hadriâ, Tuſcorum coloniâ, vocavère Italicæ gentes. Græci eadem Tyrrhenum atque Hadriaticum* [malim *Hadriam*] *vocant. Ii, in utrumque mare vergentes, incoluère urbibus duodenis terras priùs cis Apenninum ad inferum mare; poſteà trans Apenninum, totidem, quot*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

capita originis erant, coloniis miſſis: quæ trans Padum omnia loca, excepto Venetorum angulo, qui ſinum circumcolunt maris, uſque ad Alpeis tenuêre. Narrat hinc, quo pacto Galli, Priſco Tarquinio Romæ regnante, id eſt ante natum Ieſum annis circiter IↃ C, Alpeis transgreſſi, Tuſcos agris inter Alpeis Apenninumque expulerunt. qui tum duce Rhæto occupatis Alpibus, Rhætorum inibi condiderunt gentem. Itaque jam ante ſexcentos ante natum Chriſtum annos clara atque maris potens ea fuit Tuſcorum colonia. Poſteaquàm verò Tuſci à Gallis ex his oris pulſi fuêre, ſuprà dictis Spinenſibus huius maris domicilium ceſſit; donec & ipſi, Gallorum copiis perterriti, urbem ſuam reliquerunt. Error fuit Stephani, vel eius auctoris, à quo eum hauſit Stephanus, quòd aliam ait fuiſſe *Atriam*, Boiornm Gallorum. Alia equidem præter hanc fuit *Atria:* ſed longè à Boiorum finibus in Piceno ſita; ut ſuo loco oſtendetur. Iſthanc ad Padum unà cum Spinâ Boios aliquando credo tenuiſſe. De eâdem urbe alio loco ita idem Stephani breviator: Ἀδρία, πόλις, καὶ παρ' αὐτὴν κόλπος Ἀδρίας, καὶ ποταμὸς ὁμοίως· ὡς Ἑκαταῖος. ὁ πολίτης καὶ ὁ πάροικος Ἀδριανὸς καὶ Ἀδριάτης. Id eſt: *Hadria, urbs, & juxta eam ſinus Hadria, amnisque eodem nomine; teſte Hecatæo. Opidanus atque adcola inde dicitur* HADRIANVS & HADRIATES. Ad vocabulum autem Ἀτρία ita ſcriptum: Τὸ ἐθνικὸν Ἀτριανὸς, καὶ Ἀτρεὺς καὶ Ἀτριέτης. Hæc omnino ego corrupta eſſe judico ab Ἀτριεὺς καὶ Ἀτριάτης. Locus igitur integer ita Latinè vertendus: *Gentilitium* ATRIANVS, *&* ATRIENSIS, *atque* ATRIATES. Hoc Varroni uſurpatum eſſe, ſuprà vidimus. Addit Stephani epitomator; Ἄμεινον δὲ τὸ πρῶτον· συνήθης γὰρ Ἰταλῶν ὁ τύπος ὁ διὰ τοῦ ανος. id eſt: *Primum illud reliquis melius eſt. uſitata quidpe hæc Italis formatio in anus.* Hinc Ptolemæo etiam opidum Venetiæ Ἀτρία & amnis Ἀτριανός. Ad primam literam quod attinet, in pleriſque auctorum exemplaribus ſine adſpiratione ea perſcripta reperitur: in quibusdam verò cum adſpiratione HADRIA, HADRIANVS. Hoc modo quum in omnibus lapidibus & numiſmatibus antiquis imperatoris *Hadriani* nomen perſcriptum ſit; certum eſt, adſpiratione ut plurimum in hoc vocabulo uſos fuiſſe Romanos. Prima eius formatio per *t Atria* ſine adflatu uſurpata videtur, quia *atrium* etiam, quam vocem Varro ab eius opidi nomine deducit, ſine ſpiritu ſcribitur. De cætero nobilem fuiſſe ad Hadriam *portum*, teſtis eſt Plinius loco proximè ſcripto. idem atteſtatur & prædictus Horatii antiquus commentator. & hinc Tacitus Hiſtoriarum lib. III: *Baſſus, honoratâ cuſtodiâ liburnicis navibus Hadriam pervectus, à præfecto alæ Memmio Rufino, præſidium illic agitante, vincîtur.* Scilicet tam nobilis, Tuſcis etiamdum incolentibus, hic fuit portus, uti cognomen inde proximo mari impoſuerint Hadriatico; quum eius opportunitate atque beneficio omne id mare ſuæ poteſtati ſubjeciſſent.

Portum autem ſive ſubvectionem navium ad Hadriam opidum præbebat fluvius cognominis ὁ Ἀδρίας, HADRIA, Ptolemæo Ἀτριανὸς, ATRIANVS dictus. Μετὰ τὰς ἐκβολὰς, inquit, τοῦ Πάδου, Οὐενετίας, Ἀτριανοῦ ποταμοῦ ἐκβολαί. id eſt: *Poſt Padi oſtium in Venetiæ tractu Atriani fluminis oſtium.* Prædictus Stephani epitomator, & item Euſtathius in commentariis ad Dionyſii Περιήγησιν· Ἀδρία, πόλις, καὶ παρ' αὐτὴν κόλπος Ἀδρίας, καὶ ποταμὸς ὁμοίως. id eſt: *Hadria, urbs, & juxta eam Hadria ſinus, & item amnis.* Ioannes Tzetza in Chiliadibus: HADRIA *fluvius, qui &* TARTARVS.

Ἡ Χάρυβδις δὲ ῥεῦμα δεινόν ἐστιν ἐκεῖσε,
Λέβητος δίκην συστροφαῖς δεινῶς ἀνακαχλάζων
Δεινὴν δ' αὐτὴν ἐργάζονται τὴν Χάρυβδιν τὸ ῥεῦμα
Οἱ ποταμοὶ, ὅ Σένων τε ὁμοῦ καὶ ὁ Ἀδρίας,
Εἰς πέλαγος Ἰόνιον εἰσβάλλοντες καὶ ἄμφω.

Hoc eſt:

Charybdis autem grave illic eſt malum,
Lebetis inſtar verticibus ſævè obſtrepens.
Sævam autem reddunt fluxu ſuo
Flumina Seno ſimul atque Hadria,
Ambo in mare Ionium erumpentes.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

In eamdem ſententiam & Iſacius Tzetza tradit in commentariis ad Lycophronem: Χάρυβδις ὄνομά ἐστι τόπου θαλάσσης περὶ Μεσήνην καὶ Λιβύην, ἔνθα ὁ Τυῤῥηνὸς Ἀδρίᾳ συμβάλλων δεινὴν ἐργάζεται τὴν Χάρυβδιν. Ἀδρίας δὲ καὶ Σένων ὀνόματα ποταμῶν ῥεόντων εἰς τὸν Ἰόνιον κόλπον. Id eſt: *Charybdis eſt nomen loci in mari circa Meſſanam & Libyam; ubi Tyrrhenus cum Hadriâ concurrens, ſævam efficiunt Charybdim. Hadria autem & Seno nomina ſunt fluminum in Ionium ſinum defluentium.* Egregium ſanè nec ſimplex delirantium grammaticorum nugamentum: quod Siciliæ etiam lib. I cap. V notabo. *Hadriam* & *Senonem* intellexerant eſſe flumina, quorum alterum apud Hadriam urbem, alterum apud Senam Gallicam in mare Ionium ſive Hadriaticum effluunt: *Hadriam* etiam ipſum mare adpellari acceperant, quod, inter Siciliam & Italiam in anguſto freto cum Tyrrheno ſive Etruſco mari concurrens, ſævam reddebat Charybdin. Id quum non probè perciperent; iſthanc Chimæram opidò quàm ridiculam compoſuerunt. Sed antiquiſſimum illud *Hadriæ* ſive nomen ſive cognomen poſtmodùm fluvius mutavit in vocabulum TARTARI, quod hodiéque obtinet, vulgò adcolis *Tartaro* dictus. Tacitus Hiſtoriar. lib. III: *Cæcina inter Hoſtiliam, vicum Veronenſium, & paludes Tartari fluminis, caſtra permuniit; tutus loco; quum terga flumine, latera objectu paludis tegerentur.* Vicus *Hoſtilia* hodiéque vulgò vocatur *Oſtiglia* Italis, & detorto vocabulo incolis *Oſtia*, ſive *Oſteia*. Plinius lib. III cap. XVI; quod eſt de Pado: *Vrgetur aquarum mole, & in profundum agitur, gravis terræ; quamquàm diductus in flumina & foſſas inter Ravennam Altinumque; tamen, quia largiùs vomit, ſeptem maria dictus facere. Auguſtâ foſſâ Ravennam trahitur, ubi Paduſa vocatur; quondam Meſſanicus adpellatus. Proximum inde oſtium magnitudinem portus habet, qui Vatreni dicitur: quo Claudius Cæſar, è Britanniâ triumphans, prægrandi illâ domo veriùs, quàm nave, intravit Hadriam. hoc antè Eridanum oſtium dictum eſt: aliis Spineticum, ab urbe Spinâ, quæ fuit juxtà. auget ibi Padum Vatrenus amnis, ex Forocornelienſi agro. Proximum inde oſtium Caprasiæ. dein Sagis. dein Volane: quod antè Olane vocabatur. Omnia ea flumina foſſasque primi à Pado fecère Tuſci; egeſto amnis impetu per transverſum in Atrianorum paludes, quæ Septem maria adpellantur; nobili portu opidi Tuſcorum Atriæ; à quo Atriaticum mare antè adpellabatur, quod nunc Hadriaticum. Inde oſtia plena, Carbonaria ac Foſſiones Philiſtinæ; quod alii Tartarum vocant: omnia ex Philiſtinæ foſſæ abundatione naſcentia; accedentibus, Atheſi ex Tridentinis Alpibus, & Togiſono ex Patavinorum agris.* Septem heic enumerantur Padi oſtia atque alvei; quorum aquæ à Tuſcis quondam in Atrianorum paludes foſſionibus diductæ, *Septem maria* adpellabantur. Sed de Padi ortu, decurſu, ac fluminibus lacubusque in eum ab utrâque ripâ defluentibus, item de ſeptem eius alveis & oſtiis plenior infrà in tractatu ſingulari mihi erit diſſertatio. Septimum eius oſtium & omnium verſùs ſeptemtriones & Alpeis extimum dicebatur TARTARVM; quia à Pado quomdam alveus novus, qui nunc omnium eſt maximus, in Tartarum amnem diductus, ore eius in mare Hadriaticum effundebatur. Cæterò iter olim per hanc oram inter Ravennam Altinumque agebatur, quod antiqua tabula itineraria refert huiuſmodi:

Ravenna	
Butrio	VI.
Auguſta	VI.
Sacis. ad Padum	XII.
Neroma	IIII.
Corniculari	....
Radriani	VI.
VII *Maria*	VI.
Foſſis	VI.
Ebrone	XVIII.
Mino Meduaco	VI.
Maio Meduaco	VI.
Ad portum	III.
Altino	XVI.

Ex his

Ex his *Butrium* Ravennatium fuiſſe cis Padum opidum, extra Venetiæ fineis, pòſt ſuo loco docebo.

AVGVSTA FOSSA *opidum.*

AVGVSTA *opidum*, in exiguum hodiè redactum vicum, eodem nomine in Comaclenſibus paludibus manet. A foſsâ Auguſtâ, de qua fuſiùs in Padi oſtiorum expoſitione agam, id nominis traxiſſe, haud dubium eſt.

HADRIANVM *opidum.*

Vocabulum *Radriani* corruptum eſt ex nomine opidi, quod erat HADRIANVM; hodiéque vulgò vocatur *Ariano*. Cum adſpiratione etiam alterum illud opidum in Piceno ſcriptum habet eadem tabula *Hadriam*.

Reliqua huius itineris loca, quæ & quibus ſitibus fuerint, infrà cap. xxxv, in Padi deſcriptione indicabo.

At duo illi Straboni memorati LVCI, alter IVNONIS ARGIVAE, alter DIANAE AETOLICAE, quibus locis fuerint, propè an procul ab urbe Hadriâ, planè incertum eſt; quando nemo alius eorum meminit auctor.

ATHESIS *amnis.*

Vltra Hadriam opidum & Tartarum amnem eſt ingens flumen ATHESIS, poſt Padum totius Italiæ maximum: quod vulgò nunc Germanis *Etſch*, Italis *Adice*, & *Adige*, àdcolis autem *Adeſe* vocatur. Huic vocabulo quum præponeretur articulus *Lo*, eliſo per apoſtrophum *o*, *L'Adice*, *L'Adige*, *L'Adeſe*: imperitum vulgus id fecêre *Il Ládice*, *Il Ládige*, *Il Ládeſe*: cuiusmodi corruptiones vocabulorum in urbibus ac fluminibus paſſim innumeræ per omnem Italiam obſervare licet. Memoratur *Atheſis* Virgilio, Livii epitomatori, Plinio, Plutarcho, Floro, Claudiano, Servio, Panegyrico imperatori Conſtantino dicto, Tabulæ itinerariæ. Sed in hac vitiatum id legitur vocabulum *Afeſia*. Plutarcho quia dicitur Ἀτιζων, ATISO; quidam, in libro ſuo de Inſubrum antiquis ſedibus, non minùs præfractè, quàm imperitè, contra omnium antiquorum auctorum, maximè verò Livii, fidem auctoritatemque contendit, alium diverſumque eſſe amnem ab Atheſi: eumque eſſe, qui per Lepontios vulgari vocabulo *Toſa* in Verbanum lacum defluit: & hàc Cimbros in Italiam transiſſe. Argumentum huic opinioni maximum producit, quòd Plutarchus atque Euſebius pugnam inter Cimbros & Romanos circa Vercellas opidum commiſſam tradunt: Marius verò diem pugnæ Cimbris conſtituerit tertium. Plutarchi verba antequàm citemus; reliqui auctores audiendi ſunt. In his Virgilius Aeneid. lib. VIIII:

Quales aëriæ Liquentia flumina circum,
Sive Padi ripis, Atheſim ſeu propter amœnum,
Conſurgunt geminæ quercus.

Ad quem locum ita commentatur Servius; *Atheſis Venetiæ fluvius eſt, Verónam civitatem ambiens, & in Padum cadens*. Sic equidem Vibius etiam Sequeſter in catalogo fluminum: *Atheſis, Veronenſium; in Padum decurrit*. Sic item per ſummum errorem Tabula itineraria in Padum confluentia flumina habet, non tantùm *Atheſim*, ſed & *Meduacum* ac *Liquentiam*, quorum priores quidem duo foſſis in transverſum actis Padi aquis quodam modo commiſceri poterant: at Liquentia ſanè non magis, quàm reliqui hinc ad Hiſtriam usque amnes. Plinius ſuprà dicto lib. III cap. XVI: *Omnia ea flumina foſſasque primi à Pado fecêre Tuſci, egeſto amnis impetu per transverſum in Atrianorum paludes, quæ Septem maria adpellantur. Inde oſtia plena, Carbonaria ac Foſſiones Philiſtinæ; quod alii Tartarum vocant; omnia ex Philiſtinæ foſſæ abundatione naſcentia; accedentibus Atheſi ex Tridentinis Alpibus & Togiſono ex Patavinorum agris*. Incerti auctoris Panegyricus Conſtantino Aug. dictus: *O miſerabilem Veronenſium calamitatem; quos non tam tua, quàm inteſtina ſatellitum preſſit obſidio! Quidpe Atheſis ille ſaxis aſper, & gurgitibus verticoſus, & impetu ferox, oppugnationem prohibebat*. Livii epitomator lib. LXVIII: *Cimbri, repulſo ab Alpibus fugatoque Q. Catulo proconſule, qui fauceis Alpium obſederat, & ad flumen Atheſim caſtellum inſederat; ubi, virtute ſuâ explicitâ, fugientem proconſulem exercitumque proſequuti, in Italiam trajeciſſent; junctis eiusdem Catuli & C. Marii exercitibus, prælio victi ſunt ab eis*. Florus lib. III cap. III: *Sublatis funditus Theutonis, in Cimbros ......* [deeſſe aliquid videtur] *convertitur. Hi jam (quis crederet?) per hiemem, quæ altiùs Alpeis levat, Tridentinis jugis in Italiam provoluti ruinâ deſcenderunt. Atheſim flumen non ponte, nec navibus, ſed, quadam ſtoliditate barbaricâ, primùm corporibus adgreſſi, poſtquàm retinere amnem manibus & clipeis fruſtra tentaverant, ingeſtâ obrutum ſilvâ transſiluêre*. Huc jam adde Plutarchi etiam verba; quæ in C. Mario ſunt huiusmodi: Τῶν δὲ βαρβάρων διελόντων

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

σφᾶς αὐτοὺς δίχα, Κίμβροι μὲν ἔλαχον διὰ Νωρικῶν ἄνωθεν ἐπὶ Κάτλον χωρεῖν, καὶ τὴν πάροδον ἐκείνῳ βιάζεσθαι. Id eſt: *Barbari ubi in duas parteis ſeſe diviſerunt, Cimbris ſors obvênit, per Noricum ſupernè contra Catulum eundi, atque vi tranſitum eum aperiundi.* In regum autem imperatorumque apophthegmatum libro hæc ſunt: Κάτλος Λουτάτιος ἐν τῷ Κιμβρικῷ πολέμῳ παρὰ τὸν Ἀτισῶνα ποταμὸν ἐστρατοπέδευε. Id eſt: *Catulus Lutatius in Cimbrico bello apud Atiſonem amnem caſtra habebat.* Quis credat, eos, qui, ex Galliâ ab Rhodano amne profecti, per Noricum Italiam irrupturi erant, ab Noricorum finibus per c c millia paſſuum ad Lepontios & Toſam amnem fuiſſe retro delatos? Nemo certè ſanæ bonæque mentis homo. Proinde perquàm iniquè fecit præfatus ſcriptor, dum *eos, qui Plutarchi Atiſonem interpretati ſunt Atheſin amnem, T. Livii errores ſequutos* arguit; *qui celebritatem Gallicam pertæſus, & Venetæ gloriæ ſtudioſiſſimus, Atheſin pro Atiſone ſcripſerit.* quam ego culpam in dictum antiquitatum Inſubricarum ſcriptorem meritò retorquere ac ſummo jure poſſim. Locum diemque pugnæ quod attinet; ne idem homo imperitè vel malignè auctores interpretetur, velim. Non ſtatim hi ab Atheſis tranſitu tertium diem dixiſſe Marium tradunt; ſed ſatis magno & temporis & loci intervallo pòſt. Florus præſcripto loco: *Si ſtatim infeſto agmine urbem petiiſſent, grande diſcrimen eſſet. ſed in Venetiâ, quo ferè tractu Italia molliſſima eſt, ipsâ ſoli cœlique clementiâ robur elanguit. ad hoc panis uſu carniſque coctæ & dulcedine vini mitigatos Marius in tempore adgreſſus eſt.* Et ipſe Plutarchus in Mario, poſteaquàm Atiſonem transgreſſi fuerant Cimbri: Τὴν δὲ χώραν, ἔρημον βοηθείας, ἐπιχυθέντες ἐπόρθουν. id eſt: *Regionem præſidio carentem, effusè populati ſunt.* Poſteà verò, quum de Teutonis in Galliâ deletis, regibusque eorum captis, eis nunciaretur: Ὡς δὲ ἀπηγγέλθη ταῦτα τοῖς Κίμβροις, εὐθὺς ἐξ ἀρχῆς ἐχώρουν ἐπὶ τὸν Μάριον, ἡσυχάζοντα καὶ διαφυλάσσοντα τὸ στρατόπεδον. Hoc eſt: *Quæ ubi Cimbris ſunt renunciata; extemplò adversùs Marium, quietè tum caſtra ſua cuſtodientem, duxerunt.* Ergo antehac propè Marium & Seſſitem amnem & Vercellas, apud quod opidum Marius locum & diem pugnæ iis dixit, ut ſuo loco oſtendam, non fuêre: quamquàm effuſè jam latéque eam regionem Alpeis inter & Padum populati fuerant. Certum igitur eſt, Cimbros Tridentinis tranſiſſe in Italiam Alpibus. certum item, *Atiſonem* Plutarchi eſſe reliquorum auctorum *Atheſim*.

De cætero apud Strabonem lib. IIII, in deſcriptione Alpium populorumque Alpinorum hæc leguntur verba: Ὑπέρκειται δὲ τῶν Καρνῶν τὸ Ἀπέννινον ὄρος, λίμνην ἔχον ἐξιεῖσαν εἰς τὸν Ἴσαρον ποταμόν· ὃς παραλαβὼν Ἄταγιν ἄλλον ποταμὸν, εἰς τὸν Ἀδρίαν ἐκβάλλει. ἐκ δὲ τῆς αὐτῆς λίμνης καὶ ἄλλος ποταμὸς εἰς τὸν Ἴστρον ῥεῖ καλούμενος Ἀτησῖνος. Id eſt: *Supra Carnos Apenninus mons ſitus eſt. is lacum habet exeuntem in Iſarum fluvium: qui alium fluvium Atagin recipiens, in Hadriam effluit. Ex eodem lacu alius amnis Ateſinus in Iſtrum exit.* Locus ſanè non tantum librariorum mendis, ſed & ipſius auctoris erroribus fœdus. qui, ut hactenus doctiſſima etiam ingenia miſerè torſit, ſic nunquàm ſatis corrigi vel emendari poterit: quum nullus heic in Alpibus ſit lacus, qui duos ſimul fluvios emittat, alterum in Italiam & Hadriaticum mare, in Noricum & Iſtrum ſive Danubium alterum. Adſimilem errorem etiam haud multo antè commiſit; ubi Duriam Italiæ & Druentiam Galliæ ex uno eodemque fonte in diverſa Alpium latera ferri ait. Pro *Apennino* iſto monte, qui nullus heic ſubſiſtere eo nomine poteſt, Aethicus habet *Alpium montem in Norico*, Carnis conterminâ gente, *ex quo naſcitur Savus.* Cæterùm præfati viri docti haud dubitant, quin *Atheſim* intellexerit Strabo, quo loco nunc legimus Ἄταγιν. At Atheſis ab nullo alio recipitur flumine: ſed ipſe inter cæteros amneis recipit apud Bolzanum opidum Aiſacum, vulgò adcolis Germanis *die Aiſach*, ab fine Alpium Carnicarum ex lacu, qui vulgò eiſdem Germanis vocatur *der Praxer ſee*, profluentem. prope eum lacum alius eſt lacus minor, Dravum ingens flumen in Danubium emittens. Hæc ſi fuerit mens Straboni, verba eius ſic erunt ordinanda: Ὑπέρκειται τῶν Καρνῶν τὸ Ἄλπιον ὄρος, λίμνην ἔχον ἐξιεῖσαν εἰς τὸν Ἄταγιν ποταμόν· ὃν παραλαβὼν Ἄτεσις ἄλλος ποταμὸς, ἐκ τὸν Ἀδρίαν ἐκβάλλει. ἐκ δὲ τῆς αὐτῆς λίμνης καὶ ἄλλος ποταμὸς εἰς τὸν Ἴστρον ῥεῖ, καλούμενος Δραῦος. Id eſt: *Supra Carnos Alpius eſt mons, lacum habens exeuntem in Atagin amnem: quem alius amnis Ateſis recipiens, in mare Hadriaticum effundit. Ex eodem lacu alius fluvius in Iſtrum defertur, nomine Dravus.* ATAGIS igitur *amnis* erat, qui nunc eſt *Aiſacus*. Quamquàm obſtinatè adfirmare nolim, vocem Ἄταγιν minùs eſſe mendoſam re-

ATAGIS & BYRRVS *amnes.*

liquis

liquis duabus. De cætero in Atag[illegible]n ſive A[illegible] defluebat BYRRVS fluvius, Fortunato & Paullo Diacono memoratus: ut ſuprà cap. xvi in Rhætis oſtenſum.

Porrò apud Aelianum, Hiſtoriæ animal. lib. xiiii cap. viii, hæc leguntur: Πόλις ἐστὶν ἐν τοῖς ὑπὸ τὴν ἑσπέραν χωρίοις Ἰταλικοῖς καὶ ὄνομα αὐτῇ Παταβίον· Ἀντήνορος ἔργον εἶναι λέγουσι τοῦ Τρωὸς τὴν πόλιν. * · Οὐκοῦν τῷδε τῷ Παταβίῳ πόλις γειτνιᾷ ἑτέρα, καὶ Βιτηλίαν καλοῦσιν αὐτήν· καὶ παραρρεῖ ποταμὸς αὐτῇ Ἠρετηνὸς ὄνομα· παραμείβεται δὲ τὸν γῆν οὐκ ὀλίγην, εἶτα εἰς τὸν Ἠριδανὸν ἐμβάλλει, καὶ ἀνακοινοῦται τὸ ὕδωρ. ἐν δὲ τῷ Ἠριδανῷ ἐγχέλεις γίνονται μέγισταί τε καὶ τῶν ἀλλαχόθεν πιόταται μακρῷ. Hoc eſt: *In Italiæ occidentalibus partibus urbs eſt Patavium nomine; quam ab Antenore Troiano conditam ferunt.* Mox: *Non procul ab hac urbe Patavio alia eſt urbs nomine Vitetia; apud quam Eretenus amnis fluit; & terram haud modicam perlapſus, tandem in Eridanum influit. Cæterùm in Eridano anguillæ maximæ & omnium pingviſſimæ naſcuntur.* Mira ſanè Eridani, id eſt, Padi περίφρασις & demonſtratio; per Patavii, per Vicentiæ [Βικητίαν quidpe legendum] per amnis denique *Ereteni*, longè obſcurioris, deſcriptionem. Niſi planè inſanum hominem cenſueris fuiſſe Aelianum, legas, ἐν δὲ τῷ Ἠρετηνῷ, *in Ereteno*. nam hoc flumen oſtendere voluit tribus ſignis; ortu, ſive decurſu juxta Vicentiam urbem; deinde nomine; ac tandem confluente eius in Padum. Vicentiam autem quia minùs notam putabat eſſe; Patavii vicinitate indicare voluit. At quisnam hic ERETENVS *amnis* eſſe potuit, qui ab Vicentiæ opidi regione delatus, in Padum influxerit; quando duo haud modici intercedunt fluvii Atheſis atque Tartarus? quos illum ita transverſos ſecuiſſe, uti aquas ſuas in Padum denique detulerit, quis ſanæ mentis homo credat? Ergo in hoc erraſſe Aelianum, Padumque falſò accepiſſe pro Atheſi, neceſſum eſt. Video pleroſque eum interpretari amnem, qui vulgò Vicentinis vocatur *Rerone*. At hic perbrevis fluvius, in ipsâ urbe Vicentiâ in Meduacum minorem, qui vulgò nunc dicitur *Bachiglione*, transit. unde jam longè maior longéque fœdior foret Aeliani error. Alii legendum conjectant Ῥετηνὸς, *Rhetenus*: & eſſe eum fluvium, qui, ab oriente Vicentiam præterfluens, vulgò dicitur *Teſina*: atque ita apud Martialem lib. iii epigram. lxvii legendum *Vatreno Teſinaque pigriores*; ubi in plerisque vulgatis exemplaribus legitur *reſinaque*. Verùm, de mirabili hac vocabuli μεταμορφώσει ne quid dicam, Teſinam parum his cognitum eſſe video. non enim piger, ſed ſatis velox pro magnitudine ſuâ eſt fluvius. tum & ipſe in Meduacum minorem defluit. Interpres Latinus verba hæc παραρρεῖ αὐτῇ, vertit *adluit eam*. quam Aeliano fuiſſe mentem, minimè ego cenſeo: ſed *præterfluxiſſe Eretenum Vicentiam urbem*. Eſt hodiè amnis, medio ferè ſitu inter Vicentiam & Roveretum, Atheſi adpoſitum opidum, exoriens, vulgari vocabulo *il Lagno*, ſeu, ut alii volunt, *l' Agna*: qui, à iiii haud ampliùs millibus paſſuum Vicentiam præterfluens, Montanianâ opido abluto, duosque lacus transgreſſus, apud Angvillariam tandem opidum in Atheſim confluit. lacus ab opidis proximis cognomina habent; alter *Lago d' Angvillara*, alter *Lago di Vigazuolo* adpellatus. Hunc ego amnem antiquum illum eſſe *Eretenum*, tribus potiſſimùm documentis colligo. primùm, quia tam propè fluit Vicentiam. tum, quia nullus heic eſt alius, qui in Atheſim deferatur. denique, quòd ipſum opidum *Angvillaria* ab angvillarum priſcâ illâ copiâ & præſtantiâ haud dubiè id nominis ſortitum eſt. Huc jam adde; quòd & ipſe Aelianus haud obſcurè lacum Angvillarienſem innuit his verbis: Ἁλίσκονται δὲ ἄρα τὸν τρόπον τοῦτον· Ἐπὶ πέτρας προβλῆτος κάθηται ὁ θηρατής, ἔν τινι κολπώδει χωρίῳ, ὅπου καὶ πλατύνεται τὸ ῥεῦμα ἔτι μᾶλλον· ἢ καὶ ἐπί τινος δένδρου κάθηται προρρίζου πλησίον τῆς ὄχθης, ῥιφέντος ὑπὸ πνεύματος σκληροῦ. Id eſt: *Capiuntur autem hoc modo: Piſcator ad ſinuoſum locum, ubi fluvius plurimum dilatatur, vel in ſaxo, in aquam prominente, vel in arbore, radicitus ventorum turbinibus exſtirpatâ, ſedet*. Malè interpres Latinus, *in ſaxo ex aquâ eminente*. nulla enim heic nativa ſaxa; ut locis uliginoſis. atque, ſi vera eſt Aeliani iſthæc narratio; eiusmodi ſaxa aliunde in ripam lacus deportata fuêre. Cæterò apud Fortunatum poëtam, de vitâ S. Martini lib. iiii ita ſcriptum eſt:

Si Patavina tibi pateat via, pergis ad urbem.
Hic tibi Brinta fluens iter eſt Retenone ſecundo,
Ingrediens Atheſim Padus. excipit; inde phaſelo,
Mobilis unde tibi rapitur ratis amne citato.
Inde Ravennam placitam pete dulciùs urbem.

In hoc

In hoc itinerario ut in præcedentibus verſibus corrupta leguntur vocabula *Amintus* ſive *Auninus*, *Reumatilia montis*, *Duplavenenſis*; pro genuinis, *Aguntus*, *Reunia Tilamenti*, *Duplavelenſes*; quod ſuis locis oſtendetur: ſic in præſcriptis quoque verbis menda inhærere, omnemque orationem malè ab noviſſimis etiam editoribus commentatoribusque diſtinctam judico. nam quis credat Padum ingredi Atheſim? Lego igitur ego ita;

Si Patavina tibi pateat via, pergis ad urbem.
Hinc tibi Brinta fluens iter eſt Retenusque ſecundus:
Ingrediens Atheſim: Padus inde excipit phaſelo:
Mobilis unde tibi rapitur ratis amne citato.

Scilicet, ut nunc, ſic jam tum Bachilio, ſive, ut antiquitus adpellabatur, minor Meduacus fluvius, communi maioris Meduaci nomine interdum dicebatur *Brinta*. A Patavio igitur per Brintam, ſive Bachilionem, & foſſas, quæ jam tum fuêre, navigabatur propter Montem Silicis, Ateſte, & Vigazolum, opida, ad Eretenum usque amnem; qui tum RETENVS dicebatur Fortunati ævo. hinc ipſo Ereteno tranſibatur in Atheſim. Qui prò *Retenusque ſecundus* apud Fortunatum ſcribere maluerunt *Retenone ſecundo*; haud dubiè *Renonem* Vicentinum reſpexerunt, amnem ſibi notiorem *Reteno* ſive *Ereteno*. Hæc igitur de *Ereteno* fluvio, hactenus parum cognito.

TOGISONVS *fluvius.*

Porrò Plinii verba ex lib. III cap. XVI ſuprà citata ſunt iſta: *Inde oſtia plena, Carbonaria ac Foſſiones Philiſtinæ; quod alii Tartarum vocant: omnia ex Philiſtinæ foſſæ abundatione naſcentia; accedentibus Atheſi ex Tridentinis Alpibus, & Togiſono ex Patavinorum agris. pars eorum & proximum portum facit Brundulum; ſicut Edronem Medoaci duo ac Foſſa Clodia. His ſe Padus miſcet; ac per hæc effunditur.* Sic equidem in plerisque exemplaribus TOGISONVS eſt iſte *fluvius*. at in quibusdam reperitur *Vogiſonus*, & in aliis *Vigiſonus*: quod Hermolaum Barbarum & Bernardinum Scardonium maximè probare video. aiunt enim, eſſe idem nomen, quod hodiéque in prædicto lacu manet vulgò *Vigazuolo*. At Plinius non lacum heic vult, ſed amnem inter alios amneis. Amnis autem heic in lacu prædicto nullus, niſi qui *Eretenus* adpellatur Aeliano, & *Retenus* Fortunato. quem aliud præter hoc habuiſſe nomen, minimè credibile eſt. tum, ſi Lanius fuiſſet priſcorum ſive *Togiſonus* ſive *Vigiſonus*; non ex Patavinorum, ſed ex Vicentinorum Ateſtinorumque agris eum profluere dicturus erat Plinius. Quin dicendus omnino non erat: non magis, mehercule, quàm reliqui fluvii omnes, quos Atheſis à fonte ad oſtium usque recipit, ſuoque ore in mare effundit. Quapropter alius quærendus eſt amnis, qui id nominis ſuſtinere poſſit: quique ſuo oſtio effluat in mare. At alius heic inter Meduacum & Atheſim nullus eſt, niſi qui, ſub opido Monte Silicis exortus, vulgò adcolis vocatur *Foſſa Paltana*: receptisque aliquot minoribus rivulis, ſuo ore apud vicum Bebias in Brundulum portum effunditur.

PATAVIVM *urbs.*

Trans Togiſonum amnem ſequitur princeps quondam in his oris & poſt Spinam omnium antiquiſſima urbs PATAVIVM; ut cuius originem è Troianæ urbis ruinâ auctores deduxerunt. Pomponius Mela lib. II cap. IIII: *Vrbium, quæ procul à mari habitantur, opulentiſſimæ ſunt, ad ſiniſtram, Patavium Antenoris; Mutina & Bononia, Romanorum coloniæ.* Solinus cap. VIII: *Notum eſt, Patavium ab Antenore conſtitutum.* Martianus Capella lib. VI: *Patavium Antenor condidit.* Aelianus prædicto Hiſtor. animal. lib. XIIII cap. VIII: Πόλις ἐςὶν ἐν τοῖς ὑπὸ τὴν ἑσπέραν χωρίοις Ἰταλικοῖς, καὶ ὄνομα αὐτῇ Παταβιον· Ἀντήνορος ἔργον εἶναι λέγουσι τοῦ Τρωός. Id eſt: *In Italiæ oris occidentalibus urbs eſt Patavium; quam Antenorem Troianum condidiſſe ferunt.* Seneca, Conſolat. ad Helviam cap. VII: *Quid intereſt, enumerare Antenorem Patavii conditorem?* T. Livius Patavinus, initio lib. I: *Iam primùm omnium ſatis conſtat, Troiâ captâ in cæteros ſævitum eſſe Troianos: duobus Aeneâ Antenoreque, & vetuſti jure hoſpitii, & quia pacis reddendæque Helenæ ſemper auctores fuerant, omne jus belli Achivos abſtinuiſſe. caſibus deinde variis Antenorem cum multitudine Henetûm, qui, ſeditione ex Paphlagoniâ pulſi, & ſedeis & ducem, rege Pylæmene ad Troiam amiſſo, quærebant, veniſſe in intimum maris Hadriatici ſinum; Euganeisque, qui inter mare Alpeisque incolebant, pulſis, Henetos Troianosque eas tenuiſſe terras.* Hinc Virgilius, Aeneid. lib. I, Venerem introducit ita apud Iovem loquentem:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Antenor potuit, mediis elapſus Achivis,
Illyricos penetrare ſinus, atque intima tutus
Regna Liburnorum & fontem ſuperare Timavi;
Vnde per ora novem vaſto cum murmure montis
It mare præruptum, & pelago premit arva ſonanti.
Heic tamen ille urbem Patavî ſedeisque locavit
Teucrorum; & genti nomen dedit; armaque fixit
Troïa.

Ad quæ verba ita ſcriptum eſt apud commentatorem poëtæ Servium: *Capto Ilio, Menelaus, memor, ſe & Vlixem beneficio Antenoris ſervatos, quum, repetentes Helenam, ab eo eſſent ſuscepti, ac penè à Paride aliisque juvenibus interempti eſſent, parem gratiam reddens, inviolatum dimiſit. qui cum uxore Theanô & filiis Helicaone & Polydamante cæterisque ſociis in Illyricum venit: & bello exceptus ab Euganeis & rege Veleſo, victor urbem Patavium condidit. id enim reſponſi acceperat; eo loco condere urbem, quà ſagittis avem petiſſet. ideò ex avis petito auſpicio Patavium nominatum.* Et paullo pòſt: *Patavium autem dictum, vel à Padi vicinitate; vel, ſicut ſuprà dictum eſt, alii à palude palmâ, quæ vicina civitatis eſt, quaſi Padavium: vel* ἀπὸ τοῦ πέτεσθαι· *quòd captato augurio dicitur conditum: vel, quòd avem telo petiſſe dicitur, & eo loco condidiſſe civitatem.* Poſteriora hæc fœdè ſunt vitiata. Quædam exemplaria habent, *à palude Patinâ dictam putant.* Sed ego ſic legendum cenſeo: *Patavium autem dictum, vel à Padi vicinitate; vel, ut alii putant, à palude Paduâ, quæ vicina civitati eſt, quaſi Padavium; vel, ut ſuprà dictum eſt,* ἀπὸ τοῦ πέτεσθαι. De ave petitâ, vel de augurio, grammaticorum ineptorum putidum eſt commentum. Græcâ lingvâ Troianum voluiſſe novæ urbi nomen imponere, minimè credibile eſt. A magno nobilique amne, haud ita longè disſito, vocabulum ei quæſitum eſſe, nihil abſonum fuerit. Ab Antenore tamen eſſe inditum, etiamnum dubito; quando Celticam formationem habere videtur, quaſi *Padaw*. quod poſteà Latini ſuo ore formarunt *Patavium*: ut *Bataviam* vocaverunt Batavorum ad Rheni oſtia agrum, qui incolis erat *Bataw*. ex *Patavio* tandem factum *Padua*; ut nunc in uſu eſt: quemadmodùm ex *Bataviâ Batua*; ut Germaniæ lib. II cap. XXX docui. A Venetis igitur Illyriis fortè nomen inditum fuerit urbi, in quam poſteà cum ſociis receptus eſt à Troiâ captâ profugus Antenor; quemadmodùm ad alterum mare in Latii ac Romæ urbis partem cum ſuis Aeneas. hinc poſterioribus temporibus auctores conditoresque earum urbium exiſtimati ſunt; ut latiùs de Aeneâ in Romanæ urbis deſcriptione disſeretur. Illyrios autem fuiſſe partem gentis Celticæ, Germaniæ lib. I plurimis documentis oſtenſum eſt. Illi grammatici, qui ἀπὸ τοῦ πέτεσθαι adpellatam hanc urbem nugati ſunt *Patavium*, haud dubiè Pannoniæ, quæ & ipſa antiqui inter Danubium & Hadriaticum mare Illyrici pars eſt, urbem reſpexerunt; quæ apud auctores legitur *Petavium, Petavio, Patavio,* & *Pætovio*; vulgò verò nunc dicitur *Pettaw*. De cætero inter *opulentiſſimas* Italiæ urbeis computat Mela *Patavium* loco proximè dicto. qua de re ita Strabo, Melæ ferè æqualis, lib. V: Παταούιον, πασῶν ταύτῃ ἀρίστη τῶν πόλεων· ἣν νεωστὶ λέγεται τιμήσασθαι πεντακοσίους ἱππικοὺς ἄνδρας· καὶ τὸ παλαιὸν δὲ ἔστελλε β΄ μυριάδας στρατιᾶς. δηλοῖ δὲ καὶ τὸ πλῆθος τῆς πεμπομένης κατασκευῆς εἰς τὴν Ῥώμην κατ᾽ ἐμπορίαν τῶν τε ἄλλων καὶ ἐσθῆτος παντοδαπῆς, τὴν εὐανδρίαν τῆς πόλεως καὶ τὴν εὐτυχίαν. Hoc eſt: *Patavium omnium eius regionis* [inter Apenninum & Alpeis] *urbium præſtantiſſima eſt. in qua nuper, aiunt, cenſos fuiſſe* I Ↄ *viros equeſtreis. & antiquitus ad bellum mittebat* XX *armatorum millia. Multitudo etiam mercium, quas Romam ad mercatum mittunt Patavini, cùm aliarum, tùm veſtimentorum, indicat quantum & viribus & opibus ea urbs polleat.* Galli olim Cisalpini quum validam numeroſamque Venetorum gentem armis continenter tentarent, Patavium quoque, ut omnium Veneticarum principem urbem, gravi bello perpetuò divexarunt. Livius ſub initium libri X: *Semper Patavinos in armis adcolæ Galli habebant.* Opidani igitur à *Patavio* dicebantur PATAVINI; teſte Livio hoc loco, & item Plinio ſuprà ſcripto lib. III cap. XVI. unde ſic etiam Martialis lib. XI epigr. XVII:

Tu quoque nequitias noſtri luſusque libelli
Vda puella leges; ſis Patavina licèt.

Et lib. XIIII, epigr. CXLIII:

Vellera

Vellera quum ſumant Patavinæ multa trilices;
Et pingveis tunicas ſerra ſecare poteſt.

MEDVACI *duo, amnes.*

Cæterùm perfluit urbem MEDVACVS MINOR; præterfluitque ab ſeptemtrionibus MEDVACVS MAIOR. Hic nunc *Brenta* vulgò vocatur, ille *Bachiglione*, ſeu adcolarum dialecto *Bacaiôn*. Apud Livium dicto modò loco hæc legitur hiſtoria: *Eodem anno* [ab urbe Româ conditâ CCCCLI, M. Livio & C. Aemilio conſulibus; ante natum Ieſum CCCII] *claſſis Græcorum, Cleonymo duce Lacedæmonio, ad Italiæ litora adpulſa.* Mox: *Penitus ad litora Venetorum pervênit. Ibi expoſitis paucis, qui loca explorarent, quum audiſſet, tenue prætentum litus eſſe; quod transgreſſis ſtagna ab tergo ſint irrigua æſtibus maritimis: agros haud procul proximos campeſtreis cerni: ulteriora colles: inde eſſe oſtium fluminis prealti, quo circumagi naveis in ſtationem tutam vidiſſent: (Meduacus amnis erat) eò invectam claſſem ſubire flumine adverſo juſſit. Graviſſimas navium non pertulit alveus fluminis. in leviora navigia transgreſſa multitudo armatorum, ad frequenteis agros, tribus maritimis Patavinorum vicis incolentibus eam oram, pervênit. Ibi egreſſi, levi præſidio navibus relicto, vicos expugnant; inflammant tecta; hominum pecudumque prædas agunt; & dulcedine prædandi longiùs usque à navibus procedunt. Hæc ubi Patavium ſunt nunciata (ſemper autem eos in armis adcolæ Galli habebant (in duas parteis juventutem dividunt. altera in regionem, quà effuſâ populatio nunciabatur; altera, ne cui prædonum obvia fieret, altero itinere ad ſtationem navium (millia autem XIIII ab opido aberat) ducta. in naveis parvas, cuſtodibus interemptis, impetus factus: territique nautæ coguntur naveis in alteram ripam amnis trajicere. & in terrâ proſperum æquè in palatos prædatores prœlium fuerat: refugientibusque ad ſtationem Græcis Veneti obſiſtunt. ita in medio circumventi hoſtes, cæſique. pars capti, claſſem, indicant, regemque Cleonymum tria inde millia abeſſe. Ibi captivis proximo vico in cuſtodiam datis, pars fluviatileis naveis, ad ſuperanda vada ſtagnorum aptè planis alveis fabricatas, pars captiva navigia armis complent. profectique ad claſſem, immobileis naveis, & loca ignota plùs quàm hoſtem timenteis, circumvadunt: fugienteisque in altum, ac nusquàm repugnanteis, usque ad oſtium amnis perſequuti, captis quibusdam incenſisque navibus hoſtium, quas trepidatio in vada intulerat, viatores revertuntur. Cleonymus, vix quintâ parte navium incolumi, nullâ regione maris Hadriatici proſperè aditâ, diſceſſit. Roſtra navium, ſpoliaque Laconum, in æde Iunonis veteri fixa, multi ſuperſunt, qui viderunt Patavii. Monumentum navalis pugnæ eo die, quo pugnatum eſt, quotannis ſolenni certamine navium in flumine opidi medio exercetur.* Adparet ex his, omne Venetiæ

LITVS *Venetum.*

litus, planum & apertum, nullisque præmunitum montibus aut tumulis, jam inde antiquiſſimis temporibus ſtagnis ac paludibus, partim ex Pado Atheſique & aliis fluminibus, partim ex ipſo mari naſcentibus, fuiſſe tectum. Inde illud Plinii dicto lib. III cap. XVI, de Pado: *Vrgetur aquarum mole, & in profundum agitur, gravis terræ; quamquàm diductus in flumina & foſſas inter Ravennam Altinumque; tamen, quia largiùs vomit, VII maria dictus facere.* Hinc item iſtud Antonini in Itinerario: *Ab Arimino recto itinere Ravennam* M. P. XXXIII. *Inde navigantur Septem maria Altinum usque.* Nempe, quia Padus VII oſtiis in mare effundebatur; eaque crebris foſſis Atheſi, Togiſono, & duobus Meduacis, aliisque ad Altinum fluminibus miſcebantur; totius huius litoris paludes ac ſtagna dicta ſunt SEPTEM MARIA. Verùm de eodem litore clariùs ita Strabo dicto lib. V: Ἅπασα μὲν οὖν ἡ χώρα ποταμοῖς πληθύει καὶ ἕλεσι, μάλιστα δ' ἡ τῶν Ἑνετῶν. πρόσεστι δὲ ταύτῃ καὶ τὰ τῆς θαλάττης πάθη. μόνα γὰρ ταῦτα τὰ μέρη σχεδόν τι τῆς καθ' ἡμᾶς θαλάττης ὁμοιοπαθεῖ τῷ Ὠκεανῷ, καὶ παραπλησίους ἐκείνῳ ποιεῖται τάς τε ἀμπώτεις καὶ τὰς πλημμυρίδας. ὑφ' ὧν τὸ πλέον τοῦ πεδίου λιμνοθαλάττης γίνεται μεστόν. διώρυξι δὲ καὶ παραχώμασι, καθάπερ ἡ κάτω λεγομένη χώρα τῆς Αἰγύπτου, διοχετεύεται· καὶ τὰ μὲν ἀνέψυκται καὶ γεωργεῖται, τὰ δὲ διάπλους ἔχει. τῶν δὲ πόλεων αἱ μὲν νησίζουσιν, αἱ δ' ἐκ μέρους κλύζονται. ὅσαι δὲ ὑπὲρ τῶν ἑλῶν ἐν τῇ μεσογαίᾳ κεῖνται, τοὺς ἐκ τῶν ποταμῶν ἀνάπλους θαυμαστοὺς ἔχουσι. μάλιστα δ' ὁ Πάδος· [malim, μάλιστα δ' ἐκ τοῦ Πάδου·] μέγιστός τε γάρ ἐστι, καὶ πληροῦται πολλάκις ἔκ τε ὀμβρίων καὶ χιόνων· διαχεόμενος δ' εἰς πολλὰ μέρη κατὰ τὰς ἐκβολὰς, τυφλὸν τὸ στόμα ποιεῖ, καὶ δυσείσβολός ἐστιν. Hoc eſt: *Omnis hæc regio fluviis abundat ac paludibus; maximè Venetorum: quæ etiam æſtus marinos patitur. ſola quippe ferè iſta maris noſtri pars eodem, quo Oceanus, adficitur modo; ſimileisque eius æſtibus adfluxus refluxusque patitur. unde maior planitiei pars ſtagnis marinis oppleta eſt: foſſisque & aggeribus actis, quemadmodum in inferiori fit Aegypto, aqua hinc inde diducitur: aliæque partes ſiccata,*

ſiccatæ, agriculturam experiuntur; aliæ navigabiles exſiſtunt. urbiumque inibi aliæ inſularum ritu cinguntur aquis; aliæ ex parte aquis adluuntur. in mediterraneo ſupra paludes quæ ſitæ ſunt, ad has fluminibus adverſis miræ ſunt ſubvectiones; maximè Pado. hic quidpe quum ſit maximus, ſæpenumerò imbribus nivibusque impletur: diffuſusque apud exitus in complureis parteis, oſtium efficit obſcurum; ingreſſuque difficilis redditur. Caſſiodorus Variar. lib. XII epiſt. XXIIII: *Venetiæ prædicabiles, quondam plenæ nobilibus, ab auſtro Ravennam Padumque contingunt; ab oriente jucunditate Ionii litoris perfruuntur. ubi alternus æſtus egrediens modò claudit, modò aperit faciem reciprocâ inundatione camporum. Heic vobis aliquantulum aquatilium avium more domus eſt. namque nunc terreſtris, modò cernitur inſularis. ut illic magis æſtimes eſſe Cycladas, ubi ſubitò locorum facies reſpicis immutatas. earum quidpe ſimilitudine per æquora longè patentia domicilia videntur ſparſa. quæ natura non protulit; ſed hominum cura fundavit. viminibus enim flexibilibus illigatis terrena illic ſoliditas adgregatur; & marino fluctui tam fragilis munitio non dubitatur opponi. ſcilicet, quando vadoſum litus moles ejicere neſcit undarum, & ſine viribus fertur, quòd altitudinis auxilio non juvatur. Habitatoribus autem una copia eſt, ut ſolis piſcibus expleantur. Paupertas ibi cum divitibus ſub æqualitate convivit. Vnus cibus omneis reficit. habitatio ſimilis univerſos concludit. Neſciunt de penatibus invidere. & ſub hac menſurâ degentes evadunt vitium, cui Mundum conſtat eſſe obnoxium.* Procopius Gothicar. rer. lib. I; de Ravennâ agens: Ἐνταῦθα γίγνεταί τι ἐς ἡμέραν ἑκάστην θαυμάσιον· οἷον· ἡ θάλασσα πρωῒ ποιουμένη σχῆμα ποταμοῦ, ἡμέρας ὁδὸν εὐζώνῳ ἀνδρὶ, ἐς γῆν ἀναβαίνει, καὶ πλόϊμον αὐτὴν παρεχομένη ἐν μέσῃ ἠπείρῳ, αὖθις ἀναλύουσα τὸν πορθμὸν, ἀναστρέφει ἀμφὶ δείλην ὀψίαν, καὶ ἐφ' αὑτὴν ξυνάγει τὸ ῥεῦμα. Ὅσοι οὖν ἐς τὴν πόλιν ἐσκομίζειν τὰ ἐπιτήδεια, ἢ ἐνθένδε ἐκφέρειν κατ' ἐμπορίαν ἢ κατ' ἄλλην ἔχουσιν αἰτίαν, τὰ φορτία ἐν τοῖς πλοίοις ἐνθέμενοι, κατασπάσαντές τε αὐτὰ ἐν τῷ χωρίῳ οὗ δὴ ὁ πορθμὸς γίνεσθαι εἴωθεν, προσδέχονται τὴν ἐπιρροήν. καὶ ἐπειδὰν αὕτη ἀφίκηται, τά τε πλοῖα κατὰ βραχὺ ἐκ γῆς ἐπαιρόμενα πλεῖ, καὶ οἱ ἀμφὶ ναῦται, ἔργου ἐχόμενοι, ναυτίλλονται ἤδη. Καὶ τοῦτο οὐκ ἐνταῦθα μόνον ἀλλ' εἰς ἅπασαν τὴν ἐκείνης ἀκτὴν ἐσαεὶ γίνεται, ἄχρις ἐς Ἀκυληΐαν πόλιν. Id eſt: *Hoc autem in loco mirandum quid ſingulis diebus accidit. nempe mare ſummo diluculo fluminis ritu in terram illatum, tantum eius æſtuando invadit, quantum itineris unâ die vir expeditus conficere poſſit; locaque mediterranea navigabilia efficit. deinde verò circa ſerum diei, inundatione ſolutâ, æſtu reciprocante, emiſſas undas in ſe reducit. Itaque qui vel inferre in urbem neceſſaria volunt, vel inde merceis aliasve res efferre; navigiis onera imponunt: hisque in locum ſubtractis, unde fieri trajectus ſolet; æſtum operiuntur. quo accedente, navigia ſenſim undis ſublevata fluitare, nautæque remigare incipiunt. Atque hoc non modò hoc in loco, ſed in omni hoc ad Aquileiam usque litore fit.* Quæ *ſtagna* hisce in locis Livius vocat *æſtibus maritimis irruga*, Straboni uno vocubulo ſunt λιμνοθάλατται. Eſt autem id æſtuarium ſeu mare vadoſum, quod inter Atheſim Silimque flumina inſulas complureis, atque in harum nonnullis Venetiam urbem continet. cuius æſtuarii longitudo ad XXXV millia paſſuum, latitudo inter duos vicos, quibus vulgareis adpellationes *Liſa Fuſina* & *Malamoco*, VIII conficit. Huic *tenue*, ut ait Livius, *litus prætentum*, hodiéque vulgò dicitur *il Lito* ſive *Lido*, frequentibus ſciſſum fluminum oſtiis portubusque; in quibus præcipui *Brundulus*, *Edro*, & *Meduacus*; vulgò nunc *Porto Brondolo*, *Porto di Chioggia*, & *Porto di Malamoco*, dicti. *A tergo* eorumdem ſtagnorum ſunt *agri* illi *proximi campeſtres* circa Patavium: & *ultra* hos ſunt *colles*, inter Patavium, Ateſte, & Vicentiam. Erravit igitur heic haud modicè nuper Venetarum rerum ſcriptor; qui ſtagna ea marina olim per XXX millia ad prædictos usque colleis extenſa fuiſſe tradit. Cæterò *Meduacum amnem* Livius præſcripto loco unum tantùm memorat; ut & Strabo dicto lib. V in his verbis: Πλησίον τῶν ἑλῶν ἐστὶ τὸ Παταύιον· ἔχει δ' ἐκ θαλάττης ἀνάπλουν ποταμῷ διὰ τῶν ἑλῶν φερομένῳ σταδίων ν' καὶ σ' ἐκ λιμένος μεγάλου· καλεῖται δ' ὁ λιμὴν Μεδόακος, ὁμώνυμος τῷ ποταμῷ. Hoc eſt: *Prope paludes eſt Patavium. ad eam à mari ſubvectio eſt adverſo flumine, per paludes labente, ad ſtadia* CCL, *ex magno portu; cui, ut flumini, nomen eſt Medoaco.* At Plinio Tabulæque itinerariæ duo ſunt MEDOACI, ſive MEDVACI, *Maior Minorque*; ut ſuprà dixi. Plinius lib. III cap. XVI; de Pado: *Inde oſtia plana, Carbonaria ac Foſſiones Philiſtinæ; quod alii Tartarum vocant: omnia ex Philiſtinæ foſſæ abundatione naſcentia; accedentibus, Atheſi ex Tridentinis Alpibus, & Togiſono ex Patavinorum agris. pars eorum & proximum portum facit Brundulum: ſicut Edronem Medoaci duo ac Foſſa Clodia. His ſe Padus miſcet; ac per hæc effunditur.* Tabula itineraria iter habet per hanc oram huiusmodi:

Altino	
Ad portum	XVI.
Maio Meduaco	III.
Mino Meduaco	VI.
Ebrone	VI.
Foſſis	XVIII.
VII *Maria*	VI.
Radriani	VI.
Corniculani	VI.
Neroma	....
Sacis. ad Padum	IIII.
Auguſta	XII.
Butrio	VI.
Ravenna	VI.

In itinere hoc quin librariorum incuriâ imperitiâque multa ſint vitiata, haud dubium eſſe poteſt, quando milliarium numeri plerisque intervallis locorum, quæ ſatis hodiéque nota ſunt, minimè conveniunt.

PORTVS *Venetus.*

PORTVS iſte inter Altinum & Maiorem Meduacum nullus alius eſt, quàm qui ad Venetiam urbem hodiè omnium maximus ac celeberrimus, vulgò dicitur *Porto di Venetia*, & *Porto di San Nicolò*. Inter hunc autem & Altinum, cuius rudera quædam cum antiquo nomine etiam nunc haud procul Sili amne exſtant, millia paſſuum ſunt haud ampliùs XII. Proinde, niſi iter id olim per ambages actum fuerit, numerus in Tabulâ XVI millium mendoſus erit.

MEDVACVS *portus.*

MAIORIS MEDVACI *oſtium ac portus* hodiéque, ut antè dixi, priſcam adpellationem, licèt mirificè detortam, habet vulgò *Porto di Malamoco:* quo nomine etiam vicum habet inſula inter portum ſeu oſtium Meduaci & portum urbis Venetiæ poſita: cuius inſulæ longitudo eſt IIII millium paſſuum. Ipſum amnem *Meduacum maiorem Brentam* hodiè vocari, ſuprà dixi. Oritur haud ita procul ab Tridentinâ urbe, quà Vicentiam itur, ſupra opidum *Caldonatium*. atque inde longo terrarum tractu præter opida, quibus vulgaria vocabula, *Viviano*, *Ciſmone*, *Baſſano*, *Como*, ex ſeptemtrione in meridiem delatus, ad Patavium à duobus circiter millibus paſſuum adpropinquat. inde in orientem convertitur ad locum usque, cui vulgarem adpellationem eſſe dixi *Liſa Fuſina*. hinc ad meridiem rurſus inflexo curſu, mox verſùs prædictum portum Meduacum ſtagna marina tranſit.

MINOR MEDVACVS, ut antè dixi, nunc vulgò vocatur *Bachiglione*, vel ſimpliciùs *Bacaiôn*. Is apud vicum *Val di Conti* ſupra opidum *Schio* exortus, medias urbeis Vicentiam & Patavium tranſit. à Patavio in orientem hibernum, pronior tamen in meridiem, ad vicum usque *Bovolentam*, inde in orientem Aequinoctialem ad prædicta ſtagna marina fertur; ac tandem portu, qui vulgò nunc à proximo opido dicitur *Porto di Chioggia* ſive *Chioza*, in mare effunditur.

EDRO & BRVNDVLVS *portus.*

Hic ille eſt EDRO ſive EBRO *portus* Plinii ac Tabulæ; quem *duos Meduacos ac Foſſam Clodiam* efficere dicit ille: cui proximus eſt BRVNDVLVS *portus*, vulgò etiamnunc *Porto Brondolo* dictus: quem *facere Togiſonum* & *partem* aquarum *Atheſis*, idem teſtatur Plinius. In Tabulâ igitur ſcriptum fuiſſe puto hoc modo:

Altino	
Ad portum	XII.
Maiore Meduaco	IIII.
Minore Meduaco, Ebrone	VI.

A Meduaci enim maioris portu ad dictum minoris Meduaci oſtium, ſive portum Edronem, prope opidum, quod vulgò nunc dicitur *Chioza*, VI tantùm ſunt millia paſſuum. *Ebrone* tamen in archetypo tabulæ an perſcriptum fuerit, meritò dubitaverim; quando cuncta Plinii exemplaria id vocabulum per *d* habent *Edronem*.

Cæterùm Plinii verba eo loco lib. III cap. XVI pleniora hæc ſunt de Pado: *Vrgetur aquarum mole, & in profundum agitur, gravis terræ; quamquàm diductus in flūmina & foſſas inter Ravennam Altinumque per* CXX *millia paſſuum; tamen, quia largiùs vomit,*

ſeptem

ſeptem maria dictus facere. Auguſtâ foſſâ Ravennam trahitur; ubi Paduſa vocatur. Proximum inde oſtium magnitudinem portus habet, qui Vatreni dicitur. hoc antè Eridanum oſtium dictum eſt. Proximum inde oſtium Capraſiæ. dein Sagis. dein Volane; quod antè Olane vocabatur. Omnia ea flumina foſſasque primi à Pado fecêre Thuſci, egeſto amnis impetu per transverſum in Atrianorum paludes, quæ Septem maria adpellantur. Inde oſtia plana, Carbonaria ac Foſſiones Philiſtinæ; quod alii Tartarum vocant: omnia ex Philiſtinæ foſſæ abundatione naſcentia; accedentibus, Atheſi ex Tridentinis Alpibus, & Togiſono ex Patavinorum agris. Pars eorum & proximum portum facit Brundulum; ſicut Edronem Medoaci duo ac foſſa Clodia. His ſe Padus miſcet; ac per hæc effunditur.
Poſt *Volanam* oſtium, quod hodiéque idem nomen retinet, duo reliqua nominat oſtia, *Carbonariam ac Foſſiones Philiſtinas*, quod & *Tartarum*. inde *Togiſonum* memorat cum *Atheſi*. Horum quatuor fluminum partem ait *Brundulum portum* facere. nempe Togiſonus is erat, ut ſuprà oſtendi, & pars aquarum Atheſis, Philiſtinâ foſsâ eò diducta. Vltimum Padi oſtium *Foſſiones Philiſtinas* video plerosque interpretari Atheſis oſtium: quia ad huius lævam ripam hodiè vicus vulgò dicitur *Foſſone*. Verùm hos refellit vel una ea ratio, quòd Plinius idem oſtium ait dici aliis *Tartarum*: nempe à flumine *Tartaro*; cuius verum genuinumque erat oſtium. poſteaquàm verò *Foſſa Philiſtina* ſive *Foſſiones Philiſtinæ* à Pado in Tartarum amnem actæ ſunt; amiſſo hic antiquo ac vero nomine, ab eo confluente dictus eſt & ipſe *Foſſiones Philiſtinæ*. qua de re pluribus infrà in deſcriptione Padi agemus. Ille tamen in ſiniſtrâ Atheſis ripâ vicus vulgari vocabulo *Foſſone*, haud dubiè & ipſe nomen accepit à *foſſione*, qua Atheſis pars diducebatur in Togiſonum amnem & Brundulum portum. nam Plinius, poſt memoratos & Atheſim & Togiſonum & Meduacos duos, diſertè ait, *his ſe Padum miſcere, ac per hæc effundi*.

Idem Plinius *Edronem portum* ait *facere Meduacos duos & foſſam Clodiam*. Hæc FOSSA CLODIA haud dubiè id flumen eſt, quod à minori Meduaco, ſive, ut nunc vocatur, à Bachilione diductum, vulgò adpellatur *Bachliglion nuovo*; effunditurque in ſuprà dicta ſtagna contra celebre opidum, quod inde originem nomenque jam olim accepit, vulgò nunc *Chioggia* & *Chioza* dictum. uſitatum quidpe Romanis fuiſſe, eiusmodi foſſionibus opida ſimul adponere, pluribus exemplis patet. ſic ſcilicet ad *Foſſam* ſive *Foſſas Druſianas*, Tacito Annal. lib. II ac Svetonio in Claudio memoratas, quæ à Rheno in Iſalam ductæ erant, opidum eodem nomine ſimul conditum eſt, quod Germani aliquamdiu *Druſiburgium*, mox verò *Duſiburgium* vocarunt; ut Germaniæ lib. III cap. XVII docui. ſic in Galliâ apud Rhodanum amnem opidum memoratur Tabulæ itinerariæ *Foſſæ Marianæ*, quod hodiéque eodem ſitu incolis dicitur *Fos*, ad veſtigia foſſarum à Mario bello Cimbrico, ut auctor eſt Strabo lib. IIII, ductarum. ſic eadem Tabula unà cum Ptolemæo Etrutriæ habet opidum *Foſſas Papirianas*, inter Piſas & Lunam. ſic denique in eâdem Tabulâ ſuprà ſcriptum iter locum inter Edronem portum & Hadrianum refert, cui nomen *Foſſis*; haud dubiè ad *Foſſas Philiſtinas* opidum ſeu vicum; ut poſteà in Padi deſcriptione oſtendam. De cætero, quòd Plinius ait utrumque Meduacum cum foſsâ Clodiâ efficere portum Edronem, id ſanè neſcio quomodò factum fuerit; niſi ſtatuamus, eum quoque fluvium, qui à maiori Meduaco ſive Brentâ amne, quà *Dolus* ei vicus adpoſitus eſt, in Bachilionem ad *Conchas* vicum defluit, vulgari adpellatione *Brenta nuova*, jam inde antiquis huc diductum fuiſſe temporibus. Sed & id flumen, quod inter Patavium & Stradam vicum ex Bachilione in Brentam navigatur, quodque & ipſum vulgò adpellatur *Brenta*, quemadmodùm omnis etiam in urbe Patavinâ Bachilio, antiquiſſimis jam inde temporibus diductum fuiſſe, ex ſuprà ſcriptis Livii ac Strabonis ferè colligo verbis. quidpe Strabo *ad Patavium* ait *ſubvectionem eſſe à mari adverſo flumine ex magno portu, cui, ut flumini, nomen ſit Meduaco*. Quod nomen jam tum fuiſſe ei portui, quem efficit maioris Meduaci ſive Brentæ oſtium, inde patet, quòd minoris Meduaci oſtium propriâ adpellatione dicebatur *Edro portus*. Ac licèt ex Strabone res ea dubia adhuc manere poſſit; quum hic portus uno eodemque tempore promiſcuè, nunc Edronis, nunc Meduaci minoris adpellatione uſurpari potuerit; & intervallum CCL ſtadiorum, id eſt, millium circiter XXXI, utrique Meduaco æquè conveniat: tamen Livium maiorem intellexiſſe amnem, liquet ex his verbis: *Inde eſſe oſtium fluminis*

FOSSA CLODIA *opidum.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

præalti, quo circumagi naveis in ſtationem tutam vidiſſent. quidpe ab Edrone portu naves adverſo Meduaco minore non *circumaguntur* flexu aliquo fluminis; ſed directo ferè alveo ex ortu in occaſum ad vicum Bovolentam usque ſubducuntur. at maiori Meduaco variis flexibus verè circumaguntur. Huic documento accedit & illud, quòd auctor libelli, qui medio ſæculo de Augusti Cæſaris progenie compoſitus eſt, cui vel ipſe auctor, vel alius quis ineptus grammaticus falſum Meſſallæ Corvini nomen præpoſuit, Brenteſiâ Antenorem ex mari ad Patavium ſubvectum tradit. Verba eius hæc ſunt: *Ad caput Hadriatici maris curſum tenuit. & relicto æquore, adverſo flumine, quod Brenteſia dicitur, ſurſum contendens, terrâ potitus, ſedem ſibi ſuisque elegit: & expugnatis Euganeis, qui tum ea incolebant loca, Patavium condidit.* In Tabulâ itinerariâ (cuius auctorem Valentiniani Valentisque fratrum imperatorum ævo adſerui Germaniæ lib. II cap. V) ut falſò, quod ſuprà notavi, Meduacum flumen unà cum Atheſi ac Liquentiâ in Padum deducitur, ſic etiam BRENTESIA, ſive, ut illic ſcriptum eſt, BRINTESIA, per ſimilem errorem perperam à Pado in mare derivatur. Id vocabulum quin antiquum ab eo usque ævo, non Bachilionis, ſed Brentæ fuerit nomen, nemo hactenus dubitavit. Verùm ſecundùm Livii hiſtoriam, Antenoris claſſis ad Patavium usque ſubvecta non fuit. ſic enim ille ſub initium libri I: *In quem primum egreſſi ſunt locum, Troia vocatur: pagoque inde Troiano nomen eſt. gens univerſa Veneti adpellati.* Claſſe in tutam ſtationem adverſo flumine circumvecti, apud ſuprà dictam *Liſam Fuſinam* fortè primum egreſſum fecêre: eique loco ex priſtinæ patriæ memoriâ datum eſt nomen TROIA: ac proximus hinc verſùs Patavium tractus TROIANVS PAGVS adpellatus eſt. Cæterùm apud eumdem Livium lib. X, in ſuprà ſcriptâ hiſtoriâ de Cleonymo Lacedæmonio, numerum millium XIIII corruptum eſſe cenſeo à genuino XXIIII millium numero. cui ſi III illa reliqua addas; intervallum id quadrabit in oſtium amnis internum, quà in ſtagna marina effunditur: ubi ſtationem habuiſſe claſſis Cleonymi graviores naveis, diſertè tradit Livius his verbis: *Quum audiſſet, tenue prætentum litus eſſe: quod transgreſſis ſtagna ab tergo ſint irrigua æſtibus maritimis: inde eſſe oſtium fluminis præalti, quo circumagi naveis in ſtationem tutam vidiſſent: eò circumvectam claſſem ſubire flumine adverſo juſſit. graviſſimas navium non pertulit alveus.* Hinc etiam poſteà eos Patavini fugarunt per vadoſa ſtagna ad externum usque amnis oſtium. Sed de *Meduacis* uti tandem concludam; nomen eorum quod attinet, in cunctis pariter Livii exemplaribus & in Tabulâ itinerariâ tribus in locis ſcriptum eſt in ſecundâ ſyllabâ per V, MEDVACVS. Ea ſyllaba quum poſitione eſſet brevis, Græci eam protulerunt per ſimplex ο μικρὸν, Μεδόακος, MEDOACVS: quam ſcriptionem uſurpavit & Plinius, Latinus auctor, à Græco fortè Metrodoro, quem illic citat, acceptam.

BRENTESIA *flumen.*

TROIA, *locus;* & TROIANVS *pagus.*

Porrò in Patavino agro vicus eſt hodiè, IIII millia paſſuum à Patavio verſùs meridiem diſſitus, vulgari vocabulo A'*bano*, & corruptiore E'*bano*. utriusque ſecunda ſyllaba corripitur. Hinc à IↃ paſſibus ad radices montium conſpiciuntur fontes calidarum aquarum, quæ à dicto vico cognominantur vulgò *Bagni d' Abano*. hæ Plinio lib. II cap. CIII dicuntur PATAVINAE AQVAE: & lib. XXXI cap. VI, PATAVINI FONTES. Silio lib. XII, Lucano lib. VII, Claudiano in epigram. VIII, & Theoderico, Gothorum regi, apud Caſſiodorum in Variar. lib. II epiſt. XXXVIIII, maximus eorum dicitur APONVS FONS; qui Svetonio in Tiberio eſt APONI FONS. Silii verba hæc ſunt:

PATAVINAE AQVAE; *qui* & FONTES APONI.

> *Huic pater Eridanus Venetæque ex ordine gentes,*
> *Atque Apono gaudens populus, ſeu bella cieret,*
> *Seu Muſas placidus doctæque ſilentia vitæ*
> *Mallet, & Aonios plectro mulcere labores,*
> *Non ullum duxêre parem.*

Lucani ſunt iſta:

> *Euganeo (ſi vera fides memorantibus) augur*
> *Colle ſedens; Aponus terris ubi fumifer exit.*

Martialis, lib. VI epigram. XLII. incertum eſt, APONI intellexerit *fonteis*, an APONOS *fonteis*. Verba eius hæc ſunt:

Etruſci

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Etruſci niſi thermulis lavêris
Illotus morieris Oppiane.
Nullæ ſic tibi blandientur undæ;
Nec fontes Aponi, rudes puellis.

Quomodò *rudeis puellis* intelligat hos fonteis, ex prædictâ Theoderici regis epiſtolâ liquet, quæ huiusmodi eſt: *Delectat ſalutiferi Aponi meminiſſe potentiam. ut intelligas, quo deſiderio cupimus reficere, quod de memoriâ noſtrâ neſcit exire. Cæruleum fontem vidimus, in formam dolii concavis hiatibus æſtuantem, & fornaces anhelantium aquarum, circumducto tentilatio, naturæ probabili diſpoſitione, coronatas. quæ, licèt, more calidæ, nebuloſos vapores exhalent; hanc tamen jucundam perſpicuitatem adſpectibus humanis aperiunt; ut quivis hominum illam gratiam deſideret contingere, etiam quum non ignoret ardere. Ore pleniſſimo, in ſphæræ ſimilitudinem, ſupra terminos ſuos aquarum dorſo turgeſcunt. unde latex tantâ quiete defluit, tantâ quaſi ſtabilitate decurrit; ut eum non putes creſcere, niſi quia inde aliquid rauco murmure ſentis exire. Veniunt aquæ per algenteis meatus tali fervore ſuccenſæ, ut poſt recurva ſpatia, quæ arte facta ſunt longiora, in calores ſint maximè rediture. Iuvat videre ſecretum, latices vapores igneos exhalanteis, amicum undis indeſinenter ardorem & calorem venire decurſu rivi, unde uſualiter ſolebat exſtingvi. Ecce; madentem ſubſtantiam vapores producere conſtat ignitos, qui mox ad thermarum ædificia decora pervenerunt. Illis à cautibus unda deſcendens, & aëra ſuâ qualitate ſuccendit, & tactu fit habilis, quum recepta fuerit in lavacris. unde non tantum delicioſa voluptas adquiritur, quantum blanda medicina confertur. Scilicet, ſine tormento cura, ſine horrore remedia, ſanitas impunita, balnea contra diverſos dolores corporis attributa. Quæ ideò* APONVM *Græcâ lingvâ beneficialis nominavit antiquitas, ut cauſam tanti remedii æger cognoſceret, quum de tali nomine dubium non haberet. Sed inter alia loci iſtius bona, illud quoque ſtupendum eſſe didicimus; quòd una fluentorum natura diverſis miniſteriis videatur adcommoda. nam protinus ſaxo ſuſcipiente colliſa, inhalat primæ cellulæ ſudatoriam qualitatem. deinde in ſolum mitigata deſcendens, minaci ardore depoſito, ſvavi temperatione molleſcit. poſtremò, ipſo quoque tepore derelicto, in piſcinam* Neronianam *frigida tantum efficitur, quantum priùs ferbuiſſe ſentitur. non immeritò auctoris ſui participans nomen, collega eſt cum viriditate gemmarum; ut ipſa quoque vitrei elementi colore perſpicua, quaſdam tremens undas quieta commoveat. Sed ut ipſum quoque lavacrum mundius redderetur; ſtupendâ quadam continentiæ diſciplinâ, in undam, qua viri recreantur, ſi mulier deſcendat, incenditur. propterea & ipſis altera exhibitio decora conlata eſt. ſcilicet, ne ardentium aquarum fæcundiſſimum locum non crederent habuiſſe, unde plurima largiretur, ſi uterque ſexus uno munere communiter uteretur. Præſtat & aliud adjutorii genus vis illa medicabilis. nam juxta caput fontis ſcintilloſi quemdam ſibi meatum provida natura formavit. Hinc deſuper ſella compoſita, quæ humanis neceſſitatibus in abſidis ſpeciem perforatur, ægros ſuſcipit interno humore defluenteis. ubi, dum feſſi nimio langvore conſederint, vaporis illius delectatione recreati, & laſſa viſcera reficiunt, & humores, noxiâ infuſione laxatos, vitali ariditate conſtringunt: ut, quaſi aliquo deſiderabili cibo refecti, valentiores queant protinus inveniri. Sic medicabili ſubſtantiæ venit à ſulphure, quod calet; à ſalſedine, quæ deſiccat. Talia poſteris non tradere, hoc eſt graviter in longâ ætate peccare. Quapropter antiqua illic ædificiorum ſoliditas renovetur. ut, ſive in thermis ſive in cuniculis fuerit aliquid reparandum, te debeat imminente reconſtrui. Virgulta quoque, noxiâ importunitate naſcentia, evulſis ceſpitibus auferantur. ne radicum quidam capilli, paullatim turgentes, fabricarum viſceribus inſerantur; &, more vipereo, prolem ſibi fecunditate contrariâ nutriant: unde ſe compago caſura diſrumpat. Palatium quoque longâ ſenectute quaſſatum, reparatione adſiduâ conrobora. Spatium, quod inter ædem publicam & caput igniti fontis interjacet, ſilveſtri aſperitate depurga. Rideat florenti gramine facies decora campeſtris, quæ etiam ardentis aquæ fertilitate lætatur: miroque modo, dum proximè ſalem generet ſterilem, nutriat pariter & virores. Sed non his tantùm beneficiis Antenorea terra fæcunda eſt. infert & alia; quæ multo grandiùs obſtupeſcas. Corda illa, ut ita dixerim, montium, in vicem ſecretarii, negotia contentioſa diſtingvunt. nam ſi quis fortè pecus furatum pilis nativis ſolito more ſpoliare præſumpſerit; undis ardentibus frequenter immerſum, neceſſe eſt, ut anteà decoquat, quàm emundare prævaleat.* Eumdem *Aponum fontem* eleganter depinxit Claudianus poëta, prædicto epigrammate VIII, his verbis:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Fons, Antenoreæ vitam qui porrigis urbi,
Fataque vicinis noxia pellis aquis.

* · * · * · *

Alto colle minor, parvis erectior arvis,
Conſpicuo clivus molliter orbe tumet.
Ardentis fecundus aquæ, quacúmque cavernas
Perforat, offenſo truditur igne latex.
Spirat putre ſolum, concluſaque ſubter anhelo
Pumice rimoſas perforat unda vias.
Humida flammarum regio; Volcaniæ terræ
Vbera; ſulfureæ fervida regna plagæ.
Quis ſterilem non credat humum? fumantia vernant
Paſcua. luxuriet gramine cocta ſilex.
Et quum ſic rigido cautes fervore liqueſcant;
Contemptis audax ignibus herba viret.
Præterea grandes effoſſi marmore ſulci
Saucia longinquo limite ſaxa ſecant.
Herculei (ſic fama refert) monſtratur aratri
Semita: vel caſus vomeris egit opus.
In medio, pelagi latè flagrantis imago,
Cærulus immenſo panditur ore lacus.
Ingenti fuſus ſpatio: ſed maior in altum
Intrat, & arcanæ rupis inane ſubit;
Denſus nube ſuâ, tactuque immitis & hauſtu:
Sed vitreïs idem lucidus usque vadis.
Conſuluit natura ſibi, ne merſa lateret:
Admiſitque oculos, quò vetat ire calor.
Turbidus impulſu venti quum ſpargitur aër,
Glaucaque fumiferæ terga ſerenat aquæ;
Tunc omnem liquidi vallem mirabere fundi:
Tunc veteres haſtæ, regia dona, micant;
Quas inter nigræ tenebras obſcurus arenæ
Discolor abruptum flumen hiatus agit.
Adparent intrà latebræ, quas gurges opacus
Implet, & abſtruſos ducit in antra ſinus.
Tunc montis ſecreta patent; qui, flexus in arcum,
Aequora pendenti margine ſumma ligat.
Viva coronatos adſtringit ſcena vapores;
Et levis exili cortice terra natat;
Calcantemque, oneri nunquàm ceſſura virorum,
Suſtentat trepidum fida ruina pedem.
Facta manu credas: ſic lenes circuit oras
Ambitus, & tennis perpetuusque riget.
Hærent ſtagna loco, plenas æquantia ripas;
Præſcriptumque timent transſiliiſſe modum.
Quod ſuperat, fluvius devexâ rupe volutus
Egerit, & campi dorſa recurva petit.
Devehit exceptum nativo ſpuma meatu:
In patulas plumbi labitur inde vias.
Nullo cum ſtrepitu, madidis infecta favillis,
Deſpumat niveum fiſtula cana ſalem.
Multifidas diſpergit opes: artemque ſequutus,
Quà juſſere manus, mobile torquet iter:
Et junctos rapido ponteis ſubtermeat æſtu;
Adflatosque valido temperat igne tholos:
Acriùs interiùs rauci cum murmure ſaxi
Spumeus eliſo pellitur amne vapor.

Hinc pigras repetunt feſſi ſudore lacunas;
Frigora queis longæ damna dedêre moræ.
Salve Pæoniæ largitor nobilis undæ:
Dardanii ſalve gloria magna ſoli.
* * * *
Felices, proprium qui te meruêre coloni:
Fas quibus eſt Aponum juris habere ſui.

Præter ſuprà dictos fonteis ſunt & aliæ aquæ calidæ eodem tractu: ut à mille paſſibus ad vicum divi Petri; & hinc ad ıɔccc paſſus apud Montem Grottum: inde verò ad ıı millia paſſuum apud divum Bartholomæum. verùm ex his binæ poſteriores locis erumpunt planis: & ad divum Petrum fontes fervidi circumcircà cingunt radices tumuli marmorei longè altioris latiorisque, quàm cui hæc conveniat Claudiani deſcriptio:

Alto colle minor, parvis erectior arvis,
Conſpicuo clivus molliter orbe tumet.

Tum illi ad radices montis ſiti ſunt: Claudianus verò *In medio*, inquit, *clivo*
Cærulus immenſo panditur ore lacus.

Vnde etiam poſteà ait;

Quod ſuperat, fluvius devexâ rupe volutus
Egerit.

Et Theodericus rex, *Illis à cautibus undam deſcendere*, tradit. Quæ ſanè cuncta in unas illas ſuprà dictas aquas cummaximè quadrant. heic enim in planis (& ſic fortè apud Claudianum reſcribendum pro *parvis*,) in planis, inquam, arvis parvus eſt clivus ſaxeus, clementer editus ac molliter in orbem tumens: cuius ſummum ferventis aquæ innumeræ penè ſcaturigines perforant; mirumque in modum recurvis flexuoſisque viis decurrunt: ac

Præterea grandes effoſſi marmore ſulci
Saucia longinquo limite ſaxa ſecant.

Quòd autem ait,

In medio, pelagi latè flagrantis imago,
Cærulus immenſo panditur ore lacus,
Ingenti fuſus ſpatio:

id poëtarum more ὑπερβολικῶς dictum eſt. rectiúsque pro eo dixit Theodericus rex; *Cæruleum fontem vidimus, in formam dolii concavis hiatibus æſtuantem.* Herbas etiam virenteis in ferventiſſimis aquis conſpeximus. de quibus præter Claudianum ſic etiam Plinius dicto lib. ıı cap. cııı ſcribit: *Patavinorum aquis calidis herbæ virentes innaſcuntur.*

Thermarvm igitur *ædificia*, in quæ aqua *plumbeis cuniculis* deducebatur, ex deſcriptione Theoderici regis eo loco fuiſſe videntur, ubi etiamnunc balnea publica conſpiciuntur. Piscina Neroniana haud dubiè fuit inferiori ſitu, à tergo diverſorii publici. Iuxta eam puto fuiſſe & Palativm. At Aedis pvblica, id eſt, *fanum*, longiùs hinc in campis ſita fuit. Chriſtianus quia fuit rex Theodoricus; alicui Chriſtianorum divorum, ſeu fortè ipſi Virgini Mariæ, ut nunc eſt, ſacrum id erat templum.

Cæterùm de hoc Aponi fonte ita tradit Svetonius in Tiberio cap. xıııı: *Quum, Illyricum petens, juxta Patavium adiſſet Geryonis oraculum; ſorte tractâ, qua monebatur, ut de conſultationibus in Aponi fontem talos aureos jaceret: evênit, ut ſummum numerum jacti ab eo oſtenderent. hodiéque ſub aquâ viſuntur ii tali.* Hoc Geryonis oracvlvm nonnullos video ponere apud prædictas divi Petri aquas: ſcilicet, quia lacus heic eſt rotundus, margine lapideo antiqui operis cinctus. At lacus hic, ut ante dixi, in plano eſt ſitus. eumdem autem fontem intelligere Svetonium, quem Theodericus rex & Claudianus poëta, nemini dubitare licet; quando hi etiam in ſuo fonte pellucidam perſpicuamque aquam notant: Claudianus verò etiam *regum* in eo *dona, veteres haſtas.* Sed apud hunc hi maximè perpendendi erant verſiculi:

Geryonis *templum cum oraculo.*

Præterea grandes effoſſi marmore ſulci
Saucia longinquo limite ſaxa ſecant.

Herculei (ſic fama refert) monſtratur aratri
Semita: vel caſus vomeris egit opus.

Hic ſulcus (poëtarum quidpe uſitatiſſimo more plurali numero uſus eſt pro ſingulari) ſive *Herculei aratri ſemita*, ſine controverſiâ canalis ille eſt calidarum aquarum ſaxeus, inter ſummum tumulum & adverſa ædificia medius. Hunc Herculem, fabulati ſunt, aratro duxiſſe, quum, Geryonis boves ex Hiſpaniâ in Græciam agens, haſce oras peragraret: quumque *Geryonis* heic inſtitueret *oraculum*. cui TEMPLVM etiam hoc loco fuiſſe exſtructum, haud dubito; quemadmodum omnia alia paſſim in Orbe deorum oracula habuêre. Sed iſti fabulæ occaſionem originemque præbuit alia fabula de eodem Hercule conficta. In Campaniæ litore inter Cumas & Puteolos, circa opidum Baias innumeri erant fontes calidi, quorum multi etiamnunc exſtant. haud procul inde eſt antrum, & juxta lacus magnus, altus, atque rotundus: utrique *Averni*, ſive Græcè Ἄορνε cognomentum erat; quia exhalationem eorum tam peſtilentem aiebant eſſe, ut aveis ſupervolanteis illicò necaret. Eſt præterea inter hæc & Puteolos campus montibus undique in orbem cinctus, igneis ſulfureos paſſim tamquàm caminis cum murmure exſpirans. unde *Phlegræus* diecebatur *campus*, & item *Forum Vulcani*. Antrum igitur inferni tradebant eſſe fauceis; & aquas calidas exhalationesque ignitas flumina interpretabantur infernalia, Stygem, Pyriphlegethontem, Cocytum, Acherontem. Quum autem inter Avernum lacum & mare Puteolanum alius eſſet lacus, nomine *Lucrinus*, qui à maritimis fluctibus anguſto arcebatur quaſi aggere; ab Hercule hunc adgeſtum fabulati ſunt, quum Geryonis boves illàc ageret. unde *Herculanea via* adpellabatur per multa ſæcula. Sed de his plenior nobis erit diſſertatio, ubi ad eorum locorum deſcriptionem pervenerimus. in præſens ex uno Lycophrone, perantiquo poëtâ, eius ræcitaſſe quaſi compendium ſufficiet. Verba eius hæc ſunt:

Βαιοῦ δ' ἀμείψας τοῦ κυβερνήτου τάφον,
Καὶ Κιμμέρων ἔπαυλα, κ' Ἀχερουσίαν
Ῥόχθοισι κυμαίνουσαν οἴδματος χύσιν,
Ὄσσαν τε καὶ λέοντος ἀτραποὺς βοῶν
Χωστὰς, ὀβελμοῦς τ' ἄλσος οὐδαίας κόρης
Πυριφλεγές τε ῥεῖθρον· *
Λιπὼν δὲ Ληθαιῶνος ὑψηλὸν κλέτας
Λίμνην τ' Ἄορνον. Hoc eſt:

Baii porrò tranſiens nautæ ſepulcrum
Et Cimmeriorum domicilia, Acheruſiamque
Procellis fluitantem undæ ſcaturiginem,
Oſſamque, & Leonis vias boum
Adgeſtas, Proſerpinæque nemus infernæ puellæ,
*Et Pyriphlegethontem fluvium; **
Relinquensque Lethæonis montem altum,
Lacumque Avernum.

Ad hunc locum inter alia ſic commentatur ſcholiaſtes poëtæ Iſacius Tzetza: Ἄορνος, καὶ Ἄορνις, λίμνη περὶ Κύμην. ἐπεκλήθη δὲ Ἄορνις, ὅτι οὐδὲν ὄρνεον δύναται αὐτὴν περιπετᾶσαι, [lege ὑπερπετᾶσαι] διὰ τὸ εἶναι αὐτὴν σκοτεινὴν καὶ μεγάλην. καὶ ὁ μὲν Λυκόφρων λίμνην λέγει τὸ Ἄορνον· καὶ ἕτεροί τινες περὶ τὸν Ἠριδανὸν λίμνην θερμὴν ὀζώδη φασὶν, ἧς οὐδὲν ζῷον γεύεται· τελευτᾷ γάρ. ἐκεῖ δὲ λέγουσι γενέσθαι τὰ κατὰ τὸν Φαέθοντα. Id eſt: *Aornus & Aornis, lacus eſt circa Cumas. Dicitur autem Aornis, quòd nulla avis eum ſuper volare poteſt; quia caliginoſus eſt atque magnus. Ac Lycophron quidem Aornum vocat lacum. alii verò circa Padum aiunt eſſe lacum fervidum graveolentem: quem nullum animal deguſtet, quin moriatur ſtatim. Hoc loco accidiſſe aiunt, quæ de Phaëthonte narrantur.* Hinc jam illud eſt Claudiani in eodem carmine:

Seu ruptis inferna ruunt incendia ripis,
Et noſtro Phlegethon devius orbe calet;
Sulfuris in venas gelidus ſeu decidit amnis,
Accenſusque fluit; quod manifeſtat odor.

Hinc item iſtud Martialis, lib. IIII epigram. XXV:

Aemula

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Aemula Baianis Altini litora villis
Et Phaëthontéi conſcia ſilva rogi;
Quæque Antenoreo Dryadum pulcherrima Fauno
Nupſit ad Euganeos ſola puella lacus.

Item hoc in fragmentis Sotionis de Fluminum, fontium, ac lacuum miraculis: Περὶ τὸν Ἠριδανὸν ποταμόν ἐστι λίμνη κατὰ τὰς Ἠλεκτρίδας νήσους, ὕδωρ ἔχουσα θερμὸν, ὀσμὴν δὲ βαρεῖαν, ἀφ᾽ ἧς οὐδὲν ζῶον γεύεται. Id eſt: *Circa Padum eſt lacus juxta Electridas inſulas, aquam habens calidam gravis odoris; quam nullum animal deguſtat.* Sed omnium copioſiſſimè hoc refertur ab Stephani epitomatore his verbis: Ἠλεκτρίδες νῆσοι, ἐν αἷς εἰσι δύο ἀνδριάντες, Δαιδάλου καὶ Ἰκάρου. ταύτας δὲ τὰς νήσους φασὶ κατὰ τὸν Ἠριδανὸν ποταμὸν προσκεχωρηκέναι. ἔστι δὲ καὶ λίμνη πλησίον τοῦ ποταμοῦ, ὕδωρ ἔχουσα θερμόν· ὀσμὴ δὲ ἀπ᾽ αὐτῆς βαρεῖα καὶ χαλεπὴ ἀποπνεῖ, καὶ οὔτε ζῶον πίνει ἐξ αὐτῆς, οὔτε ὄρνεον ὑπερίπταται, ἀλλὰ πίπτει καὶ ἀποθνήσκει. ἔστι δὲ ὁ κύκλος στάδια διακόσια τὸ εὖρος. καὶ μυθολογοῦσι, Φαέθοντα κεραυνωθέντα πεσεῖν ἐκεῖ. εἶναι δὲ ἐκεῖ καὶ ἀγείρους πολλὰς, ἐξ ὧν πίπτει τὸ καλούμενον ἤλεκτρον, ὅμοιον κομμιδίῳ, διὰ τὸ σκληρύνεσθαι ὡς λίθον. Hoc eſt: *Electrides inſulæ, in quibus duæ ſunt ſtatuæ, Dædali & Icari. has aiunt circa Padum eſſe. Eſt & lacus prope hunc amnem, aquam habens calidam, odoremque gravem exhalans. ex quo lacu neque animal ullum bibit, neque volucris ſupervolat; ſed mortua decidit. Eſt autem ambitus eius* CC *ſtadiorum. Ac fabulantur, Phaëthontem fulmine ictum in eum decidiſſe: eſſeque illic populos arbores, ex quibus electrum manet, veluti gummi quoddam, quod indureſcit ut lapis.* Hæc ſanè cuncta de Averno lacu antè tradita erant. nam tanti ambitus calidus lacus numquàm circa Padum fuit. Ad ſimilitudinem igitur illarum apud Cumas fabularum hæc quoque de Hercule ac Geryone apud Patavinas aquas conficta ſunt. Cæterùm antiquæ celebritatis quædam adhuc heic manent monumenta in murorum reliquiis, & columnarum epiſtyliorumque & aliorum lapidum fragmentis.

Nomen APONI *fontis* quod attinet, dubium eſſe poterat, an Theodericus rex, APONVS
vel is, qui eius nomine epiſtolam compoſuit, ſatis feliciter conjecerit, Græco voca- *amnis.*
bulo eum Ἄπονον, id eſt, *labore & ægritudine carentem*, dictum eſſe: quando Svetonius non *Aponum fontem* dixit, ſed *Fontem Aponi*; tamquàm à proprio alicuius dei vel hominis vel alius rei nomine. Verùm quia quatuor illi alii auctores, Lucanus, Silius, Claudianus, Theodericus rex, ipſum fontem adpellavêre, ceu proprio ac peculiari genuinoque nec aliunde mutuato vocabulo, *Aponum*; Svetonius heic intellexiſſe potuit APONVM *amnem*, qui à prædicto ſimul & aliis iſtis fontibus calidis profluit, ac paludibus abſorbetur. Sic ſcilicet apud Vibium etiam Sequeſtrum *Clitumni* in Vmbriâ nomen inter fonteis pariter & amneis recenſetur. In Catalogo fontium: *Clitumnus, Mevaniæ.* In Catalogo fluminum: *Clitumnus, Vmbriæ; ubi Iupiter eodem nomine eſt.* De eodem ita tradit Plinius Iunior epiſtolar. lib. VIII ad Romanum: *Vidiſtine aliquando Clitumnum fontem? Modicus collis adſurgit; antiquâ cupreſſu nemoroſus & opacus. hunc ſubter fons exit; & exprimitur pluribus venis; ſed imparibus: eluctatusque, facit gurgitem, qui lato gremio pateſcit purus & vitreus; ut numerare jactas ſtipeis & relucenteis calculos poſſis. inde, non loci devexitate, ſed ipsâ ſui copiâ, & quaſi pondere, impellitur. Fons adhuc, & jam ampliſſimum flumen; atque etiam navium patiens.* Mox: *Adjacet templum priſcum & religioſum. ſtat Clitumnus ipſe, amictus ornatusque prætextâ: præſens numen, atque etiam fatidicum, indicant ſortes. Sparſa ſunt circà ſacella complura; totidemque dei ſimulacra. ſua cuique veneratio, ſuum nomen: quibusdam verò etiam fontes. nam præter illum quaſi parentem cæterorum, ſunt minores, capite discreti; ſed flumini miſcentur.* Ex his ſanè augeretur inſuper mihi ſuſpicio, APONVM quoque aliquem *deum* apud Patavinas aquas coluiſſe incolas: unde *Aponi fontem* dixerit Svetonius, quem alii *Aponum fontem*.

Cæterùm Martiali, lib. I epigram. LXII, à claritate huius fontis totus ager Pa- APONA *tellus;*
tavinus adpellatus eſt APONA TELLVS; quæ eadem Theoderico regi in præſcri- *quæ &* ANTE-
ptâ epiſtolâ eſt ANTENOREA TERRA. Martialis verſus ſunt hi: NOREA *terra.*

Cenſetur Apona Livio ſuo tellus,
Stellâque; nec Flacco minùs.

Ex his verbis quidam collegerunt, *Aponum vicum*, qui nunc vitiato vocabulo dicitur *Abano*, jam olim fuiſſe clarum: atque inde ortum eſſe T. Livium, celeberrimum hiſtoriæ Romanæ ſcriptorem. eumque inde dictum *Patavinum*, quòd vicus

is in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

is in Patavinorum erat agro: quemadmodùm Virgilius, *Andibus* natus, adpellabatur *Mantuanus*, quia vicus is erat agri Mantuani. De Aponi vici antiquâ origine nihil apud veteres auctores mihi lectum. Livium autem non magis, mehercule, in eo genitum intellexit Martialis, quàm Flaccum; quem eodem libro epigr. LXXVII in *Antenoreo Lare*, id eſt, in ipsâ ab Antenore conditâ urbe Patavio natum eſſe oſtendit his verbis:

O, mihi curarum pretium non vile mearum,
Flacce, Antenorei ſpes & alumne Laris.

Conſimilis grammaticorum error proximis etiam montibus, qui inter Ateſte, Vicentiam, & Patavium ſternuntur, nomen quaſi proprium ac peculiare induxit *Euganeis*, ex iſtis Lucani lib. VII verbis:

Euganeo (ſi vera fides memorantibus) augur
Colle ſedens; Aponus terris ubi fumifer exit,
Atque Antenorei diſpergitur unda Timavi.

Quæ Sidonius Apollinaris ab Lucano mutuatus, ſic refert Carm. VIIII:

Nec quos Euganeum bibens Timavum,
Colle Antenoreo videbat augur
Divos Theſſalicam movere pugnam.

Ex quibus clarè adparet, non magis proprio ac peculiari adpellatione *Euganeos* vocandos prædictos monteis, quàm *Antenoreos*: quæ vocabula cuivis rei rectè ritéque adplicantur intra Antenoris ditionem ſeu veterum Euganeorum fineis poſitæ. ſic ſcilicet Martialis, ſuprà dicto lib. IIII epigram. XXV, *Euganeos* dixit *lacus*: ſic ipſe Sidonius Carm. II, de Livii hiſtoriis loquens;

——— *Vel quidquid in ævum*
Mittunt Euganeis Patavina volumina chartis.

Quibus locis omnibus poëtæ ſuo more antiquo *Euganeorum* uſi ſunt nomine pro *Venetorum* vocabulo. Ad eumdem item modum Claudianus in ſuprà ſcripto carmine *Dardanium* circa Aponi fonteis adpellavit *ſolum*; quia ipſi Troiani dicebantur *Dardanii*; ut poſteà in deſcriptione Latii patebit. Sed de his ſatis.

ATESTE *colonia.*

Ab Apono vico in meridiem verſùs euntibus à XII millibus paſſuum eſt antiquum itidem in primis opidum ATESTE, Plinio, Tacito, Ptolemæo, atque Antonino memoratum; vulgò nunc decurtato vocabulo *Eſte* dictum. cuius decurtationis ratio atque cauſa fuit, quòd vulgus primas literas AT putavit eſſe propoſitionem *Ad.* Plinius lib. XVII cap. XVII: *Corellius eques Romanus, Ateſte genitus.* Ptolemæus; Τῆς δὲ Οὐενετίας μεσόγειοι πόλεις, Οὐικετία, Βελοῦνον, Ἄκελον, Ὀπιτέργιον, Ἀτεστέ. Id eſt: *Venetiæ mediterranea opida, Vicentia, Belunum, Acelum, Opitergium, Ateſte.* Tacitus Hiſtoriar. lib. III: *Primus ac Varus, occupantes Aquileiæ proxima quæque, & Opitergii & Altini lætis animis accipiuntur. Inde Patavium & Ateſte partibus adjunxère.* Apud Antoninum iter huiusmodi legitur:

Patavis	
Ateſte	XXV.
Anneiano	XX.
Vico Variano	XVII.
Vico Sernino	XX.
Motina	XXIII.
Bononia	XVIII.

Omnia eiusmodi urbium nomina in *te* indeclinabilia ſunt; ut *Condate, Tergeſte, Tridente, Ateſte, Reate, Præneſte, Teate, Apeneſte*: præterquàm quòd in genitivo habeant *tis*; ut ſuis locis infrà in *Tergeſtis* & *Præneſtis* deſcriptione patebit. De cætero *coloniam* fuiſſe Romanorum *Ateſte*, auctor eſt Plinius lib. III cap. XVIII. *In mediterraneo*, inquit, *regionis Decimæ coloniæ, Cremona, Brixia, Cenomanorum agro: Venetorum autem Ateſte.* Coloni inde atque opidani dicebantur ATESTINI; ut à reliquis iſtis opidis, *Tergeſtini, Tridentini, Reatini, Præneſtini.* Martialis lib. X epigr. XCIII:

Perfer Ateſtinæ, nondum vulgata, Sabinæ
Carmina; purpureâ ſed modò ſuta togâ.

Porrò

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Porrò in præſcripto Antonini itinere ANNEIANVM *opidum* ſive *caſtellum* haud dubiè id eſt, quod vulgò nunc dicitur *Montagnano*, & frequentiùs *Montagnana*. quidpe ſicuti inter Patavium & Ateſte, ſic inter hoc & Anneianum x millia paſſuum librariorum incuriâ abundare, certum eſt.

ANNEIANVM *opidum.*

VICVS etiam VARIANVS, meo judicio, corruptum millium numerum adſcriptum habet. quidpe à Montanianâ ad x millia vicus hodiè eſt apud dextram Atheſis ripam, haud procul *Leniago* opido, vulgari etiamnunc vocabulo, antiquam memoriam referente, *Vigo*. Hinc jam porrò ad *Serminum* opidum ſeu vicum, in dextrâ Padi ripâ poſitum, rectè, ut Antoninus habet, xx numerantur millia. Sed Serminum jam extra Venetiæ fineis fuit in Galliâ Ciſpadanâ.

VARIANVS *vicus.*

Intra Venetiæ antiquæ fineis eſt *Ferraria*, vulgò *Ferrara*, inter primas hodiè Italiæ celebris, ſplendida, ac magnifica. Antiquum ei nomen apud Tacitum eſt FORVM ALLIENI. Verba eius proximè dicto Hiſtoriar. lib. III hæc leguntur: *Primus ac Varus, occupantes Aquileiæ proxima quæque, & Opitergii & Altini lætis animis accipiuntur. Relictum Altini præſidium adversùs claſſem Ravennatem, nondum defectione eius auditâ. Inde Patavium & Ateſte partibus adjunxêre. Illic cognitum, trîs Vitellianas cohorteis & alam, cui Scribonianæ nomen, ad Forum Allieni, ponte juncto, conſediſſe. Placuit occaſio invadendi incurioſos. nam id quoque nunciabatur. Luce primâ inermes pleroſque oppreſſêre. Prædictum, ut paucis interfectis, cæteros pavore ad mutandam fidem cogerent. Et fuêre, qui ſe ſtatim dederent. plures, abrupto ponte, inſtanti hoſti viam abſtulerunt.* Hoſtilis iſte exercitus è Pannoniâ Romam tendebat, publicâ ingrediens viâ; quæ erat ab Aquileiâ per Concordiam, Opitergium, Altinum, Patavium, Ateſte, Forum Allieni, Ravennam, Ariminum, & reliqua hinc opida. Patet ex Taciti verbis, *Forum* iſtud *Allieni* fuiſſe ad Padum; & in lævâ quidem ripâ: in qua *incurioſi* atque imprudentes ſubito hoſtium adventu milites Vitelliani oppreſſi fuêre: pars dein citra flumen regreſſi, *ponte abrupto, inſtanti hoſti viam*, qua ibatur Ravennam, *abſtulerunt*. Nomen equidem viri Romani, qui *forum* hoc exſtruxit, unico L legitur in Taciti exemplaribus ALIENI. at nummi antiqui habent gemino LL, ALLIENI. Vtrumque ſine mendo. quemadmodùm amnis etiam haud procul Româ, clade Romanâ celeberrimi, nomen modò *Alia*, modò *Allia*, in variis auctorum exemplaribus promiſcuè perſcriptum invenitur. Aſconius Pedianus, in commentariis ad Ciceronis orationem, quæ Divinatio in Q. Cæcilium inſcribitnr: *Alienum volunt intelligi proprium nomen eſſe, quaſi ab Alliâ*. Laurentius Valla, in hiſtoriâ Ferdinandi, Ferrariam adpellat FORVM ARRII. quod ego detortum judico fuiſſe nomen ex antiquo ALLIENI. Ex *Foro Arrii*, vel ex contracto vocabulo *Forarrio*, facilis fuit defluxio in *Ferrario*; & tandem in *Ferrara*. Huc adde, quòd Bartolomæus Fontana, in ſuo itinerario Italicè conſcripto tradit, exteris hominibus Ferrariam olim adpellatam fuiſſe *La Piazza*. quod quamvìs ego neſciam, unde ille habuerit; tamen haud ignoro, omnibus nunc Italiæ populis *forum* vocari *la piazza*; vocabulo è Germanicâ lingvâ, ut nonnulla alia, deſumpto. quibusdam quidpe Germaniæ gentibus forum hodiéque vocatur *platz*. At tamen FERRARIA dicebatur jam inde Caroli Magni tempore. ſic enim legitur apud Paullum Diaconum Langobardicar. rer. lib. VI cap. ultimo: *Tunc, ſuffragante Papâ Stefano, ita omnipotens Deus diſpoſuit, ut ſine ullâ animarum periclitatione antefatus Deſiderius per jam dicti evangelici juſſum, eamdem, quam ambiebat, regalem adſumeret dignitatem. Hic verò, confirmato regno, quum per jam annos plureis regnaſſet, imitator factus Aiſtulfi, abſtulit civitatem Faventiam & ducatum Ferrariæ, ſeu Comarchiam, de Exarchato Ravennate.* Sed antiquiſſimis temporibus locus hic adpellatus fuiſſe videtur TRIGABVLI. ſic enim Polybius lib. II, de Pado loquens: Τὴν μὲν πρώτην ἐκ τῶν πηγῶν ἔχει ῥύσιν ἁπλῆν· σχίζεται δ' εἰς δύο μέρη κατὰ τοὺς προσαγορευομένους Τριγαβόλους. τούτων δὲ τὸ μὲν ἕτερον στόμα προσονομάζεται Παδόσα, τὸ δ' ἕτερον Ὄλανα. Id eſt: *A fontibus equidem uno continuoque fluit alveo. ubi verò ad Trigabulos, quos vocant, pervênit, in duas ſcinditur parteis: quarum alterius oſtium Paduſa, alterius Olana vocatur.*

FORVM ALLIENI *opidum;* antè TRIGABVLI, *locus.*

Infrà Ferrariam, inter Padi oſtia, in ſtagnis ſitum eſt COMACLVM opidum, vulgò adcolis nunc *Comachio* dictum: in qua voce *chio* unam conficit ſyllabam lingvâ Italorum vulgari; ut à *clamare* fit *chiamare*; à *cludere*, *chiudere*. Memoria opidi haud perinde eſt vetuſta; ut quæ ad Caroli Magni tempeſtatem ſe tantùm extendat.

COMACLVM *opidum.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

dat. Regino in Chron. lib. II, an. à Chriſto nato IↃCCCVIII, & Aimoinus Francicar. rer. lib. IIII cap. XCVII: *Claſſis Conſtantinopoli miſſa, primò ad Dalmatiam, deinde Venetiam adpulſa eſt. quumque ibi hiemaret, pars eius Commaclum inſulam acceſſit. commiſſoque prælio contra præſidium, quod in eâ poſſitum erat, victa atque fugata in Venetiam receſſit.* Inſulam nominavit pro opido in inſulâ ſito; quod præſidio tum valido cuſtodiebatur.

ARGENTIVM *opidum.*

Apud Iul. Obſequentem, in libro de Prodigiis, hæc leguntur: *Sergio Galba, M. Scauro,* COSS. *multa millia hominum intumeſcente Pado, & ſtagno Arretino obruta.* Quidam hodiè geographi *ſtagnum* hoc *Arretinum* interpretantur paludes Clanis fluvii, inter Arretium & Cluſium, Etruriæ opida, protenſas. Verùm quis credat, de duorum longè inter ſe intercedentibus altiſſimis Apennini jugis ſeparatorum locorum clade tam compendioſè, tam parcè, tam denique obſcurè loqui voluiſſe Obſequentem. Ego omnino cenſeo legendum, STAGNVM ARGENTINVM. & eſſe idem, quod nunc *Commaclenſe,* vulgò *Val di Comachio*, vocatur. Cognomentum illud habuit ab antiquo ac celebri tunc opido, juxtà in Padi ripâ ſito, quod ARGENTIVM dicebatur, vel fortè, ut nunc etiam eſt, ARGENTA: unde opidani ARGENTANI, & ARGENTINI. Conſules autem Sergius Galba & M. Scaurus fuère anno Vrbis IↃCXLV; id eſt, ante Ieſum natum CVIII.

ARGENTI-NVM *ſtagnum.*

MONS SILI-CIS *opidum.*

At prope Ateſte in edito colle poſitum *opidum* MONS SILICIS, vulgò nunc *Monſélice*, & corruptiore vocabulo *Moncéleſe*, ad mediam etiam ætatem ultimam memoriam refert. Paullus Diaconus Langobardicar. rer. lib. II cap. XIIII: *Alboin Vincentiam Veronamque & reliquas Venetiæ civitates, exceptis Patavio & Monte Silicis & Mantuâ, cepit.* Lib. IIII cap. XXVI: *Langobardi caſtrum Montis Silicis invaſerunt.* Factum hoc ſub Mauricio imperatore, qui anno Chriſti IↃCI à Phocâ occiſus eſt, ex capite ſequenti patet. Meminit hinc eius Chronicon Caſſinenſe lib. I cap. VIIII: *Fecit autem,* inquit, *idem inclytus rex Pipinus, unà cum filiis Carolo & Carlomanno, conceſſionem beato Petro eiusque vicario de civitatibus Italiæ ac territoriis, per deſignatos fineis, à Lunis, cum inſulâ Corſicâ, inde in Sergianum* [mendoſè vulgò *Alunis, cum inſula Coriſitâ, inde Inſuranum*] *inde in montem Bardonem, Vercetum, Parmam, Regium, Mantuam & Montem Silicis; ſimulque univerſum exarchatum Ravennæ.*

VICENTIA *municipium, & colonia.*

A Patavio, quà Veronam itur, ad XVIII lapidem nobilis juxtà & antiqua *urbs* occurrit VICENTIA, vulgò nunc *Vicenza* dicta. Meminêre eius Strabo, Plinius, Tacitus, Aelianus, Ptolemæus, Tabula itineraria, & alii. Nomen eius diſertiſſimis characteribus apud Tacitum & in Tabulâ itinerariâ, item in quibusdam Plinii exemplaribus legitur, ut modò perſcripſi, *Vicentia.* unde opidani Plinio Iuniori ac Svetonio ſunt VICENTINI. at in pleriſque Plinii Senioris exemplaribus, & item in Martyrologio Adonis, die III Id. Iun. eſt VICETIA: & inde opidani apud hunc ſimul ibidem & apud Hieronymum in verſione Chronici Euſebiani, VICETINI. Verba Svetonii, in libro de Illuſtribus grammaticis, cap. XXIII, hæc ſunt: *Remnius Palæmon Vicentinus.* De eodem Hieronymus Chron. lib. II: *Palæmon Vicetinus inſignis grammaticus Romæ habetur.* Apud Plinium quoque Iuniorem lib. V epiſt. & IIII & XIIII *Vicentinorum* nomen aliquoties perſcriptum eſt. Huius autem variationis rationem uti aperiam, Strabonis ac Ptolemæi exemplaria priùs emendanda erunt. Apud Ptolemæum ita legitur: Τῆς δὲ Οὐενετίας μεσόγειοι πόλεις, Οὐίκεντα, Βελοῦνον, Ἄκελον, Ὀπιτέργιον, Ἄτεστε, Παταούϊον, Ἄλτινον, Ἀτρία. Id eſt: *Venetiæ opida mediterranea ſunt, Vicenta, Belunum, Acelum, Opitergium, Ateſte, Patavium, Altinum, Atria.* Heic quin legendum ſit Οὐικεντία, *Vicentia*, quis jam dubitaverit; quando apud omneis prædictos auctores id opidi nomen deſinit in *tia:* quod etiam Græci auctores Strabo atque Aelianus ita habent. Hodiernum vocabulum *Vicenza* qui ab iſto Ptolemæi *Vicenta* promanatum ſuſpicantur; lingvæ Italicæ parum gnaros ſeſe produnt. quidpe ut Latina vocabula, *diligentia, negligentia, prudentia, præſentia,* & id genus alia, Italis nunc formantur *diligenza, negligenza, prudenza, preſenza*; ſic ex *Vicentia* etiam factum *Vicenza.* Apud Strabonem lib. V idem vocabulum duabus literis mutilatum eſt Οὐκετία, *Vcetia*, in his verbis: Ἐν δὲ τοῖς ἕλεσι μεγίστη μέν ἐστι Ῥάβεννα . * . * . ἔστι δὲ καὶ τὸ Ἄλτινον ἐν ἕλεσι. μεταξὺ δὲ Βούτριον, καὶ ἡ Σπῖνα . * . Ἐπίπερον δὲ καὶ Ὀρδία καὶ Ἀδρία καὶ Οὐκετία ἧττον μὲν ὑπὸ τῶν ἑλῶν ἐνοχλεῖται. Id eſt: *In paludibus maxima eſt Ravenna.* Mox: *Eſt & Altinum in paludibus. in medio verò ſunt Butrium & Spina.*

& Spina. Exiguo pòſt: *Epiterpum autem & Ordia & Hadria & Vcetia minùs à paludibus infeſtantur*. Locus fœdè corruptus. Legendum ſanè, Ὀπιτέργιον δὲ ἢ Κωνκορδία καὶ Ἀδρία, καὶ Οὐικεντία. *Opitergium, Concordia, Hadria, Vicentia*. De Opitergio & Concordiâ pòſt pluribus liquebit documentis. de *Vicentiâ* nemo heic dubitare poteſt. Quòd ſi quis verò in eâ voce ι tantùm abeſſe cenſeat, quia aliquibus etiam Latinis dicitur *Vicetia*; is alteram vocalem ε mutet in η, neceſſum erit. quidpe quas voceis Latini per *ens* vel *ent* formarunt; ut *Minturnenſes, Peloponnenſes, Albenſes, Veronenſes, Clemens, Alba Fucentis*; in iis Græci ſuo ore *en* mutarunt in η, Μιντυρνήσιοι, Πελοποννήσιοι, Ἀλβήσιοι, Οὐερωνήσιοι, Κλήμης, Ἄλβα Φουκηντίς· & id genus innumeras alias. Ad eumdem igitur modum etiam opidi huius nomen *Vicentia* factum eſt Græcis Οὐικητία ſive Βικητία, *Vicetia*: pro quo vitiatum legitur apud Aelianum, Hiſtor. animal. lib. XIIII cap. VIII, quibusdam in exemplaribus Βιτητία, in aliis verò Βιζητία. Poſterioris ſæculi mortales, ut in innumeris aliis, heic etiam Græcam formationem Latinæ prætulerunt. Ptolemæus autem in provinciis Romanis, maximè verò in Italiâ, pleraque urbium vocabula Romano more perſcribit. Aelianus, ne quis dubitet, quin Vicentiam hanc prope Patavium intelligat; hæc eius ſunt verba: Πόλις ἐστὶν ἐν τοῖς ὑπὸ τὴν ἑσπέραν χωρίοις Ἰταλικοῖς, καὶ ὄνομα αὐτῇ Παταβίον. * · Οὐκοῦν τῷδε τῷ Παταβίῳ πόλις γειτνιᾷ ἑτέρα, καὶ Βικητίαν καλοῦσιν αὐτήν. Id eſt: *In Italiæ oris occidentalibus urbs eſt Patavium*. Mox: *Ab hoc igitur Patavio haud procul abeſt alia urbs, quam Vicetiam vocant*. Lapis antiquâ inſcriptione apud Fregellas in Latio repertus eſt huiusmodi:

M · ENNIVS · MV · F · MEN · VICETINVS · SCR · AED
CVRVLIVM · ARMAMENTARIVS · DE · CVRIA · Q · DECVRIO
VICETIAE · DEC · COLONIA · SATVRNIA · AEDILIS
COLONIA · IVLIA · FELICI · CLASSICA · SVESSA

Hanc quoque inſcriptionem poſt Traiani Hadrianique tandem imperium confectam eſſe; haud dubito. Memorat prætereà Vicentiam Tacitus Hiſtor. lib. III, his verbis: *Quæſitum inde, quæ ſedes bello legeretur. Verona potior viſa; patentibus circùm campis ad pugnam equeſtrem; quo prævalebant. Poſſeſſa ipſo tranſitu Vicentia. quod, per ſe parum; (etenim modicæ municipio vires) magni momenti locum obtinuit, reputantibus, illic Cæcinam genitum; & patriam hoſtium duci ereptam*. Plinius lib. III cap. XVIIII: *In mediterraneo regionis Decimæ coloniæ; Cremona, Brixia, Cenomanorum agro; Venetorum autem Ateſte; & opida, Acelum, Patavium, Opitergium, Belunum, Vicentia, Mantua*. Tacitus quidem Vicentiam appellat *Municipium*. at inſcriptio antiqua, heic reperta, hæc refert verba: COLON · ORDO · DECVR: ut etiam ſuprà ſcriptus lapis, DECVRIO · VICETIAE. Poſt Plinii igitur atque Taciti tempora *colonia* huc deducta fuit militaris.

Cæterò iter in Hieroſolymitano itinerario, quod ab Arelate Hieroſolymam fert, eſt huiusmodi:

Vicentia.	
Ad finem	XI.
Patavî	X.

Millia hodiè inter Vicentiam & Patavium quum noſcantur, ut ſuprà dixi, tantùm XVIII; fortè ſcriptum fuit in itinere AD FINEM IX. Eſt autem eo ſitu hodiè diverſorium publicum, vulgari vocabulo *Il Zocco*.

Ab altero Patavii latere ad XXV lapidem in mediis ſtagnis marinis regina nunc Italicarum urbium conſpicitur, inſulis compluribus ſuperſtructa; ſubitis incrementis & imperio, quo hactenus gaudet, quàm antiquâ origine, clarior: cuius nomen jam olim aliis ſingulari numero dictum eſt VENETIA; aliis plurali, VENETIAE: nempe à *Venetorum* regione; quæ & ipſa eo ſæculo, ut mox videbimus, promiſcuè, modò unitatis, modò multitudinis numero adpellata eſt. ſed *Venetiæ* plurali numero dicebatur regio, quia auctæ Venetiæ antiquæ *Hiſtria* quoque ſub unius provinciæ titulo conjuncta erat; ut ſuo loco docebo. Vulgò nunc urbs uſurpatur incolis *Venetia* & *Vinegia*. De origine eius ita tradit Conſtantinus Porphyrogenitus imperator in lib. de Adminiſtrando imperio cap. XXVIII: Ἡ Βενετία τὸ μὲν παλαιὸν ἦν τόπος ἔρημός τις, ἀοίκητος,

VENETIA ſive VENETIAE *urbs.*

κῆτος, καὶ βαλτώδης· οἱ δὲ νῦν καλούμενοι Βενετικοὶ ὑπῆρχον Φράγγοι ἀπὸ Ἀκυλεγίας, καὶ ἀπὸ τῶν ἑτέρων τόπων τῆς Φραγγίας. καὶ κατῴκουν εἰς τὴν ξηρὰν, ἀντικρὺ τῆς Βενετίας. τοῦ δὲ Ἀτίλα, τοῦ βασιλέως τῶν Ἀβάρων, ἐλθόντος, καὶ πάσας τὰς Φραγγίας καταληϊσαμένου καὶ ἀφανίσαντος, φεύγειν μὲν πάντες οἱ Φράγγοι ἀπὸ Ἀκυλεγίας καὶ ἀπὸ τῶν ἑτέρων τῆς Φραγγίας κάστρων· ἔρχεσθαι δὲ πρὸς τὰς ἀοικήτους νήσους τῆς Βενετίας, καὶ ποιεῖν ἐκεῖσε καλύβια, διὰ τὸν τοῦ βασιλέως Ἀτίλα φόβον. αὐτοῦ οὖν τοῦ βασιλέως Ἀτίλα ληϊσαμένου πᾶσαν τὴν χώραν τῆς ξηρᾶς, καὶ μέχρι Ῥώμης καὶ Καλαβρίας ἐλθόντος, καὶ τὴν Βενετίαν μακρόθεν καταλιπόντος, ἄδειαν εὑρόντες οἱ προσπεφυγότες ἐν ταῖς νήσοις τῆς Βενετίας, καὶ οἷον τὴν δειλίαν ἀποσεισάμενοι, ἅπαντες ἐβουλεύσαντο τοῦ κατοικῆσαι ἐκεῖσε· ὅπερ καὶ ἐποίησαν, κατοικήσαντες ἐκεῖσε μέχρι τῆς σήμερον. Hoc eſt: *Venetia olim locus erat deſertus, cultoribusque vacuus, & paluſtris. qui verò Venetici nunc adpellantur, Franci erant ab Aquilegiâ & cæteris Franciæ locis; continentem inhabitantes Venetiæ oppoſitam. Adventante verò Atilâ, Avarum rege, & Franciam univerſam depopulante vaſtanteque; Franci Aquilegiam cum reliquis Franciæ opidis deſerere cœperunt; & in Venetiæ inſulas, cultoribus vacuas, ſe receperunt; tuguriaque illic exſtruxerunt, metu Atilæ. Qui quum continentem omnem vaſtaſſet, & Romam usque atque in Calabriam perveniſſet, Venetiamque longè reliquiſſet; inventâ ſecuritate, qui illuc confugerant, metu depoſito, habitare ibi decreverunt: habitaruntque in hanc usque diem.* Mira ſanè hominum, locorum, ac temporum confuſio. Procopius, rerum ſuâ ætate ſub Iuſtiniano imperatore geſtarum ſcriptor, in Gothicar. rer. lib. III docet, Francos tunc primùm ex Galliâ à Maſſiliâ in Italiam veniſſe. ubi inter alia hæc leguntur verba: Φράγγοι δὲ Βενετιῶν τὰ πλεῖστα σφίσι προσεποιήσαντο οὐδενὶ πόνῳ, οὔτε Ῥωμαίων δυναμένων ἔτι ἀμύνεσθαι, οὔτε Γότθων οἵων τε ὄντων τὸν πόλεμον πρὸς ἑκατέρους διενεγκεῖν. Id eſt: *Franci intereà pleraque Venetiarum loca ſine ullo labore occupant: quum nec Romani tueri ea amplius poſſent, nec Gothis tantum virium eſſet, uti cum utrisque bellum gererent.* Et poſteà lib. IIII: Τῆς Ἰταλίας τὰ πλεῖστα κατέλαβον Φράγγοι. * . Θευδίβερτος δὲ, ὁ Φράγγων βασιλεὺς, οὐ πολλῷ ἔμπροσθεν ἐξ ἀνθρώπων ἠφάνιστο νόσῳ, Λιγουρίας τε χωρία ἄττα καὶ Ἄλπεις Κοττίας καὶ Βενετιῶν τὰ πολλὰ, οὐδενὶ λόγῳ ἐς ἀπαγωγὴν φόρου ὑποτελῆ ποιησάμενος. τὴν γὰρ ἀσχολίαν τῶν μαχομένων οἰκείαν οἱ Φράγγοι εὐκαιρίαν πεποιημένοι, τοῖς ἐκείνων περιμαχήτοις αὐτοὶ ἀκινδύνως ἐπλούτουν. καὶ Γότθοις μὲν πολίσματα ὀλίγα ἐν Βενετίαις διέμενε· τά τε γὰρ ἐπιθαλασσίδια χωρία Ῥωμαῖοι, τὰ δὲ ἄλλα ὑποχείρια σφίσιν ἅπαντα πεποίηνται Φράγγοι. Hoc eſt: *Plurimam Italiæ partem Franci occuparunt.* Mox: *Theudibertus, Francorum rex, haud multo antè rebus humanis exceſſerat; poſtquàm Liguriæ quædam loca, & Alpeis Cottias, multaque Venetiarum ſine ullo labore ſtipendiaria ſibi feciſſet. nam Franci bellantium inter ſe ſtudium quum in propriam ad res gerendas opportunitatem vertiſſent; debellatorum ex opibus aucti ſunt. Gothi enim pauca quædam in Venetiis opidula retinuerunt: maritima loca Romani; reliqua omnia Franci occuparunt.* Theudibertus hic rex vita exceſſit anno imperatoris Iuſtiniani XXII, à Ieſu nato IↃXLVIII; quum Francis præfuiſſet annos ferè XI. at Hunnorum ſive Avarum rex Attila annis XCVII ante exceſſum Theudiberti Aquileiam cepit. qua de re Hiſtoria miſcella, lib. XV, in imperio Valentiniani tertii & Marciani imperatorum, ita refert: *Valentinianus imperator, celerrimè Theodoricum regem per Aëtium patricium conveniens, in ſuæ partis favorem traxit; atque cum eodem patricio contra Attilam, poſt vaſtatam ferè omnem Galliam Aurelianis jam obſidentem, direxit. ubi conſertâ incredibili pugnâ, vicêre Romani, fugato Attilâ, & Gothorum rege interfecto.* Mox: *Attila, continuò reſumptâ fiduciâ, cruentus Italiam petit: Aquileiam captam funditus eradit; Ticinum atque Mediolanum, regias urbeis, excîdit. Inde, vaſtatis circumquaque locis, quum Romam quoque pararet irrumpere; Leo Magnus papa miſſu ad eum Valentiniani imperatoris acceſſit: eumque adeò mitem reddidit, ut illicò, promiſſâ pace firmiſſimâ, ultra Danubium, non rediturus, abierit. continuò enim rebus humanis exceſſit.* Et Caſſiodorus in Chronico: *Marcianus Auguſtus & Adelphius. His conſulibus Romani, Aëtio duce, Gotthis auxiliaribus, contra Attilam in campis Catalaunicis pugnaverunt: qui virtute Gothorum ſuperatus abſceſſit. Herculanus & Aſporatius. His conſulibus Attila, redintegratis viribus, Aquileiam, magnâ vi dimicans, introivit. cum quo à Valentiniano imperatore papa Leo directus pacem fecit. Opilio & Vincomalus. His conſulibus Attila in ſedibus ſuis moritur.* Tres hi continui inter ſe fuêre conſulatus. Conſules autem fuerunt Herculanus & Aſporatius, ſive, ut alii habent, Sporatius, anno Chriſti CCCCLII; XCVII, ut dixi, annis ante Theudiberti, Francorum regis, exceſſum. Falſum igitur eſt, quod Conſtantinus Porphyrogenitus à Francis urbem Venetiarum habitari cœptam tradit tum, quum Attila Aquileiam excidiſſet. falſum item, quòd ait Attilam Romam

usque

usque & inde in Calabriam perveniſſe. Sed legerat alicubi Conſtantinus de primâ illâ Attilæ expeditione in Galliam; quæ jam tum eius ævo vocabatur *Francia*. legerat item de alterâ in Italiam; qua Aquileiam excîdit urbem. Has duas regiones, hasque duas expeditiones, ille in unam confudit. Tum de Alarici vel Totilæ, Gothorum regum, expeditione Romam usque & in Brutium agrum, qui eius tempore vocabatur jam tum *Calabria*, cognoverat. eam ſimili modo Attilæ attribuit. Inter hæc tamen verum fuerit, quòd ait Aquileienſeis, metu adventantis Attilæ urbe ſuâ relictâ, in haſce inſulas ſedeis transtuliſſe. idem enim Gotefridus quoque Viterbienſis atteſtatur lib. XVI his verbis: *Attila, recedentibus VViſogothis ſecurus jam factus, versùs Romam iter convertit; & in viâ obſidione cingit urbem Aquilegiam, metropolim Venetiarum.* Mox: *Inſtructis machinis variisque tormentis, urbem repentè devicit; & usque adeò deſolavit, ut prioris formæ ædificii veſtigia non valeant inveniri. Adſerunt multi; quòd urbem vacuam invenerit: quia cives per mare, quod eſt eis contiguum, reliquias ſanctorum in Venetias cum omni ſupellectile navigio detulerunt. ibique deinceps perpetuò habitantes, Veneti quaſi advenæ ſunt nominati. unde inter Gradenſes, qui priores ipſius loci habitatores, & Aquileienſeis de patriarchatu usque hodiè controverſia verſatur.* Sic & lib. XVII: *Romæ tunc erat papa Benedictus; in Aquilegiâ vero Paullus patriarcha: qui metu Lombardorum ad Gradum, id eſt, Venetiam, cum omni theſauro eccleſiæ ſuæ & cum ſupellectili confugit.* Et Zonara, Annal. lib. II, in Maximino; qui Aquileiam obſidens ibi cæſus eſt; in parentheſi: Ἀκυλήϊα ἣ, ἡ νῦν Βενετία λέγεται. *Aquileia autem eſt, quæ nunc Venetia dicitur.* Sic ſcilicet treis diverſos locos iſti in unum confuderunt; *Venetiam, Aquileiam*, & *Gradum*: quorum hic erat inſula cum opido, in ſtagnis marinis, ad Venetiæ ferè modum, Aquileiæ objacens. quæ res anſam præbuit errori: tum, quòd patriarchatus Aquileienſis, poſt deſolationem urbis, primò ad Gradum, deinde Venetiam translatus fuit. Quàm vetuſtum ſit *Venetorum* gentis nomen, quos Henetos dixêre Græci, ſuprà cap. XVII patuit. inferioris ævi grammaticos id à Græcâ voce αἶνος deductum falſò tradidiſſe, ibidem oſtenſum eſt. heic igitur Gotefridi etiam ſumma proditur imperitia: qui tunc demum urbis *Venetiarum* incolas eo nomine, quaſi novos *advenas* adpellatos docet, quum Aquileienſes metu Attilæ in has inſulas confugiſſent. Ego *Venetiam* ſive *Venetias* locum hunc novæ habitationis adpellatum cenſeo totius regionis nomine, vel quia Aquileienſes, qui caput regionis erant, eum incolebant, tanquàm univerſum Venetorum corpus referentes, vel quòd ex omni Venetiâ metu adventantis Attilæ huc novi coloni confugerint: quod etiam præfatus Conſtantinus imperator diſertè innuit. Annis circiter LX pòſt, quàm inſulæ hæ habitari cœperunt, ita de iis ſcriptum eſt apud Caſſiodorum Variar. lib. XII epiſt. XXII; quæ *Provincialibus Hiſtriæ Senator præf. præt.* inſcribitur: *Commeantium atteſtatione didicimus, Hiſtriam provinciam, matribus egregiis fructibus ſub laude nominatam, divino munere gravidam, vini, olei, vel tritici præſenti anno fecunditate gratulari.* Et haud multo pòſt: *Eſt enim proxima vobis regio, ſuprà ſinum maris Ionii conſtituta, olivis referta, ſegetibus ornata, vite copioſa. ubi quaſi tribus uberibus, egregia largitate largitis, omnis fructus optabili fecunditate profluxit. quæ non immeritò dicitur Ravennæ Campania; urbis regiæ cella penaria; voluptuoſa nimis & delicioſa digreſſio. fruitur, in ſeptemtrione progreſſa, cœli admirandâ temperie. habet & quasdam, non abſurdè dixerim, Baias ſuas: ubi undoſum mare terrenas concavitates ingrediens, in faciem decoram ſtagni æqualitate deponitur. hæc loca & gariſmatia plura nutriunt, & piſcium ubertate gloriantur. Avernus ibi non unus eſt. numeroſæ conſpiciuntur piſcinæ Neptuniæ; quibus, etiam ceſſante induſtriâ, paſſim oſtrea naſcuntur inviſa. ſic nec ſtudium in nutriendis, nec dubietas in capiendis probatur eſſe deliciis. Prætoria, longè latéque lucentia, in margaritarum ſpeciem putes eſſe diſpoſita. ut hinc adpareat, qualia fuerint illius provinciæ maiorum judicia, quam tantis fabricis conſtat ornatam. Additur etiam illi litori ordo pulcherrimus inſularum: qui, amabili utilitate diſpoſitus, & à periculis vindicat naveis, & ditat magnâ ubertate cultores.* Mox: *Sed ne aliqua juſſionibus noſtris dubietas naſceretur; Laurentium, virum experientiſſimum, cum præſenti auctoritate direximus.* Et epiſt. XXIIII, quæ *Tribunis maritimorum* inſcribitur: *Datâ pridem juſſione cenſuimus, ut Hiſtria vini & olei ſpecies, quarum præſenti anno copiâ indultâ perfruitur, ad Ravennam feliciter dirigeret manſionem. Sed vos, qui numeroſa navigia in eius confinio poſſidetis, pari devotionis gratiâ providete, ut, quod illa parata eſt tradere, vos ſtudeatis ſub celeritate portare. Eſtote ergo promptiſſimi ad vicina, qui*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

ſæpè ſpatia transmittitis infinita. Per hoſpitia quodammodò veſtra discurritis, qui per patriam navigatis. Mox: *Iuvat referre, quemadmodùm habitationes veſtras ſitas eſſe perſpeximus. Venetiæ, prædicabiles quondam plenæ nobilibus, ab auſtro Ravennam Padumque contingunt; ab oriente jucunditate Ionii litoris perfruuntur. ubi alternus æſtus, egrediens modò claudit, modò aperit faciem reciprocâ inundatione camporum. Heic vobis aliquantulum aquatilium avium more domus eſt. namque nunc terreſtris, modò cernitur inſularis. ut illic magis æſtimes eſſe Cycladas, ubi ſubitò locorum facies reſpicis immutatas. earum quidpe ſimilitudine per æquora longè patentia domicilia videntur ſparſa. quæ natura non protulit; ſed hominum cura fundavit. viminibus enim flexibilibus illigatis terrena illic ſoliditas adgregatur; & marino fluctui tam fragilis munitio non dubitatur opponi. ſcilicet, quando vadoſum litus moles rejicere neſcit undarum; & ſine viribus fertur, quod altitudinis auxilio non juvatur. Habitatoribus autem una copia eſt, ut ſolis piſcibus expleantur. Paupertas ibi cum divitibus ſub æqualitate convivit. unus cibus omneis reficit. habitatio ſimilis univerſos concludit. neſciunt de penatibus invidere: & ſub hac menſurâ degentes, evadunt vitium, cui Mundum conſtat eſſe obnoxium. In ſalinis autem exercendis tota contentio eſt. pro aratris, pro falcibus, cylindros volvitis. inde vobis fructus omnis enaſcitur: quando in ipſis & quæ non facitis, poſſidetis. Proinde naveis, quas more animalium veſtris parietibus illigaſtis, diligenti curâ reficite: ut, quum vos vir experientiſſimus Laurentius, qui ad procurandas ſpecies directus eſt, commonere tentaverit, feſtinetis excurrere.* En, ut apertè, non tantùm Hiſtriam, ſed omnem etiam inter Hiſtriam ac Padum amnem urbemque Ravennam regionem, id eſt, totam Venetiam innuit. namque ſuprà epiſt. XXII & *proximam* Hiſtriæ vocat *regionem*, & calidas in eâ memorat aquas *Baianis* ſimileis; quæ inter Iſontium flumen & Tergeſte opidum apud Timavi fonteis vulgò nunc dicuntur *Bagni di Monte Falcone*: heic verò epiſt. XXIIII diſertè *Venetiam* nominat, cuius inſulas deſcribit; eamque ait *ab auſtro Ravennam Padumque contingere, ab oriente Ionio mari* perfundi. ita, uti inſulas, quibus *Venetia* urbs ſuperſtructa eſt, eximere ab reliquarum numero nullo pacto poſſis. Tales igitur fuêre tunc temporis in ſtagnis his maritimis, ſive in *vadoſo mari* habitationes; tales habitatores; talis vivendi ratio: ſcilicet poſtquàm primi illi habitatores Aquileiæ, Altini, Patavii, & aliorum circùm opidorum, metu Hunnorum liberati, ex inſulis ad ſua reverterunt. nam, præter alias urbeis, Aquileiam quoque denuò fuiſſe habitatam, præter ſuprà citatum Gotefridum Viterbienſem, Paullus etiam Diaconus teſtatur Langobardicar. rer. lib. II cap. X. *His diebus*, inquit, *quibus Langobardi Italiam invaſerunt, Aquileienſi civitati eiusque populis beatus Paullus patriarcha præerat. qui Langobardorum barbariem metuens, ex Aquileiâ ad Gradus inſulam confûgit; ſecumque omnem ſuæ theſaurum eccleſiæ deportavit.* Factum hoc anno Chriſti IↃLXVIII. Ineptus hac etiam in parte deprehenditur eſſe hiſtoricus ſuprà memoratus Conſtantinus imperator, ubi ait, *quum Venetiam Attila longè reliquiſſet, inventâ ſecuritate, qui illuc confugerant, commoratos ibi eſſe ad ſuam usque ætatem.* Aquileienſes quidem & alii Venetiæ regionis populi, dum in hisce locis cum exercitu verſaretur Attila, in dictis inſulis, inventâ ibi ſecuritate, commorati ſunt. at retrogreſſo longiùs, trans Danubium usque, Attilâ, ſecuritate eâ jam ampliùs non opus habebant; ſed in priſtinas ſuas quisque ſedeis, metu ſoluti tutò remigrare potuerunt. Opidi igitur forma heic Theoderici Gothorum regis ac conſiliarii eius Caſſiodori tempeſtate nulla dum fuit: ſed, *Cycladum ſimilitudine, per æquora longè patentia domicilia*, ſeu, ut vero vocabulo adpellavit Conſtantinus, *καλύβια, tuguria, videbantur ſparſa.* quæ tamen haud dubiè paullo pòſt intra eos limites, quos nunc urbs habet, congregata fuerunt. ſic quidpe Paul. Diaconus, Caroli Magni ac Deſiderii regum ſcriba, dicto Langobardicar. rer. lib. II cap. XIIII refert: *Igitur Alboin Vicentiam Veronamque & reliquas Venetiæ civitates, exceptis Patavio & Monte Silicis & Mantuâ, cepit. Venetia enim non ſolùm in paucis inſulis, quas nunc Venetias dicimus, conſtat: ſed eius terminus à Pannoniæ finibus usque Adduam fluvium protelatur.* Ex hac ſanè Venetiarum memoratione licèt obſcurè liqueat, opidumne Diaconi ætate aliquod fuerit, an *domicilia* tantùm *per æquora longè patentia ſparſa*; opidum tamen intellexiſſe Diaconum, mea eſt ſententia; quia *in paucis* inquit *inſulis*. nam ſi reliquas etiam velis inſulas, in quibus nunc opida vulgaribus vocabulis *Torcello, Mazorbo, Burano, Murano*; tum cœnobia ſanctorum, *Michaëlis, Chriſtophori, Georgii, Angeli*; paucæ numero jam dici

minùs

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

minùs poterant. Hinc circa annum Chriſti CIↃXXV præfatus Conſtantinus Porphyrogenitus ſatis diſertè ac manifeſtè opidum id pronunciavit, dum Francos ait τὴν ξηρὰν τὴν ἀντικρὺ τῆς Βενετίας incoluiſſe, id eſt, *terram continentem ex adverſo Venetiæ*. Præcipuum itaque incrementum præcipuosque ac honoratiores accepit cultores & opidi formam tum, quum anno XLII poſt Theoderici regis exceſſum, id eſt, circa annum Ieſu Chriſti IↃLXVIII, Langobardis Alboino duce Venetiam invadentibus regionem, proximorum opidorum populi huc confugerent; ut anteà Atilæ tempore factum. Nam ante Alboini regis adventum nullum etiamdum fuiſſe opidum, haud obſcurè innuit Paullus Diaconus his verbis; *quas nunc Venetias dicimus*. Quia verò Langobardi non ſtatim, ut antè Attila cum Hunnis ſuis fecerat, ex his oris exceſſerunt; ſed perpetuò ibi permanſerunt, donec poſt CC circiter annos, ultimo rege ſuo Deſiderio devicto, ſub Caroli Magni imperium redacti fuerunt: ideò Venetiarum quoque urbis incolæ tum in continentem terram, ut antè, ad priſcas ſedeis ſuas non regreſſi, ſed perpetuò in poſterum eâdem loci ſecuritate, quò confugerant, uſi ſunt. Ex tam exiguis igitur ac tenuibus principiis tam ſubita urbs hæc incrementa habuit, ut intra paucorum admodùm ſæculorum ſpacium totius Hadriatici ſimul atque Aegæi maris terrarumque in eo & inſularum potens facta ſit.

Proximum inde in continenti fuit ALTINVM, perantiquum & celebre opidum: cuius meminêre Vitruvius, Velleius Paterculus, Strabo, Mela, Plinius, Martialis, Tacitus, Ptolemæus, Iul. Capitolinus, Itineraria Romana, Aurel. Victor, Eutropius, Caſſiodorus, & alii hinc inferioris ſæculi auctores. Situs eius tam incertus eſt, uti quidam in iis inſulis id fuiſſe contenderit, ubi nunc prædictum opidum Torcellum conſpicitur. Sed hi eo argumento decipiuntur, quòd Torcelli Altinatem epiſcopatum eſſe legant; quum is eò ab Altino deſtructo translatus fuerit; ut Aquileienſis patriarchatus in Gradus inſulam, Concordienſis in Caburlas. Alii Altini veſtigia oſtentant in continenti, haud procul Silis fluvii dextrâ ripâ: alii verò in ſiniſtrâ eius ripâ haud procul oſtio: ubi etiam reliquiæ exſtant præclari pontis. Atque hunc eius ſitum ſatis diſertè indicant cùm Plinius tùm Itineraria antiqua. Hæc iter huiusmodi referunt: ALTINVM *municipium.*

Antonini;		Tabulæ;	
Aquileia		*Aquileia*	
Concordia	XXXI.	*Concordia*	XXX.
Altino	XXXI.	*Altino*	XXX.
Patavis	XXXII.	*Patavis*	XXX.

Plinius verò lib. III cap. XVIII ſic habet: *Sequitur Decima regio Italiæ, Hadriatico mari adpoſita, Venetia. cuius fluvius Silis, ex Tarviſanis montibus: opidum Altinum: flumen Liquentia, ex montibus Opiterginis; & portus eodem nomine.* Sed fuiſſe Altinum hoc ſitu prope litus, ad oſtium amnis, quò naves ſubvehi poterant, etiam ex Taciti Hiſtoriar. lib. III manifeſtò patet. *Primus*, inquit, *ac Varus, occupantes Aquileiæ proxima quæque, & Opitergii & Altini lætis animis accipiuntur. Relictum Altini præſidium, adversùs claſſem Ravennatem; nondum defectione eius auditâ. Inde Patavium & Ateſte partibus adjunxêre.* Hinc igitur etiam Martialis lib. IIII epigram. XXV; cuius titulus, *De litoribus Altini:*

Aemula Baianis Altini litora villis,
Et Phaëthontëi conſcia ſilva rogi;
Quaque Antenoreo Dryadum pulcherrima Fauno
Nupſit ad Euganeos ſola puella lacus;
Et tu Ledæo felix Aquileia Timavo;
Heic ubi ſeptenas Cyllarus hauſit aquas:
Vos eritis noſtræ portus requiesque ſenectæ;
Si juris fuerint otia noſtra ſui.

De ſplendidis circa hæc litora *villis* atque *prætoriis* ſuprà ex Caſſiodori Variar. lib. XII epiſt. XXII hæc citavimus: *Prætoria, longè latéque lucentia, in margaritarum ſpeciem putes eſſe diſpoſita. ut hinc adpareat, qualia fuerint illius provinciæ maiorum judicia, quam tantis fabricis conſtat ornatam.* Sed de ſitu Altini Strabonem quoque audiamus. Is lib. V, Ἐν γὰρ τοῖς ἕλεσιν, inquit, μεγίστη μέν ἐστι Ῥάβεννα, ξυλοπαγὴς ὅλη καὶ διάρρυτος,

γεφύραις δὲ καὶ πορθμίοις ὁδευομένη. * — *. Ἔστι δὲ καὶ τὸ Ἄλτινον ἐν ἕλεσι, παραπλήσιον ἔχον τῇ Ῥαβέννῃ τὴν θέσιν. Id eſt: *In paludibus maxima eſt Ravenna, tota palis ſupeſtructa, & aquis perflua. quare pontibus ac lembis itinera expediuntur*. Aliquanto poſt: *Eſt & Altinum in paludibus, haud abſimili, quo Ravenna, modo ſitum*. Nempe quaſi termini erant Ravenna Altinumque paludibus, in quas Padus & Atheſis ac duo Meduaci amnes ſtagnaque marina exundabant. Plinius lib. III cap. XVI; de Pado loquens: *Diductus in flumina & foſſas inter Ravennam Altinumque, per* CXX *millia paſſuum*. Antonini itinerarium: *Ab Arimino recto itinere Ravennam* M. P. XXXIII. *inde navigantur Septem maria, Altinum usque*. Vitruvius lib. I cap. IIII: *Exemplar autem huius rei Gallicæ paludes poſſunt eſſe, quæ circa Altinum, Ravennam, Aquileiam, aliaque quæ in eiusmodi locis municipia ſunt, proxima paludibus*. Intelligit ab Altino *Opitergium* & *Concordiam*; quæ jam extra paludes erant. Plinius lib. XXXII cap. XI: *Pectines maximi & nigerrimi æſtate; laudatiſſimi Mitylenis, Tyndaride, Salonis, Altini, Antii*. Omnia ſunt maritima opida. Ac prope litus fuiſſe *Atlinum*, ſatis hactenus ex Plinio, Martiali, atque Tacito, oſtenſum eſt. Non in ipſo fuiſſe litore, cùm hodierna veſtigia tùm Ptolemæus docet, qui id inter mediterranea Venetiæ opida recenſet. Antiquiſſima eius memoria eſt apud prædictum Vitruvium, Strabonem, & Velleium. Huius verba lib. II ſunt hæc: *Pollio Aſinius cum ſeptem legionibus diu retentâ in poteſtate Antonii Venetiâ, magnis ſpecioſisque rebus circa Altinum aliasque eius regionis urbeis editis, Antonium petit*. Caſſiodorus in Chronico ita ſcribit: *L. Annius Antoninus Verus inter Concordiam & Altinum apoplexi exſtinctus eſt, ſedens cum fratre in vehiculo*. Idem referunt & Iul. Capitolinus in L. Vero, & Aurel. Victor in M. Aurelio Antonino, Iornandes in libro de Regnorum ſucceſſione, Eutropius lib. VIII, & ex eo Paul. Diaconus Hiſtor. miſcellæ lib. X. Opidani inde ſunt in lapide antiquo, qui Feltriæ exſtat, ALTINATES. *Municipium* fuiſſe, ſuprà è Vitruvio intelleximus. *Lanam* eius agri laudat Martialis lib. XIIII epigr. CLV; cuius lemma, *Lanæ albæ*:

Velleribus primis Apulia, Parma ſecundis
Nobilis; Altinum tertia laudat ovis.

AD DVODECIMVM, & AD NONVM, *loca.*

Cæterò iter in ſuprà dicto Itinerario Hieroſolymitano eſt tale:

Patavî	
Ad Duodecimum	XII
Ad Nonum	XI
Altino	IX

Ex intervallis locus AD DVODECIMVM, ſcilicet LAPIDEM, deprehenditur eſſe nunc vicus apud Muſonem amnem vulgari vocabulo *Mirano*: AD NONVM autem LAPIDEM, opidum *Meſtre*, VII milliaria à Venetiis diſſitum.

SILIS *amnis.*

SILIS *fluvius* uni memoratur Plinio, dicto lib. III cap. XVIII. Nomen id hodiéque retinet, vulgò *Sile* dictus. Apud Plinium equidem in cunctis exemplaribus ita legitur: *Sequitur Decima regio Italiæ, Hadriatico mari adpoſita, Venetia: cuius fluvius Silis, ex montibus Tauriſanis. opidum Altinum. flumen Liquentia, ex montibus Opiterginis*. Verùm, quum conſtet, Silim ex planis oriri locis ſupra Tarviſium opidum, quod medium ſecat; haud immeritò viri docti legendum heic cenſuerunt, *ex fontibus Tarviſanis*. nam apud hoc opidum alios etiam complureis copioſiſſimos recipit fonteis amneisque. Mendo occaſionem dedêre ſequentia, *ex montibus Opiterginis*.

TARVISIVM *municipium.*

Ipſum TARVISIVM *opidum*, nobile atque opulentum, vulgò nunc dicitur *Treviſo* incolis; aliis verò, cultiori dialecto utentibus, *Trevigi*, & *Trevigio*. In antiquâ tabulâ, extra Romam repertâ, inter aliorum opidorum nomina bis perſcriptum eſt obliquo caſu TARVISIO. & item in lapide, qui apud opidum hoc exſtat, MVN. TAR. quam formationem vocabuli etiam poſterioris ſæculi ſcriptores, Caſſiodorus, Procopius, Fortunatus, & Paul. Diaconus, habent. Procopius Gothicar. rer. lib. II: Βελισάριος, ἅπασι τὰ προθυμότατα παρασχόμενος, Ταρβίσιόν τε καὶ εἴ τι ἄλλο ἐν Βενετίαις ὀχύρωμα, παρεστήσατο. Id eſt: *Veliſarius, omnibus fide promptiùs datâ, Tarviſium & alia quæque Venetiarum munimenta in poteſtatem ſuam redegit*. Fortunatus, de vita divi Martini lib. IIII:

Quà mea Tarviſus reſidet, ſi molliter intras.
Illuſtrem ſocium Felicem, quæſo, require.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

TARVISVS ei dicitur feminino genere, ut innumera alia vocabula eo ſæculo, *Tarentus, Beneventus, Salernus, Vrbinus:* quæ antiquis dicebantur neutro genere, *Tarentum, Beneventum, Salernum, Vrbinum*. Porrò Paul. Diaconus, Langobardicar. rer. lib. III cap. XXVI: *Nomina verò epiſcoporum, qui ſe ab hoc ſchiſmate cohibuerunt, hæc ſunt: Petrus de Altino, Ingenuinus de Sabione, Agnellus Tridentinus, Iunior Veronenſis, Horuntius Vincentinus, Ruſticus de Tarviſio, Fonteius Feltrinus, Agnellus de Acilio, Laurentius Belunenſis.* Libr. IIII cap. III: *Rebellavit quoque dux Vlfari contra Agilulfum regem apud Tarviſium.* Et cap. XLVII: *Opitergium quoque civitatem, inter Tarviſium & Forum Iulii poſitam, pari modo expugnavit.* Opidani inde eidem Diacono ſunt lib. II cap. XII, & lib. V cap. XXVIII *Tarviſani.* ſed rectiùs apud Caſſiodorum Variar. lib. X epiſt. XXVII TARVISINI, in his verbis: *Venetis autem ex Tarviſino atque Tridentino horreis ad definitam ſuperiùs quantitatem dari facite tertiam portionem.* Lapides igitur iſti antiqui Procopiusque & Paul. Diaconus quum in formatione huius vocabuli inter ſe conveniant; dubium jam eſſe nequit, quin apud Plinium quoque ſcribendum ſit memorato proximè loco, & cap. XVIIII TARVISANI. cuius equidem primitivum vocabulum non erat *Tarviſium*; ſed TARVISVM. Fuiſſe quondam *Municipium* Romanorum, ex ſuprà citato lapide intelleximus. Hinc etiam in alio lapide huius opidi vocabulum DECVRIONATVS legitur.

A Tarviſio verſùs occaſum Solis æſtivi, prope fontem Muſonis fluvii, conſpicitur ACELVM *opidum*; vulgò nunc *Azolo* & *Aſolo* dictum. Memoratur Plinio, Ptolemæo, & Paulo Diacono. ſed huic eſt ACILIVM, Langobardicar. rer. lib. III cap. XXVI: quem locum modò citavimus. Apud Ptolemæum in plerisque exemplaribus eſt Ἄκεδον. in uno Vaticano reperi Ἄκελον. Τῆς δὲ Οὐενετίας, inquit, μεσόγειοι πόλεις, Οὐικεντία, Βελοῦνον, Ἄκελον, Ὀπιτέργιον, Ἀτεστὲ, Παταούϊον, Ἄλτινον, Ἀτρία. Id eſt: *Venetiæ mediterranea opida ſunt Vicentia, Belunum, Acelum, Opitergium, Ateſte, Patavium, Altinum, Atria.* Plinius lib. III cap. XVIII: *In mediterraneo regionis Decimæ coloniæ, Cremona, Brixia, Cenomanorum agro; Venetorum autem Ateſte; & opida, Acelum, Patavium, Opitergium.* — ACELVM *opidum.*

Vltra Silim amnem Altinumque & Tarviſium opida PLAVIS eſt *amnis*, in primis Italiæ magnus; vulgò nunc adcolis Italis *la Piave*, Germanis *di Pleif* dictus. Nemini vetuſtiorum auctorum memoratum eſſe, ſatis mirari nequeo. nam ii, qui *Anaſſum* Plinio dici adſerunt, quàm longè errent, pòſt in Carnis patebit. Vnus eum habet Paullus Diaconus, inferioris ſæculi ſcriptor, Langobardicar. rer. lib. II cap. VII. *Langobardi*, inquit, *relictâ Pannoniâ, cum uxoribus & natis omnique ſupellectili, Italiam properant poſſeſſuri.* Et cap. XII: *Igitur Alboin* [rex Langobardorum] *quum ad fluvium Plavem veniſſet, ibi ei Felix, epiſcopus Tarviſanæ eccleſiæ, occurrit.* — PLAVIS *amnis.*

Apud Plavim hunc amnem vicus fuit, nomine inde tracto, DVPLAVILIS *vicus*, ſive DVPLAVELIS; Fortunati poëtæ patria; ipſi & Paullo Diacono Rheginonique memoratus. quorum hic Chronicor. lib. I, Paullus verò Langobardicar. rer. lib. II cap. XIII, ita ſcribunt: *Hic Fortunatus natus in loco, qui Duplavilis dicitur, fuit. qui locus haud longè à Cenitenſi caſtro vel Tarviſianâ diſtat civitate.* Ipſe Fortunatus de vitâ S. Martini lib. IIII: — DVPLAVILIS *vicus.*

Inde Foro Iulii de nomine principis exi,
Per rupeis, Oſope, tuas quà labitur undis,
Et ſuper inſtat aquis Reunia Tiliamenti.
Hinc Venetûm ſaltus campeſtria perge per arva;
Submontana quidem caſtella per ardua tendens.
Aut Aquileienſem ſi fortè acceſſeris urbem;
Cantianos Domini nimium venereris amicos,
Ac Fortunati benedicti martyris urnam.
Pontificemque pium Paulum cupienter adora.
Si petis illud iter, quà ſe concordia cingit;
Auguſtinus adeſt pretioſus Baſiliusque:
Quà mea Tarviſus reſidet, ſi molliter intras;
Illuſtrem ſocium Felicem, quæſo, require,
Per Cenetam gradiens & amicos Duplavelenſeis,
Quà natale ſolum eſt mihi.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

In hoc Fortunati itinerario ut *Reunia Tiliamenti*, & in præcedentibus etiam *Aguntus*, mendoſè referunt vulgata hactenus exemplaria, *Reumatilia montis* & *Amintus*, alia verò *Annitus*; ſic poſtremum quoque iſtud nomen *Duplavenenſes* corruptum cenſeo à genuino DVPLAVELENSES; qui inquilini erant vici *Duplavelis*. nam unius Fortunati exemplarium auctoritatem potiorem velle ducere duobus aliis ſcriptoribus Paullo & Reginone, iniquum puto. In his autem tantum abeſt, uti *Duplavenis* ſcriptum fuiſſe ſuſpiceris, uti etiam quædam exemplaria habeant *Duplabilis*. Cæterò ſitum huius loci apertè indicat ipſum vocabulum; nempe apud Plavim fluvium, inter Tarviſium & Cenetam; quod opidum hodiéque nomen retinet. Fuiſſe igitur colligo eo loco, ubi nunc opidum in edito colle conſpicitur ad lævam amnis ripam, vulgari adpellatione *San Salvadore*. Vicum fuiſſe, non opidum, ex eo patet, quòd prædictis duobus auctoribus *locus* tantùm vocatur.

CENETA *opidum.*

Ipſum CENETA, ſive, ut exemplaria variant, CENITA *opidum* vulgò nunc adpellatur *Ceneda*. Memoratur præter præſcriptum Fortunatum, Agathiæ quoque; qui ſub Iuſtiniano imperatore vixit. Opidani inde ſunt Reginoni ac Paullo Diacono CENETENSES & CENITENSES. Locum horum auctorum, ubi de Fortunati loquuntur patriâ, modò citavimus. Idem Paullus Langobardicar. rer. lib. V cap. XXVIII: *Opitergium civitatem funditus deſtruxit; eorumque fineis Forojulianis Tarviſaniſque & Cenetenſibus diviſit*. Lib. VI cap. XXIIII: *Ibi unus è Langobardis, nomine Munichis, qui pater pòſt Petri Forojulianorum & Vrſi Cenetenſis ducum exſtitit, ſolus fortiter & viriliter fecit*. Apud Agathiam, ſub initium libri II de Francis Alemanniſque, quos Theudibertus rex cum Bellino ac Leuthario ducibus iu Italiam miſerat, ita ſcriptum legitur: Ὡς τάχιστα δὲ ἐκ Φανοῦ τῆς πόλεως ἀναστάντες, ᾔεσαν ἀνὰ τὸ πρόσω· ἀφέντες δὲ ἐν δεξιᾷ τὸν Ἰόνιον κόλπον καὶ ἅπασαν τὴν παράλιόν τε καὶ ψαμαθώδη πορείαν, ἀνὰ τοὺς πρόποδας τοῦ Ἀπιναίου ὄρους ἐπορεύθησαν. οὕτω τε ἰθὺ Αἰμιλείας καὶ Ἀλπισκοτίας ἐλθόντες, μόλις τὸν Πάδον ἐπεραιοῦντο. καταλαβόντες δὲ Βενετίαν τὴν χώραν, ἐς Κενεστὰ τὴν πόλιν, κατήκοον σφῶν ἐν τῷ τότε οὖσαν, ηὐλίζοντο, αὐτοῦ τὸ λοιπὸν ἐν τῷ ἀσφαλεῖ διαιτώμενοι. Id eſt: *Quamcitiſſimè motis à Fano urbe caſtris, ultrà progreſſi ſunt. ac relicto ad dextram Ionio ſinu & omni litorali arenoſâque viâ, ad radices Apinæi montis iter fecerunt. atque ita rectà Aemiliam & Alpiſcotias versùs euntes, ægrè Padum trajecerunt. Quum verò in Venetiam veniſſent, apud Ceneſtam opidum, per id tempus ipſis ſubditum, ſtationem habuerunt; ibi deinceps in tuto commoraturi*. In his ut Ἀπιναίου & Ἀλπισκοτίας corrupta ſunt vocabula à genuinis Ἀπεννίνου & Ἄλπεις Κοττίας. id eſt, *Apennini* & *Alpeis Cottias*; ſic nomen opidi quoque Κενεστὰ vitiatum eſt à Κενέτα, *Ceneta*.

OPITERGIVM *opidum.*

Inter Cenetam & mare Hadriaticum eſt Ὀπιτέργιον, OPITERGIVM, nobile quondam opidum; vulgò nunc *Oderzo* & *Vderzo* & nonnullis *Ovederzo* dictum. Memoratur Straboni, Plinio, Tacito, Ptolemæo, Tabulæ itinerariæ, Marcellino, Paullo Diacono, & aliis; item inſcriptionibus antiquis. Plinius lib. III cap. XVIIII: *In mediterraneo regionis Decimæ coloniæ, Cremona, Brixia, Cenomanorum agro: Venetorum autem Ateſte; & opida, Acelum, Patavium, Opitergium*. Ptolemæus: Τῆς Οὐενετίας δὲ μεσόγειοι πόλεις, Οὐικετία, Βελοῦνον, Ἄκελον, Ὀπιτέργιον, Ἄλτινον. Id eſt: *Venetiæ mediterranea opida ſunt, Vicentia, Belunum, Acelum, Opitergium, Altinum*. Tacitus Hiſtoriar. lib. III: *Primus ac Varus, occupantes Aquileiæ proxima quæque, & Opitergii & Altini lætis animis accipiuntur*. Ammian. Marcellinus lib. XXVIIII: *Obſeſſa à Quadis ac Marcomannis Aquileia diu, Opitergiumque exciſum*. Paulli Diaconi locum ex Langobard. rer. lib. V cap. XXIIII ſuprà ad Cenetam attulimus. Idem auctor lib. IIII cap. XLV: *Opitergium quoque civitatem, inter Tarviſium & Forum Iulii poſitam, pari modo expugnavit & diruit Rothari rex*. In Tabulâ itinerariâ iter hoc modo perſcriptum eſt:

Vicentia	
Opttergio	XXXIII.
Concordia	XL.

Vt vocabulum *Opttergio* corruptum eſt ab *Opitergio*; ſic etiam inter hoc & *Concordiam* numerus XL vitiatus ex XV. Sed ex tot hactenus citatis auctoribus quis non diſpexerit, apud Strabonem quoque lib. V legendum eſſe Ὀπιτέργιον & Κωνκορδία, ubi nunc in vulgatis legitur exemplaribus Ἐπίτερπον & Ὀρδία. Locus ita habet: Ἐν

δὲ τοῖς

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

ἐν τοῖς ἕλεσι μεγίστη μέν ἐστι Ῥάβεννα. * . Ἔστι δὲ καὶ τὸ Ἄλτινον ἐν ἕλεσι· μεταξὺ δ' ἢ Βούτριον καὶ ἡ Σπῖνα. * . Αὗται μὲν οὖν ἐπιπλέον περιέχονται τοῖς ἕλεσιν, ὥστε καὶ κλύζεσθαι. Ἐπίτερπον δὲ καὶ Ὀρδία καὶ Ἀδρία καὶ Οὐκετία, ἧττον μὲν ὑπὸ τῶν ἑλῶν ἐνοχλεῖται. Id eſt: *In paludibus maxima eſt Ravenna.* Paullo pòſt: *Eſt & Altinum in paludibus. medio ſitu ſunt Butrium & Spina.* Mox: *Atque hæ quidem urbes maiore ex parte paludibus cinguntur; ita, uti etiam illuviem patiantur. at Epiterpum & Ordia Hadriaque & Vcetia minùs à paludibus infeſtantur.* Scribe; Ὀπιτέργιον δὲ καὶ Κωνκορδία καὶ Ἀδρία καὶ Οὐικεντία. *Opitergium & Concordia Hadriaque & Vicentia.* De hac jam antè probatum eſt. Opidani ab *Opitergio* ſunt Livii breviatori lib. CX, Lucano lib. IIII, Floro lib. IIII cap. II, Plinio lib. III cap. XVIII, & lapidi antiquo, qui heic exſtat, OPITERGINI. Epitomator Livii: *C. Antonius, legatus Cæſaris, malè contra Pompeianos pugnavit; & in Illyrico captus eſt. In quo bello Opitergini Transpadani, Cæſaris auxiliares, rate ſuâ ab hoſtilibus navibus clausâ, potiùs quàm in poteſtatem inimicorum venirent, inter ſe concurrentes occubuerunt.* Florus: *Quum, fauceis Hadriatici maris juſſi occupare, Dolabella & Antonius, ille Illyrico hic Corcyræo litore caſtra poſuiſſent, jam maria latè tenente Pompeio; repentè legatus Octavius Libo ingentibus copiis claſſicorum circumvênit utrumque. Deditionem fames extorſit Antonio. Miſſæ quoque à Baſilio in auxilium eius rates, qualeis inopiâ navium fecerat, novâ Pompeianorum arte Cilicum, actis ſub mari funibus captæ quaſi per indaginem. Duas tamen æſtus explicuit. una, quæ Opiterginos ferebat, in vadis hæſit: memorandumque poſteris exitum dedit. quidpe vix mille juvenum manus circumfuſi undique exercitus per totum diem tela ſuſtinuit. &, quum exitum virtus non haberet; tamen ne in deditionem veniret; hortante tribuno Vulteio, mutuis ictibus in ſe concurrit.* Eamdem hiſtoriam Lucanus quoque canit dicto lib. IIII: ubi, inter alia, hæc leguntur verba:

Heic Opiterginis moles onerata colonis
Conſtitit.

Colonos heic dixit, non qui in coloniam aliquando huc deducti erant; ſed incolas opidi. nullibi enim de Opiterginâ coloniâ quidquam adnotatum reperio.

Vltra Opitergium eſt LIQVENTIA *flumen*, vulgò nunc *Livenza* adpellatum. LIQVENTIA amnis.
Plinius lib. III cap. XVIII: *Sequitur Decima regio Italiæ, Hadriatico mari adpoſita, Venetia. cuius fluvius Silis, ex fontibus Tarviſanis: opidum Altinum. flumen Liquentia, ex montibus Opiterginis, & portus eodem nomine.* Quum omnia fermè Venetici litoris flumina tam copioſis defluant aquis, uti latiſſimis altiſſimiſque oſtiis portus adpellentibus ſubeuntibuſque navibus præbeant; LIQVENTIAE etiam fuit PORTVS: qui hodiéque eodem nomine manet. Apud Virgilium Aeneid. lib. VIIII hi ſunt verſus:

Quales aëriæ liquentia flumina circùm,
Sive Padi ripis, Atheſim ſeu propter amœnum,
Conſurgunt geminæ quercus, intonſaque cælo
Attollunt capita, & ſublimi vertice nutant.

Quædam exemplaria heic habebant, *Liquetia flumina circùm.* unde etiam ita commentatur ad hunc locum Servius: *Liquetia Venetiæ fluvius eſt inter Altinum & Concordiam; quem nunc memorat. nam liquetia non eſt epitheton. nemo enim à generalitate transit ad ſpecies; quod vitioſum eſt. ut, ſi dicas circa flumina naſcuntur arbores: & ſic inferas, circa Tiberim, Anienem: quum ſufficiat dixiſſe, circa flumina, generaliter. Vnde adparet, quia Liquetia legendum eſt; & non liquentia.* Contra hæc ita doctiſſimus Erythræus in indice Virgiliano: *Liquentia flumina, poſito etiam pignore contenderim, poëtam, non Liquetia, reliquiſſe. amat enim liquentia & liquida uno ſenſu variare. unde liquida mella, & liquentia, dixit. Sic ergo liquentia flumina adpellavit: quum præſertim etiam liquentem fluvium ſuprà dixerit; liquidis fontibus & lacubus nominatis. Prætereà ſi tertium addere Pado Atheſique fluviis voluiſſet, Mincium his vicinum adnumeraſſet potiùs, quàm Liquetiam fluvium, etiamſi nobilem in Foro Iulii. Verùm poëta, quod plerumque ſit, poſito priùs genere, mox transit ad ſpeciem: idque figuratiùs, quàm Servius aut alii intellexerint. ut inſulsè faciant, qui, dum Virgilio unum ſe putant heic fluvium veluti lucrifacere, de poëticâ dignitate huic loco non parum demunt: quem totum exornare hac figurâ poëta ſtuduit. ut omittam, Liquetia flumina Muſam quoque Virgilianam numquàm dictaviſſe; ſed Liquetiæ, more ſuo.* Hanc maximè in Erythræo opinionem miror; quum haud ita multo antè ita canat poëta:

Stabat

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Stabat in egregiis Arcentis filius armis,
Inſignis facie: quem miſerat Arcens,
Eductum Martis luco, Simethia circùm
Flumina; pingvis ubi implacabilis ara Palici.

Nec illud ſatis probum, de Mincio quod injicit. nam flumina heic nominare voluit poëta, circùm quæ *aëriæ* forent *quercus*: quorum ſilvas umquàm citca Mincium fuiſſe, regione jam inde illis temporibus cultiſſimâ celeberrimâque, vehementer dubito. At apud Liquentiæ ripas ſilvæ conſpiciuntur proceriſſimarum quercuum frequentiſſimæ: qualeis haud facilè alibi in totâ Italiâ reperias. Illud tamen Servii *Liquetia* non placet; quando & hodiè is fluvius per *n* dicitur *Livenza*, & jam olim Plinio, ut omnia eius referunt exemplatia, dictus eſt *Liquentia*. quod vocabulum in Tabulâ itinerariâ corruptum legitur *Licenna*; quum antè ex genuino vitiatum eſſet *Licentia*. niſi fortè Servii ævo eâdem ratione *Liquentiam* dixerint *Liquetiam*, ut *Vicentiam* opidum dictum fuiſſe *Vicetiam*, ſuprà oſtendi. Sed verum uti fatear, ambiguus etiamnunc maneo animi, quænam Virgilio mens fuerit; quando pro utrâque opinione æquo pondere disputari poteſt. Pro Erythræo facit alius poëtæ locus; qui Aeneid. lib. VII eſt huiusmodi:

Ibat & Hippolyti proles, pulcherrima bello,
Virbius: inſignem quem mater Aricia miſit,
Eductum Egeriæ lucis, humentia circùm
Litora; pingvis ubi implacabilis ara Dianæ.

Vt enim heic *circùm humentia* dixit *litora*, ſic illic *circùm liquentia flumina*, dixiſſe potuit. De cætero *Liquentia* quidem fluvius haud procul à *Pulcenico* opido, ex *Opiterginis* olim, ſi Plinio credimus, *montibus* oritur, pluribus fontibus, eodem ferè loco ſcatentibus; ſed tribus uberrimis, qui ex Belunenſis agri lacu meatu ſubterraneo fluere vulgò creduntur. haud longè à dictis ortibus fons copioſiſſimus erumpit, tanto aquarum impetu, ut quadrifido flumine quaternas volvat molarum rotas. quo recepto, navigabilis fit Liquentia. At longè ſupra hæc loca ex ipſis Alpibus exoritur *Meduna* amnis; qui aliud flumen *Celinam*, eodem tractu exortum, in Liquentiam defert. Ei flumini id nominis manſiſſe puto ab opido antiquo, quod Plinio in Venetiâ vocatur CAELINA. quod vocabulum etiam ſimplici vocali dictum fuiſſe CELINA, & item CILINA, patet ex antiquo lapide, apud Maniacum vicum ad ripam Celinæ fluminis reperto; in quo opidani ſunt CILINENSES. Plinius lib. III cap. XVIIII: *In hoc ſitu interiêre per oram Iramine, Pellaon, Palſicium: ex Venetis Atina & Cælina; Carnis Segeſte & Ocra; Tauriſcis Noreia. & ab Aquileiâ ad duodecimum lapidem deletum opidum, etiam invito ſenatu, à M. Claudio Marcello, L. Piſo auctor eſt. In hac regione & decem lacus inclyti ſunt.* Iſtud *opidum* CAELINA, ſive CELINA, & CILINA, circa Maniacum vicum fuiſſe arbitror in ripâ Celinæ amnis, ubi lapis repertus cum hac inſcriptione:

CELINA *opidum & flumen.*

C · HOSTILIVS · ET · PVBLIVS · EGNATIVS · VEITOR
QVINTAE · DECIMAE . LEGIONIS · TRIBVNI
P · S · P · Q · R · DIMICANTES · PARITER
OCCISI · HEIC · PARITER · IACENT
SINGVLARE · POSTERIS · EXEMPLVM
ET · CARITATIS · ET · FORTITVDINIS
CILINENSES · XXL · DIES · ATRATI
LVCSERVNT

Quo tempore & quo bello vel qua aliâ calamitate id opidum interierit, incertum eſt. nec id quidem conſtat, poſt Plinii ætatem an reſtitutum fuerit, necne.

LIQVENTIAE *pons, locus.*

Cæterò opidum nunc eſt in dicto itinere inter Opitergium Concordiamque ad dextram Liquentiæ ripam, vulgari vocabulo *La Motta*. id olim haud dubiè à ſitus argumento dictum fuit PONS LIQVENTIAE. ſic quidpe refert Paullus Diaconus Langobard. rer. lib. V cap. XXXIX: *Quum contrà Gunibertus exercitum colligeret; & Forojuliani in eius auxilium, juxta fidelitatem ſuam, vellent proficiſci; ipſe Alachis ad*

pontem Liquentiæ fluminis, quod à Foro Iulii XLVIII *millibus diſtat, & eſt in itinere Ticinum pergentibus, in ſilvâ, quæ Capulanus dicitur, latens, quum Forojulianorum exercitus ſparſim veniret; omneis eos, ſicut veniebant, jurare ſibi compulit.* Haud dubiè CAPVLANVS iſte SALTVS, ſive CAPVLANA SILVA, citra Liquentiam fuit flumen: quod transgreſſos Forojulienſeis, continuò Alachis excepit. CAPVLANA *ſilva.*

Porrò Plinius dicto cap. XVIIII, *In mediterraneo,* inquit, *regionis Decimæ coloniæ, Cremona, Brixia, Cenomanorum agro; Venetorum autem Ateſte; & opida, Acelum, Patavium, Opitergium, Belunum, Vicentia, Mantua: Feltrini & Tridentini & Beruenſes, Rhætica opida: Rhætorum & Euganeorum Verona; Iulienſes Carnorum. dein, quos ſcrupulosè dicere non attineat; Alutraenſes, Aſſeriates, Flamonienſes, Vannienſes, & alii, cognomine Culici, Forojulienſes, cognomine Transpadani, Foretani, Vedinates, Querquani, Tarviſani, Togienſes, Varuani. In hoc ſitu interiere per oram Iramine, Pellaon, Palſicium; ex Venetis Atina & Cælina; Carnis, Segeſte & Ocra; Tauriſcis Noreia. & ab Aquileiâ ad duodecimum lapidem deletum opidum, etiam invito ſenatu, à M. Claudio Marcello, L. Piſo auctor eſt.* Hæc poſtrema, quæ *ſcrupulosè dicere non attinebat,* ſatis compendioſè retulit; tot opidis à Plavi amne ad Hiſtriæ usque fineis in unum confuſis. unde ſitus etiam eorum haud facilè indicari potuerint. Quin etiam, vocabula eorum an ſatis ſint ſana ac ſine vitio, meritò quis dubitet; quando *Feltrini* quoque & *Querquani* & *Tarviſani* hactenus corruptis nominibus in omnibus exemplaribus leguntur *Fertini, Quarqueni, Tauriſani;* ut ſuprà oſtenſum eſt. ſed *Vedinates* quoque nunc vitiato nomine leguntur in aliis exemplaribus *Venidates*, in aliis verò *Nedinates;* ut infrà in Carnis docebo. FLAMONIA tamen *opidum,* unde Plinio ſunt opidani FLAMONIENSES, id eſſe videtur, quod apud Tilavempti amnis ripam vulgò nunc vocatur *Flagonia,* ſeu, ut Itali ſcribunt, *Flagogna.* VANNIA; unde opidani Plinio VANNIENSES; neſcio an is ſit locus, qui inter Celinam Medunamque amneis vicus nunc dicitur *Fanna.* Eodem tractu, ad ripam Medunæ eſt vicus vulgari vocabulo *Topo.* id olim an TOPIVM fuerit opidum, & inde opidani TOPIENSES, qui nunc in Plinii exemplaribus leguntur *Togienſes;* haud temerè dixerim. FLAMONIA, VANNIA & TOPIVM, *opida.*

Reliqua hinc eſt dicenda urbs CONCORDIA, inter prædicta flumina Liquentiam & Tilavemptum propiùs mare accedens; eodem nomine & epiſcopatus titulo hodiéque clara: ſed ædificiis cultoribusque deſerta. Memoratur antiquis ſcriptoribus, Straboni, Melæ, Plinio, Ptolemæo, Antonino, Tabulæ itinerariæ, Zoſimo, Eutropio, Caſſiodoro, Paullo Diacono, & item antiquis inſcriptionibus. Sed Ptolemæus perperam Carnis eam attribuit: & Mela longè imperitiùs inter Tergeſte & Aquileiam, opida Carnorum, eam poſuit. Huius verba lib. II cap. IIII hæc ſunt: *Vrbium, quæ procul à mari habitantur, opulentiſſimæ ſunt, ad ſiniſtram, Patavium Antenoris; Mutina & Bononia, Romanorum coloniæ: ad dextram, Capua, à Thuſcis, & Roma, quondam à paſtoribus condita. At in oris proxima eſt à Tergeſte Concordia. interfluit Timavus. deinde Natiſo non longè à mari ditem attingit Aquileiam. ultrà eſt Altinum.* Ptolemæus: Τῶν δὲ Καρνῶν μεσόγειοι πόλεις, Φόρος Ἰούλιος, κολωνία· Κονκορδία, κολωνία· Ἀκυληΐα, κολωνία. Id eſt: *Carnorum mediterraneæ urbes ſunt; Forum Iulium, colonia; Concordia, colonia; Aquileia, colonia.* Plinius lib. III cap. XVII: *Sequitur Decima regio Italiæ, Hadriatico mari adpoſita, Venetia. cuius fluvius Silis, ex fontibus Tarviſanis: opidum Altinum: flumen Liquentia, ex montibus Opiterginis; & portus eodem nomine: colonia Concordia. flumina & portus, Romatinum, Tilavemptum maius minusque, Anaſſum, quo Varramus defluit; Alſa, Natiſo cum Turro, præfluentes Aquileiam coloniam,* XII *millia paſſuum à mari ſitam. Carnorum hæc regio; junctaque Iapidum. amnis Timavus: caſtellum, nobile vino, Pucinum: Tergeſtinus ſinus. colonia Tergeſte.* Ita equidem hic etiam limites Venetorum Carnorumque obſcurâ atque ambiguâ oratione occuluit. Sed poſteà in Carnis oſtendam. fuiſſe terminum inter utrosque Tilavemptum flumen. Apud Strabonem lib. v, jam anteà monui, ita eſſe legendum: Ὀπιτέργιον δὲ καὶ Κωνκορδία καὶ Ἀτρία καὶ Οὐικετία, καὶ ἄλλα τοιαῦτα πολισμάτια, ἧττον μὲν ὑπὸ τῶν ἑλῶν ἐνοχλεῖται· μικροῖς δ᾽ ἀνάπλοις πρὸς τὴν θάλατταν συνῆπται. Id eſt: *Opitergium & Concordia Atriaque ac Vicentia, & alia id genus opidula, minus à paludibus infeſtantur; & parvis ſubvectionibus prope mare accedunt.* Hinc ſcilicet Plinio Melæque *Concordia* in orâ maritimâ recenſetur. Nomen eius apud Strabonem ſcribendum cenſeo per ω in primâ ſyllabâ, non verò per ο, ut eſt apud Ptolemæum atque CONCORDIA *colonia.*

Zoſimum. omnia quidpe eiusmodi vocabula, quæ Latinis compoſita ſunt à particulà *con*, Græcis uſurpata per ω animadverto. Sic Κωνστάντιος, Κωνσταντῖνος, & Κωνσταντία, ſcripta reperio. quorum ultimum ipſe etiam cum Strabone & Appiano ita habet Ptolemæus; ut infrà in Brutiis videbimus. ſic Plutarchus in Romulo dixit deum Κῶνσον, & inde deducta vocabula, κωνσίλιον, κωνσοῦλας, κωνσάλια. *Coloniam* Romanorum fuiſſe *Concordiam*, ex Plinio ac Ptolemæo intelleximus. Hinc in lapidibus vocatur IVLIA CONCORDIA: ſcilicet, quia Iulii Cæſaris auſpiciis deducta. Coloni inde ſive opidani dicebantur CONCORDIENSES. unde *Concordienſis* eſt *civitas* apud Caſſiodorum Variar. lib. XII epiſt. XXVI. Idem auctor meminit eius in Chronico his verbis: *L. Annius Antoninus Verus inter Concordiam & Altinum apoplexi exſtinctus eſt*. Idem refert & Eutropius lib. VIII, & ex Eutropio item Paullus Diaconus Hiſtoriæ miſcellæ lib. X. Itineraria Romana ſic habent:

Antonini;		Tabulæ;	
Aquileia		*Aquileia*	
Concordia	XXXI.	*Concordia*	XXX.
Altino	XXXI.	*Altino*	XXX.
Patavis	XXXII.	*Patavis*	XXX.

Zoſimus lib. V: Ὁ δὲ Ἀλάριχος εἰς τὸ πρόσω προελθὼν, Ἀκυληΐαν μὲν παρατρέχει, καὶ τὰς ἑξῆς πόλεις, ἐπέκεινα τοῦ Ἠριδανοῦ ποταμοῦ κειμένας· φημὶ δὲ Κονκορδίαν καὶ Ἄλτινον, καὶ ἐπὶ ταύτῃ Κρέμωνα. Hoc eſt: *Alarichus ulteriùs progrediens, Aquileiam & alias inde urbeis trans Padum ſitas curſu præterit: Concordiam ſcilicet, & Altinum, & poſt hanc Cremonam.*

ROMATINA, *flumina* maius minusque. ROMATINVS *portus.*

Cæterò flumen Concordiam perfluit, vulgari nunc vocabulo *Leme* & *Lémene* dictum: cuius oſtium portum efficit apud Caprulas inſulare opidum, qui vulgò vocatur *Porto Lematino*. ex quo vocabulo clarè liquet, ROMATINVM hunc eſſe *amnem* ac *portum* Plinii, loco proximè perſcripto. *Opidum*, inquit, *Altinum; flumen Liquentia, & portus eodem nomine. colonia Concordia: flumina & portus, Romatinum, Tilavemptum maius minusque, Anaſſum, quò Varramus defluit; Alſa, Natiſo cum Turro, præfluentes Aquileiam*. Quum *Varramus* iſte in Tilavemptum defluat; ut in Carnis oſtendetur: meritò ego heic cum doctiſſimis peritiſſimisque huius regionis ſcriptoribus ſuſpicer, duas iſtas voces, *maius minusque*, non rectè Tilavempto eſſe adpoſitas: præſertim, quum nullus alter ille Tilavemptus monſtrari queat. Immane delìraverunt illi, qui Anaſſum interpretati ſunt Plavim, & Varramum in hunc defluentem Calorium, Belunenſis agri amnem. Ego, ſi Plinio errores objicere piget, ſic ab eo ſcriptum cenſuerim: *Colonia Concordia, flumina & portus, Romatinum, maius minusque; Tilavemptum, quo Varramus defluit; Anaſſum, Alſa, Natiſo*. Quidpe ROMATINVS *maior* eſt is, qui, altiùs ſupra opidum Valvaſſonem exortus, vulgò vocatur *Lémene*: ROMATINVS autem *minor* is dicendus eſt, qui, ab opido *S. Viti* delabens, apud opidum *Portum Gruarum* illi jungitur, vulgari vocabulo *Lemetto*: quod diminutivum eſt Italicà lingvâ ab *Leme*: ita, uti rectè id interpreteris *Romatinum flumen minus*. Porrò iter in ſuprà dicto itinerario Hieroſolymitano eſt huiusmodi:

Altino	
Sanos	X
Concordia	IX.

Ex intervallis locus hic medius AD SANOS colligitur fuiſſe circa dextram Liquentiæ ripam. Atque hactenus opidorum, fluminum, portuumque Venetiæ ad Tilavemptum usque amnem antiquitates nobis expoſitæ ſunt. Quæ ultra Tilavemptum ad Formionem usque fluvium (hic nunc eſt *Riſano*) porrigebantur, quia in imperio Romano Carnorum nomini attributa fuerunt, in horum deſcriptione proximè dicentur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

CAPVT XVIIII.

De CARNORVM *genere ac finibus.*

CARNI, Inalpina gens, Venetis ab ſeptemtrionibus contermini, Celtici fuêre generis. hi *Galli* etiam vocantur in fragmento faſtorum triumphalium, quod Romæ effoſſum. Triumphi in eo enumerantur hoc ordine:

DE · LIGVRIBVS · VOCONTIEIS · SALLVVIEIS · QVE
DE · LIGVRIBVS · STOENIS
DE · GALLEIS · KARNEIS

Apud Livii epitomatorem, lib. XLII, ita legitur in vulgatis exemplaribus: *Q. Marcius conſul Sarnos, gentem Alpinam, expugnavit.* Apud Oroſium verò lib. V cap. XIIII, & ex Oroſio apud Freculfum tomo I lib. VI cap. VIII, ſic ſcriptum eſt: *Q. Marcius Gallorum gentem, ſub radice Alpium ſitam, bello adgreſſus eſt. qui quum ſe Romanis copiis circumſeptos viderent, belloque impares fore intelligerent; occiſis conjugibus ac liberis, in flammas ſe projecerunt. qui verò, præoccupantibus Romanis, peragendæ tunc mortis ſuæ copiam non habuerant, capitique fuerant; alii ferro, alii ſuſpendio, alii abnegato cibo, ſeſe conſumſerunt: nullusque omnino vel parvulus ſuperfuit, qui ſervitutis condicionem vitæ amore toleraret.* Ad Livii locum commentans Sigonius, in veteri exemplari teſtatur fuiſſe ſcriptum *Stonos*; & in aliquot aliis, *Stinos*. unde colligit, *Tricaſtinos* fortè legendum: quæ Galliæ Transalpinæ fuit gens in Sabaudiâ. confirmarique putat hanc ſuam opinionem auctoritate Oroſii; apud quem diſertè nominantur *Galli*. huc inſuper addit, quòd Velleius lib. I & Eutropius lib. IIII teſtantur, *M. Porcio Catone & Q. Marcio Rege conſulibus, Narbonem Marcium in Galliâ deductam eſſe coloniam.* Verùm, quid, debellatâ demum *Tricaſtinorum* gente, opus fuerit coloniam ultra Rhodanum amnem ſub Pyrenæum usque montem & fineis Hiſpaniæ deducere, equidem rationem nullam video: utique, quum quadriennio antè à C. Sextio Domitio colonia deducta ſit *Aquæ Sextiæ* in Salluviis: quam gentem ipſe ante biennium perdomuerat. Quocirca apud Oroſium aut interiiſſe gentis Gallicæ vocabulum, quam devicit Marcius, neceſſum eſt, aut ipſam vocem *Gallorum* eſſe corruptam atque mendoſam. nam univerſa Gallorum inter Rhenum Pyrenæosque monteis & Oceanum gens neque ſub Alpium radicibus ſita erat, neque à Marcio debellata. Ego verò ex præſcripto faſtorum loco audacter adfirmaverim, ſcriptum fuiſſe apud breviatorem Livii, *Carnos, gentem Alpinam, expugnavit:* & apud Oroſium vel ſimpliciter eodem modo, *Carnorum gentem*; vel, ut in faſtis eſt, *Gallorum Carnorum gentem*. Nec temporum locorumve & rerum inibi à Romanis geſtarum diſcrepabit ordo: prout ipſe quoque in Faſtis ſuis quàm diligentiſſimè adnotavit Sigonius. De *Iapydibus* enim, conterminâ Carnis gente, triumphaſſe C. Sempronium Tuditanum conſulem anno urbis Romæ IↃCXXIIII, ex fragmentis triumphorum, quæ in Capitolio Romæ exſtant, agnoſcit: de *Liguribus* autem *Vocontiis Salluviisque* M. Fulvium Flaccum proconſulem anno IↃCXXX, Q. Cæcilio Metello & T. Quinctio Flaminio conſulibus. de *Gallis* verò triumphum oſtendit egiſſe Q. Marcium Regem proconſulem anno IↃCXXXVI, L. Cæcilio Metello & Q. Mucio Scævolâ conſulibus; anno pòſt, quàm conſul ipſe cum M. Porcio Catone fuerat. hinc anno urbis IↃCXXXVIII de *Liguribus* triumphaſſe M. Aemilium Scaurum conſulem; qui collegam habuit M. Cæcilium Metellum. De hoc Aemilio Scauro ita ſcriptum eſt apud auctorem de Viris illuſtribus, in vulgatis exemplaribus: *Conſul Ligures & Gantiſcos domuit, atque de his triumphavit.* Hos in aliis exemplaribus legi *Cauriſtos*, & in aliis *Cauriſcos*, teſtatur in commentariis ad hunc auctorem doctiſſimus Andreas Schottus. Hinc ego ſimul ex temporum ſimul ex locorum & rerum inibi à Romanis geſtarum ratione colligo ſcriptum fuiſſe, *Tauriſcos*. qui & ipſi Carnis fuêre contermini, ut mox videbimus, poſteà *Norici* dicti. Triumphavit autem in magiſtratu de duabus ſimul gentibus, Liguribus & Tauriſcis; quemadmodùm LII annis antè C. Claudius Pulcher quoque de eisdem *Liguribus* & *Hiſtris*, conterminâ Carnis pariter & Iapydibus gente; ut auctor eſt Livius lib. XLI. Apud Strabonem lib. V ita ſcriptum eſt: Αἰμιλία δ' ὁδός ἐστιν ἡ διαδεχομένη τὴν Φλαμινίαν. συνυπάτευσαν γὰρ ἀλλήλοις Μάρκος Λέπιδος καὶ Γάιος Φλαμίνιος. καὶ ὁ μὲν τὴν Φλαμινίαν ἔστρωσεν ἐκ Ῥώμης διὰ Τυρρηνῶν καὶ τῆς Ὀμβρικῆς, μέχρι τῶν περὶ Ἀρίμινον τόπων· ὁ δὲ τὴν ἑξῆς

μέχρι Βονωνίας, κἀκεῖθεν εἰς Ἀκυληΐαν, παρὰ ῥίζας τὰς τῶν Ἄλπεων ἐγκυκλούμενος τὰ ἕλη. Id eſt: *Aemilia via eſt, quæ Flaminiam excipit. nam collegæ in conſulatu fuêre M. Lepidus & C. Flaminius: quorum hic Flaminiam viam ſtravit, à Româ per Etruriam & Vmbriam, ad Ariminum usque: ille deinceps ad Bononiam, atque inde ad Aquileiam usque, juxta radices Alpium paludibus in orbem circumventis.* Conſules hi fuêre anno urbis Romæ IↃLXV, id eſt, ante natum Ieſum anno CLXXXVIII. Ergo Venetia jam tum armis Romanorum ſubacta erat, vel ſponte ſuâ (nam de bello Venetico nusquàm legitur) ſub imperium ſeu ſocietatem eorum conceſſerat. Aquileia tamen nondum exſtitit. quæ quadriennio pòſt demum à Romanis deducta eſt colonia; quum M. Claudius Marcellus bellum Hiſtris inferret; ut infrà docebimus. Ante Hiſtriam debellatam in imperio Romanorum fuiſſe Venetos, certum eſt; quando nullâ aliâ terreſtri viâ in illam exercitum ducere poterant, niſi per Venetiam. Hiſtros primùm adgreſſi ſunt Romani anno urbis ſuæ IↃXXXII, P. Corn. Scipione Aſinâ & M. Minucio Rufo conſulibus. qua de re ita Eutropius lib. III: *M. Minucio, P. Cornelio conſulibus Hiſtris bellum illatum eſt; quia latrocinati naveis Romanorum fuerant, quæ frumenta exhibebant. perdomitique ſunt omnes.* Hinc Livii epitomator lib. XX: *Hiſtri ſubacti ſunt.* Polybius autem lib. II, in conſulatu L. Aemilii Papi & C. Atilii Reguli, anno Vrbis IↃXXVIII; ubi de bello Gallico agit, quod Punicum bellum II præceſſit, parsque poſteà huius fuit; οἱ δὲ Οὐενετοὶ, inquit, καὶ Κενομανοὶ, διαπρεσβευσαμένων Ῥωμαίων, τούτοις εἵλοντο συμμαχεῖν. Id eſt: *Veneti ac Cenomani, acceptâ à Romanis legatione, horum ſocietatem præoptaverunt.* Venetis itaque in ſocietatem legatione pertractis, Hiſtris verò Iapydibusque bello ſubactis, Q. Marcius Rex conſul proximos quoque Carnos, ſupra Venetos Alpium latus internum incolenteis, adgreſſus eſt, atque devicit, triumphumque de iis egit in magiſtratu, anno urbis Romanæ IↃCXXXV; ante natum Ieſum anno CXVIII. namque non *proconſulem*, ut vult Sigonius; ſed *conſulem* bellum id geſſiſſe Marcium, diſertè teſtantur Epitomator Livii dicto lib. LXII, & Oroſius lib. V cap. XIIII. Triennio tandem pòſt M. Aemilius Scaurus *Tauriſcos*, ſupra Carnos incolenteis, debellavit. Sed ex hactenus dictis ſatis clarè jam patet, apud Oroſium quoque & Livii epitomatorem ſuprà citatis locis *Carnorum* nomen eſſe reſcribendum: quod diſertis literis, more eius ævi K pro C uſurpato, in memorato faſtorum triumphalium fragmento exſtat. *Gallos* eſſe exiſtimarunt eius temporis Romani, quia lingvâ utebantur Celticâ: quemadmodùm ſub eamdem tempeſtatem devictos *Stænos*, Euganeorum populum, pro Liguribus habuêre.

CARNORVM *fines.*

Fineis Carnorum quod attinet; alii hi fuêrunt aliis temporibus. Hinc prædictus Livii breviator *Alpinam* eos adpellavit *gentem*; Oroſius verò, *ſub radice Alpium ſitam.* Sanè ſub radicibus Alpium numquàm incoluêre antè, quàm eis à Romanis (neque enim per vim atque arma jam præpotentibus heic eripere quidquam potuerunt) pars Veneticæ oræ inter Tilavemptum & Formionem amneis attributa fuit. quod quando factum ſit, nusquàm adnotatum reperio. Hinc igitur omnes antiquiores auctores, ſive qui de rebus vetuſtioribus hiſtoriam conſcripſerunt, Venetorum Venetiæque nomen ultra Timavum usque amnem protulerunt; ut ſuprà cap. XVII oſtenſum eſt. hinc etiam illud eſt Strabonis in lib. V: Τὰ μὲν δὴ πέραν τοῦ Πάδου χωρία οἵ τε Ἐνετοὶ νέμονται καὶ οἱ Ἴστροι μέχρι Πόλας· ὑπὲρ δὲ τῶν Ἐνετῶν Καρνοί. Id eſt: *Igitur, quæ trans Padum ſunt, Veneti incolunt & Hiſtri ad Polam usque. ſupra Venetos ſunt Carni.* Hæc ſcilicet ex vetuſtiori aliquo ſcriptore hauſerat. rectiùs deinde pro ſuâ ætate ſcripſit lib. VII; Ὁμοίως δὲ καὶ ἐκ Τεργέστης, κώμης Καρνικῆς, ὑπέρθεσίς ἐστι διὰ τῆς Ὄκρας εἰς ἕλος Λούγεον καλούμενον. Id eſt: *Similiter à Tergeſte, vico Carnico, tranſitus per Ocram eſt ad Lugéam paludem. Tergeſte* hodiéque trans Timavum in litore dicitur vulgò *Trieſt.* Idem auctor mox poſteà: Ἔφαμεν δ᾽ ἐν τῇ περιοδείᾳ τῆς Ἰταλίας, Ἴστρους εἶναι πρώτους τῆς Ἰλλυρικῆς παραλίας, συνεχεῖς τῇ Ἰταλίᾳ καὶ τοῖς Καρνοῖς. Hoc eſt: *Diximus in Italiæ deſcriptione, primos in litore Illyrico eſſe Hiſtros, contermines Italiæ & Carnis.* Sic Mela quoque, Strabonis ferè æqualis, Hiſtriam Illyrico tribuit; proximos inde Carnos atque Venetos Italiæ. Lib. II cap. III, de Hadriatico ſinu loquens; *Hoc mare, inquit, magno ſeceſſu litorum acceptum, & vaſtè quidem in latitudinem patens; quà penetrat tamen, vaſtiùs; Illyricis usque Tergeſtum, cætera Gallicis Italicisque gentibus cingitur.* Paullo pòſt: *Tergeſtum finit Illyricum.* Et capite IIII; de ipsâ Italiâ: *Interiora eius aliæ aliæque gentes habitant; ſiniſtrâ parte Carni & Veneti colunt Togatam Galliam: tum Italiæ populi, Picentes,*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

centes, Frentani, Daunii, Apuli, Calabri, Salentini. ad dextram ſunt, ſub Alpibus Ligures, ſub Apennino Hetruria: pòſt, Latium, Volſci, Campani, & ſuper Lucaniam Brutii. Maritimas tantùm profitetur heic ſe enarrare genteis: inter quas etiam *Carnos* refert; medios inter Hiſtros atque Venetos. Sic & alii geographi. Ptolemæus: Μετὰ τὰς ἐκβολὰς τοῦ Πάδου ποταμοῦ, Οὐενετίας Ἀτριανοῦ ποταμοῦ ἐκβολαί. Καρνῶν ὁμοίως, ἐν τῇ ἐπιστροφῇ τοῦ Ἀδρίου κόλπου, ὁ μυχὸς τοῦ κόλπου, ἐν ᾧ ἐστι, Τιλαουέμπτου ποταμοῦ ἐκβολαὶ, Ναΐσωνος ποταμοῦ ἐκβολαί. Ἰστρίας ὁμοίως, μετὰ τὴν ἐπιστροφὴν τοῦ μυχοῦ τοῦ κόλπου τοῦ Ἀδρίου, Τέργεστον κολώνια. Id eſt: *Poſt Padi fluminis oſtium, in Venetiâ, Atriani amnis oſtium. Item Carnorum, in flexu ſinus Hadriæ: Receſſus ſinus; in quo, Tilavempti fluminis oſtium, Natiſonis fluminis oſtium. Item Hiſtriæ, poſt flexum intimi receſſus ſinus Hadriæ, Tergeſtum colonia.* Mox: Τῶν δὲ Καρνῶν μεσόγειοι πόλεις, Φόρος Ἰούλιος κολώνια, Κωνκορδία κολώνια, Ἀκουϊληΐα κολώνια. Id eſt: *Carnorum autem mediterraneæ urbes ſunt, Forum Iulium colonia, Concordia colonia, Aquileia colonia.* Si intimi ſinus flexus, qui eſt ad Silis fluvii oſtium, in Carnorum erat litore; certè non tantùm Concordia, ſed etiam Opitergium & Altinum, quæ Venetiæ attribuit ipſe Ptolemæus, Carnis erant adſcribenda; adeóque omnia, quæ inde ad Tilavemptum usque amnem ſuperiori capite enarravimus. ex quibus tamen *Celinam*, longè interiùs ſitam, diſertè Plinius Venetis adcenſet. Sed Ptolemæus intimum ſinus receſſum ſive angulum ad ipſum poſuit oſtium Tilavempti; ut ex prædictis verbis ſimul & ex tabulâ eius adparet. unde etiam in circumſcribendis univerſæ Italiæ finibus, Ἀπὸ μὲν ἄρκτων, inquit, τοῖς τε ὑπὸ τὴν Ῥαιτίαν Ἀλπίοις ὄρεσι, καὶ τῇ Ὄκρᾳ καὶ τῷ Καρουαδίῳ ὄρεσι, τοῖς ὑπὸ τὸ Νωρικόν· καὶ ἔτι τῇ παραλίῳ τοῦ Ἀδρίου κόλπου, τῇ ἀπὸ τοῦ Τιλαουέμπτου ποταμοῦ μέχρι τοῦ Γαργάνου ὄρους παραλίῳ, καὶ μέχρι τοῦ Ὑδροῦντος. ἀπὸ δὲ μεσημβρίας, τῇ τε τοῦ Ἀδρίου παραλίῳ ἀπὸ Τιλαουέμπτου ποταμοῦ μέχρι τοῦ πρὸς τὴν Ἰλλυρίδα ὁρίου. Id eſt: *Ab ſeptemtrionibus finitur Alpibus, quæ ſunt ſub Rhætiâ; & item Ocrâ Caruſadioque montibus, qui ſunt ſub Norico: ad hæc orâ maritimâ ſinus Hadriæ, à Tilavempto amne usque ad Garganum montem, & inde ad Hydruntem opidum. A meridie autem terminatur litore Hadriæ, à Tilavempto flumine usque ad Illyricos fineis.* Alii igitur de hoc inter Venetos Carnosque termino videndi erunt auctores. Plinius lib. III. cap. XVIII: *Sequitur Decima regio Italiæ, Hadriatico mari adpoſita, Venetia. cuius fluvius Silis; opidum Altinum; flumen Liquentia; colonia Concordia: flumina & portus, Romatinum maius minusque, Tilavemptum, quo Varramus defluit; Alſa, Natiſo cum Turro, præfluentes Aquileiam coloniam,* XII *millia paſſuum à mari ſitam. Carnorum hæc regio, junctaque Iapidum; amnis Timavus; caſtellum, nobile vino, Pucinum: Tergeſtinus ſinus; colonia Tergeſte: ultra quam* VI *millia paſſuum Formio amnis, antiquus auctæ Italiæ terminus; nunc verò Hiſtriæ.* Heic, ut inter Carnos & Iapides Hiſtrosque, ſic inter Venetos & Carnos nullus certus indicatur terminus: nimioque brevis ac ſuccinctæ orationis ſtudio Plinius hos limites confudit; dum unâ eadémque operâ & ſub uno titulo omnia *flumina & portus* à Concordiâ ad Aquileiam usque commemorare voluit: ſcilicet, quia nulla eo tractu intercedebant opida. Clariùs Strabo lib. V; licèt fœdiſſimis librariorum mendis haud modicè obſcuratus. Ἐν δὲ τοῖς ἕλεσιν, inquit, μεγίστη μέν ἐστι Ῥάβεννα· * — * · Ἔστι δὲ καὶ τὸ Ἀλτῖνον ἐν ἕλεσι· μεταξὺ δὲ Βούτριον καὶ Σπῖνα· * · Αὗται μὲν οὖν ἐπιπλέον περιέχονται τοῖς ἕλεσιν, ὥστε καὶ κλύζεσθαι· Ἐπίτερπον δὲ, καὶ Ὀρδία, καὶ Ἀδρία, καὶ Οὐκετία, καὶ ἄλλα τοιαῦτα πολισμάτια, ἧττον μὲν ὑπὸ τῶν ἑλῶν ἐνοχλεῖται. * . Ἀκυληΐα δὲ, ἥπερ μάλιστα τῷ μυχῷ πλησιάζει, κτίσμα μέν ἐστι Ῥωμαίων, ἐπιτειχισθὲν τοῖς ὑπερκειμένοις βαρβάροις· ἀναπλεῖται δὲ ὁλκάσι κατὰ τὸν Ναΐσωνα ποταμὸν ἐπὶ πλείους ἑξήκοντα σταδίους. * . ἔξω δ᾽ ἐστὶ τῶν Ἐνετικῶν ὅρων ἡ Ἀκυληΐα. διορίζονται δὲ ποταμῷ ῥέοντι ἀπὸ τῶν Ἀλπίων ὀρῶν, ἀνάπλουν ἔχοντι καὶ σ´ σταδίων ἐπὶ τοῖς χιλίοις εἰς Νωρηΐαν πόλιν, περὶ ἣν Γναῖος ὁ Κάρβων, συμβαλὼν Κιμβρίοις, οὐδὲν ἔπραξεν. ἔχει δὲ ὁ τόπος οὗτος χρυσοπλύσια εὐφυῆ καὶ σιδηρουργεῖα. Id eſt: *In paludibus maxima eſt Ravenna.* Exiguo poſt: *Eſt & Altinum in paludibus. In medio ſunt Butrium & Spina.* Mox: *Atque hæ quidem urbes maiori ex parte paludibus cinguntur; ita, ut etiam illuviem patiantur. Epiterpum autem & Ordia Hadriaque & Vcetia, aliaque id genus opidula, minùs à paludibus infeſtantur.* Statim: *Aquileia, quæ maximè ſinus intimo receſſui adpropinquat, à Romanis condita eſt munitionis loco contra ſuprà incolenteis barbaros: ad eam adverſo Natiſone amne navigatur à mari, plurimùm* LX *ſtadiis.* Mox: *Sita eſt Aquileia extra Venetorum fineis. diſtingvuntur autem fluvio ab Alpibus delapſo; quo adverſo navigatur &* CIↃ CC *ſtadiis ad Noreiam urbem; apud quam Cn. Carbo inani conatu cum Cimbriis conflixit. Habet is locus auri lavacra & ſecturas ferri præclaras.* Permulta ſanè heic ſunt menda in verbis haud ita multis. Vnum iſtud, ἐπὶ πλεί-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

ςους ἑξήκοντα, rectè reſtituit doctiſſimus auctoris commentator ἐπὶ πλείους ἢ ἑξήκοντα. quod infrà ad Aquileiæ expoſitionem patebit. Ἐπίτερπον, Ὀρδία, Οὐκελία, nos ſuperiori capite correximus in Ὀπιτέργιον, Κωγκορδία, Οὐϊκενδία. Ipſe Strabo lib. IIII & VII Κίμβρους frequenter habet; numquàm Κιμβέρους. Νωρηίαν ſcribendum eſſe, ut Ἀκυληΐαν, non verò Νωρείαν, nemo Græcæ lingvæ gnarus dubitare poteſt. Reſtat igitur, uti hæc quoque examinentur: Διορίζονται ποταμῷ ῥέοντι ἀπὸ τῶν Ἀλπίων ὀρῶν, ἀνάπλουν ἔχοντι καὶ σ' σταδίων ἐπὶ τοῖς χιλίοις εἰς Νωρηίαν πόλιν. Nomen amnis quia non adſcriptum eſt; putavi aliquando, eumdem eſſe, quem *Natiſonem* antè vocat. idque eo magis, quia haud procul Aquileiâ fuiſſe iſta Tauriſcorum auri lavacra, teſtatur ipſe lib. IIII his verbis: Φησὶ Πολύβιος, ἐφ' ἑαυτὸν κατ' Ἀκυληΐαν μάλιστα ἐν τοῖς Ταυρίσκοις τοῖς Νωρικοῖς εὑρεθῆναι χρυσεῖον εὐφυές. Id eſt: *Auctor eſt Polybius, ſuâ ætate circa Aquileiam, maximè in Tauriſcis qui Norici dicuntur, ſolum auri ferax inventum fuiſſe.* Verùm deinde diſpexi, ab oriente præfluxiſſe Natiſonem Aquileiam; ut infrà oſtendetur. Quapropter alius perquirendus erat amnis, qui ab occidente fluat. At heic nullus eſt, qui vel abusque fonte ad oſtium CIↃCC ſtadia, id eſt, millia paſſuum CL, impleat: quum ne Plavis quidem, toto hoc litore poſt Atheſim omnium maximus, ultra C conficiat. unde, ingens mendum præſcriptis verbis ineſſe, cummaximè adparet. cui aliud documentum inſuper addit particula καὶ, orationi ineptiſſimè interveniens; niſi aliquid interiiſſe concedas. Ego ita ſcriptum fuiſſe conjecerim: Διορίζονται τῷ Τιλαουέμπτῳ ποταμῷ, ῥέοντι ἀπὸ τῶν Ἀλπίων ὀρῶν, ὃ ἀνάπλουν ἔχοντι φ' σταδίων ἐπὶ Ταυρίσκους εἰς Νωρηίαν πόλιν. Id eſt: *Diſtingvuntur Tilavempto fluvio, ex Alpinis montibus delapſo; quo adverſo navigatur per* IↃ *ſtadia in Tauriſcos ad Noreiam opidum*. Ipſe quidpe Strabo, commemoratis opidis Hadriâ, Altino, Opitergio, & Concordiâ, poſt hæc tandem Aquileiam Venetorum finibus eximit. qua re, Concordiam Venetiæ eſſe opidum, ſatis clarè indicavit. Plinius etiam Cælinam opidum, ſupra Concordiam apud Maniacum vicum quondam ſitum, Venetis adſcripſit; ut ſuperiori capite oſtenſum. Stadia autem ſcribo IↃ, id eſt, millia LXII cum paſſibus IↃ; quia longè interiùs ſita fuit *Noreia* Tauriſcorum urbs; inter quam & Venetorum fineis tum intercedebat Carnorum gens. Apud Plinium lib. III cap. XXV ita ſcriptum eſt: *Amnes clari & navigabiles in Danubium defluunt, Dravus è Noricis, violentior; Savus ex Alpibus Carnicis, placidior.* Et cap. XXIIII: *A tergo Carnorum & Iapidum, quà ſe fert magnus Iſter, Rhætis junguntur Norici.* Et item cap. XX: *Incolæ Alpium multi populi: ſed illuſtres, à Polâ ad Tergeſtis regionem, Secuſſes, Subocrini, Catili, Menocaleni; juxtaque Carnos, quondam Tauriſci adpellati, nunc Norici: his contermini Rhæti & Vindelici.* Hinc Cæſar, belli Gall. comment. I, *Noreiam* diſertè *Noricorum* pronunciat urbem. *Boios*, inquit, *qui trans Rhenum incoluerunt, & in agrum Noricum tranſierant, Noreiamque oppugnârant, receptos ad ſe, ſocios ſibi adſciſcunt.* Tauriſci igitur, ſive, ut poſteà dicti fuêre, Norici, non tantùm inter Danubium & Alpeis, ſed etiam ipſas Alpeis hac regione incoluerunt, ad Tilavemptum & Fellam usque flumina, quæ apud Ventionem opidum inter ſe miſcentur. Contermini iis tunc fuêre à dextrâ Tilavempti ripâ Veneti; quorum hoc tractu erat Cælina: ab lævâ Fellæ ripâ, Carni. Hinc illud Plinii, *Dravus è Noricis, Savus ex Alpibus Carnicis*. Nam Carnorum fineis hoc tractu claudebant Alpes, quæ inde *Carnicæ* cognominabantur: Dravus verò in mediis quaſi Noricorum finibus oriebatur. Sed hoc de antiquioribus temporibus intelligendum. poſteaquàm verò hæc pars Tauriſcorum ſive Noricorum à Romanis devicta fuit; regio hæc inter Tilavemptum Fellamque Carnorum nomini attributa eſt. Hinc Strabo lib. IIII, in deſcriptione Alpium: Ὑπέρκειται τῶν Καρνῶν τὸ Ἀπέννινον [lege Ἄλπιον] ὄρος, λίμνην ἔχον ἐξιεῖσαν εἰς τὸν Ἄταγιν ποταμόν· ὃν παραλαβὼν Ἄτησις ἄλλος ποταμός, ἐκ τὸν Ἀδρίαν ἐκβάλλει. ἐκ δὲ τῆς αὐτῆς λίμνης καὶ ἄλλος ποταμὸς εἰς τὸν Ἴστρον ῥεῖ, καλούμενος Δραῦος, * — *. Ἡ δ' Ὄκρα ταπεινότατον μέρος τῶν Ἄλπεών ἐστι, καθ' ὃ συνάπτουσι τοῖς Καρνοῖς, καὶ δι' οὗ τὰ ἐκ τῆς Ἀκυληΐας φορτία κομίζουσιν ἁρμαμάξαις εἰς τὸν καλούμενον Ναύπορτον. Id eſt: *Supra Carnos Alpius eſt mons, lacum habens exeuntem in Atagim amnem: quem alius amnis Ateſis recipiens, in mare Hadriaticum effluit. Ex eodem lacu alius fluvius in Danubium defertur, nomine Dravus.* Aliquanto pòſt: *Ocra pars eſt humillima Alpium, quà Carnos contingunt: & per quam ab Aquileiâ curribus portantur merces ad Nauportum.* Et lib. VII: Ἡ δ' Ὄκρα ταπεινότατον μέρος Ἄλπεών ἐστι, τῶν διατεινουσῶν ἀπὸ τῆς Ῥαιτικῆς μέχρι Ἰαπόδων. Hoc eſt: *Ocra humillima pars eſt Alpium, ab Rhætiâ ad Iapydes usque porrectarum.* *Alpius* iſte mons altiſſimum eſt hoc

tractu Alpium jugum, vulgò Italis *Monte Ceſe*, & *Sceſe* dictum: in quo & juxta quod exoriuntur fluvii, à ſeptemtrionibus Dravus in Danubium, in Dravum Gellius defluens; ab ortu Dea in Tilavemptum; à meridie Plavis in mare Hadriaticum; ab occaſu Aiſacus ſive Atagis in Atheſim. Ad hoc igitur usque jugum Carnorum tunc fines extenſi fuêre; Rhætis, quorum Aiſacum fuiſſe ſuprà cap. XVI oſtendi, contermini. Hinc medio ferè ſitu inter Tilavempti Fellæque fonteis à Romanis conditum opidum, *Iulium Carnicum* adpellatum eſt; quod vulgò nunc etiam in ruinis dicitur *Giuglio*, ſive incolarum dialecto *Zuglio*. Ptolemæus quum intellexiſſet, agrum circa hoc opidum quondam fuiſſe Noricorum; ipſum opidum Italiæ exemptum, Norici provinciæ adſcripſit. atque id quidem lib. VIII apertis ac diſertis verbis: Τοῦ δὲ Νωρικοῦ ἡ Ἀρεδάτη καὶ τὸ Ἰούλιον Καρνικόν. *Norici Aredate & Iulium Carnicum*. at lib. II, in deſcriptione Norici, poſt enarrata reliqua omnia opida ita addit: Μεταξὺ δὲ Ἰταλίας καὶ Νωρικοῦ, Ἰούλιον Καρνικόν. *Inter Italiam & Noricum, Iulium Carnicum*. Atqui Carnorum eſſe, quos ille in Italiâ deſcribit, ipſum apertè clamabat cognomentum. Sic ſcilicet Ptolemæus paſſim per omnem terrarum Orbem antiqua novis confundit, & omnia reddit obſcura. Carnorum in Romano imperio ab ſeptemtrionibus terminum fuiſſe partem ſummarum Alpium, quæ à Rhætis ad Iapydes usque & Hiſtros dicebatur OCRA MONS, ex hactenus allatis manifeſtum eſt. Porrò ab ortu Solis, quà mare Hadriaticum accedebant Carni, haud minùs obſcurum diſpectu effecerunt limitem inter eos atque Hiſtros diſcrepantes inter ſe auctorum ſententiæ. Plinii ex lib. III cap. XVIII jam anteà citavimus iſta: *Sequitur Decima regio Italiæ, Hadriatico mari adpoſita, Venetia. cuius fluvius Silis; opidum Altinum; flumen Liquentia: colonia Concordia: flumina & portus, Romatinum maius minusque, Tilavemptum, quò Varramus defluit; Alſa, Natiſo cum Turro, præfluentes Aquileiam coloniam*, XII *millia paſſuum à mari ſitam. Carnorum hæc regio; junctaque Iapidum. amnis Timavus; caſtellum nobile vino, Pucinum: Tergeſtinus ſinus; colonia Tergeſte. ultra quam* VI *millia paſſuum Formio amnis; antiquus auctæ Italiæ terminus; nunc verò Hiſtriæ*. Ergo inter Aquileiam & Formionem amnem, qui nunc vulgò vocatur *Riſano*, litus adcoluerunt olim *Iapides?* Ea equidem Virgilio etiam fuit ſententia Γεωργικῶν lib. III:

Tum ſciat aërias Alpeis & Norica ſi quis
Caſtella in tumulis & Iapidis arva Timavi.

Plinii tamen ætate hoc litus adcoluiſſe Iapides, haud temerè crediderim. Ptolemæus certè nullum eorum heic agnoſcit nomen. quamquàm & ipſe ſatis vera de eo uti tradiderit, vehementer vereor. Καρνῶν, inquit, Τιλαουέμπτου ποταμοῦ ἐκβολαί, Νατίσωνος ποταμοῦ ἐκβολαί· Ἰστρίας ὁμοίως, Τέργεστον κολώνια, Φορμίωνος ποταμοῦ ἐκβολαί, Παρέντιον, Πόλα. Id eſt: *Carnorum; Tilavempti amnis oſtium, Natiſonis fluvii oſtium. Item Hiſtriæ; Tergeſtum colonia, Formionis amnis oſtium, Parentium, Pola*. En, ut apertè à Plinio diſſentit. hic quidpe à Formione Hiſtriam orditur. Socium tamen huius ſententiæ habet Ptolemæus, Plinio etiam vetuſtiorem, Melam. Is lib. II cap. III, *Deinde*, inquit, *Ceraunii montes: ab quibus flexus in Hadriam. Hoc mare, magno ſeceſſu litorum acceptum, Illyricis usque Tergeſtum, cætera Gallicis Italicisque gentibus cingitur. Parthini & Daſſaretæ prima eius tenent: ſequentia paullatim Encheleæ, Phæaces. deinde ſunt, quos propriè Illyricos vocant. tum Pyræi, & Liburni, & Hiſtria*. Mox: *Tergeſtum, intimo in ſinu Hadriæ ſitum, finit Illyricum*. Et iterum cap. IIII; quo Italia traditur: *Interiora Italiæ aliæ aliæque gentes habitant. ſiniſtrâ parte Carni & Veneti colunt Togatam Galliam. tum Italici populi, Picentes, Frentani, Dauni, Apuli, Calabri, Salentini. ad dextram ſunt, ſub Alpibus Ligures, ſub Apennino Hetruria: pòſt, Latium, Volſci, Campani, & ſuper Lucaniam Brutii. Vrbium, quæ procul à mari habitantur, opulentiſſimæ ſunt, ad ſiniſtram, Patavium Antenoris, Mutina & Bononia Romanorum coloniæ: ad dextram, Capua à Thuſcis, & Roma quondam à paſtoribus condita. at in oris proxima eſt à Tergeſto Concordia. interfluit Timavus. deinde Natiſo non longè à mari ditem attingit Aquileiam*. Carnos equidem rectè cum Ptolemæo Hiſtris in litore continuat. at perperam fortaſſis cum eodem Hiſtris attribuit ſuâ ætate Tergeſtum. nam accuratiſſimus auctor Strabo, qui XXXVII circiter annis ante Melam geographica ſua compoſuit, unà cum Plinio opidum id Carnorum nomini adſcribit prædicto lib. VII. Ὁμοίως, inquit, δὲ ἐκ Τεργέστης, κώμης Καρνικῆς, ὑπέρθεσίς ἐστι διὰ τῆς Ὄκρας εἰς ἕλος Λούγεον καλούμενον. Id eſt: *Similiter & à Tergeſtâ, Carnico vico, transitus per Ocram eſt ad Lugéam paludem*. Illi tamen ſuos

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

etiam videntur habuiſſe auctores, quos ſequuti ſunt. ſic quidpe eſt apud Stephani epitomatorem: Τέργεστρα, οὐδετέρως, πόλις Ἰλλυρίας πρὸς τῇ Ἀκυληΐᾳ. Ἀρτεμίδωρος δ᾽ ἐν ἐπιτομῇ τῶν ἕνδεκα Τέργεστρον αὐτὴν καὶ κώμην οἶδεν. Hoc eſt: *Tegeſtra, neutro genere, urbs Illyrici, circa Aquileiam. Artemidorus verò in epitomâ undecim librorum Tergeſtrum adpellavit; & quidem vicum.* Hæc equidem à Græcis hominibus minùs curatè tradita putarem, ni in Antonini quoque itinerario eamdem urbem Hiſtriæ titulo adſcriptam viderem. Strabonis tamen ac Plinii magna debet haberi hoc loco conſentiens auctoritas: quando ille diligentiſſimus exactiſſimusque in omnibus ferè Italicis deprehenditur eſſe ſcriptor; hic verò non obiter ac turbatoriè, ut cætera ibidem, ſed diſertiſſimis verbis *Formionem* ait *antiquum* eſſe *auctæ Italiæ terminum*; pòſt verò *Hiſtriæ*. Nempe quum Hiſtria ante Cæſarem Auguſtum Illyrico adhuc adcenſeretur, terminus inter eam & Italiam fuit Formio. qui poſteà, Hiſtriâ Italiæ titulo adnexâ, jam non Italiæ Illyricique, ſed Carnorum Hiſtrorumque manſit limes. *Auctam* autem *Italiam* heic Plinius intelligit, non eam, cui Tergeſte tantùm opidum ex proximis Hiſtris ſit adjectum; ſed quæ Togatam Galliam ab Rubicone amne ad Formionem usque ſub titulum atque nomen ſuum à Romanis acceperit. qua de re ſuprà cap. II, in deſcriptione finium Italiæ, nobis actum eſt. Tergeſte igitur ab initio fuit Hiſtrorum. poſteà verò, quum auctæ Italiæ novus certusque quæreretur terminus; ut priùs fuerat *Rubico* amnis, & ante hunc *Aeſis* fluvius: proximum à Carnis flumen ei muneri deſtinatum eſt *Formio*: quum anteà inter Carnos Hiſtrosque finis foret *Timavus* amnis. ſic enim Livius lib. XLI: *Profectus ab Aquileiâ conſul, caſtra ad lacum Timavi poſuit. Eódem X navibus C. Furius duumvir navalis venit. Adversùs Illyriorum claſſem creati duumviri navales erant, qui tuendam viginti navibus mari ſuperiore Anconam velut cardinem haberent.* [lege, *qui ad tuendam viginti navibus maris ſuperi oram Anconam velut cardinem haberent*] *inde L. Cornelius dextra litora usque Tarentum, C. Furius læva usque ad Aquileiam tueretur. Ea naves ad proximum portum in Hiſtriæ fineis cum onerariis & magno commeatu miſſæ. ſequutus cum legionibus conſul, quinque fermè millia à mari poſuit caſtra. In portu emporium brevi perfrequens factum: omniaque hinc in caſtra ſupportabantur. & quò id tutiùs fieret; ſtationes ab omnibus caſtrorum partibus circumdatæ ſunt. in Hiſtriamque ſuum præſidium ſtativum repentina cohors Placentina oppoſita inter mare & caſtra. &, ut idem aquatoribus ad fluvium eſſet præſidium; M. Aebutius, tribunus militum Secundæ legionis, duos manipulos militum adjicere juſſus eſt.* Factum hoc anno urbis Romæ IↃLXXIIII, M. Iunio Bruto & A. Manlio Volſone conſulibus; ante natum Ieſum anno CLXXVIIII.

At Ptolemæo uſitatiſſimum eſſe, vetera novis permiſcere, jam anteà diximus; exemploque de Iulio Carnico probavimus. Ptolemæi tamen juxtà Melæque ac Strabonis teſtimonio jam ſatis demonſtratum eſt, Iapides in litore Hadriatici maris inter Carnos Hiſtrosque eo tempore fuiſſe nullos. Verum nunc eorum ſitum inveſtigemus, quà Carnis ſimul Hiſtrisque fuêre contermini. Strabo dicto lib. IIII; ubi Alpeis variasque earum parteis explicat; loco compluribus mendis ſcatente: Ἄλλαι δ᾽ εἰσὶ ῥάχεις ἐπιστρέφουσαι πρὸς τὴν Ἰλλυρίδα καὶ τὸν Ἀδρίαν· ὧν ἐστὶ τό τε Ἀπέννινον [lege Ἄλπιον] ὄρος, τὸ λεχθὲν, καὶ τὸ Τοῦλλον, καὶ Φλυγάδια, τὰ ὑπερκείμενα τῶν Οὐινδελικῶν, [ſcribe Νωρικῶν. illud enim falſum eſt] ἐξ ὧν ὁ Δούρας καὶ ὁ Κλάνης [lege ὁ Δραῦος καὶ ὁ Σαῦος] καὶ ἄλλοι πλείους χαραδρώδεις ποταμοὶ συμβάλλουσιν εἰς τὸ τοῦ Ἴστρου ῥεῖθρον. καὶ οἱ Ἰάποδες δὲ [ſcribe ubique Ἰάπυδες· qui Latinis auctoribus dicti *Iapydes*, & *Iapides*; fragmento etiam faſtorum triumphalium *Iapudes*] τοῦτο ἤδη ἐπίμικτον Ἰλλυριοῖς καὶ Κελτοῖς ἔθνος, περὶ τούτους οἰκοῦσι τοὺς τόπους· καὶ ἡ Ὄκρα πλησίον τούτων ἐστίν· πόλεις δ᾽ αὐτῶν, Μέτουλον, Ἀρούπηνον [rectiùs Ἀρούπιον· quod Antonino *Aurupium*, Tabulæ itinerariæ *Arypium*; Ptolemæo itidem vitiatum Ἀρουκία, pro Ἀρουπία. opidani inde Appiano in rebus Illyricis Ἀρουπῖνοι] Μονήτιον, Οὔενδον· [rectiùs paullo ex libro VII, ubi hæc repetuntur, Οὐένδων· nam inde Antonino & Tabulæ obliquus caſus eſt *Avendone*; atque Appiano in Illyricis corrupto itidem vocabulo Αὐενδεάται pro Αὐενδονάται. unde apud hunc noſtrum auctorem ſcribo Ἀουένδων.] μεθ᾽ οὓς ἡ Σεγεστικὴ πόλις ἐν πεδίῳ· παρ᾽ ἣν ὁ Ῥήνος αὐτὸς [lege, ὁ ῥηθεὶς Σαῦος] παραρρεῖ ποταμὸς, ἐκδιδοὺς εἰς τὸν Ἴστρον· Ἡ δ᾽ Ὄκρα ταπεινότατον μέρος τῶν Ἄλπεών ἐστι, καθ᾽ ὃ συνάπτουσι τοῖς Καρνοῖς, καὶ δι᾽ οὗ τὰ ἐκ τῆς Ἀκυληΐας φορτία κομίζουσιν ἁρμαμάξαις εἰς τὸν καλούμενον Ναύπορτον. * . Συμβάλλει δ᾽ εἰς τὸν Σαῦον κατὰ τὴν Σεγεστικὴν καὶ ὁ Κόλαπις. Hoc eſt: *Alia dorſa Illyrico obvertuntur & mari Hadriatico; ut Alpius mons,*

jam

jam anteà dictus, & Tullus, ac Phlygadii montes ſupra Noricos; ex quibus Dravus & Savus aliique complures torrentes amnes in Iſtrum defluunt. Iapydes quoque, permixta jam Illyriis & Gallis gens, circa hæc loca incolunt; & Ocra his eſt contermina. opida eorum ſunt, Metulum, Arupium, Monetium, Avendo. Poſt Iapydes Segeſtica eſt urbs in planitie; quam prædictus Savus præfluit amnis, in Iſtrum exiens. Ocra autem pars eſt humillima Alpium, quà Carnos contingunt; per quam ab Aquileiâ curribus portantur merces ad Nauportum. Mox: *Apud Segeſticam Colapis quoque fluvius in Savum incidit.* Et lib. VII: Ἡ δ' Ὄκρα ταπεινότατον μέρος τῶν Ἄλπεών ἐστι, τῶν διατεινουσῶν ἀπὸ τῆς Ῥαιτικῆς μέχρι Ἰαπόδων· ἐντεῦθεν ἐξαίρεται τὰ ὄρη πάλιν ἐν τοῖς Ἰάποσι, καὶ καλεῖται Ἄλβια. * — *. Ὁ δὲ Κόλαπις διὰ τῶν Ἰαπόδων ῥεῖ ἐκ τοῦ Ἀλβίου ὄρους. * — *. Ὁ δὲ πᾶς Ἰστρικὸς παράπλους χιλίων τριακοσίων. ἑξῆς δ' ἐστὶν ὁ Ἰαποδικὸς παράπλους χιλίων σταδίων· ἵδρυνται γὰρ οἱ Ἰάποδες ἐπὶ τῷ Ἀλβίῳ ὄρει, τελευταίῳ τῶν Ἄλπεων ὄντι, ὑψηλῷ σφόδρα, τῇ μὲν ἐπὶ τοὺς Παννονίους καὶ τὸν Ἴστρον καθήκοντες, τῇ δ' ἐπὶ τὸν Ἀδρίαν· ἀρειμάνιοι μὲν, ἐκπεπονημένοι δὲ ὑπὸ τοῦ Σεβαστοῦ Καίσαρος τελέως. πόλεις δ' αὐτῶν, Μέτουλον, Ἀρουπινοὶ [lege Ἀρούπιον,] Μονήτιον, Οὔενδος. [quædam manu ſcripta exemplaria Οὐενδώ· ex quo corrigo, ut ſuprà, Ἀουένδων.] Μετὰ δὲ τῶν Ἰαπόδων ὁ Λιβυρνικὸς παράπλους ἐστὶ, μείζων τοῦ προτέρου πεντακοσίοις. Id eſt: *Ocra humillima pars eſt Alpium, ob Rhætiâ ad Iapydes usque porrectarum. apud Iapydes rurſum ſeſe attollunt montes; vocanturque Albii.* Paullo pòſt: *Per Iapydes Colapis fertur fluvius ex Albio monte.* Mox: *Tota ora Hiſtriæ ſtadiorum eſt* CIↃCCC. *Sequitur Iapydum ora, ſtadiorum* CIↃ. *ſiti namque ſunt Iapydes in Albio monte, qui finis eſt Alpium, admodùm alto: atque illinc ad Pannonios & Iſtrum, hinc ad Hadriam porriguntur: bellicoſa equidem gens; ſed ab Auguſto Cæſare prorſus defatigata. Opida eorum, Metulum, Arupium, Monetium, Avendo. Poſt Iapydes Liburnica ſuccedit ora; longior priore ſtadiis* IↃ. Ex his opidis *Metulum* & *Monetium* nomina antiqua hodiéque retinent, detorta tamen; hoc *Muntz* in Croatiâ haud ita procul à Vannâ flumine, illud in Vinidorum marchiâ apud ſiniſtram Colapis ripam *Metteling* vulgò dictum. Ipſe *Colapis* vulgò etiamnunc adcolis vocatur *di Kulpe*. Ergo ex hac Strabonis deſcriptione IAPIDIA incipiebat, ubi Carnorum deſinebant unà cum Ocrâ monte fines; id eſt, ad fonteis Formionis fluvii. inde à tergo Hiſtriæ in ſinum protendebatur Hadriaticum, ad Liburniam usque. Sic & Plinius lib. III cap. XVIIII: *Nonnulli in Flanaticum ſinum Iapidiam promovêre, à tergo Hiſtriæ,* CXXX *millia paſſuum. dein Liburniam* CL *millium fecêre. Opida Hiſtriæ, Aegida, Parentium, colonia Pola, opidum Neſactium; &, nunc finis Italiæ, fluvius Arſia.* Cap. XXI: *Per oram opida à Neſactio, Alvona, Flanona, Tarſatica, Senia, Lopſica, Ortopula, Vegium, Argyruntum, Corinium, Aenona civitas, Pauſinus flumen, Tedanium, quo finitur Iapidia.* Hæc neſcio, Plinii errore, an librariorum incuriâ ab genuino ordine turbata ſint. Rectiùs Ptolemæus, in deſcriptione Illyrici: Μετὰ τὴν Ἰστρίαν τῆς Ἰταλίας ἑξῆς Λιβουρνίας τῆς Ἰλλυρίδος παράλιος, Ἄλουωνα, Φλανῶνα, Ταρσάτικα, Οἰνέως ποταμοῦ ἐκβολαί, Οὐελκέρα, Σενία, Λοψίκα, Τιδανίου ποταμοῦ ἐκβολαί, Ὀρτόπολα, Οὐεγία, Ἀργυροῦντον, Κορίνιον, Αἰνῶνα. Id eſt: *Poſt Hiſtriam, Italiæ regionem, ſequitur Liburniæ, Illyricæ regionis, ora; Alvona, Flanona, Tarſatica, Oenei amnis oſtium, Velcera, Senia, Lopſica, Tidanii fluminis oſtium, Ortopula, Vegia, Argyruntum, Corinium, Aenona.* Itineraria Romana iter per eamdem hanc oram referunt huiusmodi;

Tabulæ;		Antonini;	
Arſia			
Alvona	XII.		
Tarſatica	XX.	*Tarſatica*	
Ad Turres	XX.	*Ad Turres*	XX.
Senia	XX.	*Senia*	XX.
Avendone	XX.	*Avendone*	XVIII.
Arypio	X.	*Aurupio*	X.

Ex his *Arſia* flumen, & opida, *Alvona*, *Tarſatica*, *Senia*, hodiéque antiqua nomina ſervant. Plinii etiam ac Ptolemæi *Vegia* & *Aenona*, vulgò nunc vocantur *Veza* & *Nona*. unde patet, *Tedanium* fluvium eſſe eum, qui vulgò nunc dicitur *Odria*, contra Paron inſulam, quæ vulgò nunc eſt *Pago*, ſeſe in Hadriaticum mare effundens. Strabo Iapidiæ παράπλουν, id eſt, *oram maritimam* CIↃ ait eſſe ſtadiorum; quæ ſunt millia

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

millia paſſuum cxxv. Certè hunc numerum litus inter Arſiam Tedaniumque flumina non impleverit, niſi mediterraneum etiam Iapidiæ limitem, quo Hiſtriæ jungebatur, ab oſtio Arſiæ ad fonteis Formionis, adjunxerit; quod Plinio factum, cxxx millibus paſſuum toti huic Iapidiæ lateri meridionali adſcriptis. At idem Plinius poſteà, cap. XVIIII, *A tergo*, inquit, *Carnorum & Iapidum, quà ſe fert magnus Iſter, Rhætis junguntur Norici. Opida eorum, Virunium, Celeia, Teurnia, Aguntum.* Ergo Iapidibus etiam contermini fuêre Norici? Minimè. A tergo quidem Iapidiæ erant; ſed longiùs diſſiti, trans Savum amnem; quà etiamnunc exſtat opidum *Cileia*. Intercedebat Pannoniæ pars, cum opidis Nauporto & Emonâ; de quibus ſuprà cap. II nobis dictum. Quamquàm hæc quoque loca quondam Norici tenuerunt, antiquo nomine *Tauriſci* adppellati. Strabo prædicto lib. VII: Εἰς Ναύπορτον ἐξ Ἀκυληΐας ὑπερθέσι τὴν Ὄκραν εἰσὶ στάδιοι τριακόσιοι πεντήκοντα· εἰς ἣν αἱ ἁρμάμαξαι καταγόνται, τῶν Ταυρίσκων οὖσαν κατοικίαν. Id eſt: *Ab Aquileiâ per Ocram Nauportum usque, Tauriſcorum opidum, quò vehicula perveniunt, tranſitus eſt ſtadiorum* CCCL. Iam ſub Auguſto tamen imperatore Pannoniis attributa fuêre. unde Tibullus, lib. IIII carm. I:

———Teſtis mihi victæ
Fortis Iapydiæ miles; teſtis quoque fallax
Ponnonius, gelidas paſſim disjectus in Alpeis.

Atque hæc quidem paullo fuſiùs adcuratiúsque à nobis diſputata ſunt; quò, omne Iapydum nomen extra Italiæ fineis conſtitiſſe, pateret: ne quis fortè ex Appiani hiſtoriis colligeret, partem eorum in Italiâ fuiſſe. Verba eius in rebus Illyricis hæc ſunt: Ἰάπυσι μὲν τοῖς ἐντὸς Ἄλπεων ἐπολέμησε Σεμπρώνιος ὁ Τουδιτανός. Hoc eſt: *Iapydes intra Alpeis colenteis Sempronius Tuditanus debellavit.* Et item poſteà: Ἰαπύδων δὲ τῶν ἐντὸς Ἄλπεων Μοεντῖνοι μὲν καὶ Ἀυενδεᾶται προσέθεντο τῷ Σεβαστῷ προσιόντι· Αὐρουπῖνοι δὲ, οἱ πλεῖστοι καὶ μαχιμώτατοι τῶνδε τῶν Ἰαπύδων εἰσὶν, ἐκ τῶν κωμῶν ἐς τὸ ἄστυ ἀνῳκίσαντο. * . μάλιστα δ' ἠνώχλησαν αὐτὸν Σαλασσοί τε καὶ Ἰάπυδες οἱ πέραν Ἄλπεων, καὶ Σεγεστανοὶ καὶ Δαλμάται. * — * . Ἰάπυδες δὲ οἱ πέραν Ἄλπεων, ἔθνος ἰσχυρόν τε καὶ ἄγριον, δὶς μὲν ἀπεώσαντο Ῥωμαίους, ἔτεσί που ἀγχοῦ εἴκοσιν· Ἀκυληΐαν δ' ἐπέδραμον, καὶ Τεργιτὸν, Ῥωμαίων ἄποικον, ἐσύλησαν. * — * . Ἐπὶ δ' ἑτέραν πόλιν ἐχώρει Μέτουλον ὁ Σεβαστὸς, ἣ τῶν Ἰαπύδων ἐστὶ κεφαλὴ, κεῖται δ' ἐν ὄρει σφόδρα ὑλώδει, ἐπὶ δύο λόφων, οὓς διαιρεῖ χαράδρα στενή. Hoc eſt: *Ex Iapydibus qui intra Alpeis incolunt, Moentini quidem & Avendeatæ Auguſto ſeſe ultro dediderunt. at Aurupini, qui numeroſiſſimi ac bellicoſiſſimi ſunt horum Iapydum, ex vicis in urbem ſe receperunt.* Mox poſtea: *Maximè autem omnium infeſtabant ipſum Salaſſi atque Iapydes, qui trans Alpeis incolunt, & item Segeſtani Dalmatæque.* Aliquanto poſt: *At Iapydes Transalpini bis à ſe arma Romanorum repulêre intra viginti fermè annorum ſpacium: & Aquileiam usque excurrerunt; & Tergitum, Romanorum coloniam, deprædati ſunt.* Exiguò poſt: *Ad aliam hinc pergit urbem Auguſtus, nomine Metulum; quæ caput eſt gentis, in monte nemoroſo duobus ſuperſtructa tumulis, quos anguſta vallis cum torrente diſpeſcit.* Vbique equidem in vulgatis exemplaribus eſt Ἰάποδες, ut apud Strabonem & Stephani epitomatorem. ſed Ἰάπυδες eſſe ſcribendum, & Ptolemæi exemplaria, & omnes Latini teſtantur auctores & item ſuprà memorati Faſti triumphales. In reliquis nominibus propriis Μοεντῖνοι ſine controverſiâ corrigendi ſunt in Μονετίνους, *Monetinos*, & Τεργιτὸν opidum in Τεργεστὸν, *Tergeſtum*; ac Ἀυενδεᾶται fortè etiam in Ἀυενδονάτας, *Avendonenſeis*. Cæterùm ex ſuprà perſcripto Antonini & Tabulæ itinere, ſimulque ex Ptolemæi tabulâ Liburniæ, *Avendonem* fuiſſe diſpicio inter Seniam & Tedanium amnem; eo ſitu, quo nunc conſpicitur opidum vulgari incolarum vocabulo *Starigrad*; quod *Vetus caſtrum* ſive *opidum* Latinè interpreteris. hinc verò *Arupium* apud dicti amnis ripam, paullo interiùs à mari recedens. Hinc jam patet; non intra Italiæ fineis Appianum quosdam Iapydum locaſſe; ſed ultra etiam Italiam Alpium nomen protuliſſe; quemadmodùm & alii nonnulli auctores, quos infrà in deſcriptione earum citabimus. Atque hactenus de Iapydibus, Hiſtrorum Carnorumque finitimis, diſſeruiſſe ſufficiat. Ad Carnos nunc redeo. Horum igitur termini ſub Romanorum imperio fuêre; ab ortu Solis Formio amnis, quà Hiſtris jungebantur; à meridie mare Hadriaticum; ab occaſu, quà conterminos habuêre Venetos, Tilavemptum flumen; ab ſeptemtrionibus, quà Noricis Pannoniisque continuabantur, Alpium parte, quæ inter Tilavempti Formionisque fonteis adpellabatur Ocra mons.

CAPVT XX.

De CARNORVM *agro, fluminibus, urbibus, & aliis locis.*

TILAVEMPTVS *amnis & portus.*

POſt Venetos igitur initium Carnorum agri faciebat TILAVEMPTVS *amnis*; vulgò nunc Italis *Tigliamento* & *Tagliamento*, ac rudiori adcolarum lingvâ *Taiamento* dictus. Memoratur Plinio, Ptolemæo, Tabulæ itinerariæ, Fortunato, ac Paullo Diacono. & Strabo quidem etiam eius meminit: ſed apud hunc nomen eius temporum injuriâ vel incuriâ librariorum interiit; ut ſuperiori capite dictum eſt. At Fortunato & Paullo detorto jam vocabulo vocatur TILIAMENTVS; ut infrà in expoſitione locorum circa eum videbimus. In Tabulâ verò neſcio quo caſu vel ratione duorum fluminum nomina in unum contracta fuerint. quidpe quum ex iiſdem Alpium jugis flumen in Tilavemptum apud Tolmetium opidum confluat, vulgari nunc vocabulo *Buti* & *Abute*; Tabula habet *Tiliabutte*. Deditâ operâ duorum amnium duo diverſa nomina unâ hac voce an ipſe auctor exprimere voluerit: an verò poſteà miro admodùm caſu exſcriptor imperitus in id vocis corruperit genuinum auctoris *Tiliamentum*; haud facilè dixerim. Cæterò apud Plinium in omnibus equidem, quæ inſpicere mihi licuit, exemplaribus nomen id ſcriptum invéni per *n*, *Tilaventum*, ſive, ut quædam habent, *Tiliaventum*. quam ſcriptionem eſſe pravam atque falſam, ex Ptolemæo diſco. in huius quidpe Italiâ ter idem amnis memoratur, ubique & in cunctis exemplaribus, τιλαούεμπτος TILAVEMPTVS. quod vocabulum eâdem ratione P literam inſertam habet, ut Latinæ voces hæ, *contemptus, ademptus, exemptus, peremptus, redemptus, comptus, promptus, ſumptus*; & *compſi, prompſi, ſumpſi*. in quibus *p* litera more Latini ſermonis inſerta eſt, ne *m* in pronunciando mollioribus labiis ac volubiliori lingvâ declinaretur in *n*. etenim ut hodiè Itali has voces, *aptus, ineptus, doctus, optimus, rectus, exercitus, ipſus*, & his ſimileis alias, pronunciando emolliunt in *attus, inettus, dottus, ottimus, rettus, eſſercitus, iſſus*; unde etiam vulgaris eorum ſermonis vocabula, *atto, inetto, dotto, ottimo, eſercito, eſſo*: ſic jam olim faciebant priſci Romani. unde illud Svetonii de Auguſto Cæſare, in vitâ eius cap. LXXXVIII: *Orthographiam, id eſt, formulam rationemque ſcribendi, à grammaticis inſtitutam, non adeò cuſtodiit. ac videtur eorum ſequi potiùs opinionem, qui perinde ſcribendum, ac loquamur, exiſtiment. nam quòd ſæpè non literas modò, ſed ſyllabas aut permutat aut præterit; communis hominum error eſt. Nec ego id notarem; niſi mihi mirum videretur, tradidiſſe aliquos, legato eum conſulari ſucceſſorem dediſſe, ut rudi & indocto; cuius manu ixi pro ipſi ſcriptum animadverterit*. Nempe, quia utramqae Græcorum literam, ξ ſimul & ψ, ut geminum *ſſ* Romani tum efferebant vulgò. Alii verò, qui verum germanumque ſonum literæ *x* exprimi voluerunt; *ſ* inſuper ei addiderunt; eâdem ratione, ut ad *m* in ſuprà dictis *p*. Hinc in antiquis inſcriptionibus crebrò hæ voces reperiuntur, *dixſerit, proxſumus, uxſor, exſigatur, luxſerunt*; & id genus aliæ: in quibus alii pro *x* ſimplex ſcripſerunt *c*. Malè itaque & imperitè faciunt, qui ex fabrili imperitiâ aut pravâ & ſcribendi & pronunciandi conſvetudine literæ huius ſonum aſperiorem adjectione ſibili eſſe factum docent. malè item atque inſcitè illi, qui in ſuprà memoratis vocibus vitioſè literam *p* ſcribi contendunt; ut & in his *dampno, contempno, ſolempnis*. quæ eàdem ratione ita ſignabantur, ne vulgus eas pronunciaret *danno, contenno, ſolennis*. Quid damni apud Ciceronem ac Livium acceperit omiſſione literæ *p* memoria opidi *Compſæ* in Hirpinis, infrà in eius deſcriptione patebit. Non temerè itaque, multo minùs imperitè ac vitioſè, ſed conſultâ operâ & remedio quaſi disquiſito, prædictis vocibus interjectum poſt *m* fuit *p*. quod ſi cui ſupervacaneum videatur dicti etiam amnis vocabulo inſeri; ſaltem pro *n* apud Plinium *m* reſtitui patiatur. Alteram illam ſcriptionem, quam nonnulla Plinii exemplaria habere dixi; ubi in quinque ſyllabas vocabulum id protenditur; ex poſterioris ſæculi uſu ac conſvetudine librariis irrepſiſſe arbitror. Poſterioris autem ætatis homines & dixerunt & ſcripſerunt *Tiliamentum*; quia ab arbore *tiliâ* id nominis amni quæſitum ſuſpicabantur: cuiusmodi nugæ apud gramma-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

grammaticos auctorum commentatores reperiuntur innumeræ : quarum magna pars paſſim in contextu huius operis nobis confutatur. Auctorem autem Tabulæ itinerariæ, qui id primus ex iis, quorum monumenta ad nos pervenerunt, retulit, Valentiniani Valentisque fratrum imperatorum ævo adſerui Germaniæ lib. II cap. V. Quamquàm in Tabulæ quoque archetypo nihil poſtmodùm ab incurioſis imperitisque exſcriptoribus vitiatum eſſe, quis præſtiterit?

VARRAMVS *fluvius.*

Cæterò apud Plinium lib. III. cap. XVIII in omnibus, quorum notitia ad nos pervênit, exemplaribus ita legitur: *Opidum Altinum; flumen Liquentia, ex montibus Opiterginis; & portus eodem nomine: colonia Concordia; flumina & portus, Romatinum, Tilaventum maius minusque, Anaſſum, quo Varramus defluit; Alſo, Natiſo cum Turro, præfluentes Aquileiam coloniam.* Iam anteà capite XVIII docui, purgandum eſſe hunc locum à mendis & erroribus, in hunc modum: *Flumina ac portus, Romatinum maius minusque, Tilavemptum, quo Varramus defluit, Anaſſum, Alſa.* Nam VARRAMVS, ſive, ut quædam habent exemplaria, VARAMVS *amnis* hodiéque vulgò vocatur *Varmo:* & ab *Codróipo* vico exortus, ad *Madriſium* vicum in ſiniſtram ripam Tilavempti confluit. Haud equidem neſcius ſum, nonnullos Italiæ ſcriptores *Tilavemptum maius minusque* interpretari *Tiliamentum* & proximum huic flumen *Stellam*: hinc verò *Anaſſum* cum *Varramo, Plavim* cum *Calorio*. Verùm his interpretationis huius ratio hæc una fuit, quòd Plinium Plavim, ut magnum inter primos amnem, prætériturum, exiguum verò hunc Varmum memoraturum minimè fuiſſe putârint. Sed hos meminiſſe oportebat, Bradanum quoque, Lucaniæ amnem, & Frentanorum Sagrum, atque in hac Carnorum orâ Aquileienſium Sontium, Plinio non eſſe memoratos: ex quibus Sagrus etiam maior eſt Tilavempto. Varramum autem celebrem fortè reddidit via Romana, ab Ravennâ per Altinum, Opitergium, Concordiam, & hæc loca, Aquileiam verſùs ferens. in quo itinere vicus etiam fortè eodem nomine, ſive opidulum fuit, amni adpoſitum; quo loco etiam nunc vicus eodem cum amne vocabulo dicitur vulgò *Varmo*. unde etiam opidani fuerint VARAMANI; qui nunc apud Plinium leguntur *Varuani*, cap. XVIIII. *In mediterraneo*, inquit, *regionis Decimæ coloniæ, Cremona, Brixia, Cenomarum agro; Venetorum autem Ateſte; & opida, Acelum, Patavium, Opitergium, Belunum, Vicentia, Mantua. Fertini & Tridentini & Beruenſes, Rhætica opida; Rhætorum & Euganeorum Verona; Iulienſes Carnorum. dein, quos ſcrupuloſè dicere non attineat, Alutraenſes, Aſſeriates, Flamonienſes, Vannienſes, Forojulienſes, Foretani, Venidates, Quarqueni, Tauriſani, Togienſes, Varuani.* Ex his quum *Fertini, Venidates, Quarqueni, Tauriſani,* corruptis ſint vocabulis pro iis, qui genuinis nominibus dicebantur *Feltrini, Vedinates, Querquani, Tarviſani*; ut partim ſuprà oſtenſum, partim infrà oſtendetur: quidni jam ſuſpicer, *Varuani* quoque vitiatum eſſe vocabulum opidanorum, qui anteà in quibusdam exemplaribus fuerunt *Varmani*, & primùm ab ipſo Plinio *Varamani* ſcripti? Sed hæc mera fuerit conjectura rei planè incertæ & ambiguæ. nam aliò etiam poſſe trahi hæc vocabula, mox videbimus. Cæterùm Plinius, *Flumina & portus*, inquit, *Romatinum, Tilavemptum, Anaſſum.* PORTVS hic TILAVEMPTVS in ore amnis hodiéque id cognominis habet, vulgò *Porto di Taiamento* dictus.

ANASSVS *amnis & portus.*

ANASSVS *fluvius* cum *portu* haud dubiè is eſt, qui, proximus à Tilavempto, vulgò nunc vocatur *Stella*; per paludes ſive ſtagna marina oſtium petens, quod vulgò dicitur *Porto di Lignano*. Per eadem ſtagna in Stellæ oſtium defluit amnis vulgari adpellatione *Gelina*, ſive, ut incolæ vocant, *Zelina*; ad cuius ſiniſtram ripam in inſulâ ſitum eſt opidum *Maranum*. hoc doctiſſimi huius regionis ſcriptores arbitrantur olim dictum fuiſſe *Varianum*; quia hoc vocabulum quædam Plinii exemplaria habent pro ſuprà ſcripto *Varramo*. At ſanè ſi qua heic conjectura admittenda: multo credibilius erat, amni Zelinæ, qui in Anaſſum defluit, nomen ab initio fuiſſe *Marranus*: ex quo alterum *r* librariorum incuriâ in *i*, mox etiam M in V, commutata fuerint. ab amne deinde idem nomen traxiſſe opidum juxtà ſitum. Sed hoc, ut nimis dubium & anceps, quum *Varami* nomen hodiéque in ſuprà dicto flumine exſtet, neque confirmare pluribus argumentis, neque refellere mihi animus eſt. ex ingenio quisque ſuo demat vel addat fidem.

MARIANVM *opidum.*

MARIANVM tamen *opidum*, quod vulgò nunc dicitur *Marano*, memoratur Paullo Diacono Langobard. rer. lib. III. cap. XVI, in imperio Mauricii & papatu Grego-

Gregorii Magni, ſub annum Ieſu Chriſti ӀↃC. *Poſt hæc facta eſt*, inquit, *ſynodus decem epiſcoporum in Mariano: ubi receperunt Severum, patriarcham Aquileienſem, dantem libellum erroris ſui: qui trium capitulorum damnatoribus communicarat Ravennæ.*

Proximè hinc ſequitur *fluvius* atque *portus* ALSA; non tantùm Plinio ſuprà ſcripto loco, ſed & aliis auctoribus memoratus. cuius nomen, eâdem ratione *l* in *u* mutato, vulgò nunc dicitur *Auſa*, ut opida Rhætorum *Alſugum* & *Balzanum*, aliâ dialecto dicebantur *Auſugum* & *Bauzanum*: de quibus ſuprà cap. XVI actum. Eutropius lib. X: *Conſtantinum, fratri bellum inferentem, & apud Aquileiam inconſultiùs prælium adgreſſum, Conſtantis duces interemerunt*. Divus Hieronymus, ad Euſebiani Chronici lib. II: *Conſtantinus, bellum fratri inferens, juxta Aquileiam Alſæ occiditur*. Ergo opidum *Alſa*? an portum intellexit? Deeſſe aliquid ſuſpicarer; ni eadem verba M. Aurelius quoque Caſſiodorus ex Hieronymo transſcripta haberet. Sed apud Alſam fluvium id factum, teſtantur alii auctores. Paullus Diaconus, Hiſtoriæ miſcellæ lib. XI: *Conſtantinus, dum nititur parteis junioris fratris invadere, bellum contra eum commovit: &, dum inconſultiùs apud Aquileiam bellum adgreſſus eſt, à Conſtantis ducibus interfectus & in fluvium projectus eſt, cui nomen Alſa eſt, non longè ab Aquileiâ*. Epitome de Cæſaribus, quæ Sex. Aurelio Victori vulgò adſcribitur: *Conſtantinus latrocinii ſpecie dum incautus fœdéque temulentus in aliena irruit, obtruncatus eſt, projectusque in fluvium, cui nomen Alſa eſt, non longè ab Aquileiâ*. Sed apud Diaconum vocabulum id corruptum legitur *Alpha*. Apud Iul. Capitolinum in vitâ Maximini ita ſcriptum eſt: *Quum eſſet Maximinus pedum octo & prope ſemis, calceamentum eius quidam in luco, qui eſt inter Aquileiam & Arziam, poſuerunt*. Doctiſſimus huius auctoris commentator Caſaubonus in regio bibliothecæ Pariſienſis exemplari teſtatur eſſe *Arciam*: conjicitque, locum eſſe prope Aquileiam. cuius ego ſententiæ longè malim accedere, quàm Ortelii opinioni, qui *Arſiam* heic intelligit flumen, Italiæ terminum inter Hiſtriam & Liburniam. quæ enim hæc luci deſignatio in tanto locorum intervallo inter Aquileiam & fineis Liburniæ? *Alſam* flumen crediderim aliis dictum fuiſſe *Arſam*; ex quo poſteà factum *Arzia*. — *ALSA fluvius & portus.*

Prope Alſam igitur eſt AQVILEIA *urbs*; Ciceroni oratione in Vatinium, Svetonio in Auguſto, Tiberio, ac Veſpaſiano, Tacito Hiſtoriar. lib. II & III, Appiano in Illyricis, &, quorum verba mox citabimus, Cæſari, Livio, Straboni, Melæ, Plinio, Ptolemæo, Herodiano, Stephano, Auſonio, & aliis memorata. vulgò nunc dicitur incolis *Aquléa*, cæteris verò Italis *Aquilegia*: quo vocabulo barbari jam olim ſæculi homines uſi ſunt. Græcis auctoribus reliquis omnibus quum ſcribatur Ἀκυληία, vehementer vereor, uti apud unum Ptolemæum in deſcriptioue Italiæ ſatis ſine mendo legatur per ου Ἀκουληία· utique, quum apud ipſum Ptolemæum poſteà lib. VIII, Europæ tabulâ V, ſit Ἀκυληία. ex quo loco audacter illud vitioſum eſſe contenderim. Potuit tamen Ptolemæus, ut pleraque alia per omnem Italiam vocabula, Latinâ illic formatione ſcripſiſſe Ἀκουιληία. ſic ſcilicet in eâdem Italiâ leguntur opida, Ταρκουίναι, Ἀκουΐνον, Ἀκουιλωνία: & extra Italiam, Galliæ pars Ἀκουϊτανία, Hiſpaniæ opidum Ἀὐλικουία. Opidani inde Latinis ſcriptoribus & lapidibus antiquis dicuntur AQVILEIENSES: & à barbaro illo vocabulo *Aquilegienſes*. Græcam eorum formationem oſtendit Stephani epitomator his verbis: Ἀκυληία, πόλις Ἰταλίας. τὸ ἐθνικὸν Ἀκυλήϊος. ἔστι καὶ Ἀκυλήϊος κόλπος. λέγεται καὶ Ἀκιλεήσιος, Ἰταλικῷ τύπῳ. Id eſt: *Aquileia, urbs Italiæ. gentilitium inde Aquileius. Eſt & ſinus Aquileius. Dicitur etiam Aquileſius, Italicâ formatione*. Italica equidem ſive Latina formatio erat *Aquileienſis*: at Græci omnia hæc in *enſis* ſuo ore formarunt in ήσιος, ut ſuprà cap. XVIII in Venetis ad Vicentiam urbem dixi. Apud Herodianum frequenter memorantur Ἀκυλήσιοι, *Aquilenſes*. Antiquam eius originem, magnitudinem, atque opulentiam paſſim teſtantur auctores Græci pariter atque Latini. Strabo lib. V: Ἀκυληία κτίσμα ἐστὶ Ῥωμαίων, ἐπιτειχισθὲν τοῖς ὑπερκειμένοις βαρβάροις. Id eſt: *Aquileia condita eſt à Romanis contra barbaros, qui ſupra eam incolunt*. Euſtathius in ſcholiis ad Dionyſium Περιηγητὴν· Πόλις δὲ ἡ Ἀκυληία μεγίστη, ἡ λεγομένη καὶ Ἀκυλία τετρασυλλάβως· παρονομαζομένη ἀπὸ ἀετοῦ, ὃς ἀκύλας πρὸς τῶν ἐκεῖ ἐλέγετο. Hoc eſt: *Aquileia urbs eſt maxima; quæ & Aquilia vocatur, quatuor ſyllabis; ab volucre, quam Itali aquilam adpellant, denominata*. Iulianus Cæſar in oratione de Conſtantii imperatoris rebus geſtis: Τῇ πόλει δὲ ἀετὸς, ὥς φασιν, οἰκιζομένῃ δεξιὸς ἐκ Διὸς ἐπτάμενος τὴν αὐτοῦ — *AQVILEIA colonia.*

αὐτοῦ φήμην χαρίζει). Id eſt: *Vrbi, quum conderetur, aquila dextrâ ex parte cœlitus advolans de ſuo nomine vocabulum impoſuit.* Quo tempore condita ſit, oſtendit Livius lib. XXXVIIII, in conſulatu Q. Marcii Philippi & Sp. Poſthumii Albini; id eſt, anno urbis Romæ IↃLXVI, ante natum Ieſum CLXXXVII. *Eodem*, inquit, *anno Galli Transalpini, transgreſſi in Venetiam, ſine populatione aut bello, haud procul inde, ubi nunc Aquileia eſt, locum opido condendo ceperunt. Legatis Romanis, de eâ re trans Alpeis miſſis, reſponſum eſt; Neque profectos ex auctoritate gentis eos; nec, quid in Italiâ facerent, ſe ſcire.* Et triennio pòſt, M. Claudio Marcello & Q. Fabio Labeone conſulibus: *Galli Transalpini, per ſaltus ignotæ anteà viæ, ut antè dictum eſt, in Italiam transgreſſi, opidum in agro, qui nunc Aquileienſis eſt, ædificabant. Id eos ut prohiberet, quoad eius ſine bello poſſet, prætori mandatum eſt. ſi armis prohibendi eſſent; conſules certiores faceret. ex his, placere, alterum adversùs Gallos ducere legiones.* Et poſteà, eodem anno: *Conſules in provincias profecti. Marcellus nuncium præmiſit ad L. Porcium proconſulem, ut ad novum Gallorum opidum legiones admoveret. Advenienti conſules Galli ſeſe dediderunt. duodecim millia armatorum erant. plerique arma ex agris rapta habebant. ea ægrè patientibus iis adempta: quæque alia aut populantes agros rapuerant, aut ſecum attulerant. De his rebus qui quererentur, legatos Romam miſerunt. Introducti in ſenatum à C. Valerio prætore, expoſuerunt; Se, ſuperante in Galliâ multitudine, inopiâ coactos agri & egeſtate, ad quærendam ſedem Alpeis transgreſſos. quæ inculta per ſolitudines viderent, ibi ſine ullius injuriâ conſediſſe: opidum quoque ædificare cœpiſſe. quod indicium eſſet, nec agro nec urbi ulli vim allaturos veniſſe.* Paullo pòſt: *Galli, redditis omnibus, quæ ſine cuiusquam injuriâ habebant, Italiâ exceſſerunt.* Et mox: *M. Claudius conſul, Gallis ex provinciâ exactis, Hiſtricum bellum moliri cœpit; literis ad ſenatum miſſis, ut ſibi in Hiſtriam traducere legiones liceret. Id ſenatui placuit. Illud agitabant, ut colonia Aquileia deduceretur. Nec ſatis conſtabat, utrum Latinam, an civium Romanorum deduci placeret. poſtremò, Latinam potiùs coloniam deducendam, patres cenſuerunt. triumviri creati ſunt, P. Scipio Naſica, C. Flaminius, L. Manilius Acidinus.* Et lib. XL; biennio pòſt; M. Bæbio Pamphilo ac P. Cornelio Cethego conſulibus: *Romæ magnam trepidationem literæ Bæbii fecerunt: eò maiorem, quòd paucos poſt dies Marcellus, tradito exercitu Fabio, Romam quum veniſſet, ſpem ademit, eum, qui in Galliâ eſſet, exercitum in Ligures traduci poſſe.; quia bellum cum Hiſtris eſſet, prohibentibus coloniam Aquileiam deduci. eò profectum Fabium. neque regredi bello inchoato poſſe.* Et poſteà; iisdem conſulibus: *Aquileia colonia Latina eodem anno in agro Gallorum eſt deducta. tria millia peditum quinquagena jugera, centuriones centena, centena quadragena equites acceperunt. triumviri deduxerunt, P. Cornelius Scipio Naſica, C. Flaminius, L. Manilius Acidinus.* Anno ſcilicet ante natum cœli terrarumque Dominum CLXXXII. Hinc Velleius Paterculus lib. I: *Cn. Manlio Volſone & M. Fulvio Nobiliore conſulibus Bononia deducta colonia: & poſt quadriennium Piſaurum ac Potentia; interjectoque triennio Aquileia & Graviſca.* Plinius dicto lib. III cap. XVIII: *Natiſo cum Turro, præfluentes Aquileiam coloniam.* Et Ptolemæus: Τῶν δὲ Καρνῶν μεσόγειοι πόλεις, Φόρος Ἰούλιος κολώνια, Κωνκορδία κολώνια, Ἀκουιληΐα κολώνια. Id eſt: *Carnorum urbes mediterraneæ; Forum Iulium colonia, Concordia colonia, Aquileia colonia.* Opulentiam eius jam inde Mela ſub Claudio imperatore celebravit, lib. II cap. IIII. *Natiſo*, inquit, *non longè à mari ditem attingit Aquileiam.* Ditem reddidit ſitus, negotiationibus maximè opportunus. Iulianus Cæſar in ſuprà dictâ oratione: Ἔστι δὲ Ἰταλῶν ἐμπόριον πρὸς θαλάττῃ μάλα εὔδαιμον καὶ πλούτῳ βρύον· φέρουσι γὰρ ἐντεῦθεν φορτία Μυσοὶ καὶ Παίονες, καὶ τῶν Ἰταλῶν ὁπόσοι τὴν μεσόγαιαν κατοικοῦσιν. Id eſt: *Italorum emporium opulentum eſt in primis & copioſum. hinc quidpe Mæſi & Pannonii atque Itali, qui mediterranea habitant, merceis avehunt.* Strabo dicto lib. V: Ἀναπλεῖται δὲ ὁλκάσι κατὰ τὸν Νατίσωνα ποταμὸν ἐπὶ πλείους ἢ ἑξήκοντα σταδίους· ἀνεῖται δ᾽ ἐμπορεῖον τοῖς περὶ τὸν Ἴστρον τῶν Ἰλλυρικῶν ἔθνεσι. κομίζουσι δ᾽ οὗτοι μὲν τὰ ἐκ θαλάττης, καὶ οἶνον ἐπὶ ξυλίνων πίθων ἁρμαμάξαις ἀναθέντες καὶ ἔλαιον· ἐκεῖνοι δ᾽ ἀνδράποδα καὶ βοσκήματα καὶ δέρματα. Id eſt: *Adverſo ad eam Natiſone amne navigatur à mari per LX ampliùs ſtadia. Patet hoc emporium Illyricis gentibus, Iſtrum adcolentibus. hi adferunt maritimas merceis, ac vinum in ligneis doliis curribus impoſitum, oleumque: illi mancipia, pecora, pelleis.* Et lib. IIII, in deſcriptione Alpium: Μετὰ δὲ τοὺς Ἰάποδας ἡ Σεγεστικὴ πόλις ἐστὶν ἐν πεδίῳ, παρ᾽ ἣν ὁ ῥηθεὶς Σάος [ſic ſcribendum pro mendoſis verbis ὁ Ῥῆνος αὐτός, ſuperiori capite oſtendi] παραρρεῖ ποταμὸς ἐκδιδοὺς εἰς τὸν Ἴστρον. κεῖται δ᾽ ἡ πόλις εὐφυῶς πρὸς τὸν κατὰ Δακῶν πόλεμον. Ἡ δ᾽ Ὄκρα ταπεινότατον μέρος

μέρος τῶν Ἄλπεών ἐστι, δι' οὗ τὰ ἐκ τῆς Ἀκυληΐας φορτία κομίζουσιν ἁρμαμάξαις εἰς τὸ καλούμενον Ναύπορτον σταδίων ὁδὸν οὐ πλειόνων ἢ υ'. ἐκεῖθεν δὲ τοῖς ποταμοῖς κατάγεται μέχρι τοῦ Ἴστρου καὶ τῶν ταύτῃ χωρίων. παραρρεῖ γὰρ τὸ Ναύπορτον ποταμός ἐκ τῆς Ἰλλυρίδος φερόμενος πλωτός, ἐκβάλλει δ' εἰς τὸν Σάον· ὥστε εὐμαρῶς εἰς τὴν Σεγεστικὴν κατάγεται καὶ τοὺς Παννονίους καὶ Ταυρίσκους. Hoc eſt: *Poſt Iapydes Segeſtica urbs eſt in planitie; quam Saus præterfluit amnis, in Danubium exiens. Vrbs ea ad Dacicum bellum opportunè ſita eſt. Ocra autem pars eſt Alpium humillima; per quam ab Aquileiâ curribus portantur merces ad Nauportum iter ſtadiorum haud amplius quadringentûm. hinc fluminibus ad Iſtrum uſque & regiones circà ſitas devehuntur. Nauportum enim fluvius præfluit navigabilis, ex Illyrico delabens, & in Saum confluens. itaque facilè Segeſticam & ad Pannonios Tauriſcosque devehuntur.* Eadem repetuntur infrà lib. VII; verùm loco immane corrupto; ut alibi docebo. Sed magnitudinem Aquileiæ & incolarum frequentiam inter alios Herodianus maximè deprædicat ſub Maximino imperatore, anno à nato Ieſu CCXXXVIII. Verba eius lib. VIII hæc ſunt: Γενομένων δὲ αὐτῶν ἐν τῷ πεδίῳ, οἱ σκοποὶ ἀπήγγειλαν, πόλιν Ἰταλίας τὴν μεγίστην, Ἀκυληΐαν δὲ καλουμένην, κεκλεῖσθαι. * — *. Ἡ δὲ Ἀκυληΐα καὶ πρότερον μὲν, ἅτε μεγίστη πόλις, ἰδίου δήμου πολυάνθρωπος ἦν, καὶ ὥσπερ τι ἐμπόριον Ἰταλίας ἐπὶ θαλάττῃ προκειμένη, καὶ πρὸ τῶν Ἰλλυρικῶν ἐθνῶν πάντων ἱδρυμένη, τά τε ἀπὸ τῆς ἠπείρου διὰ γῆς ἢ ποταμῶν κατακομιζόμενα παρεῖχεν ἐμπορεύεσθαι τοῖς πλέουσι, τά τε ἀπὸ θαλάττης τοῖς ἠπειρώταις ἀναγκαῖα, ὧν ἡ παρ' ἐκείνους χώρα διὰ χειμῶνος οὐκ ἦν εὔφορος, ἀνέπεμπεν εἰς τὴν ἄνω γῆν, πρὸς οἶνόν τε μάλιστα πολύγονον γεωργοῦντες, ἀφθονίαν ποτοῦ παρεῖχε τοῖς ἄμπελον μὴ γεωργοῦσιν. ἔνθεν πολύ τι πλῆθος ἐπεδήμει οὐ πολιτῶν μόνον, ἀλλὰ ξένων τε καὶ ἐμπόρων. τότε δὴ μᾶλλον ἐπολυπλασιάσθη τὸ πλῆθος, τῶν ὄχλων πάντων ἐξ ἀγρῶν ἐκεῖσε συρρεόντων, πολίχνας τε καὶ κώμας τὰς ὑπερκειμένας καταλιπόντων, πιστευσάντων δὲ αὐτοὺς τῷ τε μεγέθει τῆς πόλεως καὶ τῷ προβεβλημένῳ τείχει, ὃ παλαιότατον, ἐκ τοῦ πλείστου μέρους πρότερον μὲν καθῄρητο (ἅτε μετὰ τὴν Ῥωμαίων ἀρχὴν μηκέτι τῶν ἐν Ἰταλίᾳ πόλεων ἢ τειχῶν ἢ ὅπλων δεηθεισῶν· μετειληφυιῶν δὲ ἀντὶ πολέμων εἰρήνην βαθεῖαν, καὶ τῆς παρὰ Ῥωμαίοις πολιτείας κοινωνίαν) πλὴν τότε ἡ χρεία ἤπειξε τὸ τεῖχος ἀνανεώσασθαι, τά τ' ἐρείπια ἀνοικοδομῆσαι, πύργους τε καὶ ἐπάλξεις ἐγεῖραι. *. Ἦν δὲ καὶ ὕδατος ἀφθονία φρεατιαίου· πολλὰ γὰρ τὰ ὀρύγματα ἐν τῇ πόλει· ποταμός τε παραρρεῖ τὸ τεῖχος, ὁμοῦ παρέχων τε προβολὴν τάφρου καὶ χορηγίαν ὕδατος. Hoc eſt: *At ubi planitiem attigerunt; nunciant exploratores, maximam Italiæ urbem Aquileiam portas occluſiſſe.* Et mox: *Aquileia abundabat equidem populo etiam anteà; ut erat ingens urbis magnitudo: &, velut Italiæ quoddam emporium, mari imminens, & ante omneis Illyricas genteis ſita, copiam rerum, è continenti per terram fluviosque convectam, navigantibus mercatoribus ſuggerebat; & viciſſim à mari res ad uſum eorum, qui continentem colunt, neceſſarias, videlicet ſuperioribus locis propter hiemis aſperitatem minùs feracibus; maximè tamen vinum; cuius in hac regione maximus proventus eſt; vicinis gentibus ne vitem quidem habentibus; affatim ſuppeditabat. ex quo factum, uti, ſuper civium ingentem numerum, etiam magna vis peregrinorum ac mercatorum eam urbem frequentaret. At tunc etiam aucta eſt multitudo; confluentibus eò ex agris quicumque, opidulis vicisque circùm relictis, ſeſe committebant urbis magnitudini, & mœnibus, quorum objectu defendebatur: quæ præ ſummâ vetuſtate priùs quidem maximâ ex parte collapſa fuerant; (quidpe in tantâ Romanorum potentiâ neque murorum neque armorum Italiæ urbes indigebant; pacem altiſſimam agitantes, atque in communionem civitatis adſcitæ:) ſed tunc renovare inſtaurareque mœnia, præterea turreis ac propugnacula excitare, ingens coëgit neceſſitas.* Exiguo pòſt: *Erat item in urbe magna aquarum abundantia: partim ex puteis ſanè frequentibus, partim ex amne, muros circumfluente, ac pariter foſſæ objectum & aquarum præbente copiam.* Clauſtrum ſanè ſemper fuit ab hac parte & propugnaculum Italiæ. Cæſar belli Gallici commentario I: *Ipſe in Italiam magnis itineribus contendit. duasque ibi legiones conſcribit; & treis, quæ circa Aquileiam hiemabant, ex hibernis educit.* Iſtic locaverat, uti præſidio eſſent contra Illyricas genteis. Svetonius in Auguſto, cap. XX: *Reliqua bella per legatos adminiſtravit: ut tamen quibusdam Pannonicis atque Germanicis aut interveniret, aut non longè abeſſet; Ravennam vel Mediolanum vel Aquileiam uſque ab Vrbe progrediens.* Tacitus Hiſtoriar. lib. III; ubi Vitellius Veſpaſianusque armis inter ſe de Romano principatu diſceptant: *Interjectus exercitus Rhætiam Iuliasque Alpeis, ne pervium illà Germanicis exercitibus foret, obſepſerat. Quæ ignara Veſpaſiano aut vetita. quidpe Aquileiæ ſiſti bellum, exſpectarique Mucianum jubebat.* Sic duo conſulares viri apud Herodianum, Criſpinus atque Menophilus, ab ſenatu cum poteſtate miſſi, eamdem urbem præoccuparunt, quò Maximinum Italiâ prohiberent: quam hiſtoriam prolixâ exſequitur oratione Herodianus dicto lib. VIII. Sic poſteà Conſtantinus contra Conſtantium

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

fratrem, ſic deinde Maximus contra Theodoſium imperatorem hæc loca præoccupare ſtudebant; ut de illo in dictâ Iuliani oratione, & in ſuprà citatis ad Alſam flumen auctoribus; de hoc verò apud Zoſimum lib. IIII & in Pacati panegyrico, Theodoſio Auguſto dicto, legitur; item apud Auſonium in poëmatio de claris urbibus. Verba illic hæc ſunt:

Non erat iſte locus: merito tamen aucta recenti,
Nona inter claras, Aquileia cieberis urbeis.
Itala ad Illyricos objecta colonia monteis;
Mœnibus & portu celeberrima. ſed magis illud
Eminet, extremo quòd te ſub tempore legit,
Solveret exacto cui juſta piacula luſtro,
Maximus.

Reliquæ octo, quas ei præfert poëta, ſunt, *Roma, Conſtantinopolis, Carthago, Antiochia, Alexandria, Treveris, Mediolanum, Capua.* Atque caput tunc fuit Aquileia totius Venetiæ, ſub poſterioribus imperatoribus ab Adduâ flumine ad fineis usque Italiæ extenſæ. Paullus Diaconus, Langobard. rer. lib. II cap. XIIII: *Venetiæ terminus à Pannoniæ finibus usque Adduam fluvium protelatur.* Mox: *Venetiæ etiam Hiſtria connectitur; & utræque pro unâ provinciâ habentur. Huius Venetiæ Aquileia civitas exſtitit caput; pro qua nunc Forum Iulii habetur.* Auctor Chronici, quod vulgò Faſtorum Siculorum nomine inſcribitur, quia hoc noſtro ævo in Siciliâ primò repertum: Τῆς Βενετίας χώρας μητρόπολίς ἐστιν Ἀκυληΐα. *Venetiæ regionis caput eſt Aquileia.* Hinc error Sigeberto in Chronico: *Nomina archiepiſcopalium civitatum, quæ erant ſub Karolo; Roma, Ravenna, Mediolanum, Forum Iulii, quæ & Aquileia, Gradus, Colonia, Moguntia.* Sed chronicon illud Græcum ſub Heraclio demum auctore conſcriptum eſt, circa annum Chriſti IↃ CXX; annis CLXX pòſt quàm ab Attilâ, Hunnorum Avarumque rege, Aquileiâ capta dirutaque fuit. qua de re ita Procopius, Vandilicar. rer. lib. I: Ἀττίλας πόλιν ἐπολιόρκει Ἀκυληΐαν μεγάλην τε καὶ ἀτεχνῶς πολυάνθρωπον. Id eſt: *Attila urbem obſidebat Aquileiam, magnam & immenſum in modum frequentem.* Hiſtoria miſcella lib. XV, in imperio Valentiniani Tertii & Marciani imperatorum: *Attila continuò reſumptâ fiduciâ, cruentus Italiam petit; Aquileiam captam funditus eradit: Ticinum atque Mediolanum, regias urbeis, excîdit.* Freculfus, Chron. tomo II lib. V cap. XIIII: *Attila primâ adgreſſione Aquileienſem diu obſidebat civitatem. quam captam ita penitus delevit, ut veſtigia eius ruinæ vix adpareant.* Iornandes in libro de rebus Gothicis: *Attila, nactâ occaſione, de receſſu VVeſegothorum jam ſecurus, ad oppreſſionem Romanorum movit procinctum: primâque adgreſſione Aquileienſem obſedit civitatem; quæ eſt metropolis Venetiarum. ibique quum diu multoque tempore obſidens nihil penitus prævaleret; fortiſſimis intrinſecus Romanorum militibus reſiſtentibus, exercitu jam murmurante, & diſcedere cupiente; Attila, deambulans circa muros, dum, utrum ſolveret caſtra, an adhuc moraretur, deliberat; animadvertit, ciconias, quæ in faſtigio domorum nidificant, de civitate fœtus ſuos trahere; atque, contra morem, per rura forinſecus comportare. & ut hoc (ſicut erat ſagaciſſimus inquiſitor) perſenſit; ad ſuos inquit: Reſpicite aveis, futurarum rerum providas, perituram relinquere civitatem; caſurasque arceis periculo imminente deſerere. non hoc vacuum, non hoc credatur incertum. rebus præſciis conſvetudinem mutat ventura formido. Quid plus? animus ſuorum rurſus ad oppugnandum Aquileiam inflammatur. qui, machinis conſtructis omnibusque tormentorum generibus adhibitis, invadunt civitatem, ſpoliant, dividunt, vaſtantque crudeliter; ita, ut vix eius veſtigia, ut adpareant, reliquerint.* Caſſiodorus in Chronico: *Marcianus Auguſtus & Adelphius. His conſulibus Romani, Aëtio duce, Gotthis auxiliaribus, contra Attilam in campis Catalaunicis pugnaverunt: qui virtute Gotthorum ſuperatus abſceſſit. Herculanus & Aſporacius. His conſulibus Attila, redintegratis viribus, Aquileiam, magnâ vi dimicans, introivit. cum quo à Valentiniano imperatore papa Leo directus pacem fecit. Opilio & Vincomalus. His conſulibus Attila in ſedibus ſuis moritur.* Ergo uno eodemque anno, qui fuit à Chriſto nato CCCCLII, Attila rex in Italiam venit, Aquileiam obſedit, expugnavit, diruit, in ſuasque ſedeis rediit. Manſiſſe tamen urbi etiam poſt vaſtationem, mœnibusque jam dirutis, patriarchatus dignitatem ſedemque, patet ex Paulli Diaconi de rebus Langobardicis lib. II cap. X. *His diebus*, inquit, *quibus Langobardi Italiam invaſerunt, Aquileienſi civitati eiusque populis beatus Paullus patriarcha præerat. qui Langobardorum barbariem metuens, ex Aquileiâ ad Gradus inſulam confugit; ſecumque omnem*

ſua

ſuæ theſaurum eccleſiæ deportavit. Ergo aut non omnis deſtructa ab Attilâ fuit Aquileia; aut aliquâ ex parte poſtmodùm inſtaurata. Venerunt autem Langobardi in Italiam anno Chiſti IↃLXVIII, annis CXVI pòſt, quàm Attila urbem cepit. Idem Paullus lib. IIII cap. XXXIIII: *His diebus defuncto Severo patriarchâ, ordinatur Ioannes abbas patriarcha in Aquileiâ vetere. in Gradus quoque ordinatus eſt Romanis Candidianus antiſtes*. Et lib. VI cap. LI: *Vsque ad eum diem ſuperiores patriarchæ, quia in Aquileiâ propter Romanorum incurſionem habitare minimè poterant, ſedem non in Foro Iulii, ſed in Cormones habebant*. Ergo Aquileia tunc ſine mœnibus erat. Luitprandus poſthinc, Hiſtoriar. lib. II cap. IIII, ſub Ludovico IIII imperatore; *Hungari*, inquit, *immenſo exercitu collecto, Italiam petunt; Aquileiam & Veronam pertranseunt, munitiſſimas civitates*. At idem tamen poſteà lib. III cap. II ita ſcribit: *Aquileia namque, prædives olim atque civitas immenſa, ab Hunnorum rege Attilâ capitur atque funditus diſſipatur: nec ulteriùs, ut in præſentiarum cernitur, elevatur*. Sigebertus in Chronico ad annum Chriſti IↃCCCCXLVIII, annis XXXVII poſt exitum prædicti imperatoris Ludovici: *Dux Baioariæ Henricus Aquileiam in Italiâ capit*. Non potuit cepiſſe, niſi obſeſſam antè vel oppugnatam. non potuit oppugnaſſe, niſi muris munitam. Hodiè equidem ingens illa quondam urbs ad exiguas reliquias redacta, mœnibus utcumque cincta eſt: at ob gravitatem cœli malignè & à pauciſſimis piſcatoribus habitatur. ſupereſt tamen vetuſtiſſimum templum, divæ Virgini dicatum; ſplendidum atque opulentum, cum numeroſo clero, qui illic hiberno tempore divinis rebus operatur. Atque hæc ferè ſunt, quæ de ortu, incrementis, atque interitu huius urbis apud idoneos auctores adnotata reperi. De ſitu eius ita ſuprà audivimus Iulianum Cæſarem: Ἔστι δὲ Ἰταλῶν ἐμπόριον πρὸς θαλάττῃ. *Eſt Italorum emporium ad mare ſitum*. Et Procopium: Ἀττίλας πόλιν ἐπολιόρκει Ἀκυληΐαν, παραλίαν μὲν, ἐκτὸς δὲ κόλπου τοῦ Ἰονίου οὖσαν. *Attila urbem obſidebat Aquileiam, maritimam quidem, ſed à ſinu tamen Ionio recedentem*. Hanc loquutionem clariùs explicant alii auctores. Mela lib. II cap. IIII: *Natiſo non longè à mari ditem attingit Aquileiam*. Plinius lib. II cap. XVIII: *Natiſo cum Turro præfluentes Aquileiam coloniam, XII millia paſſuum à mari ſitam*. Strabo lib. V: Ἀναπλεῖται ὁλκάσι κατὰ τὸν Νατίσωνα ποταμὸν ἐπὶ πλείους ἑξήκοντα σταδίους. Id eſt: *Navigatur ad eam adverſo Natiſone fluvio à mari LX plurimum ſtadia*. Placet heic doctiſſimi commentatoris emendatio; qui legit ἐπὶ πλείους ἢ ἑξήκοντα σταδίους· id eſt, *ſexaginta ampliùs ſtadia*. Tot autem ſtadia conficiunt millia VII paſſus IↃ. unde apud Plinium quoque mendosè numerum XII millium ſcriptum puto pro genuino VII. quod ſpacium hodiéque inter urbem atque mare noſcitur. Apud Euſtathium, Dionyſii geographi ſcholiaſten, ſic legitur: Ἀκυληΐα, ὥς τινές φασι, ἀπὸ θαλάσσης ρν΄ μίλια κεῖται. Id eſt: *Aquileia, à mari, ut quidam tradidêre, CL millia ſita eſt*. Ingens mendum, ſive in numerorum notis, ſive in voce μίλια· pro qua prædictus Strabonis commentator legendum cenſuit στάδια. ſed hic quoque magnus auctoris fuerit error: quum tot ſtadia efficiant millia XVIII paſſus IↃCCL. An ſcriptum Euſtathio fuerit ζ΄ μίλια, id eſt, *VII millia*, haud temerè dixerim. Prætenditur autem huic oræ tenue litus, in complureis inſulas fluminum oſtiis diſſectum; intra quod ſtagna funduntur marina, haud abſimili modo ut in Venetico litore inter Atheſim Silimque amneis deſcripſimus.

Cæterùm NATISO *amnis* memoratur Straboni, Melæ, Plinio, Ptolemæo, Ammiano Marcellino, Iornandi, & Paullo Diacono: TVRRVS uni Plinio. De his ita ſcribit Sabellicus antiquitatum Aquileienſium lib. I: *Per Natiſonem ad LX ſtadia Aquileiam ex Hiſtriâ Illyricas genteis ſubvehi ſolitas, ſcribit Strabo. & Plinius quoque Natiſonem cum Turro Aquileiam perfluere tradit. quum planè conſtet, Natiſonem XXIIII ſtadiis longè ab Aquileiâ currere. ſiquidem Turro admixtus, in Sontium amnem elabitur; nomenque porrò amittit. Illud quoque mirari ſoleo; eumdem Plinium, Ptolemæum, atque alios complureis de Natiſonis oſtio mentionem feciſſe: de Sontio autem neque illos neque veterum ſcriptorum quempiam, quod ſciam, quidquam tradidiſſe. Ego; quod ad priorem illam dubitationem attinet; aut diverſo tunc alveo Natiſonem fluxiſſe, crediderim, (quòd facilè fieri potuit) ut Aquileiam perſtringeret; & ſic illa quoque poſterior dubitatio tolleretur: aut Plinium, Strabonem, & reliquos, æquivocatione nominum Natiſonis & Natiſſæ deceptos. nam amnis, qui Aquileiam perfluit, Natiſſa dicitur diverſo fonte & oſtio à Natiſone fluens. Non deſunt, qui dicant, Natiſſam amnem, paululum ſupra Aquileiam*

NATISO & TVRRVS, *amnes.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

leiam ortum habentem, ex Natiſone ſubterraneis cuniculis initium trahere. qui magis mihi divinare videntur, quàm veri quidquam ſimile adferre. Cæterùm, illud quoque ſuſpicari libet, Natiſonem ipſum Sontio, ſecum mixto, nomen olim abſtuliſſe: ut, qui nunc poſt confluentem Sontius dicitur, diverſâ tum ratione Natiſo diceretur. Sontii fluminis qui meminerint auctores, complures mox adducentur. Plinius, Strabo, atque reliqui illi, æquivocatione nominum *Natiſonis* & *Natiſſæ* decipi non magis potuerunt, quàm Iornandes; qui ſub Iuſtiniano imperatore circa annum Chriſti ɪↃxʟ floruit: cuius verba in dicto libro de rebus Gothicis hæc ſunt: *Attila primâ adgreſſione Aquileienſem obſedit civitatem; cuius ab Oriente muros Natiſo amnis, fluens à monte Picis, elambit.* Ergo Iornandes alium intellexit fontem Natiſonis, quàm qui nunc Natiſſæ nõſcitur fons paullum ſupra Aquileiam; ubi nulli ſunt montes; ſed paluſtres campi. Eumdem ſanè Natiſonem intellexit, qui, ex Alpibus exortus, Forum Iulii opidum, quod nunc vulgò dicitur *Cividâl di Friuli*, adluit; vulgari etiam nunc vocabulo *Natiſone* adpellatus: quique tandem nomen ſuum in confluentem Turrum mutat vel abſcondit. Huius mentionem quoque fecit Paullus Diaconus, Langobardicar. rer. lib. v cap. xxiii. *Deinde*, inquit, *ordinatus eſt apud Forum Iulii dux Vectari. Hunc quum audiviſſet Sclavorum gens Ticinum profectum eſſe; congregatâ validâ multitudine, voluerunt ſuper Forojulianorum caſtrum irruere. & venientes, caſtra metati ſunt in loco, qui Broxas dicitur, non longè à Foro Iulii.* Mox: *Qui quum ad pontem Natiſonis fluminis, qui ibidem eſt, ubi Sclavi reſidebant, propinquaſſet; caſſidem ſibi de capite auferens, vultum ſuum Sclavis oſtendit.* Sed nec is, qui nunc Sontius ſuo ſibi ore in mare ultra Aquileiam effluit, Natiſo tunc, Sontii aquas ſecum deferens, adpellari potuit; quando Plinius Natiſonem, non equidem *perfluere*, ut ex mendoſo fortè exemplari tranſcripſit Sabellicus, ſed *præfluere*, Mela etiam *attingere*, & Iornandes *elambere*, Herodianus *circumfluere* Aquileiam, dixerunt; Strabo quoque *navigari ad eam adverſo Natiſone* adfirmavit. Certiſſima igitur ac minimè dubia debebat fuiſſe altera illa Sabellico ſententia: nempe Natiſonem, ex Picis monte delapſum, ſuo ſibi tunc alveo atque oſtio apud Aquileiam defluxiſſe. Neque id mirum ſit; Natiſonem, quum infra Verſæ confluentem tam prope ad Sontium accederet; mutato poſteà alveo, per depreſſos, molleis, atque arenoſos campos in illum, ſeu ſponte ſuâ, ſive humano opere, delatum eſſe. illud magis novum videatur; Turrum torrentem (cuius alveum inter Forum Iulii & Vtinum Februario etiam menſe, quo omnia ſuperiora loca, uude is amnis oritur, nivibus erant tecta, ſicco pede tranſivi) Natiſoni, poſt confluentem eius, potuiſſe auferre nomen; ita, uti nunc non Natiſo Turrum, (quod olim factum, ex Plinii verbis colligo) ſed Turrus Natiſonem in Sontium deferre dicatur. Nec id fortè minùs mirandum; vero genuinoque Natiſonis apud Aquileiam alveo, qui nunc ad diſcrimen illius vulgò dicitur *Natiſſa*, novos poſteà exortos eſſe fonteis, copioſiſſimis aquis, licèt perbrevi ſpacio, ad mare defluenteis. Verùm haud perinde abſurda heic fuerit eorum opinio, qui hunc Natiſſam ex Natiſone ſubterraneis meatibus initium trahere crediderunt. quidpe conſimili modo eodem hoc inter Sontium Tilavemptumque tractu alios quoque amneis Alſam, Zelinam, & Stellam, ſuperioribus locis exortos, in arenoſâ primùm abſorberi humo, mox per paludes uberrimis fontibus rurſum emergere videmus. Natiſſam autem eſſe antiqui Natiſonis alveum, præterquàm quòd ipſum nomen doceat, eo quoque liquet argumento, quòd Iornandes *ab Oriente muros Aquileienſis civitatis elambere Natiſonem* tradit; & Iornande etiam antiquior auctor Ammianus Marcellinus idem adfirmat. Cuius verba in lib. xxi. de Iuliano, apud Næſſum Thraciæ urbem conſiſtente, ſunt iſta: *Duas legiones Conſtantiacas miſit in Gallias. quæ pigriùs motæ, ſpaciaque itinerum longa & Germanos, hoſteis truceis & adſiduos, formidantes, novare quædam moliebantur, auctore & incitatore Nigrino. reque digeſtâ per ſecreta colloquia, & alto roboratâ ſilentio; quum Aquileiam perveniſſent, urbem ſitu & opibus muriſque circumdatam validis; eam hoſtiliter repentè clauſêre; juvante indigenâ plebe tumultus horrorem; cui Conſtantii nomen erat tum etiam amicum. Quibus Iulianus acceptis, agens tunc apud Næſſum; nihil à tergo timens adverſum; legenſque & audiens, hanc civitatem circumſeſſam quidem aliquoties, numquàm tamen exciſam aut deditam: impenſiore ſtudio ſibi ſociare, vel fraude vel diverſis adulationum generibus, antequàm maius orire tur aliquid, properabat.* Exiguo pòſt: *Ordine itaque ſcutorum gemino Aquileia circum-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

circumſepta concinentibus ſententiis ducum, conveniens viſum eſt, ad deditionem allicere defenſores minacium blandorumque varietate ſermonum. & multis ultro citroque dictitatis, in immenſum obſtinatione gliſcente, ex colloquio re infectâ disceditur. Mox: *Pluteos igitur præferentes oppugnatores crateisque denſiùs textas ſenſim incedentes & cautè; murorum ima ſuffodere ferramentorum multitudine conabantur; factas plerique vehentes ad menſuram mœnium ſcalas. jamque parietibus penè contigui, pars lapidibus, volutis in pronum, colliſi, pars confixi ſtridentibus jaculis, retroque gradientes, averterunt ſecum omneis alios, metu ſimilium à propoſito pugnandi detortos. Hoc primo congreſſu erecti in audaciam clauſi; adſumptâ fiduciâ meliorum, parvi ducebant reſtantia. mentibusque fundatis & compoſitis, per opportuna torrentis indefeſſo labore vigilias & cætera ſubſidia ſecuritatis implebant. Contrà munitores, licet pavore discriminum anxii; pudore tamen, ne ſecordes viderentur & ſegnes: ubi parum vis procedebat Marte aperto tentata; ad inſtrumenta obſidionalium artium tranſtulerunt. Et quia nec arietibus admovendis, nec intentandis machinis, vel ut poſſint forari cuniculi,* [*locus*] *inveniebatur usquàm habilis, disparatione brevi civitatem Natiſone amne præterlabente; commentum excogitatum eſt cum veteribus admirandum. conſtructas veloci ſtudio ligneas turreis, propugnaculis hoſtium celſiores, impoſuêre trigeminis navibus validè ſibi connexis: quibus inſiſtentes armati, uno parique ardore prohibitores dispellere collatis ex propinquo viribus nitebantur; ſubterque expediti velites è turrium cavernis egreſſi, injectis ponticulis, quos antè compaginarant, transgredi feſtinarunt indiviſo negotio: ut, dum viciſſim miſſilibus ſe petunt & ſaxis utrimque ſecus altè locati, hi, qui transiêre per ponteis, nullo interpellante, ædificii parte convulsâ, aditus in penetralia reſerarent.* Patet igitur ex hac etiam Ammiani narratione, Natiſonem ab eâ parte urbem præterlapſum eſſe, qua in Illyricum & Thraciam erat converſa; id eſt, ut Iornandes ait, *ab Oriente*: qua regione nunc etiam *Natiſſa* labitur. *Disparationem* autem *brevem* intelligit Marcellinus, non quæ eſſe poterat inter urbem & amnem; ſed quæ erat ipſa amnis transverſa latitudo, ab mœnibus urbis in ulteriorem usque ripam. nam in foſſam quoque, quæ urbem cingebat, deductam fuiſſe Natiſonis aquam; ita, uti omnem *circumflueret* urbem; ſuprà ex Herodiano intellectum eſt. Atque ad ipſam quidem urbem ponte fuiſſe junctum amnem, ex itinere, quod inde per oram maritimam ad Timavum amnem & Tergeſte opidum in Tabulâ itinerariâ conſignatum eſt, colligere licet. Supra Aquileiam alium fuiſſe, ad duo circiter millia paſſuum, ex inſcriptione antiquâ diſco, quæ eſt huiusmodi:

IMP · CAES · INVICTVS · AVG
AQVILEIENSIVM · RESTITVTOR
ET · CONDITOR · VIAM · QVOQVE
GEMINAM · A · PORTA · VSQVE · AD
PONTEM · PER · TIRONES · IVVEN
TVT · NOVAE · ITALICAE · SVAE
DILECTVS · POSTERIORIS · LONGI
TEMPORIS · LABE · CORRVPTAM
MVNIVIT · AC · RESTITVIT.

Murus geminus ingentis validique & antiqui operis, turribus crebris interjectis, hodiéque exſtat, ab urbe ad CIƆ IƆ ampliùs paſſus versùs Natiſſæ ripam protenſus: juxta quem etiamnum via ducit ad proximum vicum Natiſſæ adpoſitum, vulgari vocabulo *Terzo*; atque inde porrò ad opidum Gradiſcam, per vicos, quibus vulgaria nomina, *Pretévoli*, *Tapoiano*, *Románs*. In hoc muro quum dicta inſcriptio poſita fuerit; hanc eſſe viam, ab Cæſare Auguſto munitam ſive reſtitutam, haud dubium eſt; PONTEMque NATISONIS fuiſſe apud prædictum vicum Tertium; quo loco nunc mola frumentaria amni impoſita conſpicitur. nam duxiſſe veterem Romanorum viam per præſcripta loca ad Gradiſcam & Sontii Vipacique confluenteis, atque inde porrò trans Alpeis in Pannoniam ad Nauportum opidum, mox infrà patebit.

Cæterùm PORTVS NATISONIS, ut vocat Plinius loco ſuprà ſcripto, ſive PORTVS AQVILEIENSIS, vulgò nunc adpellatur *Porto di Grado*; ab opido ſcilicet eius nominis in inſulâ ſuprà dicti ſtagni maritimi poſito. Id jam olim unà cum inſulâ

PORTVS Aquileienſis, quod & GRADVS *opidum*.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

dictum fuit, modo ſingulari modò plurali numero, GRADVS. ſed ultima eius memoria ultra annum à nato Ieſu IↃLXVIII extendi nequit. Paullus Diaconus, Langobardicar. rer. lib. II cap. X: *His diebus, quibus Langobardi Italiam invaſerunt, Aquileienſi civitati eiusque populis beatus Paullus patriarcha præerat. qui Langobardorum barbariem metuens, ex Aquileiâ ad Gradus inſulam confugit; ſecumque omnem ſuæ theſaurum eccleſiæ deportavit*. Factum id eſſe dicto anno Chriſti IↃLXVIII, jam anteà indicavimus. Opidum in hac inſulâ ædificari cœpiſſe circa annum Chriſti CCCCLII; quum Attila, Hunnorum rex, Aquileiam dirueret, vulgaris opinio eſt. at verò, jam antiquiſſimis temporibus heic fuiſſe habitationes, ut ad portum urbis tam celebris, mea fert ſententia. Celebre & ipſum incolisque frequens redditum mox fuiſſe opidum, poſtquàm Aquileienſis patriarchatus ſedes eò translata, ex ſequenti patet Paulli Diaconi hiſtoriâ. Lib. III cap. XXVI: *His diebus defuncto Heliâ Aquileienſi patriarchâ, Severus regendam ſuſcepit eccleſiam. quem Smaragdus patricius, veniens de Ravennâ in Gradus, per ſemet ipſum à baſilicâ extrahens, Ravennam duxit cum tribus ex Hiſtriâ epiſcopis*. Mox: *Exempto verò anno à Ravennâ ad Gradus reverſi ſunt. quibus nec plebs communicare voluit; nec cæteri epiſcopi eos receperunt*. Lib. IIII cap. IIII: *Hoc anno fuit peſtis ingvinaria iterum apud Ravennam, Gradus, & Hiſtriam, nimium gravis*. Et cap. XXXIIII: *His diebus, defuncto Severo patriarchâ, ordinatur Ioannes abbas patriarcha in Aquileiâ vetere, cum conſenſu regis Agilulfi & Giſulfi ducis. In Gradus quoque ordinatus eſt Romanis Candidianus antiſtes. Candidiano quoque defuncto apud Gradus, ordinatus patriarcha Epiphanius. & ex illo tempore cæperunt duo eſſe patriarchæ*. Apud Gotefridum Viterbienſem lib. XVI ita legitur: *Attila, recedentibus VViſogothis ſecurus jam factus, versùs Romam ire convertit: & in viâ obſidione cingit urbem Aquilegiam, metropolim Venetiarum*. Mox: *Inſtructis machinis variisque tormentis, urbem repentè devicit; & usque adeò deſolavit, ut prioris formæ ædificii veſtigia non valeant inveniri. Adſerunt multi, quòd urbem vacuam invenerit: quia cives per mare, quod eſt eis contiguum, reliquias ſanctorum in Venetias, cum omni ſupellectile, navigio detulerunt. ibique deinceps perpetuò habitantes, Veneti, quaſi advenæ, ſunt nominati. unde inter Gradenſes, qui priores ipſius loci habitatores, & Aquileienſes de patriarchatu usque hodiè controverſia verſatur*. Et lib. XVII: *Romæ tunc erat papa Benedictus; in Aquilegiâ verò Paullus patriarcha: qui metu Lombardorum ad Gradum, id eſt Venetiam, cum omni theſauro eccleſiæ ſuæ & cum ſupellectili confugit*. Egregius ſanè hiſtoricus, geographusque haud illepidus. Ex Aquileiâ patriarchatus ſedes in inſulam & opidum Gradus, atque inde porrò in inſulas urbemque Venetias translata fuit. hanc geminam translationem ille haud ſatis percipiens, mirificè Gradus & Venetias, diverſiſſima longiúsque remota loca, in unum confudit. Sed Paulli Diaconi Carolique Magni imperatoris tempeſtate inter præcipuas Europæ civitates computabatur Gradus. Sigebertus in Chronico ad annum Chriſti IↃCCCX: *Nomina archiepiſcopalium civitatum, quæ erant ſub Karolo; Roma, Ravenna, Mediolanum, Forum Iulii, Gradus, Colonia, Moguntia*; & cæteræ, quæ illic ſequuntur. Cæterùm jam ante ea tempora mole ſtagno marino injectâ inſula hæc terræ continenti adnexa fuit. Paullus Diaconus Langobard. rer. lib. V. cap. XVII: *Agone mortuo, Forojulianorum ductor Lupus efficitur. Hic Lupus in Gradus inſulam, quæ non longè ab Aquileiâ eſt, cum equeſtri exercitu per ſtratam, quæ antiquitus per mare facta fuerat, introivit; &, deprædatâ ipsâ civitate, Aquileienſis eccleſiæ theſauros exinde auferens deportavit*. Meminit prætereà *Gradus* ſingulari numero Caſſiodorus Variar. lib. X. epiſt. V.

APICILIA & Ad VNDECIMVM, *loca*.

Porrò iter in Itinerario Hieroſolymitano inter Aquileiam & Concordiam deſcribitur hoc modo:

C. Concordia	
Mu. Apicilia	IX.
Mu. Ad Vndecimum	X.
C. Aquileia	IX.

Vniverſus inter *Concordiam* & *Aquileiam* millium XXX numerus ſatis probè convenit. unde locus AD VNDECIMVM LAPIDEM, ſive MILLIARE, haud procul *Marano* opido, apud amnem Stellam fuiſſe perſpicitur: alter autem locus APICILIA, inter Concordiam & *Tiſanam* opidum.

Sequi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Sequitur tandem poſt Aquileiam & Gradum SONTIVS *amnis*. quem Itali nunc per ſummum errorem vulgò dicunt *Il Liſanzo*; quum anteà vero vocabulo eſſet *L'Iſonzo*. Idem Atheſi amni accidere; uti eum dicant *Il Ládice*; quum dicendus ſit *L'Adice*; ſuprà in Venetis docui. Eodem modo Apuliæ flumen Aufidum vulgò nunc adcolis dicitur *Il Lófanto*; pro *L'Ofanto*. Memoratur *Sontius* Herodiano, Iul. Capitolino, Tabulæ itinerariæ, Iornandi, Caſſiodoro. ſed duobus prioribus ſine nomine. Caſſiodorus in Chronico; ſub imperio Zenonis: *Probinus & Euſebius. His conſulibus feliciſſimus atque fortiſſimus dominus rex Theodericus intravit Italiam. cui Odovacer ad Sontium pugnam parans, victus, cum totâ gente fugatus eſt*. Et Variar. lib. I, epiſt. XVIII; quam ipſe Theodericus, Gothorum rex, ad Domitianum & William ſcripſit: *Ex quo, Deo propitio, Sontî fluenta tranſmiſimus; ubi primùm Italiæ nos ſuſcepit imperium*. De eâdem re Iornandes in libro de rebus Gothicis: *Egreſſus urbe regiâ* [Conſtantinopoli] *Theodericus, & ad ſuos revertens, omnem gentem Gothorum adſumens, in Heſperiam tendit: rectoque itinere per Sirmium adſcendit* [adde, quod periit, *Alpeis*] *vicinas Pannoniæ: indeque Venetiarum fineis ingreſſus, ad pontem, Sontium nuncupatum, caſtra metatus eſt*. Hinc iter deſcribitur in Itinerariis antiquis tale:

Tabulæ;		Antonini:		Hieroſolymitano;	
Aquileia		*Aquileia*		*Aquileia*	
				Ad Vndecimum	XI.
Ponte Sontî	XIIII.				
				Ad Fornolus	XII.
Fl. Frigido	....	*Fluvio Frigido*	XXXVI.	*Caſtra* XII. *Inde ſunt Alpes Iuliæ.*	
In Alpe Iuliâ	XV.			*Ad Pirum, ſummas Alpeis,*	IX.
Longatico	V.	*Longatico*	XXII.	*Longatico*	X.
Nauporto	VI.				
				Ad Nonum	IX.
Emona	XII.	*Hemona*	XVIII.	*Emona*	IX.

Eodem hoc itinere Maximinus ex Pannoniâ Italiam ingreſſus eſt. qua de re ita Herodianus dicto lib. VIII: Ἐπέστησαν πρώτῃ Ἰταλίας πόλει, ἣν καλοῦσιν Ἡμῶναν οἱ ἐπιχώριοι. προκεῖται δ' αὕτη ἐπ' ἀκροτάτῳ πεδίῳ, ἱδρυμένη πρὸ τῆς ὑπωρείας τῶν Ἄλπεων. * · * · Διανυκτερεύσαντες οὖν, ἅμα ἡλίῳ ἀνίσχοντι ἐπὶ τὰς Ἄλπεις ἠπείγοντο. * · * · Ὡς δὲ διέβησαν ἀκωλύτως, μηδενὸς ἐμποδὼν γενομένου, καταβαίνοντες εἰς τὸ στρατόπεδον, ἤδη ἀνεθάῤῥησάν τε καὶ ἐπαιάνισαν. * · Γενομένων δ' αὐτῶν ἐν τῷ πεδίῳ, οἱ σκοποὶ ἀπήγγειλαν, πόλιν Ἰταλίας τὴν μεγίστην, Ἀκυληΐαν δὲ καλουμένην, κεκλεῖσθαι. * — * · Τῷ δὲ Μαξιμίνῳ, ἐπειδὴ ἀπηγγέλη φρουρουμένη καὶ κεκλεισμένη γενναίως ἡ πόλις, ἔδοξε πέμψαι ἐν σχήματι πρεσβείας τοὺς κάτωθεν διαλεξομένους, εἰ ἄρα πείσειεν αὐτοὺς ἀνοῖξαι τὰς πύλας. * — * · Πάλιν τῶν πρέσβεων ἀπράκτων πρὸς Μαξιμῖνον ἐπανελθόντων, ὀργῇ καὶ θυμῷ χρώμενος πλείονι, μᾶλλον ἠπείγετο. Ἐπειδὴ ἐγένετο πρός τινι ποταμῷ μεγίστῳ, ἀπέχοντι τῆς πόλεως σημεῖα ἑκκαίδεκα, τὸ ῥεῖθρον εὗρε διά τε μεγίστου βάθους καὶ πλάτους φερόμενον. τῶν γὰρ ὑπερκειμένων ὀρῶν τὰς δι' ὅλου τοῦ χειμῶνος παγείσας χιόνας λύουσα ἡ τοῦ ἔτους ὥρα παμμεγέθη τὸν χειμάῤῥουν εἰργάζετο. Ἄπορος οὖν ἦν ἡ διάβασις τῷ στρατῷ· τὴν γὰρ γέφυραν, ἔργον μέγα καὶ κάλλιστον ὑπὸ τῶν πάλαι βασιλέων γεγενημένον ἐκ τετραπέδων λίθων, πυλίσι κατ' ὀλίγον αὐξανομέναις ὑπειλημμένον, διηρήκεσαν καὶ καταλελύκεσαν οἱ Ἀκυλήϊσιοι. οὔτε οὖν γεφύρας οὔσης, οὔτε νεῶν, ὁ στρατὸς ἐν ἀφασίᾳ καθειστήκει. * · * · Διαβὰς οὖν ὁ στρατὸς ἐπὶ τὴν πόλιν ἐχώρει. Καὶ τὰ μὲν οἰκοδομήματα προαστείων ἔρημα εὑρίσκον, ἀμπέλους μέντοι καὶ δένδρα πάντα ἐξέκοπτον· ἃ δὲ ἐνεπίμπρασαν, καὶ τὴν πρότερον τοῖς χωρίοις ὑπάρχουσαν ὥραν κατῄκιζον. δένδρων γὰρ στίχοις ἴσοις ἀμπέλων τε πρὸς ἀλλήλῳ δεσμοῖς πανταχόθεν ἠρτημένων ἐν ἑορτῆς σχήματι, στεφάνοις αὐτοῖς τὴν χώραν κεκοσμῆσθαι ἐτεκμήρατο. ἅπερ πάντα ῥίζοθεν ἐκκόψας ὁ στρατὸς, ἐπὶ τὰ τείχη ἠπείγετο. Hoc eſt: *Ad primam Italiæ urbem pervenerunt, quam incolæ Emonam vocant. Ea eſt ſita in extremâ planitie, ſub Alpium radicibus*. Paullo pòſt: *Quumque noctem illic exegiſſent; ſtatim Sole oriente ad Alpeis contendebant*. Mox: *Poſteà verò quàm ſine ullo impedimento ſuperatis Alpibus in caſtra deſcenderant; læti omnes inſtauratis animis vitulabantur*. Statim: *Sed ut planitiem attigerunt, nunciant exploratores, maximam Italiæ urbem Aquileiam portas occluſiſſe*. Poſteà: *Maximinus, ut defendi urbem diligenter clauſaſque portas audivit; decrevit mittere legatorum ſpecie, qui illos adloquerentur; ac, ſi poſſent, reſerari ſibi portas perſvaderent*. Deinde: *Poſteaquàm verò infeſto negotio legati reverterunt; ira & furo-*

SONTIVS *fluvius*.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

& furore inſtinctus Maximinus, magis magisque adcelerabat. Vt autem ad fluvium pervênit, qui ad lapidem ſextum decimum procul eſt ab urbe; invênit ipſum maximâ alvei profunditate ac latitudine defluentem. etenim omni tempore ſolutæ vicinorum montium nives, quas longa hiems duraverat, maximum torrentem effecerant; ſic, ut nullo pacto transire exercitus poſſet. nam pontem; quod opus magnum atque pulcherrimum veteres imperatores lapide quadrato conſtruxerant; pilis veluti quibusdam parvis ſenſim creſcentibus; ruperant ac reſolverant Aquileienſes. Ita, quum neque ponte neque navigiis (quidpe nulla ſuppeditabant) transire exercitus poſſet; ſubſtitit incertus conſilii. Aliquanto pòſt: *Transgreſſi igitur flumen milites, ad urbem pergebant. Ac ædificia quidem, quæ in ſuburbiis erant, deſerta invenerunt. vites omneisque arbores ipſi exciderunt: alia etiam cremaverunt: ac totam, quæ locis illis ſuberat, pulcritudinem fœdarunt. ſiquidem arborum comparibus ordinibus ac vitibus inter ſe junctis & in ſublime evectis, ad feſtæ celebritatis ſpeciem quaſi coronis quibusdam redimita omnis regio videbatur. quibus radicitus exciſis, exercitus ad ipſos urbis muros contendebat.* Eamdem expeditionem obſidionemque urbis Aquileienſis Iulius quoque Capitolinus refert in Maximini vitâ: ſed turbato rerum locorumque ordine. *Quadrato*, inquit, *agmine Hemonam venit*. Mox: *Poſt hoc Aquileiam venit. quæ contra eum, armatis circa muros diſpoſitis, portas clauſit. nec oppugnatio defuit; Menophilo & Criſpino, conſularibus viris, auctoribus. Quum igitur fruſtra obſideret Aquileiam Maximinus; legatos in eamdem urbem miſit. quibus populus penè conſenſerant, niſi Menophilus cum collegâ reſtitiſſet. Ponte itaque è cuppis facto, Maximinus fluvium transivit; & de proximo Aquileiam obſidere cœpit.* Legatos miſit, ut primùm ab Alpibus deſcenderat; antequàm ponte è cuppis facto fluvium transiverat. Sed fluvium haud dubiè Capitolinus per ſummum errorem intellexit Natiſonem, ipſam urbem Aquileiam præfluentem; quum re verâ eſſet SONTIVS. ad cuius *pontem* ab Aquileiâ Tabula itineraria habet XIIII millia paſſuum;

AD PONTEM *Sontii, locus.*

Herodianus verò XVI. ex quo intervallo clarè adparet, PONTEM hunc SONTII fuiſſe ad confluentem amnis, qui vulgò nunc Germanis adcolis dicitur *VVipach*, Italis *Vipao fiume*. propter cuius dextram ripam ſuprà ſcripta via Romana militaris ducebat ad Alpium Iuliarum in Pannoniam transitum & Nauportum opidum coloniamque Hemonam: quam nunc eſſe id opidum, quod vulgò Germanis incolis vocatur *Laubach*, Italis *Lubiana*, ſuprà cap. II docui. à quo eadem via hodiéque cognominatur *La via* ſive *La ſtrada di Lubiana*.

FRIGIDVS *amnis.*

Ex hoc igitur itineris ductu FRIGIDVS *fluvius* deprehenditur eſſe idem, quem nunc Germanis *VVipach*, Italis *Vipao* vocari dixi. Is in eo itinere tamquàm certus aliquis ad certum XX millium ab Sontii ponte intervallum in præſcriptis itinerariis nominatur locus; quia, ut nunc etiam, ſic olim transibatur ad opidum, cui vulgare vocabulum hodiè eſt *Gemünde*; olim autem adpellatum fuiſſe AD CASTRA,

AD CASTRA, *locus.*

patet ex XXXV millium numero, quæ eò usque habet Hieroſolymitanum itinerarium ab Aquileiâ; quo intervallo Antoninus XXXVI refert millia: discrimine in tanto terrarum ſpacio minùs ducendo. Memoratur hic amnis, præter jam dicta itineraria, Nicephoro quoque & Socrati in Hiſtoriâ eccleſiaſticâ; item Claudiano & Paullo Diacono, & Hiſtoriæ tripartitæ: omnibus de Theodoſii imperatoris contra Eugenium expeditione narrantibus. Oroſius lib. VII cap. XXXV, & ex eo Freculfus tomi II lib. IIII cap. XXVIII: *Eugenius atque Arbogaſtes inſtructas acies campis expedierant; arcta Alpium latera atque inevitabiles transitus præmiſſis callidè inſidiis occupaverant. At verò Theodoſius, in ſummis Alpibus conſtitutus, expers cibi ac ſomni; ſciens, quòd deſtitutus ſuis; neſciens, quòd clauſus alienis: dominum Chriſtum ſolus ſolum, qui poſſet omnia, corpore humi fuſus, cœlo fixus, orabat.* Paullus Diaconus Hiſtoriæ miſcellæ lib. XIII: *Igitur Theodoſius, relictis ambobus filiis in urbe Conſtantinopolitanâ, quum pergeret contra Eugenium bellaturus, parvo tempore cum manu maximâ venit ad Gallias. illic enim præparabat bellum, ubi jam multa millia habebat exercitus. Eugenius igitur atque Arbogaſtes quum omni inſtructâ acie Alpium transitus tenerent, & Theodoſius in ſummis Alpibus conſtitutus eſſet*; & reliqua, quæ illic ſequuntur de viſione Theodoſiii: poſt quam ita pergit: *Fit ergo congreſſio circa fluvium vocabulo Frigidum.* Socrates lib. V cap. XXIIII: Οὐ πολλοῦ δὲ διαγενομένου χρόνου, τὰς Γαλλίας κατέλαβε σὺν δυνάμει πολλῇ· ἐκεῖ γὰρ ηὐτρεπίζετο ἔχων καὶ αὐτὸς ὁ Εὐγένιος στρατοῦ μυριάδας πολλάς. Γίνεται οὖν συμβολὴ περὶ τὸν ποταμὸν τὸν καλούμενον Φρίγιδον, ὃς ἀπέχει *, *. Id eſt: *Non multo*

*multo tempore interjecto, venit in Gallias cum ingenti exercitu. illic enim Eugenius quoque infinitas copias paratas inſtructasque habebat. Prælium igitur committitur apud fluvium Frigidum, qui abeſt *, **. Reliqua de fluminis ſitu interierunt. Poſtrema verba de prœlio apud Frigidum fluvium Nicephorus quoque Calliſti habet lib. XII cap. XXXVIIII: quæ ita ex Socrate refert Hiſtoria tripartita lib. VIIII cap. XLV: *Fit ergo congreſſio circa fluvium vocabulo Frigidum.* Hinc etiam Claudianus in panegyrico de III Honorii conſulatu:

Alpinæ rubuêre nives; & Frigidus amnis
Mutatis fumavit aquis: turbaque cadentum
Staret, ni rapidus juviſſet flumina ſanguis.

At ne quis fluvium heic aliquem intelligat in ipsâ trans Alpeis inter Rhenum & Oceanum Galliâ; ubi continuò antè apud Viennam Valentinianum imperatorem interfecerant Eugenius & Arbogaſtes: en, ita in eâdem hiſtoriâ ſcriptum eſt apud Sozomenum Hiſtoriæ eccleſiaſticæ lib. VII cap. XXII, & item apud prædictum Nicephornm lib. XII cap. XXXVIIII: Καὶ Εὐγένιος μὲν ταύταις τῆς ἐλπίσι βουκολούμενος, πλείστην ἤγειρε στρατιάν· καὶ τὰς πρὸς τῇ Ἰταλίᾳ πύλας, ἃς οἱ Ῥωμαῖοι Ἰουλίας Ἄλπεις καλοῦσι, προκαταλαβὼν ἐφρούρει, ὡς ἐν στενῷ μίαν πάροδον ἐχούσας, ἑκατέρωθεν πεφραγμένας ἀποῤῥῶξι καὶ ὑψηλοτάτοις ὄρεσιν. Id eſt: *Atque Eugenius equidem hac ſpe ineſcatus, maximum paravit exercitum: & Italiæ portas, quas Romani Iulias Alpeis vocant, præoccupatas præſidio tenuit: ut quæ per anguſtias unum dumtaxat acceſſum præbeant; utrimque præruptis ſcopulis & montibus altiſſimis communitæ.*

Cæterùm locus ille in Hieroſolymitano itinerario ab Aquileiâ AD VNDECIMVM LAPIDEM, ex eo intervallo & itineris ductu deprehenditur nunc eſſe celebre opidum *Gradiſca*. Alter verò ille locus, medio itinere inter *Vndecimum* & *Caſtra*, nomine, ut ego conjicio, AD FVRNVLOS, circa Leiaci Vipacique amnium confluenteis fuit. Hinc ab Caſtris ſive Frigidi amnis trajectu ad XV millia ſummus eſt ALPIS IVLIAE, ſive ALPIVM IVLIARVM transitus. in quo inſignis *pirus* arbor poſita, cognomen loco dedit AD PIRVM. Sed ad oram maritimam revertamur; ut reliqua Carnici litoris ad Formionem usque amnem explicentur. AD VNDECIMVM, AD FVRNVLOS, AD PIRVM, *loca.*

Sequitur proximè à Sontio flumine TIMAVVS LACVS & AMNIS, TIMAVIQVE FONTES; ob mirandam aquarum naturam Græcis pariter atque Latinis monumentis celebratiſſimi. Sed ſuper hoc amne ingens hactenus doctorum fuit certamen; quis ille quove ſitu foret. nam antiqui etiam auctores inter ſe ſuper eo minimè concinere videntur. ita, uti tandem noſtro hoc ſæculo homines fuerint, qui in dubium vocârint, fueritne quondam ullus, an non fuerit. Laboris itaque pretium fore exiſtimo, ſi, diligentiùs hoc loco in eum inquirens, verum eius ſitum indicavero. Auctores veteres eius meminerunt, Virgilius, Livius, Strabo, Mela, Lucanus, Plinius, Silius, Statius, Martialis, Itineraria Romana, Claudianus, Auſonius, Sidonius. Ex his Virgilius Aeneid. lib. I ita canit: TIMAVI *fontes & flumen.*

Antenor potuit, mediis elapſus Achivis,
Illyricos penetrare ſinus atque intima, tutus,
Regna Liburnorum, & fontem ſuperare Timavi;
Vnde per ora novem, vaſto cum murmure montis,
It mare proruptum, & pelago premit arva ſonanti.
Heic tamen ille urbem Patavi ſedeisque locavit
Teucrorum.

Ex his graviſſimi poëtæ verbis plerique colligunt, *Timavum amnem* non in Aquileienſi fuiſſe agro; quod complures tradidêre ſcriptores vetuſti; ſed circa Patavium. Opinionem ſuam confirmari inſuper putant aliorum aliquot poëtarum auctoritate. ex quibus Silius lib. XII ita:

Polydamantéis juvenis Pedianus in armis
Bella agitabat atrox: Troianaque ſemina & ortus
Atque Antenoreâ ſeſe de ſtirpe ferebat:
Haud levior generis fama, ſacroque Timavo
Gloria & Euganeis dilectum nomen in oris.
Huic pater Eridanus Venetæque ex ordine gentes,
Atque Apono gaudens populus, ſeu bella cieret,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Seu Muſas placidus doctæque ſilentia vitæ
Mallet, & Aonios plectro mulcere labores,
Non ullum duxère parem.

Statius Silvar. lib. IIII carm. VII; ubi de Salluſtio & Livio Patavino loquitur:

Sed tuas arteis puer antè diſcat,
Omne quîs Mundi ſenium remenſus
Orſa Salluſtî brevis, & Timavi
Reddis alumnum.

Lucanus lib. VII:

Euganeo (ſi vera fides memorantibus) augur
Colle ſedens; Aponus terris ubi fumifer exit,
Atque Antenorei diſpergitur unda Timavi.

Et à Lucano eadem mutuatus Sidonius Apollinaris, Carm. VIIII:

Nec quos Euganeum bibens Timavum,
Colle Antenoreo videbat augur
Divos Theſſalicam movere pugnam.

In his igitur tot poëtarum carminibus *Timavus* diſertiſſimè ponitur prope Patavium & Aponum fontem. unde etiam Pomponius Sabinus ad Virgilii Eclogam VIII: *Quidam*, inquit, *intellexerunt Timavum eſſe fluvium Patavinum, quem adpellant Brenteſiam; antiquiore vocabulo Meduacum.* Et in Muſati poëtæ Patavini ſepulcro inſcripta leguntur iſta:

Condita Troiugenis poſt diruta Pergama tellus,
In mare fert Patavas unde Timavus aquas,
Hunc genuit vatem.

Quapropter ſi dictorum poëtarum, maximè verò Virgilii, auctoritas fideſque ducenda; *Timavus* certè non ultra Aquileiam & Sontium amnem quærendus eſt; ſed apud Patavium. At verò ſi his adſentiendum; quid fiet fide tot graviſſimorum ſcriptorum, Livii, Strabonis, Melæ, Plinii, Servii, &c, quos his vetuſtiores citat Strabo, Polybii & Poſidonii? qui omnes Timavum ultra Aquileiam oſtenderunt. Certè his minor erat libertas, minorque audacia, falſa pro veris fingendi, quàm poëtis. Verùm his quoque ſi auctoritas omnis derogetur; ſaltem itineraria, quæ in quotidianum militum aliorumque viatorum uſum fuerunt compoſita, minùs fallere nos debebant. Hæc ita habent:

Antonini;		Tabulæ;	
Aquileia		*Aquileia*	
Fonte Timavi	XII.	*Fonte Timavi*	....
Tergeſte	XII.	*Tergeſte*	XIIII.
Ningum	XXVIII.	|	
Parentium	XVIII.	*Parentio*	XL. VIII.
Pola	XXI.	*Pola*	XXX.

Omnia hæc loca, *Aquileia, Tergeſte, Parentium, Pola,* antiqua hodiéque nomina retinent, vulgò *Aquiléa, Trieſte, Parenzo, Pola,* dicta. Dubitare itaque jam minimè licet, quo ſitu fuerit *Timavi fons:* nempe inter Aquileiam & Tergeſte. Itinerariis jam adjunge auctores ſuprà memoratos. Ex his ita Mela lib. II cap. IIII: *Proxima eſt à Tergeſte Concordia: interfluit Timavus.* Plinius lib. III cap. XVIII: *Natiſo cum Turro præfluentes Aquileiam coloniam. Carnorum hæc regio; junctaque Iapidum. amnis Timavus: caſtellum Pucinum: Tergeſtinus ſinus: colonia Tergeſte.* Idem auctor lib. II cap. CIII: *In Atinate campo fluvius merſus poſt* XX *millia paſſuum exit: & in Aquileienſi Timavus.* Martialis poëta, lib. IIII epigram. XXV:

Et tu Ledæo felix Aquileia Timavo:
Heic, ubi ſexenas Cyllarus hauſit aquas.

Leda Caſtoris & Pollucis erat mater: *Cyllarus* autem Pollucis equus. Virgilius Γεωργικῶν lib. III:

Talis Amyclæi domitus Pollucis habenis
Cyllarus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Ad quem locum ita commentatur Philargyrus: *Xanthum dicit & Cyllarum equos, quos Neptunus Iunoni dedit; illa Caſtori & Polluci; ut poëtæ Græculi fabulantur.* Martialis autem ideò Cyllarum Timavi bibiſſe aquas ait, quia Argonautas, inter quos Caſtorem quoque & Pollucem navigaſſe ferunt, huc deveniſſe fabulata eſt Græcorum antiquitas. Plinius lib. III cap. XVIII: *Hiſtriam cògnominatam à flumine Hiſtro, in Hadriam effluente è Danubio amne, plerique dixêre falsò. nullus enim ex Danubio amnis in mare Hadriaticum effunditur. Deceptos credo, quoniam Argo navis flumine in mare Hadriaticum deſcendit non procul Tergeſte. nec jam conſtat, quo flumine.* Porrò Vibius Sequeſter, in catalogo fontium: *Timavus Aquileiæ, Galliæ.* Ciſalpinæ ſcilicet. Servius, ad præſcriptum Virgilii Aeneid. lib. I locum commentans: *Timavus autem in Hiſtriâ eſt inter Aquileiam & Tergiſtum.* Ipſe poëta, Eclogâ VIII:

Tu mihi ſeu magni ſuperas jam ſaxa Timavi,
Sive oram Illyrici legis æquoris; en erit umquàm
Ille dies, mihi quum liceat tua dicere facta?

Ad quæ ita Servius: *Vbi ubi es, ô Auguſte, ſive Venetiæ flumen transſcendis (nam Timavus eſt Venetiæ vel Hiſtriæ) ſive per Illyricum navigas mare. Quidam in Pollionem dictum trahunt; qui tunc Illyricum petebat, expugnaturus Salonas: & inde ad Orientem ad Antonium profecturus.* Sic Claudianus quoque ſuprà dicto panegyrico de III conſulatu Honorii; qui à Theodoſio patre Mediolanum vocabatur à Conſtantinopoli:

Illyrici legitur plaga litoris: arva teruntur
Dalmatiæ: Phrygii numerantur ſtagna Timavi:
Gaudent Italiæ ſublimibus opida muris,
Adventu ſacrata tuo.

Et de bello Gotico:

Nunc, nunc, ô ſocii, temeratæ ſumite tandem
Italiæ pœnas. obſeſſi principis armis
Excuſate nefas. deploratumque Timavo
Vulnus & Alpinum gladiis abolete pudorem.

Strabo lib. V: poſt memoratam Aquileiam: Ἐν αὐτῷ τῷ μυχῷ τοῦ Ἀδρίου ἱερὸν τοῦ Διομήδους ἐστὶ τὸ Τίμαυον. * . * . μετὰ τὸ Τίμαυον ἡ τῶν Ἴστρων ἐστὶ παραλία μέχρι Πόλας. Id eſt: *In ipſo intimo ſinus Hadriatici receſſu templum eſt Diomedis, quod Timavum adpellatur.* Mox poſteà: *Poſt Timavum Hiſtrorum eſt ora, usque ad Polam.* Livius lib. XLI: *Profectus ab Aquileiâ conſul, caſtra ad lacum Timavi poſuit.* Certum igitur jam eſt, fuiſſe *Timavum fontem, lacum,* atque *amnem* inter Aquileiam & Tergeſte. Eſt & hodiéque is amnis cum lacu & compluribus fontibus, XII millia paſſuum ultra Aquileiam: quem mox deſcribam, ubi antè cum ſuprà citatis auctoribus Virgilium conciliavero. *Euganei* populi antiquiſſimis temporibus, ut ſuprà cap. XV oſtenſum, ab Atheſi flumine ad Hiſtriam usque, quà Venetorum poſteà, & mox in parte Venetiæ Carnorum fuêre litora, incoluerunt. hinc *Euganeum* adpellavit *Timavum* Sidonius Apollinaris loco ſuprà ſcripto; & etiam Martialis, lib. XIII epigr. LXXXVIIII de lupo piſce ita canens:

Laneus Euganei lupus excipit ora Timavi,
Aequoreo dulceis cum ſale paſtus aquas.

Quod & Silius innuit loco ſuprà ſcripto his verbis:

Haud levior generis fama, ſacroque Timavo
Gloria, & Euganeis dilectum nomen in oris.

Poſteaquàm verò Antenor has oras cum Venetorum gente, quæ Euganeos expulerat, ſub ditionem ſuam accepit; *Antenorea* inde dici cœpit *terra*; & à gentis vocabulo, quam regebat, *Venetia*. Hinc *Antenoreum* dixit *Timavum* Lucanus: *Phrygium* verò Claudianus; quia Antenor erat Troianus; Troia autem urbs Phrygiæ. Virgilius igitur eâdem ratione ductus, *Timavi* mentionem cum *Patavio* conjunxit; quia & Timavi & Patavii tractus unius eiusdemque fuerat gentis Euganeorum. Senſus itaque eius verborum is eſt, quem auctor libelli de Auguſti progenie, qui falsò Meſſallæ Corvini nomini adſcribitur, exponit his verbis: *Antenor ex Ionio æquore ad dextram flectens, inter Dyrrachium & Brunduſium per latiſſimas Superi æquoris fauceis ad ſeptemtrionem converſus, hinc Dalmatas linquens, Illyricos, ac Liburnos; illinc Apulos atque Picenum; ad caput Hadriatici maris curſum tenuit: & relicto æquore, adverſo*

flumine

flumine, quod Brenteſia dicitur, ſurſum contendeus: terrâ potitus, ſedem ſibi ſuisque elegit; &, expugnatis Euganeis, qui tum ea incolebant loca, Patavium condidit. Nempe, in Euganeis quidem; at non apud Timavum; ſed ad Aponum fontem. Iam verò, quod Luçanus ait, *augurem ſediſſe Euganeo colle, ubi Aponus terris exit, atque Timavi diſpergitur unda*; id opidò quàm imperitâ ineptâque imitatione Virgilii, homo Hiſpanus ex Bæticâ provinciâ, horum locorum minùs gnarus, cecinit: fidosque magis eâ in re, quàm ſcitos, habuit imitatores Statium & Sidonium Apollinarem; hunc Gallum natione, illum Neapolitanum. quidpe collem ſive colleis Lucanus rectè quidem intellexit eos, qui hodiéque Apono fonti imminent, inter Patavium, Ateſte, & Vicentiam. at ab his c millia paſſuum abeſt Timavus fons in extremo Carnorum litore, inter Aquileiam & Tergeſte. Atque hactenus de regione ac ſitu Timavi. nunc ipſius amnis ortus & exitus omnisque natura explicetur. De his ita Strabo dicto lib. v: Ἐν αὐτῷ δὲ τῷ μυχῷ τοῦ Ἀδρίου καὶ ἱερὸν τοῦ Διομήδους ἐστὶν, ἄξιον μνήμης, τὸ Τίμαυον. λιμένα γὰρ ἔχει καὶ ἄλσος ἐκπρεπὲς, καὶ πηγὰς ζ′ ποτίμου ὕδατος, εὐθὺς εἰς τὴν θάλατταν ἐκπίπτοντος πλατεῖ καὶ βαθεῖ ποταμῷ. Πολύβιος δ᾽ εἴρηκε, πλὴν μιᾶς τὰς ἄλλας ἁλμυροῦ ὕδατος· καὶ δὴ καὶ τοὺς ἐπιχωρίους πηγὴν καὶ μητέρα θαλάττης ὀνομάζειν τὸν τόπον. Ποσειδώνιος δέ φησι, ποταμὸν τὸν Τίμαυον, ἐκ τῶν ὀρῶν φερόμενον, καταπίπτειν εἰς βέρεθρον· εἶθ᾽ ὑπὸ γῆς ἐνεχθέντα περὶ ἑκατὸν καὶ λ′ σταδίους, ἐπὶ τῇ θαλάττῃ τὴν ἐκβολὴν ποιεῖσθαι. Id eſt: *In ipſo intimo ſinus Hadriatici receſſu Timavum eſt, Diomedis templum memorabile. habet enim portum & elegantem lucum, & fonteis* VII *potabilis aquæ, protinus in mare lato & alto excidentis amne. Polybius tradidit, uno dempto, reliquos fonteis eſſe ſalſos. & quidem adcolas fontem ac matrem maris adpellare locum hunc. Poſidonius verò ait, flumen Timavum, è montibus delatum, voragine terræ abſorberi: ſub qua ubi per* CXXX *ſtadia decurrerit, rurſum in mare effluere.* Hac de re ita loquentem ſuprà audivimus Plinium lib. II cap. CIII: *In Atinati campo fluvius merſus, poſt* XX *millia paſſuum exit: & in Aquileienſi Timavus.* Quid: an hunc etiam poſt XX millia iterum exiſſe vult Plinius? Haud facilè divinaverim; quandoquidem ille in Atinati agro per IIII tantùm millia ſub terrâ conditur; ut ſuo loco in Lucanis oſtendetur. In Carnis autem eſt vicus, vulgò incolis *S. Canzân* à divi Cantiani fano dictus: apud quem ex montis excelſi radicibus magna vis aquarum per complureis fonteis magno cum ſtrepitu erumpit; moxque cuniculo ſubterraneo tota conditur; ita, uti nusquàm ampliùs adpareat; donec poſt XIIII milliaria apud vicum, cui vulgaris adpellatio *S. Giovanni di Cherſo*, à regione, & *S. Giovanni di Duino*, à proximo huius nominis caſtello, quod mille paſſus inde verſùs orientem diſtat, quæſita, iterum compluribus ingentibusque eructetur fontibus, eâ naturâ præditis, quam Timavi fontibus adſcripſerunt veteres; ut mox exponam. Ex hoc igitur XIIII milliarium intervallo, ſimulque ex Strabonis CXXX ſtadiis, quæ millia paſſuum conficiunt XVI, apud Plinium ſcriptum fuiſſe colligo XV. & paullo maiora nunc circùm ſinus Hadriatici intimum receſſum eſſe milliaria, quàm olim priſci habuerint Romani, ipſe egomet obſervavi. Plinius autem quum id ſpacium de Timavo accepiſſet; per errorem poſteà Lucaniæ etiam amni tribuit. Cæterùm compluribus fontibus iterum emergere Timavum apud dictum vicum *S. Ioannis Cherſici*, indicat Martialis lib. VIII epigram. XXVIII, his verbis:

An tua multifidum numeravit lana Timavum,
Quem priùs aſtrifero Cyllarus ore bibit?

Quot autem fontibus iterum exeat, controverſum eſt antiquis etiam auctoribus. Strabo, ut modò intellectum, ex Polybii traditione VII facit fonteis, cui adſentitur Martialis ſuprà dicto libri IIII epigram. XXV, his verbis:

Et tu Ledæo felix Aquileia Timavo:
Heic, ubi ſeptenas Cyllarus hauſit aquas.

At è diverſo Virgilius, loco ſuprà ſcripto, *novem* ſtatuit *ora* ſeu fonteis. cui adſtipulatur Mela lib. II cap. IIII; *Interfluit*, inquiens, *Timavus, novem capitibus exſurgens, uno oſtio emiſſus.* Item Claudianus in panegyrico de VI conſulatu Honorii:

Mincius, inque novem conſurgens ora Timavus.

Sed Claudianus poëta haud dubiè principem poëtarum Virgilium imitari hoc ipſo voluit. Cæterùm Servius ad eum Virgilii locum; *Multi*, inquit, *ſeptem eſſe dicunt. Quòd ſi incerta fides eſt; finitus eſt numerus pro infinito.* Hoc equidem haud abſurdè pro poëtâ. at quid Melâ fiet; haud perinde incurioſo nec fabuloſo geographo?

Sanè,

Sanè, quia & Strabo cum Polybio & Martialis VII fonteis ſtatuerunt, certus eorum fuit numerus. Is apud Virgilium & Melam, an apud Strabonem ac Martialem ſit verior, diſpiciendum erit. Ora equidem ingentia, ſeu fonteis, quibus amnis iterum effunditur, præcipuos & omnium maximos numeravi ego ad dictum divi Ioannis vicum VI, innumeris ſingulos ebullitionibus ſcatenteis: quorum primus, ſupra ipſum fanum erumpens, unum conficit alveum: proximi inde tres alterum alveum; inde duo reliqui tertium. Omnes tres hi alvei medio ferè ſpacio inter fonteis ac mare in unum flumen confluunt; ac uno tandem oſtio in mare emittuntur. Atque ſex equidem iſti fontes ex ſaxei collis imis antris veluti portis quibusdam erumpunt: apertiore tamen ore primus ille apud templum. Pro ſeptimo fonte haud dubiè his adnumerarunt priſci mortales ſcaturigines, quæ poſtremo loco, versûs caſtellum Duinum euntibus, in planitie paluſtri aquis tenuioribus ortæ, in tertium alveum defluunt. Reliqui duo fontes Virgilii ac Melæ, dubium eſt, quinam fuerint. namque dictum flumen Timavum medio fermè intervallo inter mare & confluenteis trium alveorum alium amnem dextrâ ripâ recipit, delapſum ex lacu, qui, duo millia paſſuum à prædictis fontibus diſtans, vulgò nunc vocatur *Lago della Pietra roſſa*, id eſt, *Lacus rubri ſaxi*: qui & ipſe amnis alium ſecum defert fluviolum, vulgò *Fiume di Santo Antonio* dictum; peninſulam, in qua ſunt aquæ calidæ divi Antonii, à ſeptemtrionibus cingentem. Horum igitur duorum fluminum fonteis an pro duobus reliquis Timavi fontibus veteres acceperint; an verò geminas ſcaturigines, quæ prope divi Ioannis vicum ſub colle ex paluſtribus itidem locis in lævam ripam fluminis Rubri ſaxi defluunt; incertum eſt. quidpe pro his facit ipſe ſapor aquæ ſalſæ: pro illis eſt argumentum, quòd dictum lacum Saxi rubri TIMAVI LACVM vocat Livius ſuprà dicto lib. XLI. *Profectus*, inquit, *ab Aquileiâ conſul, caſtra ad lacum Timavi poſuit. Imminet mari is lacus. Eodem decem navibus C. Furius, duumvir navalis, venit. Adversùs Illyriorum claſſem creati duumviri navales erant, qui ad tuendam* XX *navibus maris ſuperi oram Anconam velut cardinem haberent. inde L. Cornelius dextra litora usque Tarentum, C. Furius lævâ usque ad Aquileiam tueretur. Eæ naves* [nempe C. Furii] *ad proximum portum in Hiſtriæ fineis cum onerariis & magno commeatu miſſæ.* [ad Timavi ſcilicet oſtium.] *ſequutus cum legionibus conſul, quinque fermè millia à mari poſuit caſtra.* [ad lacum; ut antè dixit.] *In portu* [id eſt in oſtio Timavi, ubi claſſis erat] *emporium brevi perfrequens factum: omniaque hinc in caſtra ſupportabantur. & quò id tutiùs fieret; ſtationes ab omnibus caſtrorum partibus circumdatæ ſunt. in Hiſtriamque ſuum præſidium ſtativum repentina cohors Placentina oppoſita inter mare & caſtra. &, ut idem aquatoribus ad fluvium eſſet præſidium; M. Aebutius, tribunus militum, Secundæ legionis duos manipulos militum adjicere juſſus eſt. T. & C. Aelii, tribuni militum, legionem Tertiam, quæ pabulatores & lignatores tueretur, viâ, quæ Aquileiam fert, duxerant. Hiſtri, ut primùm ad lacum Timavi caſtra ſunt Romana mota, ipſi poſt collem occulto loco conſederunt: & inde obliquis itineribus agmen ſequebantur, in omnem occaſionem intenti. nec quidquam eos, quæ terrâ marique agerentur, fallebat. Poſtquàm, ſtationes invalidas eſſe pro caſtris, eorum turba inermis, frequens inter caſtra & mare mercantium, ſine ullo terreſtri aut maritimo munimento, viderunt; duo ſimul præſidia, Placentinæ cohortis & manipulorum Secundæ legionis adgrediuntur.* Diſertè heic TIMAVVS adpellatur *fluvius* is, qui ex lacu Saxi rubri, quem *Timavi* inde *lacum* vocat Livius, in ſuprà dictum alveum infra VII Timavi fonteis defluit. ex quo aquationes fiebant caſtris Romanis; quia, ut lacus, ſic ipſe amnis dulcis erat ac potabilis aquæ. A dicto lacu ad mare usque quum III haud ampliùs hodiè noſcantur milliaria; remota inde paululum fuiſſe caſtra in ſuperiora loca, certum eſt: niſi numerum *quinque millium paſſuum* apud Livium corruptum eſſe, ſuſpicari libeat. *Occultus* autem ille *locus poſt collem*, ubi Hiſtri *conſederunt*, videtur fuiſſe in valle, quæ, à Frigidi ſive Vipachi amnis ripâ ad Timavi inferiorem ripam tendens, vulgò nunc incolis dicitur *Il Vallone*. Fluvius igitur Rubri ſaxi quia olim *Timavus* adpellabatur; meritò etiam ortus eius, ſive lacus, unde oritur, pro uno ex novem fontibus habendus erat. Verùm enimverò fonteis Timavi propriè dicti fuiſſe videntur VII illi inferiores. unde plerique auctorum hunc numerum retulerunt. At quia ſupra eos fonteis aliæ etiam ſcaturigines, ut dixi, aquam ſalſam in Timavi fluenta emitterent; alii plureis ei fonteis ſtatuendos cenſuerunt: nempe octavum in dictis ſcaturiginibus ſalſis; nonum in lacu Rubri ſaxi. Cæterum de naturâ VII

Timavi lacus.

fontium ita tradentem ſuprà audivimus Strabonem : Πηγὰς ἔχει ζ' ποτίμου ὕδατος. Πολύβιος δ' εἴρηκε, πλὴν μιᾶς τὰς ἄλλας ἁλμυροῦ ὕδατος. Id eſt : *Fonteis habet* VII *potabilis aquæ. Polybius verò tradidit, uno excepto, reliquos eſſe ſalſos.* Vtrumque verum eſt, diverſi temporis reſpectu. quidpe quum omnis hic tractus inter mare & Frigidum amnem unum perpetuumque ſit ſaxum, innumeris paſſim altiſſimisque antris perforatum ; cuniculi quidam à colle ſaxeo, qui VII Timavi fontibus ſupernè imminet, ad proximi maris vada pertingunt: per quos incrementum patitur atque decrementum Timavus ex adfluxu refluxuque eiusdem maris : ita, ut lenis, ſine ullo maiori ſtrepitu, atque manſvetus dulcibus ſuis aquis per complureis fauceis defluat amnis, ubi mare ſubſedit ac procul receſſit. quàm primùm verò idem mare æſtu ſuo intumuit; tanto cum impetu prædictis cuniculis infertur, fontibusque Timavi permiſcetur, ut ingenti cum fragore ac veluti mugitu ſaxei montis per complura illa ſpatioſa ora prorumpat, jamque alveo Timavi contineri nequeat: ſed adjacentia prata, per quæ ad oſtium tendit amnis, longè latéque ſæpiùs inundet, pelagique in ſpeciem planè contegat. unde illud Virgilii, dicto Aeneid. lib. I:

Vnde per ora novem vaſto cum murmure montis
It mare proruptum & pelago premit arva ſonanti.

Hinc etiam *magnum* adpellavit *Timavum* in Eclogâ VIII:

Tu mihi ſeu magni ſuperas jam ſaxa Timavi,
Sive oram Illyrici legis litoris.

Hinc ortus eius *ſtagna* vocavit Claudianus in panegyrico de tertio conſulatu Honorii imperatoris :

Illyrici legitur plaga litoris : arva teruntur
Dalmatiæ : Phrygii numerantur ſtagna Timavi.

Hinc item vero vocabulo *æquoreum* dixit *amnem* Auſonius in carmine de claris urbibus : ubi Burdegalenſis in Galliâ urbis fontem ita adfatur :

Salve fons ignote ortu, ſacer, alme, perennis,
Vitree, glauce, profunde, ſonore, illimis opace :
Salve urbis genius, medico potabilis hauſtu,
Divona, Celtarum linguâ fons addite divis.
Non Aponus potu, vitreâ non luce Nemauſus
Purior, æquoreo non plenior amne Timavus.

Hinc denique Πηγὴν καὶ Μητέρα θαλάσσης, id eſt, FONTEM ac MATREM MARIS, adpellarunt incolæ; teſte Polybio apud Strabonem loco ſuprà ſcripto. qua de re apud Servium in commentariis ad Virgilii Aeneid. lib. I ita legitur : *Varro enim dicit, hunc fluvium ab incolis Mare nominari.* Omninò ego credo ſcriptum fuiſſe à Servio; *hunc fluvium ab incolis Matrem maris nominari.* Atque tantâ copiâ quum fontibus Timavi permiſceatur mare; horum omnium aquas ſalſedine ſuâ inficit, impotabileisque reddit; excepto uno, quem omnium maximum, apud ipſum divi Ioannis delubrum erumpere dixi. Hæc quum ipſe egomet coram probè expertus ſim; audacter eos heic redarguere liceat, qui, dulceis perpetuò permanere omnibus fontibus aquas etiam mari cummaximè exæſtuante, docent. Illius igitur ſub delubro fontis meatus maritimis cuniculis, quemadmodùm reliqui, non jungi, certum eſt. Lucani quoque jam iterum heic notetur imperitia, & Virgilianorum verſuum inepta imitatio. Verba eius ſuprà citata fuêre iſta:

——— *Aponus ubi fumifer exit,*
Atque Antenorei diſpergitur ora Timavi.

Quod ex pluribus numero fontibus in unum flumen confluit, non diſpergitur, ſed colligitur. quapropter de oſtiis, quibus in mare effundatur flumen, intellexiſſe id Lucanum, dubitari non poteſt, falsâ opinione ex Virgilii malè intellectis verſibus arreptâ. ſic enim ille :

Vnde per ora novem vaſto cum murmure montis
It mare proruptum, & pelago premit arva ſonanti.
Heic tamen ille urbem Patavî ſedeisque locavit
Teucrorum.

Heic quia Patavii mentio cum Timavi memoratione cohæret; haud dubiè Lucanus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

nus opinatus eſt, Virgilium Padi ora ſive oſtia intellexiſſe: quod flumen quum per paludes atque ſtagna ſeptem latioribus oſtiis in ſinum Hadriaticum effunderet; *ſeptem maria dictum eſt facere*; teſte Plinio lib. III cap. XVI. Huc acceſſit, quòd non *novem*, ut Virgilius, ſed *ſeptem* tantùm *ora* ſeu *capita* Timavo tribuerant alii. Acceſſit fortè & illud, quòd adcolæ Timavi *matrem maris* adpellaverint eum amnem. At ſi *vaſto cum murmure montis* in mare *novem* illa ſive *ſeptem ora* Timavi eruperunt; quomodò is amnis *pelago ſonanti arva* potuit *premere*? Nugæ ſunt. ſaxa heic vel omnino montes, unde Padus in mare præcipitetur, ſunt nulli. Lucanus usquequaque malè intellexit Virgilii verſus. Nec Plinius audiendus, ubi lib. III cap. XXVI plurali numero *oſtia* nominat *Timavi*; quando & hodierna docet experientia, & veteres teſtantur auctores Strabo ex Polybio & Mela Pomponius, *uno oſtio* in mare *emitti*. in quo oſtio erat PORTVS TIMAVI, eidem Straboni ac Livio memoratus.

PORTVS Timavi.

Cæterùm verba Strabonis dicto lib. V erant hæc: Ἐν αὐτῷ δὲ τῷ μυχῷ τοῦ Ἀδρίου καὶ ἱερὸν τοῦ Διομήδους ἐστὶν, ἄξιον μνήμης, τὸ Τίμαυον· λιμένα γὰρ ἔχει καὶ ἄλσος ἐκπρεπὲς καὶ πηγὰς ζ΄ ποτίμου ὕδατος, εὐθὺς εἰς τὴν θάλατταν ἐκπίπτοντος πλατεῖ καὶ βαθεῖ ποταμῷ. Id eſt: *In ipſo intimo ſinus Hadriatici receſſu Timavum eſt, Diomedis templum memorabile. habet enim portum, & elegantem lucum, & fonteis* VII *potabilis aquæ, protinus in mare alto ac lato excidentis flumine*. Quum mille ferè paſſus ſint à fontibus ad oſtium Timavi; incertum eſt, quo ſitu hoc DIOMEDIS TEMPLVM NEMVSque fuerit; apud fonteis, an ad oſtium. nec temerè dixerim, in nemore, an juxtà fuerit templum. Verùm tamen, quia maioribus maris æſtibus interdum totus hic campus, ut ſuprà dixi, inundatur; nec lucus nec fanum commodum tutumque heic habuerit locum. quapropter eodem ſitu fanum fuiſſe conjecerim, quo poſtmodùm, pulsâ gentili ſuperſtitione, divo Ioanni ædes ſacrata eſt. & à rebus mirabilioribus, uti hi ſunt Timavi ortus, venerationem accepiſſe olim apud idololatras genteis ſacrata loca, in Germaniæ lib. I cap. XXXIIII pluribus documentis exemplisque mihi oſtenſum eſt. Illi quàm manifeſtiſſimè nugantur, qui ad divi Antonii proximas aquas templum id trahunt; ſimili, ut putant, argumento ducti, quòd apud Aponos quoque calidos fonteis Herculis atque Geryonis fuerit veneratio. quidpe Strabo diſertè de VII loquitur Timavi fontibus oſtioque eius portuoſo: de calidis verò aquis ne γρῦ quidem.

DIOMEDIS nemus & templum.

CALIDARVM tamen iſtarum AQVARVM antiqua exſtat mentio apud Plinium lib. II cap. CIII. *Contra Timavum*, inquit, *amnem inſula parva in mari eſt fontibus calidis, qui pariter cum æſtu maris creſcunt minuunturque*. Et item lib. III cap. XXVI; de eâdem inſulâ: *Clara ante oſtia Timavi calidorum fontium, cum æſtu maris creſcêntium*. Hi calidi fontes vulgò hodiè adpellantur *I bagni di Monte Falcone*, id eſt, *Balneà Montis Falconis*; à proximo ſcilicet eius nominis opido, quod duo circiter millia paſſuum inde diſtat: & item *Bagni di Santo Antonio*, ab ædiculâ huius divi juxtà ſitâ. Locus autem non eſt *inſula parva*; ut tradidit Plinius: ſed peninſula, duo fermè millia paſſuum in longitudinem porrecta: cuius latus meridionale clauditur mari; orientale Timavo amne; ſeptemtrionale fluviolo in Timavum defluente; cui cognomentum ab eiusdem divi Antonii nomine impoſitum: ab occidente alius eſt exiguus rivus in mare exiens, puſillo admodùm ſpatio à fonte prædicti fluvioli ſubmotus: cuius aquæ tantâ tamen copiâ ac vi defluunt, uti impoſitarum molarum rotas impellant. Ante hanc verò peninſulam, apud oſtium Timavi, ſitus eſt ſcopulus, ſive *parva inſula*, dumis ac vepribus conſita; cui munimentum ſuperſtructum vulgò dicitur *Rocca di Belforte*. Hanc ſcilicet ſitus horum fontium à locorum gnaris acceperat Plinius deſcriptionem: quam ipſe poſteà per oblivionem atque errorem miſerè ac mirificè confudit. Illi verò longè vehementiùs errare mihi videntur, qui ex Plinii verbis docent, peninſulam hanc olim fuiſſe inſulam, maritimis fluctibus cinctam: poſtmodùm verò, progreſſu temporis terrâ paullatim adgeſtâ, continenti eſſe adnexam. Vbi (de ſolo ſaxeo uti taceam) id ſaltem mirari mihi liceat; fluminum fonteis defluxusque heic eſſe ortos, ubi anteà vadoſum fuerit mare. Sed nugæ hæ ſunt meræ. parvam intellexiſſe Plinium inſulam, quam dixi, certum eſt. Cæterùm natura calidis hisce aquis eadem hodiéque manet, quæ olim fuit. Sitæ ſunt ad radices modici tumuli, clementer adſurgentis,

AQVAE calidæ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

& mille plus paſſibus in longum porrecti. diſtantque à mari uno atque altero teli jactu, a fontibus Timavi mille circiter paſſibus. hinc idem cum maris æſtu incrementum decrementumque patiuntur. Includuntur pariete quadrato antiqui operis, cum piſcinâ intus quadrangulâ, IIII circiter paſſus in ſingula latera patente. ambiunturque gradibus marmoreis undique, theatri in ſpeciem. Scaturigines nativo è ſaxo manant duabus à partibus. Haud procul ab his aquis magni cuiusdam antiqui ædificii viſuntur veſtigia atque reliquiæ. unde quidam colligunt, ut ad Aponos fonteis Geryonis oraculum, ita heic Diomedis fuiſſe ſuprà dictum templum: idque Strabonis confirmare ſe poſſe auctoritate arbitrantur: quum is diſertiſſimis verbis id templum unà cum luco apud Timavi fonteis collocet. In antiquâ tamen Romanorum tabulâ itinerariâ hic locus eâ ædificii quadrati figurâ ſignatus eſt, quæ paſſim in eâdem tabulâ *Aquis calidis*, & nonnunquàm *Prætoriis* Romanorum adpicta viſitur. utrum aquas, an verò prætorium intellexerit auctor tabulæ, planè dubium eſt.

PVCINVM *caſtellum.*

Porrò reliqua hinc Carnorum loca maritima memorantur Plinio lib. III cap. XVIII iſta: *Amnis Timavus; caſtellum, nobile vino, Pucinum: Tergeſtinus ſinus; colonia Tergeſte: ultra quam* VI *millia paſſuum Formio amnis, antiquus auctæ Italiæ terminus; nunc verò Hiſtriæ.* PVCINVM CASTELLVM quo ſitu fuerit, cùm heic, tùm lib. XIIII cap. VI indicat his verbis: *Iulia Auguſta* LXXXII *annos vitæ Pucino retulit acceptos vino; non alio uſa. Gignitur in ſinu Hadriatici maris, non procul à Timavo fonte, ſaxeo colle; maritimo adflatu paucas coquente amphoras. nec aliud aptius medicamentis putatur. Hoc eſſe crediderim, quod Græci celebrantes miris laudibus Pyctanon adpellaverunt ex Hadriatico ſinu.* De eodem vino eodem libro cap. III, *Pucina*, inquit, *vitis omnium nigerrima.* Et lib. XVII cap. IIII: *Pucina vina in ſaxo coquuntur.* Id eſt, *in ſaxeo colle*; ut ſuprà dixit. Caſtellum id hodiè putant eſſe eum vicum, qui, IIII millia paſſuum à Tergeſte diſſitus, vulgò vocatur *Profecco.* nempe quia heic nunc omnium præſtantiſſimum gignitur vinum, quod Germani vocant *Reinfaal.* Verùm huic ego haud temerè ſententiæ acceſſerim. quidpe hoc ſi eſſet; dicturus erat Plinius, *non procul à Tergeſte coloniâ*: non verò, *non procul à Timavo fonte*: à quo ad Tergeſte XIIII ſunt millia paſſuum. Quapropter alius caſtello Pucino diſpiciendus eſt ſitus. Nobiliſſimum illud vinum tribus potiſſimùm locis ſive vicis inter Timavum & Tergeſte gigni, ab incolis huius regionis didici; quorum nomina, *Profecco, Cautabella, Brzina*: quorum hic III circiter millia paſſuum à Timavo, à Duino verò caſtello II tantùm abeſt. Ex hoc igitur intervallo, ſimulque ex vini argumento, *Pucinum caſtellum*, ſive, ut Ptolemæus vocat, *opidum*, eumdem puto eſſe locum, qui nunc vulgò *Caſtel Duino* Italis vocatur, Croatis verò *Diwin*. In huius agri *ſaxeo colle* quum vinum illud ſaluberrimum naſceretur, *Pucinum* inde & ipſum communi caſtelli nomine adpellatum eſt. Ptolemæus Πούκινον inter μεσογείους πόλεις, id eſt, *inter mediterranea opida*, ſuper Tergeſte poſuit: ſcilicet, quia paullum à litore erat remotum.

TERGESTE *colonia.*

Hinc ipſum TERGESTE opidum, quod vulgò nunc dicitur incolis *Trieſte*, memoratur Dionyſio geographo, Velleio Paterculo, Straboni, Melæ, Plinio, Appiano, Ptolemæo, Itinerariis antiquis, Stephani epitomatori, & inſcriptionibus antiquis. Vocabulum id Latinis ita neutro genere formatur; eſtque indeclinabile, ut omnia opidorum nomina in *te*; *Condate, Arelate, Tridente, Ateſte, Præneſte, Apeneſte, Reate, Teate*: niſi, quòd in genitivo habeant *tis*. Velleius Paterculus lib. II: *Oppugnationi Præneſtis ac Marii præfuerat Ofella Lucretius.* Et eodem libro poſteà: *Pars petere Italiam decreverat, junctam ſibi Nauporti & Tergeſtis confinio.* Plinius lib. III cap. XX: *Incolæ Alpium multi populi: ſed illuſtres, à Polâ ad Tergeſtis regionem, Secuſſes, Subocrini, Catili, Menocaleni.* Atque ab hoc genitivo caſu formatum eſt opidanorum nomen TERGESTINI. unde *Tergeſtinus ſinus* dicitur Plinio ſuprà ſcripto cap. XVIII. Sed idem opidi vocabulum Straboni dicitur feminino genere Τεργέστη, TERGESTA, lib. VII. Ἐκ Τεργέστης, κώμης Καρνικῆς, ὑπέρθεσίς ἐστι διὰ τῆς Ὄκρας εἰς ἕλος Λούγεον καλούμενον. Id eſt: *A Tergeſtâ, vico Carnico, tranſitus per Ocram eſt ad Lugéam paludem.* Verùm heic feminino genere numeroque ſingulari formatum eſt id vocabulum, quia ſequebatur eiusdem generis ac numeri vox κώμη. At lib. V, in huius oræ deſcriptione, plurali numero vocatur φρούριον Τεργέστων, id eſt, CASTEL-

LVM

LVM TERGESTAE. Hinc etiam dicto lib. VII, puſillo pòſt ita ſcriptum eſt: ὁ δὲ πλοῦς ὡς ἐπὶ πολλὰ τοῖς ποταμοῖς ἐπὶ τὰς ἄρκτους ἐστὶν ὁδὸς ἀπὸ Τεργεστῶν ἐπὶ τὸν Δανούβιον σταδίων ἴσων χιλίων καὶ διακοσίων. Id eſt: *Navigatio dictis fluminibus ferè fit versùs ſeptemtriones, iter circiter* CIƆCC *ſtadia à Tergeſtis ad Danubium.* In lapidis tamen etiam antiquâ inſcriptione genitivo ſingulari legitur, SEXVIR · TERGESTAE. Apud Stephani breviatorem ita ſcriptum eſt in vulgatis exemplaribus: Τέγεστρα, οὐδετέρως, πόλις Ἰλλυρίας πρὸς τῇ Ἀκυληΐᾳ. Ἀρτεμίδωρος δ' ἐν ἐπιτομῇ τῶν ἕνδεκα Τέργεστρον αὐτὴν καὶ κώμην οἶδεν. Ἀπὸ Τεργέστρου κώμης καὶ τοῦ μυχοῦ ἐπὶ τὸν Ἀδρίαν στάδιοι πεντακισχίλιοι εἴκοσι ἐννέα. Ὁ πολίτης Τεγεστραῖος. Hoc eſt: *Tegeſtra neutro genere, opidum Illyrici circa Aquileiam. Artemidorus verò in Epitomâ undecim librorum Tergeſtrum id vocat, vicumque agnoſcit. A Tergeſtro, inquit, vico & intimo ſinus receſſu ad Hadriam ſtadia quinquies mille viginti novem. Opidanus Tegeſtraus.* Vt innumera alia paſſim in hoc auctore, ſic heic etiam apertiſſimum eſt mendum in his vocibus ἀπὸ τοῦ μυχοῦ ἐπὶ τὸν Ἀδρίαν. quidpe ipſe intimus ſinus receſſus pars contingens erat Hadriæ ſinus: Scribo igitur; Ἀπὸ Τεργέστρου κώμης καὶ τοῦ μυχοῦ τοῦ Ἀδρίου ἐπὶ ...... Id eſt: *A Tergeſtro vico & intimo ſinus Hadriæ receſſu* ..... Interiit nomen alterius termini; à quo ad intimum ſinum quinquies mille & viginti novem erant ſtadia. Atque ex hoc mendo, cætera quoque Tergeſtinæ urbis vocabula eſſe vitiata, facile collectu erat; niſi apud Dionyſium Περιηγητὴν etiam ita eſſet ſcriptum in verſu:

Ἑξείης δ' ἐπὶ τοῖσι Καλαβρίδος ἤθεα γαίης,
Φῦλά τ' Ἰηπύγων, τετανυσμένα μέσφ' Ὑρίοιο
Παρραλίας· Ὑρίου, τόθι σύρεται Ἀδριὰς ἅλμη
Πόντον ἐς ἀγχίπορον Ἀκυλήϊον· ἔνθα νένασται
Ἄστυ Τεγεστραίων, μυχάτοις ἐπὶ πείρασι πόντου.

Hoc eſt:

Deinceps poſt hos Calabricæ ſedes ſunt terræ
Gentesque Iapygum, extenſæ usque ad Hyrium
Maritimam urbem: ubi trahitur Hadriaticum ſalum
Mare in finitimum Aquileienſe: ubi condita eſt
Vrbs Tegeſtræorum, intimis in finibus maris.

Quem locum Latinis verſibus ita expreſſit interpres Dionyſii Priſcianus:

Continuò Calabræ telluris rura ſequuntur.
Vsque Hyrii ſummam ſe tendit Iapygis ora.
Quà ſalis Hadriatici trahitur vaſtiſſimus æſtus,
Atque, ſinum penetrans Aquileium, colligit undas,
Alta Tegeſtræωn poſtrema mœnia terræ;
Quà ſinus Ionius finitur gurgite laſſo.

Alter Dionyſii interpres, Feſtus Avienus, paullo liberiùs commodiúsque eadem reddidit his verſibus:

Hinc jacet in patulos projecta Calabria campos;
Et ſuper arenti tenduntur Iapyges agro.
Hinc ſe præcipiti cogit ferus Hadria ponto.
Heic Aquileia decens celſis caput inſerit aſtris.
Tergeſtumque dehinc curvis alis incubat oram;
Extimus Ionii quà ſe ſinus æquoris abdit.

Ad Dionyſii verba ita commentatur ſcholiaſtes eius Euſtathius: Ὅτι τὸ Τεγεστραίων Ἰλλυρικὸν ἄστυ, τουτέστι τὸ Τέγεστρον, περὶ τοῖς μυχάτοις πέρασι τῆς Ἀδριάδος ἅλμης ἐστί. τοῦτο καὶ Τέργεστρον λέγεται. ἀπὸ Τεργέστρου τινός· ὡς ἐν τῇ καταγραφῇ δηλοῦται τῶν ἐθνικῶν. Id eſt: *Tegeſtranorum Illyrica urbs, id eſt Tegeſtrum, ad intimos Hadriatici maris fineis eſt. Hæc etiam Tergeſtrum dicitur, à quodam Tergeſtro; ut in conſcriptione gentilium ſignificatur.* Ipſius Stephani opus innuit; ex quo epitomator eius transſcripſit ea, quæ modò citavimus. Verùm enimverò, vocabula iſta *Tegeſtrum* & *Tergeſtrum* in communi umquàm vulgarique fuiſſe uſu, vehementer adhuc dubito: planéque ſuſpicor, ut idem Dionyſius alibi vocabulum Σαρμάται corrupit in Σαμάται· ita eâdem metri causâ Τέργεστον eum feciſſe Τέγεστρον· atque ex hoc porrò ineptum grammaticorum genus formaſſe illud Τέγεστρον· cui etiam auctorem conditoremque adfinxerunt neſcio quem mortalium eodem nomine. At verò ut *Tridente* etiam *Tridentum* dicebatur;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

ſic Τέργεστον, TERGESTVM, neutro genere, uſurparunt Mela, Ptolemæus, Appianus, atque Servius. quamquàm apud hos duos in vulgatis nonnullis exemplaribus legitur Τέργιστον, TERGISTVM. Mela lib. II cap. IIII: *Deinde Ceraunii montes. ab iis flexus in Hadriam. Hoc mare, magno ſeceſſu litorum acceptum, Illyricis usque Tergeſtum, cætera Gallicis Italicisque gentibus cingitur.* Et paullo pòſt: *Tergeſtum, in intimo ſinu Hadriæ ſitum finit Illyricum.* Ptolemæus: Καρνῶν· Τιλαουέμπτου ποταμοῦ ἐκβολαὶ, Νατίσωνος ποταμοῦ ἐκβολαί. Ἱστρίας ὁμοίως· Τέργεστον κολώνια, Φορμίωνος ποταμοῦ ἐκβολαί. Id eſt: *Carnorum; Tilavempti fluminis oſtium, Natiſonis fluminis oſtium. Item Hiſtriæ; Tergeſtum colonia, Formionis amnis oſtium.* Servius ad Virgilii Aeneid. lib. I: *Timavus in Hiſtriâ eſt inter Aquileiam & Tergiſtum.* Appianus in libro de rebus Illyricis; de Iapidibus loquens: Ἀκυληΐαν δ' ἐπέδραμον, καὶ Τέργιστον, Ῥωμαίων ἄποικον, ἐσύλησαν. Id eſt: *Aquileiam usque excurrerunt; & Tergiſtum, Romanorum coloniam, deprædati ſunt.* Apud Melam ſequenti etiam cap. IIII *à Tergeſto* legendum eſt. ubi nunc in vulgatis exemplaribus legitur, *In oris proxima eſt à Tergeſte Concordia.* Porrò idem neutri generis vocabulum etiam plurali numero, quod vult Stephani breviator, dici poterat τὰ Τέργεστα, TERGESTA. Ab utroque, ut & ab femini generis utroque numero, opidani Græcis formabantur Τεργεσταῖοι, *Tergeſtæi*· quod Latino ore feceris TERGESTANI. ab neutri autem generis ſingularis numeri obliquo caſu *Tergeſtis*, rectè formaveris ut ſuprà, *Tergeſtini*. De cætero, quando huc *colonia* Romanorum deducta ſit, incertum eſt. Id mirum, κώμην, id eſt, *vicum* adpellari à Strabone ſub Tiberio imperatore; quum Appiano jam inde in Auguſti rebus in Illyrico geſtis dicatur ἄποικος, *colonia*. Sed id vocabulum τῆς κώμης ex vetuſtiore aliquo hauſiſſe videtur auctore Strabo; quando anteà φρούριον, id eſt, *Caſtellum præſidiarium* nominat.

TERGESTINVS ſinus; *qui &* AQVILEIENSIS.

Cæterùm mare huic urbi contiguum Plinio ſuprà ſcripto lib. III cap. XVIII vocatur TERGESTINVS SINVS. Idem ab Aquileiâ conterminâ urbe Dionyſio loco præſcripto Ἀκυλήϊος πόντος, id eſt, MARE AQVILEIENSE; ſive, ut ſcholiaſtes eius Euſtathius cum Stephani breviatore habet, Ἀκυλήϊος ſive Ἀκυλεήσιος κόλπος, id eſt, SINVS AQVILEIENSIS.

FORMIO *amnis.*

Sequitur hinc noviſſimus inter Carnos Hiſtrosque terminus, VI *millia paſſuum à Tergeſte*, Φορμίων ποταμὸς, FORMIO *amnis*; Plinio ac Ptolemæo locis ſuprà dictis memoratus. Vocatur hodiè inferiore ſui parte ab Italis *Riſáno*; ſuperiori parte à Germanis *Alben*: cuius nominis opidum ei impoſitum. At ſupra id opidum alter eius fontium antiqui nominis memoriam ſervare videtur, vulgò *Fulm*, mutatâ liquidâ in liquidam, pro *Furm* dictus. Antiquis temporibus celebratiſſimæ fabulæ de Argonautis inſertum fuiſſe arbitror. ſic quidpe Plinius dicto lib. III cap. XVIII: *Hiſtriam cognominatam a flumine Hiſtro, in Hadriam effluente è Danubio amne: eidemque Hiſtro ex adverſo Padi fauceis* [*eſſe*;] *contrario eorum percuſſu mari interjecto dulceſcente; plerique dixère falsò, & Nepos Cornelius etiam, Padi adcola. nullus enim ex Danubio amnis in mare Hadriaticum effunditur. Deceptos credo, quoniam Argo navis flumine in mare Hadriaticum deſcendit non procul Tergeſte. nec jam conſtat, quo flumine. Humeris travectam Alpeis, diligentiores tradunt. ſubiiſſe autem Hiſtro; dein Sao; dein Nauporto: cui nomen ex eâ causâ eſt, inter Hemonam Alpeisque exorienti. Nauportum* flumen eſſe id, quod, in Saum defluens, vulgò nunc in Carniolâ dicitur *Laubach* Germanis, Italis *Lubiana*; *Hemonam* verò id opidum, quod, huic flumini adpoſitum eodem adpellatur nomine; ſuprà cap. II docui. Ab hoc igitur flumine per Alpeis verſùs meridiem in Hiſtriam transeuntibus Argonautis proximus occurriſſe debuit. Formio amnis, *non procul Tergeſte in mare Hadriaticum deſcendens*. Alii tamen eam fabulam prædicto Hiſtro adplicuerunt; qui heic nullus umquàm fuit; ut infrà oſtendetur. alii rurſum Timavo amni; ut ſuprà ex Martiali intellectum eſt. Atque hactenus maritima Carnorum ora explicata eſt. Nunc interiora dicantur.

GALLORVM *opidum.*

In mediterraneis primo loco occurrit memoria GALLORVM *opidi*, circa Aquileiam quomdam conditi: cuius nomen proprium auctores Romani vel reticuerunt vel ignorarunt. Livius lib. XXXVIIII, anno urbis Romæ IↃLXVI, ante natum Ieſum CLXXXVII, in conſulatu Q. Marcii Philippi & Sp. Poſthumii Albini: *Eodem anno Galli Transalpini, transgreſſi in Venetiam, ſine populatione aut bello, haud procul inde, ubi nunc Aquileia eſt, locum opido condendo ceperunt. Legatis Romanis, de eâ re trans*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Alpeis miſſis, reſponſum eſt; Neque profectos ex auctoritate gentis eos; nec quid in Italiâ facerent, ſe ſcire. Et triennio pôſt; M. Claudio Marcello, Q. Fabio Labeone, conſulibus: *Galli Transalpini, per ſaltus ignotæ anteà viæ, ut antè dictum eſt, in Italiam transgreſſi, opidum in agro, qui nunc Aquileienſis eſt, ædificabant. id eos ut prohiberet, quoad eius ſine bello poſſet, prætori mandatum eſt. ſi armis prohibendi eſſent; conſules certiores faceret. ex his placere alterum adversùs Gallos ducere legiones.* Et poſteà, eodem anno: *Conſules in provincias profecti. Marcellus nuncium præmiſit ad L. Porcium proconſulem, ut ad novum Gallorum opidum legiones admoveret. Advenienti conſuli Galli ſeſe dediderunt. duodecim millia armatorum erant. plerique arma ex agris rapta habebant. ea ægrè patientibus iis adempta; quæque alia aut populantes agros rapuerant, aut ſecum attulerant. De his rebus qui quererentur, legatos Romam miſerunt. Introducti in ſenatum à C. Valerio prætore, expoſuerunt; Se, ſuperante in Galliâ multitudine, inopiâ coactos agri & egeſtate, ad quærendam ſedem Alpeis transgreſſos. quæ inculta per ſolitudines viderint, ibi ſine ullius injuriâ conſediſſe. opidum quoque ædificare cœpiſſe. quòd indicium eſſet, nec agro nec urbi ulli vim allaturos veniſſe.* Paullo pôſt: *Galli, redditis omnibus, quæ ſine cuiusquam injuriâ habebant, Italiâ exceſſerunt.* Et mox: *M. Marcellus conſul, Gallis ex provinciâ exactis, Hiſtricum bellum moliri cœpit; literis ad ſenatum miſſis, ut ſibi in Hiſtriam traducere legiones liceret. Id ſenatui placuit. Illud agitabant, uti colonia Aquileia deduceretur.* Plinius lib. III cap. XVIII: *In hoc ſitu interiêre per oram Iramine, Pellaon, Palſicium; ex Venetis Atina & Cælina; Carnis Segeſte & Ocra; Tauriſcis Noreia, & ab Aquileiâ ad duodecimum lapidem deletum opidum, etiam invito ſenatu, à M. Claudio Marcello, L. Piſo auctor eſt.* Maxima heic ſolitudo eſt inter Aquileiam & Vdenum opida fluminaque Natiſonem ac Tilavemptum, circa novum opidum Palmam; quod VIII millia paſſuum ab Aquileiâ abeſt. Hoc igitur tractu Galli opidum ſuum condiderant, quod poſt triennium Claudius Marcellus deſtruxit. & per hæc loca uſitatiſſimum poſteà Romanis duxiſſe iter trans Alpeis in Noricum, quà Galli transſcenderant, patet ex Antonini itinerario, ſimulque ex Paullo Diacono & Fortunato. Antoninus ita habet:

Aquileia	
Ad Triceſimum	XXX.
Iulio Carnico	XXX.
Loncio	XVI.
Agunto	XVII.
Littamo	XXIII.
Sebato	XXIII.
Vipiteno	XXXIII.
Veldidena	XXXVI.

Paullus Diaconus Langobardicar. rer. lib. II cap. XIII: *Fortunatus in tantum beatum Martinum veneratus eſt, ut, relictâ patriâ, paullo antè, quàm Langobardi Italiam invaderent, Turonos ad eiusdem beati viri ſepulcrum properaret. qui ſibi, ut in ſuis ipſe carminibus refert, illuc properandi per fluenta Tiliamenti, & Reuniam, per Oſupum & Alpem Iuliam, perque Aguntum caſtrum, Dravumque & Byrrum fluvios, ac Briones & Auguſtam civitatem, quam Virdo & Lech fluentant, iter fuiſſe deſcribit.* Ipſe Fortunatus, de vitâ beati Martini lib. IIII.

Pergis ad Auguſtam, quam Virdo Lycusque fluentant.
Illic oſſa ſacræ venerabere martyris Afræ.
Si vacat ire viam, neque te Baioarius obſtat;
Quà vicina ſedent Breonum loca, perge per Alpem,
Ingrediens rapido quà gurgite volvitur Oenus.
Inde Valentini benedicti templa require;
Norica rura petens, ubi Byrrus vertitur undis.
Per Dravum itur iter, quà ſe caſtella ſupinant:
Heic montana ſedens in colle ſuperbit Aguntus.
Hinc pete raptè vias, ubi Iulia tenditur Alpis,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Altiùs adſurgens, & mons in nubila pergit.
Inde Foro Iulii de nomine principis exi,
Per rupeis, Oſope, tuas; quà labitur unda
Et ſuperinſtat aquis Reunia Tiliamenti.
Hinc Venetûm ſaltus campeſtria perge per arva;
Sub montana quidem caſtella per ardua tendens.
Aut Aquileienſem ſi fortè acceſſeris urbem;
Cantianos Domini nimium venereris amicos.

In noviſſimis etiam huius auctoris editionibus hæc verba, ſimulque reliqua, quæ ad idem iter Ravennam usque ſpectant; partim malè atque imperitè contra auctoris mentem diſtincta; partim miſerè vitiata legi, ſatis mirari nequeo; quando facilis eorum erat correctio ex collatione Paûlli Diaconi. Pro *Aguntus* illic habetur *Amintus*; pro *Reunia Tiliamenti*, *Reumatilia montis*: hocque ex ipſius editoris ingenio & correctione; quum exemplaria antiqua haberent, *renuta telia montis*. Reliqua eiusdem itinerarii menda ſuprà in Rhætis cap. XVI, & in Venetis cap. XVIII purgavi. Nunc uti loca eo in itinere, quæ ſub Romanorum imperio intra Carnorûm fineis cenſebantur, commodè inveſtigare poſſimus; in memoriam revocandum erit lectoribus, quod ſuprà in Rhætis docui. nempe *Auguſtam* heic intelligi *Vindelicorum*; quæ vulgò nunc incolis dicitur *Augſtpurg*: apud quam duo flumina *Licus* & *Virdo* vulgò nunc ſunt *Lech* & *VVertach*. hinc *Vipitenum* opidum nunc eſt *Sterzingen*: *Byrrus* amnis nunc *Aicha*, in Aiſacum apud vicum *Pyrhack* confluens: *Littamum* & *Loncium* atque *Aguntum*, ſunt hodiè *Luttach*, *Lientz*, & *Innichen*. Hinc tandem in Carnorum fineis transſcendebatur per Noricas Alpeis; quas falſo nomine Fortunatus & Paullus Diaconus Iulias adpellant; quum hæ apud fonteis Frigidi Nauportique amnium fuerint inter Carnos & Pannoniam; ut ſuprà ad expoſitionem Frigidi amnis patuit; pluribusque auctorum teſtimoniis confirmabitur ſuo loco infrà in Alpium deſcriptione. Verùm enimverò id nominis haud dubiè Noricis hoc tractu Alpibus poſterioris ævi indidêre mortales ex proximi opidi antiqui vocabulo, quod erat *Iulium Carnicum*; tum ex inſcriptione antiquâ, quæ heic exſtat in faucibus Alpium; *C. Iulii Cæſaris* nomen referens. De hac ita ſcribit Sabellicus antiquitatum Aquileienſim, lib. I: *Tulmetium, montanæ Carniæ caput, tria millia paſſuum à Iulio Carnico diſtat. non procul hinc mons arduus & adſcenſu difficillimus eſt: eum Crucis vocant. ubi medio fermè adſcenſu prærupta rupes occurrit, cum calle anguſtiſſimo, militari opere munito; ut ex vetuſtiſſimo epigrammate, præcipiti ſaxo ſculpto, ſed magnâ ex parte ob vetuſtatem abolito, datur intelligi. eius principium huiusmodi eſt:* C. IVLIVS. CAESAR. *reliqua, tùm loci aſperitate, tùm vetuſtate, ut dixi, legi nequeunt. Haud procul hinc, in ipſis Alpium anguſtiis, caſtellum munitiſſimum, quod Cluſam vocant. heic Italiæ clauſtra.* Mons hic, cognomento *Sanctæ Crucis*, inter Deam Butimque amneis à ſeptemtrionibus in meridiem ad Tilavempti ripam procurrit: quem transſcendant neceſſe eſt, qui ab Tulmetio & Iulio Carnico ad Aguntum ſive Inichium opidum transire cupiunt. Reliqua inſcriptionis antiquæ verba legi Sabellicus negat. at alii integram ſic habere volunt:

C. IVLIVS. CAESAR. VIAM. INVIAM
SOLERT. S. ET. IMPENDIO. ROTAB
REDD

IVLIVM CARNICVM *opidum.*

Ipſum IVLIVM CARNICVM opidum Ptolemæo & Antonini itinerario memoratur. Opidani etiam inde Plinio lib. III cap. XVIIII ſunt IVLIENSES. *Rhætorum*, inquit, *& Euganeorum Verona; Iulienſes Carnorum*. Ptolemæus id quidem lib. II ſimul & lib. VIII in Norici tabulâ refert: attamen μεταξὺ Ἰταλίας καὶ Νωρικοῦ, id eſt, *inter Italiam & Noricum*, id refert lib. II. Carnorum eſſe, ipſum cognomentum diſertè clamabat. Ab Iulio Cæſare fuiſſe conditum, quum is utramque Galliam, Cisalpinam juxtà & Transalpinam, legionibus Romanis tuendam regendamque teneret provinciam, haud dubium eſt. Claram inde evaſiſſe urbem, ex eo adparet, quòd Ptolemæus dicto lib. VIII ut præcipuum Norici memorat opidum; & Plinio etiam dicto proximè loco inter complura alia Venetorum Carno-

rumque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

rumque nobiliora refertur. Eius exigua nunc exſtant cum vocabulo vulgari *Zuglio* veſtigia, inter prædictum Crucis montem & Tilavemptum Deamque ac Butim amnꝭis ſitæ, III millia paſſuum ſuprà Tolmetium opidum.

Ad Tricesimvm, *locus*.

Alius ille Antonini locus Ad Tricesimvm, ſubintellige lapidem ſive milliare, hodiéque antiquum nomen retinet, vulgò incolis *Triceſimo* dictus. vicus nunc eſt celeberrimus.

Revnia *caſtellum*.

In altero illo itinere, quod Fortunatus Paullusque referunt, Revnia, ſive *opidum* quondam ſeu *caſtellum*, vulgò nunc vocatur *Ragonia*, in Tilavempti ſiniſtrâ ripâ. Meminit eius iterum Paullus lib. IIII cap. XXXVIII. *Communierant*, inquit, *ſe quoque Langobardi & in reliquis caſtris; hoc eſt, in Cormones, Nemaſo, Oſopo, Arteniâ, Reuniâ, Glemonâ, vel etiam in Ibiligine; cuius poſitio omnino inexpugnabilis exſiſtit*. Item lib. VI cap. III: *Rodoaldus, quem apud Forum Iulii præmiſimus ducatum tenuiſſe, quum ab eâdem civitate abeſſet, Ansfrit de caſtro Reuniâ ducatum eius absque regis nutu pervaſit*.

Osopvm *caſtellum*.

Osopvm item *caſtellum*, ſive Osopivm, ſeu Osvpvm (ſic ſcilicet varia exemplaria Paulli Diaconi hoc vocabulum variant) ad idem flumen hodiéque vulgò dicitur *Oſópo*, ſuprà Reuniam in nativo eminentique ſaxo circumjectis campis conſpicuum.

Artenia & Glemona *caſtella*.

Prope ſunt Artenia & Glemona *caſtella*: quorum illud nunc *Artegna* patriâ lingvâ vocant incolæ; hoc verò *Ghiemona*; & corruptiùs *Gemona*. In illo litera *l* mutata eſt in *i*, ut ex *plano, pleno, flore, clamare, cludere, Clodia, Claſtidio*, facta ſunt *piano, pieno, fiore, chiamare, chiudere, Chioggia, Chiaſteggio*. in quibus adſpiratio *h* literæ *c* adjungitur, quò hæc genuinum ſonum, qui eſt in *k*, ante vocalem *i* retineat. Eâdem de causâ etiam in voce *Ghiemona* ab initio inſerta eſt adſpiratio, ne deflecteretur in *Gemona*; quod poſteà factum.

Nemasvm *caſtellum*.

Nemasvm eiusdem Paulli Diaconi ex vicinitate hactenus enarratorum conjicio eſſe eum vicum, qui ad Fellam flumen, haud ita procul à Tilavempti confluente & Ventione opido, vulgò nunc dicitur *Mazo*. Sed exemplaria Diaconi vehementer heic variant. alia quidpe habent *Nemaſo*, alia *Nomaſo*, alia *Hemas*, quædam *Nemas*, & nonnulla *Memaſo*. ex quibus pleraque tamen habent primam ſyllabam *Ne*. Memoratur iterum lib. V cap. XXII: *Apud Nemas caſtrum, quod non longè à Foro Iulii diſtat, exſtinctus eſt*.

Ibiligo *caſtellum*.

Reliquum illud caſtellum Ibiligo, aliis in exemplaribus eſt Ibligo; & in nonnullis Biligo. Videtur eſſe is vicus, qui, infra Tercentum opidum in dextrâ Turri fluminis ripâ ſitus, è regione ſuprà dictorum caſtellorum, vulgò nunc vocatur *Biliris*.

Broxae *caſtellum*.

Idem auctor lib. V cap. XXIII ita ſcribit: *Deinde ordinatus eſt apud Forum Iulii dux VVectari. Hunc quum audiviſſet Sclavorum gens Ticinum profectum eſſe, congregatâ validâ multitudine, voluerunt ſuper Forojulianorum caſtrum irruere. & venientes caſtra metati ſunt in loco qui Broxas dicitur, non longè à Foro Iulii. Secundùm divinam autem diſpoſitionem contigit, ut dux VVectari ſuperiori veſpere à Ticino reverteretur, neſcientibus Sclavis*. Mox poſteà: *Qui quum ad pontem Natiſonis fluminis, qui ibidem eſt, ubi Sclavi reſidebant, propinquaſſet; caſſidem ſibi de capite auferens, vultum ſuum Sclavis oſtendit*. Hic locus pluralis numeri vocabulo Broxae quo ſitu ad Natiſonem amnem fuerit, incertum eſt. Supra Forum Iulii tamen fuiſſe, versùs Carantanum, Sclavorum regionem, quæ nunc Carinthia dicitur, veri eſt ſimile.

Forvm Ivlii, *colonia*.

Ipſum hinc Forvm Ivlii, Ptolemæo dicitur Φόρος Ἰούλιος κολωνία, id eſt, Forvm Ivlivm *colonia*. nam omnia Romanorum per Italiam Galliamque *Fora* Ptolemæus maſculino genere pronunciavit φόρους. Plinio, lib. III cap. XVIIII, opidani inde dicuntur Foroivlienses. & Caſſidoro, Variar. lib. XII epiſt. XXVI, *Forojulienſis* eſt *civitas*. Hodiè vulgò vocatur *Cividâd* ſive *Cividâl di Friuli*: quaſi dicas *Civitatem Fori Iulii*. nam ab antiquâ hac loci adpellatione non tantùm Carnorum regio, ſed & proxima Venetiæ pars dictæ fuerunt poſteà *Forum Iulii*; vulgò Italis incolis *Friuli*, Germanis *Friaul*: illis etiam *Patria di Friuli*; & ſimpliciter *La Patria*: ex barbari ſcilicet ſæculi uſu, quo *patriæ* vocabulum uſurpabant pro *terrâ* ſive *regione*. cuius rei exempla complura reperiuntur paſſim apud barbaros auctores. Hinc poſtmodùm ipſa urbs *Forum Iulii* dicta eſt vulgò *Cividâl di Patria* & *Cividâl di Friuli*, id eſt, *Civitas regionis Forojulienſis*, κατ' ἐξοχὴν, quia caput erat totius provinciæ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

provinciæ. Paullus Diaconus lib. II cap. XIIII: *Huius Venetiæ Aquileia civitas exſtitit caput: pro qua nunc Forum Iulii, ita dictum, quòd Iulius Cæſar negotiationis forum ibi ſtatuerat, habetur.* Quando *colonia*, quam heic ponit Ptolemæus, deducta ſit à Romanis, incertum eſt. Plinio ſanè, qui LXXXV circiter annis ante Ptolemæum Tito Veſpaſiano Cæſari, ſextùm conſuli, opus ſuum Hiſtoriæ naturalis dedicavit, inter inferioris notæ recenſetur opida, dicto lib. III cap. XVIIII. *Dein, quos ſcrupuloſè*, inquit, *dicere non attineat, Alutraenſes, Aſſeriates, Flamonienſes, Vannienſes, Forojulienſes, cognomine Transpadani.* Cognominabantur ita ad diſcrimen Frojulienſium Ciſpadanorum in Vmbriâ. Idem Plinius eodem lib. III cap. XIIII, in deſcriptione Vmbriæ: *Fulginates, Foroflaminienſes, Forojulienſes, cognomine Concubienſes; Forobremitiani, Foroſempronienſes.* Sic equidem ei cap. XVI etiam *Forovibienſes* dicuntur & *Forocornelienſes*; item cap. V *Foropopulienſes*. quorum omnium opida erant, *Forum Flaminii, Forum Sempronii, Forum Vibii, Forum Cornelii, Forum Populi*. At uti à *Foro Bremitii* dixit *Forobremitianos*; ſic apud Paullum Diaconum crebrò leguntur à Carnorum *Foro Iulii* FOROIVLIANI.

CORMONES *caſtellum.*

Inter Forum Iulii & Gradiſcam opidum in monte ſitum eſt eidem Paullo ſuprà memoratum *caſtrum* ſive opidum plurali numero CORMONES; vulgò nunc *Cormóns* dictum. Meminit eius iterum lib. VI cap. LI. *Vsque ad eum*, inquit, *diem patriarchæ, quia in Aquileiâ propter Romanorum incurſionem habitare minimè poterant, ſedem non in Foro Iulii, ſed in Cormones habebant.* Barbaro ſui ſæculi more ſine obliqui caſus flexu dixit *in Cormones*, pro *in Cormonibus*.

VEDINVM *opidum.*

De cætero apud Plinium lib. III cap. XVIIII ita legitur: *In mediterraneo regionis Decimæ coloniæ, Cremona, Brixia, Cenomanorum agro; Venetorum autem Ateſte; & opida, Acelum, Patavium, Opitergium, Belunum, Vicetia, Mantua: Fertini & Tridentini & Beruenſes, Rhætica opida: Rhætorum & Euganeorum Verona; Iulienſes Carnorum. dein, quos ſcrupuloſè dicere non attineat, Alutraenſes, Aſſeriates, Flamonienſes, Vannienſes, Forojulienſes, cognomine Transpadani; Foretani, Venidates, Quarqueni, Tauriſani, Togienſes, Varuani. In hoc ſitu interiêre per oram Iramine, Pellaon, Palſicium; ex Venetis Atina & Cælina; Carnis Segeſte & Ocra; Tauriſcis Noreia.* Corrupta eſſe vocabula, *Fertini, Quarqueni, Tauriſani*; à genuinis, *Feltrini, Querquani, Tarviſani*: item ſuſpecta eſſe, *Togienſes, Varuani*: jam dudum ſuprà monuimus. Pro iſto *Venidates* quædam exemplaria antiqua habent *Nedinates*. ex utroque ego conjecerim, verum germanumque fuiſſe VEDINATES. quorum populorum opidum VEDINVM, penultimâ ſyllabâ brevi, ut *Ariminum*, vulgò hodiè Germanis *VVeiden*, Italis incolis *Vdine* & *Vdene*, penultimâ itidem correptâ. Atque hæc profectò longè probabilior eſt conjectura, quàm quòd plerique apud Plinium *ex Venetis Atinam* corrupto vocabulo legi contendant, pro vero *Vtina*; quam hodiernam urbem *Vdinem* eſſe volunt. *Segeſten* autem quòd *Carnis* tribuerit Plinius; vereor uti id ſatis ritè ac ſine errore factum ſit. quippe Appianus in Illyricis diſertè ad Saum eam ponit, ubi Plinius *Siſciam* eam vocat, & Strabo per errorem *Segeſticam*, nomine inſulæ juxtà ſitæ; à qua Siſciam facit aliam. Plinius lib. III cap. XXV: *Ad ſeptemtriones Pannonia vergit. finitur inde Danubio. In eâ coloniæ, Hemona, Siſcia.* Paullo pòſt: *Calapis in Saum influens juxta Siſciam, gemino alveo inſulam ibi efficit, quæ Segeſtica adpellatur.* Scilicet ab opido *Segeſtâ*. Appianus in Illyricis: Διῆλθεν εἰς τὴν Σεγεστανῶν καὶ τὴν τε Παιόνων, οὖσαν ἐπὶ τοῦ Σάου ποταμοῦ· ἐν ᾧ καὶ πόλις ἐστὶν ἐχυρὰ τῷ τε ποταμῷ καὶ τάφρῳ μεγίστῃ διειλημμένη Σεγέστη· διὸ δὲ μάλιστα αὐτῆς ἐχρῄζεν ὁ Καῖσαρ, ὡς ταμιείῳ χρησόμενος ἐς τὸν Δακῶν καὶ Βαστερνῶν πόλεμον, οἳ πέραν εἰσὶ τοῦ Ἴστρου. Id eſt: *In Segeſtanorum ac Pannoniorum regionem profectus eſt, quæ ſita eſt ad Saum amnem. apud quem & urbs fluvio & foſſâ ingenti cincta conſidet. qua de causâ potiſſimùm Cæſar illam invaſit, veluti belli horreum in Dacos Baſternasque, qui ultra Iſtrum incolunt, habiturus.* Strabo lib. IIII, in deſcriptione Alpium: Μετὰ δὲ τοὺς Ἰάποδας ἡ Σεγεστικὴ πόλις ἐστὶν ἐν τῷ πεδίῳ, παρ' ἣν ὁ ῥηθεὶς Σάος παραρρεῖ ποταμὸς, ἐκδιδοὺς εἰς τὸν Ἴστρον. κεῖται δὲ ἡ πόλις εὐφυῶς πρὸς τὸν κατὰ τῶν Δακῶν πόλεμον. Ἡ δ' Ὄκρα ταπεινότατόν μέρος τῶν Ἄλπεών ἐστι, καθ' ὃ συνάπτουσι τοῖς Καρνοῖς, καὶ δι' οὗ τὰ ἐκ τῆς Ἀκυληίας φορτία κομίζουσιν ἁρμαμάξαις εἰς τὸ καλούμενον Ναύπορτον· ἐκεῖθεν δὲ τοῖς ποταμοῖς κατάγεται μέχρι τοῦ Ἴστρου καὶ τῶν ταύτῃ χωρίων. παραρρεῖ γὰρ τὸ Ναύπορτον ποταμὸς, ἐκ τῆς Ἰλλυρίδος φερόμενος, πλωτός· ἐκβάλλει δ' εἰς τὸν Σάον· ὥστ' εὐμαρῶς εἰς τὴν Σεγεστικὴν κατάγεται καὶ τοὺς Παννονίους καὶ τοὺς Ταυρίσκους. συμβάλλει δ' εἰς τὸν Σάον κατὰ τὴν πόλιν καὶ ὁ Κολάπις. Hoc eſt: *Poſt Iapydas Segeſtica eſt urbs*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

urbs in planitie; quam Saus præterfluit amnis, in Iſtrum confluens. Vrbs ea ad Dacicum bellum opportunè eſt ſita. Ocra autem pars eſt Alpium humillima, Carnis contermina; per quam ab Aquileiâ curribus portantur merces ad Nauportum. hinc fluminibus ad Iſtrum & proximas regiones devehuntur. quippe Nauportum flumine adluitur navigabili, ex Illyrico delabente, & in Saum exeunte. itaque facilè ad Segeſticam & Pannonios Tauriſcosque devehuntur. Apud Segeſticam Colapis quoque amnis in Saum confluit, Et lib. VII: Ἐγγὺς τῆς Σεγεστικῆς ἐστι καὶ Σισκία φρούριον καὶ Σίρμιον, ἐν ὁδῷ κείμενα τῇ εἰς Ἰταλίαν. Id eſt: *Prope Segeſticam Siſcia quoque caſtellum & Sirmium ſita ſunt, in itinere, quod fert in Italiam.* Adparet ſanè, haud usquequaque harum regionum fuiſſe gnarum Strabonem; quum *Siſciam* aliam diverſamque faciat ab *Segeſticâ* ſuâ, huic verò propinquum dicat eſſe *Sirmium*: quod CLX ampliùs millia paſſuum abeſt. nam *Siſcia*, ſive *Segeſta*, apud Colapis confluentem & inſulam Segeſticam hodiéque dicitur *Siſeck*; *Sirmium* autem, Iſtro jam ſive Danubio adpropinquans, *Sirmis*. Verùm hactenus ſufficiat demonſtraſſe, non in Carnis, ſed longè interiùs in veteri Illyrico apud Sai Colapisque confluenteis fuiſſe *Segeſtam*, quam Carnis attribuit Plinius. Credo, Romanos, quum hæc loca primùm debellarent, inventam ibi urbem *Siſciam* clariſſimæ potentiſſimæque in Siciliâ urbis nomine, ſibi dudum notiſſimo, adpellaſſe *Segeſtam*; inſulamque conterminam inde *Segeſticam*. poſteaquàm verò præſidia ſua imperiumque huc intulerunt; vero nomine probiùs cognito, *Siſciam* vocare perrexiſſe; priſco illo uſurpativo vocabulo abolito. Hinc Plinius ipſam urbem in Carnis interiiſſe putavit, unà cum aliâ, quam *Ocram* vocat. quam & ipſam erroribus eius commentam reor ex Auguſti Cæſaris his in locis rebus geſtis: in quibus mentio fiebat montis Ocræ, per quem imperator exercitum in Pannoniam ad Segeſtam ſive Siſciam urbem duxerat.

Reſtat igitur una *Tauriſcorum* urbs NOREIA; quam olim exſtitiſſe hisce in oris, NOREIA *urbs.*
Cæſar etiam atque Strabo teſtantur. Cæſar de bello Gallico comment. I: *Perſuadent Helvetii Rauracis & Tulingis & Latobrigis, finitimis, uti, eodem uſi conſilio, opidis ſuis vicisque exuſtis, unà cum iis proficiſcantur: Boiosque, qui trans Rhenum incoluerant, & in agrum Noricum tranſierant, Noreiamque oppugnarant, receptos ad ſe ſocios ſibi adſciſcunt*: Plinius lib. III cap. XX: *Incolæ Alpium multi populi; ſed illuſtres, à Polâ ad Tergeſtis regionem, Secuſſes, Subocrini, Catili, Menocaleni, juxtaque Carnos, quondam Tauriſci adpellati, nunc Norici*. Strabo lib. IIII, in deſcriptione Alpium populorumque Inalpinorum: Μετὰ δὲ τοὺς Οὐινδελικούς, οἱ ἐγγὺς ἤδη τοῦ Ἀδριατικοῦ μυχοῦ καὶ τῶν κατ' Ἀκυληΐαν τόπων, οἰκοῦσι Νωρικῶν τέ τινες καὶ Καρνοί. τῶν δὲ Νωρικῶν εἰσι καὶ οἱ Ταυρίσκοι. Id eſt: *Poſt Vindelicos, contermini jam intimo Hadriatici ſinus receſſui & locis circa Aquileiam, Noricorum quidam & Carni incolunt. Noricorum autem ſunt etiam Tauriſci*. Et aliquanto pòſt: Φησὶ δὲ Πολύβιος, ἐφ' ἑαυτὸν κατ' Ἀκυληΐαν, ἐν τοῖς Ταυρίσκοις τοῖς Νωρικοῖς, εὑρεθῆναι χρυσεῖον εὐφυές. Hoc eſt: *Tradit Polybius, ſuâ tempeſtate circa Aquileiam, in Tauriſcis qui Norici dicuntur, auri ſolum ferax fuiſſe repertum*. Et lib. V: Ἔξω δ' ἐστὶ τῶν Ἑνετικῶν ὅρων ἡ Ἀκυληΐα. διορίζονται δὲ [Τιλαουέμπτῳ] ποταμῷ, ῥέοντι ἀπὸ τῶν Ἀλπίων ὀρῶν, καὶ ἀνάπλουν ἔχοντι φ΄ σταδίων ἐπὶ Ταυρίσκους εἰς Νωρηΐαν πόλιν, περὶ ἣν Γναῖος ὁ Κάρβων συμβαλὼν Κίμβροις, οὐδὲν ἔπραξεν. ἔχει δὲ ὁ τόπος οὗτος χρυσοπλύσια εὐφυῆ, καὶ σιδηρουργεῖα. Id eſt: *Sita eſt Aquileia extra Venetorum fineis. Diſtingvuntur flumine [Tilavempto,] ex Alpinis montibus delapſo: quo adverſo navigatur per Iↄ ſtadia in Tauriſcos ad Noreiam urbem; apud quam Cn. Carbo inani conatu cum Cimbris conflixit. Habet is locus auri lavacra & ſecturas ferri præclaras*. Sic locum hunc fœdiſſimè in vulgatis exemplaribus corruptum reſtitui poſſe, ſuperiori capite docui. Stadia autem Iↄ quum millia efficiant LXII cum paſſibus Iↄ; Noreiam fuiſſe puto circa id opidum, quod vulgò nunc dicitur *Venzone*: unde navigabilis jam incipit eſſe Tilavemptus. Præclaram olim exſtitiſſe & magni nominis urbem, vel inde colligere licet, quòd plurima pars Tauriſcorum gentis, inter Aenum flumen & Cetium montem, ſive inter Vindelicos & Pannonios protenſa, NORICI ab eâ, tamquàm à capite ſuo, dicti ſunt. NORICI *dicti* à Noreiâ *opido.*

Cæterùm Tabula itineraria iter per Carnorum fineis habet huiusmodi:

Aquileia	
Ad Silanos	XXXV.
Taſinemeti	.....

Saloca	VIIII.
Varuno	XI.

Ad Silanos, *locus.*

Saloca hodiéque vocatur *Selch*, ultra Ocram montem & Carnorum fineis in Carniolà inter Savum & Dravum ſita. In eâdem regione fuiſſe & *Taſinemetum*, propinquitas VIIII millium indicat. *Varunum* fuiſſe Noricorum in ripâ Dravi, nunc vulgò *Volkmark* dictum, in deſcriptione Norici, quam Germaniæ adjunxi, certis oſtendi argumentis. Locum igitur Ad Silanos ex itineris tractu & XXXV millium intervallo circa Sontii Hidriæque fluminum fuiſſe confluenteis judico. Nec dubium eſt, quin per Sontii vallem iter id fuerit actum. Idem iter longiore viâ Antoninus circumducit hoc modo:

Aquileia	
Viam Beloio	XXX.
Larice.	XXIIII.
Santico	XXVII.
Viruno.	XXX.

Ex his prior locus quo vocabulo fuerit, planè dubium incertumque manebit, donec antiquum aliquod exemplar corruptas voces emendaverit. *Larix* trans Alpeis haud dubiè is eſt locus, qui vulgò nunc Italis conterminis vocatur *Caſtel Loch*; Germanis autem incolis *Lorch*: nam *larix* arbor hodiéque Germanis dicitur *ein lörchbaum*. Hinc *Santicum* ex itineris ductu & intervallo ſimulque ex nominis ſimilitudine deprehenditur eſſe *Saneck*, ad Sanam flumen. unde XXX porrò ſunt millia ad opidum *Volkmark*. Tabulæ igitur iter à Sontio per Bacii amnis duxit vallem: Antonini per vallem Hidriæ.

Picis mons.

Ad fonteis Sontii & Natiſonis pars Ocræ olim adpellabatur Picis mons. Iornandes de rebus Gothicis: *Attila primâ adgreſſione Aquileienſem obſedit civitatem: cuius ab Oriente muros Natiſo amnis, fluens à monte Picis, elambit.* Aliud iter per Carnorum Hiſtrorumque fineis refert Antoninus tale:

Fonte Timavi	
Aneſica	XII.
Ad Malum	XVIII.
Ad Titulos	XVII.
Tarſatica	XVII.

Anesica *opidum.*

Quum numerus iſte LXII millium paſſuum inter fonteis Timavi & Terſaticam, quæ vulgò nunc dicitur *Terſatz*, probè, ſi breviſſimo meatu per mediterranea Hiſtriæ iter agas, rectéque conveniat; minùs rectè fecerint ii, quibus Anesica, ſive, ut alia habent exemplaria, Avesica, docetur eſſe is vicus, qui longè interiùs XXII circiter millia à Timavi fontibus, vulgò nunc vocatur *Senaſetz*. niſi fortè huic ſententiæ id documentum patrocinari poſſit, quòd gemini eo nomine ſint vici; quorum alter vetus, alter novus cognominatur. At verò ſi numeros apud Antoninum corruptos eſſe hoc argumento evincere liceat; alterum illum locum Ad Malvm eum eſſe, ego contenderim, qui ad ripam Formionis amnis vulgò nunc incolis dicitur *Iablonietz*. quidpe hoc vocabulo Slavicæ genti adpellatur arbor, quæ Latinis *malus* dicitur. Atque hæc Carnorum ſunt loca mediterranea, quæ antiquis auctorum monumentis memorantur. Sequitur inde *Hiſtria* regio, & incolæ eius *Hiſtri*.

Capvt XXI.

De Histria & Histris.

Histri ab initio Venetis apud Timavum amnem, poſteà verò Carnis apud Formionem continuabantur: quorum regio dicebatur Histria. quod vocabulum etiam nunc incolis Italis durat; Germanis quoque *Iſterreich* dictum. In pleriſque equidem veterum auctorum exemplaribus ſine adſpiratione legitur Istri & Istria. verùm adſpirationem adſcripſiſſe priſcos Romanos, patet primùm ex antiquis aliquot lapidum inſcriptionibus; tum ex Eutychis apud Caſſiodorum in libro de Orthographiâ teſtimonio: ubi docet, cum adſpiratione ſcribenda eſſe hæc vocabula:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

bula: *Hiſpania, hiſpo, hiſpidus, hiſtoria, hiſtrio, Hiſter; ſeu proprium fluminis ſit, ſeu gentis vocabulum.* Huc adde Pompeii etiam Feſti teſtimonium: qui inter vocabula ab adſpiratione incipientia, *Hiſtriones*, inquit, *dicti, quòd primùm ex Hiſtriâ venerint.* Quamquàm hanc hiſtrionum originem haud agnoſcit Livius: qui lib. VII, *Sine carmine*, inquit, *ullo, ſine imitandorum carminum actu, ludiones ex Etruriâ acciti, ad tibicinis modos ſaltantes, haud indecoros motus more Tuſco dabant. vernaculis artificibus quia hiſter Tuſco verbo ludio vocabatur, nomen hiſtrionibus inditum.* Ipſa Hiſtrorum gens atque terra unde id nominis habuerint, complures oſtenderunt auctores. Paullus Diaconus Langobardicar. rer. lib. II cap. XIIII: *Hiſtria ab Hiſtro flumine cognominatur: quæ ſecundùm Romanam hiſtoriam amplior, quàm nunc eſt, fuiſſe perhibetur.* Nempe ad Timavum usque amnem; ut ſuprà cap. XVIIII oſtenſum eſt. Iſidorus Originum lib. XIIII cap. IIII: *Hiſtriam Hiſter amnis vocavit; qui eius terram influit. ipſe eſt Danubius.* Et longè antiquiſſimus auctor Scylax in Περίπλῳ interni maris: Μετὰ δὲ Ἐνετούς εἰσιν ἔθνος Ἴστροι, καὶ ποταμὸς Ἴστρος. οὗτος ὁ ποταμὸς καὶ εἰς τὸν Πόντον εἰσβάλλει. Id eſt: *Poſt Venetos Hiſtrorum eſt gens, & amnis Hiſter; qui in Pontum etiam effunditur.* Mela Pomponius lib. II cap. III: *Deinde Ceraunii montes. ab iis flexus in Hadriam. Hoc mare, magno ſeceſſu litorum acceptum, Illyricis usque Tergeſtum, cætera Gallicis Italicisque gentibus cingitur. Parthini & Daſſaretæ prima eius tenent: ſequentia paullatim Encheleæ, Phæaces. deinde ſunt, quos propriè Illyricos vocant. tum Pyræi, & Liburni, & Hiſtri. Vrbium prima eſt Oricum; ſecunda Dyrrachium. ultrà ſunt, Apollonia, Salona, Iadera, Narona, Tragurium, ſinus Polaticus, & Pola; quondam à Colchis, ut ferunt, habitata, nunc Romana colonia. Amnes autem Aeas & Nar, & Danubius, qui jam dictus eſt Hiſter. ſed Aeas ſecundùm Apolloniam, Nar inter Pyræos & Liburnos, per Hiſtros Hiſter emittitur.* Ingens ſanè heic latere arbitror mendum. etenim, quis ille Illyrici, propriè ſic Romanis dicti, ad Hadriaticum ſinum Danubius amnis? Certè nullus usquàm. Lego; *& alius à Danubio, qui jam dictus eſt, Hiſter.* Nam & Danubius Græcis dictus eſt *Hiſter*; ut ille alius per Hiſtros mare Hadriaticum petens fluvius. Danubium autem antè dixerat, cap. I eiusdem libri. De Hiſtriæ Hiſtro ſic iterum cap. IIII: *Padus, ab imis radicibus Veſuli montis exortus, parvis ſe primùm fontibus colligit, & aliquatenus exilis ac macer, mox aliis amnibus adeò augeſcit atque alitur, ut ſe per VII ad poſtremum oſtia effundat. unum de iis Magnum Padum adpellant.* [fortè rectiùs; *unum de iis, magnum, Paduſam adpellant.*] *inde tam citus proſilit, ut diſcuſſis fluctibus diu, qualem emiſit, undam agat, ſuumque etiam in mari alveum ſervet; donec eum ex adverſo litore Hiſtriæ eodem impetu profluens Hiſter amnis excipiat. hac re per ea loca navigantibus, quà utrimque amnes eunt, inter marinas aquas dulcium hauſtus eſt.* Plinius lib. III cap. XVIII: *Formio amnis; antiquus auctæ Italiæ terminus; nunc verò Hiſtriæ: quam cognominatam à flumine Hiſtro, in Hadriam effluente è Danubio amne; eidemque Hiſtro ex adverſo Padi fauceis* [*eſſe*;] *contrario eorum percuſſu mari interjecto dulceſcente; plerique dixêre falsò, & Nepos Cornelius etiam, Padi adcola. nullus enim ex Danubio amnis in mare Hadriaticum effunditur. Deceptos credo, quoniam Argo navis flumine in mare Hadriaticum deſcendit, non procul à Tergeſte. nec jam conſtat, quo flumine. Humeris travectam Alpeis, diligentiores tradunt. ſubiiſſe autem Hiſtro; dein Sao; dein Nauporto: cui nomen ex eâ causâ eſt, inter Aemonam Alpeisque exorienti.* Pompeii Trogi breviator Iuſtinus lib. XXXII: *Hiſtrorum gentem, fama eſt, originem à Colchis ducere; miſſos ab Aeetâ rege ad Argonautas raptoresque filiæ perſequendos. qui ut à Ponto intraverunt Hiſtrum, alveo Savi fluminis penitus invecti, veſtigia Argonautarum inſequentes, naveis ſuas humeris per juga montium usque ad litus Hadriatici maris tranſtulerunt; cognito, quòd Argonautæ idem, propter magnitudinem navis, priores feciſſent. quos ut avectos Colchi non reperiunt; ſive metu regis, ſive tædio longæ navigationis, juxta Aquileiam conſedêre; Hiſtrique ex vocabulo amnis, quò à mari conceſſerant, adpellati.* Rectiùs ſanè, *quo à mari receſſerant*: id eſt, quo amne à mari Pontico receſſerant. nam ad mare Hadriaticum acceſſerant; ubi Polam urbem condidiſſe feruntur. & ita ſive ex Iuſtino, ſive ex ipſo Trogo transſcripſit Iſidorus Origin. lib. VIIII cap. II. *Hiſtrorum*, inquit, *gens originem à locis* [lege, ut apud Iuſtinum, *à Colchis*] *ducit. qui miſſi ad Argonautas perſequendos, ut à Ponto intraverunt Hiſtrum fluvium; à vocabulo amnis, quo à mari receſſerant, adpellati ſunt.* Ergo non ab Hiſtriæ aliquo fluvio, ſed ab ipſo Danubio id nominis eos adſumpſiſſe, Trogus voluit. Plerique tamen auctores Hiſtriæ amnem intellexerunt.

HISTRIA unde dicta.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Præter jam dictos, ita Diodorus quoque tradit lib. IIII: Οὐ παραλειπτέον δ' ἡμῖν ἀνεξέλεγκτον τὴν ἱστορίαν τῶν ἀποφηναμένων τοὺς Ἀργοναύτας ἀνὰ τὸν Ἴστρον πλεύσαντας, μέχρι τῶν πηγῶν κατενεχθῆναι, διὰ τῆς ἀντιπροσώπου φύσεως πρὸς τὸν Ἀδριατικὸν κόλπον. τούτους γὰρ ὁ χρόνος ἤλεγξεν, ὑπολαβόντας τὸν ἐν τῷ Πόντῳ πλείοσι στόμασιν ἐξερευγόμενον Ἴστρον, καὶ τὸν εἰς τὸν Ἀδρίαν ἐκβάλλοντα, τὴν ῥύσιν ἔχειν ἀπὸ τῶν αὐτῶν τόπων. Ῥωμαίων γὰρ καταπολεμησάντων τὸ τῶν Ἴστρων ἔθνος, εὑρέθη τὰς πηγὰς ἔχων ὁ ποταμὸς ἀπὸ τετταράκοντα σταδίων τῆς θαλάττης. Ἀλλὰ γὰρ τοῖς συγγραφεῦσιν αἰτίαν τῆς πλάνης φασὶ γενέσθαι τὴν ὁμωνυμίαν τῶν ποταμῶν. Hoc eſt: *Non prætermittenda hoc loco eſt confutatio hiſtoriæ illorum, qui Argonautas per Hiſtrum ad fonteis ſubvectos, in Hadriaticum inde ſinum per occurrentem iſtic alveum intraſſe, memorant. Hos tempus convincit, falsò ſuſpicatos eſſe, Hiſtrum, qui pluribus oſtiis in Pontum effunditur, & alterum, qui in Hadriam defluit, ex iisdem locis initium fluxus ſumere. debellatâ enim à Romanis Hiſtrorum gente, fonteis eius amnis* XL *ſtadia à mari abeſſe, deprehenſum eſt. Sed enim communionem nominis hanc ſcriptoribus anſam errandi dediſſe aiunt.* At flumini, quo in Hadriam deſcenderit Argo navis, alii aliud tribuerunt auctores nomen. Sozomenus Hiſtoriæ eccleſiaſticæ lib. I cap. VI: Μαξεντίου γὰρ, τοῦ Ἑρκουλίου παιδὸς, ἀναιρεθέντος, καὶ τῆς αὐτοῦ μοίρας εἰς Κωνσταντῖνον μεταπεσούσης, ἀδεῶς ἐθρήσκευον ὅσοι τε περὶ τὸν Θύβριν ποταμὸν ᾤκουν, καὶ τὸν Ἠριδανὸν, ὃν Πάδον οἱ ἐπιχώριοι καλοῦσι, καὶ τὸν Ἄκυλιν· εἰς ὃν λόγος καθελκυσθῆναι τὴν Ἀργὼ, καὶ πρὸς τὸ Τυρρηναῖον διασωθῆναι πέλαγος. οἱ γὰρ Ἀργοναῦται τὸν Αἰήτην φεύγοντες, οὐ τὸν αὐτὸν πλοῦν ἐν τῇ ἐπανόδῳ ἐποιήσαντο· περαιωθέντες δὲ τὴν ὑπὲρ Σκύθας θάλασσαν, διὰ τῶν τῇδε ποταμῶν ἀφίκοντο εἰς Ἰταλῶν ὅρια, καὶ χειμάσαντες ἐνταῦθα, πόλιν ἔκτισαν, Αἵμονα προσαγορευομένην. τοῦ δὲ θέρους ἐπικαταλαβόντος, συμπραξάντων αὐτοῖς τῶν ἐπιχωρίων, ἀμφὶ τοὺς τετρακοσίους σταδίους ὑπὸ μηχανῆς ἕλκοντες τὴν Ἀργὼ διὰ γῆς ἐπὶ τὸν Ἄκυλιν ποταμὸν ἤγαγον, ὃς τῷ Ἠριδανῷ συμβάλλει· Ἠριδανὸς δὲ εἰς τὴν κατὰ Ἰταλοὺς θάλασσαν τὰς ἐκβολὰς ἔχει. Id eſt: *Maxentio, Herculii filio, interfecto, quum eius pars Conſtantino ceſſiſſet; jam liberè religionem coluêre omnes, qui vel circa Tiberim fluvium, vel circa Eridanum, quem incolæ Padum vocant, vel denique circa Aquilim habitabant: in quem Argo navim pertractam, in mare Tyrrhenum incolumem delatam eſſe tradunt. nam Argonautæ, Aeeten declinantes, non eumdem in reditu curſum tenuerunt. ſed transmiſſo mari, quod ſuper Scythas eſt, per flumina, quæ per illas parteis labuntur, ad Italorum pervenerunt fineis: atque ibi hiemantes, urbem condiderunt nomine Aemonam. ſequenti autem æſtate, operâ incolarum adjuti, Argo navim, quadringenta circiter ſtadia per terram machinâ quadam tractam, deduxerunt in Aquilim fluvium, qui in Eridanum influit: Eridanus autem in mare Italicum exit.* Eadem iſthæc Hermiæ Sozomeni Salaminii verba, in Latinum ſermonem verſa, refert Hiſtoria tripartita lib. I cap. VII; atque ex hac haud dubiè Freculfus Chronicorum tomo primo lib. II cap. XVI: niſi, quòd vulgatiſſimâ eius ſæculi imperitiâ Αἰήτην, *Aeeten*, quod Colchorum erat regis nomen proprium, interpretati ſunt *ventum validum*, qui Græcâ lingvâ dicebatur ἀήτης. Sed *fluvium* hunc AQVILIM, qui in nullâ aliâ neque hiſtoriâ neque geographiâ neque poëſi usquam legitur, niſi in iſtâ vetuſtiſſimâ de Argonautis fabulâ, fabuloſum magis magisque reddit documentum ex CCCC ſtadiis, id eſt, millibus paſſuum L, ſumptum. quidpe ab Hemonâ urbe, quam nunc in inferiori Carniolâ, VIII paſſuum millia à Savo amne, vulgò *Laubach* Germanis, Italis verò *Lubiana* adpellari, ſuprà cap. II oſtendi, minùs L millibus ad ipſum pervenitur Hadriaticum ſinum & Tergeſte opidum: ita, uti nullo amne poſt id intervallum opus habuiſſent Argonautæ. Hinc à Zoſimo in eâdem fabulâ trans Alpeis ponitur; inter has & Hemonam. Verba eius lib. V, in rebus ſub Honorio imperatore geſtis hæc leguntur: Στελίχων δὲ, ἀγγείλαντος αὐτῷ τινος, ὡς τὰς Ἠπείρους Ἀλάριχος καταλιπὼν, ὑπερβάς τε τὰ διείργοντα στενὰ τὴν ἐπὶ Οὐενετοὺς διάβασιν, τὰς σκηνὰς εἰς Ἥμωνα πόλιν ἐπήξατο, μεταξὺ Παιονίας τῆς ἀνωτάτω καὶ Νωρικοῦ κειμένην (ἄξιον δὲ μὴ παραδραμεῖν, ὅσα τῆς πόλεως ἐστὶ ταύτης, καὶ ὅπως τὴν ἀρχὴν ἔτυχεν οἰκισμοῦ. Τοὺς Ἀργοναύτας φασὶν ὑπὸ τοῦ Αἰήτου διωκομένους, ταῖς εἰς τὸν Πόντον ἐκβολαῖς τοῦ Ἴστρου προσορμισθῆναι, κρῖναί τε καλῶς ἔχειν διὰ τούτου πρὸς ἀντίον τὸν ῥοῦν ἀναχθῆναι καὶ μέχρι τοσούτου διαπλεῦσαι τὸν ποταμὸν εἰρεσίᾳ, καὶ πνεύματος ἐπιτηδείου φορᾷ, μέχρις ἂν τῇ θαλάσσῃ πλησιαίτεροι γένοιντο. πράξαντες δὲ ὅπερ ἔγνωσαν, ἐπειδὴ κατὰ τοῦτον ἐγένοντο τὸν τόπον, μνήμην καταλιπόντες τῆς σφετέρας ἀφίξεως,

AQVILIS *fluvius.*

ἀφίξεως, τὸν τῆς πόλεως οἰκισμὸν, μηχαναῖς ἐπιθέντες τὴν Ἀργὼ καὶ τετρακοσίων σταδίων ὁδὸν ἄχρι θαλάσσης ἑλκύσαντες, οὕτω τῶν Θεσσαλῶν ἀκταῖς προσωρμίσθησαν· ὡς ὁ ποιητὴς ἱστορεῖ Πίσανδρος. ἐκ δὲ τῆς Ἤμωνος προελθὼν, καὶ τὸν Ἄκυλιν περαιωθεὶς ποταμὸν, τῷ Νωρικῷ προσέβαλεν, ἤδη τῶν Ἀπεννίνων ὀρῶν ἔξω γενόμενος. ὁρίζει δὲ ταῦτα τὰς Παιονίας ἐσχατιὰς, στενοτάτην ὁδὸν διδόντα τοῖς ἐπὶ τὸ Νωρικὸν ἔθνος διαβαίνειν ἐθέλουσι, καὶ πρὸς ἣν ὀλίγοι φύλακες ἤρκουν, εἰ καὶ πλῆθος τὴν πάροδον ἐβιάζετο. Id eſt: *Ad Stilichonem verò quidam nuncium pertulit, Alarichum, relictis Epiris, & anguſtiis, quæ è Pannoniâ tranſitum ad Venetos impediunt, ſuperatis, apud Hemonam caſtra locaſſe; quæ urbs inter Pannoriam ſuperiorem & Noricum ſita eſt. Atque hoc loco par eſt, minimè ſilentio præterire, quæ ad urbem hanc pertinent, & quo modo condi ab initio cœperit. Aiunt Argonautas, quum eos Aeeta perſequeretur, ad Hiſtri adpuliſſe oſtia, quibus in Pontum ſeſe effundit: rectéque facturos ſe exiſtimaſſe, ſi adverſo flumine ſubveherentur, ac tantiſper in eo remigiis & ſecundi venti adjumento navigarent, donec ad mare propiùs acceſſiſſent. Quum igitur id conſilium fuiſſent exſequuti; jamque ad hunc locum perveniſſent; ipsâ ſtructurâ opidi in memoriam adventus ſui in iſtas oras relictâ, & Argo machinis impoſitâ, perque ſtadiorum* CCCC *ſpacium usque ad mare pertractâ, Theſſalorum litoribus adpulerunt; ſicuti Piſander poëta memoriæ prodidit. Hemonâ igitur hac progreſſus Alarichus, Aquili flumine trajecto, jamque ſuperatis Apenninis montibus, ad Noricum acceßit. Hi montes extremos Pannoniæ limites finiunt; & iis, qui ad Noricorum gentem transire volunt, arctiſſimam viam præbent: cui cuſtodiendæ præſidiarii pauci ſufficiunt; etiamſi magna multitudo vi perrumpere conetur.* Vt illi eccleſiaſtici ſcriptores ad deſignationem Chriſtianorum univerſam Italiam incolentium, ſic iſte Zoſimus ad deſcriptionem tranſitus Alarichi, Gothorum regis, è Pannoniâ in Italiam, ſatis ineptè & inconvenienter, atque invitâ, quod dicitur, Minervâ, *Aquilim fluvium* Argonautarumque fabulam introduxerunt. Theſſali autem apud Zoſimum intelligendi, qui Spinam & Ravennam condiderunt habitaruntque apud Padi oſtia urbeis; ut ſuprà cap. XVIII in Venetis de Spinâ docui; de Ravennâ autem infrà cap. XXVII in Lingonibus Boiisque Gallis patebit. Quodnam verò intelligat Zoſimus Noricum, per quod è Pannoniâ in Venetos, ſub quorum nomine tum Carni etiam atque Hiſtri comprehendebantur, profecturis tranſeundem ſit, planè me ignorare fateor. reliquos auctores omneis, qui de hoc Alarichi tranſitu meminerunt, è Pannoniâ in Italiam eum tranſiſſe, ſimpliciter tradere, ſcio. & ipſe poſteà eodem libro Zoſimus ex iſto ſuo Norico per Aquileiam, Concordiam, Altinum, ad Cremonam eum deducit & Padum flumen. Vereor itaque ego, uti imperitè Apenninos heic nominavit monteis, ubi Alpeis erant Iuliæ inter Hemonam & Aquileiam, ſic impropriè ac falsò eum Norici ſubjeciſſe nomen pro Carnorum, ſive, ut tum cenſebantur, Venetorum regione. Atque id ſaltem falſum eſſe concedatur, quòd ait Alarichum, ſuperatis anguſtiis, quæ tranſitum è Pannoniâ in Venetiam arcent, tandem apud Hemonam conſediſſe. quidpe hæc primùm erat tranſeunda, antequàm ad anguſtias, id eſt, Alpium Iuliarum tranſitum perveniretur; ut ſuprà ad Aquileiæ Frigidique amnis deſcriptionem patuit. Sed hunc errorem mox ipſe corrigit Zoſimus; ubi ait *ab Hemonâ progreſſum Alarichum, Aquili trajecto & ſuperatis Apenninis montibus, tandem in Noricum perveniſſe*. Toties igitur in hactenus dictis quum erraverit: *Aquilim* etiam amnem, quem alii intra Alpeis retulerunt, perperam ipſum ultra Alpeis nominaſſe, haud equidem dubitaverim. Verùm enimverò in dubio nihilo minùs manet, quinam ille fuerit *Aquilis*, quinam *Hiſter* amnis, quo Argonautæ in Hadriaticum mare deſcenderint. nec umquàm ſatis diſpici poterit, unum eumdemque amnem, an duos diverſos, ſub geminis hiſce nominibus intellexerint priſci mortales. Plinius prædicto lib. III cap. XVIII, *Argo navis*, inquit, *flumine in mare Hadriaticum deſcendit non procul Tergeſte. nec jam conſtat, quo flumine.* Martialis, ut ſuperiori capite oſtenſum, neſcio quos Græcos fabulatores ſequutus, Timavo deſcendiſſe opinatus eſt. quò ne quis Diodori *Hiſtrum* documento XL ſtadiorum, id eſt, millium paſſuum V, trahere conetur; certè primi Timavi fontes ad S. Cantianum XIIII millia ab oſtio eius abſunt; lacus autem Timavi vix tria millia, & poſtremi eius ſeptem fontes ad divum Ioannem Cherſicum mille tantùm. Nauporto fluvio Formionem amnem eſſe proximum, & VI millia paſſuum à Tergeſte in Hadriaticum mare effundi; eóque maximè probabile, hoc amne, ſi fabulis credere libet, Argonautas deſcendiſſe; ſuperiori capite dixi. at huic novum id Plinii tempore, ſub Tito Veſpaſiano fuiſſe nomen; quum XXXI II

circiter

circiter annis antè, Melæ tempeſtate, ſub Claudio imperatore foret *Hiſter*; minimè mihi fit credibile. Id verò mirum videtur, Plinium heic in Hiſtriâ Hiſtrum agnoſcere prorſus nullum velle. unde mihi etiam ſuſpicio, Romanos, quum gentem Hiſtrorum debellarent, fluminis equidem, quod Hiſtrum antiquæ Græcorum fabulæ eſſe voluerunt, inveniſſe fonteis: ipſum verò nomen *Hiſtri* non item. Haud equidem neſcius ſum, pleroſque noſtri ævi geographos Hiſtrum interpretari eum amnem, qui, mediam ſecans Hiſtriam, vulgò nunc adcolis vocatur *Quieto*: ſcilicet quia huius oſtio ex adverſo ſunt Padi fauces. Verùm ei fluvio non is eſt impetus, (ut qui per paludes trahitur) quem Hiſtro tribuit Mela: nec fontes eius v tantùm millia paſſuum à mari abſunt: quod vult Diodorus. ex quibus duobus argumentis facilè tandem conceſſerim, idem cum Martiali intellexiſſe flumen Diodorum, quod vero nomine dicebatur *Timavum*. ad cuius lacum Romani, quum Hiſtrorum gentem debellarent, caſtra poſuerunt v millia paſſuum à mari; ut teſtatur Livius, quem ſuperiori capite ad deſcriptionem Timavi citavimus. Atque ex huius fortè belli hiſtoriâ Hiſtrum ſuum deprompſit Diodorus. Huc adde quadringentûm ſtadiûm intervallum, quod ab Hemonâ, ſive, ut nunc vocatur, à Laubaco ad Timavi vii fonteis fermè convenit. Iam verò *Aquilis* fluvii nomen neſcio an non ab ineptiſſimis vaniſſimiſque Græcorum grammaticis fabularum compoſitoribus à propinquâ ſummæ claritatis urbe *Aquileiâ* confictum ſit: præſertim, quum iter ab Hemonâ in interiorem Italiam ferebat per eam urbem; ut ſuperiori capite didicimus. & *juxta Aquileiam conſediſſe Argonautas*, diſertè tradit ex Pompeio Trogo Iuſtinus, loco ſuprà ſcripto. Primi itaque & antiquiſſimi Græcorum fabulatores *Hiſtriam* cognominatam tradiderunt ab ipſius Danubii altero nomine, quod erat *Hiſtrum*: cuius amnis partem ſubterraneis meatibus in Timavi fonteis effundi crediderunt; ut ex ſuprà citatis auctoribus adparuit. quam eorum opinionem minùs mirabitur, cui conſtabit, eſſe hiſce in oris alia etiam flumina, quæ terras ſubeant; &, ubi per longa ſpacia meaverint, rurſus emergant: quædam etiam, ubi ſemel ſeſe abdiderint, haud ampliùs comparere. ibidemque aliquot in locis eſſe cava montium, qualia ſuperiori capite dixi, ſpacioſiſſima; in quibus aquarum magno cum impetu ruentium fremitus exaudiuntur: circa quæ lacus exſiſtit à proximo vico *Cirknitz* cognomentum habens, mirandæ ſanè naturæ. quidpe qui ſingulis ferè annis ſub finem autumni, aquis repentè ex abdito erumpentibus, magnamque vim piſcium advehentibus, omnem campum inundet: adpetente verò æſtate, aquis rurſus abdita petentibus, exareſcat; ita, ut quo in loco paullo antè piſcatus fueris, in eo ſementem ac meſſem facere, ſimulque, ſi libeat, venari queas. Scrobes autem ſunt, quibus aquæ evomuntur rurſumque abſorbentur, ita in ſaxeo ſolo natæ, uti humano opere exciſæ videantur. Lucii heic capiuntur, lacu exundante, qui duos cubitos longitudine excedant. unde certum documentum, gigni eos intra eas voragines & augeri; quum fieri nequeat, ut, dum foris ſtagnant aquæ, ad tantam magnitudinem perveniant. Sed id etiam cummaximè mirere; ex prædictis montium cavernis vivas evehi anates: quæ in locis ſubterraneis, quò auræ aditus non pateat, degere minimè poſſunt. Ingentia igitur heic ſtagna eſſe, oportet. Aquæ verò unde primam originem trahant, ignoro; niſi, quòd apud Plinium lib. viiii cap. xv hæc me legiſſe meminerim: *Intrantium Pontum piſcium ſoli non remeant trichiæ. ſed hi ſoli Hiſtrum amnem ſubeunt. ex eo ſubterraneis venis in Hadriaticum mare defluunt. itaque & illic deſcendentes, nec umquàm ſubeuntes è mari viſuntur*: Hæc, inquam, argumenta haud levia anſam præbuêre dictæ opinionis jam inde antiquiſſimis Græcorum ſcriptoribus. nam ipſe Ariſtoteles, à quo iſta habuit Plinius, non *ſubterraneis venis*, ſed aperto Hiſtri divergio trichias in Hadriam defluere tradidit. Verba eius Hiſtor. animal lib. viii cap. xiii hæc ſunt: οἱ δὲ τριχίαι μόνοι μὲν ἰχθύων εἰσπλέοντες μὲν τὸν Πόντον ἁλίσκονται, ἐκπλέοντες δ' οὐχ ὁρῶνται· ἀλλὰ ὅταν καὶ ληφθῇ τις περὶ Βυζάντιον, οἱ ἁλιεῖς τὰ δίκτυα περικαθαίρουσι, διὰ τὸ μὴ εἰωθέναι ἐκπλεῖν. αἴτιον δ', ὅτι οὗτοι μόνοι ἀναπλέουσιν εἰς τὸν Ἴστρον· εἶτα, ᾗ σχίζεται, καταπλέουσιν εἰς τὸν Ἀδρίαν. Hoc eſt: *Omnium piſcium ſoli trichiæ intrantes Pontum capiuntur, exeuntes numquàm conſpiciuntur. & ſi quis eorum apud Byzantium aliquando capiatur; piſcatores retia luſtrant; quia exire minimè conſueverunt. Cauſa eſt, quòd hi ſoli ſubeunt Hiſtrum; ac mox, ubi flumen finditur, defluunt in Hadriam.* Et notum fuiſſe prædictum lacum priſcis mortalibus, patet ex Strabonis lib. vii: ubi ita ſcriptum: ὁμοίως δὲ καὶ ἐκ Τεργέστης, κώμης Καρνικῆς, ὑπέρθεσίς ἐστι διὰ τῆς Ὄκρας εἰς ἕλος Λούγεον καλούμενον. Id eſt: *Similiter*

[illegible]er *à Tergeſte quoque, vico Carnico, transitus per Ocram eſt ad Lugéam paludem*. Lacum Circonicenſem heic intelligi, nemo hactenus dubitavit.

Cæterùm mox alii Græcorum perantiqui ſcriptores non per ſubterraneos meatus; ſed per apertum divergium partem magni Hiſtri in Hadriaticum ſinum effundi tradiderunt; ut ſuprà ex Ariſtotele, Scylace, Plinio, Iſidoro, intellectum. Hinc & Euſtathius in Commentariis ad Homeri Odyſſ. lib. XII: Ἕτεροι δέ φασιν, ὅτι τῷ Ἴστρῳ τὴν Ἀργὼ ἐκ τοῦ Εὐξείνου προσχόντες οἱ Ἀργοναῦται, καὶ διὰ ποταμοῦ ἑτέρου, ἢ καὶ διά τινος ἀποσπάδος τοῦ μεγάλου Ἴστρου τῷ Ἀδριακῷ κόλπῳ ἐμβαλόντες, εἶτα πρὸς τὰ ἑσπέρια κάμψαντες, εἰς τὸν Σικελικὸν πορθμὸν διεξέπεσον. Hoc eſt: *Alii tradunt, Argonautas per Hiſtrum Argo navi ex Ponto Euxino ſubvectâ, & inde per alium amnem, vel etiam per quoddam magni Hiſtri divortium Hadriam ingreſſos, mox in Solis occaſum converſos, tandem in fretum Siculum incidiſſe*. Strabo lib. I: Τινὲς δὲ καὶ τὸν Ἴστρον ἀναπλεῦσαί φασι μέχρι πολλοῦ σὺν τοῖς περὶ τὸν Ἰάσονα· οἱ δὲ καὶ μέχρι τοῦ Ἀδρίου· οἱ μὲν κατ' ἄγνοιαν τῶν τόπων· οἱ δὲ καὶ ποταμὸν Ἴστρον, ἐκ τοῦ μεγάλου Ἴστρου τὴν ἀρχὴν ἔχοντα, ἐκβάλλειν εἰς τὸν Ἀδρίαν φασίν. Id eſt: *Quidam etiam bonam Hiſtri partem adverſo flumine ſubvectum Iaſonem cum ſuis, tradunt: nonnulli usque in Hadriam; ignoratione ſcilicet locorum decepti. alii etiam Hiſtrum quemdam fluvium, ex magno Hiſtro ortum, in Hadriam influere aiunt*. Et eodem libro poſteà: Τούτοις δ' ἐπιφέρει ὁ Ἵππαρχος, διότι καὶ ὁ Πόντος τῷ Ἀδρίᾳ σύρρους ἂν ὑπῆρξε κατά τινας **τόπους**, ἅτε δὴ τοῦ Ἴστρου ἀπὸ τῶν κατὰ τὸν Πόντον σχιζομένου, καὶ ῥέοντος εἰς ἑκατέραν τὴν θάλατταν. Ἀλλ' οὔτ' ἀπὸ τῶν κατὰ τὸν Πόντον μερῶν ὁ Ἴστρος τὰς ἀρχὰς ἔχει, ἀλλὰ τἀναντία ἀπὸ τῶν ὑπὲρ τοῦ Ἀδρίου ὀρῶν· οὔτ' εἰς ἑκατέραν τὴν θάλατταν ῥεῖ, ἀλλ' εἰς τὸν Πόντον μόνον· σχίζεταί τε πρὸς αὐτοῖς μόνον τοῖς στόμασι. Κοινὴν δέ τινα τῶν πρὸ αὐτοῦ τισιν ἄγνοιαν ταύτην ἠγνόηκεν, ὑπολαβοῦσιν εἶναί τινα ὁμώνυμον τῷ Ἴστρῳ ποταμόν, ἐκβάλλοντα εἰς τὸν Ἀδρίαν, ἀπεσχισμένον αὐτοῦ· ἀφ' οὗ καὶ τὸ γένος Ἴστρων, δι' οὗ φέρεται, λαβεῖν τὴν προσηγορίαν· καὶ τὸν Ἰάσονα ταύτῃ ποιήσασθαι τὴν ἐκ τῶν Κόλχων ἀνάπλουν. Hoc eſt: *His addit & illud Hipparchus, quòd Pontus quoque cum Hadriâ debuiſſet quibusdam locis confluere; quandoquidem Hiſter à Ponticis oris bifariam divisus, in utrumque mare effluat. At verò neque è Ponticis oris oritur Hiſter; ſed contrà, è montibus ſupra Hadriam ſitis: neque in utrumque exit mare; ſed in ſolum Pontum; ad cuius oſtia tantùm finditur. Verùm enimverò communis hic ei cum nonnullis ætate eius prioribus eſt error; qui crediderunt, eſſe quemdam amnem Hiſtro cognominem, qui in Hadriam exeat, ab illo divulſus: ab eoque denominatam eſſe gentem Hiſtrorum, per quos defluit: & Iaſonem item è Colchis in hunc ſubvectum fuiſſe*. Sed de falſo Hiſtriæ flumine *Hiſtro*, à quo regionem dictam voluerunt Græci, ſatis hactenus diſſertum eſt. Non à regione gentem, ſed à gente regionem nomen accepiſſe, quemadmodùm à *Venetis*, *Rhætis*, *Liguribus*, *Etruſcis*, *Vmbris*, *Campanis*, *Lucanis*, *Apulis*, *Calabris*, dictæ fuêre *Venetia*, *Rhætia*, *Liguria*, *Etruria*, *Vmbria*, *Campania*, *Lucania*, *Apulia*, *Calabria*; haud dubium eſt. gens verò unde ſic adpellata, incertum.

De genere eius ſuprà ex Trogo Pompeio referentem audivimus Iuſtinum; *originem eos ducere à Colchis, qui miſſi erant ab rege Aeetâ ad Argonautas raptoresque filiæ perſequendos*. Verùm idem heic accidiſſe arbitror, quod in Venetis. à quibus Antenor cum multitudine Troianâ receptus, quum urbem Patavium inibi condidiſſet; ſeu veriùs auxiſſet tantùm novâ coloniâ; omnem Venetorum gentem ab excisâ Troiâ huc deductam eſſe tradiderunt quidam Græcorum. Ad eumdem igitur modum quum à Colchis, Argonautas perſequentibus, Pola urbs, quod complures tradunt auctores, in Hiſtriâ condita fuiſſet; quidam ipſam univerſam Hiſtrorum gentem à Colchis originem duxiſſe dixerunt. Nec tamen illud minùs miror, quod *Thraces* eos faciat Marcianus Heracleenſis in Περιηγήσει, hoc verſu:

Ἑνετῶν ἔχονται Θρᾷκες, Ἴστριοι λεγόμενοι.

Venetis contermini ſunt Thraces, Hiſtrii dicti.

Id, inquam, miror: quum Thraces longiùs hinc disſiti fuerint, inter Macedoniam & Mœſiam Pontum Euxinum attingentes; nec Hiſtro quidem, ubi Hiſtriani fuêre populi, contermini. Quum Illyricis adnumerati fuerint ab initio gentibus, ut ſuprà cap. II & cap. XVIIII patuit; Celtici fuiſſe generis, certum eſt. Hinc etiam de conterminis eorum Iapydibus ita Stephani breviator: Ἰάπυδες, ἔθνος Κελτικὸν πρὸς τῇ Ἰλλυρίᾳ· Διονύσιος ἑκκαιδεκάτῳ. Id eſt: *Iapydes, gens Celtica apud Illyricum; auctore Dionyſio lib*. XVI.

Cæterùm termini Hiſtriæ fuêre, ut ſuprà dictis modo capitibus oſtenſum eſt, ab ortu Arſia amnis, Italiæ finis; quà Iapidibus jungebantur. ab ſeptemtrionibus Alpium juga; quæ heic jam Albia vocabantur, ab iisdem Iapidibus habitata. ab occaſu, primùm ab Venetis Timavo flumine, mox à Carnis Formione ſubmovebantur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

De figurâ eius ita tradit Plinius lib. III cap. XVIIII: *Hiſtria ut peninſula excurrit. Latitudinem eius* XL *millium paſſuum, circuitum verò* CXXII *prodidêre quidam*. Iſthmus eius eſt inter Arſiæ fontem & proximam Formionis ripam. At Strabo lib. VII, Ὁ δὲ πᾶς, inquit, Ἰστρικὸς παράπλους χιλίων σταδίων. id eſt: *Tota Hiſtriæ ora ſtadiorum eſt* CIƆCCC. Id eſt millium CLXII cum paſſibus IƆ. Sed de omnis Hiſtriæ circuitu id accepiſſe Strabonem exiſtimo; qui tot ferè eſt millium. unde apud Plinium etiam ſcriptum fuiſſe ſuſpicor CLXII: utique, quum paullo pòſt dicat; *Polam à Tergeſte abeſſe* C *millia paſſuum.*

Felicitatem ſoli ita deprædicat Theodericus, Gothorum rex, apud Caſſiodorum Variar. lib. XII epiſt. XXII; quæ *Provincialibus Hiſtriæ Senator præf. præt.* inſcribitur: *Commeantium atteſtatione didicimus, Hiſtriam provinciam, matribus egregiis fructibus ſub laude nominatam, divino munere gravidam, vini, olei, vel tritici præſenti anno fecunditate gratulari*. Et haud multo pòſt: *Eſt enim proxima vobis regio, ſupra ſinum maris Ionii conſtituta, olivis referta, ſegetibus ornata, vite copioſa. ubi quaſi tribus uberibus, egregiâ largitate largitis, omnis fructus optabili fecunditate profluxit. quæ non immeritò dicitur Ravennæ Campania; urbis regiæ cella penaria; voluptuoſa nimis & delicioſa digreſſio. fruitur, in ſeptemtriones progreſſa, cæli admirandâ temperie*. Oleum eius Martiali quoque celebratur lib. XII epigr. LXIIII:

Vncto Corduba lætior Venafro;
Hiſtrâ nec minùs abſoluta teſtâ.

Opida eius recenſentur pleraque Plinio ac Ptolemæo. quorum heic Ἰστρίας, inquit, Τέργεστον κολώνια, Φορμίωνος ποταμοῦ ἐκβολαί, Παρέντιον, Πόλα, Νέσακτον, τέλος Ἰταλίας· πόλεις δὲ μεσόγειοι, Πούκινον, Πικούεντον, Ἄλουον. Id eſt: *Hiſtriæ; Tergeſtum colonia, Formionis amnis oſtium, Parentium, Pola, Neſactum, finis Italiæ. mediterranea verò opida, Pucinum, Piquentum, Alvum*. Antiquum Venetiæ Hiſtriæque reſpexit terminum, Timavum amnem, vetuſtiſſima noviſſimis permiſcens; ut ſuprà cap. XVIIII dixi. *Alvum* autem per ſummum errorem poſt Neſactum poſuit in tabulâ; quum nullum eo nomine heic fuerit opidum, niſi quod poſt Arſiam ſtatim, Italiæ finem, hodiéque dicitur *Alvona*. quod & ipſe cum aliis auctoribus extra Italiam Liburniæ adſcripſit his verbis: Μετὰ τὴν Ἰστρίαν τῆς Ἰταλίας ἑξῆς Λιβουρνίας τῆς Ἰλλυρίδος παράλιος, Ἀλουῶνα, Φλανῶνα, Ταρσάτικα. Id eſt: *Poſt Hiſtriam, Italiæ regionem, ſequitur Liburniæ Illyrici regionis ora: Alvona, Flanona, Tarſatica*. Quæ cuncta trans Arſiam etiam nunc nomina antiqua retinent, *Albona, Fianona, Terſatz*, dicta. Igitur rectiùs Plinius, dicto proximè loco: *Opida Hiſtriæ; civium Romanorum Aegida, Parentium, colonia Pola; quæ nunc Pietas Iulia; quondam à Colchis condita: abeſt à Tergeſte* C *millia paſſuum. mox opidum Neſactium; &, nunc finis Italiæ, fluvius Arſia.*

AEGIDA *opidum; quod poſteà* IVSTINOPOLIS

Ex his AEGIDA, *opidum civium Romanorum*, uni memoratur Plinio. unde mihi conjectura, haud magni id fuiſſe momenti. Certè ſi aliquo fuiſſet numero; ſaltem itinerariis inſertum oportuit. Id nunc eſſe opidum, quod, Formioni amni proximum, vulgò dicitur Italis incolis *Cabo* ſeu *Cavo d'Iſtria*, Germanis *Gafers*, in inſulâ poſitum, inſcriptio huius loci antiqua docet, quæ talis eſt:

D · N · CAESAR · IVSTINVS · P · SAL · PIVS
FELIX · VICTOR · AC · TRIVMPHATOR
SEMPER · AVGVST · PONT · MAX · FRANC
MAX · GOTH · MAX · VANDALIC · MAX
COS · III · TRIB · VIII · IMP · V
CONSPICVAM . HANC · AEGIDIS · INSVLAM
INTIMA · ADRIATICI · MARIS
COMMODISS · INTERIECTAM · VENERAN
DAE · PALLADIS · SACRARIVM · QVONDAM
ET · COLCHIDVM ARGONAVTARVM
PERSECVTORVM · QVIETEM · OB
GLORIAM · PROPAGANDAM · IMP
S · C · IN · VRBEM · SVI · NOMINIS · EXCEL
LENTISS · NVNCVPANDAM · HONESTISS
P · P · P · DESIGNAVIT · FVNDAVIT
C · R · P · Q · ET · GENTE · HONES
TISS · REFERTAM

AEGIDIS *inſula*.

Hinc IVSTINOPOLIS putatur dicta fuiſſe, quæ anteà erat AEGIDA. Hoc nomen à Palla-

â Palladis ſcuto, quod propriè *Aegis* dicebatur, ei quæſitum fuiſſe judicavit Iuſtini Imperatoris, Iuſtiniani filii, ævum. Sed præſcripti lapidis teſtimonio locus, in quo opidum conditum, AEGIDIS INSVLA vocabatur.

PARENTIVM *opidum cum portu.*

PARENTIVM, Plinio, Ptolemæo, duobus Itinerariis, & Stephani epitomatori memoratum, hodiè nomen retinet, vulgò *Parenzo* incolis dictum. Stephani epitomator: Παρέντιον, πόλις καὶ λιμὴν, πλησίον Ἰστρίας. τὸ ἐθνικὸν Παρεντῖνος. Id eſt: *Parentium, opidum cum portu, prope Hiſtriam. Gentilitium inde Parentinus.* Non equidem propè; ſed in ipſo medio eius litore. proinde miror, unde id vocabuli ille habuerit; aut quid eo voluerit: ſuſpicorque aliquid interiiſſe. Opidani ab eo opido Paullo quoque Diacono Langobard. rer. lib. III cap. XXVI PARENTINI. ubi *Ioannes & Severus* memorantur *epiſcopi Parentini*. Cæterùm PORTVS heic hodiéque celebris eſt.

NINGVM *opidum*

Inter Tergeſte & Parentium Antonino eſt NINGVM, his utrimque intervallis:

Tergeſte
Ningum XXVIII.
Parentio XVIII.

Ex itineris ductu & intervallis id opidum eſſe conjecerim, quod, in inſulâ poſitum, vulgò nunc incolis vocatur *Humago*. Illud apud Antoninum vocabulum an ſatis ſit probum ac ſine vitio, incertum eſt.

POLA *urbs; qua & PIETAS IVLIA colonia.*

POLA, urbs harum orarum vetuſtiſſima, nomen integrum nunc etiam ſervat. Memoratur Lycophroni, Hygino, Straboni, Melæ, Plinio, Ptolemæo, Ammiano Marcellino, Stephano, Itinerariis, & Inſcriptionibus antiquis. *A Colchis quondam habitatam* fuiſſe, tradit Mela lib. II cap. IIII. Plinius verò, loco proximè citato, ab iisdem quondam conditam teſtatur. qua de re ita Strabo lib. V: Κτίσμα δ᾽ ἐστὶν ἀρχαῖον Κόλχων, ἐπὶ τὴν Μήδειαν ἐκπεμφθέντων, διαμαρτόντων δὲ τῆς πράξεως, καὶ καταγνόντων ἑαυτῶν φυγὴν, ——— Τὸ μὲν φυγάδων τις ἐνίσποι

Γραικός· (ὡς Καλλίμαχος εἴρηκεν) ἀτὰρ κείνων γλῶσσ᾽ ὀνόμηνε Πόλας.

Id eſt: *Opus eſt antiquum Colchorum, ad Medéam inſequendam miſſorum: qui, re infectâ, exſilium ſibi indixerant. quod exſulum opidum dixerit Græcus (ut inquit Callimachus:) illi linguâ ſuâ Polas dixêre.* Sic & Lycophroni eſt αἱ Πόλαι, POLAE, in his verſibus:

Κρᾶθις δὲ γείτων, ἠδὲ Μυλάκων ὅροις
Χῶρος, συνοίκους δέξεται Κόλχων Πόλαις,
Μαστῆρας οὓς θυγατρὸς ἔστειλεν βαρὺς
Αἴας Κορίνθου τ᾽ ἀρχὸς, Εἰδυίας πόσις,
Τὴν νυμφαγωγὸν ἐκκυνηγετῶν τρόπιν,
Οἳ πρὸς βαθεῖ νάσσονται Διζήρου πόρῳ.

Id eſt:

Crathis verò vicinus & Mylacum finibus
Ager accolas excipiet Colchorum Polis;
Quos filiæ miſit inquiſitores durus
Aeæ Corinthique princeps, Idyæ maritus,
Sponſiferam inveſtigans navem:
Qui juxta profundum Dizeri fluentum habitarunt.

Ad hæc ita commentator poëtæ Iſacius Tzetza: Πόλαι, πόλεις εἰσὶν Ἠπείρου ὑπὸ Κόλχων κτισθεῖσαι, τῶν καταδιωξάντων τὴν Μήδειαν, καὶ μὴ καταλαβόντων αὐτὴν, καὶ διὰ φόβον Αἰήτου ἐνταῦθα κατοικησάντων, καὶ κτισάντων τὴν πόλιν, ἥτις Κολχίδι φωνῇ Πόλαι καλεῖται. τὸ δὲ πόλαι Κολχικῶς φυγάδας σημαίνει, ὥς φησι Καλλίμαχος. * — *. Διζηρὸς ποταμὸς πλησίον Πολῶν πόλεως τῆς ὑπὸ Κόλχων κτισθείσης. Id eſt: *Polæ, urbes ſunt Epiri à Colchis conditæ, qui Medéam perſequuti, non verò adſequuti erant, & ob metum Aeetæ ſedeis heic fixerunt, urbem condentes, quæ Colchicâ linguâ Polæ vocatur. nam polæ Colchicè exſules ſignificat; ut auctor eſt Callimachus.* Aliquanto pòſt: *Dizerus fluvius eſt prope Polas urbem, à Colchis conditam.* Puto ineptè atque inſcitè ſimul *urbeis* ſimul *urbem* adpellari heic *Polas*; ſi ita ipſe ſcripſerit Tzetza. Nec illud arbitror ſatis rectè, quòd *Dizerum fluvium* ait eſſe *prope Polas*: circa quam nullus eſt propinquus amnis. Callimachi ex carmine plura refert Strabo lib. I in hæc verba:

Οἱ μὲν ἐπ᾽ Ἰλλυρικοῖο πόρου σχάσσαντες ἐρετμὰ
Λᾶα, παρὰ ξανθῆς Ἁρμονίης ὄφιος
Ἄστυρον ἐκτίσσαντο, τὸ μὲν φυγάδων τις ἐνίσποι
Γραικὸς, ἀτὰρ κείνων γλῶσσ᾽ ὀνόμηνε Πόλας:

Hoc eſt:

Illi quidem in Illyrici freti ſiſtentes remos
Saxeo portu, apud flavæ Harmoniæ ſerpentem
Aſtyron condiderunt. quod exſulum quidam ita dixit
Græcus. at illorum lingua nuncupavit Polas.

Ex his Callimachi ſimulque ex præſcriptis Lycophronis verbis Tzetza ſuſpicatus eſt, Dizerum flumen eſſe prope Polas in Hiſtriâ. At ubi locorum fuerit, ex Apollonii maximè Ἀργοναυτικῶν lib. IIII patet; ubi ita canit:

Κόλχοι δ' ὁππότ' ὄλεθρον ἐπεφράσθησαν ἄνακτος,
Ἤτοι μὲν δίζεσθαι ἐπέχραον ἔνδοθι πάσης
Ἀργὼ καὶ Μινύας Κρονίης ἁλός· ἀλλ' ἀπέρυκεν
Ἥρη σμερδαλέῃσι κατ' αἰθέρος ἀστεροπῇσιν
Ὕστατον. Αὐτοὶ δ' αὖτε Κυταΐδος ἤθεα γαίης
Στύξαν, ἀτυζόμενοι χόλον ἄγριον Αἰήταο·
Ἔμπεδα δ' ἄλλυδις ἄλλοι ἐφορμηθέντες ἔνασθεν.
Οἱ μὲν ἐπ' αὐτάων νήσων ἔβαν, ᾗσιν ἐπέσχον
Ἥρωες· ναίουσι δ' ἐπώνυμοι Ἀψύρτοιο.
Οἱ δ' ἄρ' ἐπ' Ἰλλυρικοῖο μελαμβαθέος ποταμοῖο,
Τύμβος ἵν' Ἁρμονίης Καδμοιό τε πύργον ἔδειμαν,
Ἀνδράσιν Ἐγχελέεσσιν ἐφέστιοι· οἱ δ' ἐν ὄρεσσιν
Ἐνναίουσιν ἅπερ τε Κεραύνια κικλήσκονται.

Hoc eſt:

Colchi, ubi cædem animadverterunt regis;
Quærere quidem ſtatuebant per omne
Argo navim & Minyas Cronium mare. ſed inhibuit
Eos Iuno terribilibus de cœlo fulguribus
Tandem. Ipſi verò in Cytæidem reverti terram
Non audebant; atrocem formidantes iram Aeetæ.
Sed alii aliò adpulſi, ſedeis poſuerunt.
Quidam in ipſas inſulas egreſſi ſunt, in queis fuerant
Heroes: easque incolunt, Abſyrti de nomine dicti.
Alii verò apud Illyricum ſummæ profunditatis flumen conſederunt:
Tumulum ubi Harmoniæ Cadmique turrim exſtruxerunt,
Viris Encheleis contubernales. Alii montes
Incolunt, qui Ceraunii adpellantur.

Ad hæc ita ſcholiaſtes poëtæ: Οἱ Κόλχοι ἀφορμηθέντες τῆς Ἀργοῦς, οὐκ ἐπανῆλθον, φοβούμενοι τὸν Αἰήτην· ἀλλ' οἱ μὲν αὐτῶν ᾤκησαν ὅπου ὁ Ἄψυρτος ἐδολοφονήθη, μετὰ τῶν κληθέντων ἀπ' αὐτοῦ Ἀψυρτέων· οἱ δὲ ἐν Ἰλλυρίᾳ, ὅπου οἱ Ἐγχέλυες, περὶ τὰ Κεραύνια ὄρη. Id eſt: *Colchi ab Argonautis diſcedentes, in patriam terram non redierunt; Aeetam metuentes. ſed quidam eorum ſedeis poſuerunt, ubi Abſyrtus dolo interiit, apud eos qui inde adpellati ſunt Abſyrtenſes. alii verò in Illyrico; ubi ſunt Enchelyes, apud Ceraunios monteis.* Sic & Mela lib. II cap. III: *Deinde Ceraunii montes. ab iis flexus in Hadriam. Hoc mare Illyricis usque Tergeſtum, cætera Gallicis Italicisque gentibus cingitur. Parthini & Daſſaretæ prima eius tenent: ſequentia paullatim Encheleæ, Phæaces. deinde ſunt quos propriè Illyrios vocant. tum Pyræi, & Liburni, & Hiſtri.* Sic item Strabo lib. VII; poſtquàm de Epirotis dixit: Ἀναμέμικται δὲ τούτοις τὰ Ἰλλυρικὰ ἔθνη. τῆς γὰρ Ἐπιδάμνου καὶ τῆς Ἀπολλωνίας, μέχρι τῶν Κεραυνίων ὑπεροικοῦσι Βυλλίονές τε καὶ Ταυλάντιοι καὶ Παρθῖνοι καὶ Βρύγοι· πλησίον δὲ καὶ Περισάδιες συνεστήσαντο τὴν δυναστείαν, καὶ Ἐγχελίους καὶ Σεσαρασίους καλοῦσιν· ὧν ἐν τοῖς Ἐγχελίοις οἱ Κάδμου καὶ Ἁρμονίας ἀπόγονοι ἦρχον, καὶ τὰ μυθευόμενα περὶ αὐτῶν ἐκεῖ δείκνυται. Hoc eſt: *His porrò admixtæ ſunt Illyricæ gentes. quippe ſupra Epidamnum & Apolloniam, usque ad Ceraunios monteis habitant Bulliones, Taulantii, Parthini, Brygi: propeque hos Periſadies ſuam conſtituerunt ditionem in populis, quos Enchelios vocant & Seſaraſios. de quibus Encheliі regebantur à Cadmi & Harmoniæ poſteris. ibique ea monſtrantur, quæ de iis fabulæ prodiderunt.* Longè igitur ab Hiſtriâ & Polâ urbe remotum fuit *Dizerum flumen* in Encheleis, apud Ceraunios monteis; qui à dextrâ fauceis Hadriaci maris claudunt. Pola autem (ſi fabulis iſtis fides habenda) ab eâ Colchorum parte annis amplius CIↃCCXX ante natum Ieſum condita fuit, quæ *Abſyrtum* occupavit inſulam, propè ſitam; de qua mox

[illegible] ſupra dicemus. *Coloniam* poſteà factam *Romanorum*, auctores ſunt Mela & Plinius, locis ſuprà citatis. quorum huic PIETAS IVLIA cognominatur. quod cognomentum haud dubiè accepit unà cum coloniâ. Coloni atque opidani inde dicti fuerunt POLENSES; teſte inſcriptione antiquâ huius loci, in qua memoratur *Sergius Polenſis paraſitus*. De ſitu urbis ita tradit Strabo prædicto lib. v: Ἡ δὲ Πόλα ἵδρυται ἐν κόλπῳ λιμενοειδεῖ, νησίδια ἔχοντι εὔορμα καὶ εὔκαρπα. Id eſt: *Sita eſt Pola in ſinu portuoſo, exiguas continente inſulas, ſubducendis navibus opportunas atque frugiferas*. De nomine earum mox dicemus.

POLATICVM promontorium.

Cæterò PROMONTORIVM POLATICVM memoratur Stephani epitomatori his verbis: Πόλα, πόλις Ἰλλυρίας· καὶ ἀκρωτήριον Πολατικόν. Id eſt: *Pola, urbs Illyrici: & promontorium Polaticum*. Sed & Strabo lib. VII eius meminit. Ἔφαμεν δὲ, inquit, ἐν τῇ περιοδείᾳ τῆς Ἰταλίας Ἴστρους εἶναι πρώτους τῆς Ἰλλυρικῆς παραλίας συνεχεῖς τῇ Ἰταλίᾳ καὶ τοῖς Κάρνοις· καὶ διότι μέχρι Πόλας Ἰστρικῆς πόλεως προήγαγον οἱ νῦν ἡγεμόνες τοὺς τῆς Ἰταλίας ὅρους. οὗτοι μὲν οὖν περὶ ὀκτακοσίους σταδίους εἰσὶν ἀπὸ τοῦ μυχοῦ. τοσοῦτοι δ᾽ εἰσὶ καὶ ἀπὸ τῆς ἄκρας τῆς πρὸ τῆς Πόλας ἐπὶ Ἀγκῶνα, ἐν δεξιᾷ ἔχουσι τὴν Ἐνετικήν. Id eſt: *Diximus in Italiæ deſcriptione, primos in Illyrici orâ eſſe Hiſtros, conterminos Italiæ & Carnis: principeſque noſtros hodiè Italiæ fineis ad Polam usque, Hiſtricam urbem, protuliſſe. Hi igitur fines circiter* IↃCCC *ſtadia ab intimo ſinus receſſu abſunt. totidemque ſtadia ſunt à promontorio, quod eſt ante Polam, ad Anconam usque, Venetico agro ad dextram relicto*. Patet ex his, id eum intelligere promontorium, quod, quàm longiſſimè in mare verſùs Anconitana litora excurrens, vulgò nunc vocatur *Punta di Promontore*.

NESACTIVM opidum.

Vltra Polaticum promontorium, ultimum Hiſtriæ fuit in litore NESACTIVM *opidum*: quod apud Livium lib. XLI corruptum vocabulum habere puto *Neſatium*. rectiùs ſanè apud Ptolemæum idem formatur Νέσακτον, NESACTVM. Plinius dicto lib. III cap. XVIIII: *Parentium; colonia Pola: mox opidum Neſactium; &, nunc finis Italiæ, fluvius Arſia*. Ptolemæus: Παρέντιον, Πόλα, Νέσακτον, τέλος Ἰταλίας. *Parentium, Pola, Neſactum, finis Italiæ*. Quia Plinius Arſiam facit finem Italiæ, Ptolemæus verò Neſactum opidum; haud obſcuro documento inde colligitur, fuiſſe id opidum in ripâ dicti fluvii dextrâ. Sed diſertiſſimis idem teſtatur verbis Livius dicto lib. XLI. *Paucis*, inquit, *antè diebus Iunius Manliusque opidum Neſatium, quo ſe principes Hiſtrorum & regulus ipſe Aepulo receperat, ſummâ vi opugnant. Eò Claudius duabus legionibus novis adductis, vetere exercitu cum ſuis ducibus dimiſſo, ipſe opidum circumſedit, & vineis oppugnare intendit; amnemque præterfluentem mœnia, qui & impedimento oppugnantibus erat, & aquationem Hiſtris præbebat, multorum dierum opere exceptum novo alveo avertit. Ea res barbaros miraculo tenuit abſciſſæ aquæ. & ne tum quidem memores pacis, in cædem conjugum ac liberorum verſi, etiam ut ſpectaculo hoſtibus tam fœdum facinus eſſet, palam in muris trucidatos præcipitabant. Inter ſimul complorationem feminarum puerorumque, ſimul nefandam cædem, milites, transgreſſi murum, opidum intrarunt. cuius capti tumultum ut ex pavido clamore fugientium accepit rex, trajecit ferro pectus, ne vivus caperetur. cæteri capti, aut occiſi. Duo deinde opida, Mutila & Faveria, vi capta & deleta.* MVTILA & FAVERIA opida. *Hiſtria tota trium opidorum excidio & morte regis pacata eſt*. Patet ex his quàm dilucidiſſimè, fuiſſe *Neſactium* in noviſſimo Italiæ fine, id eſt, ad oſtium Arſiæ fluminis, dextrâ ripâ; quà nunc *Caſtel Nuovo* conſpicitur opidum. Reſtitutum poſt excidium hoc fuiſſe, ex Plinii Ptolemæique liquet geographiâ. Idem reliquis duobus opidis MVTILAE & FAVERIAE eveniſſe, facilè ſuſpicer. Quibus locis fuerint, planè ignoro; niſi opidum *Medolino Mutilæ*, *Peara* verò in mediterraneis apud Arſiam *Faveriæ* vocabula etiam nunc ferre credas. Et habet Tabula itineraria figuram celebrioris opidi ſine nomine in hoc litore inter Polam & Arſiam, à Polâ V, ab Arſiâ VIII millibus paſſuum ſignatis.

ARSIA amnis.

Ipſe hinc ARSIA *fluvius*, vulgò nunc *Arſa* dictus, uni memoratur Plinio, lib. III cap. V, XVIIII, & XXI: quæ loca ſuprà cap. II in deſcriptione univerſæ Italiæ finium cuncta citavi.

PIQVENTVM opidum.

In mediterraneis Πικουεντον, PICVENTVM, ſive PIQVENTVM *opidum*, uni Ptolemæo memoratum, hodiéque nomen antiquum ſervat, apud Quietum amnem, vulgò *Piguento* & *Pingvento* dictum.

AD TITVLOS, locus.

Eodem tractu fuit locus AD TITVLOS, Antonino in Itinerario memoratus hoc itinere:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Fonte Timavi ·
Aneſica XII.
Ad Malum XVIII.
Ad Titulos XVII.
Tarſatica. XVII.

QVAETVS *fluvius*. In Tabulâ itinerariâ Hiſtria peninſulæ figurâ depicta conſpicitur, cuius iſthmum rectè quidem ab oriente finit Arſia amnis; at falſò ab occidente Parentium opidum. à quo linea itineris ad Polam per mediterranea ducta, millia paſſuum adſcripta habet XXX. inter eam lineam & mare figura maioris ædificii adpoſita eſt, qualis aquis calidis paſſim in eâdem tabulâ, & nonnunquùm prætoriis Romanis adpicta viſitur. ſupra id ædificium vocabulum adpoſitum eſt, dubiâ equidem & ambiguâ ſcripturâ, *Quari*: infrà verò, vel potiùs à latere eius, quod Polam ſpectat, vocabulum *Siluo*. Illud fortè fuerit antiquum amnis nomen QVAETVS, qui vulgò nunc incolis dicitur *Quieto*, mediam fermè Hiſtriam ſecans. SILVIVM *opidum*. Ad huius dextram ripam, IIII circiter millia paſſuum à mari, veſtigia conſpiciuntur antiqui opidi; quod Italiæ ſcriptores hoc noſtro ſæculo per immanem errorem interpretati ſunt *Hemonam coloniam* apud Nauportum amnem, quem volunt hodiè eſſe *Quietum*: quum extra Italiæ fineis *Hemonam* nunc *Laubacum* dici apud fluvium cognominem, in Savum defluentem, ſuprà cap. II patuerit. Quapropter eius opidi nomen antiquum in Tabulâ apud prædictam calidarum aquarum ſeu prætorii Romani imaginem fuiſſe cenſeo SILVIVM. Atque hæc ferè ſunt loca Hiſtriæ antiquis auctoribus memorata.

VRSARIA *inſula*. Cæterùm inſulæ litoribus eius objectæ ſunt in Tabulâ itinerariâ, *Sepomaia, Vrſaria. Pullaria*. VRSARIA, media inter reliquas duas, vocabulum id nunc etiam, quamvìs depravatum, gerit, vulgò *Converſara* dicta, apud Lemii fluvii oſtium & caſtellum *Orſara*; quod inſulæ nomen antiquum ſatis integrum cuſtodit. SEPOMANA *inſula*. SEPOMAIA hinc verſùs occidentem (ni fortè incorrupto vocabulo potiùs fuerit SEPOMANA) nulla alia eſſe poteſt, quàm quæ Parentio objecta, vulgò nunc *S. Nicolai* cognominatur *inſula*. PVLLARIA, verſùs orientem ab Vrſariâ poſita, ea eſt, quæ ante Polaticum portum nunc dicitur *Iſola di Brioni*. Verùm quum compluria heic ſint νησίδια, ut inquit loco ſuprà citato Strabo, εὔορμα καὶ εὔκαρπα, id eſt, *parvæ inſulæ, navibus ſubducendis opportunæ ac frugiferæ*; omnes uno nomine Plinio adpellantur PVLLARIAE, PVLLARIAE *inſulæ*. lib. III cap. XXVI. *Illyrici*, inquit, *ora mille ampliùs inſulis frequentatur. Clara ante oſtia Timavi calidorum fontium cum æſtu maris creſcentium. Iuxta Hiſtrorum agrum Ciſſa, Pullariæ, & Abſyrtides Graiis dictæ, à fratre Medéa ibi interfecto Abſyrto. juxta eas Electridas vocavêre; in quibus proveniret ſuccinum, quòd illi electrum adpellant: vanitatis Græcæ certiſſimum documentum: adeò, ut quas earum deſignent, haud umquàm conſtiterit*.
CISSA *inſula*. CISSA an ea ſit, quæ juxta Vrſariam vulgò nunc *Figaruola* vocatur, parum compertum habeo.

ABSYRTIDES *inſulæ*; quæ & BRIGEIDES, & DIANAE *inſulæ*. *in quarum maximâ opidum* ABSYRTIS; *quod &* ABSYRTIVM, & ABSORIS, & ABSORVS; *cum* DIANAE templo. ABSYRTIDES *inſulæ* Straboni quoque agnoſcuntur lib. VII: Παρ' ὅλην, inquit, ἣν εἶπον, παραλίαν νῆσοι μέν αἱ Ἀψυρτίδες, περὶ ἃς ἡ Μήδεια λέγεται διαφθεῖραι τὸν ἀδελφὸν Ἄψυρτον διώκοντα αὐτήν. Id eſt: *Iuxta omnem, quam dixi, oram inſulæ ſunt Abſyrtides; ubi Medéa dicitur fratrem Abſyrtum interfeciſſe, qui eam perſequebatur*. De ea re ita tradit Hyginus Μυθολογικῶν fabulâ XXIII: *Aeeta, ut reſciit, Medéam cum Iaſone profugiſſe; nave comparatâ miſit Abſyrtum filium cum ſatellitibus armatis ad eam perſequendam. qui quum in Hadriatico mari in Hiſtriâ eam perſequutus eſſet ad Alcinoum regem, & vellet armis contendere; Alcinous ſe inter eos interpoſuit, ne bellarent*. Paullo poſt: *Poſtero die quum ad judicium veniſſent, & Medéa mulier eſſet inventa, conjugi eſt tradita. Nihilominus, quum profecti eſſent, Abſyrtus, timens patris præcepta, perſequutus eſt eos in inſulam Minervæ. ibi quum ſacrificaſſet Minervæ Iaſon; & Abſyrtus interveniſſet; ab Iaſone eſt interfectus. cuius corpus Medéa ſepulturæ dedit: atque inde profecti ſunt. Colchi, qui cum Abſyrto venerant, timentes Aeetam; illic remanſerunt: opidumque condiderunt, quod ab Abſyrti nomine, Abſorin adpellarunt. Hæc autem inſula poſita eſt in Hiſtriâ contra Polam, juncta inſulæ Cantæ*. Vt heic corruptum vocabulum legitur *Cantæ* pro *Curictæ*, ſic ſuprà vitioſè ſcriptum eſt, *in Hiſtriâ eam perſequutus*, pro *in Corcyram inſulam perſequutus*. quidpe Corcyræ Phæacumque, eam incolentium, regem fuiſſe Alcinoum, vulgò notum eſt. Sed & *Curicta*, quæ nunc dicitur juxta Liburniæ litora vulgari vocabulo *Veglia* & *Vegia*, quæ ſatis lato freto ab Abſyrtidibus inſulis ſeparata eſt; ſcriptum fuiſſe
cenſeo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

cenſeo ab Hygino, *juxta inſulam Curictam*. Cæterùm an MINERVAE *inſulam* adpellaverit ipſe Hyginus, vehementer dubito; quando antiquo inter primos poëtæ Apollonio diſertè vocantur Ἀρτέμιδος νῆσοι, DIANAE *inſulæ*. Verba eius Ἀργοναυτικῶν lib. IIII hæc ſunt:

Δὴ ῥα τότε Κρονίην Κόλχοι ἅλα δ' ἐκπρομολόντες,
Πάντη, μή σφε λάθοιεν, ὑπετμήξαντο κελεύθους.
Οἱ δ' ὄπιθεν ποταμοῖο κατήλυθον. ἐκ δ' ἐπέρησαν
Δοιὰς Ἀρτέμιδος Βρυγηΐδας ἀγχόθι νήσους.
Τῶν δ' ἤτοι ἑτέρῃ μὲν ἐν ἱερὸν ἔσκεν ἔδεθλον,
Ἐν δ' ἑτέρῃ πληθὺν πεφυλαγμένοι Ἀψύρτοιο
Βαῖνον· ἐπεὶ κείνας πολλὸν λίπον ἔνδοθι νήσους
Αὔτως ἀζόμενοι κούρην Διός· αἱ δὲ δὴ ἄλλαι
Στεινόμεναι Κόλχοισι πόρους εἴρυντο θαλάσσης.

Hoc eſt:

Tunc in Saturnium Colchi mare progredientes,
Omneis, ne ſe latere poſſent, ſuccidebant vias.
At illi à tergo flumine deſcendebant. trajeceruntque
In geminas Dianæ Brygeidas inſulas, ſibi invicem propinquas.
In quarum alterâ ſacrum erat templum;
Alteram validâ cuſtodiâ Abſyrtus
Occupabat. In illam poſtquam egreſſi
Venerantur filiam Iovis; in alterâ,
Illi vicinâ, Colchi mare cuſtodiâ claudebant.

Ex hac in illam transgreſſus ad ſororem Abſyrtus, dolo eius inibi à Iaſone interfectus eſt. Cæterùm BRYGEIDAS *inſulas* vocat Apollònius à *Brygis* populis, continentem, teſte ſuprà memorato Strabone; quaſi huc usque finibus eorum olim protenſis. At Ptolemæus, in Illyrici deſcriptione, unam tantùm heic collocat inſulam, cuius nomen ABSORVS. Νῆσοι δὲ, inquit, παράκεινται τῇ μὲν Λιβυρνίᾳ Ἄψορρος· ἐν ᾗ πόλεις δύο, Κρέψα, Ἄψορρος· καὶ Κουρίκτα· ἐν ᾗ πόλεις δύο, Φουλφίνιον, Κούρικτον. Id eſt: *Inſulæ adjacent Liburniæ quidem Abſorus; in qua opida duo, Crepſa, Abſorus: & Curicta; in qua opida duo, Fulſinium, Curictum*. Melæ iterum duæ ſunt inſulæ diverſis aliquantum nominibus, ABSORVS & ABSYRTIS. Lib. II cap. VII, *In Hadriâ*, inquit, *Abſoros, Celaduſſe, Abſyrtis, Iſſa*. Plinius rurſum, qui dicto lib. III cap. XXVI *Abſyrtidas* complureis numero memorat, cap. XXI unam tantùm facere videtur *Abſyrtium*, in his verbis: *Ex inſulis Fulfinates, Curictæ*. Mox: *Inſulæ eius ſinus cum opidis, præter ſuprà ſignificatas, Abſyrtium, Arba, Tragurium, Iſſa, Pharos, Paros antè; Crexa, Liſſa*. Verùm enimverò cur Ptolemæus unam ſolam fecerit inſulam *Abſorum*, quæ re verâ IIII erant inſulæ *Abſyrtides*; quarum maxima ac media vulgò nunc dicitur *Cherſo*; huic magnitudine proxima ab auſtro *Oſero*; reliquæ duæ ab ſeptemtrionibus *Feroſina & Cao*: ratio nulla alia fuit, niſi quòd eæ inſulæ anguſtis tantum pelagi euripis, ceu foſſis, ab invicem diſpeſcuntur: qua ratione hodiéque ſub unius inſulæ *Cherſi* nomine plerumque cenſentur. Apollonius & Mela duas fecêre, haud dubiè quia ſub maximâ duas minimas verſùs ſeptemtriones comprehendebant. Plinius cap. XXI non tam inſularum, quàm opidorum in iis nomina recenſere voluit. ex quibus in unâ Abſyrtidum erat ABSYRTVM; Hygino, præſcripto loco, ABSORIS, Ptolemæo ABSORVS dictum. quod ipſum rectè etiam dicatur ABSYRTIS. Nec alia Melæ fuit cauſa, cur ei quaſi duo diverſa nomina referrentur *Abſorus* & *Abſyrtis*, quàm quòd ea ex duobus diverſis hauſit auctoribus, de unâ eadémque re loquentibus. Id opidum hodiéque detorto vocabulo vocatur *Oſero*, in maximâ inſularum apud ipſum euripum ſitum; unde proxima ei inſula verſùs meridiem id cognomen ſibi attraxit. DIANAE igitur heic ab initio, ſi fabulis Græcorum credimus, fuit TEMPLVM. quo loco poſteà Colchi, quum ad regem Aeetam redire non auderent, prædictum opidum ædificarunt: cuius quum nomen eſſet ab Abſyrto *Abſyrtis* & *Abſyrtium*: ipſi incolæ inde dicti ſunt Ἀψυρτεῖς, ABSYRTENSES. Apollonius dicto loco paullo pòſt:

——— Ἔνθ' ἔτι νῦν περ
Κέαται ὀστέα κεῖνα μετ' ἀνδράσιν Ἀψυρτεῦσιν.

Id eſt:

Id eſt: ——— *Illic etiam nunc*
Sita ſunt eius oſſa apud viros Abſyrtenſeis.

Et aliquanto pòſt; ubi comites Abſyrti, duce ſuo occiſo, in variis Illyrici litoris locis ſedeis fixiſſe ait:

Οἱ μὲν ἐπ' αὐτάων νήσων ἔβαν, ᾗσιν ἐπέσχον
Ἥρωες· ναίουσι δ' ἐπώνυμοι Ἀψύρτοιο.
Quidam ipſas inſulas occuparunt, in queis fuerant
Heroes: easque incolunt, Abſyrti de nomine cognominati.

Sic Scholiaſtes Apollonii: Οἱ Κόλχοι, ἀφορμηθέντες τῆς Ἀργοῦς, οὐκ ἐπανῆλθον, φοβούμενοι τὸν Αἰήτην· ἀλλ' οἱ μὲν αὐτῶν ᾤκησαν ὅπου ὁ Ἄψυρτος ἐδολοφονήθη, μετὰ τῶν κληθέντων ἀπ' αὐτοῦ Ἀψυρτέων. Id eſt: *Colchi, ab Argonautis digreſſi, in patriam terram non redierunt; Aeetam metuentes: ſed quidam ex iis ſedeis poſuerunt, ubi Abſyrtus dolo interfectus eſt, apud eos, qui inde adpellati ſunt Abſyrtenſes.* Et item Stephani epitomator: Ἀψυρτίδες νῆσοι πρὸς τῷ Ἀδρίᾳ, ἀπὸ Ἀψύρτου, παιδὸς Αἰήτου, ἐν μιᾷ δολοφονηθέντος ὑπὸ τῆς ἀδελφῆς Μηδείας. οἱ νησιῶται Ἀψυρτεῖς καὶ Ἄψυρτοι [fortè rectiùs Ἀψύρτιοι.] Ἔστι δὲ τόπος ἐν τῷ Εὐξείνῳ πόντῳ Ἄψαρος, Ἄψυρτος πρότερον λεγόμενος. Ἀρτεμίδωρος ἐν ἐπιτομῇ· Καὶ πολ * [deſunt quædam] δὲ νῆσον Ἄψυρτον ἱστορεῖ. Ἄψωρος, πόλις Ἰλλυρίας· Ἡρωδιανὸς ὀγδόῃ. ἔοικε δ' ἡ αὐτὴ εἶναι τῇ προειρημένῃ. Id eſt: *Abſyrtides inſulæ in Hadriatico ſinu, ab Abſyrto, Aeetæ filio, qui in unâ earum à ſorore Medéâ dolo interfectus eſt, ſic dictæ. inſulani inde vocantur Abſyrtenſes, & Abſyrtii. Eſt & in Ponto Euxino locus Abſarus, antè Abſyrtus dictus. Artemidorus in epitomâ:* * [interierunt quædam] *inſulam Abſyrtum memorat. Absôrus, opidum Illyrici; auctore Herodiano lib.* VIII. *Videtur autem idem eſſe cum prædicto.* Sic & ipſa hæc inſula alibi apud eumdem Stephani epitomatorem, ut mox infrà videbimus, Ἄψυρτος, ABSYRTVS vocatur. quod idem nomen opido etiam rectè tribui poteſt, ut illa reliqua.

CREPSA ſive CREXA opidum.

Alterum illud Ptolemæi opidum Κρέψα, CREPSA, in eâdem maiori inſulâ cum Abſoro poſitum, hodiè itidem nomen antiquum ſervat; ſed depravatum *Cherſo*: ubi *Ch*, more Italicæ nunc lingvæ, valet *K*. Equidem haud dubitaverim, quin idem hoc ſit opidum, quod Plinio dicto lib. III cap. XXI cum inſulâ dicitur CREXA. *Ex inſulis*, inquit, *Fulfinates, Curictæ*. Et mox: *Inſulæ eius ſinus cum opidis, præter ſuprà ſignificatas, Abſyrtium, Arba, Tragurium, Iſſa, Pharos, Paros antè; Crexa, Liſſa, Portunata. Rurſus in continente, colonia Iadera*. Quum duo opida *Abſyrtium* & *Crexa* inſularia eſſe dicerentur; ac fortè etiam ipſa inſula Abſyrtis vocaretur ab incolis *Crexa*; (nam *Graiis dictas Abſyrtidas*, ipſe teſtatur poſteà cap. XXVI:) in duabus diverſis inſulis ea eſſe putavit Plinius. Ordinem autem eum minimè obſervaſſe, patet ex eo, quòd poſt Tragurium tandem nominavit Pharum; quæ, Arbæ proxima, vulgò nunc vocatur *Pago*: ultra quam longè ſita eſt Tragurium, vulgò nunc *La Bua* dicta, apud continentis opidum *Traw*. Sed hactenus ſatis ſuperque diſſertum puto de Abſyrtidibus inſulis opidoque Abſyrtio: unde Colchorum quidam profecti, annis ampliùs CIↃCCXX, ut ſuprà dixi, ante natum Ieſum, in continente Hiſtriæ condiderunt urbem *Polam*; ut Græci quidem fabulati ſunt poëtæ. quibus eò minùs fides adhibenda, quòd ab eâdem Abſyrti, Aeetæ filii, cæde apud Pontum Euximum, in confinio Colchidis, & regionem, & urbem, & flumen cognominatum tradiderunt; teſtibus, Hygino Μυθολογικῶν cap. XXVI, Plinio lib. VI cap. IIII & VIIII, Ptolemæo in deſcriptione Ponti Cappadocii, Arriano in Περίπλῳ Ponti Euxini, & Procopio rer. Gothicar. lib. IIII. Apollodorus verò in Argonauticis tradit, in ipſo Phaſide, Colchidis fluvio, Abſyrtum dolo Medéæ interiiſſe; atque inde fluctibus in inſulas Ponti delatum, quibus nomen ex eo *Abſyrtidum* manſerit.

POLATICVS ſinus; qui & FLANATICVS.

Cæterùm ſinus hic inter Hiſtriam Liburniamque, vulgò nunc *Golfo di Carnero* dictus, in quo ſitæ ſunt Abſyrtides inſulæ à proximâ Colchorum coloniâ *Polâ* Melæ lib. II cap. III vocatur POLATICVS SINVS. A Macedoniâ Illyrici litus legens ad Italiam usque, *Apollonia*, inquit, *Salona, Iadera, Narona, Tragurium, ſinus Polaticus, & Pola*. At idem FLANATICVS SINVS dicitur Plinio lib. III cap. XVIIII & XXI; ut Tabulæ itinerariæ in eo, *Portus Flanaticus*: Artemidoro autem apud Stephanum FLANONICVS, à *Flanone* opido; unde *Flanates* habet opidanos & adcolas dicto cap. XXI Plinius; à quibus ſinum nominari tradit Stephani epitomator, his verbis: Φλάνων, πόλις καὶ λιμὴν περὶ τὴν Ἄψυρτον νῆσον. Ἀρτεμίδωρος ἐν ἐπιτομῇ τῶν ια΄· Μετὰ

δὲ τ

μετὰ τὸν Ἄλωον λιμήν ἐστι Φλάνων, καὶ πόλις Φλάνων· καὶ πᾶς ὁ κόλπος οὗτος Φλανωνικὸς καλεῖται. Idest: *Flano urbs & portus juxta Abſyrtum inſulam*. *Artemidorus in epitomâ undecim librorum: Poſt Alôum portus eſt Flano, & urbs Flano; & totus hic ſinus Flanonicus adpellatur*. Proxima hæc ultra Arſiam, Hiſtriæ finem, opida Liburniæ etiamnunc vulgò vocantur *Albona* & *Fianona*. Ptolemæo in deſcriptione Liburniæ & item Plinio lib. III cap. XXI dicuntur *Alvona* & *Flanona*. Ab hoc poſterioribus temporibus FLANONENSIS INSVLA dicta eſt, quæ antè erat *Abſyrtis*. Hiſtoria Tripartita lib. V cap. II è Socrate, & Paullus Diaconus hiſtor. miſcel. lib. XI; de Gallo Cæſare loquentes, quem Conſtantius Auguſtus, Mediolani conſtitutus, è Palæſtinâ ad ſe vocabat: *Ob quam rem Conſtantius indignatus, evocavit Gallum. Qui quum contemnere non poſſet, veniebat ad principem. quumque contra inſulam Flanonenſem veniſſet; eum illic Conſtantius præcepit interimi*. At Græci auctores eccleſiaſtici, Socrates lib. II cap. XXVII, Nicephorus Calliſti lib. VIIII cap. XXXII, & Sozomenus lib. IIII cap. VI, ipſius urbis nomine vocant Φλάνωνα νῆσον, *Flanonem inſulam*; impropriè ac barbarè, more eius ævi. In urbe, an in inſulâ interfectus ſit Gallus, incertum inde eſt. Ammianus Marcellinus lib. XIIII *ad Hiſtriam* factum tradit, *prope opidum Polam; ubi quondam peremptus Conſtantini fuerat filius Criſpus*.

FLANONENSIS inſula *eadem quæ Abſyrtis*.

CAPVT XXII.

De GALLIA CISALPINA, *variiſque eius nominibus: item de* GALLORVM *in Italiam tranſitu: qui populi tranſierint; & qualeis ab initio in Italiâ habuerint habitationes.*

HActenus igitur populi Italiæ, qui Alpeis incoluerunt vel contigerunt, explicati ſunt omnes: *Ligures* ſcilicet, *Taurini, Graii, Salaſſi, Lepontii, Euganei, Rhæti, Veneti, Carni,* & *Hiſtri*. Antequàm ipſæ Alpes deſcribantur, commodum viſum eſt, GALLORVM genteis dicere, quæ, Alpeis quomdam è Galliâ transgreſſæ, magnam Italiæ partem circa Padum amnem occuparunt. unde poſtmodùm vaſtiſſima illa ſimulque florentiſſima Italiæ regio, quæ Alpibus & Apennino ad Aeſim usque amnem finitur, GALLIA CISALPINA & GALLIA CITERIOR, reſpectu *Galliæ Transalpinæ* ſive *Vlterioris*, Romanis dicta eſt: Græcis ἡ Γαλατία ſive ἡ Κελτικὴ ἡ ἐντὸς τῶν Ἄλπεων, id eſt, *Gallia intra Alpeis*: ut illa ἡ ἐκτὸς τῶν Ἄλπεων, *extra Alpeis*, & ἡ ὑπὲρ τὰς Ἄλπεις, *trans Alpeis*, & item ἡ ἐπέκεινα τῶν ὀρῶν Γαλατία, id eſt, *Gallia Transmontana*. Cicero in oratione de Provinciis conſularibus: *Quatuor ſunt provinciæ, de quibus adhuc intelligo ſententias eſſe dicendas; Galliæ duæ, Syria, & Macedonia*. Et eâdem oratione poſteà: *Alter, ulteriorem Galliam decernit, alter citeriorem*. Et Philippicâ VII: *Remittere eum nobis Galliam citeriorem; illam ultimam poſtulare*. Salluſtius de bello Catilinario: *Iisdem ferè temporibus in Galliâ citeriore atque ulteriore, item in agro Piceno, Bruttio, Apuliâ, motus erat*. Svetonius in Cæſare, cap. XXII: *Socero generoque ſuffragantibus, ex omni provinciarum copiâ Gallias potiſſimùm elegit. Et initio quidem Galliam Cisalpinam, Illyrico adjecto, lege Vatiniâ accepit: mox per ſenatum Comatam quoque*. Et cap. XXVIIII: *Cum adverſariis autem pepigit, ut, dimiſſis octo legionibus, Transalpinâque Galliâ, duæ ſibi legiones & Cisalpina provincia, vel etiam una legio cum Illyrico, concederetur, quoad conſul fieret*. Cap. XXX: *Verùm neque ſenatu interveniente, & adverſariis negantibus ullam ſe de republicâ facturos pactionem, tranſiit in citeriorem Galliam: conventibusque peractis, Ravennæ ſubſtitit*. Apud Plinium lib. XVII cap. II ita ſcriptum eſt: *Atqui in Cisalpinâ Italiâ magnâ ex parte vineis ita poſitis, compertum eſt nullas eſſe fertiliores*. Ergo etiam Transalpina fuit Italia uspiam? Nusquàm ſanè. Reſtituendum ergo, ut ipſe haud dubiè ſcripſit Plinius, *In Cisalpinâ Galliâ*. Niſi tamen legendum potiùs cenſeas, *In Subalpinâ Italiâ*: ut lib. XVI cap. XI; *Huius expreſſum pingue præcipua reſina fit, atque rara; nec niſi paucis in locis Subalpinæ Italiæ*. Cisalpina igitur Gallia eadem dicta eſt & SVBALPINA ITALIA. unde etiam ita Plutarchus in Marcello: οἱ δὲ τὴν Ὑπαλπίαν νεμόμενοι τῆς Ἰταλίας Ἴσομβροι, Κελτικὸν γένος, δυνάμεις ἐκάλουν. id eſt: *Subalpinam Italiam incolentes Inſubres, copias accerſebant*. At eidem Plutarcho in Cæſare vocatur etiam ἡ ὑπὸ ταῖς Ἄλπεσι Κελτική,

id eſt,

id eſt, SVBALPINA GALLIA. Ταῦτα, inquit, διαπραξάμενος, τὴν μὲν δύναμιν ἐν Σηκουανοῖς ἀπέλιπε διαχειμάσουσαν· αὐτὸς δὲ τοῖς ἐν Ῥώμῃ προσέχειν βουλόμενος, εἰς τὴν περὶ Πάδον Γαλατίαν κατέβη, τὴν αὐτῷ δεδομένης ὑπαρχίας οὖσαν. ὁ γὰρ καλούμενος Ῥουβίκων ποταμὸς ἀπὸ τῆς ὑπὸ τὰς Ἄλπεσι Κελτικῆς ὁρίζει τὴν ἄλλην Ἰταλίαν. Id eſt: *His patratis, exercitum reliquit in Sequanis hibernaturum. ac rebus urbanis intentus, in Galliam Circumpadanam, quæ provinciæ erat ſuæ, contendit. quidpe Rubico amnis dirimit à Galliâ Subalpinâ reliquam Italiam.* Vt heic, ſic alibi paſſim in Romanorum ducum imperatorumque vitis ei memoratur ἡ περὶ τὸν Πάδον Γαλατία, id eſt, CIRCVMPADANA GALLIA; Polybio verò lib. II, ἡ περὶ τὸν Πάδον χώρα, CIRCVMPADANA REGIO: ſcilicet à Pado amne, mediam Galliam Ciſalpinam ſecante. Et vulgariter eo nomine Romanis uſurpatam fuiſſe, adparet ex Appiani pariter teſtimonio. Civil. bellor. lib. II Ὁ δὲ Καῖσαρ, inquit, ἔν τε Κελτοῖς καὶ Βρεττανοῖς πολλὰ καὶ λαμπρὰ εἰργασμένος, πλούτου γέμων ἐς τὴν ὅμορον τῇ Ἰταλίᾳ Γαλατίαν, τὴν ἀμφὶ τὸν Ἠριδανὸν ποταμόν, ἧκεν. Id eſt: *Cæſar, rebus apud Gallos & Britannos præclarè geſtis, jam divitiis differtus, venit in conterminam Italiæ Galliam, quæ circa Padum eſt.* Hinc Plinius lib. XIIII cap. XX: *Liguriæ Circumpadaniſque muſtis utilitas discernitur hoc modo; Pugnacibus muſtis crapulæ plus inditur; lenibus parciùs.* In Hannibalicis autem Appiano etiam ἡ Ἰταλία Γαλατική, id eſt, ITALIA GALLICA vocatur. Καὶ τὸ μέρος, inquit, τῆς χώρας ἔτι νῦν οὕτως καλοῦσιν Ἰταλίαν Γαλατικήν. id eſt: *Vnde nunc etiam partem eius regionis Italiam Gallicam nominant.* Et quum omne Gallorum ſolum, tam citra quàm ultra Alpeis, in treis divideretur parteis; earum duæ trans Alpeis, una *Braccata*, quæ eadem & *Narbonenſis*; altera *Comata:* tertia hæc in Italiâ TOGATA GALLIA vocitata fuit. Martialis lib. III, epigram. I; quod eſt ad lectorem de libro hoc epigrammatum in Galliâ compoſito:

Hoc tibi, quidquid id eſt, longinquis mittit ab oris
Gallia Romanæ nomine dicta togæ.

Dio lib. XLVI: Καὶ διωμολογήσαντο, Καίσαρι μὲν τήν τε Λιβύην ἑκατέραν καὶ Σαρδὼ καὶ Σικελίαν, Λεπίδῳ δὲ τὴν Ἰβηρίαν πᾶσαν καὶ τὴν Γαλατίαν τὴν Ναρβωνησίαν, Ἀντωνίῳ δὲ τὴν λοιπὴν Γαλατίαν τήν τε ἐντὸς τῶν Ἄλπεων καὶ τὴν ὑπὲρ αὐτὰς οὖσαν, ἄρχειν δοθῆναι. ἐκαλεῖτο δὲ ἐκείνη μὲν Τογᾶτα, ὅτι εἰρηνικωτέρα παρὰ τὰς ἄλλας ἐδόκει εἶναι, καὶ ὅτι καὶ τῇ ἐσθῆτι τῇ Ῥωμαϊκῇ τῇ ἀστικῇ ἐχρῶντο ἤδη. αὕτη δὲ δὴ Κομᾶτα, ὅτι οἱ Γαλάται οἱ ταύτῃ ἐς κόμην τὸ πλεῖστον τὰς τρίχας ἀνιέντες, ἐπίσημοι κατὰ τοῦτο παρὰ τοὺς ἄλλους ἦσαν. Hoc eſt: *Convênit inter eos, uti Cæſari utraque Africa ac Sardinia & Sicilia, Lepido Hiſpania omnis & Gallia Narbonenſis, Antonio reliqua Gallia, quæ tam citra quàm ultra Alpeis ſita eſt, tribueretur. Vocabatur horum altera Gallia Togata; quòd reliquis videretur eſſe pacatior: quódque jam tum Romanorum veſtitum urbanum uſurparet: altera autem Comata; quòd Galli iſti comam plerumque geſtabant promiſſam; eoque ſigno à reliquis dignoſcebantur.* Et lib. XLVIII: Καὶ αὐτοῖς καὶ ἐκ τῆς Γαλατίας Τογάτης καὶ χρήματα καὶ στρατιῶται ἦλθον. Id eſt: *Quin ex Galliâ etiam Togatâ pecunia ipſis militesque veniebant.* A. Hirtius de Bello Gallico: *T. Labienum Galliæ Togatæ præfecit.* Cicero Philippicâ VIII: *Galliam, inquit, Togatam remitto; Comatam poſtulo.* Svetonius de illuſtribus grammaticis cap. III: *Nam in provincias quoque grammatica penetraverat: ac nonnulli de notiſſimis doctoribus peregrè docuerunt; maximè in Galliâ Togatâ.* Plinius lib. III cap. XIIII: *Iungitur his Sexta regio, Vmbriam complexa, agrumque Gallicum circa Ariminum. Ab Anconâ Gallica ora incipit, Togatæ Galliæ cognomine.* At Ptolemæus in deſcriptione Italiæ id tantùm terrarum ſpacium pro *Togatâ* agnoſcit *Galliâ*, quod inter Padum & Apenninum Ligurumque fineis & mare Hadriaticum ad Ravennám usque protenditur. Verùm omnem Ciſalpinam Galliam, ad Alpeis usque, ſub eo nomine comprehenſam fuiſſe, patet quàm clariſſimè ex Ciceronis Dionisque proximè ſcriptis verbis; ubi per *Togatam* & *Comatam* duas Gallias, id eſt, citeriorem & ulteriorem intelligunt. Sic & Svetonius in Cæſare dicto cap. XXII; *Ex omni,* inquit, *provinciarum copiâ Gallias potiſſimùm elegit. Et initio quidem Galliam Ciſalpinam, Illyrico adjecto, lege Vatiniâ accepit: mox per ſenatum Comatam quoque.* Et omnium diſertiſſimè Pompeius Feſtus: *Boïcus ager dicitur, qui fuit Boiorum Gallorum. is autem eſt in Galliâ citra Alpeis, quæ Togata dicitur: in qua ſunt Mediolanenſes.* Sed & Aggenus quoque Vrbicus in Commentariis ad Frontini librum de Limitibus agrorum, & item in libro de Controverſiis agrorum: *Hæ quæſtiones maximè in Galliâ Togatâ moventur; quæ, multis contexta fluminibus, immodicas Alpium niveis in mare transmittit; & ſubitarum regelationum repentinas inundationes patitur.* Porrò eadem

hæc

hæc Togata ſeu Cisalpina Gallia in duas parteis Pado flumine diviſa, hinc CISPADANA GALLIA, illinc TRANSPADANA ITALIA vocitata eſt. Strabo lib. V: Ὑπόκειται δ' εὐθὺς ταῖς Ἄλπεσι πεδίον ἀξιόλογον, πάρισόν πως ἔχον τὸ πλάτος καὶ τὸ μῆκος, σταδίων ἑκατὸν καὶ δισχιλίων. τὸ δὲ μεσημβρινὸν αὐτοῦ πλευρὸν κλείεται τῇ τε τῶν Ἐνετῶν παραλίᾳ καὶ τοῖς Ἀπεννίνοις ὄρεσι, τοῖς περὶ Ἀρίμινον καὶ Ἀγκῶνα καθήκουσιν. * Ἡ μὲν οὖν ἐντὸς Ἄλπεων Κελτικὴ τούτοις κλείεται ὅροις. * — * . Ἔστι δὲ πεδίον εὔδαιμον σφόδρα, καὶ γεωλοφίαις εὐκάρποις πεποικιλμένον. διαιρεῖ δ' αὐτὸ μέσον πως ὁ Πάδος· καὶ καλεῖται, τὸ μὲν ἐντὸς τοῦ Πάδου, τὸ δὲ πέραν· ἐντὸς μὲν, ὅσον ἐστὶ πρὸς τοῖς Ἀπεννίνοις ὄρεσι καὶ τῇ Λιγυστικῇ· πέραν δὲ τὸ λοιπόν. Hoc eſt: *Subjacet ſtatim Alpibus planities inſignis bis mille ac centum ſtadiorum longitudine; ac latitudine ferè æquali; cuius meridionale latus litore Venetorum & Apenninis jugis, ad Ariminum & Anconam usque porrectis, includitur.* Mox: *Atque his finibus Gallia Cisalpina includitur.* Aliquanto pòſt: *Eſt autem planities admodùm felix, & terrenis collibus admodùm frugiferis diſtincta. Mediam ferè ſecat Padus. unde regionis pars altera dicitur Cispadana, altera Transpadana. Cispadana vocatur, quidquid ad Apenninum & Liguriam usque extenditur. reliquum Transpadana adpellatur.* Plinius lib. X cap. XXVIIII: *Transpadana Italia juxta Alpeis Larium lacum adpellat, amœnum arbuſto agro.* Et lib. XVI cap. XV: *Album aceris genus, quod præcipui candoris, vocatur Gallicum, in Transpadanâ Italiâ transque Alpeis naſcens.* Lib. XVII cap. XXIII: *Transpadana Italia corno, populo, tiliâ, acere, orno, carpino, quercu, arbuſtat agros.* Lib. XVIII cap. VII: *In Transpadanâ Italiâ ſcio vicenas quinas libras farris modios pendere.* Et cap. XX: *Non omittemus unam etiamnum arandi rationem, in Transpadanâ Italiâ bellorum injuriâ excogitatam.* Et lib. III capitis XVII inſcriptio eſt, *Italia Transpadana: regio Vndecima.* Initium autem capitis ſic habet: *Transpadana ab eo* [ſcilicet Pado] *regio Vndecima, tota in mediterraneo.* Nam ſequenti capite in Decimâ regione habet *Venetiam, Carnos,* & cap. XVIIII *Hiſtros.* Verùm eodem hoc capite *Cremonam* quoque & *Brixiam* & *Mantuam* in Decimæ regionis mediterraneo commemorat: quæ tamen haud dubiè in Transpadanâ Italiâ cenſæ fuêre: & ipſe mox ibidem *Forojulienſeis* refert *cognomine Transpadanos.* quorum opidum *Forum Iulii* in extimis fermè Carnorum Italiæque fuit finibus. Tacito, Plinio Iuniori, & Tabulæ itinerariæ TRANSPADANA vocatur REGIO. Tacitus Hiſtor. lib. I: *Et, ut donum aliquod novo principi, firmiſſima Transpadanæ regionis municipia, Mediolanum ac Novariam & Eporediam ac Vercellas adjunxêre.* Plinius lib. IIII epiſt. VI: *Tuſci grandine excuſſi; in regione Transpadanâ ſumma abundantia, ſed par vilitas nunciatur.* In Tabulâ ea adpellatio inter Mediolanum, Brixiam, Cremonam, Veronamque perſcripta eſt: eodemque tractu MEDIA PROVINCIA: quæ libro Notitiæ imperii occidentalis dicitur PROVINCIA ITALIA MEDITERRANEA. quamquàm in hac etiam Cispadana opida, *Pollentiam, Aquas Statiellas, Forum Fulvii, & Dertonam,* recenſet. Cæterùm incolæ etiam illius trans Padum regionis, vulgariter adpellabantur TRANSPADANI. Cicero Philippica X: *Habet inimiciſſimam Galliam: eos etiam, quibus confidebat, alieniſſimus, Transpadanos.* De Officiis lib. III: *Curio cauſam Transpadanorum æquam eſſe dicebat.* Familiar. lib. VIII epiſt. I; quæ eſt Cœlii ad Ciceronem: *Nam & illi rumores de comitiis Transpadanorum Cumarum tenus caluerunt.* Plinius lib. XVII cap. VIIII: *Transpadanis cineris uſus adeò placet, ut anteponant fimo jumentorum.* Lib. XVIII cap. XIII: *A vino atque meſſe tertius hic Transpadanis fructus.* Apud Tacitum, Annal. lib. XI, ita in ſenatu Claudius imperator: *Tunc ſolida domi quies, & adversùs externa floruimus, quum Transpadani in civitatem recepti.* Apud Svetonium in vitâ Iulii Cæſaris cap. VIIII ita ſcriptum eſt: *Idem Curio, ſed & M. Actorius Naſo, auctores ſunt, conſpiraſſe eum etiam cum Cn. Piſone adoleſcente; cui ob ſuſpicionem urbanæ conjurationis provincia Hiſpania ultro extra ordinem data ſit: pactumque, ut ſimul, foris ille, ipſe Romæ, ad res novas conſurgerent, per Lambranos & Transpadanos.* Heic *Lambranos* plerique noſtri ſæculi homines interpretantur populos circa Lambrum fluvium; qui, haud procul Como, Mediolano, ac Laude Pompeiâ fluens, inter Ticinum ac Placentiam Pado miſcetur. Atqui hic tractus in mediâ Transpadanâ erat regione. incolæ igitur eius à Transpadanorum nomine diſtingvi vel eximi nequiverunt. Omnino verum, quod doctiſſimus Svetonii commentator cenſet; Hiſpaniæ barbarum aliquem populum intelligi, cuius opibus abuteretur Piſo in rebus novandis; ut Romæ Cæſar Transpadanorum. Et exemplaria vetera variant:

alia *Ambianos*, alia *Ambranos*, nonnulla *Lubranos* ferentia. fortè fuerint *Cantabri*, clariſſima validiſſimaque Hiſpaniæ citerioris natio. Sed de variis Cisalpinæ Galliæ adpellationibus ſatis hactenus dictum. Cæterò, quum pars hæc Italiæ ſæpius nudo *Galliæ* nomine uſurpetur auctoribus antiquis; error inde nonnullis noſtri ſæculi ſcriptoribus natus eſt, uti ſub eo vocabulo Galliam ulteriorem intelligerent. Pauſanias in Atticis, de Gallis ſermonem habens, qui Græciam irruperant; οἱ δὲ Γαλάται οὗτοι, inquit, νέμονται τῆς Εὐρώπης τὰ ἔσχατα ἐπὶ θαλάσσῃ πολλῇ καὶ ἐς τὰ πέρατα οὐ πλωΐμῳ· παρέχεται δὲ ἄμπωτιν καὶ ῥαχίαν καὶ θηρία οὐδὲν ἐοικότα τοῖς ἐν θαλάσσῃ τῇ λοιπῇ. καὶ σφίσι διὰ τῆς χώρας ῥεῖ ποταμὸς Ἠριδανὸς, ἐφ' ᾧ τὰς θυγατέρας τοῦ Ἡλίου ὀδύρεσθαι νομίζουσι τὸ περὶ τὸν Φαέθοντα τὸν ἀδελφὸν τὸ πάθος. Hoc eſt: *Galli verò iſti in extremis Europæ oris ad vaſtum mare adcolunt, cuius fineis adire poſſe navibus negant. eſt enim gurgitis æſtu, ſcopulis, & belluarum immanitate, quàm mare aliud omne, multo importunius. Horum regionem Eridanus amnis perlabitur: cuius in ripis Phaëthontis caſum Solis filiæ, illius ſorores, collacrumari creduntur.* Et in Eliacis ait, τὴν αἴγειρον γῆς τῆς τῶν Κελτῶν καὶ Ἠριδανοῦ τοῦ Κελτικοῦ θρέμμα εἶναι, id eſt, *populum arborem Galliæ & Padi, Gallici amnis, alumnam eſſe*. His igitur duobus locis quum Pauſanias intellexerit univerſum Gallorum nomen, tam citra quàm ultra Alpeis; minùs rectè faciunt, qui Rhodanum, ulterioris Galliæ nobiliſſimum flumen, voluiſſe eum interpretantur: quia ſcilicet aliis id etiam ita uſurpatum fuerit vetuſtiſſimis auctoribus; ut egomet Germaniæ lib. III cap. XXXIIII docui; idemque hoc opere infrà repetam. Quis umquàm auctor caſum ſeu fabulam Phaëthontis alii tribuit terræ, quàm Italiæ, ſive Galliæ Cisalpinæ? quis alii flumini, quàm Pado? Sed quum apud Latinos quoque auctores exempla exſtent eius rei plurima; unum atque alterum eorum audire libeat. Cicero Familiar. lib XII epiſt. V: *Brutus ſi erupiſſet Mutinâ, nihil belli reliquum fore videbatur. Parvis omnino jam copiis obſidebatur: quòd magno præſidio Bononiam tenebat Antonius. Erat autem Claternæ noſter Hirtius; ad Forum Cornelium Cæſar.* Mox: *Præter Bononiam, Rhegium Lepidi, Parmam, totam Galliam tenebamus, ſtudioſiſſimam reipublicæ. tuos enim clienteis Transpadanos, mirificè conjunctos cum causâ habebamus.* Salluſtius in bello Catilinario de Catilinâ, cuius tum caſtra erant apud Fæſulas, Etruriæ opidum, in Apennino, haud procul Florentiâ, ita ſcribit: *Sed poſtquàm Antonius cum exercitu adventabat; Catilina per monteis iter facere; modò ad Vrbem, modò Galliam versùs caſtra movere.* Et mox: *Reliquos Catilina per monteis aſperos magnis itineribus in agrum Piſtorienſem abducit; eo conſilio, uti per tramites occultè profugeret in Galliam. At Q. Metellus Celer cum tribus legionibus in agro Piceno præſidebat; ex difficultate rerum eadem illa exiſtumans, quæ ſuprà diximus, Catilinam agitare. igitur, ubi iter eius ex profugis cognovit; caſtra properè movit; ac ſub ipſis radicibus montium conſedit; quà illi deſcenſus erat in Galliam properanti.* Livius lib. XXVIII; de triumpho duorum conſulum, M. Livii Salinatoris & C. Claudii Neronis, qui Haſdrubalem, Hannibalis fratrem, apud Metaurum flumen, inter Ariminum & Anconam, vicerant: *Illum equitem, aiebant,* VI *dierum ſpacio transcurriſſe longitudinem Italiæ: & eo die cum Haſdrubale in Galliâ ſignis collatis pugnaſſe, quo eum caſtra adversùs ſeſe in Apuliâ poſita habere Hannibal credidiſſet.* Vibius Sequeſter in catalogo fluminum: *Benacus Galliæ; ex quo naſcitur Mantuanorum Mincius.* Et poſteà: *Rubicon, Galliæ, juxta Ariminum; olim dividens Galliam ab Italiâ.* In catalogo lacuum: *Benacus Galliæ; unde Mincius.* In catalogo paludum: *Paduſa, Galliæ, à Pado dicta.* Eamdem verò regionem nonnumquàm vocat *Galliam Cisalpinam.* ut in catalogo fluminum: *Eridanus, Galliæ Cisalpinæ, qui & Padus; ubi & Heliades mutatæ in populos arbores.* Deinde: *Mincius, Gallæ Cisalpinæ, proximus Mantuanis; agitur ex Benaco.* Paullo pòſt: *Padus, Galliæ Cisalpinæ; qui & Eridanus dicitur.* In catalogo lacuum: *Larius, Galliæ Cisalpinæ.*

GALLIAE CISALPINAE *fines.*

Sed fines tandem monſtrandi erunt huius GALLIAE CISALPINAE. Romani ſub huins provinciæ nomine non tantùm Gallicos habuêre populos; ſed etiam cæteras genteis inter Alpeis & Apenninum; illinc ab Arſiâ amne ad Aeſim usque flumen & Anconam urbem, ſupero mari adpoſitam; hinc à Varo ad Arnum usque & urbem Piſas. Strabo ſuprà dicto libro V: Ἔστι δὲ πεδίον εὐδαίμον σφόδρα, καὶ γεωλοφίαις εὐκάρποις πεποικιλμένον· διαιρεῖ δ' αὐτὸ μέσον πως ὁ Πάδος· καὶ καλεῖται, τὸ μὲν ἐντὸς τοῦ Πάδου, τὸ δὲ πέραν· ἐντὸς μὲν, ὅσον ἐστὶ πρὸς τοῖς Ἀπεννίνοις ὄρεσι καὶ τῇ Λιγυστικῇ· πέραν δὲ, τὸ λοιπόν. οἰκεῖται δὲ, τὸ μὲν ὑπὸ τῶν Λιγυστικῶν ἐθνῶν καὶ τῶν Κελτικῶν, τῶν μὲν ὑπὸ τοῖς ὄ-

ρεσιν

ρέζιν εἰκόντων, τῶν δ' ἐν τοῖς πεδίοις· τὸ δὲ ὑπὸ τῶν Κελτῶν καὶ Ἐνετῶν. Hoc eſt: *Eſt autem planities admodùm felix, & terrenis collibus, perquàm frugiferis, diſtincta. mediam ferè ſecat Padus. unde regionis pars altera dicitur Cispadana; altera Transpadana. Cispadana vocatur, quicquid ad Apenninum & Liguriam usque extenditur. reliquum Transpadana adpellatur. illam Liguſticæ & Gallicæ gentes colunt; illæ in montibus degentes, hæ in campeſtribus: hanc habent Galli & Veneti.* Mela lib. II cap. IIII: *Siniſtrâ parte Carni & Veneti colunt Togatam Galliam.* Et capite præcedenti: *Deinde Ceraunii montes. ab iis flexus in Hadriam. Hoc mare Illyricis usque Tergeſtum, cætera Gallicis Italicisque gentibus cingitur.* Et mox: *Tergeſtum, intimo in ſinu Hadriæ ſitum, finit Illyricum.* Columella Rerum ruſticarum lib. VII cap. II: *Generis eximii oveis Milesias, Calabras, Apulasque noſtri exiſtimabant: earumque optimas Tarentinas. nunc Gallicæ pretioſiores habentur: earumque præcipuæ Altinates.* Vitruvius lib. I cap. IIII: *Exemplar autem huius rei Gallicæ paludes poſſunt eſſe, quæ circùm Altinum, Ravennam, Aquileiam, aliaque, quæ in eiusmodi locis municipia ſunt, proxima paludibus.* Hinc etiam Svetonius, in Cæſaris vitâ, Galliam Cisalpinam cum Illyrico conjungit. Verba eius cap. XXII, jam anteà citata, hæc ſunt: *Initio quidem Galliam Cisalpinam, Illyrico adjecto, lege Vatiniâ accepit.* Et cap. XXVIIII: *Cum adverſariis autem pepigit, ut, dimiſſis VIII legionibus Transalpinâque Galliâ, duæ ſibi legiones & Cisalpina provincia, vel etiam una legio cum Illyrico, concederetur.* Hinc ipſe Cæſar, belli Gallici comment. I: *Ipſe in Italiam magnis itineribus contendit: duasque ibi legiones conſcribit: & tres, quæ circùm Aquileiam hiemabant, ex hibernis educit: &, quà proximum iter in ulteriorem Galliam erat, cum his quinque legionibus ire contendit.* Livius lib. XXXVIIII: *Eodem anno Galli Transalpini transgreſſi in Venetiam ſine populatione aut bello, haud procul inde, ubi nunc Aquileia eſt, locum opido condendo ceperunt.* Et eodem libro poſteà: *Siſennæ Cornelio urbana provincia, Sp. Poſthumio Sicilia, L. Puppio Apulia, L. Iulio Gallia, Cn. Sicinio Sardinia evênit. L. Iulius proficiſci maturè eſt juſſus. Galli Transalpini per ſaltus ignotæ anteà viæ, ut antè dictum eſt, in Italiam transgreſſi, opidum in agro, qui nunc Aquileienſis eſt, ædificabant.* Vibius Sequeſter, in catalogo fontium: *Timavus, Aquileiæ, Galliæ.* Sed poſtquàm Hiſtria quoque Italiæ titulo adjecta fuit, eidem Galliæ provinciæ ea acceſſit: & poſterioribus quidem temporibus ſub Venetiarum nomine; ut ſuo loco oſtendetur. Finis igitur ab hac parte Galliæ Cisalpinæ fuit idem qui Italiæ: primùm ſcilicet Formio amnis; dein Arſia; Illyricum ab Italiæ nomine arcentes; ut ſuprà cap. II demonſtratum eſt. Cæterùm ab reliquâ Italiâ ad ſuperum mare ſeparabatur eadem Gallia Aeſi flumine, XII millia paſſuum ab Anconâ in mare exeunte. Mela dicto lib. II cap. IIII: *Interiora Italiæ aliæ aliæque gentes habitant. ſiniſtrâ parte Carni & Veneti colunt Togatam Galliam. tum Italici populi, Picentes, Frentani, Daunii, Apuli, Calabri.* Et paullo pòſt: *A Pado ad Anconam transitur Ravenna, Ariminum, Piſaurum, Faneſtris colonia, Senegallia, flumen Metaurus, atque Aeſis, & illa, in anguſto illorum duorum promontoriorum ex adverſo coëuntium inflexi cubiti imagine ſedens, ac ideò à Græcis dicta Ancon, inter Gallicas Italicasque genteis quaſi terminus intereſt.* Malim; *Flumina Metaurus atque Aeſis. hinc illa.* nam particula & minimè heic ſubſiſtere poteſt. Cæterùm Plinius lib. III cap. XIIII, in eamdem ſententiam: *Ab Anconâ,* inquit, *Gallica ora incipit, Togatæ Galliæ cognomine.* Strabo dicto lib. V: Ὑπόκειται δ' εὐθὺς ταῖς Ἄλπεσι πεδίον ἀξιόλογον, πάρισον πως ἔχον τὸ πλάτος καὶ τὸ μῆκος, σταδίων ἑκατὸν καὶ δισχιλίων· τὸ δὲ μεσημβρινὸν αὐτοῦ πλευρὸν κλείεται τῇ τε τῶν Ἐνετῶν παραλίᾳ καὶ τοῖς Ἀπεννίνοις ὄρεσι, τοῖς περὶ Ἀρίμινον καὶ Ἀγκῶνα καθήκουσι. * . Ἡ μὲν οὖν ἐντὸς Ἄλπεων Κελτικὴ τούτοις κλείεται τοῖς ὅροις. Hoc eſt: *Subjacet ſtatim Alpibus planities inſignis, bis mille & centum ſtadiorum longitudine: ac latitudine ferè æquali: cuius meridionale latus litore Venetorum & Apennini jugis, ad Ariminum atque Anconam usque porrectis, clauditur.* Mox: *Atque his finibus Gallia Cisalpina circumſcribitur.* Et eodem libro poſteà: Ὅριον δὲ τῆς χώρας ταύτης, ἣν ἐντὸς Κελτικὴν καλοῦμεν, πρὸς τὴν λοιπὴν Ἰταλίαν, τό τε Ἀπέννινον ὄρος ἀποδέδεικτο καὶ ὁ Αἶσις ποταμός· ὕστερον δὲ ὁ Ῥουβίκων· εἰς τὸν Ἀδρίαν ἐκδιδόντες ἀμφότεροι. Id eſt: *Limes regionis huius, quam citeriorem Galliam vocamus, quo ab reliquâ Italiâ diſtingvebatur, mons Apenninus conſtitutus eſt & Aeſis fluvius; poſteriori verò tempore Rubico: ambo in Hadriaticum mare effluentes.* Et iterum infrà eodem libro: Περὶ δὲ τούτους τοὺς τόπους εἰσὶ τὰ ὅρια τῆς Ἰταλίας τῆς πρότερον καὶ τῆς Κελτικῆς, κατὰ τὸ πρὸς τῇ θαλάττῃ ταύτῃ μέρος· καίπερ μεταθέντων πολλάκις τῶν ἡγεμόνων. πρότερον μὲν γὰρ τὸν Αἶσιν ἐποιοῦντο ὅρον· πάλιν δὲ τὸν Ῥουβίκωνα ποταμόν. ἔστι δὲ ὁ μὲν

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Αἶσις μεταξὺ Ἀγκῶνος καὶ Σενογαλλίας, ὁ δὲ Ῥουβίκων μεταξὺ Ἀριμίνου καὶ Ῥαουέννης. Id eſt: *Circa hæc loca limes eſt antiquæ Italiæ & Galliæ, ad huius maris parteis. quamquàm is limes ſæpè eſt à magiſtratu mutatus. primùm quidpe Aeſim finem eſſe voluerunt: dein Rubiconem. Aeſis inter Anconam eſt & Senogalliam; Rubico inter Ariminum & Ravennam.* Nempe poſteaquàm *Senones Galli*, qui Galliam citeriorem apud Aeſim flumen claudebant, à Romanis, ut infrà cap. XXVIII docebo, maximâ ſedium parte exciſi, agerque eorum viritim populo Romano diviſus eſt; limes inde inter Italicas Gallicasque genteis conſtitutus fuit *Rubico* amnis, vulgò nunc *Rugone* dictus in viâ Aemiliâ, II millia paſſuum à Cæſenâ; circa oſtium autem, III millia ab opido Cæſenatico, *Fiumecino* adpellatus. Plinius dicto lib. III cap. XIIII: *Ab Anconâ Gallica ora incipit, Togatæ Galliæ cognomine.* Et cap. XV: *Ariminum colonia, cum amnibus Arimino & Aprusâ, Fluvius hinc Rubico; quondam finis Italiæ.* Lucanus lib. I:

Fonte cadit modico, parvisque impellitur undis
Puniceus Rubico, quum fervida canduit æſtas,
Perque imas ſerpit valleis, & Gallica certus
Limes ab Auſoniis diſterminat arva colonis.

Vibius Sequeſter, in catalogo fluminum: *Rubicon, Galliæ, juxta Ariminum; olim dividens Galliam ab Italiâ.* Cicero Philippicâ VI, de M. Antonio: *Vt exercitum citra flumen Rubiconem, qui finis eſt Galliæ, educeret; dum ne propius urbem Romam CC millibus admoveret.* Plutarchus in Pompeio, de Iulio Cæſare: Ἐπεὶ τὸν Ῥουβίκωνα ποταμὸν ἐλθών, ὃς ἀφώριζεν αὐτῷ τὴν δεδομένην ἐπαρχίαν, ἔστη σιωπῇ, καὶ διεμέλλησεν, αὐτὸς ἄρα πρὸς ἑαυτὸν συλλογιζόμενος τὸ μέγεθος τοῦ τολμήματος. Id eſt: *Vt ad Rubiconem amnem venit, qui terminus erat provinciæ, quam obtinebat, ſubſtitit, cunctatusque eſt; reputans ſecum cæpti magnitudinem.* Obtinebat utramque Galliam cum Illyrico; ut ſuprà ex Svetonio intellectum eſt: utque ipſe Plutarchus in vitâ Cæſaris, & item Appianus Civil. bellor. lib. II teſtantur. De Rubicone ita Plutarchus in Cæſare: Ταῦτα διαπραξάμενος, τὴν μὲν δύναμιν ἐν Σηκουανοῖς ἀπέλειπε διαχειμάζουσαν· αὐτὸς δὲ τοῖς ἐν Ῥώμῃ προσέχειν βουλόμενος, εἰς τὴν περὶ Πάδον Γαλατίαν κατέβη, τῆς αὐτῷ δεδομένης ἐπαρχίας οὖσαν. ὁ γὰρ καλούμενος Ῥουβίκων ποταμὸς ἀπὸ τῆς ὑπὸ ταῖς Ἄλπεσι Κελτικῆς ὁρίζει τὴν ἄλλην Ἰταλίαν. Id eſt: *His patratis, exercitum reliquit in Sequanis hibernaturum. ac rebus urbanis intentus, in Galliam Circumpadanam, quæ provinciæ eius erat, contendit. quidpe Rubico amnis dirimit à Galliâ Subalpinâ reliquam Italiam.* Et poſteà: Ἦλθεν ἐπὶ τὸν ὁρίζοντα τὴν ἐντὸς Ἄλπεων Γαλατίαν ἀπὸ τῆς ἄλλης Ἰταλίας ποταμὸν Ῥουβίκωνα. Hoc eſt: *Venit ad flumem Rubiconem; qui Galliam Cisalpinam ab reliquâ Italiâ ſecernit.* Appianus dicto bellor. civil. lib. II: Ὁ δὲ Καῖσαρ ἄρτι τὸν Ὠκεανὸν ἐκ Βρεττανῶν διεπεπλεύκει, καὶ ἀπὸ Κελτῶν, τῶν ἀμφὶ τὸν Ῥῆνον, τὰ ὄρη τὰ Ἄλπεια διελθὼν σὺν πεντακισχιλίοις πεζοῖς καὶ ἱππεῦσι τριακοσίοις, κατέβαινεν ἐπὶ Ῥαβέννης, ἣ συναφής τε ἦν τῇ Ἰταλίᾳ, καὶ τῆς Καίσαρος ἀρχῆς τελευταία. Id eſt: *Cæſar, recens Oceano trajecto reverſus è Britanniâ, emenſusque Galliam Rheno conterminam, ſuperatis Alpibus, cum V millibus peditum & equitibus CCC petebat Ravennam, quæ Italiæ contigua erat, poſtrema eius provinciæ.* Et aliquanto pòſt: Τοὺς μὲν λοχαγοὺς σὺν ὀλίγοις τοῖς μάλιστα εὐτολμοτάτοις προὔπεμπεν ἐσελθεῖν ἐς Ἀρίμινον, καὶ τὴν πόλιν ἄφνω καταλαβεῖν· ἥδ᾽ ἐστὶν Ἰταλίας πρώτη μετὰ τὴν Γαλατίαν. αὐτὸς δὲ περὶ ἑσπέραν, ὡς δὴ τὸ σῶμα ἐνοχλούμενος, ὑπεχώρησε τοῦ συμποσίου, τοὺς φίλους ἀπολιπὼν ἔτι ἑστιᾶσθαι. καὶ ζεύγους ἐπιβὰς, ἤλαυνεν ἐς τὸ Ἀρίμινον, ἑπομένων οἱ τῶν ἱππέων ἐκ διαστήματος. δρόμῳ δ᾽ ἐλθὼν ἐπὶ τὸν Ῥουβίκωνα ποταμὸν, ὃς ὁρίζει τὴν Ἰταλίαν, ἔστη τοῦ δρόμου· καὶ ἐς τὸ ῥεῦμα ἀφορῶν, περιεφέρετο τῇ γνώμῃ, λογιζόμενος ἕκαστα τῶν ἐσομένων κακῶν, εἰ τόνδε τὸν ποταμὸν σὺν ὅπλοις περάσειε. Hoc eſt: *Centuriones cum animoſis aliquot Ariminum præmiſit, juſſos repentè urbem eam occupare; quæ Italicarum prima ſe offert ex Galliâ venientibus. ipſe ſub veſperam, quaſi malè adfectus corpore, digreſſus è convivio, amicis ibi relictis, conſcensâ rhedâ properavit Ariminum; equitibus longo intervallo ſubſequentibus. quumque continuato curſu perveniſſet ad Rubiconem fluvium; defixis in eum oculis, hæſitabat nonnihil; cogitans futura mala, ſi armatus amnem trajiceret.* Svetonius, in vitâ eius, cap. XXX: *Transiit in citeriorem Galliam: conventibusque peractis, Ravennæ ſubſtitit; bello vindicaturus, ſi quid de tribunis plebis, intercedentibus pro ſe, gravius à ſenatu conſtitutum eſſet.* Et cap. XXXI: *Conſequutus cohorteis ad Rubiconem flumen, qui provinciæ eius finis erat, paullum conſtitit: ac reputans quantum moliretur, converſus ad proximos, Etiam nunc, inquit, regredi poſſumus. quòd ſi ponticulum transierimus; omnia armis agenda erunt.* Finis igitur tunc temporis Galliæ Cisalpinæ fuit ab hac parte *Rubico amnis.* qui quum perbrevis ſit fluviolus; linea porrò à fonte eius ex

oriente

oriente in occidentem ad Vtentis, qui nunc eſt *Montone*, ripam erit ducenda: hinc ipſe ſtatuendus Vteis, ad fontem usque & Alpeis; quà ex averſo earum latere Arnus erumpit amnis. quibus limitibus & *Sarſina* urbs, & opidum quondam *Mevaniola*, quod nunc dici *Galeatam* in ripâ Bedeſis amnis, pòſt ſuo loco oſtendetur, Vmbris, quorum fuêre, manebunt: *Cæſena* verò Galliæ tribuetur ex ſententiâ Strabonis, Plinii ac Ptolemæi. Ingens heic error immaniſque imperitia notetur Servii grammatici; qui, ad Virgilii Aeneid. libri primi initium commentans, *Quærunt*, inquit, *multi, cur Aeneam primum ad Italiam veniſſe dixerit; quum paullo pòſt dixerit, Antenorem ante adventum Aeneæ fundaſſe civitatem. Conſtat quidem. ſed, habitâ temporum ratione, peritiſſimè dixit Virgilius. namque illo tempore, quo Aeneas ad Italiam venit, finis erat Italiæ usque ad Rubiconem fluvium. unde adparet, Antenorem non ad Italiam veniſſe, ſed ad Galliam Cisalpinam, in qua Venetia eſt. Poſteà verò promotis usque ad Alpeis Italiæ finibus, novitas creavit errorem.* Atqui neque Aeſis primùm nec deinde Rubico, umquàm Italiæ fuêre finis, niſi quum eam ab Galliâ Cisalpinâ ſubmoverent: hæc autem nulla fuit, antequàm Galli, è Galliâ ulteriore Alpeis transgreſſi, huc immigrarunt. quod Priſco demum Tarquinio Romæ regnante factum, mox è Livio diſcemus. Nugæ igitur iſtæ ſunt imperiti rerum grammatici. De cætero, quum Ligures quoque Italici, ut ſuprà è Strabone intelleximus, ſub titulo Galliæ citerioris comprehenſi fuerint; terminus ad mare inferum eius provinciæ fuit idem, qui ipſius Liguriæ: primùm Arnus amnis; dein Macra fluvius: ut ſuprà in Ligurum diſcriptione cap. VIII oſtenſum. Hinc, quum Iulius Cæſar utramque Galliam regendam ab ſenatu accepiſſet; Lucam, opidum Liguriæ inter Arnum & Macram, eius provinciæ fuiſſe teſtantur Svetonius in vitâ eius, & Plutarchus in eius ſimul & in Pompeii vitâ. Svetonii verba cap. XXIIII hæc ſunt: *Quum L. Domitius, conſulatus candidatus, palàm minaretur, conſulem ſe effecturum, quod prætor nequiſſet; ademturumque ei exercitus: Craſſum Pompeiumque, in urbem provinciæ ſuæ Lucam extractos, compulit, ut, detrudendi Domitii causâ, conſulatum alterum peterent.*

GALLORVM ex Transalpinâ Galliâ in Italiam quæ gentes transierint.

Atque hos equidem limites Romani pro arbitratu ſuo ei circumſcripſerunt provinciæ, quam *Galliam Cisalpinam* ſive *Citeriorem* & *Togatam* vocarunt: ſub cuius titulo non tantùm Gallici populi, ſed & Hiſtri, Carni, Veneti, Ligures, & aliæ Alpinæ gentes comprehenſæ fuerunt. quibus hactenus explicatis, ipſos nunc GALLOS, ex antiquâ illâ trans Alpeis ac verâ Galliâ in Italiam profectos, memorare, ſedeisque eorum, quas quisque populus cis Alpeis habuerit, indicare adgrediemur. Cauſas, cur primùm, relicto patrio ſolo, Italiam petierint, rerum ſcriptores adferunt varias. Pompeii Trogi epitomator Iuſtinus, lib. XX: *Gallis cauſa in Italiam veniendi, ſedeisque novas quærendi, inteſtina discordia & adſiduæ domi diſſenſiones fuêre.* Plinius lib. XII cap. I: *Produnt, Alpibus coërcitas etiam tum* [mendosè in vulgatis exemplaribus, *& tum*] *inſuperabili munimento Gallias hanc primùm habuiſſe cauſam ſuperfundendi ſe Italiæ: quòd Elico, ex Helvetiis civis earum, fabrilem ob artem Romæ commoratus, ficum ſiccam & uvam oleique & vini primitias remeans ſecum tuliſſet. Quapropter hæc vel bello quæſiſſe, venia ſit.* Livius lib. V: *Legati ab Cluſinis veniunt, auxilium adversùs Gallos petentes. Eam gentem, traditur fama, dulcedine frugum, maximéque vini novâ tum voluptate captam, Alpeis transiſſe: agrosque ab Etruſcis antè cultos poſſediſſe. & invexiſſe in Galliam vinum illiciendæ gentis causâ Aruntem Cluſinum, irâ corruptæ uxoris ab Lucumone; (cui tutor is fuerat ipſe) præpotente juvene, & à quo expeti pœnæ, niſi externa vis quæſita eſſet, requirent. hunc transeuntibus Alpeis ducem auctoremque Cluſium oppugnandi fuiſſe.* Hinc Olimpiadum auctor ἀνώνυμος· Ὀλυμπιάδος ϟζ΄ ἔτει δ΄ Κελτῶν διάβασις τῶν Ἄλπεων. Ὀλυμπιάδος ϟη΄ ἔτει α΄ Κελτικὴ ἔφοδος εἰς τὴν Ῥώμην. Id eſt: *Olympiadis* XCVII *anno* IIII *Galli Alpeis transiverunt. Olympiadis* XCVIII *anno primo Galli Romam ceperunt.* Sequitur autem continuò hoc: Ὀλυμπιάδος ϟη΄ ἔτει β΄ οἱ Κελτοὶ τὰς Ἄλπεις διέβησαν, ὡς Διοδώρῳ δοκεῖ. Id eſt: *Olympiadis* XCVIII *anno* II *Galli Alpeis transierunt; ut Diodoro placet.* Sed hanc chronologiam confutat Livius, dicto loco continenter pòſt, his verbis: *Equidem haud abnuerim, Cluſium Gallos ab Arunte, ſeu quo alio Cluſino, adductos. ſed eos, qui oppugnaverint Cluſium, non fuiſſe, qui primi Alpeis transierint, ſatis conſtat. ducentis quidpe annis antè, quàm Cluſium oppugnarent, urbemque Romam caperent, in Italiam Galli transſcenderunt. nec cum his primùm Etruſcorum, ſed multo antè cum iis, qui inter Apenninum Alpeisque incolebant, ſæpè exercitus Gallici pugnavêre.* Et

paullo poſt: *De tranſitu in Italiam Gallorum hæc accepimus: Priſco Tarquinio Romæ regnante, Celtarum, quæ pars Galliæ tertia eſt, penes Bituriges ſumma imperii fuit. ii regem Celtico dabant. Ambigatus is fuit; virtute fortunâque, cùm ſuâ tùm publicâ, præpollens: quod in imperio eius Gallia adeò frugum hominumque fertilis fuit, ut abundans multitudo vix regi videretur poſſe. Hic magno natu ipſe jam, exonerare prægravante turbâ regnum cupiens; Belloveſum ac Sigoveſum, ſororis filios, impigros juvenes, miſſurum ſe eſſe in quas dii dediſſent auguriis ſedeis, oſtendit.* Paullo aliam migrandi cauſam refert prædictus Iuſtinus poſteà, lib. XXIIII, his verbis: *Galli, abundanti multitudine, quum eos non caperent terræ, quæ genuerant, trecenta millia hominum ad ſedeis novas quærendas, velut ver ſacrum, miſerunt. ex his portio in Italiâ conſedit; quæ & urbem Romanam captam incendit: & portio Illyricos ſinus per ſtrages Barbarorum penetravit; & in Pannoniâ conſedit.* At Plutarchus, in Camillo, duas diverſas iſtas cauſas, ex duobus diverſis haud dubiè auctoribus hauſtas, mirificè confudit. Οἱ δὲ Γαλάται, inquit, τοῦ Κελτικοῦ γένους ὄντες, ὑπὸ πλήθους λέγονται τὴν αὐτῶν ἀπολιπόντες, οὐκ οὖσαν αὐτάρκη τρέφειν ἅπαντας, ἐπὶ ζήτησιν ἑτέρας ὁρμῆσαι. μυριάδες δὲ πολλαὶ γενόμεναι νέων ἀνδρῶν καὶ μαχίμων, ἔτι δὲ πλείους παίδων καὶ γυναικῶν ἄγοντες, οἱ μὲν ἐπὶ τὸν Βόρειον Ὠκεανὸν ὑπερβάλλοντες τὰ Ῥιπαῖα ὄρη, ῥυῆναι, καὶ τὰ ἔσχατα τῆς Εὐρώπης κατασχεῖν· οἱ δὲ μεταξὺ Πυρρήνης ὄρους καὶ τῶν Ἄλπεων ἱδρυθέντες, ἐγγὺς Σενώνων καὶ Κελτορίων κατοικεῖν χρόνον πολύν· ὀψὲ δὲ οἴνου γευσάμενοι, τότε πρῶτον ἐξ Ἰταλίας διακομισθέντος· οὕτως ἄρα θαυμάσαι τὸ πόμα, καὶ πρὸς τὴν καινότητα τῆς ἡδονῆς ἔκφρονες γενέσθαι πάντες, ὥστε ἀράμενοι τὰ ὅπλα, καὶ γονέας ἀναλαβόντες, ἐπὶ τὰς Ἄλπεις φέρεσθαι, καὶ ζητεῖν ἐκείνην τὴν γῆν, ἣ τοιοῦτον καρπὸν ἀναδίδωσιν. Id eſt: *Galli, Celtica gens, quum patria alere omneis, prægravante multitudine, non valeret, ad novas ſedeis quærendas feruntur profecti. Multa millia juvenum bellicoſorum erant: quos longè maior ſequebatur puerorum mulierumque caterva. Horum pars, Riphæis ſuperatis montibus, Oceani ſeptemtrionalis oras invaſiſſe dicuntur, atque ultima inſediſſe Europæ: pars, inter Pyrenæum montem & Alpeis ſedibus poſitis, juxta Senones & Celtorios diu habitaſſe. pòſt, vino, quod tum primùm ex Italiâ allatum fuit, guſtato, ita fuiſſe potus novâ voluptate captos, & inſaniſſe omneis, ut, arreptis armis, parentibusque adſumptis, illicò versùs Alpeis contenderent; terram illam, quæ tam præſtantem fructum gigneret, quæſituri.* Hæc, & ſequentia, de Cluſii oppugnatione, ita per compendium refert Zonara Annal. lib. II: Οἱ δὲ Γαλάται, Κελτικὸν ὄντες γένος, λιπόντες τὴν ἑαυτῶν, ὡς οὐκ αὐτάρκη τρέφειν αὐτοὺς, οἱ μὲν ἐπὶ τὰ ὄρη τὰ Ῥιπαῖα ὡρμήκεσαν· οἱ δὲ τῶν Ἄλπεων ἱδρυθέντες ἐγγὺς, χρόνον ἐκεῖ διῆγον πλείονα. τότε δὲ οἴνου κομισθέντος ἐξ Ἰταλίας, τούτου γευσάμενοι, καὶ ὑπερθαυμάσαντες, ἀράμενοι τὰ ὅπλα, καὶ γονέας ἐπαγόμενοι, τὴν γῆν ἐκείνην ἐζήτουν, ἣ τοιοῦτον καρπὸν ἀναδίδωσι· καὶ πρὸς πόλιν Τυρρηνίδα, Κλούσιον καλουμένην, στρατεύσαντες ἐπολιόρκουν αὐτήν. Id eſt: *Galli, Celtica gens, quum patria alere omneis nequiret; eâ relictâ, partim ad Riphæos monteis ſunt profecti, partim prope Alpeis diu conſederunt. tum verò Italico vino guſtato, admiratione tantæ dulcedinis, ſumptis armis cum parentibus, terram illam, quæ talem fructum gigneret, quærentes, Cluſium, Etruſcam urbem obſederunt.* In his falſum eſt, quòd ait Plutarchus Gallorum alteram partem, neſcio unde profectam, inter Pyrenæos & Alpeis, id eſt, in eâ, quæ poſtmodùm Romanis *Gallia Narbonenſis* dicta eſt, conſediſſe juxta *Senones* & neſcio quos *Celtorios*: quum in eâ Gallorum parte fuerint ipſi *Senones* atque *Bituriges*; ut mox ex Livio videbimus. Quapropter vox etiam Κελτορίων, admodùm obſcura, ignota, & nemini, quamvìs pluribus in eâ laborantibus, ſatis hactenus explicata, haud dubiè vitiata eſt ex genuino vocabulo Βιτουρίγων. Falſum idem eſt, quòd alteram Gallorum partem tradit, ſuperatis Riphæis jugis, Oceani litora & extrema Europæ obſediſſe: quum in Boiohæmum tantùm, ſuperatis Herciniis ſaltibus montibusque, *Boii* Sigoveſo duce penetraverint; ut latiùs eam rem Germaniæ lib. III cap. XXX, ex Cæſare, Livio, Paterculo, Strabone, ac Tacito, explicui. At diverſam rurſum ab iſtis cauſam transeundi in Italiam tradidit Polybius lib. II. Italiam illic generatim deſcribit; atque inter alias eius parteis maximè eam, quæ inter Alpeis Apenninumque & Hadriaticum mare ad utramque Padi ripam planitiem continet pulcherrimam, Romanis, ut ſuprà expoſuimus, Galliam Ciſalpinam vocitatam. ſubjicit inde iſta: Τοὺς ἱστοροῦντας τὰς Τυρρηνῶν δυναστείας, οὐ χρὴ ποιεῖσθαι τὴν ἀναφορὰν ἐπὶ τὴν νῦν κατεχομένην ὑπ᾽ αὐτῶν χώραν· ἀλλὰ ἐπὶ τὰ προειρημένα πεδία, καὶ τὰς ἐκ τούτων τῶν τόπων ἀφορμάς· οἷς ἐπιμιγνύμενοι κατὰ τὴν παράθεσιν Κελτοὶ, καὶ περὶ τὸ κάλλος τῆς χώρας ὀφθαλμιάσαντες, ἐκ μικρᾶς προφάσεως μεγάλῃ στρατιᾷ παραδόξως ἐπελθόντες, ἐξέβαλον ἐκ τῆς περὶ τὸν Πάδον χώρας Τυρρηνοὺς, καὶ κατεῖχον αὐτοὶ τὰ πεδία. Τὰ μὲν οὖν

πρῶτα

πρῶτα καὶ περὶ τὰς ἀνατολὰς τοῦ Πάδου κείμενα Λάοι καὶ Λεβέκιοι, μετὰ δὲ τούτους Ἴσομβροι κατῴκησαν, ὃ μέγιστον ἔθνος ἦν αὐτῶν· ἑξῆς δὲ τούτοις παρὰ τὸν ποταμὸν Κενομανοί. τὰ δὲ πέραν τοῦ Πάδου τὰ περὶ τὸν Ἀπέννινον, πρῶτοι μὲν Ἄνανες, μετὰ δὲ τούτους Βοῖοι κατῴκησαν· ἑξῆς δὲ τούτων, ὡς πρὸς τὸν Ἀδρίαν, Αἴγωνες· τὰ δὲ τελευταῖα πρὸς θαλάττῃ Σήνωνες. τὰ μὲν οὖν ἐπιφανέστατα τῶν κατασχόντων τοὺς προειρημένους τόπους ἐθνῶν ταῦθ' ὑπῆρχεν. Hoc eſt: *Qui in Etruſcorum principatus inquirunt, eos oportet non ad illam regionem, quam nunc tenent, oculos referre; ſed ad campos ſuprà dictos, & ad opeis, quas inde colligebant. Adſidebant illis Galli: ideóque commercia cum iis frequentabant. dein cupiditatis oculis in pulcherrimam hanc planitiem adjectis; arreptâ occaſione levi, numeroſo cum exercitu nihil tale cogitanteis Etruſcos invadunt; ex regione Circumpadanâ ejiciunt; atque ipſi agros eos occupant. Prima itaque; quæ circa ortus Padi ſunt ſita loca, Lai ac Lebecii, ultra hos, apud fluvium Cenomani ſedeis poſuerunt. ultra Padum, circa Apenninum, primi Ananes; dein Boii: poſt iſtos, versùs Hadriaticum mare Aegones: poſtremi omnium ad mare Senones. Atque hæ nobiliſſimæ ſunt gentes inter eas, quæ prædictas terras occuparunt.* Pro voce corruptâ Αἴγωνες ſcribendum omnino eſſe Λίγγωνες, *Lingones*, apertiſſimè patet ex Livio; qui harum gentium tranſitum ita refert dicto lib. v: *Ambigatus, magno natu ipſe jam, exonerare prægravante turbâ regnum cupiens, Belloveſum ac Sigoveſum, ſororis filios, impigros juvenes, miſſurum ſe eſſe in quas dii dediſſent auguriis ſedeis, oſtendit. quantum ipſi vellent, numerum hominum excirent; ne qua gens arcere advenienteis poſſet. Tum Sigoveſo ſortibus dati Hercinii ſaltus. Belloveſo haud paullo lætiorem in Italiam viam dii dabant. Is, quòd eis populis abundabat, Bituriges, Arvernos, Senones, Heduos, Ambarros, Carnutes, Aulercos, excivit. Profectus ingentibus peditum equitumque copiis, in Tricaſtinos venit. Alpes inde oppoſitæ erant. quas inſuperabileis viſas, haud equidem miror; nullâ dum viâ, quòd quidem continens memoria ſit, (niſi de Hercule fabulis credere libet) ſuperatas. Ibi, quum velut ſæptos montium altitudo teneret Gallos; circumſpectarentque, quánam per juncta cœlo juga in alium Orbem terrarum tranſirent, religio etiam tenuit; quòd allatum eſt, advenas, quærenteis agrum, ab Salyum gente oppugnari. Maſſilienſes erant hi; navibus à Phocide profecti. Id Galli fortunæ ſuæ omen rati, adjuvêre, ut, quem primum in terram egreſſi occupaverant locum, patentibus ſilvis communirent. Ipſi per Taurinos ſaltusque Iuliæ Alpis tranſcenderunt. fuſisque acie Tuſcis haud procul Ticino flumine, quum, in quo conſederant, agrum Inſubrium adpellari audiſſent, cognomine Inſubribus, pago Heduorum; ibi, omen ſequentes loci, condidêre urbem; Mediolanum adpellarunt. Alia ſubinde manus Cenomanorum, Elitovio duce veſtigia priorum ſequuta; eodem ſaltu, favente Belloveſo, quum tranſcendiſſent Alpeis, ubi nunc Brixia ac Verona urbes ſunt, (locos tenuêre Libui) conſidunt. Poſt hos Salluvii; qui prope antiquam gentem Lævos Ligures, incolenteis circa Ticinum amnem, petiêre Apenninum. Deinde Boii Lingonesque transgreſſi, quum jam inter Padum atque Alpeis omnia tenerentur; Pado ratibus trajecto, non Etruſcos modò, ſed etiam Vmbros agro pellunt. intra Apenninum tamen ſeſe tenuêre. Tum Senones, recentiſſimi advenarum, ab Vſente flumine usque ad Atheſim fineis habuêre.* Sic equidem hanc hiſtoriam typis vulgata referunt exemplaria: in qua quamplurima verba ita vitiata ſunt, uti nullus ipſius rei conſtet ſenſus. Atque hæc quidem, *Iuliæ Alpis*; item, *ab Vſente flumine ad Atheſim*; rectè emendaſſe jam dudum viros doctos in iſta, *inviæ Alpis*, &c, *ab Vtente flumine ad Aeſim*; infrà cap. xxviii & xxxiii clarè patebit. Cæterùm ſcripſiſſe Livium, *per Taurinos ſaltumque inviæ Alpis*, perſvadebant puſillo pòſt ſequentia, *eodem ſaltu*; ni libro etiam xxxviiii ſcriptum foret, *Galli Transalpini per ſaltus ignotæ antè viæ in Italiam transgreſſi*. Nempe in Venetiam, ut ſuprà cap. xvii & xx intelleximus. Verùm tamen illi loco ſingularis numerus *ſaltumque* magis convenit. Saltus autem Livius paſſim in omni hiſtoriâ ſuâ vocat anguſtias viarum, præcelſis præruptisque jugis ac ſilvis utrimque ſæptas. Porrò ex reliquis Livii ſuprà ſcriptis verbis Beatus Rhenanus ita quædam reſtituere conatus eſt: *Poſt hos Salluvii; qui prope antiquam gentem Lævos, Ligures incolenteis circa Ticinum amnem, petiêre Apenninum. In his verbis errata complura latent. In primis neſcio, an pro* Salluvii qui, *ſcribendum ſit*, alii Libui. *Vetuſtum exemplar habet, non* prope, *ſed* præter. *poſtremò dumtaxat habet*, circa Ticinum amnem Pœninon. *ut ſatis liqueat, verbum* petiêre *poſteà additum ab aliquo, qui voluerit ſententiæ corruptæ ſuccurrere. Ego dictionem* Pœninon *quoque ex veteri codice eradendam puto. nam indubiè parum peritus aliquis librarius pro* dein Boii, *ſcripſit* penninon. *quod in archetypo fortaſſis erat* penivoii; v *litterâ pro* b *poſitâ. mox verſum eſt in* Apenninum;

ninum; *& adjectum verbum* petière; *ut conſiſteret ſententia. Quare ſic lego*: Poſt hos Salluvii, præter antiquam gentem Lævos Ligures, incolentes circa Ticinum amnem. dein Boii Lingonesque transgreſſi. *Subauditur verò verbum: Poſt hos Salluvii; ſcilicet transſcenderunt Alpeis*. Hactenus Rhenanus. Carolus verò Sigonius, omnium huius auctoris commentatorum accuratiſſimus, ita eadem verba tentavit: *His incommodis*, inquit, *ope unius veteris libri, longè omnium, quos legi, optimi, ſubvénimus; in quo ita eſt*: Poſt hos Salvii, qui præter antiquam gentem Lævos Ligures, incolenteis citra Ticinum amnem expulêre, Pœnino deinde Boii Lingonesque transgreſſi. *Senſus eſt: poſt Cænomanos Salvii Alpes transgreſſi ſunt; qui omneis citra Ticinum amnem incolenteis, præter antiquam gentem Lævos Ligures, expulêre. poſt hos Boii Lingonesque Alpeis transgreſſi. Eſt enim propoſitum auctori, oſtendere, qui Galli qua parte Alpium transgreſſi ſint; & quibus populis pulſis, qua in parte Italiæ conſederint. Itaque Bituriges, inquit, & Arverni, Taurino ſaltu Alpeis transgreſſi, agrum Inſubrium tenuerunt. eodem ſaltu Cænomani quum transſcendiſſent Alpeis, Lebuorum loca occuparunt. poſt hos Salvii transgreſſi, præter Lævos, Ligures reliquos, qui citra Ticinum amnem incolunt, expulerunt. deinde Boii Lingonesque, Pænino transgreſſi, Etruſcos Vmbrosque agro pellunt: ita tamen, ut ſe intra Apenninum continerent*. Verùm iſthæc lectio uti ſatis ſana ac genuina ſit, vehementer ego adhuc vereor: utique, quum nulli umquàm aliàs *Salvii* ſeu *Salluvii*, nulli *Libui* ſeu *Lebui* populi memorentur in Italiâ: quorum hi corrupto haud dubiè ſunt vocabulo ii, qui Polybio dicuntur Λεβέκιοι, *Lebecii*, Ptolemæo ac Plinio Λίβικοι, *Libici*; vel ut alia Plinii exemplaria habent, *Libicii*, & *Libitii*. Quapropter hunc locum, miſerrimè ab omnis geographiæ imperitiſſimis grammaticis jam olim dilaceratum ſic reſarcire coner: *Alia ſubinde manus Cenomanorum, Elitovio duce veſtigia priorum ſequuta, eodem ſaltu, favente Belloveſo, quum transſcendiſſent Alpeis, ubi nunc Brixia ac Verona urbes ſunt, locos tenuêre. Poſt hos Libici, ex Salviis orti, prope antiquam gentem Levos Ligures, incolenteis circa Ticinum amnem, conſidunt*. Vocem, quæ hinc ſequitur, *petière*, ii de ſuo inſeruerunt, qui proximum vocabulum *Pænino* ſive *Pennino* verterunt in *Apenninum*. quod ipſum nullo pacto heic conſiſtere poſſe, quàm diſertiſſimè ex continuò ſubſequenti liquet oratione; ubi *Boii* tandem *Lingonesque, quum jam inter Padum atque Alpeis omnia tenerentur, Pado ratibus trajecto, non Etruſcorum modò ſed etiam Vmbrorum agros* inter Padum & Apenninum occupaſſe narrantur. *Libicos* autem *ex Salviis* fuiſſe *ortos*, Plinius quoque teſtatur lib. III cap. XVII. Lævis verò, (ſive Gallis, ut vult Polybius, ſeu Liguribus, ut placet Plinio) fuiſſe conterminos, ex eodem ſimul Plinio ſimulque Polybio & Ptolemæo patet. nam Λαόυς καὶ Λεβεκίους, id eſt, *Læos atque Lebecios*, Polybius circa ortus ſive fonteis Padi, in lævâ amnis ripâ, coluiſſe tradit: Ptolemæus autem & Plinius Libicorum opidum faciunt *Vercellas*; Lævorum verò Ligurum *Ticinum*; quod nunc *Pavía* dicitur. Hanc igitur veram atque germanam Livii fuiſſe ſcriptionem, omnino ego mihi perſvadeo.

Sed ex tam variis diverſisque auctorum narrationibus unam tandem certam veramque hiſtoriam colligamus. Galli, quantum ego judicio adſequi valeo, Celtarum Gallorum trans Alpeis incolentium tertia pars, (quam, inter Sequanam Garumnamque amneis & Gebennam montem, *Celticam* cum Livio adpellat Iulius Cæſar in commentariis de Gallico bello) quum diſcordiâ ſeditionibusque domi laborarent; duo inter eos principes, Belloveſus atque Sigoveſus, fratres germani, partem gentis procul ab domo in exteras regiones novasque ſedeis deducere decreverunt. Sigoveſus Boios, ſuperatis Herciniis montibus ſaltibusque, deduxit in Boiohæmum; quod inde in hanc usque diem nomen retinuit. Cæterùm *Riphæi* montes primis quidem Græcis noſcebantur eſſe ea juga, quæ apud *Riphaces* populos, Riphathi, Noaci abnepotis, poſteros, (hi poſteà indeclinabili vocabulo dicebantur Græcis Ῥῶς, ſibi ipſis in hanc usque diem *Ruſſácy*) in extremâ apud Oceanum ſeptemtrionalem Moſcoviâ, ſeu Ruſſiâ, alio nomine vocabantur *Obii* montes à contermino flumine Obio; ut Germaniæ lib. I cap. I & IIII docui. poſteà verò, quum longinqui temporis progreſſu fama harum orarum obſcurata eſſet, parumque exactè noſcerentur ea, quæ ultra Italiam Græciamque ſita erant loca; Riphæos monteis Græci exiſtimarunt antiquiſſimis illis mortalibus fuiſſe eos, qui ſupra Græciam *Hemus*, ſupra Italiam verò adpellabantur *Alpes*; ut in prædicto Germaniæ opere à nobis oſtenſum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

oſtenſum. Alii verò Riphæos monteis putarunt eſſe *Hircinia juga:* quæ etiam Ariſtoteles, Μετεωρολογικῶν lib. I cap. XIII, ἃ πλήθει καὶ ὕψει μέγιστα περὶ τὸν τόπον τοῦτον, id eſt, *altitudine juxtà ac multitudine maxima in his oris* eſſe tradidit. Hinc, quum Sigoveſus cum Boiis ſuis, *ſuperatis*, ut inquit Livius, *Herciniis ſaltibus*, in Boiohæmum perveniſſet; quidam Græcorum ſcriptores pro *Hercinio* nomine *Riphæum* poſuêre vocabulum. quumque ex vetuſtiſſimis illis monumentis Riphæa juga noſcerentur in extimo apud Oceanum Septemtrione; hucusque Sigoveſum cum ſuis penetraſſe, quidam tradiderunt; à quibus id habuit Plutarchus. Atque hæc de Sigoveſo ac Boiis. Frater Sigoveſi Belloveſus cum aliâ Gallorum manu, ex variis Celticæ regionis inter Sequanam Garumnamque gentibus collectâ, primùm conſedit μεταξὺ Πυρήνης ὄρους, ut ait Plutarchus, καὶ τῶν Ἄλπεων, id eſt, *inter Pyrenæum montem & Alpeis*: ſcilicet apud mare internum, in eâ regione, quæ poſteà Romanis, in provinciæ formam redacta, *Narbonenſis* adpellata eſt *Gallia*, inter Pyrenæum montem, Garumnam amnem, montem Gebennam, Rhodanum flumen, Lemanum lacum & Alpeis Varumque amnem & mare internum porrecta. hinc eſt illud Catonis apud Plinium lib. III cap. XVIIII; ubi ita tradit Plinius: *Venetos Troianâ ſtirpe ortos, auctor eſt Cato: Cenomanos juxta Maſſiliam habitaſſe in Volcis*. Cenomanos ex ultimâ versùs Oceanum Britanniamque veniſſe Galliâ, quæ nunc Normanniæ fert adpellationem, infrà cap. XXVI in eorum expoſitione docebo. Quum autem cum reliquis, quæ ex Celticâ profectæ erant, gentibus πολὺν χρόνον, ut inquit Plutarchus, id eſt, *multum temporis* inter Pyrenæum & Alpeis apud Maſſilienſeis in Volcis ſubſediſſent; hæc eorum prima ſedes nonnullis auctoribus antiquis, à quibus id habuit Cato, credita traditaque fuit. Hinc etiam eſt, quod Livius ait, Maſſilienſeis à Gallis his *adjutos, ut, quem primum in terram egreſſi occupaverant locum patentibus ſilvis communirent*. Huc tandem pertinet & illud Polybii, ubi ait Gallos hosce, quum prope Etruſcos adcolentes commercia cum ipſis frequentaſſent; tandem *cupiditatis oculis in pulcherrimam hanc regionem Circumpadanam adjectis; arreptâ occaſione levi*, eam *invaſiſſe*. Plinius lib III cap. XVII, *Vercellæ*, inquit, *Libiciorum, ex Sallyis ortæ, Novaria ex Vertacomacoris, Vocontiorum hodiéque pago; non, ut Cato exiſtimat, Ligurum. ex quibus Lævi & Marici condidêre Ticinum*. Nempe, quum aliquamdiu ſuprà dicti Galli Celtici heic inter Pyrenæum Alpeisque ſubſediſſent: adſumptis ex eâ regione in ſocietatem longinquioris porrò migrationis, expeditionisque contra validiſſimam potentiſſimamque Etruſcorum gentem, ex Sallyorum gente *Libiciis*, ex Vocontiorum natione *Vertacomacoris*, &c, neſcio ex quibus Liguribus (quos tamen Gallos adpellat & ipſos Polybius) *Lævis* atque *Maricis*; *per Taurinos*, ut inquit Livius, *inviæ*que etiam tum *Alpis*, quæ poſteà *Cottia* dicta eſt, *ſaltum* μεγάλῃ στρατιᾷ, ut ait Polybius, *magno exercitu*, in Italiam *transſcenderunt*. Ac Livius equidem quinque diverſa agmina diverſis temporibus in Italiam transgreſſa tradit: primum, *Inſubrum Belloveſo* duce per Taurinas Alpeis: alterum, *Cenomanorum* Elitovio duce per eumdem ſaltum: tertium, *Libiciorum*, ſine ducis tranſitusque memoratione: qui tamen & ipſi eodem haud dubiè ſaltu, ut proximo, tranſierunt. quartum agmen, *Boiorum Lingonum*que, per Penninum jugum: quintum, *Senonum*, itidem ſine ducis tranſitusque indicio. At Polybius atque Plutarchus unam ſolam migrationem omnium iſtarum gentium agnoſcunt. Complureis tamen earum transmigrationes eſſe factas, certum eſt. quidpe primos illos, Belloveſo duce, tranſiſſe tradit Livius, quum Maſſilia urbs à Græcis conderetur Phocenſibus; *Tarquinio Priſco Romæ regnante*. hanc conditam Olympiade XLV, id eſt, circa medium Tarquinii regnum, auctor eſt Solinus cap. VIII. Boios autem Lingonasque veniſſe in Italiam ait Livius, poſtquàm omnia inter Padum Alpeisque à prioribus Gallis occupata forent. at Dionyſius lib. VII teſtis eſt, Etruſcos Padi oſtia adhuc tenuiſſe, atque inde cum Vmbris finitimis ſuis dextram Padi ripam apud Ravennam urbem adcolentibus, Dauniisque & aliis ſuperi maris adcolis barbaris, adversùs Cumas, inferi maris urbem, expeditionem feciſſe Olympiadis LXIIII anno IIII, Miltiade Athenis ſummum gerente magiſtratum, id eſt, annis LXXVI poſt Maſſiliam conditam, primorumque Gallorum in Italiam tranſitum. Quòd ſi igitur Cenomani non ſimul cum Inſubribus tranſierunt; poſt LXXVI demum iſtos annos ſubſequuti ſunt: poſt hos verò Boii Lingonesque. ac tandem poſt iſtos ultimi transgreſſi ſunt Senones; annis circiter CXXVII poſt prædictam Etruſcorum expedi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

expeditionem Cumanam. quidpe apud Livium dicto lib. v, anno urbis Romæ CCCLVIIII, Etruſci in publico totius intra Apenninum Etruriæ concilio teſtantur, ſe non poſſe Veios ex obſidione Romanorum eripere, quòd *inuſitata gens novi adcolæ ſibi Galli ſint, cum quibus nec pax ſatis fida, nec bellum pro certo ſit*. Senones ſcilicet erant; qui ſexennino pòſt Cluſium, Etruſcam urbem, oppugnarunt; atque inde confeſtim Romam ceperunt incenderuntque. Hinc illud Olympiadum auctoris anonymi, quod ſuprà citavimus: Ὀλυμπιάδος ϞΖ´ ἔτει δ´ Κελτῶν διάβασις τῶν Ἄλπεων. Ὀλυμπιάδος ϞΗ´ ἔτει α´ Κελτικὴ ἔφοδος εἰς τὴν Ῥώμην. Ὀλυμπιάδος ϞΗ´ ἔτει β´ οἱ Κελτοὶ τὰς Ἄλπεις διέβησαν, ὡς Διοδώρῳ δοκεῖ. Id eſt eſt: *Olympiadis* XCVII *anno* IIII *Galli Alpeis transiverunt Olympiadis* XCVIII *anno primo Galli Romam ceperunt. Olympiadis* XCVIII *anno* II *Galli Alpeis transierunt; ut Diodoro placet*. Nimirum Olympiadis XCVII anno IIII, id eſt, anno urbis Romæ CCCLXIIII, non tum primùm Alpeis, ſed ex eâ, quam, pulſis Vmbris, inter Vtentem Aeſimque amneis apud Hadriaticum ſinum tenebant, regione Apenninum montem transgreſſi Senones, primùm Cluſium oppugnarunt; mox, inſequenti anno, Romam ceperunt. Ab iſto Olympiadis XCVII anno IIII ad Olympiadem XLV, qua Maſſiliam conditam eſſe dixi, CCVIII numerantur anni. hinc illud Livii dicto lib. v: *Equidem haud abnuerim, Cluſium Gallos ab Arunte, ſeu quo alio Cluſino adductos: ſed eos, qui oppugnaverint Cluſium, non fuiſſe, qui primi Alpeis transierint, ſatis conſtat. ducentis quidpe annis antè, quàm Cluſium oppugnarent urbemque Romam caperent, in Italiam Galli transſcenderunt. nec cum his primum Etruſcorum, ſed multo ante cum iis qui inter Apenninum Alpeisque incolebant, ſæpiùs exercitus Gallici pugnavêre*. Satis apertè fatetur, jam nullos inter Apenninum Alpeisque fuiſſe Etruſcos, quum à Senonibus oppugnaretur Cluſium Romaque caperetur. ineptam igitur fine ejusdem libri v. Camillo concionanti hanc adfinxit orationem: *Inter tot veterrimos populos tam diu bella geritis: quum intereà (ne ſingulas loquar urbeis) non conjuncti cum Aequis Volſci, tot tam valida opida, non univerſa Etruria, tantum terrâ marique pollens, atque inter duo maria latitudinem obtinens Italiæ, bello vobis par eſt*. Sed de ſingularum gentium è Galliâ in Italiam transitu hactenus ſatis disſertum exiſtimo.

Cæterùm Strabo, lib. v, enumeratis hactenus Gallorum nationibus aliam inſuper addit; *Gæſatarum* ſcilicet. Τὸ μὲν οὖν ἀρχαῖον, inquit, ὑπὸ Κελτῶν περιῳκεῖτο τὸ πλεῖστον ὁ Πάδος. μέγιστα δ᾽ ἦν τῶν Κελτῶν ἔθνη Βοῖοι καὶ Ἴσομβροι, καὶ οἱ τὴν Ῥωμαίων πόλιν ἐξ ἐφόδου καταλαβόντες Σένωνες μετὰ Γαισατῶν. τούτους μὲν οὖν ἐξέφθειραν ὕστερον τελέως Ῥωμαῖοι· τοὺς δὲ Βοΐους ἐξήλασαν ἐκ τῶν τόπων. *—*. Οἱ δ᾽ ἐντὸς τοῦ Πάδου κατέχουσι μὲν ἅπασαν, ὅσην ἐγκυκλοῦται τὰ Ἀπέννινα ὄρη πρὸς τὰ Ἄλπια, μέχρι Γενούας καὶ Σαβάτων· κατεῖχον δὲ Βοῖοι καὶ Λίγυες καὶ Σένωνες καὶ Γαισάται τὸ πλέον. Τῶν δὲ Βοΐων ἐξελαθέντων, ἀφανισθέντων δὲ καὶ τῶν Γαισατῶν καὶ Σενώνων, λείπεται τὰ Λιγυστικὰ φῦλα. Hoc eſt: *Circa Padum igitur olim Galli ut plurimùm habitabant. quorum gentes maximæ Boii atque Inſubres, &, qui Romam repentino adventu ceperunt, Senones cum Gæſatis. Sed hos poſteà temporis prorſus deleverunt Romani: Boios verò ſedibus ſuis ejecerunt*. Et aliquanto pòſt: *Ciſpadani tenent, quidquid includitur Apenninis ſimul montibus & Alpibus, ad Genuam usque & Sabata. Incolæ quondam fuêre Boii, Ligures, Senones, & Geſatæ, plurimâ ex parte. poſteà, pulſis Boiis, Senonibus verò & Gæſatis deletis, ſuperfuerunt Liguſticæ gentes*. Verùm *Gæſatarum* aliquam gentem Italiam incoluiſſe, ſimulque cum Senonibus Gallis quondam cepiſſe urbem Romam, unus ſolus tradit Strabo. reliqui auctores, qui Gæſatarum meminêre, L. Aemilio tandem Papo & C. Atilio Regulo conſulibus, anno urbis Romæ IↃXXVIII, in Italiam nomen eorum transiſſe adfirmant. In his Plutarchus ſic tradit in M. Claudio Marcello: Ἴσομβροι, Κελτικὸν ἔθνος, δυνάμεις ἐκάλουν, καὶ μετεπέμποντο Γαλατῶν τοὺς μισθοῦ στρατευομένους, οἳ Γεσάται καλοῦνται. Id eſt: *Inſubres, Gallica gens, milites ex cæteris Gallis, mercenaria ſtipendia merenteis, qui Gæſatæ vocantur, exciverunt*. Eutropius lib. III: *L. Aemilio, C. Atilio, conſulibus, ingentes Gallorum copiæ Alpeis transierunt*. Oroſius lib. IIII cap. XIII: *L. Aemilio Papo, C. Atilio Regulo, conſulibus, magnâ formidine conſternatus ſenatus defectione Ciſalpinæ Galliæ; quum etiam ex ulteriore Galliâ ingens adventare exercitus nunciaretur; maximè Gæſatorum. quod nomen non gentis, ſed mercenariorum Gallorum eſt*. Polybius lib. II: Διόπερ εὐθέως τὰ μέγιστα τῶν ἐθνῶν, τό τε τῶν Ἰσόμβρων καὶ Βοίων, συμφρονήσαντα, διεπέμποντο πρὸς τοὺς κατὰ τὰς Ἄλπεις καὶ τὸν Ῥοδανὸν ποταμὸν κατοικοῦντας Γαλάτας, προσαγορευομένους δὲ διὰ τὸ μισθοῦ στρατεύειν Γαισάτας· ἡ γὰρ λέξις αὕτη τοῦτο σημαίνει κυρίως. *—*. Ῥωμαῖοι δ᾽ ὡς θᾶττον ἤκουσαν τοὺς Κελτοὺς ὑπερβεβληκέναι

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

κέναι τὰς Ἄλπεις, Λεύκιον μὲν Αἰμίλιον ὕπατον μετὰ δυνάμεως ἐξαπέστελλον ὡς ἐπ' Ἀριμίνου, τηρήσοντα ταύτῃ τῶν ἐναντίων τὴν ἔφοδον· ἕνα δὲ τῶν πελεκυφόρων εἰς Τυῤῥηνίαν. ὁ μὲν γὰρ ἕτερος ὑπάτων Γάϊος Ἀτίλιος προεξεληλυθὼς ἔτυχεν εἰς Σαρδόνα μετὰ τῶν στρατοπέδων. Hoc eſt: *Statim igitur communi conſilio duæ inter Gallos potentiſſimæ gentes, Inſubres atque Boii, legationem ad eos Gallos miſerunt, qui inter Alpeis Rhodanumque incolebant; Gæſati è re dicti, quòd æra bellando mereri ſoliti. id enim vox ea propriè ſignificat.* Et aliquantò pôſt: *Romani, audito Celtas trajeciſſe Alpeis, quantocyùs L. Aemilium conſulem cum legionibus Ariminum miſerunt; ſi fortè hoſtis irruptionem illac eſſet facturus. prætorum uni decreta eſt Etruria. nam alter conſulum C. Atilius jam antè in Sardiniam cum parte copiarum erat profectus.* At verò diſpicere mihi videor, unde is Straboni error natus ſit. ſic quidpe in eâdem hiſtoriâ haud ita multo pôſt ſcribit Polybius: Οἱ δὲ Κελτοὶ καταίραντες εἰς τὴν Τυῤῥηνίαν, ἐπεπορεύοντο τὴν χώραν πορθοῦντες ἀδεῶς, οὐδενὸς αὐτοῖς ἀντιταττομένου. τέλος ἐπ' αὐτὴν ὥρμησαν τὴν Ῥώμην. ἤδη δ' αὐτῶν περὶ πόλιν ὄντων, ἣ καλεῖται μὲν Κλούσιον, ἀπέχεται δ' ἡμερῶν τριῶν ὁδὸν ἀπὸ τῆς Ῥώμης, προσαγγέλλεται διότι κατόπιν αὐτοῖς ἕπονται καὶ συνάπτουσιν αἱ προκαθήμεναι τῶν Ῥωμαίων ἐν τῇ Τυῤῥηνίᾳ δυνάμεις. Id eſt: *Galli poſtquàm in Etruriam perveniſſent, regionem incurſantes impunè populabantur, nemine prohibente: tandem Romam ipſam petunt. Iam circa Cluſium erant, urbem tridui ſpatio ab Româ diſtantem, quum nuncius eis adfertur, Romanum exercitum, qui in finibus Etruriæ hoſti erat objectus, inſequi eos à tergo, & jam imminere.* Strabo igitur, ſeu quis alius ante eum auctor, quia de Senonibus idem legerat Gallis; veniſſe eos Cluſium usque; atque inde repentino adventu Romam cepiſſe: duas diverſiſſimorum longéque remotiſſimorum temporum hiſtorias in unam confudit; Gallosque *Gæſatas* non tantùm prioris illius expeditionis ſocios, ſed etiam Italiæ Gallicæ incolas falsò pronunciavit. Verùm de tranſitu Gallorum in Italiam hactenus diſſeruiſſe ſufficiat.

Nunc ſingularum gentium, quæ tranſiverunt, fines antequàm indicentur, de habitationibus earum nonnihil dicendum erit. Iuſtinus, Trogi epitomator, ſuprà dicto lib. xx ita tradit: *Gallis cauſa in Italiam veniendi ſedeisque novas quærendi inteſtina diſcordia & adſiduæ domi diſſenſiones fuêre. quarum tædio quum in Italiam veniſſent, ſedibus Tuſcos expulerunt; & Mediolanum, Comum, Brixiam, Veronam, Bergamum, Tridentum, Vicentiam condiderunt.* Ex his *Veronam* & *Tridentum* Rhætis, *Vicentiam* Venetis ſuprà in horum populorum deſcriptione adſeruimus: De *Mediolano* ita etiam Livius loco ſuprà ſcripto: *Fuſis acie Tuſcis haud procul Ticino flumine, quum, in quo conſederant, agrum Inſubrium adpellari audiſſent, cognomine Inſubribus, pago Heduorum; ibi, omen ſequentes loci, condidêre urbem; Mediolanum adpellarunt.* Et Plinius lib. III cap. XVII: *Lævi & Marici condidêre Ticinum; ſicut Boii, trans Alpeis profecti, Laudem Pompeiam, Inſubres Mediolanum.* Celtica eſſe vocabula *Bergomum* & *Brixia*, Germaniæ lib. I cap. VII docui. eiusdem lingvæ ac gentis eſſe *Mediolanum*, patet ex eo; quòd & in Tranſalpinâ Galliâ eo nomine fuerunt opida: ut *Mediolanum Santonum*; quod nunc vulgò dicitur *Saintes*: *Mediolanum Aulercorum Eburovicum*; quod nunc *Evreux*: *Mediolanum Gugernorum*; quod nunc *Moyland* in Cliviæ ducatu. Proinde à Gallis hæc conſtructa primùm fuiſſe loca, ſatis certum eſt. At jam inde ab initio mœnibus in urbium ritum fuiſſe cincta, ſatis apertè atque clarè negat Polybius, ita eodem lib. II ſcribens: ᾬκουν δὲ κατὰ κώμας ἀτειχίστους, τῆς λοιπῆς κατασκευῆς ἄμοιροι καθεστῶτες. διὰ γὰρ τὸ στιβαδοκοιτεῖν καὶ κρεωφαγεῖν, ἔτι δὲ μηδὲν ἄλλο πλὴν τὰ πολεμικὰ καὶ τὰ κατὰ γεωργίαν ἀσκεῖν, ἁπλοῦς εἶχον τοὺς βίους· οὔτ' ἐπιστήμης ἄλλης οὔτε τέχνης παρ' αὐτοῖς τὸ παράπαν γινωσκομένης. ὕπαρξίς γε μὴν ἑκάστοις ἦν θρέμματα καὶ χρυσός· τῷ μόνα ταῦτα κατὰ τὰς περιστάσεις ῥᾳδίως δύνασθαι πανταχῆ περιαγαγεῖν καὶ μεθιστάναι κατὰ τὰς αὑτῶν προαιρέσεις. Id eſt: *Habitabant autem vicatim ſine muris: neque ſuppellectilis ullum uſum norant. quidpe ſimplex illis vivendi modus: ut quibus ſomnus in herbæ aut ſtramenti toro erat; alimonium carnes tantùm: nec quidquam aliud curæ, niſi res bellicæ & agrorum cultus: nullâ aliâ neque ſcientiâ neque arte apud eos cognitâ. opes ſingulorum erant in pecore vel auro: quòd ſola hæc ad omneis fortunæ caſus facile ſit circumducere, ac pro arbitrio transferre.* Sanè ut reliquis quotidianæ vitæ partibus, ſic habitationibus quoque perſimiles fuêre Galli priſcis Germanis; ut pluribus capitibus Germaniæ lib. I docui. unde hoc unum Taciti ex libro de Germanorum moribus huc retuliſſe haud pigeat: *Nul-*

GALLORVM in Italiâ quales fuerint primæ habitationes.

las, inquit, *Germanorum populis urbeis habitari, ſatis notum eſt: ne pati quidem inter ſe junctas ſedeis. colunt diſcreti ac diverſi, ut fons, ut campus, ut nemus placuit. Vicos locant, non in noſtrum morem, connexis & cohærentibus ædificiis. ſuam quisque domum ſpacio circumdat. Solent & ſubterraneos ſpecus aperire: eosque multo inſuper fimo onerant; ſuffugium hiemi, & receptaculum frugibus.* Gallis hoc etiam in Italiâ fuiſſe uſitatum, auctor eſt Plinius lib. XVIIII cap. I. *Galliæ univerſæ*, inquit, *vela texunt. in Germaniâ autem defoſſi atque ſub terrâ id opus agunt: ſimiliter & in Italiâ, regione Allianâ, inter Padum Ticinumque amneis.* Falſiſſimum igitur fuerit, quod de urbibus huius Ciſalpinæ Galliæ tradit Plutarchus in Camillo his verbis: Πᾶσα δ' ἐστὶ δενδρόφυλλος αὕτη ἡ χώρα καὶ θρέμμασιν εὔβοτος, καὶ κατάρρυτος ποταμοῖς· καὶ πόλεις εἶχεν ὀκτωκαίδεκα, καλὰς καὶ μεγάλας, καὶ κατεσκευασμένας πρός τε χρηματισμὸν ἐργαλικῶς, καὶ πρὸς διαίταν πανηγυρικῶς· ἃς οἱ Γαλάται, τοὺς Τυῤῥηνοὺς ἐκβαλόντες, αὐτοὶ κατεῖχον. Hoc eſt: *Arboribus regio omnis paſcuisque læta & fluminibus irrigua, incolebatur urbibus XVIII, inſignibus atque amplis, ad rem induſtriâ parandam & ad luxum vitæ pariter comparatis. has Galli, ejectis inde Tuſcis, ipſi inſedêre.* Polybii haud dubiè ſequutus auctoritatem Strabo lib. V, Ἴσομβροι, inquit, Μεδιολάνιον ἔχον μητρόπολιν, πάλαι μὲν κώμην (ἅπαντες γὰρ ᾤκουν κωμηδόν) νῦν δ' ἀξιόλογον πόλιν. Id eſt: *Inſubrium caput fuit Mediolanium; vicus quidem olim, (univerſi quidpe per vicos habitabant) nunc verò urbs eſt præclara.* At poſtquàm Romana provincia hæc regio facta, & Romanæ coloniæ huc deductæ, municipiaque conſtituta; ad tantam evecta eſt celebritatem, tantamque claritatem; ut hodiéque nullâ Italiæ parte, exceptâ urbe Româ Romanoque agro, tam frequentia, ac penè in numera antiquitatum reperiantur monumenta, atque in hac Circumpadanâ Galliâ. unde jam olim Tacitus Hiſtoriar. lib. II, *Florentiſſimum*, inquit, *Italiæ latus, quantum inter Padum Alpeisque camporum & urbium, armis Vitellii tenebatur.* Hæc igitur etiam de habitationibus Gallorum Ciſalpinorum dixiſſe ſufficiat.

CAPVT XXIII.

De LIBICIS; *qui &* LIBICII, & LEBECII. *item de* LAEVIS, *ſeu* LEVIS, & MARICIS.

SIngularum Gallorum Ciſalpinorum gentium fineis Polybius indicaturus, ſic infit dicto lib. II: Τὰ μὲν οὖν πρῶτα καὶ περὶ τὰς ἀνατολὰς τοῦ Πάδου κείμενα Λάοι καὶ Λεβέκιοι, μετὰ δὲ τούτους Ἴσομβροι κατῴκησαν· ἑξῆς δὲ τούτοις Κενομανοί. Τὰ δὲ πέραν τοῦ Πάδου τὰ περὶ τὸν Ἀπέννινον, πρῶτοι μὲν Ἄνανες, μετὰ δὲ τούτους Βοῖοι κατῴκησαν· ἑξῆς δὲ τούτων Λίγγωνες· Τὰ δὲ τελευταῖα, πρὸς θαλάττῃ, Σήνωνες. Id eſt: *Prima itaque, quæ circa Padi exortus ſita ſunt loca, Lai & Lebecii, ulteriora Inſubres tenuerunt. poſt hos Cenomani ſedeis poſuerunt. Vltra Padum circa Apenninum, primi Ananes; dein Boii; poſt iſtos Lingones; poſtremi omnium ad mare conſederunt Senones.* Malè heic interpres Latinus; *Ad Padi igitur ripam, quæ Solis ortum reſpicit, primi ſedeis poſuerunt Lai ac Lebecii; &, qui hos ſequuntur, Inſubres.* nam ſiniſtræ ripæ, Alpibus obverſæ, genteis primo loco recenſet; dein, quæ ultra Padum ad Apenninum usque incolebant. Quum autem flumen hoc nullam ripam Soli orienti objectam habeat, niſi quæ eſt dextra, circa fonteis, apud Taurinos, ad Orci usque confluentem; ex hac interpretatione Lebecii non inter Alpeis & Padum, ſed inter hunc & Apenninum incoluerint, neceſſe eſt. quod non modò Livius, Plinius, & Ptolemæus, ſed & ipſe Polybius diſertiſſimè negat. Interpretem haud dubiè fefellit, quòd *fonteis* amnium nullibi aliàs Græcis ἀνατολὰς, id eſt, *ortus* adpellari obſervaverat. In Latinâ lingvâ idem uſurpavit Plinius lib. III cap. XVIIII. *Rhætorum*, inquit, *Vennones Sarunetesque ortus Rheni amnis adcolunt; Lepontiorum qui Viberi vocantur, fontem Rhodani.* In lævâ igitur fuêre Padi ripâ *Lebecii* Galli, teſtibus prædictis. ex quibus Livius lib. V, *Poſt hos*, inquit, *Libici, ex Salviis orti, prope antiquam gen-*

tem

tem Lævos Ligures, incolenteis circa Ticinum amnem, conſidunt. Plinius lib. III cap. XVII: *Vercellæ Libiciorum, ex Salyis ortæ; Novaria ex Vertacomacoris, Vocontiorum hodiéque pago; non, ut Cato exiſtimat, Ligurum. ex quibus Levi & Marici condidêre Ticinum, non procul à Pado.* Ptolemæus; qui nullos refert *Lævos*: Λιβικῶν, οἱ εἰσιν ὑπὸ τοὺς Ἰνσούβρους, Οὐερκέλλαι, Λαύμελλον. Id eſt: *Libicorum, qui ſunt ſub Inſubribus, Vercellæ & Laumellum.* Loca hæc etiam nunc nomina antiqua retinent, *Vercelli* & *Lomello*, ut pòſt oſtendam, vulgò dicta. Cæterùm qui in vulgatis nunc Polybii exemplaribus leguntur Λάοι, LAI, neſcio an non ab ipſo auctore ſcripti fuerint Λαῦοι· quod poſteà vocabulum Romani formarunt addito V, LAEVI; ut in nonnullis Livii Pliniique reperitur exemplaribus. ex quo poſterioribus temporibus, quum jam diphthongus *ae* pronunciaretur ut ſimplex vocalis *e*, grammatici exſcriptores vel librarii, quibus transſcribendi auctores dictabantur, fecerunt LEVI. At Λεβέκιοι, LEBECII Polybii, in quibusdam Plinii exemplaribus ſunt LIBICII; & in nonnullis *Libitii*. quod & ipſum exſcriptorum poſterioris ſæculi vitio ſeu errore factum; quibus *c* ante *e* & *i* eumdem habebat ſonum, quem *t* ante *i*, ſequenti aliâ vocali. cuius rei innumera paſſim reperiuntur alia exempla. In aliis Plinii exemplaribus ſunt LIBICI; ut & apud Ptolemæum Græcis literis Λιβικοί. Hoc vocabulum haud dubiè fuit etiam apud Livium, tribus locis. quod poſteà ubique imperiti exſcriptores corruperunt in *Libui*; ut nunc legitur. quamquàm in quibusdam eius exemplaribus etiam *Lebui* reperitur, pro LEBICI. unde adparet, promiſcuè olim id gentis nomen uſurpatum fuiſſe Romanis, modò per *e*, modò per *i*. Genus utriusque gentis quod attinet, Polybius eos facit *Gallos*: at è diverſo Livius & Plinius, dictis modò locis, *Lævos* pronunciant *Ligures*. Verùm eâdem ratione *Libicii* quoque dici potuiſſent *Ligures*. quidpe ſuprà in Ligurum expoſitione ex pluribus auctoribus docui, non tantùm *Salvios* ſive *Salyes*, ſed & alias ad utrumque Alpium latus genteis promiſcuè aliis Romanorum auctoribus habitas fuiſſe Gallici, aliis Liguſtici generis. Certè ipſe Livius poſteà, lib. XXXIII; ſatis diſertè inter Gallos eos cenſet, ab Ligurumque nomine eximit. Verba eius hæc ſunt: *Marcellus, Pado confeſtim trajecto, in agrum Comenſem, ubi Inſubres, Comenſibus ad arma excitis, caſtra habebant, ducit.* Et mox: *Comum opidum intra dies paucos captum. Caſtella inde duodetriginta ad conſulem defecerunt. Id quoque inter ſcriptores ambigitur, utrum in Boios priùs, an Inſubres, conſul exercitum duxerit: adverſamque proſperâ pugnâ obliteraverit; an victoria, ad Comum parta, deformata clade in Boiis acceptâ ſit. Sub hæc tam variâ fortunâ geſta, L. Furius Purpureo, alter conſul, per tribum Sapiniam in Boios venit. Iam caſtro Mutilo adpropinquabat, quum, veritus ne includeretur ſimul à Boiis Liguribusque, eâdem viâ, qua adduxerat, reduxit: & magno circuitu per aperta eoque tuta loca ad collegam pervênit. Dein, junctis exercitibus, primùm Boiorum agrum, usque ad Felſinam populantes, peragraverunt. Ea urbs, ceteraque caſtella, & Boii ferè omnes, præter juventutem, quæ prædandi causâ in armis erat, (tunc in devias ſilvas receſſerat) in deditionem pervenerunt. In Ligures deinde traductus exercitus. Boii negligentiùs coactum agmen Romanorum, quia ipſi procul abeſſe viderentur, improvisò adgreſſuros ſe rati, per occultos ſaltus ſequuti ſunt. quos non adepti, Pado repentè navibus trajecto, Lævos Libicosque quum penetraſſent, redeuntes inde Ligurum extremo fine cum agreſti prædâ, in agmen incidunt Romanum.* Extremus hic Ligurum finis erat circa Trebiam amnem & Placentiam: cui trans Padum proximus eſt Ticinenſis ager, nunc vulgò *Il Paveſe*; & ultrà Vercellenſis. quorum hic erat Libicorum, ille Lævorum. Libicos idem Livius etiam lib. XXI memorat, in his verbis: *Hannibal, poſtquàm Rhodanum transiit,* XXXVI *millia hominum ingentemque numerum equorum & aliorum jumentorum âmiſit in Taurinis: quæ Gallis proxima gens erat, in Italiam digreſſò. Id quum inter omneis conſtet; eò magis miror, ambigi, quânam Alpeis transierit; & vulgò credere Pennino, atque inde nomen & jugo Alpium inditum, transgreſſum. Cœlius per Cremonis jugum dicit transiſſe. Qui ambo ſaltus eum non in Taurinos, ſed per Salaſſos montanos* [ſic legendum, pro vitiato *ſaltus montanos*, in Alpium deſcriptione patebit] *ad Libicos deduxiſſent. Nec veri ſimile eſt, ea tum ad Galliam patuiſſe itinera: utique, quum, quæ ad Penninum ferant, obſæpta gentibus Semigermanis fuiſſent. neque herculè montibus his (ſi quem fortè id movit) ab transitu Pœnorum ullo Veragri, incolæ eius jugi, norunt nomen inditum; ſed*

ab eo, quem, in ſummo ſacratum vertice, Pennum montani adpellant. Taurinorum opidum vulgò nunc vocari *Turino*, ſuprà cap. XI oſtenſum eſt. *Veragros* vallem incoluiſſe, quam Dranſa flumen, ex maiore divi Bernhardi jugo in Rhodanum apud Martiniacum opidum defluens, mediam ſecat; & *Penninum jugum* idem eſſe, quod nunc à divo Bernhardo cognominatur; Germaniæ lib. II cap. IIII & VI docui. Quum igitur Livius utrumque tranſitum, cùm per Penninum, tùm per Cremonis jugum, per Salaſſos in Libicos duxiſſe dicat; *Cremonis* certè *jugum* illud eſt, quod vulgò hodiè minus divi Bernhardi adpellatur jugum, in Centrones & opidum eorum Tarantaſiam, quod nunc vulgò eſt *Mouſtier en Tarentaiſe* Gallofrancis, demittens.

LIBICIORVM *fines.*

Finis igitur LIBICIS ſive LEBECIIS circumſcribi poſſunt iſti: Ab occaſu, quà Taurinos conterminos habuêre, ut ſuprà cap. XI oſtenſum, Orgum flumen: ab ſeptemtrionibus, quà Salaſſis & Lepontiis jungebantur, Alpium radices. ab ortu Gunia fluvius; quò ab Lævis ſeparabantur. ab meridie, quà finitimi eis fuêre Ligures, Padus amnis, inter geminos in eum confluenteis Guniæ atque Orgi.

VERCELLAE *municipium.*

Caput gentis fuit opidum VERCELLAE; teſtibus Plinio atque Ptolemæo, ſuprà citatis. id nominis hodiéque ſervat, vulgò *Vercelli* dictum. Memoratur prætereà Straboni, Silio, Martiali, Tacito, Plutarcho, Itinerariis Romanis, Marcellino, & aliis. Auctor Dialogi de oratoribus: *Capuæ, aut Vercellis; ubi nati dicuntur*. Brutus Ciceroni, Familiar. lib. XI, epiſt. XVIIII: *Duodecimo Cal. Iun. Vercellis* Silius lib. VIII:

Vercellæ, fuſcique ferax Pollentia villi.

At Marcellino, lib. XXII, ut ſemibarbaro jam ſæculo, ſingulari numero ac neutro genere dicitur VERCELLVM. *Dein Taurum*, inquit, *ex præfecto prætorio, in exſilium egêre Vercellum*. Strabo lib. V ſuâ ætate vicum etiam tum vocat. Καὶ ἐν Οὐερκέλλαις, inquit, χρυσωρύχιον ἦν. κώμη δ᾽ ἐστὶ πλησίον Ἰκτουμούλων, καὶ ταύτης κώμης. Id eſt: *Erat & Vercellis auri fodina. eſt autem vicus prope Ictimulos, & ipſos vicum*. Plutarchus in C. Mario memorat eaſdem Βερκέλλας. Tacitus Hiſtoriar. lib. I, ſub initium imperii Veſpaſiani, *municipium* vocat. *Et, ut donum*, inquit, *aliquod novo principi, firmiſſima Transpadanæ regionis municipia, Mediolanum ac Novariam & Eporediam ac Vercellas, adjunxêre*. Municipes inde dicebantur VERCELLENSES; ut mox ex Plinio diſcemus.

ICTIMVLORVM *vicus.*

Ἰκτουμούλων κώμη. ICTIMVLORVM *vicus*, apud quem aurifodinæ erant, haud dubiè ſupra Vercellas non procul in Alpium radicibus fuiſſe, ex præſcriptis Strabonis verbis claret. Meminit eius etiam Plinius lib. XXXIII cap. IIII. *Exſtat*, inquit, *lex cenſoria Ictimulorum aurifodinæ, qua in Vercellenſi agro cavebatur, ne plus quinque millibus hominum in opere publicani haberent*. Quum in eius vocabuli ſecundâ ſyllabâ Strabo habeat diphthongum ου, Plinius verò vocalem *i*; conſtanti omnium exemplarium ſcripturâ; neſcio an non ea loci adpellatio ex duabus vocibus compoſita ſit, quaſi οἱ τοῦ Ἴκτου μοῦλοι, id eſt, *Icti muli*: quia Icti cuiusdam viri nobilis muli heic ſtabulati fuerint. unde vicus dictus *Ad Icti mulos*.

APOLLINIS *nemus & fanum.*

Porrò eodem tractu, in Vercellenſi agro, APOLLINIS fuit LVCVS, & in luco ſive ad lucum, haud dubiè etiam TEMPLVM. Statius Silvar. lib. I, carm. IIII:

Tunc deus Alpini qui juxta culmina dorſi
Signat Apollineos ſancto cognomine lucos,
Reſpicit.

Martialis lib. X, epigram. XII:

Aemiliæ genteis & Apollineas Vercellas,
Et Phaëthontêi qui petis arva Padi.

Cæterò iter per Libiciorum agrum in Itinerariis deſcribitur huiusmodi:

Hieroſo-

Hieroſolymitano;		Antonini;		Antonini;	
C. Ticeno		*Ticinum*		*Ticinum*	
Mu. Duriis	XII.				
Ma. Laumello	IX.	*Laumellum*	XXII.	*Laumello*	XXII.
Mu. Ad Cottias	XII.	*Cuttiæ*	XII.		
Mu. Ad Medias	XIII.	*Carcantiæ*	XII.		
Ma. Rigomagus	X.	*Rigomago*	XII.	*Rigomago*	XXXVI.
Mu. Ceſte	VIII.				
Ma. Quadratis	XI.	*Quadratis*	XV.	*Quadratis*	XVI.
Mu. Ad Decimum	XII.				
C. Taurinis	X.	*Taurinis*	XXIII.	*Taurinis*	XXI.

Tabulæ;		Antonini;		Antonini;	
Ticeno		*Ticino*		*Ticinum*	
Laumellum	XXI.	*Laumello*	XXII.	*Laumellum*	XXII.
Cutias	XII.				
Vergellis	XIII.	*Vercellis*	XXV.	*Vercellas*	XXV.

Ex his *Ticinum* nunc eſſe *Papiam*, vulgò *Pavia*, extra controverſiam eſt. LAVMELLVM inde, quod Ptolemæo etiam atque Marcellino memoratur, vulgò hodiéque dicitur *Lamello, Lomello, Lumello*; XX circiter millia paſſuum à Ticino diſſitum. In Ptolemæi exemplaribus plerisque corruptum id legitur vocabulum Γαύμελλον, pro Λαύμελλον, facili ac prono librariorum lapſu, λ in γ invertentium. Λιβικῶν, inquit Ptolemæus, οἵ εἰσιν ὑπὸ τοὺς Ἰνσούβρους, Οὐερκέλλαι, Λαύμελλον. id eſt; *Libicorum, qui ſunt ſub Inſubribus, Vercellæ, Laumellum*. Apud Plinium lib. XVIIII cap. I ita ſcriptum eſt: *Galliæ univerſæ vela texunt. in Germaniâ autem defoſſi atque ſub terrâ id opus agunt. ſimiliter & in Italiâ ratione aliâ inter Padum Ticinumque amneis: ubi à Setabi tertia in Europâ lino palma. ſecundam enim in vicino Allianis capeſſunt Retovina; & in Aemiliâ viâ Faventina. Candore Allianis, ſemper crudis, Faventina præferuntur. Retovinis tenuitas ſumma denſitasque: candor æquè ut Faventinis*. Ex poſterioribus hisce priori loco emendare conati ſunt viri docti has voces, *ratione aliâ*, in, *regione Allianâ*. at quænam heic fuerit *Allia* inter Padum Ticinumque, unde cognomentum id regioni tractum, equidem ego ignoro: niſi eum vicum velis, qui haud longè infra Laumellum vulgò nunc dicitur *Gallia*. Verùm ego ſuſpicor, ſcripſiſſe Plinium, *regione Laumellanâ*; & mox, *Laumellanis*. Certi tamen nihil heic temerè adfirmaverim. Porrò apud Marcellinum lib. XV hæc ſunt: *Deductus ab Auguſto ad usque locum duabus columnis inſignem, qui Laumellum interjacet & Ticinum, itineribus rectis Ticinum pervênit*. Hic locus AD DVAS COLVMNAS quo ſitu inter Laumellum & Ticinum fuerit, planè non liquet: niſi ſi conjectare libeat, eumdem fuiſſe cum illo, qui in Hieroſolymitano itinerario eſt DVRIAE, ſive DVRII. qui ex itineris tractu, ſimulque intervallis, nec non nominis ſimilitudine, deprehenditur eſſe nunc vicus vulgari vocabulo *Dorno*.

LAVMELLVM *opidum.*

AD DVAS COLVMNAS, *locus; qui forſè idem & DVRIAE.*

Inter Laumellum & Vercellas, medio fermè itinere, opidum CVTIAE, ſive CVTTIAE, vulgò etiam nunc dicitur *Cozo*, vicus exiguus. quondam haud poſtremi fuiſſe nominis, ex eo adparet, quòd in Tabulâ itinerariâ primariæ urbis figurâ exhibetur. quamquàm in Hieroſolymitano itinerario *Mutatio* tantùm perhibetur. cujus generis loca etiam *Manſionibus* erant inferiora.

CVTIAE *opidum.*

De cætero numeri millium quamvìs in omnibus tribus itineribus inter ſe ferè conſtent; tamen plerosque eſſe corruptos, dubium minimè eſſe debet; quando id ſpacium terrarum, quod eſt inter Cutias & Taurinorum urbem, longè excedunt. CARCANTIAE, ſive opidi ſive vici vocabulum, in aliis exemplaribus legitur CARANTIAE; & in quibusdam GARANTIAE. Ex nominis ſimilitudine, & item ex itineris ductu, haud equidem dubitaverim, quin is ſit locus, qui ad Padi Seſſitisque amnium confluenteis vulgò hodiè dicitur *La Grangia*, VII circiter millia à Cutiis diſtans. Idem locus AD MEDIAS etiam dictus fuiſſe videtur; ſiquidem uno tantùm milliario ab Antonino Hieroſolymitanum itinerarium differt.

CARANTIA *vicus.*

 Hinc,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

RIGOMAGVM *opidum*.

Hinc, versùs Taurinorum urbem contendens, ſi XII fermè millia progrediare, incides in opidum, quod, Pado adpoſitum, vulgò adpellatur *Trino*. quod ex itineris tractu, & ſitu apud amnis ripam, deprehenditur eſſe antiquorum RIGOMAGVS *vicus*, ſeu RIGOMAGVM *opidum*. nam vocem *magus* ſeu *magum* in nullis reperiri locis, niſi qui fluminibus adpoſiti fuerint, Germaniæ lib. I. cap. VII plurimis exemplis demonſtravi.

QVADRATA *opidum*.

Hinc opidum quod ſequitur vulgari vocabulo *Creſcentino*, Padi Duriæque confluentibus adpoſitum, antiqua illa eſſe judico QVADRATA, opidum ſeu vicus. quo nomine & alia paſſim in provinciis Romanis recenſentur Itinerariis loca. Memorantur prætereà *Quadrata* hæc etiam Notitiæ imperii Occidentalis; ubi ita ſcriptum: *Præfectus Sarmatarum gentilium Quadratis & Eporizio*. Nempe, quia vicina inter ſe erant loca *Eporedia* & *Quadrata*; unum utraque habuêre præfectum præſidiariorum militum.

CAESTVS, *locus*.

Inter Rigomagum & Quadrata quum tanto millium discrimine inter ſe diſſentiant Antoninus & Hieroſolymitanum itinerarium; loco intermedio, qui corrupto haud dubiè vocabulo legitur *Ceſte*, certus ſitus diſpici nequit. niſi fortè, III millia inter hunc & Rigomagum ſcripſiſſe auctorem dicti itinerarii, ſuſpiceris. qua ratione locus is fuerit ille, qui haud ita procul à Trino opido vulgò nunc dicitur *Palazzuolo*. CAESTVS an loco fuerit nomen, incertum eſt.

AD DECIMVM, *locus*.

Locus AD DECIMVM, ſcilicet LAPIDEM, ſive MILLIARE, medius fuit inter duos nunc vicos vulgò *Settimo* & *Brandict* dictos.

LIBERO *opidum*.

Cæterò apud Sozomenum, Eccleſiaſticæ hiſtoriæ lib. VI cap. XI & XII; & item apud Nicephorum Calliſti lib. XIIII cap. V, hæc leguntur: Περαιωθεὶς δὲ Κωνσταντῖνος ἀπὸ Βρεττανίας ἐπὶ Βονωνίαν, πόλιν τῆς Γαλλίας, παρὰ θάλασσαν κειμένην, προσηγάγετο τοὺς παρὰ Γαλάταις καὶ Ἀκυιτανοῖς στρατιώτας, καὶ τοὺς τῇδε ὑπηκόους περιεποίησεν ἑαυτῷ μέχρι τῶν μεταξὺ Ἰταλίας καὶ Γαλατίας ὀρῶν, ἃς Κοττίας Ἄλπεις Ῥωμαῖοι καλοῦσι. *—*. Κωνσταντῖνος δὲ τέως κατὰ γνώμην πράττειν δοκῶν, Κώνσταντα τὸν υἱὸν ἀντὶ Καίσαρος βασιλέα καταστήσας, ἐβούλετο τὴν Ἰταλίαν καταλαβεῖν. καὶ διαμείψας τὰς Κοττίας Ἄλπεις, ἧκεν εἰς Λιβερῶνα, πόλιν τῆς Λιγουρίας. μέλλων δὲ περαιοῦσθαι τὸν Ἠριδανόν, τὴν αὐτὴν ὁδὸν ἀνέστρεψε, μαθὼν τὸν Ἀλαβίχου θάνατον. Id eſt: *Conſtantinus, ubi ex Britanniâ trajeciſſet ad Bononiam, Galliæ opidum maritimum; milites Galliæ & Aquitaniæ ad ſe pertraxit; omneisque harum regionum incolas ſibi ſubjecit, usque ad monteis, quos Cottias Alpeis vocant Romani, inter Galliam & Italiam ſitos*. Aliquanto pòſt: *Conſtantinus, quum ei adhuc ex ſententiâ res procedere viderentur; Conſtantem filium ex Cæſare Auguſtum fecit: in Italiamque transire decrevit. Cottiis igitur Alpibus ſuperatis, Liberonem, Liguriæ opidum, venit. Padum autem trajecturus, ubi de Alavichi morte certior factus eſt; eâdem viâ retroceſſit*. Hoc opidum LIBERO, *Liberonis*, quia Liguriæ à duobus iſtis auctoribus adſcribitur; noſtri ſæculi geographi idem id eſſe contendunt, quod inter Padi dextram ripam & Alpeis ſeu Apenninum in antiquiore illa Liguriâ Ptolemæo & Itinerariis Romanis vocatur *Libarnum* & *Libarna*. Verùm à Cottiis Alpibus ad Liberonem opidum perveniſſe Conſtantinum, antequàm Padum trajeciſſet, diſertiſſimi teſtes ſunt duo auctores iſti præſcripti. Quapropter Liguria heic intelligenda eſt ea, quæ Conſtantini dictorumque ſcriptorum tempeſtate fuit trans Padum, inter ſiniſtram huius ripam & Alpeis, ad Adduam usque flumen; ut ad finem huius operis oſtendetur. Heic verò opidum nunc eſt inter Vercellas & Eporediam dextrorſum, vulgari vocabulo *Viverone*. quod quantumvis corruptum, veteris tamen *Liberonis* memoriam ferre puto.

RAVDIVS *campus*.

Haud minùs dubii incertique ſitus facti ſunt ab noſtri ævi geographis RAVDII CAMPI, ſive RAVDIVS CAMPVS; in quo Cimbros, Germanicam gentem, à C. Mario deletos fuiſſe, complures tradunt auctores antiqui. Oroſius lib. V cap. XVI: *Cimbri autem, integris copiis Alpium niveis emenſi, Italiæ plana pervaſerant: ibique quum rigidum genus diu blandioribus auris, poculis, cibis, ac lavacris emollíretur; Marius, quintùm conſul, & Catulus adversùm eos miſſi, die ad pugnam & campo dato, Hannibalis ſequuti ingenium, in nebulâ diſpoſuêre pugnam, in Sole pugnarunt*. Mox: CXL *millia eorum tunc in bello cæſa*, LX *millia capta dicuntur*. Eutropius lib. V: *Eo prælio* CXL *millia aut in pugnâ aut in fugâ cæſa ſunt*; LX *millia capta*. Livii breviator lib. LXVIII: *Cimbri, repulſo ab Alpibus fugatoque Q. Catulo proconſule, qui fauceis Alpium obſederat, & ad flumen Atheſim caſtellum editum inſederat, reliquerat-*

que;

que; ubi, virtute ſuâ explicitâ, fugientem proconſulem exercitumque in Italiam proſequuti, in Italiam trajeciſſent; junctis eiusdem Catuli & C. Marii exercitibus, prælio victi ſunt ab eis: in quo cæſa traduntur hominum CXL *millia, capta* LX. Velleius Paterculus lib. II: *Quincto conſulatu Marius citra Alpeis in campis, quibus nomen erat Raudiis, ipſe conſul & proconſul Q. Lutatius Catulus fortunatiſſimo decertavêre prælio. cæſa aut capta ampliùs centum millia hominum.* Auctor de viris illuſtribus, in C. Mario patre: *In proximum annum conſul ultro factus, Teutones in Galliâ apud Aquas Sextias, Cimbros in Italiâ in campo Raudio vicit.* Florus lib. III cap. III: *Cimbri per hiemem, quæ altiùs Alpeis levat, Tridentinis jugis in Italiam provoluti ruinâ deſcenderant. Atheſim flumen non ponte, nec navibus, ſed quadam ſtoliditate barbaricâ, primùm corporibus adgreſſi; poſtquàm retinere amnem manibus & clypeis fruſtra tentaverunt; ingeſtâ obrutum ſilvâ transſiluêre. &, ſi ſtatim infeſto agmine Vrbem petiiſſent, grande diſcrimen eſſet. Sed in Venetiâ, quo ferè tractu Italia molliſſima eſt, ipſâ ſoli cœlique clementiâ robur elanguit. ad hoc panis uſu carnisque coctæ & dulcedine vini mitigatos Marius in tempore adgreſſus eſt. Iam diem pugnæ à noſtro imperatore petierunt: & ſic proximum dedit. In patentiſſimo, quem Raudium vocant, campo procurrêre. millia inde ad* LX *ceciderunt.* Claudianus, in carmine quod de bello Gotico compoſuit, de clade Alarici, Gotorum regis, ab Stilicone in Pollentinis campis ei illatâ, ita canit:

——Ligurum regione ſupremâ
Pervenit ad fluvium miri cognominis Vrbem:
Atque illic domitus, vix tandem interprete caſu,
Agnovit dubiis illuſa vocabula fatis.
Nec non & Stilico pugnam poſcentia movit
Pleno caſtra gradu; dictisque inſtigat eunteis.

Et tandem:

O celebranda mihi cunctis Pollentia ſæclis!
O meritum nomen felicibus apta triumphis!
Virtutis fatale ſolum; memorabile buſtum
Barbariæ! nam ſæpe locis ac finibus illis
Plena laceſſito rediit vindicta Quirino.
Illic Oceani ſtagnis excita ſupremis
Cimbrica tempeſtas, aliasque immiſſa per Alpeis,
Hisdem procubuit campis. Iam protinus ætas
Advenies geminæ gentis permiſceat oſſa;
Et duplices ſignet titulos commune trophæum:
Heic Cimbros forteisque Getas, Stilicone peremptos
Et Mario, claris ducibus, tegit Itala tellus.

Ergò iisdem in Pollentinis campis & Goti à Stilicone & Cimbri à Mario fuêre cæſi? Ne temerè credas; quamvis claro auctori Claudiano. quidpe Padum Cimbros trajeciſſe, nemo auctorum præſcriptorum tradidit. Gravior longè Claudiano poëta ſcriptor Plutarchus, in C. Marii vitâ ita ſcribit: Ἡμέραν μὲν ἔθεντο τὴν ἀπ' ἐκείνης τρίτην· χώραν δὲ καὶ πεδίον τὸ περὶ Βερκέλλας, Ῥωμαίοις μὲν ἐπιτήδειον ἐνιππάσασθαι, τῶν δὲ ἀνάχυσιν τῷ πλήθει παρασχεῖν. Id eſt: *Diem conſtituerunt ab illo tertium: locum & campum apud Vercellas. qui Romanorum equitatui opportunus erat; & illorum multitudini explicandæ accommodatus.* Neſcio an vicus, inter Vercellas, Novariam, & Laumellum poſitus, cui vulgare vocabulum *Rubio*, antiquam *Raudii campi* memoriam cuſtodiat. In plerisque Flori ſimul & auctoris de Illuſtribus viris exemplaribus quòd *Caudius campus* legitur, & in nonnullis Flori *Claudius*, eo haud dubiè factum, quòd exſcriptoribus notius fuit opidum Hirpinorum *Caudium*: quod & ipſum in plerisque Ptolemæi exemplaribus eſt vitiato vocabulo *Claudium*; ut infrà in Hirpinis videbimus. Atque hactenus Libiciorum expoſitus eſt ager.

LAEVI hinc verſùs Solis occaſum Guniâ amne ab Libiciis diſterminabantur: ab meridie Pado à Liguribus: ab ortu Lambro flumine à Cenomanis. à ſeptemtrionibus, quà Inſubres fuêre contermini, lineam ſuper Novariam à Guniâ ad Biagraſſum opidum duco. inde amnem ſtatuo, qui minor Ticinus, vulgò *Teſinello* vocatur, & in Lambrum confluit. ab hoc confluente aliam rurſus lineam duco ad Adduæ Padique confluenteis. Verùm intra hos fineis Plinio dicto lib. III cap XVII

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

alia quoque gens Marici locantur. *Vercellæ*, inquit, *Libiciorum, ex Salyis ortæ; Novaria ex Vertacomacoris, Vocontiorum hodiéque pago; non, ut Cato exiſtimat, Ligurum: ex quibus Levi & Marici condidêre Ticinum, non procul Pado*. Quorum fuerit *Novaria*, non indicat. namque ex Vertacomacoris quidem, Vocontiorum in Galliâ pago, profectos populos condidiſſe eam adfirmat. at quod eorum in Italiâ fuerit nomen, non oſtendit. Ptolemæus hæc loca Inſubribus tribuit. Ἰνσούβρων, inquit, Νουαρία, Μεδιολάνιον, Κῶμον, Τίκινον. Id eſt: *Inſubrum ſunt, Novaria, Mediolanium, Comum, Ticinum*. Ex his unum Mediolanum fuit Inſubrum. Comum ad Orobios, de quibus infrà agetur, pertinuit. Nos igitur etiam ea opida ab Inſubrum nomine ſegregabimus. de Livio, qui eosdem agros & ipſe Inſubribus tribuiſſe videtur, pòſt in horum deſcriptione videbimus.

Novaria, *municipium.*

Novaria, Plinio, Tacito, Svetonio, Ptolemæo, & Notitiæ imperii occidentalis memorata, haud dubiè ab flumine eiusdem nominis, quod Tabula itineraria refert, nunc autem vocatur vulgò *La Gogna*, ſic adpellata eſt. Opidum vulgò hodiè dicitur *Novara*, & *Navara*. quæ primæ vocalis mutatio haud nova eſt. nam dictæ Notitiæ jam tum vocatur Navaria. Opidani inde ſunt Plinio lib. XVII cap. XXIII, & Svetonio de Claris rhetoribus cap. VI, Novarienses. Tacitus Hiſtoriar. lib. I, ut ſuprà ad Vercellas recitatum, inter municipia Transpadanæ regionis connumerat.

Ticinvm *municipium.*

Ticinvm quoque ab flumine *Ticino*, quod etiam nunc vulgò dicitur *Teſino*, nomen accepit: quod poſtmodò mutavit in Papiae vocabulum, vulgò nunc *Pavia* dictum. Paullus Diaconus Langobardicar. rer. lib. II cap. XV: *In Secundâ provinciâ Mediolanum eſt & Ticinus, quæ alio nomine Papia adpellatur*. Hoc nominis unde ei & quando primùm inventum, haud reperio. Mirum ſeſe circa hanc urbem præbuit chorographum Stephanus Byzantius; à quo hæc epitomator eius habuit: Τίκινος, πόλις Ἰταλίας περὶ Ῥαβένναν, καὶ ποταμὸς ὁμώνυμος. Id eſt: *Ticinus, urbs Italiæ circa Ravennam, & fluvius eiusdem nominis*. Ticinvs autem feminino genere iſtis duobus auctoribus dicitur, ut pleraque alia opidorum nomina poſteriori ſæculo efferebantur, quæ antè fuerant neutrius generis. Memoratur opidum Tacito Annal. lib. III & Hiſtoriar. II: item Itinerariis Romanis, & Procopio in Gothicis paſſim: ubi haud ſemel Πικηνὸν vitiata vox legitur pro Τικηνὸν. nam poſteriori ævo vocalem η ante ν pronunciatam fuiſſe ut ι, vulgò notum eſt. Hinc poſteà factum, uti id vocabulum quidam etiam Latinè ſcriberent *Ticenum*; ut eſt in Tabulâ itinerariâ. Opidani inde dicebantur Ticinenses. unde apud Plinium lib. XVII cap. IIII; *In Ticinenſi agro*. Quando primùm muris fuerit cincta urbs, planè ignoratur. Bello Punico ſecundo etiam tum vicum fuiſſe, quum pugna inter Hannibalem & P. Cornelium Scipionem apud Ticinum amnem haud ita procul à Pado pugnaretur, haud perinde inani conjicit argumento Blondus; quòd nulla eius in hoc bello ab auctoribus fiat mentio. *Municipium* poſteà fuiſſe Romanorum, teſtatur inſcriptio huius loci, MVNICIPI PATRONO poſita. Inter primarias quoque cenſuit eam auctor Tabulæ itinerariæ; idem ſignum, quod reliquis magnis urbibus, ei adponens. Clariſſimâ tandem famâ fuit, quum Gothorum duces heic ſedem regiam poſuiſſent.

Tres Tabernæ, & Ad Rotas, *loca.*

De cætero iter habet Itinerarium antiquum Hieroſolymitanum huiusmodi:

Mediolanum	
Ad Nonum	VII.
Laude	VII.
Tribus tabernis	IX.
Ad Rotas	V.
Placentia.	XI.

Ex his *Laudem* opidum hodiéque vocari *Lodevé*, poſteà in Inſubribus docebo. Hinc juſta ſunt millia paſſuum XXV Placentiam usque. In medio nunc itinere eſt caſtellum *Zorleſco*. Tres igitur iſtæ Tabernae ad III circiter fuêre millia paſſuum à dicto caſtello, Laudem verſùs euntibus. alter autem ille locus Ad Rotas ab alterâ caſtelli parte verſùs Placentiam exſtitit, ad II circiter millia. Atque hæc ferè Lævorum agri ſunt loca, antiquis auctoribus memorata.

Cap.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Capvt XXIIII.

De Insvbribvs.

LÆvis, ut antè dictum, ab ſeptemtrionibus continuabantur Insvbres. Super horum nomine Græci auctores non tantùm varii inter ſe variè diſcrepant, ſed ne ſinguli quidem ſecum ipſi conveniunt. quem tamen exſcriptoribus potiùs, quàm ipſis auctoribus, errorem tribuerim. Apud Polybium lib. II, primùm leguntur Ἴζομβρες, deinde τῶν Ἰσόμβρων, bis: mox Ἰσόμβρους, & Ἴσομβροι· iterum τῶν Ἰσόμβρων, quinquies: iterum Ἴσομβροι· & Ἰσόμβρων bis. libro verò III τοὺς Ἴσομβρας. Apud Plutarchum in M. Claudio Marcello, primùm adulterinum vocabulum legitur Ἴβηρες· quod genuinum paullo pòſt ſequitur Ἰνσόμβρες, & aliquanto pòſt τοὺς Ἰνσόμβρας. at hinc alio modò τοὺς Ἰνσόμβρους. Apud Strabonem item lib. V, primùm Ἴνσουβροι ſunt bis: at poſteà Σύμβροι, & Σύμβρους· & iterum Ἴνσουβροι· mox verò rurſus τῶν Σύμβρων. Latinis auctoribus unanimo conſenſu & conſtanti ubique ſcripturâ ſunt, ut ſuprà ſcripſi, Insvbres, *Inſubrum*, ſive *Inſubrium*, *Inſubribus*. unde Livio lib. XXII ſingulari numero eſt Insvber *eques Ducarius*. Hanc terminationem in *ber* priores Græci ſuo ore formarunt in βρος, ut *Alexander* Ἀλέξανδρος, *Sygamber* Σύγαμβρος, *Cantaber* Κάνταβρος, *Cimber* Κίμβρος, *Lamber* Λάμβρος, & id genus alia. In ſecundâ ſyllabâ quia ubique apud Polybium atque Plutarchum, & item quater apud Strabonem, litera μ perſcripta eſt; omnino integrum vocabulum fecêre Ἴσομβρος, & multitudinis numero Ἴσομβροι, ut plurimis locis Polybii exemplaria habent. nec aliter Strabo Plutarchusve ſcripſerunt. unde apud illum facilè in principio I incuriâ librariorum vel temporum injuriâ exoleſcere atque interire; in mediâ verò ſyllabâ ο in υ vitiari potuit. Poſteriorum temporum Græci, quum à Latinis pleraque gentium, regionum, urbiumque vocabula mutuarentur; cuius rei innumera paſſim reperiuntur exempla: in hoc quoque nomine, ultimâ ſyllabâ ex ſuo ſermone ſervatâ, duas priores integras illinc transtulerunt; dixeruntque Ἴνσουβροι, ut eſt apud Ptolemæum in deſcriptione Italiæ, & apud Zonaram Annal. lib. II. Eam formationem poſteà grammatici quidam exſcriptores parum curioſi Strabonis quoque exemplaribus inſperſerunt. Nec id tamen æquè ineptè, ac apud Plutarchum, mediâ ſyllabâ ex veteri Græcorum formatione retentâ, duas extimas ex Latinorum uſu adſumpſerunt. Cæterùm apud Ael. Spartianum, in vitâ Didii Iuliani, rectus caſus ſingularis numeri legitur *Avus paternus Inſubris Mediolanenſis*. Apud Stephani epitomatorem ita ſcriptum: Ἰνσόβαρες, ἔθνος Κελτικὸν πρὸς τῷ Πάδῳ, οὓς καὶ Ἰνσόβρας φασίν. Ἴνσοβροι, ἔθνος Ἰταλικόν· Πολύβιος ις´. Id eſt: *Inſubares, gens Gallicâ ad Padum; quos & Inſubres vocant. Inſubri, gens Italica; auctore Polybio lib.* XVI. Hæc Stephanus ex variis habuit auctoribus; quibus una eademque gens intelligebatur. Sed de orthographiâ huius vocabuli ſatis hactenus diſſertum. Ipſum nomen non domo attuliſſe; ſed, quum ex pluribus Galliæ Celticæ civitatibus ſive nationibus commixta quædam multitudo in unum quaſi corpus coiviſſet; in Italiâ demum è re natâ adſumpſiſſe, auctor eſt Livius ſuprà dicto lib. V: ubi *Bituriges* nominat, & *Arvernos, Senones, Heduos, Ambarros, Carnutes, Aulercos:* ſubjicitque, *Ipſi per Taurinos ſaltumque inviæ Alpis transſcenderunt. fuſisque acie Tuſcis haud procul Ticino flumine; quum, in quo conſederant, agrum Inſubrium adpellari audiſſent, cognomine Inſubribus, pago Heduorum; ibi omen ſequentes loci, condidêre urbem; Mediolanum vocarunt*. ſibique ipſis veluti jam uni corpori, uni genti, commune vocabulum *Inſubrium* adſumpsêre: quo perpetuò poſteà à finitimis, & tandem per omnem Italiam aliasque regiones, nuncupati ſunt. Numeroſitatem eorum adnotarunt Polybius, Strabo atque Plutarchus. quorum hic in M. Claudio Marcello: οἱ δὲ τὴν ὑπαλπείαν νεμόμενοι Ἴσομβροι, Κελτικὸν ἔθνος, μεγάλοι καὶ καθ' ἑαυτοὺς ὄντες, δυνάμεις ἐκάλουν, καὶ μετεπέμποντο Γαλατῶν τοὺς μισθοῦ στρατευομένους, οἳ Γεσάται καλοῦνται. Id eſt: *Inſubres, Gallica gens Subalpina, quamvis per ſe eſſent numeroſi atque potentes, tamen milites ex cæteris Gallis, mercenaria ſtipendia merenteis, qui vocantur Geſatæ, exciverunt*. Strabo dicto lib. V: Μέγιστα μὲν τῶν Κελτῶν ἔθνη Βοῖοι καὶ Ἴσομβροι, καὶ οἱ τὴν

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Ῥωμαίων πόλιν ἐξ ἐφόδου καταλαβόντες, Σένωνες. Hoc eſt: *Maximæ Gallorum gentes erant, Boii & Inſubres, &, qui Romanam urbem ſubito adventu ceperunt, Senones.* At Polybius lib. II horum omnium μέγιστον ἔθνος, id eſt, *maximam gentem* ait fuiſſe *Inſubres*. Nec immeritò; quando ex tot diverſorum populorum numeroſâ multitudine conſtiterunt. Quamquàm *Senones* etiam inter eos fuiſſe, ut Livii referunt exemplaria, minimè credibile eſt. ſiquidem poſt omnium reliquorum in Italiam tranſitum, tandem ipſe poſteà ſic ſcribit Livius: *Tum Senones, recentiſſimi advenarum, ab Vtente flumine usque ad Aeſim fineis habuêre.* Alíus igitur populi nomen ab ipſo Livio eo loco inſertum fuiſſe, arbitror; quod poſtmodùm in *Senones* corruptum.

INSVBRVM *fines.*

De finibus Inſubrum ita tradit Polybius dicto lib. II: Τὰ μὲν οὖν πρῶτα, καὶ περὶ τὰς ἀνατολὰς τοῦ Πάδου κείμενα, Λάοι καὶ Λεβέκιοι, μετὰ δὲ τούτους Ἴσομβροι κατῴκησαν, ὃ μέγιστον ἔθνος ἦν αὐτῶν· ἑξῆς δὲ τούτοις παρὰ τὸν ποταμὸν Κενομανοί. Id eſt: *Prima igitur, quæ circa exortus Padi ſita ſunt loca, Lai & Lebecii, ulteriora Inſubres tenuêre; gens inter eos maxima. poſt hos apud flumen Cenomani incoluerunt.* Ergo Inſubres ad Padum usque non pertinuerunt; quem Cenomani tandem adcoluêre. Fuerunt igitur Inſubribus à meridie finitimi Levi, juxta terminum ſuperiori capite deſignatum, ad Adduæ úsque & Padi amnium confluenteis. ab ortu lineâ, à dictis confluentibus ad Ollii proximam ripam ductâ, mox ipſo Ollio, ad Alpium usque radices & Sebinum lacum, à Cenomanis eos diſtingvo. nam ultra hunc finem Cremonam & Brixiam in Cenomanorum jam fuiſſe agro, pòſt in horum deſcriptione patebit. Ab ſeptemtrionibus fuêre Lepontii & Orobii; illi circa Verbanum, hi apud Larium lacum. Lepontiorum fineis ſuprà cap. XIIII explicui: Orobiorum, qui poſthinc dicentur, fuêre *Comum* & *Bergomum*, ac *Forum Licinii*; quod vulgò nunc dicitur *Berlaſina*, inter Mediolanum & Comum. Pro limite igitur duco lineam à Verbano lacu & opido Angerâ præter Forum Licinii ad Sebinum lacum, quà Ollius ex eo exit. Ab occaſu ſupremâ parte Novariæ fluminis, vulgò nunc *La Gogna* dicti, à Libiciis ſubmovebantur; ut ſuperiori capite oſtenſum. Verùm enimverò Ticinum etiam & Novariam Inſubribus tribuiſſe Ptolemæum ibidem intelleximus. hanc eius ſententiam grandi auctoritatis pondere firmare videtur graviſſimus in primis rerum auctor T. Livius; qui & ipſe loca inter dextram Ticini ripam Padumque ſita haud obſcurè Inſubribus adſcribit. Ea igitur res diligentiùs examinanda erit. Verba eius lib. XXI hæc ſunt: *Peropportunè ad principia rerum Taurinis, proximæ genti, adversùs Inſubres motum bellum erat. ſed armare exercitum Hannibal, ut parti alteri auxilio eſſet, in reficiendo maximè ſentientem contracta antè mala, non poterat. ocium etenim ex labore, copia ex inopiâ, cultus ex illuvie tabeque ſqualida & prope efferata corpora variè movebant. Ea P. Cornelio conſuli cauſa fuit, quum Piſas navibus veniſſet, ad Padum feſtinandi; ut cum hoſte nondum refecto manum conſereret. Sed quum Placentiam conſul venit, jam ex ſtativis moverat Hannibal: Taurinorumque unam urbem, caput gentis, quia volens in amicitiam non veniebat, vi expugnarat. junxiſſetque ſibi non metu ſolùm, ſed etiam voluntate Gallos adcolas Padi; ni eos, circumſpectanteis defectionis tempus, ſubito adventu conſul oppreſſiſſet. Et Hannibal movit ex Taurinis; incertos quæ pars ſequenda eſſet Gallos præſertim ſe ſequuturos ratus. Iam prope in conſpectu erant exercitus.* Mox: *Occupavit tamen Scipio Padum trajicere. & ad Ticinum amnem motis caſtris, priusquàm induceret in aciem, adhortandorum militum causâ orationem exorſus eſt.* Refert heic orationem Scipionis ad milites; & mox item Hannibalis ad ſuos. dehinc ita pergit: *His adhortationibus quum utrimque ad certamen accenſi militum animi eſſent; Romani ponte Ticinum jungunt: tutandique pontis causâ caſtellum ſuperimponunt. Ponte perfecto; traductus Romanorum exercitus in agrum Inſubrium,* V *millia paſſuum à vico tumulis conſedit. ibi Hannibal caſtra habebat.* Committitur hinc pugna; qua ſuperiores fuêre Pœni. Pergit inde Livius: *Hoc primum cum Hannibale prælium. quo facilè adparuit, & equitatu meliorem Pœnum eſſe, & ob id campos patenteis, quales ſunt inter Padum Alpeisque, bello gerendo Romanis aptos non eſſe. Itaque proximâ nocte juſſis militibus vaſa ſilentio colligere, caſtra ab Ticino mota; feſtinatumque ad Padum eſt; ut ratibus, quibus junxerat flumen, nondum reſolutis, ſine tumultu atque inſectatione hoſtis copias trajiceret. Priùs Placentiam pervenêre, quàm ſatis ſciret Hannibal ab Ticino profectos. tamen aliquot moratorum in citeriore ripâ, ſegniter ratem ſolventeis, cepit. tranſire non potuit pontem, ut extrema reſaluta erant; totâ rate in ſecundam aquam labente. per ſuperiora Padi vada exercitum traduxit. biduo vix locum rate jungendo flumini inven-*

inventum tradunt. Mox: *Hannibal paucis pòſt diebus* VI *millia à Placentiâ caſtra communivit.* Heic ſanè Livius apertè in dextrâ Ticini ripâ Inſubrium agrum locare videtur. ait quidpe Scipionem à Placentiâ Pado & Ticino trajecto in eius gentis agro tumulis conſediſſe, cumque Hannibale prœlium ibidem iniiſſe. Huic conſentiens Florus, lib. II cap. VI, *Ac primi quidem impetus turbo,* inquit, *inter Padum & Ticinum valido ſtatim fragore detonuit. tunc Scipione duce fuſus exercitus.* Sed audiatur quoque Polybius, graviſſimæ omnium auctoritatis ſcriptor, & illorum temporum, quibus hæc geſta ſunt, ferè æqualis. Is lib. III ſcribit de Hannibale: Τέλος δὲ τὴν τῶν Ἄλπεων ὑπερβολὴν ἡμέραις πεντεκαίδεκα ποιησάμενος, κατῆρε τολμηρῶς εἰς τὰ περὶ τὸν Πάδον πεδία καὶ τὸ τῶν Ἰσόμβρων ἔθνος. * — *. Μετὰ δὲ ταῦτα, προσανειληφυίας ἤδη τῆς δυνάμεως, τῶν Ταυρινῶν, οἳ τυγχάνουσι πρὸς τῇ παρωρείᾳ κατοικοῦντες, στασιαζόντων μὲν πρὸς τοὺς Ἰσόμβρους, ἀπιστούντων δὲ τοῖς Καρχηδονίοις, τὸ μὲν πρῶτον αὐτοὺς εἰς φιλίαν προεκαλεῖτο καὶ συμμαχίαν· οὐχ ὑπακουόντων δὲ, περιστρατοπεδεύσας τὴν βαρυτάτην πόλιν ἐν τρισὶν ἡμέραις ἐξεπολιόρκησε. * — *. Κατὰ δὲ τὸν καιρὸν τοῦτον ἤδη συνεγγίζοντες ἀλλήλοις Ἀννίβας καὶ Πόπλιος, ἐπεβάλοντο παρακαλεῖν τὰς ἑαυτῶν δυνάμεις. * — *. Πόπλιος δὲ παρὰ τὰς αὐτὰς ἡμέρας πρὸς τὸν Πάδον ποταμὸν ἤδη περαιούμενος, τὸν δὲ Τίκινον κρίνων εἰς τοὔμπροσθεν διαβαίνειν, τοῖς μὲν ἐπιτηδείοις γεφυροποιεῖν παρήγγειλε, τὰς δὲ λοιπὰς δυνάμεις συναγαγὼν παρεκάλει. * — *. Τῇ δὲ κατὰ πόδας ἡμέρᾳ προῆγον ἀμφότεροι κατὰ τὸν ποταμὸν, ἐκ τοῦ πρὸς τὰς Ἄλπεις μέρους· ἔχοντες εὐώνυμον μὲν οἱ Ῥωμαῖοι, δεξιὸν δὲ τὸν ῥοῦν οἱ Καρχηδόνιοι. Γνόντες δὲ τῇ δευτέρᾳ διὰ τῶν προνομευόντων, ὅτι σύνεγγύς εἰσιν ἀλλήλων, τότε μὲν αὐτοῦ καταστρατοπεδεύσαντες ἔμειναν· τῇ δ᾽ ἐπαύριον πᾶσαν τὴν ἵππον ἀναλαβόντες ἀμφότεροι, προῆγον διὰ τοῦ πεδίου, σπεύδοντες κατοπτεῦσαι τὰς ἀλλήλων δυνάμεις. ἅμα δὲ τῷ πλησιάζειν αὐτοὺς καὶ συνιδεῖν τὸν κονιορτὸν ἐξαιρόμενον, εὐθέως συνετάττοντο πρὸς μάχην. * — *. Πόπλιος μὲν οὖν ἀναζεύξας, προῆγε διὰ τῶν πεδίων ἐπὶ τὴν τοῦ Πάδου γέφυραν, σπεύδων φθάσαι διαβιβάσας τὰ στρατόπεδα. Ἀννίβας δὲ μέχρι μέν τινος ὑπέλαβε τοῖς πεζικοῖς στρατοπέδοις αὐτοὺς διακινδυνεύειν· συνιδὼν δὲ κεκινηκότας ἐκ τῆς παρεμβολῆς, ἕως μὲν τοῦ πρώτου [omnino legendum τοῦ Πάδου· iſta enim πρώτου nihili heic eſt vox] ποταμοῦ καὶ τῆς ἐπὶ τούτῳ γεφύρας ἐπηκολούθει. καταλαβὼν δὲ τὰς μὲν πλείστας τῶν σανίδων ἀνεσπασμένας, τοὺς δὲ φυλάττοντας τὴν γέφυραν ἔτι περὶ τὸν ποταμὸν ὑπολελειμμένους, τούτων μὲν ἐγκρατὴς ἐγένετο, σχεδὸν ἑξακοσίων ὄντων τὸν ἀριθμόν· τοὺς δὲ λοιποὺς ἀκούων ἤδη πολὺ προειληφέναι, μεταβαλλόμενος αὖθις εἰς τἀναντία παρὰ τὸν ποταμὸν ἐποιεῖτο τὴν πορείαν, σπεύδων ἐπὶ τόπον εὐγεφύρωτον ἀφικέσθαι τοῦ Πάδου. καταλύσας δὲ δευτεραῖος, καὶ γεφυρώσας τοῖς ποταμίοις πλοίοις τὴν διάβασιν, διέβη εὐθέως. Hoc eſt: *Tandem Alpibus diebus* XV *ſuperatis, in Circumpadanos campos & Inſubrium fineis audacter eſt ingreſſus.* Poſteà: *Secundùm hæc, recreato jam exercitu, Taurinos, qui ad radices Alpium incolunt, bellum eo tempore adversùs Inſubres moverant; neque fidem Pœnis habebant; pellicere primò ad amicitiam ſocietatemque ſuam tentavit: deinde, quum parum benignè reſpondiſſent; caſtris ante urbem, quæ caput gentis erat, poſitis, triduo eam expugnavit.* Progreditur hinc verſùs Scipionem. *Eo tempore Hannibal & Publius jam invicem adpropinquantes, ſuos uterque cohortari inſtituerunt.* Deinde: *Publius circa eosdem dies ultra Padum jam proceſſerat. qui quum progredi ulteriùs vellet; Ticinum ponte jungi ab hominibus idoneis juſſit. deinde, ubi reliquas copias in unum coëgiſſet, adhortari eas cœpit.* Poſt orationem: *Poſtero die progrediuntur duces ambo ſecundùm amnem, in eâ, quæ Alpibus obverſa eſt, ripâ: quum haberent ipſum fluvium, Romani quidem ad lævam, Carthaginienſes verò ad dextram. Altero dein die, quum uterque à pabulatoribus edoctus fuiſſet, parum invicem abeſſe exercitus; tum quidem communitis caſtris ibi commorati ſunt. poſtridiè verò eius diei cum omni equitatu duces ambo per campos agmen ſuorum præcedebant; cupiens uterque alterius copias ſpeculari. ſimul ac exoriens pulvis propinquantium hoſtium ſignum ambobus dedit, acies utrimque ad prælium inſtrui cœperunt.* Conſeritur hinc prœlium equeſtre; quo Romani ſuperantur. *Itaque Publius caſtris motis, per plana exercitum ad pontem Padi eo conſilio duxit, ut amnem confeſtim trajiceret. Hannibal, aliquamdiu exſpectatâ peditum legionariorum pugnâ; ubi caſtris exceſſiſſe Romanos cognovit; usque ad Padum fluvium & impoſitum ei pontem eos inſequutus; poſtquàm aſſeres plerosque avulſos invenit; præſidium tamen ibi relictum eſſe ad cuſtodiam pontis: iſtud quidem, quod erat ſexcentorum ferè hominum, in poteſtatem redigit; ſed, quum reliquos longè jam proceſſiſſe intelligeret; fronte converſâ, itinere contrario ſecus fluvium ire perrexit; locum in Pado ſtudioſè quærens, ubi facilè fluvius ponte jungi poſſet. bidui iter progreſſus, quum pontem in amne è fluvialibus navigiis confeciſſet; extemplò ipſe trajicit.* En; Polybius pontem equidem in Ticino ſtruxiſſe Scipionem ad-

firmat,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

firmat, quum ulteriùs verſùs Hannibalem, ex Taurinis adventantem, ire vellet. at de transitu eius nihil addit. è contrario autem, in lævâ eius amnis ripâ, quæ Alpeis ſpectat, utrumque progreſſum teſtatur; ita, uti Scipio, verſùs fontem tendens, lævum habuerit fluvium; Hannibal ex adverſo ad oſtium vadens, dextrum. atque in his ipſis apud Ticinum amnem campis prœlium conſertum eſt. Ex hac igitur Polybii narratione colligo, Scipionem equidem Ticinum ponte junxiſſe, ulteriùs ad Hannibalem verſùs progreſſurum. poſtquàm verò cognovit, Pœnum præoccupaſſe amnem ſuperiori parte trajicere; juxta eamdem ripam, in quâ antè erat, adverſùs illum proceſſiſſe; pugnamque ibidem conſeruiſſe: quæ inde omnibus poſteà auctoribus *pugna ad Ticinum amnem* cognominata eſt. Superiorem autem partem fluminis Hannibal petiiſſe videtur, non quia rectior breviorque eſſet via; ſed quantum longiùs à Pado abeſſet, minùs obviam fore Scipionem credens: cum quo, priùs quàm in Inſubrium agrum penetraſſet, non erat ei in animo manus conſerere. In Inſubrium igitur agrum ex Lævorum finibus conſul Romanus non Ticinum trajiciendo ingreſſus eſt; ſed ſecus lævam eius ripam progrediundo. At quæritur; quum Lævorum Libiciorumque fines inter Taurinos Inſubresque interjecti fuerint, quomodò hæ duæ gentes ſub adventum Hannibalis bellum inter ſe geſſerint. item, quo pacto Hannibal, ex Penninis Alpibus per Salaſſos deſcendens, primò Inſubrium fineis ingreſſus eſt; quod tradit Polybius: utique quum Livius disertè teſtetur, ut ſuperiori capite intelleximus, ſive Graio ſive Pennino jugo transſcendiſſet; utrumque iter per Salaſſos eum in Libicios deducturum fuiſſe. Sanè quum ex ipſius Polybii non minùs quàm Livii Pliniique ac Ptolemæi teſtimonio conſtet, Lævos Libiciosque his finibus, quos ſuprà deſignavimus, incoluiſſe; ſtatuendum eſt, in fide ac clientelâ eos fuiſſe Inſubrium: qui tunc bellum pro agris eorum cum Taurinis geſſerint. Neque ego equidem dubitaverim, quin una hæc Polybio fuerit cauſa, cur Orobios non nominaverit in enumeratione Gallicarum gentium, quòd & ipſi in Inſubrium fuerint amicitiâ & clientelâ. Sed de finibus agri Inſubrium poſtquàm ſatis diſſertum, interiora eius nunc inſpiciamus.

MEDIOLANVM *municipium.*

Caput gentis fuit MEDIOLANVM, Polybio, Livio, Straboni, Plinio, Tacito, Plutarcho, Svetonio, Ptolemæo, Iuſtino, Itinerariis Romanis, ſed plurimùm inferiorum temporum ſcriptoribus memoratum. Straboni ac Ptolemæo vocabulum eius formatur Μεδιολάνιον, MEDIOLANIVM; ut apud hunc trium aliarum etiam in Galliâ Transalpinâ idem nomen. Sed hæc in Italiâ etiam plurali numero ei ſcribitur Μεδιόλανα, MEDIOLANA. Sic enim illic legitur Μεδιόλανα, ἤτοι Μεδιολάνιον· id eſt, *Mediolana, ſive Mediolanium*. Apud Procopium Gothicar. rer. lib. II ſæpè variatur, modò Μεδιόλανα, modò Μεδιόλανον, & tandem feminino etiam genere more eius ævi uſitatiſſimo (quem ſuprà in Venetis ad Tarviſium opidum notavi) ἡ Μεδιόλανος, MEDIOLANVS. Opidani inde leguntur apud Varronem Ruſticar. rerum lib. I cap. VIII, & in antiquis lapidibus à *Mediolano* MEDIOLANENSES, & à *Mediolanio* itidem in lapidibus MEDIOLANIENSES. De urbis origine ita tradit Livius ſuprà dicto lib. V: *Sigoveſus Bituriges, Arvernos, Heduos, Ambarros, Carnutes, Aulercos, excivit*. Mox: *Ipſi per Taurinos ſaltumque inviæ Alpis transſcenderunt in Italiam. fuſiſque acie Tuſcis haud procul Ticino flumine, quum, in quo conſederant, agrum Inſubrium adpellari audiſſent, cognomine Inſubribus pago Heduorum; ibi, omen ſequentes loci, condidêre urbem; Mediolanum adpellarunt*. Plinius lib. III cap. XVII: *Lævi & Marici condidêre Ticinum; ſicut Boii, trans Alpeis profecti, Laudem Pompeiam; Inſubres Mediolanum.* An, quum *Aulerci* & *Hedui* in eo agmine forent præcipui cæterisque numeroſiores, ab horum in Tranſalpinâ Galliâ pago, unde profecti, tota gens *Inſubres* dicti: caput verò eorum à capite Aulercorum Eburovicum *Mediolano* idem hoc nomen accepit? Haud temerè adfirmaverim. Cæterò non urbem, ſed vicum modò à principio conditum fuiſſe, ſuprà cap. XXII oſtenſum. Strabo dicto lib. V: Ἴσομβροι δὲ Μεδιολάνιον ἔχον μητρόπολιν, πάλαι μὲν κώμην, νῦν δ' ἀξιόλογον πόλιν, πέραν τοῦ Πάδου, συνάπτουσάν πως ταῖς Ἄλπεσιν. Id eſt: *Inſubrium caput fuit Mediolanium; vicus quidem olim; at nunc urbs eſt præclara, trans Padum, Alpibus ferè contigua*. Abeſt inde XXV millia paſſuum. nomenque eius hodiéque durat; quamquàm admodùm conciſum, *Milano* incolis, Germanis verò *Meiland*; ut & *Mediolanium* quondam Gugernorum in Clivenſi ducatu, haud procul Rheno, etiamnunc vocatur *Moiland*. Iam inde CCXXII annis ante

natum

natum Ieſum Chriſtum magnam frequentemque exſtitiſſe urbem, tradunt auctores. Polybius lib. II; ubi bellum deſcribit, quod Romani conſules M. Claudius Marcellus & Cn. Cornelius Scipio cum Inſubribus geſſerunt, anno urbis Romæ IↃ XXXI. Ἔλαβον δὲ, inquit, τὰς Ἀχέρρας οἱ Ῥωμαῖοι, ἐκχωρησάντων εἰς τὸ Μεδιόλανον τῶν Γαλατῶν· ὅσπερ ἐστὶ κυριώτατος τόπος τῆς τῶν Ἰσόμβρων χώρας. * . * . Ὁ δὲ Γνάιος ἐπακολουθήσας, τήν τε χώραν ἐπόρθει, καὶ τὸ Μεδιόλανον εἷλε κατὰ κράτος. Id eſt: *Acerras occupaverunt Romani; Gallis Mediolanum ſeſe recipientibus: qui locus eſt regionis Inſubrium præcipuus.* Mox: *Cnæus inſequutus, agros populatur; & Mediolanum per vim capit.* Plutarchus in Marcello: Μάρκελλος ἐπανῆλθεν πρὸς τὸν συνάρχοντα, μοχθηρῶς πολεμοῦντα Κελτοῖς περὶ πόλιν μεγίστην καὶ πολυανθρωποτάτην τῶν Γαλατικῶν· Μεδιόλανον καλεῖται· καὶ μητρόπολιν μὲν αὐτὴν οἱ τῇδε Κελτοὶ νομίζουσιν· ὅθεν ἐκθύμως μαχόμενοι περὶ αὐτῆς, ἀντεπολιόρκουν τὸν Κορνήλιον. Hoc eſt: *Marcellus revertitur ad collegam. cui, bellum gerenti adversùs Gallos, res apud urbem Gallicarum maximam frequentiſſimamque male cedebant. Mediolanum vocant. eamque Galli Ciſalpini pro capite habent. quare pro eâ acriùs dimicabant; Corneliumque contrà obſidebant.* Oroſius lib. IIII cap. XIII, & Freculfus tomi I lib. V cap. V: *Claudius conſul inter multa Inſubrium, quæ ad deditionem coëgerat oppida, Mediolanum quoque, urbem florentiſſimam, cepit.* Atque hunc ſplendorem, hanc dignitatem perpetuò poſteà cuſtodivit; licèt maximis bellis ſæpè petita. Procopius Gothicarum rerum lib. II: Ὑπὸ δὲ τὸν αὐτὸν χρόνον ὅ τε Μεδιολανῶν ἱερεὺς Δάτιος καὶ τῶν πολιτῶν ἄνδρες δόκιμοι, ἐς Ῥώμην ἀφικόμενοι, Βελισαρίου ἐδέοντο, φρουροὺς ὀλίγους σφίσι ξυμπέμψαι· αὐτοὶ γὰρ ἱκανοὶ ἰσχυρίζοντο εἶναι, οὐ Μεδιόλανα μόνον, ἀλλὰ καὶ Λιγουρίαν ὅλην, πόνῳ οὐδενὶ Γότθων τε ἀποστῆσαι, καὶ βασιλεῖ ἀνασώσασθαι. Αὕτη δὲ ἡ πόλις ᾤκεῖτο μὲν ἐν Λιγούροις, μέση που μάλιστα Ῥαβέννης τε πόλεως καὶ Ἄλπεων, τῶν ἐν Γάλλων ὁρίοις κειμένη· ἑκατέρωθεν γὰρ ἐς αὐτὴν ὀκτὼ ἡμερῶν ὁδὸς ἀνδρὶ εὐζώνῳ ἐστί· πρώτη δὲ πόλεων τῶν ἑσπερίων μετά γε Ῥώμην μεγέθει τε καὶ πολυανθρωπίᾳ καὶ τῇ ἄλλῃ εὐδαιμονίᾳ ἐτύγχανεν οὖσα. Hoc eſt: *Sub idem tempus ſacerdos Datius civiumque primores nonnulli Romam Mediolanis ad Veliſarium venerunt, enixè petentes, modicum ad ſe uti præſidium mitteret; quo ſatis ſe poſſe, adſeverabant, non modò Mediolana, ſed Liguriam omnem Gothis ademptam imperatori recuperare. Vrbs hæc Liguribus habitata, medio ferè inter Ravennam & Alpeis, quæ in Galliarum confiniis ſunt, ſita eſt itinere. quare utrimque octo circiter dierum homini expedito via patet. Princeps inter Occidentis urbeis, ſecundùm Romam, tam magnitudine quàm incolarum frequentiâ & cæteris fortunæ bonis exſiſtit.* Idem elogium iiſdem verbis poſteà eodem libro repetit. Hinc Auſonius poëta, CL ferè annis Procopio prior, in carmine, quod de XV præcipuis totius Orbis urbibus compoſuit, ſexto loco Mediolanum, poſt Romam, Conſtantinopolim, Carthaginem, Antiochiam, & Treveros, poſuit. Verſibus autem his eam concelebrat:

Et Mediolani mira omnia. copia rerum;
Innumeræ cultæque domus; facunda virorum
Ingenia; antiqui mores. tum duplice muro
Amplificata loci ſpecies, populique voluptas,
Circus, & incluſi moles cuneata theatri:
Templa, Palatinaque arces, opulenſque Moneta;
Et regio Herculei celebris ſub honore lavacri;
Cunctaque marmoreis ornata periſtyla ſignis;
Mœniaque in valli formam circumdata labro.
Omnia quæ magnis operum velut æmula formis
Excellunt; nec juncta premit vicinia Romæ.

Hanc eius priſcam celebritatem magnificentiamque in hanc usque diem teſtantur publicarum fabricarum ſtupendæ reliquiæ: tum marmorum inſcriptiones innumeræ, in urbe pariter atque circumjecto agro vicisque paſſim repertè. Quin hodiéque quum præcipuæ Italiæ urbes ſuum quæque in publicâ famâ habeant epitheton; hæc vulgò *Milano la grande*, id eſt, *Mediolanum magna*, ob mœnium amplitudinem hominumque frequentiam, celebratur. Cæterùm inter *municipia* connumeratur à Tacito Hiſtoriar. lib. I. *Vt donum*, inquit, *novo principi, firmiſſima Transpadanæ regionis municipia, Mediolanum ac Novariam & Eporediam ac Vercellas, adjunxêre.* Literarum ſtudia circa eadem tempora heic floruiſſe, patet ex Plinii Iunioris lib. IIII epiſt. XIII ad Tacitum; ubi hæc leguntur: *Proximè quum in patriâ meâ*

 fui,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

fui, venit ad me ſalutandum municipis mei filius prætextatus. huic ego, Studes? inquam. Reſpondit: Etiam. Vbi? Mediolani. Hinc puto, ſi non omnem urbem, ſaltem partem eius adpellatam fuiſſe NOVAS ATHENAS. ſic quidpe habet inſcriptio, quæ heic ad templum divi Ambroſii exſtat:

IMP · CAESAR · T · AELIVS · HADRIANVS · ANTONINVS
AVG · PIVS · COS · III · TRIB · POT · II · P · P
AQVAEDVCTVM · IN · NOVIS · ATHENIS · COEPTVM · A · DIVO
HADRIANO · PATRE · SVO · CONSVMMAVIT · DEDICAVITQ

LAVS POMPEIA *municipium.*

Proximum hinc vetuſtate ſimul & claritudine à Mediolano in Inſubribus opidum fuit LAVS POMPEIA: à Boiis Gallis conditum, quum primùm in Italiam veniſſent. Plinius dicto lib. III cap. XVII: *Lævi & Marici condidère Ticinum: ſicut Boii, trans Alpeis profecti, Laudem Pompeiam.* Inſubrium finibus haud dubiè poſteà fuit adſcriptum, quum Boii Pado trajecto ad dextram huius ripam cônſediſſent. Quo ſitu id opidum fuerit, dilucidè perſpicitur ex Itinerariis, quæ ita habent:

Hieroſolymitan.		Tabulæ;	Antonini;	Antonini;	Antonini;
Mediolanum		*Mediolanum*	*Mediolano*	*Mediolanum*	
Ad Nonum	VII	|	|	|	
Laude	VII	*Laude* XVI.	*Laude* XVI.	*Laude* XVI.	*Laude*
Tribus tabernis	IX	|	|	|	*Ticino* XIII.
Ad Rotas	V	|	|	|	
Placentia	XI	*Placentia* XX.	*Placentia* XXIII.	*Placentia* XXIIII.	

Eſt equidem hodiè opidum celebre, ad ripam Adduæ fluminis, vulgari vocabulo *Lodi*. verùm huius ſitus præſcriptis itinerariis minimè convenit. ſunt quidpe hinc Mediolanum millia XX. Eſt prætereà vicus, tribus circiter millibus à dicto opido in occaſum verſùs diſtans, vulgari adpellatione *Lodevé*. huius & ſitus & vocabulum maximè itinerariis quadrat. hinc etenim XIII ſunt millia Ticinum usque; ut habet Antoninus: XVI Mediolanum; ut idem refert Antoninus bis, & ſemel Tabula: XXV circiter Placentiam; ut habet Hieroſolymitanum itinerarium. in quo ſi vitioſum numerum VII millium, qui adſcriptus eſt proximo à Mediolano loco *Ad Nonum*, corrigas in VIIII millia; conveniet iter inter Mediolanum & Laudem cum Tabulâ & Antonino. *Lodevé* autem dictum eſt poſteà barbaris Langobardis à Latinâ adpellatione *Laude veteri*. nam *Laus vetus* dictum eſt, poſtquàm novum illud opidum, quod hodiéque *Lodi* vocatur, exſtructum. Sed nomen ipſi Boii huic opido quod impoſuerint, haud facilè quis dixerit. Romanos poſtmodò antiquum illud primumque mutaſſe, cùm vox *Laus*, quæ merè eſt Latina, tùm cognomentum *Pompeia*, apertè teſtantur. Strabo lib. V ita ſcribit de Como: Αὕτη δ' ἦν μὲν κατοικία μετρία· Πομπήϊος δὲ Στράβων, ὁ Μάγνου πατὴρ, κακωθεῖσαν ὑπὸ τῶν ὑπερκειμένων Ῥαιτῶν συνῴκισεν. Id eſt: *Hoc quidem opidum erat mediocre. at Pompeius Strabo, Magni pater, adflictum à ſuprà colentibus Rhætis inſtauravit colonis.* Apud Aſconium Pedianum, in commentario ad Ciceronis orationem contra L. Piſonem, hæc ſunt de Placentiâ: *Neque illud dici poteſt; ſic eam coloniam eſſe deductam, quemadmodùm poſt plureis ætates Cn. Pompeius Strabo, pater Cn. Pompeii Magni, Transpadanas colonias deduxerat. Pompeius enim non novis colonis eas conſtituit: ſed, veteribus incolis manentibus, jus dedit Latii, ut poſſent habere jus, quod cæteræ Latinæ coloniæ; id eſt, ut petendi magiſtratus gratiâ civitatem Romanam adipiſcerentur.* Onuphrius Panvinius, in libro de Imperio Romano, inter alias Romanorum colonias *Laudem* etiam *Pompeiam* recenſet, his additis verbis: *Huius coloniæ quamquàm nullus, quod ſciam, vetuſtus auctor mentionem faciat; procul dubio tamen à Cn. Strabone Latina colonia & ipſa trans Padum deducta eſt. à quo & cognomen accepit.* Eodem hoc cognomenti argumento *Albam* quoque *Pompeiam* cis Padum in Liguribus coloniam Romanorum fuiſſe docet: exemplo haud dubiè aliarum in imperio Romano coloniarum inductus, quæ ſimilia cognomina habuêre.

Plinius

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Plinius lib. III cap. XVIIII; quod eſt de Hiſtriâ: *Colonia Pola; quæ nunc Pietas Iulia.* Et eodem libro, cap. I; quod eſt de Hiſpaniâ ulteriore: *Huius conventus ſunt reliquæ coloniæ immunes: Tucci; quæ cognominatur Auguſta Gemella; Ituci, quæ Virtus Iulia; Attuli, quæ Claritas Iulia.* Sic & Straboni lib. III in eâdem provinciâ inter alias colonias recenſetur *Pax Auguſta.* & Ptolemæo etiam ibidem eſt opidum *Pax Iulia.* quod nomen haud dubiè etiam fuit Narbonenſis in Galliâ provinciæ coloniæ, de qua ita Plinius lib. III cap. IIII: *Forum Iulii, Octavanorum colonia; quæ Pacenſis adpellatur.* Verùm hoc argumentum an ſatis usquequaque validum ſit, equidem etiamnum dubito. ſic quidpe dicto lib. III cap. I Plinius in eâdem Hiſpaniâ: *Celeberrima inter Bætim & Oceani oram opida in mediterraneo: Segeda; quæ Augurina cognominatur: Iulia; quæ Fidentia: Virgao; quæ Alba: Ebura; quæ Cerealis: Ilipula; quæ Laus: Attigi; quod Iulienſes: Veſci; quod Faventia.* Et poſteà: *A lævâ Bætis, Hiſpalis colonia, cognomine Romulenſis. ex adverſo opidum Oſſet; quod cognominatur Iulia Conſtantia.* De coloniâ igitur heic ad Laudem Pompeiam nihil certi adfirmari poſſe puto. ab eodem tamen Cn. Pompeio Strabone opidum id augmentum vel inſtaurationem cum novo nomine cognomineque accepiſſe, haud dubitaverim. Quòd ſi non colonia, ſaltem *municipium* fuiſſe Romanorum, teſtatur lapis antiquus Romæ repertus, in quo memoratur DECVRIO LAVDE POMPEIA. Apud Ciceronem, ad Quinctum fratrem lib. II epiſt. XIIII ſic legitur: *Ad* IIII *Non. Iun. quo die Romam veni, accepi tuas literas, datas Placentiæ. deinde alteras poſtridiè, datas Blandenonæ.* Alia heic exemplaria habent *Laudenonæ.* quod porrò haud infeliciter fortaſſis quidam corrigere tentarunt *Laude novâ.* nam Ciceronis ætate quum hoc opidum Gallorum reſtitueretur, meritò dici poterat LAVS NOVA. quod poſteà reſtauratoris potiùs cognomen obtinuit, *Laus Pompeia.* Hoc tamen modò Ciceronem ſcripſiſſe, ſi quis contendat; facilè per me evincat. Poſterioribus temporibus ſimpliciter, ſine cognomento, LAVDEM vocarunt; ut ex duobus præſcriptis patet itinerariis. quibus adde Paullum Diaconum Langobard. rer. lib. VI cap. XX; & Martyrologia Romana, prid. Id. Septembreis. Apud Sigebertum in rebus geſtis anni CIↃCLVIII hæc leguntur: *Fridericus imperator in Italiâ ſe retinens, Laudem civitatem, quam Mediolanenſes deſtruxerant, in tutiori loco translatam reſtruxit.* Hoc igitur eſt hodiernum illud opidum *Lodi,* III millibus paſſuum à *Lodevé,* id eſt, à *Laude veteri,* diſſitum. Opidani hinc fuerunt haud dubiè LAVDENSES POMPEIANI: quemadmodùm ab *Albâ Pompeiâ* erant *Albenſes Pompeiani;* ut ſuprà in Liguribus oſtenſum eſt. Paullus Diaconus Langobard. rer. lib. V cap. II nominat *Laudenſem civitatem;* & Ado in Martyrologio, prid. Id. Sept. *Laudenſem urbem.*

Cæterùm locus ille in Hieroſolymitano itinerario, AD NONVM à Mediolano LAPIDEM, ex itineris ductu atque intervallis hinc inde poſitis deprehenditur eſſe opidum, quod vulgò nunc dicitur *Marignano,* & *Malignano.* AD NONVM, *locus.*

Porrò apud Ptolemæum ita ſcriptum eſt: Κενομανῶν, οἵ εἰσιν ὑπὸ τὴν Οὐενετίαν, Βέργομον, Φόρον Ἰουτουντῶν, Βριξία, Κρεμῶνα, Οὐήρωνα, Μάντουα, Τριδέντε, Βούτριον. Id eſt: *Cenomanorum, qui ſunt ſub Venetiâ, Bergomum, Forum Iutuntorum, Brixia, Cremona, Verona, Mantua, Tridente, Butrium.* Vt continuò pòſt Lævorum opidum Ticinum Inſubribus attribuit; ita heic *Bergomum* Orobiorum, *Veronam* Euganeorum Rhætorumque, & horum *Tridente,* ac Boiorum cis Padum etiam *Butrium* Cenomanis falsò adſcribit. FORVM iſtud IVTVNTORVM, ſeu, ut alia exemplaria habent Ἰουγουντῶν, IVGVNTORVM: ſive, ut alia rurſus, Διουγουντῶν, DIVGVNTORVM; ex poſitione, quam ei tribuit Ptolemæus inter Bergomum, Ticinum, Cremonam & Brixiam, deprehenditur eſſe id opidum, quod vulgò nunc adpellatur *Crema.* Id ex ſitu non magis Cenomanorum puto fuiſſe, quàm reliqua illa præſcripta. quapropter Inſubrium finibus id adſigno. FORVM DIVGVNTORVM, *opidum.*

De cætero iter deſcribitur in Tabulâ itinerariâ per Inſubrium agrum huiusmodi: ACERRAE *opidum.*

Mediolanum	
Laude Pompeia	XVI.
Acerras	XXII.
Cremona	XIII.

Ex itineris ductu & intervallis, item ex vocabuli ſimilitudine, opidum iſtud ACERRAE, ſive, ut Græci plerique formarunt, Ἀχέρραι, ACHERRAE, deprehenditur eſſe vicus vulgari nunc vocabulo *Gherra*, ex adverſo caſtelli *Picighiton*, ad Adduæ Seriique amnium confluenteis, VII millia paſſuum à Padi lævâ ripâ. Memoratur id opidum Polybio quoque, Straboni, Plutarcho, ac Zonaræ, Stephanique epitomatori. quorum hic; Ἀχέρραι, πόλις μεταξὺ τοῦ Πάδου καὶ τῶν Ἄλπεων. Id eſt: *Acherræ, opidum inter Padum & Alpeis*. Parum, mehercle, chorographicè. ſed tamen magno auctore Polybio: qui ita tradit lib. II: Οἱ δὲ Ῥωμαίων στρατηγοὶ τῆς ὥρας ἐπιγινομένης ἀναλαβόντες τὰς δυνάμεις, ἦγον εἰς τὴν τῶν Ἰσόμβρων χώραν. παραγενόμενοι δὲ, καὶ στρατοπεδεύσαντες περὶ πόλιν Ἀχέρας, ἣ μεταξὺ κεῖται τοῦ Πάδου καὶ τῶν Ἀλπεινῶν ὀρῶν, ἐπολιόρκουν ταύτην. οἱ δ' Ἴσομβροι βοηθεῖν μὲν οὐ δυνάμενοι, διὰ τὸ προκαταληφθῆναι τοὺς εὐφυεῖς τόπους· σπεύδοντες δὲ λῦσαι τὴν πολιορκίαν τῶν Ἀχερῶν, μέρος τι τῆς δυνάμεως διαβιβάσαντες τὸν Πάδον εἰς τὴν τῶν Ἀνδρῶν χώραν, ἐπολιόρκουν τὸ Κλαστίδιον προσαγορευόμενον. Hoc eſt: *Romanorum duces primo vere legiones in agros Inſubrium ducunt: opidumque Acherras, inter Padum & Alpium juga ſitum, admotis caſtris obſident. Inſubres, quum ferre opem, occupatis omnibus locis opportunis, nequirent: ſtudio liberandi Acherras obſidione, partem copiarum, trajecto Pado, in ditionem Romanorum mittunt; & Claſtidium obſident.* Diſertiùs paullo ſitum indicat Acerrarum Plutarchus in Claudio Marcello. Οἱ Γαισάται, inquit, τὰς Ἄλπεις ὑπερβαλόντες, καὶ τοὺς Ἰσόμβρους ἐπάραντες, εὐθὺς ἐπ' Ἀχέρρας ὥρμησαν πόλιν ὑπὲρ ποταμοῦ Πάδου συνῳκισμένην. Id eſt: *Geſatæ, ſuperatis Alpibus, Inſubribusque concitatis, rectà Acerras petierunt, opidum trans Padum ſitum*. Malè heic interpres Latinus; *in ripâ Padi poſitam urbem*. Ex Polybio tamen etiam patet, fuiſſe inter Padum & Mediolanum. ſic quidpe paullo pòſt: Ἔλαβον δὲ καὶ τὰς Ἀχέρας οἱ Ῥωμαῖοι, σίτου γεμούσας, ἐκχωρησάντων εἰς τὸ Μεδιόλανον τῶν Γαλατῶν· οἷς ἐκ ποδὸς ἐπακολουθήσαντος τοῦ Γναΐου, καὶ προσβαλόντος ἄφνω πρὸς τὸ Μεδιόλανον, τὸ μὲν πρῶτον ἡσυχίαν ἔσχον· ἀπολυομένου δ' αὐτοῦ πάλιν εἰς τὰς Ἀχέρας, ἐπεξελθόντες καὶ τῆς οὐραγίας ἁψάμενοι θρασέως, πολλοὺς μὲν νεκροὺς ἐποίησαν, μέρος δέ τι καὶ φυγεῖν αὐτῶν ἠνάγκασαν. Hoc eſt: *Acherras quoque Romani occuparunt, frumento refertas; Gallis Mediolanum ſe recipientibus. quos è veſtigio Cnæus inſequens, ſubito impetu ad Mediolanum usque fertur. Galli tum quidem nihil movêre. ſed quum ille Acherras rediret; inſequi hi, & extremum carpere agmen cœperunt: magnâque ſtrage editâ, partem exercitus in fugam verterunt*. Zonara Annal. lib. II: Σκιπίων δὲ κατὰ χώραν μείνας, Ἀχέρας ἐπολιόρκει· καὶ λαβὼν αὐτὰς, ὁρμητήριον τοῦ πολέμου πεποίηκεν, οὔσας ἐπικαίρους καὶ εὐερκεῖς. κἀντεῦθεν ὁρμώμενοι, τό τε Μεδιόλανον καὶ Κῶμον, πόλιν ἑτέραν, ἐχειρώσαντο. Id eſt: *Scipio in eâdem regione manens, Acerras obſedit. iisque expugnatis pro belli receptaculo uſus eſt; quòd loco opportuno erant ſitæ atque munitæ. Inde profecti, cùm Mediolanum, tùm Comum, aliam urbem, ceperunt*. Opportunitatem Addua flumen præbebat; in cuius ripâ ſitæ erant Acerræ. Meminit earum etiam Strabo lib. V, in Campaniæ deſcriptione. Νώλης δὲ, inquit, καὶ Νουκερίας καὶ Ἀχέρων, ὁμωνύμου κατοικίας τῆς περὶ Κρέμωνα, ἐπίνειόν ἐστιν ἡ Πομπαΐα. Id eſt: *Pompæa commune eſt navale Nolæ & Nuceriæ & Acherrarum; quæ idem habent nomen cum opido circa Cremonam*. Sed & anteà eodem libro earum meminiſſe putatur in regionis Circumpadanæ deſcriptione, in his verbis: Πόλεις δ' εἰσὶν ἐντὸς τοῦ Πάδου καὶ περὶ τὸν Πάδον ἐπιφανεῖς, Πλακεντία μὲν καὶ Κρεμώνη πλησιαίταται κατὰ μέσην πως τὴν χώραν· μεταξὺ δὲ τούτων τε καὶ Ἀριμίνου, Πάρμα καὶ Μουτίνη, καὶ Βονωνία πλησίον ἤδη Ῥαουέννης· καὶ μικρὰ πολίσματα ἀνὰ μέσον τούτων, δι' ὧν ἡ εἰς Ῥώμην ὁδὸς, Ἄκαρα, Ῥήγιον Λέπιδον, Μακροὶ κάμποι, Κλίτερνα, Φόρον Κορνήλιον· Φαουεντία δὲ, καὶ Καισῆνα πρὸς τῷ Ἰσάπι ποταμῷ καὶ τῷ Ῥουβίκωνι, ἤδη συνάπτουσι τῷ Ἀριμίνῳ. Hoc eſt: *Vrbes citra Padum & circa Padum illuſtres ſunt, Placentia & Cremona proximæ, mediâ ferme regione: inter has verò & Ariminum, Parma, Mutina, & Ravennæ jam propinquior Bononia: tum alia opida minora, in medio iſtarum, per quæ via fert Romam, Acara, Regium Lepidum, Macri campi, Cliterna, Forum Cornelium. hinc Faventia, & ad Iſapin Rubiconemque Cæſena, jam Arimino adpropinquant*. Heic equidem Strabonis commentatores conjectant, corruptum eſſe vocabulum Ἄκαρα ab genuino Ἀχέραι, ſive Ἀχέρραι. verùm hi ſitum Acerrarum apud Adduam parum compertum habuiſſe mihi videntur: quandoquidem neque ab Cremonâ neque à Placentiâ iter ferebat per eas Romam. tum Strabo diſertè πολίσματα iſthic recenſet quæ inter Parmam & Ariminum erant ſita in viâ Aemiliâ. Quòd ſi igitur aliquod *Acara* opidum fuerit hac viâ; certè ex Strabonis recenſione inter Parmam id fuit & Regium Lepidi. At eo

vel

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

vel ſimili vocabulo heic nullum umquàm fuit. Quapropter ſcriptum fuiſſe arbitror à Strabone, *δι' ὧν ἡ εἰς Ῥώμην ὁδὸς φέρει· per quæ via fert Romam*. Hæc etiam vitiata eſſe vocabula, Κρεμώνη, Βωνωνία, Κλίτεργα, Γαίσπη, pro quibus ſcribendum Κρέμων, Βονωνία, Κλάτεργα, Σάπη, infrà ſuis locis docebo. *Acerrarum* itaque Strabo in Circumpadanæ regionis deſcriptione non meminit. Cæterùm ex ſuprà citatis ſatis clarè patet; maximè ex Strabone & Tabulâ itinerariâ, fuiſſe *Acerras* haud procul Pado & Cremonâ. Nomen earum multis modis, ut hactenus perſpectum, apud auctores variatur. namque *Acerras* vocat diſertè Tabula itineraria; quemadmodùm & illas in Campaniâ Virgilius Γεωργικῶν lib. II in his verſibus:

Talem dives arat Capua & vicina Veſevo
Ora jugo, & vacuis Clanius non æquus Acerris.

item alias in Vmbriâ Plinius lib. III cap. XIIII, quas *Vafrias* cognominat. At apud eumdem Plinium lib. III cap. V Campaniæ Acerrarum opidani in plerisque exemplaribus leguntur *Acerani*. Græci rurſum id vocabulum adſpirant per χ, modò ſimplici modò gemino ρ perſcripto. Apud Appianum Campaniæ opidum utroque modo ſcribitur; in Punicis Ἀχέραι, in primo Civilium Ἀχέρραι, ut eſt apud Stephani epitomatorem. Verùm omnium rectiſſimè ſcribitur Græcis literis Ἀχέρραι, ſive Ἀκέρραι, Latinis *Acerræ*. quidpe penultimam debere eſſe longam, Virgilii teſtatur loco præſcripto auctoritas. De reliquo vetuſtiſſima huius opidi memoria eſt apud prædictos Polybium, Plutarchum, atque Zonaram, in rebus geſtis M. Claudii Marcelli, conſulis Romani; qui conſulatum cum collegâ Cn. Cornelio Scipione geſſit Acerrasque cepit anno à Româ conditâ IↃXXXI, ante natum Ieſum CCXXII. noviſſima verò eius mentio fit in dictâ Tabulâ itinerariâ: quam circa annum Chriſti CCCLXV, Valentiniano & Valente imperatoribus compoſitam fuiſſe, in Germaniæ lib. II cap. V docui.

Porrò iter aliud in Hieroſolymitano itinerario per agrum Inſubrium legitur huiusmodi:

Mediolanum	
Fluvio Frigido	XII.
Argentia.	X.
Ponte Aureoli	X.
Vergamo.	XIII.

PONS iſte AVREOLI hodiéque vulgò dicitur *Pontiruolo*, & conciſè incolarum dialecto *Pontirô*; vicus ultra Adduæ Brembæque fluminum confluenteis, XIII millia paſſuum à Bergamo diſſitus. Id nominis unde olim ei inditum, oſtendunt complures auctores. Sex. Aurel. Victor, in Gallieno: *Aureolus, quum per Rhetias legionibus præeſſet; excitus, uti mos eſt, ſocordiâ tam ignari ducis, ſumpto imperio Romam contendebat. eum Gallienus ad pontem, cui ex eo Aureolo nomen eſt, fuſum acie, Mediolanum coëgit.* Paullus Diaconus Hiſtoriæ miſcellæ lib. X; & epitome de Cæſaribus, quæ prædicto Aurelio Victori adſcribitur: *Gallienus intereà adversùs Aureolum profectus eſt. quem quum apud pontem, qui ex eius nomine Aureolus adpellatur, obtentum, decurſumque Mediolanum obſedit, eiusdem Aureoli commento à ſuis interiit.* Quomodò ab eo denominatus ſit pons, docet Trebellius Pollio in XXX tyrannis. *Hunc*, inquit, *eumdem Aureolum Claudius, interfecto jam Gallieno conflictu habito, apud eum pontem interemit, qui nunc pons Aureoli nuncupatur: atque illic, ut tyrannum, ſepulcro humiliore donavit. Exſtat etiam epigramma Græcum, in hanc formam:* PONS AVREOLI, *locus*

Bona ſepulcrorum, victor poſt multa tyranni
Prælia, jam felix Claudius Aureolum
Munere perſequitur mortali: & jure ſuperſtes
Vivere quem vellet; ſi pateretur amor
Militis egregii: vitam qui jure negavit
Omnibus indignis, & magis Aureolo.
Ille tamen clemens, qui corporis ultima ſervans,
Et pontem Aureoli dedicat, & tumulum.

Hos ego verſus, à quodam grammatico translatos, ita poſui, ut fidem ſervarem: non quòd meliùs non potuerint transferri; ſed ut fidelitas hiſtorica ſervaretur.

Alter ille locus ARGENTIA, X millia paſſuum à Ponte Aureoli verſus Mediolanum ARGENTIA, *locus.*

lanum euntibus, ex itineris tractu atque intervallo diſpicitur eſſe is, qui nunc vulgò vicus dicitur *Gorgonzola*. quod vocabulum antiqui etiam nominis quamdam ſimilitudinem ſervat.

FRIGIDVS fluvius; *qui & Lamber.*

FRIGIDVS FLVVIVS in eodem itinere nullus alius eſt, quàm qui alio nomine dicebatur *Lamber*: hoc nominis hodiéque cuſtodiens. ſed millia ad hunc ſunt à Mediolano tantùm v, vel paullo ampliùs. inde juſta ſunt millia x ad Gorgonzolam.

MOGVNTIACVM *opidum; quod poſteà* MODICIA.

Apud Paullum Diaconum Langobard. rer. lib. IIII cap. XXII hæc leguntur: *Per idem tempus Theudelinda regina baſilicam beati Ioannis Baptiſtæ, quam in Modiciâ conſtruxerat, qui locus ſupra Mediolanum* XII *millibus abeſt, dedicavit; multisque ornamentis auri argentique decoravit, prædiisque ſufficienter ditavit. quo in loco etiam Theudericus quondam Gothorum rex, palatium conſtruxit, pro eo, quòd æſtivo tempore locus ipſe, utpote vicinus Alpibus, temperatus ac ſalubris exſiſtit.* Idem loci nomen repetitur capp. XXVI, XXVIII, & XLVIIII. Ex vocabuli ſimilitudine, ſitu, & XII millium intervallo, viri docti jam dudum deprehenderunt eſſe id opidum, quod ad Lambrum fluvium vulgò nunc incolis adpellatur *Mozza* & *Monza*. Antiqua inſcriptio huius loci, quæ exſtat in templo divi Mauricii, ita habet:

C · SERTORIVS · L · F · O · V · F ·
TC :::::::::::::::::::: VS
VETERANVS · LEGIONIS · XVI
CVRATOR · CIVIVM · OMN
MOGVNTIACI

Hinc quidam viri docti conjiciunt, antiquum Romanis huius opidi nomen fuiſſe MOGVNTIACVM. quorum ſententiæ ego lubentiſſimus ſubſcripſerim. tam facilè quidpe hoc Gallorum Inſubrium opidi vocabulum poſteà detorqueri potuit in *Monza*; quàm Vangionum Germanorum in Gallicâ Rheni ripâ opidi idem nomen in *Menz*. Atque hactenus Inſubrium fines opidaque, veteribus memorata ſcriptoribus, nobis explicata ſunt.

CAP. XXV.

De OROBIIS.

SUpra Inſubreis, versùs ſeptemtriones, incoluêre OROBII, inter lacum Verbanum, quem Ticinus amnis transit, & Sebinum lacum, quemque is recipit Ollium fluvium. Plinius lib. x cap. XXVIIII: *Transpadana Italia juxta Alpeis Larium lacum adpellat, amœnum arbuſto agro; ad quem ciconiæ non permeant: ſicut nec octavum circa lapidem ab eo. immenſa alioqui finitimo Inſubrium tractu examina graculorum monedularumque.* Limitem, quo ab Inſubribus diſcreti fuerint, ſuperiori capite indicavimus. Ab occaſu apud Verbanum lacum conterminos habuêre Lepontios, ſuprà cap. XIIII expoſitos. ab ſeptemtrionibus, apud Luganenſem lacum, eosdem Lepontios, ad Larium usque ſive Comenſem lacum: inde Euganeos ad Sebinum usque lacum; quos ſuprà cap. XV enarravimus. Sed *Orobiorum* gentem unus ſolus, eorum qui exſtant ſcriptores, memorat Plinius, è Catonis monumentis. Verba eius lib. III cap. XVII hæc ſunt: *Orobiorum ſtirpis eſſe Comum atque Bergomum & Licinî forum, & aliquot circà populos, auctor eſt Cato: ſed originem gentis ignorare ſe fatetur. quam docet Cornelius Alexander ortam è Græciâ, interpretatione etiam nominis, vitam in montibus degentibus. In hoc ſitu interiit Berra. unde Bergomates Cato dixit ortos; etiamnum prodente, ſe altiùs quàm fortunatiùs ſitos.* Gallos fuiſſe, unà cum reliquis Gallis in Italiam Tarquinio Priſco Romæ regnante profectos, ex Trogi Pompeii epitomatore Iuſtino diſco. is quidpe lib. XX, *Gallis*, inquit, *cauſa in Italiam veniendi ſedeisque novas quærendi inteſtina diſcordia & adſiduæ domi diſſenſiones fuêre. quarum tædio quum in Italiam veniſſent; ſedibus Tuſcos expulerunt; & Mediolanum, Comum, Brixiam, Veronam Bergamum, Tridentum, Vicentiam condiderunt.* Sed nomen hæc gens in patriâ lingvâ quod habuerit, quærendum eſt. quidpe *Orobiorum* vocabulum à Græcis quæſitum uſurpatumque eſſe, nullus ego dubitaverim; quando ὄρος *montem*, & βίος *vitam* ſignificat. *Bergomum* merum eſſe Gallicum ſive Celticum vocabulum; quod illi ſuo ore formabant

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

bant *Berghom*, & *Bergham*; nihilque aliud ſignificabat, niſi *domicilium apud montem*, vel *in monte*; Germaniæ lib. I cap. VII docui. Id præſcripto loco Plinius quoque innuit: quamquàm eius verba mirum in modum ab imperitis vel incurioſis librariis ſint vitiata. Ego totum locum ſic reſtituendum cenſeo: *Orobiorum ſtirpis eſſe Comum atque Bergomum & Licinî forum, & aliquot circà populos, auctor eſt Cato: ſed originem gentis ignorare ſe fatetur. quam docet Cornelius Alexander ortam è Græciâ; interpretatione nominis vitam in montibus degentium. In hoc ſitu interiit opidum Orobiorum Beſra: unde Bergomates Cato dixit ortos; etiam nomine prodente, eſſe altiùs quàm fortunatiùs ſitos.* Scilicet Bergomatium etiam nomen prodebat, eos altè, id eſt, in monte, eſſe ſitos. *berg* quidpe etiamnum Germanis eſt *mons*: *home* verò Anglis, Germanicæ originis genti, & nonnullis Friſiorum, eſt *domicilium*: quod reliqui Germani dicunt, variantibus dialectis, *haim*, *heim*, *heem*; & Dani *hiem*. Igitur Græcorum quidam auctores, quum interpretationem huius nominis haberent; verterunt id ſuâ lingvâ in Ὀρόβιοι. Hinc poſtmodùm Cornelius iſte Alexander, Græcæ vanitatis, inter innumera alia, hac ſaltem in re haud poſtremum exemplar, interpretatione huius Græci vocabuli è Græciâ gentem ipſam eſſe ortam docuit. An igitur tota gens à capite ſuo *Bergomo* dicta fuit BERGOMATES? Haud temerè dixerim.

BERGOMVM *municipium*

Cæterùm Ptolemæus, ut ſuperiori capite dictum, *Bergomum* Cenomanis, *Comum* verò Inſubribus adſcripſit. Non fuiſſe Orobios populum ſive nationem Inſubricæ gentis, patet ex ſuprà ſcripto Plinii loco libri X cap. XXVIIII: ubi diſertè inter Comenſem & Inſubrium agros diſtingvit. In ſocietate horum, ac fortè fide atque clientelâ, illos fuiſſe, ex Livii colligo hiſce verbis lib. XXXIII: *Marcellus, Pado confeſtim trajecto, in agrum Comenſem, ubi Inſubres, Comenſibus ad arma excitis, caſtra habebant, duxit.* Et poſteà; *Triumphavit*, inquit, *in magiſtratu de Inſubribus Comenſibusque*.

Caput gentis olim fuiſſe videtur, ut dixi, Βέργομον, BERGOMVM; hoc nomine Plinio, Ptolemæo, Tabulæ itinerariæ & Antonino, ac compluribus inſcriptionibus antiquis, dictum. at Iuſtino, prædicto loco, & omnibus ferè inferiorum temporum ſcriptoribus eſt BERGAMVM: unde vulgare hodiè vocabulum *Bergamo*. &, quum Aſiæ celebris in primis eſſet urbs PERGAMVM; eo plerique nomine hoc noſtrum Italiæ opidum adfecerunt. ſed & plurali numero dixêre BERGAMA, & PERGAMA. Procopius, Gothicar. rer. lib. II: Μουνδίλας πόλεις κατέλαβεν, ὅσαι Μεδιολάνου ἄγχιστα οὖσαι ὀχυρώματα εἶχον, Πέργαμόν τε καὶ Κῶμον καὶ Νοβαρίαν, καὶ ἄλλα ἄττα πολίσματα. Hoc eſt: *Mundila urbeis Mediolano proximas, quotquot munimenta habebant, occupabat; ut Pergamum, Comum, Novariam, & alia nonnulla opida.* Martyrologium vetus Romanum: VII *Cal. Septemb. Bergamis Alexandri.* Ado: *Apud urbem Italiæ, quæ Bergamis dicitur, S. Alexandri martyris.* Vſuardus: *Civitate Pergamis S. Alexandri martyris.* Sic apud Paullum Diaconum in Langobardicis paſſim mirum in modum vocabulum id variatur, *Bergomum*, *Bergamum*, *Pergamum*, *Pergamus*. At apud Iuſtinum, præſcripto loco, in pleriſque exemplaribus, item in Itinerario Hieroſolymitano, *B*, more poſterioris ævi uſitatiſſimo, in *V* converſo, legitur *Vergamum*. Apud Strabonem lib. V ita ſcriptum eſt: Ἴσομβροι δὲ Μεδιολάνιον ἔχον μητρόπολιν, πέραν τοῦ Πάδου, συνάπτουσάν πως ταῖς Ἄλπεσι. πλησίον δὲ καὶ Βηρὼν, καὶ αὕτη πόλις μεγάλη. ἐλάττους δὲ τούτων Βρεξία καὶ Μάντουα καὶ Ῥήγιον καὶ Κῶμον. Id eſt: *Caput Inſubrium fuit Mediolanium, trans Padum ſita urbs, Alpibus ferè contigua. In propinquo eſt Verona; & ipſa urbs magna. his verò minores, Brixia, Mantua, Regium, atque Comum.* Id maximè miror, qua ratione heic inter Transpadanas urbeis, Mediolano propinquas, recenſeatur *Regium* opidum cis Padum ſitum: præſertim, quum in ſubſequenti etiam oratione reliqua Transpadanæ regionis urbeis atque opida enarret; ac tandem in hæc verba concludat: Τὰ μὲν δὴ πέραν τοῦ Πάδου χωρία οἵ τε Ἑνετοὶ νέμονται καὶ οἱ Ἴστροι, μέχρι Πόλας. ὑπὲρ δὲ τῶν Ἑνετῶν Καρνοὶ καὶ Κενομανοὶ καὶ Μεδοακοὶ καὶ Ἴσομβροι. Οἱ δ' ἐντὸς τοῦ Πάδου κατέχουσι μὲν ἅπασαν, ὅσην ἐγκυκλοῦνται τὰ Ἀπέννινα ὄρη πρὸς τὰ Ἄλπια, μέχρι Γενούας καὶ τῶν Σαβάτων· κατεῖχον δὲ Βοιοὶ καὶ Λίγυες καὶ Σένωνες. Hoc eſt: *Ergo quæ trans Padum ſunt, Veneti incolunt & Hiſtri, usque ad Polam. Super Venetos autem ſiti ſunt Carni, Cenomani, Medoaci, Inſubres. At Ciſpadani tenent, quidquid includitur Apenninis montibus & Alpibus, usque Genuam & Sabata. Incolæ quondam fuêre, Boii, Ligures, atque Senones.* Sed & mox *Regium* ſuo loco atque ordine recitat. Πόλεις δὲ, inquit, εἰσὶν ἐντὸς τοῦ Πάδου καὶ περὶ τὸν Πάδον ἐπιφανεῖς, Πλακεντία

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

μὲν καὶ Κρεμὼν, πλησιάζεται κατὰ μέσην πως τὴν χώραν· μεταξὺ δὲ τούτων τε καὶ Ἀριμίνου, Πάρμα, καὶ Μουτίνη, καὶ Βονωνία, πλησίον ἤδη τῆς Ῥαουέννης· καὶ μικρὰ πολίσματα ἀνὰ μέσον τούτων, δι' ὧν ἡ εἰς Ῥώμην ὁδὸς, Ἀχέραι, Ῥήγιον Λέπιδον, Μακροὶ κάμποι, Κλάτερνα, Φόρον Κορνήλιον, Φαουεντία, καὶ Καισηνία. Id eſt: *Vrbes verò citra Padum & ad Padum illuſtres ſunt; Placentia & Cremona proximæ; mediâ ferè regione. inter has autem & Ariminum; Parma, Mutina, & Bononia, Ravennæ jam propior: tum alia opida minora, in medio iſtarum, per quæ via Romam ducit, Acerræ, Regium Lepidum, Campi macri, Claterna, Forum Cornelium, Faventia, Cæſena.* Nihil igitur certiùs, quàm legendum illic eſſe priori loco; Βρεξία καὶ Μάντουα καὶ Βέργομον καὶ Κῶμον· *Brixia, Mantua, Bergomum, Comum.* Cæterùm opidani inde ſunt Plinio ſuprà dicto lib. III cap. XVII, & item lib. XXXIIII cap. I, BERGOMATES. De ære heic loquens, *Celebritas*, inquit, *in Achaiâ, & quondam in Campaniâ; nunc in Bergomatium agro, extremâ parte Italiæ.* Fuiſſe aliquando *municipium*, antiquæ teſtantur inſcriptiones: quarum una Brixiæ memorat CVRAT. REIP. BERGOM. altera Bergomi HONOR. MVNICIPAL. Cæterùm Plinius, præſcripto lib. III cap. XVII, *In hoc ſitu*, inquit, *interiit, opidum Orobiorum Berga: unde Bergomates Cato dixit ortos; etiam nomine prodente, eſſe altiùs quàm fortunatiùs ſitos.* Ecquid primum iſtud opidum vocabatur *Berg* incolis, Plinio Latinâ formatione BERGA? quod quum bello vel aliâ calamitate interierit; incolæ ejus aliud exſtruxerint, deque prioris vocabulo dixerint *Berghom*? Haud equidem temerè adfirmaverim.

COMVM colonia & municipium: quod poſteà NOVVM COMVM.

At Bergomo longè celebrius fuit opidum Κῶμον, COMVM; Livio, Straboni, Plinio, Plutarcho, Appiano, Svetonio, Ptolemæo, Itinerariis Romanis, Marcellino, Procopio, & aliis memoratum. Vulgò nunc incolis dicitur *Como*; Lario lacui adpoſitum. Opidani inde dicuntur Livio lib. XXXIII, & Plinio lib. II cap. CIII, item lib. XXXVI cap. XXII, & antiquis inſcriptionibus COMENSES. At barbari jam ſæculi ſcriptoribus, Sigeberto, Reginoni, Liuthprando, & aliis, opidum Campanæ urbis, celeberrimæ quondam, nomine vocatur *Cuma*, & plurali numero *Cumæ*; opidanique *Cumani*. Cæterùm antiquitatem huius urbis oſtendit Trogi epitomator Iuſtinus dicto lib. XX. *Gallis*, inquit, *cauſa in Italiam veniendi inteſtina discordia & adſiduæ domi diſſenſiones fuère. quarum tædio quum in Italiam veniſſent; ſedibus Tuſcos expulerunt; & Mediolanum, Comum, Brixiam, Veronam, Vergamum, Tridentum, Vicentiam condiderunt.* Memoratur hinc Livio, dicto lib. XXXIII. *Colonia* poſtmodùm facta Romanorum. Strabo lib. V: Κῶμον δ' ἦν μὲν κατοικία μετρία· Πομπήϊος δὲ Στράβων, ὁ Μάγνου πατὴρ, κακωθεῖσαν ὑπὸ τῶν ὑπερκειμένων Ῥαιτῶν συνῴκισεν. εἶτα Γάϊος Σκηπίων περὶ τρισχιλίους προσέθηκεν. εἶθ' ὁ θεὸς Καῖσαρ πεντακισχιλίους ἐπισυνῴκισεν· ὧν οἱ πεντακόσιοι τῶν Ἑλλήνων ὑπῆρξαν οἱ ἐπιφανέστατοι. τούτοις δὲ καὶ πολιτείαν ἔδωκε, καὶ ἐνέγραψεν αὐτοὺς εἰς τοὺς συνοίκους. οὐ μέν τοι ᾤκησαν αὐτόθι· ἀλλὰ καὶ τοὔνομά γε τῷ κτίσματι ἐκεῖνοι κατέλιπον. Νεοκωμῖται γὰρ ἐκλήθησαν ἅπαντες. τοῦτο δὲ μεθερμηνευθὲν Νόβουμ κώμουμ λέγεται. Hoc eſt: *Comum equidem opidum erat mediocre. ſed Pompeius Strabo, Magni pater, adflictum à ſuprà colentibus Rhætis inſtauravit colonis. deinde C. Scipio ad tria colonorum millia adjecit. quibus iterum divus Cæſar quinque millia addidit. de quibus 10 fuerunt Græcorum nobiliſſimi. His & jus civitatis dedit; & inter colonos eorum nomina retulit. qui tamen ibi ſedeis non tenuerunt: ſed coloniæ nomen reliquerunt. quidpe Neocomitæ univerſi adpellati ſunt. hoc verò interpretatum Novum Comum ſignificat.* Ergo NOVVM COMVM tunc adpellatum eſt. Sic & Catullus, carm. XXXVI:

Poëtæ tenero, meo ſodali,
Velim Cæcilio, papyre, dicas,
Veronam veniat, Novi relinquens
Comi mœnia, Lariumque litus.

Græcis colonis dicebatur Νεόκωμον, teſtibus Appiano Civil. bellor. lib. II, & Ptolemæo: apud quem tamen ita ſcriptum eſt in quibusdam exemplaribus; Κῶμον ἢ Τοινέα κώμη· quod corruptum ex priore ſcripturâ, Κῶμον ἤτοι Νέα κώμη· hoc verò ex genuino, Κῶμον, ἤ τοι Νεόκωμον. id eſt; *Comum, ſive Neocomum*. At Græci coloni eam urbem haud dubiè deſeruerunt, quia eorum civitas in controverſum trahebatur à C. Claudio Marcello & L. Cornelio Lentulo, novis conſulibus. Appianus Bellor. civil. lib. II: Πόλιν δὲ Νεόκωμον ὁ Καῖσαρ ἐς Λατίου δίκαιον ἐπὶ τῶν Ἄλπεων ᾠκίκει· ὧν ὅσοι κατ' ἔτος ἦρχον, ἐγίγνοντο Ῥωμαίων πολῖται· τόδε γὰρ ἰσχύει τὸ Λάτιον. Τῶν οὖν Νεοκωμιτῶν τινα ἄρχοντα

ἄρχοντά τε αὐτοῖς γενόμενον, καὶ διὰ τοῦτο Ῥωμαῖον εἶναι νομιζόμενον, ὁ Μάρκελλος ἐφ᾽ ὕβρει τοῦ Καίσαρος ἔξηνε ῥάβδοις. Hoc eſt: *Vrbem autem Novum Comum ſub Alpibus Cæſar colonis frequentavit; donavitque jure Latii: ut qui annuum magiſtratum geſſiſſet, haberet in Vrbe jus civium. id quidpe Latium valet. Ex horum Novocomenſium numero quemdam, magiſtratu apud ſuos defunctum, & ob id civem Romanum habitum, Marcellus in Cæſaris contumeliam virgis cecîdit.* Svetonius in Cæſare, cap. XXVIII: *M. Claudius Marcellus conſul, edicto præfatus, de ſummâ ſe reipublicæ acturum; retulit ad ſenatum, ut ei ſuccederetur ante tempus.* Mox: *Nec contentus Marcellus, provincias Cæſari & privilegium eripere; retulit etiam, ut colonis, quos rogatione Vatiniâ Novum Comum deduxiſſet, civitas adimeretur: quòd per ambitionem & ultra præſcriptum data eſſet.* Plutarchus in eodem Cæſare: Μάρκελλος καὶ Λέντλος, μισοῦντες τὸν Καίσαρα, εἰς ἀτιμίαν αὐτοῦ καὶ προπηλακισμὸν, Νεοκωμίτας, ἔναγχος ὑπὸ Καίσαρος ἐν Γαλατίᾳ κατῳκισμένους, ἀφῃροῦντο τῆς πολιτείας. Id eſt: *Marcellus & Lentulus, Cæſarem odio proſequentes, ad probrum ſugillationemque eius, colonis, quos nuper ille Novum Comum in Galliam deduxerat, civitatem ademerant.* Igitur jam inde fortè *Novi* cognomentum opidum depoſuit. quidpe omnibus hinc ſimpliciter *Comum* adpellatur. *Municipium* tunc fuiſſe, teſtantur antiquæ lapidum inſcriptiones: quarum una ſic habet:

ORDO · COMENS
VOTO · PRO
SALVTE · CIVIVM
SVSCEPTO

Alia verò MVNICIPIBVS COMENSIBVS dicata eſt. Hinc illud eſt Plinii, lib. III cap. XX: *Verſo deinde in Italiam pectore Alpium, Latini juris Euganeæ gentes: quarum opida* XXXIIII *enumerat Cato. Ex iis Triumplini, venalis cum agris ſuis populus. dein Camuni; compluresque ſimiles; finitimis attributi municipiis.* Euganeos tum incoluiſſe Alpium auſtrinum latus, inter Larium lacum & Atheſim amnem: Triumplinorumque fuiſſe Melæ amnis vallem; Camunorum autem vallem Ollii fluminis; ſuprà cap. XV intellectum eſt. Præter Brixiam igitur reliqua haud dubiè *municipia* intellexit Plinius *Bergomum* atque *Comum*.

FONS *mirandæ naturæ.*

Cæterùm FONS eſt in Comenſi agro, ad orientale lacus Larii litus, X millia paſſuum à Como, mirandæ admodùm naturæ; de quo ita Plinius ſenior lib. II cap. CIII: *In Comenſi agro, juxta Larium lacum fons largus, horis ſingulis ſemper intumeſcit ac reſidet* Et Plinius junior lib. IIII epiſtolâ ultimâ: *Attuli tibi ex patriâ meâ pro munuſculo quæſtionem, altiſſimâ iſtâ eruditione digniſſimam. Fons oritur in monte; per ſaxa decurrit; excipitur cœnatiunculâ manu factâ. ibi paululum detentus, in Larium lacum decidit. huius mira natura. ter in die ſtatis auctibus ac diminutionibus creſcit decreſcitque. Cernitur id palàm; & cum ſummâ voluptate deprehenditur. juxta recumbis; & veſceris: atque etiam ex ipſo fonte (nam eſt frigidiſſimus) potas. interim ille certis dimenſisque momentis vel ſubtrahitur, vel adſurgit. Annulum, ſeu quid aliud, ponis in ſicco: adluitur ſenſim; ac noviſſimè operitur. detegitur rurſus; paullatimque deſeritur. ſi diutius obſerves; utrumque iterum ac tertiò videas.*

FORVM LICINII *opidum.*

Porrò tertium illud Orobiorum opidum FORVM LICINII, uni Plinio memoratum, quo ſitu fuerit, parum conſtat: quamquàm plerique velint eſſe eum vicum, qui, VII millibus paſſuum à Como haud procul Lambro flumine poſitus, vulgari adpellatione dicitur *Pieve d'Incino*. Ego equidem arbitrabar, eius opidi, quod medio ferè Mediolanum inter & Comum itinere vulgò vocatur *Berlaſina*, nomen magis ſonare antiquum illud *Forum Licinii*. ſed mirum fuerit, tam clarum opidum (quidpe quod inter tria Orobiorum opida Plinio computatum) in tam celebri itinere haud memoratum fuiſſe Itinerariis. ea quidpe ſic habent:

Tabulæ;		Antonini;	
Como		*Como*	
Mediolanum	XXXV.	*Mediolano*	XVIII.

Vtrobîque numerus millium vitiatus eſt. ſunt quidpe millia hoc intervallo XXV: à Mediolano Berlaſinam XIII; inde Comum XII. Nomen loci quod attinet; legitur id

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

tur id quidem apud Plinium unâ dictione *Liciniforum*; ut eodem capite paullo antè *Vibiforum*. at ſcripſiſſe ipſum Plinium *Vibii forum*, & *Licinii forum*; vel ſaltem *Vibî forum*, atque *Licinî forum*; quis dubitet, quando cap. XV memorat *Forum Clodii, Forum Livii, Forum Popilii, Forum Cornelii*: & cap. XVI ab ipſo *Vibii foro Forovibienſes*; ut eodem capite *Forocornelienſes*, à prædicto *Cornelii Foro*: & item cap. XIIII *Foroflaminienſes, Forojulienſes, & Foroſempronienſes*, à *Foro Flaminii, Iulii, Sempronii*. Ad eumdem igitur modum à *Licinii* quoque iſto *foro* rectè formabuntur opidani FOROLICINIENSES. At Berlaſinam tamen cur credam antiquum hoc eſſe *Forum Licinii*, una hæc me maximè induxerit ratio, quòd omnia ferè loca, quæ Romanorum ducum vel præſulum *fora* adpellantur, in viis conſularibus ſeu militaribus poſita eſſe deprehendam.

At iter inter Bergomum & Brixiam in antiquis itinerariis deſcriptum eſt huiusmodi.

Itiner. Hieroſol:		Tabulæ:	
Vergamo		*Bergomum*	
Tollegatæ	XII.	|	
Tetellus	X.	*Leuceris*	XX.
Brixia	X.	*Brixia*	XXXV.

Numeri utrobique falſi ſunt: maximè in Tabulâ. numerantur quidpe hodiè inter Bergomum & Brixiam omnino millia paſſuum XXX. TOLLEGATAE, ſive opidum olim ſeu vicus, hodiè vicus, VII circiter millia à Bergomo, vulgò vocatur *Tolgat*, & variante incolarum ore, *Talgat*, & *Telgat*. Hinc verò *Tetellus* haud dubito, quin vitiatum ſit vocabulum ex genuino *Betellus*: qui locus, VII circiter millia à Brixiâ vulgò nunc adpellatur *Baitella*. Sed hic jam extra Orobiorum fineis ad Cenomanos pertinuit. At Tabulæ iſta vox *Leuceris* quid ſibi velit, aut cuius loci nomen fuerit, planè diſpicere nequeo: quando numeri tam vehementer corrupti ſunt; nec ullum adfine vocabulum in aliquo locorum huius tractus exſtat.

TOLLEGATAE, *vicus*.

De cætero Plinius, dicto lib. III cap. XVII, *Orobiorum*, inquit, *ſtirpis eſſe Comum atque Bergomum & Licinî forum, & aliquot circà populos, auctor eſt Cato*. Ergo plura, præter iſta tria, Orobiorum fuerunt opida. at quæ illa fuerint, nullibi adnotatum reperio. Apud Livium equidem, ſuprà dicto lib. XXXIII, ita ſcriptum eſt: *Boii, ut gens eſt minimè ad moræ tædium patiens, in caſtella ſua vicosque delapſi ſunt. Marcellus, Pado canfeſtim trajecto, in agrum Comenſem, ubi Inſubres, Comenſibus ad arma excitis, caſtra habebant, ducit. Legiones in ipſo itinere prælium committunt*. Paullo pòſt: *Caſtra eo die Gallorum expugnata direptaque. & Comum opidum intra dies paucos captum. Caſtella inde duodetriginta ad conſulem defecerunt. Id quoque inter ſcriptores ambigitur; utrùm in Boios priùs, an Inſubres, conſul exercitum induxerit: adverſamque proſpera pugna obliteraverit; an victoria ad Comum parta, deformata clade in Boiis acceptâ ſit*. Verùm ambiguum heic eſt, utrùm in unis Orobiis duodetriginta iſta caſtella fuerint; an pars eorum in Inſubrium, pars in Boiorum agris. Orobiorum verò fines haud perinde ampli erant.

CAP. XXVI.

De CENOMANIS.

INſubribus porrò continuabantur ab Solis ortu CENOMANI; inter Padum & Alpium radices ad Venetos usque porrecti. Horum nomen quum Græcis etiam auctoribus, Polybio, Straboni, ac Ptolemæo, ſcribatur per ε, Κενομανοὶ, miror, quosdam contendere, apud Livium ſcribendum eſſe per æ, *Cænomani*. Nihil item eſt, quòd quidam ex Plinii exemplaribus docent, geminato *nn* legendum eſſe ubique CENOMANNI. quidpe utraque ſcriptio recta probaque eſt. ſic enim in Germaniâ gens inter Rhenum, Mœnum, & Danubium, modò *Alemani*, modò *Alemanni* ſcripta reperitur. ſic, qui Græcis dicuntur Βρεττανοὶ, Latinis ſunt *Britanni*;

& unico

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

& unico *n*, *Britones*. ſic denique *Germani* quoque dici poterant *Germanni*. quod ipſum propiùs ad Germanorum ſive Teutiſcorum lingvam acceſſiſſet: quibus ſingulare *ein German*, multitudinis numero fuit, *di Germannen*, & *Germänner*. At in nonnullis Livii exemplaribus, lib. v, ubi is *Cenomanorum* in Italiam tranſitum narrat, eo loco *Germanorum* habetur vocabulum. unde doctis etiam viris controverſia mota, utrum vocabulum magis genuinum ſit. quidpe in tabulis quoque marmoreis triumphorum ovationumque ducum Romanorum, quæ Romæ in Capitolio etiam nunc viſuntur, ita ſcriptum eſt: M · CLAVDIVS · MARCELLVS · COS · DE · GALLEIS · INSVBRIBVS · ET · GERMAN · ISQVE · SPOLIA · OPIMA · RETTVLIT · DVCE · HOSTIVM · VIRDVMARO · AD · CLASTIDIVM · INTERFECTO · AN · DXXXI · Verùm quàm doctiſſimè Carolus Sigonius in Faſtis ſuis monet, *Germanorum* heic nomine intelligi eos, quos Polybius lib. II, Plutarchus in Marcello, & Oroſius lib. IIII cap. XIII, vocant *Gæſatas* Gallos: qui ab Inſubribus mercede ad hoc bellum adversùs Romanos è Galliâ Tranſalpinâ conducti fuerant; ut ſuprà cap. XXII oſtendimus. *Cenomanos* autem in Italiâ Gallos ſocios tum fuiſſe Romanorum, non hoſteis, diſertis verbis teſtatur ibidem Polybius paullo antè. Sed nomen id gens ex Galliâ in Italiam ſecum attulit. quidpe, teſtibus Cæſare, belli Gall. comment. VII, & Plinio lib. IIII cap. XVIII, ac Ptolemæo in deſcriptione Galliæ, *Aulercorum* duo potiſſimùm fuêrunt in Galliâ genera, contermina ſibi invicem. quorum alteri cognominabantur *Eburovices*; unde caput eorum *Mediolanum* quondam, hodiéque in Normanniâ vocatur detorto gentis vocabulo *Evreux*. alteri dicebantur *Aulerci Cenomani*: quorum caput apud Ptolemæum *Vindunum*, hodiè adpellatur *Le Mans*; & regio ipſa *Le Maine*. Illi cum aliis ſuprà memoratis populis *Inſubrium* gentem in Italiâ conſtituerunt, caputque gentis *Mediolanum*. hi patrio nomine, quod domo attulerant, retento, juxta eos, quos domi etiam conterminos conſangvineosque habuerant, conſederunt. Plinius lib. III cap. XVIIII: *In mediterraneo regionis Decimæ coloniæ, Cremona, Brixia, Cenomanorum agro; Venetorum autem Ateſte. Venetos Troianâ ſtirpe ortos, auctor eſt Cato: Cenomanos juxta Maſſiliam habitaſſe in Volcis*. Ab Oceano ac ſeptemtrionalibus Galliæ partibus profectos, heic juxta Rhodanum amnem & Maſſiliam aliquantulum ſubſediſſe, antequàm in Italiam transgrederentur, ſuprà cap. XXII oſtenſum.

De finibus eorum ita tradit Polybius, dicto lib. II: Τὰ μὲν οὖν πρῶτα, καὶ περὶ τὰς ἀνατολὰς τοῦ Πάδου κείμενα, Λάοι καὶ Λεβέκιοι, μετὰ δὲ τούτους Ἴσομβροι κατῴκησαν· ἑξῆς δὲ τούτοις παρὰ τὸν ποταμὸν Κενομανοί. τὰ δὲ πρὸς τὸν Ἀδρίαν ἤδη προσήκοντα γένος ἄλλο, πάνυ παλαιὸν, διακατέσχε· προσαγορεύονται δὲ Οὐενετοί. Id eſt: *Prima igitur, quæ circa Padi ortus ſita ſunt loca, Lævi & Lebecii, ulteriora Inſubres tenuêre. poſt hos apud Padum Cenomani. reliqua hinc, ad Hadriaticum usque mare, gens à Gallis aliena, & longè antiquiſſima, Veneti colunt*. Et Livius lib. V: *Alia ſubinde manus, Cenomanorum, Elitovio duce veſtigia priorum ſequuta, eodem ſaltu, favente Belloveſo, quum transſcendiſſent Alpeis; ubi nunc Brixia ac Verona urbes ſunt, locos tenuêre*. Plinius dicto lib. III cap. XVIIII: *In mediterraneo regionis Decimæ, coloniæ, Cremona, Brixia, Cenomanorum agro*. At longè plura loca Cenomanis tribuit Ptolemæus. Κενομανῶν, inquit, οἵ εἰσιν ὑπὸ τὴν Οὐενετίαν, πόλεις, Βέργομον, φόρος Διουγούντων, Βρεξία, Κρεμῶνα, Οὐηρῶνα, Μάντουα, Τριδέντε, Βούτριον. Id eſt: *Cenomanorum, qui ſunt ſub Venetiâ, urbes ſunt, Bergomum, Forum Diuguntorum, Brixia, Cremona, Verona, Mantua, Tridente, Butrium*. Ex his *Tridente* Rhætis, *Forum Diuguntorum* Inſubribus, *Bergomum* Orobiis adſeruimus. *Butrium* longè extra Cenomanorum fineis, cis Padum, haud procul Ravennâ fuiſſe, infrà ſuo loco oſtendetur. Manent igitur tres tantùm urbes Cenomanis; *Brixia, Cremona, Verona*. Quin & hanc ex Plinii auctoritate, Euganeis ſimul & Rhætis tribuimus. Verendum itaque foret, apud Livium pro *Verona* legendum eſſe *Cremona*; quæ inſignis ſemper in Cenomanis fuit urbs: ni Pompeii Trogi epitomator lib. XX; ubi opida enumerat, quæ Galli in Italiam transgreſſi condiderant; omiſſâ *Cremonâ*, *Brixiam* cum *Veronâ* conjungeret: ni item Catullus carm. LXVIII *Brixiam Veronæ* pronunciaret *matrem*, in his verſibus:

Atqui non ſolùm hunc ſe dicit cognitum habere
Brixia, Chinêæ ſuppoſita ſpeculæ;
Flavus quam molli percurrit flumine Mela:
Brixia, Veronæ mater amata meæ.

CENOMANORVM *fines*.

Potuit

Potuit tamen ab Eugeneis Rhætisque primùm condi: pòſt verò ab Cenomanis occupari & novâ coloniâ augeri; ut cap. XVI in Rhætis dictum: quod Mantuæ etiam ſimili modo accidiſſe, mox infrà videbimus. Fineis igitur habuêre Cenomani, ab ſeptemtrionibus, quà Euganei contermini eis fuêre, Alpium radices, inter Ollium Atheſimque flumina. ab occaſu, quà Inſubribus continuabantur, Ollium, ad flexum usque, qui eſt infra opidum Soncinum; & inde lineam ad Padi Adduæque confluenteis ductam. ab auſtro, Padum; quo à Boiis Gallis ſubmovebantur, ad vicum usque Melaram, infra Hoſtiliam amni adpoſitum. ab ortu, primùm lineam à dicto vico ad proximam Atheſis ripam ductam: inde ipſum Atheſim. *Mantuam* Plinius cur Venetis adſcripſerit; alii verò Gallis Cenomanis, infrà in eius expoſitione dicam. At apud Polybium lib. II hæc leguntur: Μετὰ δὲ τούτους κατασταθέντες ὕπατοι Πόπλιος Φούριος καὶ Γάιος Φλαμίνιος, αὖθις ἐνέβαλον εἰς τὴν Κελτικὴν διὰ τῆς τῶν Ἀναμάρων χώρας. οὓς εἰς τὴν φιλίαν προσαγαγόμενοι, διέβησαν εἰς τὴν τῶν Ἰσόμβρων γῆν κατὰ τὰς συρροίας τοῦ Ἀδόα [malè vulgò Παδόα, quod pòſt docebo] καὶ Πάδου ποταμοῦ. λαβόντες δὲ πληγὰς περὶ τὴν στρατοπεδείαν, παραυτίκα μὲν ἔμειναν· μετὰ δὲ ταῦτα σπεισάμενοι καθ᾽ ὁμολογίαν, ἔλυσαν ἐκ τῶν τόπων. περιελθόντες δὲ πλείους ἡμέρας, καὶ διελθόντες τὸν Κλούσιον ποταμὸν, ἦλθον εἰς τὴν τῶν Κενομανῶν χώραν· καὶ προσλαβόντες τούτους, ὄντας συμμάχους, ἐνέβαλον πάλιν ἀπὸ τῶν κατὰ τὰς Ἄλπεις τόπων, εἰς τὰ τῶν Ἰσόμβρων πεδία· καὶ τήν τε γῆν ἐδῄουν, καὶ τὰς κατοικίας αὐτῶν ἐξεπόρθουν. Hoc eſt: *Hos inſequuti conſules P. Furius & C. Flaminius, & ipſi in eamdem Galliam per Anamarorum fineis ductavêre. quorum tunc conciliatâ ſibi benevolentiâ, in Inſubrium agrum, quà Addua in Padum confluit, trajecerunt. Verùm & in transitu, & dum caſtra ponerent, cæſi, ſtatim illi quidem nihil moverunt: at poſteà, pace factâ, ex pacto communi exceſſêre illis locis. deinde multos dies vagati, transmiſſo flumine Cluſio, in Cenomanorum ditionem venerunt. quibus adſumptis, quòd ſocii eſſent populi Romani, è Subalpinis locis in Inſubrium campos exercitu infeſto irruperunt. ibi agros exuſſerunt, villas devaſtarunt.* Quum *Cluſius* hic amnis, vulgò nunc *Chieſe* dictus, ultra & Brixiam & Cremonam, per medios fluat Cenomanorum agros; miror, cur Polybius hoc demum transgreſſo dicat Romanos in Cenomanorum regionem perveniſſe. nec video, quam heic tertiam poſſit facere gentem inter Cenomanos & Inſubres, in cuius finibus multos dies vagati ſint Romani. Verùm, quidcumque ſibi voluerit ille, poſtquàm *Brixiam* & *Cremonam* Cenomanorum fuiſſe ex Livio ac Plinio conſtat; Cluſius terminus inter eos & Inſubres minimè fuit.

BRIXIA *colonia & municipium.*

Caput gentis fuit BRIXIA; vulgo nunc *Breſcia* & *Breſſa* dicta; Livio quomdam, Catullo, Straboni, Plinio, Ptolemæo, & aliis auctoribus, item Itinerariis Romanis, & innumeris inſcriptionibus antiquis memorata. in quibus, ut Livio lib. XXI, opidani inde dicuntur BRIXIANI. Livius lib. XXXII: *Inſubres cum Cenomanis ſuper amnis Mincii ripas conſederunt. Infra eum locum* V *millia paſſuum & conſul Cornelius eidem flumini caſtra adplicuit. Inde mittendo in vicos Cenomanorum, Brixiamque, quæ caput gentis erat, comperit, non ex auctoritate ſeniorum juventutem in armis eſſe.* Hinc dicto lib. XXI *Brixianos Gallos* adpellavit gentem Cenomanorum; quæ tum in ſocietate atque amicitiâ erat Romanorum. *Boii,* inquit, *ſolicitatis Inſubribus, defecerunt.* Et aliquanto pòſt: *Inde apertis locis facilè tutantes agmen Romani, Tannetum vicum, propinquum Pado, contendêre. ibi ſe munimento ad tempus, commeatibusque fluminis, & Brixianorum Gallorum auxilio adversùs creſcentem indies multitudinem hoſtium tutabantur.* Non jam anteà à priſcis cultoribus Tuſcis, ſed à Gallis demum Cenomanis fuiſſe conditam, patet ex ſuprà ſcriptis Livii verbis lib. V; ubi ait; *Alia ſubinde manus Cenomanorum, quum transſcendiſſent Alpeis; ubi nunc Brixia ac Verona urbes ſunt, locos tenuêre.* Quin & nomen ipſum clarè idem indicat; quod merè Celticum eſt; à ſitu ad pontem amnis urbi inditum: ut Germaniæ lib. I cap. VII docui. *Coloniam* huc fuiſſe poſteà deductam à Romanis, teſtatur Plinius dicto lib. III cap. XVIIII. *In mediterraneo,* inquit, *regionis Decimæ coloniæ, Cremona, Brixia, Cenomanorum agro.* Et inſcriptio antiqua, quæ heic exſtat: DECVR · IN · COLONIA. At *municipium* quoque fuiſſe, alii teſtantur lapides; in quibus hæc verba; HONORIBVS · MVNICIPALIBVS · PERFVNCTO. Et alius: ORDO · BRIXIANORVM. Non minùs igitur huc, quàm ad Bergomum & Comum, ſpectat illud Plinii lib. III cap. XX: *Verſo deinde in Italiam pectore Alpium, Latini juris Euganeæ gentes: quarum opida* XXXIIII *enumerat Cato. Ex iis Triumplini, venalis cum agris ſuis populus: dein Camuni; compluresque ſimiles; fini-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

les: finitimis attributi municipiis. Nam *Triumplini* ſuprà Brixiam, Melæ fluminis vallem, quæ etiam nunc vulgò dicitur *Val Trompia*, & *Val Troppia*, incolebant. Minorem tamen fuiſſe Brixiam Mediolano atque Veronâ; ut etiam nunc eſt; teſtis eſt Strabo lib. v. Ἴσομβροι δὲ, inquit, Μεδιολάνιον ἔσχον μητρόπολιν, πάλαι μὲν κώμην, νῦν δ᾽ ἀξιόλογον πόλιν. πλησίον δὲ καὶ Βήρων, καὶ αὕτη πόλις μεγάλη. ἐλάττους δὲ τούτων, Βρεξία καὶ Μάντουα καὶ Βέργομον καὶ Κῶμον. Id eſt: *Inſubrium caput erat Mediolanium; vicus olim; nunc verò urbs præclara. Prope eſt Verona; & ipſa urbs magna. Minores his ſunt, Brixia, Mantua, Bergomum, & Comum.* Cæterùm Catulli verſus paullo antè adduximus iſtos:

Brixia Chinéæ ſuppoſita ſpeculæ:
Flavus quam molli percurrit flumine Mela.

Quum *Mela* flumen, qui nomen antiquum ſervat, à mille paſſibus versùs occaſum urbem hodiè præfluat; nec veri ſimile eſt, eò usque olim urbem pertinuiſſe; quando inter minores eam computat Strabo: omnino ego crediderim, ſcripſiſſe poëtam *præcurrit*. Et jam inde antiquus Virgilii commentator Philargyrus in Γεωργικῶν lib. IIII, *Mela amnis*, inquit, *in Galliâ Cisalpinâ, vicinus Brixiæ.* Cæterùm CHINEA iſta SPECVLA nihil aliud erat, quàm caſtellum ſive arx ſummo collis cacumine conſtructa; quæ nunc intra urbis mœnia eſt, ab ſeptemtrionibus illi imminens.

Hinc CREMONA, Polybio, Virgilio, Livio, Paterculo, Plinio, Silio, Tacito, Plutarcho, Appiano, Ptolemæo, Dioni, Aurel. Victori, Itinerariis Romanis, & Servio, atque aliis memorata, nomen antiquum etiamnum integrum retinet. Græcis auctoribus eius formatio variatur. Polybio, ut mox videbimus, dicitur Κρεμώνη. & ita apud Plutarchum in Othone obliqui ſunt, ἐπὶ Κρεμώνην, ἐν Κρεμώνῃ, τῆς Κρεμώνης. Ptolemæo, ut pleraque alia in provinciis Romanis, Latinâ formatione, Κρεμῶνα, ut Δερτῶνα, Οὐηρῶνα, Κορτῶνα. At reliquis Græcis quemadmodùm hæc dicuntur Δερτὼν, Οὐηρὼν Κορτών· ſic *Cremona* etiam Κρεμών. Appianus in Hannibalicis: Σκιπίων μόλις ἐς Κρεμῶνα διεσώθη φερόμενος. id eſt: *Scipio vix Cremonem ſalvus evaſit.* Et ſtatim: Σκιπίων ἐν Κρεμῶνι ἐχείμαζε. hoc eſt: *Scipio Cremone hibernavit.* Sic & Dio lib. LXIIII; πρὸς τῇ Κρεμῶνι· & lib. LXV, ἐς τὴν Κρεμῶνα· &, ἐν τῇ Κρεμῶνι. Apud Strabonem lib. v, in Circumpadanæ regionis deſcriptione, rectus caſus eſt Πλακεντία καὶ Κρεμώνη. at eodem libro poſteà vitiatus, ut ſuprà in Inſubribus oſtenſum, obliquus eſt περὶ Κρεῶνα, pro Κρεμῶνα. An Strabo ipſe id vocabulum variare voluerit, equidem neſcio. & ſi quis neget; faciliorem grammaticis lapſum fuiſſe ſcio ex Κρεμὼν in Κρεμώνη, quàm ex Κρεμώνην in Κρεμῶνα. In priori ſyllabâ ſcribendum eſſe *e* tenue, poëtæ docent. Virgilius Eclogâ VIIII:

Mantuæ, væ, miſeræ nimium vicina Cremonæ.

Martialis lib. VIII epigr. LVI:

Iugera perdiderat miſeræ vicina Cremonæ.

Silius lib. VIII:

Mantua mittendâ certavit pube Cremonæ.

Opidani inde ſunt Livio lib. XXVIII & XXXVII, ac Tacito Hiſtoriar. lib. II & III, CREMONENSES. Cæterò antiquiſſimum eſſe opidum, & à Gallis primùm, in Italiam transgreſſis, in ritum vici conſtructum; ipſum vocabulum, quod merè Celticam fert formam, ut *Dertona* & *Verona*, ſatis apertè indicat. Non admitto heic Polybii teſtimonium; qui dicto lib. III à Romanis ſic adpellatum innuit, quum eò *coloniam* ſub adventum Hannibalis in Italiam, deducerent. Ῥωμαῖοι δὲ, inquit, κατὰ τοὺς αὐτοὺς καιροὺς διακούσαντες μὲν τῶν ἐξαποσταλέντων εἰς Καρχηδόνα πρεσβευτῶν τὰ δεδογμένα καὶ τοὺς ῥηθέντας λόγους, προσπεσόντος δὲ θᾶττον ἢ προσεδόκων Ἀννίβαν διαβεβηκέναι τὸν Ἴβηρα ποταμὸν μετὰ τῆς δυνάμεως, ἔσπευδον ἐπὶ τέλος ἀγαγεῖν τὰ κατὰ τὰς ἀποικίας. οἳ δὴ πρότερον ἦσαν εἰς Γαλατίαν ἀποστέλλειν προκεχειρισμένοι. Τὰς μὲν οὖν πόλεις ἐνεργῶς ἐτείχιζον· τοὺς δ᾽ οἰκήτορας ἐν ἡμέραις τριάκοντα παρήγγειλαν ἐπὶ τοὺς τόπους παραγίγνεσθαι, τὸν ἀριθμὸν ὄντας εἰς ἑκατέραν τὴν πόλιν εἰς ἑξακισχιλίους. ὧν τὴν μὲν μίαν ἔκτιζον ἐπὶ τάδε τοῦ Πάδου ποταμοῦ, προσαγορεύσαντες Πλακεντίαν· τὴν δ᾽ ἄλλην ἐπὶ θάτερα, κατονομάσαντες Κρεμώνην. Hoc eſt: *Romani, quum eodem tempore à legatis, quos Carthaginem miſerant, quæ ibi dicta decretaque erant, intellexiſſent; eſſetque eis opinione ipſorum citius nunciatum, amnem jam Iberum transiſſe Hannibalem: inſtitutum jam antè negotium de coloniis in Gallias deducendis perficere maturant. Igitur opida ſummo ſtudio mœnibus cingere cæperunt: futuros incolas (erant autem ſena colonorum millia utrique opido adſignata) intra dies* XXX *ad ſuas colonias ſi-*

CREMONA colonia & municipium.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

ſtere ſe jubent. Harum alteram cis Padum condebant; cui nomen fecerunt Placentiæ: alteram trans Padum; quam nominarunt Cremonam. Puto, jam antè eodem loco, ut ſuprà dixi, vicum fuiſſe, à Gallis Cenomanis conditum, Gallico vocabulo *Cremon*. quem poſtmodò Romani, in coloniæ ſedem diligentes, mœnibus communiverunt. Deducta fuit colonia anno ab Româ conditâ IↃXXXV, P. Cornelio Scipione & Ti. Sempronio Longo conſulibus; teſte Polybio ibidem; & item Velleio Paterculo lib. I, ac Tacito Hiſtoriar. lib. III; & Livio lib. XXI: qui eâ de re ita ſcribit: *Conſules tunc Romæ erant P. Cornelius Scipio & Ti. Sempronius Longus.* Et poſteà: *In Italiam interim nihil ultrà, quàm Iberum transiſſe Hannibalem, à Maſſilienſibus legâtis Romam perlatum erat: quum, perinde ac ſi Alpeis jam transiſſet, Boii, ſolicitatis Inſubribus, defecerunt: nec tam ob veteres in populum Romanum iras; quàm quòd nuper circa Padum Placentiam Cremonamque colonias in agrum Gallicum deductas ægrè patiebantur.* At epitomator eius, fine libri XX: *Coloniæ deductæ ſunt in agro de Gallis capto Placentia & Cremona.* Ipſe poſteà Livius lib. XXXI, de eiſdem coloniis: *Ex duabus coloniis, quæ velut clauſtra ad cohibendos Gallicos tumultus oppoſitæ fuiſſent.* Eædem coloniæ quum poſt bellum Hannibalicum defeciſſent; anno urbis Romæ IↃLXII, L. Cornelio Scipione Aſiatico & C. Lælio Nepote conſulibus ſuppletæ ſunt; auctore eodem Livio lib. XXXVII. *Ex Galliâ*, inquit, *legatos Placentinorum & Cremonenſium L. Aurunculeius prætor in ſenatum introduxit. Iis querentibus inopiam colonorum; aliis belli caſibus, aliis morbo abſumptis: quosdam tædio adcolarum Gallorum reliquiſſe colonias: decrevit ſenatus, uti C. Lælius conſul VI millia familiarum conſcriberet, quæ in eas colonias dividerentur.* Crevit hinc urbs maiorem in modum; donec ſub initium imperii Veſpaſiani, ab huius militibus igni tota abſumpta eſt. qua de re inter alia ita Tacitus dicto Hiſtoriar. lib. III: *Tempus quoque mercatus, ditem alioquin coloniam, maiorum opum ſpecie complebat.* Et paullo pòſt: *Per quatriduum Cremona ſuffecit. Quum omnia ſacra profanaque in igne conſiderent; ſolum Mephitis templum ſtetit ante mœnia; loco, ſeu numine, defenſum. Hunc exitum Cremona habuit, anno* CCLXXXVI *à primordio ſui. Condita erat Ti. Sempronio & P. Cornelio conſulibus; ingruente in Italiam Hannibale, propugnaculum adversùs Gallos trans Padum agenteis; & ſi qua alia vis per Alpeis rueret. Igitur numero colonorum, opportunitate fluminum, ubere agri, annexu connubiisque gentium adolevit, floruitque: bellis externis intacta: civilibus infelix.* Sed confeſtim inſtaurata. *Mox rediit*, inquit Tacitus, *Cremonam reliquus populus. repoſita fora templaque munificentiâ municipum: & Veſpaſianus hortabatur.* Hinc Plinio etiam & Ptolemæo *colonia* adpellatur. quorum hic: Κενομανῶν, Κρεμῶνα κολώνια· *Cenomanorum Cremona colonia.* Plinius lib. III cap. XVIIII: *In mediterraneo regionis Decimæ, coloniæ; Cremona, Brixia, Cenomanorum agro.* Tunc quidem *municipium* fuiſſe, ex Taciti proximè ſcriptis verbis patet. Strabo quoque, qui ſub Tiberio imperatore geographica ſua compoſuit, ſplendorem eius notavit dicto lib. V his verbis: Πόλεις δ' εἰσὶν ἐντὸς τοῦ Πάδου καὶ περὶ τὸν Πάδον ἐπιφανεῖς Πλακεντία καὶ Κρεμών. Id eſt: *Vrbes citra & circa Padum illuſtriores ſunt Placentia & Cremona.*

MANTVA *colonia.*

Sequitur hinc proxima dignitate MANTVA: ſed antiquitate prædictis duabus longè prior. Nomen hodiéque retinet; vulgò *Mántova* & *Mántoa* dicta. Meminêre eius Virgilius, Livius, Strabo, Plinius, Silius, Statius, Ptolemæus, Itineraria Romana, & alii auctores. De conditoribus eius ita tradit Plinius lib. III cap. XVIIII: *In mediterraneo regionis Decimæ, coloniæ; Cremona, Brixia, Cenomanorum agro; Venetorum autem Ateſte; & opida, Acelum, Patavium, Opitergium, Belunum, Vicentia, Mantua, Tuſcorum trans Padum ſola reliqua.* Quum plerique auctores, ut ſuprà intellectum, Veronam quoque velint Cenomanorum Gallorum fuiſſe opus; Veronenſium verò vicus fuerit *Hoſtilia*, ultra Mantuam & Mincii confluentem ad Padum ſita: certè *Mantua* quo pacto Venetorum agro adſcribi poſſit, haud equidem video. Gallorum autem fuiſſe ripas Mincii, ſuprà ad Brixiæ expoſitionem ex Livii lib. XXXII intelleximus. At verò Virgilius Aeneid. lib. X ita canit:

Ille etiam patriis agmen ciet Ocnus ab oris,
Fatidicæ Mantûs & Tuſci filius amnis;
Qui muros matriſque dedit tibi, Mantua, nomen:
Mantua dives avis. ſed non genus omnibus unum.
Gens illi triplex: populi ſub gente quaterni.

Ipſa

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Ipſa caput populis: Tuſco de ſangvine vires.

Ad hæc ita commentator poëtæ Servius: *Iſte eſt Ocnus, quem in Bucolicis Bianorem dicit. Hic Mantuam dicitur condidiſſe; quam à matris nomine adpellavit. nam fuit filius Tiberis & Mantûs, Tireſiæ Thebani vatis filiæ; quæ ad Italiam poſt parentis venit interitum. alii Manto, filiam Herculis, vatem fuiſſe dicunt. Hunc Ocnum alii Auletis filium, alii fratrem, qui Peruſiam condidit, referunt: &, ne cum fratre contenderet, in agro Gallico Celſenam, quæ nunc Bona dicitur* [lege, *Felſinam, quæ nunc Bononia dicitur*] *condidiſſe: permiſiſſe etiam exercitui ſuo, ut caſtella munirent: in quorum numero Mantua fuit. Alii à Tarchone, Tyrrheni fratre, conditam dicunt. Mantuam autem ideò nominatam, quòd Etruſcâ lingvâ Mantum Ditem patrem adpellant. cui etiam cum cæteris urbibus & hanc conſecravit. Dives avis. Maioribus præpotens. Et benè dives avis: quia non ab Ocno [tantùm,] ſed ab aliis quoque condita ſit. primùm namque à Thebanis. deinde à Tuſcis. noviſſimè à Gallis: vel, ut alii dicunt, à Sarſinatibus, qui Peruſiæ conſederant. Sed non genus omnibus unum. Quia origo Mantuanorum à Tuſcis fuit; qui in Mantuâ regnabant; & à Venetis. nam in Venetiâ poſita: quæ & Gallia Ciſalpina dicitur. Gens illi triplex: populi ſub gente quaterni. Quia Mantua treis habuit populi tribus: quæ & in quaternas curias dividebantur: & ſingulis ſinguli Lucumones imperabant. quos in totâ Tuſciâ* XII *fuiſſe, manifeſtum eſt. ex quibus unus omnibus imperabat. Hi autem totius Tuſciæ diviſas habebant quaſi præfecturas. ſed omnium populorum principatum Mantua poſſidebat. unde eſt; Ipſa caput populis. Ergo Virgilius miſcet novam & veterem Etruriam; ut utriusque principatum patriæ ſuæ adſignet. quum alioquin Mantua ad hæc auxilia pertinere non debeat: quòd Aeneas nulla à Transpadanis auxilia poſtulaverit. & propterea putatur poëta in favorem patriæ ſuæ hoc loquutus: ut de hac ſolâ trans Padum pro Aeneâ adversùm Mezentium auxilia faciat veniſſe. & quòd nec populorum nomina, nec Lucumonum, retulerit.* Poëtico ſanè more omnis iſta de Mantuæ conditore conficta eſt fabula; ut quæ mox ſequuntur in hæc verba:

Hinc quoque quingentos in ſe Mezentius armat.
Quos patre Benaco, velatus arundine glaucâ,
Mincius infeſtâ ducebat in æquora pinu.

Scilicet quum Mincius è Benaco profluat ſive oriatur lacu; filium heic finxit Benaci Mincium, quadringentorum hominum in bello ducem. qui frequentiſſimus poëtarum in hiſtoriis eſt luſus; jam inde Homero uſurpatus. Sic igitur etiam *Tuſci amnis*, id eſt *Tiberis*, & *Mantûs*, quæ Tireſiæ vatis Thebani ferebatur filia, filium heic fingit *Ocnum*: quum ipſum quoque *Mantûs fatidicæ* nomen Græcâ lingvâ ſit confictum, ἀπὸ τῆς μαντείας, id eſt, *à vaticinatione*. Quòd autem Servius ait *Mantuam in Venetiâ eſſe poſitam*, id de poſterioris Venetiæ limitibus intelligendum eſt: qui ad Adduam usque flumen extenſi erant; ut ad calcem huius operis docebo. Nec triplex Mantuanorum genus, ſive *triplicem gentem*, Servius ſatis clarè explicuit. Primi urbis conditores fuerant *Tuſci*. deinde, quum Galli Transalpini, in Italiam transgreſſi, Tuſcos agris Circumpadanis expuliſſent; manſêre quidem eorum aliqui Mantuæ; ſed Cenomanorum quoque Gallorum poſteà nonnulli in eam urbem recepti fuerunt. mox etiam finitimorum Venetorum quidam admixti. Hinc eſt, cur alii auctores Mantuam Cenomanis tribuant; Plinius verò in *Venetorum agro* eam referat, *Tuſcorum trans Padum ſolam reliquam*. Maior tamen incolarum pars fuêre *Tuſci*. unde poëta: *Tuſco de ſangvine vires*. Iam verò quòd Virgilius dicat,

Gens illi triplex: populi ſub gente quaterni.
Ipſa caput populis: Tuſco de ſangvine vires.

ea ſanè oratio, ex diverſis hiſtoriis compilata, minimè ſecum ipſa congruit. Quibus, quæſo, populis caput fuit Mantua? Quaternis ſcilicet iſtis ſingularum gentium populis. At treis hasce diverſas genteis incolas facit unius Mantuæ: cui tamen præcipuæ *vires Tuſco de ſangvine*. Ergo Mantua caput fuit Mantuæ. Satis abſurdè. Verùm in gratiam atque *favorem patriæ*, ut ait Servius, XII Lucumonum, duodecimque principum urbium in Etruriâ novâ, quæ inter Apenninum mareque inferum fuit, hiſtoriam in veterem trans Apenninum Etruriam transtulit Virgilius. & quum heic anteà caput Etruriæ fuiſſet *Felſina*; quæ deinde *Bononia* dicta; Mantuam ſuam pro eâ ſuppoſuit: mirasque hac ratione confinxit fabulas.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Eclogæ VIIII, in qua duos paſtores introducit Mantuam contendenteis, initium dedit huiusmodi:

Quò te, Mæri, pedes? an, quò via ducit, in urbem?

Sub finem autem eclogæ alter paſtorum ſic fatur:

Hinc adeò media eſt nobis via. namque ſepulcrum
Incipit adparere Bianoris. Heic, ubi denſas
Agricolæ ſtringunt frondeis, heic, Mæri, canamus:
Heic hædos depone. tamen veniemus in urbem.

Ad quæ ſic Servius: *Bianoris. Hic eſt, qui & Ocnus dictus eſt. de quo ait in decimo:*

Fatidicæ Mantûs & Tuſci filius amnis.

Conditor Mantuæ. Dictus Bianor autem eſt, quaſi animo & corpore fortiſſimus; ἀπὸ τῆς βίας καὶ αἰορέης. Hoc BIANORIS SEPVLCRVM à qua parte urbis fuerit, incertum eſt. nec id certò conſtat; idem ne fuerit *Bianor*, qui *Ocnus*. Sed de fabulis hactenus ſatis. ad veras hiſtorias revertamur. Tuſci igitur ante Priſci Tarquinii, Romani regis, regnum, id eſt, antequàm Galli eos hisce agris expulerunt, eam urbem condiderunt, annis ante natum Ieſum IↃC ampliùs. Sita autem eſt in medio ſtagno, quod Mincius amnis efficit. Livius lib. XXIIII: *Mantuæ ſtagnum effuſum Mincio amni cruentum viſum.* Pontibus, ut nunc, olim etiam terræ continenti utrimque adnexa fuit. At pontium longiſſimus eſt, qui Veronam versùs ducit. quod egregiè ſimul atque eleganter Catullo quoque Veronenſi adnotatum eſt in carm. XVII, his verbis:

O colonia, quæ cupis ponte ludere longo;
Et ſalire paratum habes. ſed vereris inepta
Crura ponticuli adſulitantis; inredivivus
Ne ſupinus eat, cavâque in palude recumbat.
Sic tibi bonus ex tuâ pons libidine fiat:
In quo vel Saliſubſuli ſacra ſuscipiunto.
Munus hoc mihi maximi da, colonia, riſus.
Quemdàm municipem meum de tuo volo ponte
Ire præcipitem in lutum per caputque pedesque.
Verùm totius ut lacus putidæque paludis
Lividiſſima maximéque eſt profunda vorago.

De eâdem ſic Virgilius Γεωργικῶν lib. III:

Primus ego in patriam mecum (modò vita ſuperſit)
Aonio, rediens, deducam vertice Muſas:
Primus Idumæas referam tibi Mantua palmas:
Et viridi in campo templum de marmore ponam
Propter aquam, tardis ingens ubi flexibus errat
Mincius, & tenerâ prætexit arundine ripas.

Et item Γεωργικῶν lib. II:

Et qualem iufelix amiſit Mantua campum;
Paſcentem niveos herboſo flumine cycnos.
Non liquidi gregibus fontes, non gramina deſunt:
Et quantum longis carpent armenta diebus
Exiguâ tantum gelidus ros nocte reponet.

Quando eum campum amiſerit, docet Servius, ſic ad hunc locum commentans: *Quando ſcilicet Auguſtus agros Mantuanos cum agris Cremonenſium militibus ſuis dedit.* Vnde ita ipſe poëta in Eclogâ VIIII:

Mantua, væ, miſeræ nimium vicina Cremonæ.

Ad quæ ſic Servius: *Benè ingemit Mantuanorum infelicitatem: quibus ſola obfuit vicinitas Cremonenſium. nam Caſſii, Bruti, & Antonii copias Cremonenſes ſusceperunt. quos etiam ipſos benè excuſat, dicens; Miſeræ Cremonæ. quæ, etſi vellet, minimè tamen tantis copiis poſſet reſiſtere. Nimium vicina: id eſt, usque ad pericnlum. nam ortis bellis civilibus inter Antonium & Auguſtum; Auguſtus victor Cremonenſium agros, quia pro Antonio ſenſerant, dedit militibus ſuis. qui quum non ſuffeciſſent; his addidit agros Mantuanos: non propter civium culpam; ſed propter vicinitatem.* At *colonia*, quam heic nominat Catullus, quando deducta ſit, nusquàm reperio. Coloni cæteri-

que

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

que opidani inde dicebantur MANTVANI; ut modò apud Servium legimus. Apud Stephani epitomatorem ita legitur: Μάντυα, πόλις Ῥωμαίων. τὸ ἐθνικὸν Μαντυανός· Πολύβιος ἑκκαιδεκάτῳ. Γράφεται καὶ Μάντουα, τῷ τῶν Ῥωμαίων ἔθει. Ἐξ αὐτῆς ἦν Βιργίλιος ὁ ποιητής. Id eſt: *Mantya, urbs Romanorum. gentilitium inde Mantyanus; auctore Polybio lib.* XVI. *Scribitur etiam Mantuâ, more Romanorum. Ex hac erat Virgilius poëta.* Omnino ego ab ipſo Stephano ex Polybio ſcriptum fuiſſe puto, Μαντόα & Μαντοανός· ut apud eumdem Stephani epitomatorem legitur Γενόα, & apud Polybium Ἀδόας ac Παδόζα· quæ Latinis, ut alia eius formæ, efferebantur *Genua, Adua, Paduſa*. Modicam fuiſſe urbem Mantuam, indicat Martialis lib. XIIII epigr. CXCV:

Tantum magna ſuo debet Verona Catullo,
Quantum parva ſuo Mantua Virgilio.

Idem teſtatur & Strabo lib. V, his verbis: Ἴσομβροι καὶ νῦν εἰσι· Μεδιόλανον δ᾽ ἔσχον μητρόπολιν, πάλαι μὲν κώμην, νῦν δ᾽ ἀξιόλογον πόλιν. πλησίον δὲ καὶ Βήρων, καὶ αὕτη πόλις μεγάλη. ἐλάττους δὲ τούτων Βριξία καὶ Μάντουα καὶ Βέργομον καὶ Κῶμον. Id eſt: *Inſubres etiamnum ſuperſunt. quorum caput Mediolanum; vicus olim; at nunc urbs eximia. In propinquo eſt Verona; & ipſa urbs magna. His verò minores ſunt Brixia, Mantua, Bergomum, Comum.* Cæterò patriam ſuam diſertè vocat Mantuam ipſe Virgilius, præſcripto Γεωργικῶν lib. III. unde etiam ſic Martialis lib. I epigram. LXII:

Verona docti ſyllabas amat vatis:
Marone felix Mantua eſt.
Duosque Senecas unicumque Lucanum
Facunda loquitur Corduba.

Statius Silvar. lib. II, carm. VIII; quod eſt Genethliacon Lucani:

Bætin Mantua provocare noli.

Nam Corduba ad Bætim ſita eſt. Et Silvar. lib. IIII carm. II:

Aſt ego, cui ſacræ Cæſar nova gaudia cœnæ
Nunc primùm, dominâque dedit conſurgere menſâ;
Qua celebrem mea vota lyrâ; quas ſolvere grates
Sufficiam? Non, ſi pariter mihi vertice læto
Nectat adoratas & Smyrna & Mantua lauros,
Digna loquar.

Homerum intelligit Smyrnenſem ac Virgilium Mantuanum. Eiusdem libri carmine VII:

Quidpe te fido monitore noſtra
Thebais multâ cruciata limâ;
Tentat audaci fide Mantuanæ
Gaudia famæ.

At locum nativitatis incunabulorumque propiùs oſtendit Donatus grammaticus in vitâ eius. *Natus*, inquit *in pago, qui Andes dicitur: qui eſt à Mantuâ non procul.* Et item divus Hieronymus, in Euſebii Chronicor. lib. II: *Virgilius Maro in pago, qui Andes dicitur, haud procul à Mantuâ naſcitur, Pompeio & Craſſo conſulibus.* Id eſt, anno urbis Romæ IↃCLXXXIII; ante nativitatem cœli terrarumque Domini LXX. Hinc igitur illud Silii lib. VIII:

Mantua Muſarum domus, atque ad ſidera cantu
Evecta Andino, & Smyrnæis æmula plectris.

Quo ſitu hic *vicus* ANDES fuerit, cuius inquilini dicebantur ANDINI, planè incertum eſt: quamquàm Mantuani nunc eum eſſe contendant vicum, qui, II millia paſſuum ab urbe disſitus, vulgò dicitur *Petolo*. ANDES *vicus*.

Porrò ultra Mantuam, flumini Atheſi impoſita eſt urbs VERONA: quam ab Euganeis ac Rhætis primùm conditam, pòſt à Gallis Brixianis occupatam coloniâque auctam fuiſſe, ſuprà cap. XVI in Rhætis oſtendimus. VERONA *urbs*.

Infra Mantuam, infraque Mincii confluentem opidum nunc eſt in lævâ Padi ripâ vulgari vocabulo incolis *Oſtéia*; aliis Italis, qui politiore utuntur lingvâ, *Oſtiglia*. Veronenſium heic olim agri dicebatur HOSTILIA *vicus*; teſte Plinio, Tacito, Itinerariis antiquis. Plinius lib. XXI, cap. XII: *Hoſtilia vicus adluitur Pado.* Itineraria: HOSTILIA *vicus*.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Tabulæ;		Antonini;	
Verona		*Verona*	
Hoſtilia	XXXIII.	*Hoſtilia*	XXX.

Ab Hoſtiliâ per Padum Ravennam.

Tacitus Hiſtoriar. lib. III: *Cæcina inter Hoſtiliam, vicum Veronenſium, & paludeis Tartari fluminis caſtra permuniit; tutus loco; quum terga flumine, latera objectis paludibus tegerentur.* Sunt ab Veronâ Hoſtiliam millia XXXIII; ut Tabula habet. Apud Antoninum is numerus vitiatus eſt. *Ab Hoſtiliâ* verò *per Padum Ravennam* usque iter Romanos plerumque feciſſe, etiam apud Caſſiodorum, Variar. lib. II epiſt. XXXI, Theudericus teſtatur rex, in hæc verba ad dromonarios, qui dromonibus, id eſt, curſoriis navigiis præerant, ſcribens: *Comiti ſacrarum largitionum noſtra præcepit auctoritas, ut in Hoſtilienſi vico* [malè vulgò *loco*, ſatisque ineptè] *conſtitui debeatis; quatenus, fiſcali humanitate recreati, excurſus cum veredariis per alveum Padi more ſolito faciatis; ut diviſo labore equis publicis debeat ſubveniri: quando curſus veſter non atteritur, qui per vias liquidas expeditur.* Ergo ab *Hoſtilia* vico *vicani* dicebantur HOSTILIENSES.

ARDELICA *opidum.*

Aliud iter in Tabulâ itinerariâ legitur huiusmodi:

Verona.	
Ariolica	XIII.
Brixia	XXXII.

Eſt opidum hodiè, Mincio amni, quà is ex Benaco exit lacu, in poſitum, vulgari vocabulo *Peſchiera*, egregio munimine maximè clarum. in eo lapis antiquus inter alia hæc refert verba: COLLEGIO · NAVICVLARIORVM · ARDELICENSIVM. Ex hac igitur inſcriptione, ſimulque ex præſcriptâ Tabulâ opidum *Peſchiera* olim dictum fuiſſe deprehenditur ARDELICA, & ARTELICA. Hoc poſteà ab incurioſo exſcriptore Tabulæ corruptum eſt facili lapſu in *Ariolica*. Quum autem à Veronâ ad Peſchieram XV ſint millia; hinc verò Brixiam XXX: eâdem exſcriptoris ſupinâ incuriâ, duo millia intervallo priori dempta, alteri addita ſunt. De cætero *collegium naviculariorum* Peſchieræ fuit, quia per omneis Benaci lacus ripas opida olim, vici, ac villæ exſtiterunt quàm frequentiſſimæ; ut innumeræ penè, quæ pluribus circùm locis exſtant, teſtantur inſcriptiones antiquæ. Ea igitur locorum celebritas plurimos transvectores requirebat.

Aliud iter in Hieroſolymitano itinerario inter Bergomum & Veronam deſcriptum eſt tale:

Vergamo	
Tollegatæ	XII.
Tetellus	X.
Brixia	X.
Ad Flexum	XI.
Beneventum	X.
Verona	X.

BETELLVS *locus.*

Corruptos heic eſſe inter Bergamum atque Brixiam numeros, jam ſuperiori capite in Orobiis oſtendimus. Pro voce *Tetellus* legendum eſſe BETELLVS; locumque eum hodiè vulgò vocari *Baitella*, VII fermè millia paſſuum à Brixiâ diſſitum; ibidem indicatum eſt. Inter Brixiam verò & Veronam quum XL ſint millia paſſuum; pro quibus itinerarium hoc XXXI tantùm habet; difficile fuerit duûm interjectorum locorum ſitus indicare. AD FLEXVM tamen videtur fuiſſe XI millia à Brixiâ, in vico, cui vulgare vocabulum *Bidizzoli:* ubi ramus ex Cleuſio flumine lævorſum deflectit versùs opidum Lonacum. At BENEVENTVM quo loco fuerit, planè incertum eſt. quin etiam vehementer ſuſpicor, ſuppoſititium id eſſe vocabulum ab clarâ huius nominis in Samnitibus urbe. pro quo quid ipſe auctor huius itinerarii ſcripſerit, incertum eſt.

AD FLEXVM, *locus.*

SIRMIO *peninſula.*

Cæterùm à prædicto Mincii amnis effluxu & opido Peſchierâ VI millia paſſuum in occidentem æſtivum versùs peninſula eſt in imâ lacus parte, cui, unà cum caſtello in eâ ſito, vulgare nunc vocabulum eſt *Sermione*. ea SIRMIO dicitur antiquo poëtæ Catullo, in Carm. XXXII, his verſibus:

Peninſu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Peninſularum Sirmio inſularumque
Ocelle, quaſcumque in liquentibus ſtagnis
Marique vaſto fert uterque Neptunus;
Quàm te libenter quámque lætus inviſo:
Vix mihi ipſi credens, Thyniam atque Bithynos
Liquiſſe campos; & videre te in tuto.
O quid ſolutis beatius eſt curis!
Quum mens onus reponit; ac peregrino
Labore feſſi, venimus larem ad noſtrum
Deſideratoque adquieſcimus lecto.
Hoc eſt, quod unum eſt pro laboribus tantis.
Salve, ô venuſta Sirmio; atque hero gaude.
Gaudete vosque ludiæ lacus undæ.
Ridete, quidquid eſt domi cachinnorum.

Catullum fuiſſe Veronenſem, diſertè teſtatur Plinius lib. XXXVI cap. VI. *Hic eſt*, inquit, *Mamurra, Catulli Veronenſis carminibus proſciſſus*. Et divus Hieronymus in Euſebii Chronicor. lib. II: *C. Valerius Catullus Veronæ naſcitur*. Hinc ita Ovidius Amor. lib. III eleg. XIIII:

Mantua Virgilio gaudet, Verona Catullo.

Et Martialis lib. X epigr. CIII:

Nec ſua plus debet tenui Verona Catullo.

Et ſuprà dicto lib. XIIII epigr. CXCV:

Tantum magna ſuo debet Verona Catullo,
Quantum parva ſuo Mantua Virgilio.

Et item dicto lib. I epigram. LXII:

Verona docti ſyllabas amat vatis:
Marone felix Mantua eſt.

At ex præſcripto ipſius Catulli carmine doctiſſimi viri colligunt, fuiſſe eius patriam hanc *peninſulam Sirmionem*. quia verò hic locus Veronenſis fuerit ditionis; *municipem* ſeſe adpellaſſe *Veronenſem* in prædicto carm. XVII; ubi ſic Mantuam adfatur:

Quemdam municipem meum de tuo volo ponte
Ire præcipitem in lutum.

Ideóque hanc urbem eius habitam fuiſſe patriam: quemadmodùm Virgilius, Andibus vico Mantuani agri natus, *Mantuanus* dictus eſt; & Livius, ut illi volunt, Patavini agri vico, *Patavinus*. Verùm enimverò potuit hanc peninſulam Sirmionem Catullus ſuum feciſſe prædium; quamvìs illic non genitus. etenim non *patriam*, ſed *domum* tantùm & *larem* adpellat ſuum: ſeque eius non *alumnum*; ſed *herum*. De cætero quòd *peninſularum* ſimul *inſularumque* vocat *ocellum*; puto id eum reſpexiſſe, quòd plurimùm peninſulæ in formam depreſsâ cervice continenti terræ adnexa conſpicitur. ubi verò ſeptemtrionales venti incubuerunt, lacusque commotus eſt; contectâ fluctibus cervice, inſulæ ſpeciem præbet.

Porrò X millia paſſuum à Brixiâ, quà Cremam itur, vicus eſt vulgari vocabulo *Lograto*. in eo inſcriptio antiqua reperta eſt, quæ inter alia hæc refert verba, VIKANI · VICI · MINERVI. Hæc haud dubiè pertinuit ad id opidum, quod XIII millia paſſuum à Lograto, medio itinere inter Brixiam & Cremonam, vulgò nunc dicitur *Manerbe, Manerbi, & Manerbio*. quod antiquitus fuit MINERVIVM; ſive, ſi *vici* vocem adjicias, MINERVIVS VICVS. MINERVIVS *vicus.*

Alius eodem tractu fuit *vicus*, nomine BEDRIACVS, ſive BETRIACVS; clade inter Othonem & Vitellium, & mox aliâ, inter hunc & Veſpaſianum, inſignitiſſimus. Vicani inde dicebantur BEDRIACENSES, & BETRIACENSES. Meminêre vici, rerumque circa eum geſtarum, Plinius, Tacitus, Svetonius, Ioſephus, Plutarchus, Hieronymus, Oroſius, Aur. Victor, Eutropius, Servius, Tabula itineraria, & alii auctores. Sed in horum omnium exemplaribus, tam typis editis, quàm manu ſcriptis, miro & conſenſu ſimul & diſſenſu id vocabulum variatur. Plinius quidpe lib. X cap. XLVIIII, Svetonius in Othone, Vitellio, & Veſpaſiano, Oroſius lib. VII cap. VIII, Eutropius lib. VII, Paullus Diaconus Hiſt. miſcellæ lib. VII, & Aur. Victor in Othone, per *b* in ſecundâ ſyllabâ habent *apud Bebriacum*: Servius etiam & Iuvenalis vetus BEDRIACVS *vicus.*

 Scho-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Scholiaſtes *Bebryacum vicum*. in Tabulâ miſerrimè corruptum eſt, *De Loriaco*. At apud Tacitum conſtanti ubique ſcripturâ decies quater eſt per *d* in ſecundâ, *Bedriacus:* apud Freculfum verò tomi II lib. I cap. XXI, *apud Hedriacum :* & apud Ioſephum, de bello Iudaico lib. V cap. VIII, Φρηγδιακόν, *Fregdiacum*. apud Plutarchum rurſus conſtanti ſcripturâ quinquies Βητριακόν, *Betriacum :* & apud divum Hieronymum, in Euſebii Chronicor. lib. II *Vetriacum*. Verùm quia faciliùs δ in τ, vel hoc in illud, volubilioris lingvæ pronunciatu converti potuit, quàm alterutrum eorum in β, omnino hoc rejiciendum cenſeo. quod ipſum è *Bebrycum*, geminæ gentis, alterius in Aſiâ apud Pontum, in Hiſpaniâ alterius, vocabulo grammaticis exſcriptoribus haud dubiè irrepſit. *B* autem & *V* promiſcuè divi Hieronymi ævo inter ſe commutata fuiſſe, innumeris exemplis paſſim apud auctores claret. De cætero Plutarchus in Othone πολίχνιον τὸ Βητριακόν, id eſt, BETRIACVM *opidulum*, facit. Quo ſitu fuerit, oſtendit Tacitus Hiſtoriar. lib. II. *Annius Gallus*, inquit, *ubi pulſum Cæcinam pergere Cremonam accepit; ægrè coërcitam legionem, & pugnandi ardore usque ad ſeditionem progreſſam, Bedriaci ſiſtit. inter Veronam Cremonamque ſitus eſt vicus; duabus jam Romanis cladibus notus infauſtusque*. Nimis laxè; & parum chorographicè. A Tacito haud dubiè ſive ipſe Servius ad Virgilii Aeneid. lib. V, ſeu Servii grammaticus aliquis interpolator mutuatus eſt iſta: *Bebrycia ipſa eſt Bithynia. Eſt & Bebryacus vicus inter Cremonam & Veronam; ubi pugna fuit Vitellii & Othonis*. A plerisque Servii commentariis hæc de vico abſunt. At verò Tacitus innuere voluit, ſitum eſſe Bedriacum vicum in ipsâ viâ, quæ Cremonam ferebat à Veronâ; ut clarè ex præcedenti ſequentique narratione adparet. Plutarchus in Othone: Ἔστι δὲ πολίχνη πλησίον Κρεμώνης τὸ Βητριακόν. Id eſt: *Eſt autem Betriacum opidulum prope Cremonam ſitum*. Pergit paullo pòſt ita Tacitus: *Angebant Cæcinam nequidquàm omnia cœpta, & ſeneſcens exercitus ſui fama. Pulſus Placentiâ, cæſis nuper auxiliis, etiam per concurſum exploratorum, crebra magis quàm digna memoratu prœlia, inferior; propinquante Fabio Valente, ne omne belli decus illuc concederet; reciperare gloriam, avidiùs quam conſultiùs properabat. Ad duodecim à Cremonâ (locus Caſtorum vocatur) ferociſſimos auxiliarium imminentibus viæ lucis occultos imponit. equites procedere longiùs juſſi, &, irritato prœlio ſponte refugi, feſtinationem ſequentium elicere, donec inſidiæ coorirentur. Proditum id Othoniannis ducibus. & curam peditum Paullinus, equitum Celſus, ſumpsêre. Tertiædecimæ legionis vexillum, quatuor auxiliorum cohortes, & quingenti equites in ſiniſtro locantur. aggerem viæ tres prætoriæ cohortes arctis ordinibus obtinuêre. dextrâ fronte Prima legio inceſſit, cum duabus vexillaribus cohortibus & quingentis equitibus*. Patet jam ex his, & viâ publicâ fuiſſe Bedriacum, & in eâ viâ, quæ Veronâ ducebat Cremonam. nam ex Pannoniâ per Iulias Alpeis & Venetiam advenerat *Tertiadecima legio*. Tacitus ibidem antè: *Læta Othoni principia belli; motis ad imperium eius è Dalmatiâ Pannoniâque exercitibus. Fuêre quatuor legiones. è quibus bina millia præmiſſa. ipſæ modicis intervallis ſequebantur. Septima, à Galbâ conſcripta: veteranæ, Vndecima ac Tertiadecima: & præcipui famâ Quartadecumani*. De cætero prœlium iſtic committitur: quo Vitelliani fugati, Cremonam repetere coguntur. Sed aliquanto pòſt: *Conjunctis Cæcinæ ac Valentis copiis, nulla ultrà penes Vitellianos mora, quin totis viribus certarent. Otho conſultavit, trahi bellum, an fortunam experiri placeret*. Et deinde: *Poſtquàm pugnari placitum; intereſſe pugnæ imperatorem, an ſeponi melius foret, dubitavêre. Paullino & Celſo jam non adverſantibus; ne principem objectare periculis viderentur; iidem illi deterioris conſilii auctores perpulêre, ut Brixellum concederet*. Poſteà: *Profecto Brixellum Othone, honor imperii penes Titianum fratrem, vis ac poteſtas penes Proculum præfectum*. Mox: *Promoveri ad quartum à Bedriaco caſtra placuit; adeò imperitè, ut, quamquàm verno tempore anni, & tot circùm amnibus, penuriâ aquæ fatigarentur. Ibi de prœlio dubitatum: Othone per literas flagitante, ut maturarent; militibus, ut imperator pugnæ adeſſet, poſcentibus. Non ut ad pugnam, ſed ad bellandum profecti, confluenteis Padi & Adduæ fluminum*, XVI *inde millium ſpacio diſtanteis, petebant: Celſo & Paullino abnuentibus, militem itinere feſſum, ſarcinis gravem, objicere hoſti, non admiſſuro, quo minùs expeditus, & vix quatuor millia paſſuum progreſſus, aut incompoſitos in agmine, aut diſperſos & vallum molienteis adgrederetur. Titianus & Proculus, ubi conſiliis vincerentur, ad jus imperii tranſibant*. Mox: *Cæcina, revectus in caſtra, datum juſſu Fabii Valentis pugnæ ſignum & militem in armis invênit. Diſpoſita Vitellianarum legionum acies ſine trepidatione. etenim, quamquàm vi-*

cino

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

cino hoſte, adſpectus armorum denſis arbuſtis prohibebatur. Paullo pòſt: *Othoniani, quamquàm diſperſi, pauciores, feſſi; prœlium tamen acriter ſumpsêre. & per locos arboribus ac vineis impeditos non una pugnæ facies. comminus eminusque catervis & cuneis concurrebant. in aggere viæ, collato gradu, corporibus & umbonibus niti; omiſſo pilorum jactu, gladiis & ſecuribus galeas loricasque perrumpere; noſcentes inter ſe, cæteris conſpicui, in eventum totius belli certabant. Fortè inter Padum viamque patenti campo duæ legiones congreſſæ ſunt.* Mox: *Et ducibus Othonis jam pridem profugis, Cæcina ac Valens ſubſidiis ſuos firmabant.* Mox iterum: *Et mediâ acie perruptâ, fugère paſſim Othoniani, Bedriacum petentes. Immenſum id ſpacium. obſtructæ ſtrage corporum viæ. quo plus cædis fuit.* Aliquanto pòſt: *At Vitellianus exercitus ad quintum à Bedriaco lapidem conſedit: non auſis ducibus eodem die oppugnationem caſtrorum.* Ex hac igitur hiſtoriâ diſertè colligitur, *Bedriacum* XX millia paſſuum à Padi Adduæque confluentibus abfuiſſe, XV à Cremonâ, Veronam verſùs. At è diverſo ita tradit Plutarchus in Othone: Προήγαγεν αὐτοὺς ὁ Πρόκλος ἐκ τοῦ Βητριακοῦ, καὶ κατεστρατοπέδευσεν ἀπὸ πεντήκοντα σταδίων, οὕτως ἀπείρως καὶ καταγελάστως, ὥστε, τῆς μὲν ὥρας ἐαρινῆς οὔσης, τῶν δὲ κύκλῳ πεδίων πολλὰ νάματα καὶ ποταμοὺς ἀενάους ἐχόντων, ὕδατος σπάνει πιέζεσθαι. τῇ δ᾽ ὑστεραίᾳ βουλόμενον προάγειν ἐπὶ τοὺς πολεμίους, ὁδὸν οὐκ ἐλάττονα σταδίων ἑκατὸν, οἱ περὶ τὸν Παυλῖνον οὐκ εἴων. Id eſt: *Produxit eos à Betriaco Proculus; caſtraque à L ſtadiis poſuit: adeò imperitè atque ridiculè, ut, quamquàm verno tempore anni, & campis circùm multis laticibus & fluviis perennibus refertis, penuriâ aquæ fatigarentur. Poſtero die, quum ad hoſtem producere vellet, ſtadia haud minùs C; abnuit Paullinus.* Stadia L conficiunt millia VI & paſſus CCL. qui numerus duobus millibus & paſſibus CCL Taciti computationem ſuperat. C verò ſtadia ſunt millia XII cum paſſibus IↃ. heic ergo ex Taciti XVI millibus tria millia & paſſus IↃ deſiderantur. Gravis, mehercule, uterque auctor. & in quibus haud facilè diſpicias, cui plus fidei in tantâ diſcrepantiâ addendum: niſi, quòd Romanus fuit Tacitus; & horum temporum æqualis; tum vir inter ſuos ſummæ dignitatis, rerumque geſtarum peritiſſimus ſimul ac prudentiſſimus. Verùm enimverò apud veterem Iuvenalis poëtæ ſcholiaſten, ad Sat. II, hæc leguntur: *Hunc Othonem Vitellius vicit apud Bebryacum Campaniæ.* [ſcriptum fortè erat, *Bebryacum, vicum Galliæ. Horum bellum ſcripſit Cornelius: ſcripſit & Pompeius Planta: qui ait Bebryacum eſſe à Cremonâ viceſimo lapide.* Hæc igitur XX millia à CL illis Plutarchi ſtadiis, quæ millia conficiunt ferè XIX, haud multum diſcrepant. At ſi more eius ævi, quod primos XII Romanorum imperatores ſubſequutum eſt, VII ſtadia cum dimidio in ſingula millia computes; ex CL ſtadiis millia habebis juſta XX. Tacitus igitur etiam XX ſua millia non de intervallo, quod erat inter Bedriacum & Padi Adduæque confluenteis, intellexiſſe debuit; ſed de ſpacio inter Bedriacum & Cremonam: ubi tum caſtra erant Vitelliani exercitus: adverſùs quem militem ſuum producere voluiſſe Proculum, teſtatur Plutarchus: Tacitus verò ultra hæc caſtra, IIII millia, Padi Adduæque confluenteis petiiſſe eos ait. In Tabulâ itinerariâ iter ſcriptum eſt huiusmodi:

Cremona
De Loriaco XXII.
Mantua .....

Credo ſcriptum fuiſſe in archetypo maiusculis characteribus BEDRIACO. imperitus poſteà librarius literam D in binas literas IO diſtraxit. Cæterùm à Cremonâ Mantuam verſùs atque Veronam tendentibus à XX millibus tranſitur opidum in ripâ Ollii fluminis, cui vulgare nunc vocabulum *Caneto*. id ex eo intervallo itinerisque ductu antiquum illud deprehenditur eſſe *opidulum Bedriacum*, ſive *vicus Bedriacus*. De iisdem locis poſteà, in bello inter Vitellium & Veſpaſianum, ita ſcribit Tacitus Hiſtoriar. lib. III: *Antonius univerſo cum exercitu ſecundis à Veronâ caſtris Bedriacum venit. poſtero die, legionibus ad muniendum retentis, auxiliares cohortes in Cremonenſem agrum miſſæ; ut, ſpecie parandarum copiarum, civili prædâ miles imbueretur. ipſe quum* IIII *millibus equitum ad octavum à Bedriaco progreſſus; qui licentiùs popularentur. exploratores, ut mos eſt, longiùs curabant. Quinta fermè hora diei erat, quum citus eques, adventare hoſteis, prægredi paucos, motum fremitumque latè audiri, nunciavit.* Subitum eo loco prœlium commiſſum, Antonianis primò improſperum: mox rem Antonius reſtituit. *Iuvit locus*, inquit auctor; *arctiore illic viâ; & fracto inter-*

fluentis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

ſluentis rivi ponte; qui incerto alveo & præcipitibus ripis fugam impediebat. Ea neceſſitas, ſeu fortuna, lapſas jam parteis reſtituit. Firmati inter ſe denſis ordinibus, excipiunt Vitellianos temerè effuſos. atque illi conſternantur. Antonius inſtare perculſis; ſternere obvios. ſimul cæteri, ut cuique ingenium, ſpoliare, capere; arma, equos abripere. exciti proſpero clamore, qui modò per agros fugâ palabantur, victoriæ ſe miſcebant. Ad quartum à Cremonâ lapidem fulsêre legionum ſigna, Rapacis atque Italicæ; læto inter initia equitum ſuorum prælio illuc usque provecta. ſed ubi fortuna contrà fuit; non laxare ordines; non recipere turbatos; non obviam ire, ultroque adgredi hoſtem, tantum per ſpacium curſu & pugnando feſſum. Nutantem aciem victor equitatus incurſat. & Vipſanius Meſſalla, tribunus, cum Mæſicis auxiliaribus adſequitur. Ita mixtus pedes equesque, rupêre legionum agmen. & propinqua Cremonenſium mœnia, quanto plus ſpei ad effugium, minorem ad reſiſtendum animum dabant. Nec Antonius ultrà inſtitit: memor laboris & vulnerum. Inumbrante veſperâ, univerſum Flaviani exercitus robur advênit. Vtque cumulos ſuper & recentia cæde veſtigia inceſsêre; quaſi debellatum foret, pergere Cremonam depoſcunt. Aliquando pòſt: *Antonius ſiſtere Tertiam legionem in ipſo viæ Poſtumiæ aggere jubet. cui juncta à lævo Septima Galbiana, patenti campo ſtetit. dein Septima Claudiana; agreſti foſſâ præmunita. dextro Octava, per apertum limitem. mox Tertiadecima, denſis arbuſtis interſepta.* Committitur hinc prœlium; quo Flaviani vincunt. Hinc; *Per limitem viæ ſparguntur conſectandi feſtinatione victores.* Hæc igitur illa erat *Poſtumia via*, à Cremonâ Mantuam Veronamque ferens. *Rivus* in eâ, Bedriacum inter & Cremonam, cui *pons* ſuperſtructus, nullus alius eſſe poteſt, quàm qui, ſuprà Cremonam, quà ſeptemtriones ſpectat, exorſus, abluto celebri vico *Pieve di S. Mauritio*, IIII millia paſſuum infra Canetum Ollio redditur. Is vicus quia VIIII millia ab Caneto ſive Bedriaco abeſt; pontem hoc ipſo ſitu fuiſſe neceſſe eſt. & quum hinc porrò ad Cremonam XII numerentur millia: circa eumdem vicum ac pontem haud dubiè fuit

CASTORVM *nemus ac fanum.*

CASTORVM ſive CASTORIS illud *nemus templumque*, Tacito loco præſcripto memoratum. De eodem loco ſic Oroſius lib. VII cap. VIII: *Tertio prælio circa locum, quem Caſtoris vocant, contra Vitellianos duces congreſſus Otho, victor exſtitit.* Et Svetonius, in Othone cap. VIIII: *Tribus quidem, verùm mediocribus, præliis, apud Alpeis, circaque Placentiam, & ad Caſtoris, quod loco nomen eſt, vicit.* Memoratur idem locus ſeu templum in antiquo carmine, quod tale eſt:

Sabinus ille, quem videtis hoſpites,
Ait fuiſſe mulio celerrimus:
Neque ullius volantis impetum ciſî
Nequiſſe præterire; ſive Mantuam
Opus foret volare, ſive Brixiam.
Neque hoc negat Triphonis æmuli domum
Negare nobilem, inſulamve cæruli:
Vbi iſte pòſt Sabinus, antè Quinctio
Bidente dicit attendiſſe forcipe
Comata colla; ne qua ſordidum jugo
Premente dura vulnus ederet juba.
Cremona frigida & lutoſa Gallia,
Tibi hæc fuiſse & eſſe cognitiſſima,
Ait Sabinus, ultimâ ex origine.
Tuâ ſtetiſſe, dicit; in voragine,
Tuâ in palude depoſuiſſe ſarcinas;
Et inde tot per orbitoſa millia
Iugum tuliſſe: lævâ, ſive dexterâ
Stringere mulas, ſive utrumque cœperat.
Neque ulla vota ſemitalibus deis
Sibi eſſe facta, propter hoc noviſſimum
Paterna lora proximumque pectinem.
Sed hæc priùs fuêre. nunc eburneâ
Sedetque ſede, ſeque dedicat tibi
Gemelle Caſtor & gemelle Caſtoris.

Idem *Caſtorum nemus fanum*que heic innui, patet quàm apertiſſimè ex urbium circum-

cumjacentium commemoratione, *Mantuæ, Brixiæ, Cremonæ*. De reliquo, πολλὰ illa νάματα in campis Bedriacenſibus, καὶ ποταμοὶ ἀέννaοι, id eſt, *multæ fontium ſcaturigines amneſque perennes*, præter jam expoſitum rivum, ſunt alii complures inter Canetum & Padum, omnes Ollii dextram ripam petentes. Hactenus igitur verum germanumque *Bedriaci* ſitum oſtendimus. Nunc eorum opinionem, qui eum locum eſſe contendunt, qui vicus celebris inter Cremonam & Brixiam dextrorſum apud Ollî ripam, XIIII millia paſſuum ſupra Canetum, vulgò dicitur *La Bina*, paucis convellatur. Verbis id fiet eiuſdem Taciti; qui de oppugnatione Vitellianorum caſtrorum apud urbem Cremonam, à Flavianis inſtitutâ, ita pergit prædicto Hiſtoriar. lib. III poſteà: *Mox vallum portaſque legionibus attribuit. proxima Bedriacenſi viæ Tertiani Septimanique ſumpsêre: dexteriora valli Octava ac Septima Claudiana: Tertiadecimanos ad Brixianam portam impetus tulit*. Heic diſertè Bedriacenſis porta à Brixianâ diſcernitur. at qui Binam à Cremonâ eunt, Brixianâ exeunt. Bina igitur nullo pacto Bedriacum eſſe poteſt. Huic documento inſuper adde, quòd inter Binam & Cremonam X haud ampliùs ſunt millia.

Porrò apud Paullum Diaconum ita legitur Langobard. rer. lib. IIII cap. XXIIII: *Vſque ad hæc tempora Patavium civitas, fortiſſimè militibus repugnantibus, Langobardis rebellavit. ſed tandem injecto igne, totâ flammis vorantibus concremata eſt*. Et cap. XXVI: *Sequenti tempore Langobardi caſtellum Montis Silicis invaſerunt*. Cap. XXVIIII: *Erat autem iis diebus adhuc diſcordia Langobardis cum Romanis, propter captivitatem filiæ regis. Qua de causâ Agilulfus rex, egreſſus Mediolano menſe Iulio, obſedit civitatem Cremonenſem: & cepit eam XII Kalendas Septembris; & ad ſolum uſque deſtruxit. Pari etiam modo expugnavit Mantuam. Tunc etiam partibus Langobardorum ſe tradidit caſtrum quod Vulturnia vocatur. Milites verò Brixillum opidum igni cremantes, fugerunt*. Heic quum VVLTVRNIA *caſtrum* cum Patavio, Monte Silicis, Mediolano, Cremonâ, Mantuâ, ac Brixello connumeretur; miror ego, quid Blondo & aliis in mentem venerit, cur id ad Adduæ in Larium lacum influxum traxerint; indeque vallem Tellinam initio dictam *Vulturinam*, contenderint: quum ea à *Tellio* caſtro, ut ſuprà cap. XV in Euganeis dixi, id cognomenti ferat. At caſtrum illud Diaconi, ſive VVLTVRNIA, ut quædam habent exemplaria, ſive, ut alia, VVLTVRINA, ſeu denique, quod fortè rectiùs, VVLTVRIA dicendum ſit, nullus alius eſt locus, quàm qui tenuis nunc vicus, inter Cremonam & Brixellum, ſiniſtræ Padi ripæ à regione Caneti adpoſitus eſt, vulgari vocabulo *Valdoria*. VVLTVRIA caſtrum.

Denique apud Iornandem in libro de rebus Goticis hæc leguntur de Attilâ, Hunnorum rege, eiuſque exercitu: *Animus ſuorum rurſus ad oppugnandum Aquileiam inflammatur. qui, machinis conſtructis, omnibuſque tormentorum generibus adhibitis, invadunt civitatem, ſpoliant, dividunt. vaſtantque crudeliter; ita, ut vix eius veſtigia reliquerint. Ex hinc jam audaciores, & necdum Romanorum ſangvine ſatiati, per reliquas Venetûm civitates debacchabantur. Mediolanum quoque pari tenore devaſtant: necnon & Ticinum æquali ſorte dejiciunt: vicinaque loca ſævientes allidunt; demoliunturque penè totam Italiam. quùmque ad Romam animus fuiſſet eius attentus accedere; ſui eum removêre: non Vrbi, cui inimici erant, conſulentes; ſed Alarici, quondam VVeſegotharum regis, objicientes exemplum; veriti regis ſui fortunam: quia ille poſt fractam Romam diu non ſupervixerat. Igitur dum eius animus ancipiti negotio inter ire & non ire fluctuaret, ſecumque deliberaret; placita ei legatio à Româ advênit. nam Leo papa per ſe ad eum accedit in agro Venetûm Ambuleio; ubi Mincius amnis commeantium frequentatione tranſitur. qui mox, depoſito exercitus furore, rediens quà venerat, ultra Danubium promiſſâ pace diſceſſit*. Eamdem rem ita refert Hiſtoria miſcella lib. XV, in imperio Valentiniani III & Marciani imperatorum: *Attila, continuò reſumptâ fiduciâ, cruentus Italiam petit; Aquileiam captam funditus eradit; Ticinum atque Mediolanum excîdit. inde vaſtatis circumquaque locis, quum Romam quoque pararet inrumpere; Leo Magnus papa miſſu ad eum Valentiniani imperatoris acceſſit: eumque adeò mitem reddidit, ut illicò, promiſſâ pace firmiſſimâ, ultra Danubium, non rediturus, abierit*. Heic, *Venetia* more iſtius ævi, ea intelligenda eſt, quæ ad Adduam uſque flumen pertingebat; ut ſuprà haud ſemel monui de hoc nomine; & infrà ad calcem operis docebo. Cæterùm AMBVLEIVS iſte AGER circa *Mincium amnem, ubi is commeantium frequentatione tranſibatur*, nullus alius fuiſſe poteſt, quàm qui circa ſuprà dictum opidum *Artelicam*, ſive, ut nunc locus vocatur, AMBVLEIVS ager.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

vocatur, *Peſchieram* erat. duo quidpe præcipui fuêre Mincii tranſitus: alter à Veronâ ad Brixiam verſùs & Mediolanum, per Peſchieram: alter ab eâdem Veronâ ad Cremonam & Placentiam, per Mantuam. Hunc ſi voluiſſet Iornandes; certè Mantuani municipii, vel Andini vici claritas huic Attilæ Leoniſque papæ congreſſui apud Mincium cognomen datura erat. Ab utrâ autem ripâ circa Peſchieram is ager fuerit, nemo facilè divinaverit. Quamquàm meritò aliquis miretur, quo pacto Attila, qui jam ad Mediolanum usque & Ticinum proceſſerat, cum Leone Româ adveniente apud Mincii tandem ripam congreſſus fuerit. niſi fortè hucusque jam receſſerit Attila, *ancipiti animo inter ire Romam & non ire fluctuans, ſecumque deliberans:* eâque cunctatione caſtra heic poſita habuerit.

Cap. XXVII.

De Gallia Cispadana. *ac primùm de Gallis* Ananibvs, *ſive* Anamanis.

Gallos inter Padum & Alpeis incolenteis hactenus explicuimus. reſtant ergo Cispadani. De his ita univerſim Polybius lib. II: Τὰ δὲ πέραν τοῦ Πάδου, τὰ περὶ τὸν Ἀπέννινον, πρῶτοι μὲν Ἄνανες, μετὰ δὲ τούτους Βοϊοὶ κατῴκησαν· ἑξῆς δὲ τούτων, ὡς πρὸς τὸν Ἀδρίαν, Λίγγωνες· τὰ δὲ τελευταῖα πρὸς θαλάττῃ Σήνωνες. Id eſt: *Vltra Padum, quæ circa Apenninum ſunt loca, primi Ananes, dein Boii tenuerunt: poſt hos, ad Hadriaticum mare versùs, Lingones. ultima apud mare Senones.* Πέραν τοῦ Πάδου, id eſt, *ultra Padum*, dixit; quia primo loco de iis dixerat, qui erant inter Padum & Alpeis. De iisdem inter Padum & Apenninum ſic Livius lib. V: *Pennino deinde Boii Lingonesque transgreſſi, quum jam inter Padum & Alpeis omnia tenerentur; Pado ratibus trajecto, non Etruſcos modò, ſed etiam Vmbros agro pellunt. intra Apenninum tamen ſeſe tenuêre. Tum Senones, recentiſſimi advenarum, ab Vtente flumine usque ad Aeſim fineis habuêre.* Ananes iſti *Galli* quinam fuerint, aut qua Galliæ ex regione in Italiam transgreſſi, apud nullum alium auctorem diſpicio. Apud eumdem Polybium eodem libro poſteà ita legitur: Μετὰ δὲ τούτους κατασταθέντες ὕπατοι Πόπλιος Φούριος καὶ Γάϊος Φλαμίνιος, αὖθις ἐνέβαλον εἰς τὴν Κελτικὴν διὰ τῆς τῶν Ἀναμάρων χώρας· οἷς συμβαίνει μὴ μακρὰν ἀπὸ Μασσαλίας ἔχειν τὴν οἴκησιν· οὓς εἰς τὴν φιλίαν προσαγαγόμενοι, διέβησαν εἰς τὴν τῶν Ἰσόμβρων γῆν κατὰ τὰς συρροίας τοῦ Παδόα καὶ Πάδου ποταμοῦ. λαβόντες δὲ πληγὰς περί τε τὴν διάβασιν καὶ περὶ τὴν στρατοπεδείαν, παραυτίκα μὲν ἔμειναν· μετὰ δὲ ταῦτα σπεισάμενοι καθ' ὁμολογίαν, ἔλυσαν ἐκ τῶν τόπων. περιελθόντες δὲ πλείους ἡμέρας, καὶ διελθόντες τὸν Κλούσιον ποταμὸν, ἦλθον εἰς τὴν τῶν Κενομανῶν χώραν· καὶ προσλαβόντες τούτους, ὄντες συμμάχους, ἐνέβαλον πάλιν ἀπὸ τῶν κατὰ τὰς Ἄλπεις τόπων εἰς τὰ τῶν Ἰσόμβρων πεδία. Hoc eſt: *Hos qui inſequuti ſunt conſules, P. Furius & C. Flaminius, & ipſi in eamdem Galliam per Anamarorum fineis exercitus ductavêre. non longè hic populus à Maſſiliâ ſedeis ſuas habet. cuius tum conciliatâ ſibi benevolentiâ, conſules in regionem Inſubrium, quà Paduſa in Padum influit, trajecerunt. Verùm & in tranſitu, & dum caſtra ponerent, cæſi; ſtatim illi quidem nihil moverunt: at poſteà pace factâ, ex pacto communi exceſſêre illis locis. dein multos dies vagati; transmiſſo flumine Cluſio, in Cenomanorum ditionem venerunt. quibus adſumptis, quòd ſocii eſſent populi Romani; è Subalpinis locis in campos Inſubrium exercitu infeſto iterum venêre.* Mira ſanè regionum populorumque confuſio. quid etenim conſules Romani per gentem, non dicam ipſi urbi Maſſiliæ, quæ longè ultra Alpeis in Galliâ ſita eſt, ſed proximis Maſſilienſium agris circa Nicæam opidum finitimam, trajectum in Inſubrium fineis quærerent. Atqui omnis ille ab Maſſilienſium finibus inter Padum Alpeisque maritimas tractus ad Inſubreis usque, vel horum conterminos Lævos Gallos, à Liguſticis incolebatur populis. quid igitur attinebat, unam eorum (ſi id ſuſpiceris) nationem nominaſſe; quum tota gens transeunda fuerit? Sed quis *Padua* iſte, ſive, ut interpres vitiatam vocem emendandam cenſuit, *Paduſa fluvius*, in Padum confluens? nam *Paduſam* fuiſſe Padi, qui infra Ferrariam in duo ſcinditur cornua, alterum alveum, infrà cap. XXXV è Virgilio, Plinio, & Claudiano oſtendam. idque ita docuit ipſe Polybius, eodem libro anteà: ubi corrupta

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

rupta itidem legitur vox Παδόα, pro Παδίου. Et cui mortalium perſvaſeris, huc usque Inſubrium fuiſſe fineis extenſos? quum & Cenomanorum omnis gens, & Venetorum nonnulli interjecti fuerint; ut ſuprà ſatis ſuperque demonſtratum. Iam verò ſi ab urbe Româ, unde profectos ex eodem Polybio patet, ad Maſſiliam usque, ſeu Maſſilienſium agrum contendere cum exercitu voluerunt conſules; atque inde ad Ferrariam usque redire: non modò univerſa, quàm longa eſt, peragranda ipſis fuiſſet Liguria; ſed & omnis Boiorum Gallorum gens. At hos continuò antè à Q. Fulvio & T. Manlio conſulibus, perterrefactos infeſtâ expeditione, in fidem Romanorum acceptos narrat Polybius. non igitur proximi demum conſules benevolentiam eorum ſibi conciliarunt, uti in Inſubrium fineis transire ſibi liceret. Sed quis denique tam ineptæ tamque inſanæ mentis fuerit homo, qui temerè credat, conſules Romanos, quò commodè in Inſubrium agrum transire poſſent, exercitum ab urbe Româ, primùm per omnem Etruriam, mox Liguriam, ad Maſſilienſium usque fineis; hinc verò retrogrado tractu, per eamdem Liguriam & Galliam Cispadanam, ad Ferrariam usque ductitaſſe; inde jam iterum retrogrado itinere, per Venetorum Cenomanorumque fineis trahentes, tandem neſcio per quam gentem, vel quibus finibus poſitam, in Inſubreis introduxiſſe? Verùm ineptiarum nugarumque, quas corruptus hic Polybii locus peperit, jam ſatis eſt. Ego primùm ſic lego: Διέβησαν εἰς τὴν τῶν Ἰσόμβρων γῆν κατὰ τὰς συῤῥοίας τοῦ Ἀδόα καὶ Πάδου ποταμῶν. id eſt: *In regionem Inſubrium juxta Aduæ Padique amnium confluenteis transgreſſi ſunt.* Deinde pro vocabulo Μασσαλίας legendum cenſeo Πλακεντίας. quidpe non de illius temporis, quo hæc geſta ſunt, & quo *Placentia* nondum exſtabat, ſed de ſuæ ætatis opido loqui Polybium, liquet ex præſentis temporis verbo συμβαίνει. Iam verò circa Placentiam opidum & Padi Aduæque confluenteis gentem reperio nullam, niſi quos in præſcriptis verbis Polybius inter Ligures atque Boios ponit, Ἄνανες, ANANES. quorum vocabulum an ſic ſatis probum ſit; an verò poſteà rectiùs ſcribatur Ἀνάμαρες, ANAMARES; an denique fuerint Ἀνάμανες, ANAMANES, ſive Ἀναμανοὶ, ANAMANI; planè nihildum mihi liquet. Ἀμβάρους, *Ambarros* fuiſſe crederem; ni hos ſimul cum Biturigibus, Arvernis, Heduis, Carnutibus, atque Aulercis, in unum Inſubrium nomen coiviſſe, & trans Padum conſediſſe teſtaretur Livius dicto lib. v. Polybius, dicto lib. II, recenſitis, poſt Transpadanos Gallos, & *Ananum* & *Boiorum Lingonumque* ac *Senonum* nominibus, hæc tandem ſubnectit: Τὰ μὲν οὖν ἐπιφανέστατα τῶν κατασχόντων τοὺς προειρημένους τόπους ἐθνῶν ταῦθ᾽ ὑπῆρχεν. Id eſt: *Atque hæ nobiliſſimæ ſunt gentes inter eas, quæ prædictas terras occuparunt.* Eo magis ſcilicet miror, quum nequaquàm ex minoribus obſcurioribusque fuerint iſti *Ananes*, ſive *Anamares*; nomen eorum nullibi aliàs exſtare. Fuiſſe tamen hoc tractu circa Placentiam inter Ligures Boiosque aliam quamdam Gallicam nationem, ex Livio quoque patet. Is dicto lib. v ita ſcribit: *Priùs Placentiam Romani pervenêre, quàm ſatis ſciret Hannibal ab Ticino profectos. Dum Hannibal, circa flumen legationibus Gallorum audiendis moratus, trajicit gravius peditum agmen; interim Mago equitesque ab transitu fluminis diei unius itinere Placentiam ad hoſteis contendunt. Hannibal paucis pòſt diebus* VI *millia à Placentiâ caſtra communivit. Scipio quartâ vigiliâ noctis inſequentis tacito agmine profectus ad Trebiam fluvium, in loca altiora, colleisque impeditiores equiti, caſtra movet. Pœni, quum jam transgreſſos Trebiam Romanos metanteisque caſtra conſpexiſſent; paucos moratorum occiderunt, circa flumen interceptos. Scipio locum, qui prope flumen tutiſſimus ſtativis eſt viſus, delectum communivit. Nec procul inde Hannibal quum conſediſſet; ad Claſtidium vicum, quo magnum frumenti numerum congeſſerant Romani, mittit. Traditur Hannibali Claſtidium. Id horreum fuit Pœnis, ſedentibus ad Trebiam.* Hæc ita compendioſè ex copioſiori Livii oratione. ex quibus ſatis claret, caſtra tunc Romanorum apud ſiniſtram Trebiæ ripam fuiſſe poſita. Pergit inde Livius in hæc verba: *Quod inter Trebiam Padumque agri eſt, Galli tum incolebant; in duorum præpotentium populorum* [Romanorum ac Pœnorum] *certamine per ambiguum favorem haud dubiè gratiam victoris ſpectantes. Id Romani, ne quid modò moverent, æquo ſatis, Pœnus periniquo animo ferebat: à Gallis accitum ſe veniſſe ad liberandum eos, dictitans. Ob eam iram, ſimul ut prædâ militem aleret; duo millia peditum & mille equites, Numidas pleroſque, miſſos quosdam & Gallos, populari omnem deinceps agrum usque ad Padi ripas juſſit. Egentes ope Galli, quum ad id dubios ſervaſſent animos; coacti ab auctoribus injuriæ ad vindices futuros declinant.* legatisque ad conſu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

lem miſſis, auxilium Romanorum terræ ob nimiam cultorum fidem in Romanos laboranti orant. Cornelio conſuli nec cauſa nec tempus agendæ rei placebat: ſuſpectaque ei gens erat; tùm ob infida multa facinora, tùm, ut alia vetuſtate obſoleviſſent, ob recentem Boiorum perfidiam. Sempronius contrà, continendis in fide ſociis maximum vinculum eſſe, primos, qui coiſſent, ope defenſos, cenſebat. tum, collegâ cunctante, equitatum ſuum, mille peditum jaculatoribus fermè admiſtis, ad defendendum Gallicum agrum, trans Trebiam mittit. Liquet ex hactenus recitatis quàm dilucidiſſimè, alios præter perfidos Boios, fuiſſe inter Trebiæ dextram ripam & Padum Gallos, quorum agros *ob nimiam in Romanos fidem* Pœni populabantur. Hi verò nulli alii fuêre, quàm qui, Liguribus proximi, Polybio *Anamanes* ſive *Anamares* dicuntur. quorum amicitiam quum jam olim Romani ſibi conciliaſſent; per eorum fineis juxta Padi Adduæque confluenteis in Inſubrium agrum transgreſſi ſunt; ut ſuprà dicto lib. II teſtatur Polybius. Hinc etiam idem hic auctor lib. III συμμάχους, id eſt, *ſocios* Romanornm eos adpellat, in eâdem hiſtoriâ Hannibalicâ, quam modò ex Livio recitavimus. Διόπερ ὁ Πόπλιος, inquit, γνωσθεὶς τῆς νυκτὸς ὑπὸ τὴν ἑωθινὴν, ἀναζεύξας ἐποιεῖτο τὴν πορείαν ὡς ἐπὶ τὸν Τρεβίαν ποταμὸν καὶ τοὺς τούτῳ συνάπτοντας γεωλόφους, πιστεύων τῇ τε τῶν τόπων ὀχυρότητι, καὶ τοῖς παροικοῦσι τῶν συμμάχων. Id eſt: *Itaque Scipio noctis ſilentio ſub quartam vigiliam ad Trebiam fluvium & tumulos ei vicinos caſtra movet; tùm naturâ locorum fretus, tùm ſociis populi Romani, eum tractum incolentibus, confiſus.* Eosdem *ſocios* intelligere puto Livium ſub initium libri XXXI; ubi ita ſcribit: *Eodem ferè tempore P. Aelius conſul, in Galliâ, quum audiſſet, à Boiis ante ſuum adventum incurſiones in agros ſociorum factas; duabus legionibus ſubitariis ſcriptis, additisque ad eas quatuor cohortibus de exercitu ſuo, C. Appium, præfectum ſociûm cum hac tumultuariâ manu agrum Boiorum invadere juſſit.* Gallorum fuiſſe Trebiam amnem, Silius quoque teſtis eſt lib. I; ubi Iunonem introducit, clades Romanorum à Pœnis inlatas prædicentem:

Dum Romana tuæ, Ticine, cadavera ripæ
Non capiant; ſimilisque mihi per Celtica rura
Sangvine Pergameo Trebia & ſtipantibus armis
Corporibusque virûm retro fluat.

Terminum inter Gallos Liguresque hac parte ſuprà cap. VIII in Ligurum deſcriptione conſtituimus Tidonem amnem, ſuprà Placentiam ac Trebiam in Padum influentem: pluribusque eum illic documentis haud dubiis firmavimus. Epitomator Livii fine libri XX ita habet: *Coloniæ deductæ ſunt in agro de Gallis capto Placentia & Cremona.* Vt Cenomani, in quibus Cremona deducta, ſic & Anamanes, in quibus Placentia, non bello à Romanis ſuperati, ſed in amicitiam ſocietatemque recepti erant: coloniæque iſtæ non adverſùm hos, ſed contra Boios Inſubreisque locatæ fuêre. Hinc illud Polybii lib. III, de eisdem coloniis: Ἤδη δὲ τούτων συνῳκισμένων, οἱ Βοῖοι καλούμενοι Γαλάται ἀπέστησαν ἀπὸ Ῥωμαίων. παρακαλέσαντες δὲ τοὺς Ἴσομβρας, καὶ συμφρονήσαντες κατὰ τὴν προγεγενημένην ὀργὴν, κατέσυραν τὴν κατακεκληρουχημένην χώραν ὑπὸ Ῥωμαίων. Id eſt: *Vix erant coloniæ iſtæ deductæ, quum Boii Galli ab Romanis deficiunt. Inſubribus dein ſolicitatis, qui ob veteres in populum Romanum iras facilè cum ipſis conſpirarunt; agros recens diviſos populari adgrediuntur.* Et Livius lib. XXI, *In Italiam interim*, inquit, *nihil ultrà, quàm Iberum tranſiſſe Hannibalem à Maſſilienſium legatis Romam perlatum erat, quum, perinde ac ſi Alpeis jam transiſſet, Boii, ſolicitatis Inſubribus, defecerunt: nec tam ob veteres in populum Romanum iras, quàm quòd nuper circa Padum Placentiam Cremonamque colonias in agrum Gallicum deductas ægrè patiebantur.* Verùm quòd in rebus Romanis apud Livium Boii aliquoties cum Liguribus conjungantur, id non de horum termino apud Tidonem fluvium intelligendum eſt; ſed quà inter utramque gentem Apenninus mons, ſupra Piſas & Lucam, intercedit. Livius lib. XXXIII: *Sub hæc tam variâ fortunâ geſta, L. Furius Purpureo, alter conſul, per tribum Sapiniam in Boios venit. Iam caſtro Mutilo adpropinquabat, quum, veritus ne includeretur ſimul à Boiis Liguribusque, eâdem viâ, qua adduxerat, reduxit: & magno circuitu per aperta eóque tuta loca ad collegam pervênit. Dein junctis exercitibus, primùm Boiorum agrum usque ad Felſinam opidum populantes peragraverunt. ea urbs cæteraque caſtella, & Boii ferè omnes in deditionem venerunt. In Ligures deinde traductus exercitus.* Caſtellum hoc *Mutilum*, in Apennini radicibus ſupra Mutinam ſitum, vulgò etiamnunc vocatur *Médolo*. Idem Livius lib. XXXIIII: *Conſul Placentiam legiones duxit. Scipionem alii, conjuncto exercitu cum collegâ, Boiorum Ligurumque agros populatum iſſe, quoad progredi ſilvæ paludesque paſſæ ſint, ſcribunt;*

ſcribunt; alii, nullâ memorabili re geſtâ, comitiorum cauſâ rediiſſe Romam. Et lib. XXXV: *Priusquàm L. Quinctius conſul in provinciam perveniret, Q. Minucius in agro Piſano cum Liguribus ſignis collatis pugnavit.* Mox: *Ex agro Piſano in Ligures profectus, caſtella vicosque eorum igni ferroque pervaſtavit.* Statim: *Conſules, quando nihil ab Antiocho inſtaret: proficiſci ambos in provincias placuit. Domitius ab Arimino, quà proximum fuit, Quinctius per Ligures in Boios venit.* Ab occaſu igitur Tidone amne, ab auſtro Apennino monte ab Liguribus ſeparati fuêre Galli illi Anamani, Romanorum ſocii. ab ortu Taro flumine à Boiis diſtingvebantur: ultra quod Parmam Boiorum fuiſſe opidum, proximo hinc capite patebit. ab ſeptemtrionibus, quà Cenomanos Lævosque conterminos habuêre, limes fuit Padus amnis.

Vrbium princeps in hoc tractu fuit PLACENTIA, Polybio, Cæſari, Livio, Paterculo, Plinio, Silio, Tacito, Svetonio, Plutarcho, Appiano, Ptolemæo, Itinerariis Romanis, Feſto, & aliis memorata. Nomen antiquum hodiè retinet; vulgò *Piacenza*, & *Piaſenza* dicta. Nomen id haud dubiè ei impoſitum Latinâ lingvâ à *placendo*; ut *Pollentiæ* in Liguribus à *pollendo*, *Potentiæ* in Piceno, & alteri in Lucanis à *potendo*; &, quas mox infrâ dicam, *Florentiæ* à *florendo*; *Fidentiæ* à *fidendo*, *Faventiæ* à *favendo*. prima ſanè brevis eſt. Silius lib. VIII:

PLACENTIA *colonia & municipium.*

Certavit Mutinæ quaſſata Placentia bello.

Opidani inde ſunt, Ciceroni, oratione in L. Piſonem, Livio lib. XXVIII, & Val. Maximo lib. VI cap. II, PLACENTINI. A Romanis conditam fuiſſe urbem, coloniamque deductam unà cum Cremonâ, anno urbis Romæ IↃXXXV, P. Cornelio Scipione & Ti. Sempronio Longo conſulibus; id eſt, ante natum Ieſum anno CCXVIII; complures ex modò dictis teſtantur auctores, quos ſuperiori capite in Cremonæ deſcriptione citavimus. Ex his epitomator Livii fine libri XX: *Coloniæ deductæ ſunt in agro de Gallis capto Placentia & Cremona.* Velleius Paterculus lib. II: *Sub adventum in Italiam Hannibalis Cremona atque Placentia deductæ.* Aſconius Pedianus, in commentariis ad Ciceronis orationem contra L. Piſonem: *Magnoperè me hæſitare confiteor, quid ſit, quare Cicero Placentiam municipium eſſe dicat. video enim in annalibus eorum, qui Punicum bellum ſecundum ſcripſerunt, tradi Placentiam coloniam deductam prid. Cal. Iun. primo anno eius belli, P. Cornelio Scipione, patre Africani, Ti. Sempronio Longo conſulibus.* Mox: *Sex autem millia hominum novi coloni deducti ſunt. in quibus equites deducendi fuit cauſa, ut opponerentur Gallis, qui eam partem Italiæ tenebant.* Pleraſque colonias jus quoque municipii poſtmodùm accepiſſe, pluribus exemplis ſuprà patuit; infráque patebit. Hinc Pompeius Feſtus, in voce *Municipium*; ubi tria municipiorum genera definit; *Tertiò,* inquit, *municipium dicitur, quum id genus hominum definitur, qui ad civitatem Romanam ita venerunt, uti municipes eſſent ſuæ quisque civitatis & coloniæ; ut Tiburtes, Prænestini, Piſani, Arpinates, Nolani, Bononienſes, Placentini, Nepeſini, Sutrini, Lucenſes.* Ciceronis verba in dictâ oratione hæc ſunt: *O familiæ! non dicam Calpurniæ; ſed Calventiæ: neque huius urbis, ſed Placentini municipii: neque paterni generis; ſed brachatæ cognationis dedecus.* Tacitus Hiſtoriar. lib. II: *Certum erat Spurinnæ (is enim Placentiam obtinebat) necdum veniſſe Cæcinam.* Paullo pòſt: *Iamque totis caſtris modeſti ſermones; & inſerentibus ſe centurionibus tribunisque laudare providentiam ducis; quòd coloniam virium & opum validam robur ac ſedem bello legiſſet.* Deinde: *Cæcina, Padum transgreſſus, conſilia curasque in oppugnationem Placentiæ magno terrore vertit. Sed primus dies impetu magis, quàm veterani exercitus artibus, transactus. Aperti incautique muros ſubière, cibo vinoque prægraves. In eo certamine pulcherrimum amphitheatri opus, ſitum extra muros, conflagravit: ſive ab oppugnatoribus incenſum; dum faces & glandeis ac miſſilem ignem in obſeſſos jaculabantur; ſive ab obſeſſis; dum regerunt. Municipale vulgus, pronum ad ſuſpiciones, fraude illata ignis alimenta, credidit, à quibusdam vicinis coloniis, invidiæ æmulatione; quòd nulla in Italiâ moles tam capax foret.*

Cæterùm quum ipſa urbs Placentia CIↃIↃ ampliùs paſſus à Padi ripâ abeſſet, EMPORIVM ſive *portus* ac *navale* PLACENTINORVM tum à Romanis in proximâ amnis ripâ conditum fuit, quum ipſa conderetur colonia. Livius ſuprà dicto libro XXI, pugnam ad Trebiam memorans: *Nocte inſequenti, quod reliquum ex magnâ parte militum erat, ratibus Trebiam trajecerunt: quietisque Pœnis, tacito agmine ab Scipione conſule exercitus Placentiam eſt perductus. inde, Pado trajecto, Cremonam: ne duorum exercituum hibernis una colonia premeretur.* Paullo pòſt: *Cæterùm ne hiberna quidem Romanis*

EMPORIVM Placentinorum.

quieta erant vagantibus paſſim Numidis equitibus, &, quæ his impeditiora erant, Celtiberis Luſitaniſque. omnes igitur clauſi undique commeatus erant; niſi quos Pado naves ſubveherent. Emporium prope Placentiam fuit; & opere valido & magno munitum præſidio. eius caſtelli oppugnandi ſpe cum equitibus ac levi armaturâ profectus Hannibal, quum plurimum in celando incepto ad effectum ſpei habuiſſet; nocte adortus, non fefellit vigiles. tantus repentè clamor eſt ſublatus, ut Placentiæ quoque audiretur. itaque ſub lucem cum equitatu conſul aderat; juſſis quadrato agmine legionibus ſequi. equeſtre prælium interim commiſſum. in quo quia Hannibal ſaucius pugnâ exceſſit, pavore hoſtibus injecto, defenſum egregiè præſidium eſt. Ex clamore *Emporitanorum*, qui Placentiam usque auditus eſt, ſatis adparet, caſtellum id in proximâ fuiſſe Padi ripâ, è regione urbis. quo loco id condere ipſa ſvaſerat ratio vicinitatis.

VICVMNIAE *caſtellum.*

Alterum item fuit *emporium*, ſeu *caſtellum*, in eâdem ripâ, cui nomen apud eumdem Livium VICVMVIAE, ſeu, ut rectiùs quædam exemplaria videntur habere, VICVMNIAE. Sic continuò pôſt pergit: *Paucorum inde dierum quiete ſumptâ, & vix dum ſatis percurato vulnere, ad Vicumnias ire pergit oppugnandas. id emporium à Romanis Gallico bello fuerat munitum. inde locum frequentaverant adcolæ, miſti undique ex finitimis populis. & tum terror populationum eò pleroſque ex agris compulerat. Huius generis multitudo, famâ impigrè defenſi ad Placentiam præſidii accenſa, armis arreptis obviam Hannibali procedit. magis agmine, quàm acie, in viâ concurrerunt. & quum ex alterâ parte nihil præter inconditam turbam eſſet; in alterâ & dux militi & duci fidens miles; ad* XXXV *millia hominum à paucis fuſa. poſtero die deditione factâ, præſidium intra mœnia accepêre. juſſique arma tradere quum dicto paruiſſent; ſignum repentè victoribus datur, ut tamquàm vi captam urbem diriperent. neque ulla, quæ in tali re memorabilis ſcribentibus videri ſolet, prætermiſſa clades eſt. adeò omnis libidinis crudelitatiſque & inhumanæ ſuperbiæ editum in miſeros eſt exemplum. Hæ fuère hibernæ expeditiones Hannibalis. Haud longis inde temporibus, dum intolerabilia frigora erant, quies militi data eſt. & ad prima ac dubia ſigna veris profectus ex hibernis, in Etruriam duxit.* Ergo ex iiſdem prope Trebiam atque Placentiam hibernis ad illud quoque alterum caſtellum ſive emporium exercitum duxit. Hoc igitur etiam haud ita longè infra Placentiam in eâdem Padi ripâ ſitum fuit. Certus tamen ei locus diſpici nequit. Citra Tarum fuiſſe flumen, id eſt, extra Boiorum agrum, patet ex hisce auctoris verbis: *Locum frequentaverant adcolæ; miſti undique ex finitimis populis. & tum terror populationum eò pleroſque ex agris compulerat.* Boii tum hoſtes erant Romanorum; ut ſuprà intellectum. qui in Romanorum munimenta minimè confugiſſent: utique, quum à partibus Hannibalis fuerint. *Finitimi* autem *populi* erant, ſuprà dicti Anamani; Romanorum tunc ſocii. De eodem loco ita ſcribit Zonaras Annal. lib. 11: Θρασήσαντές ἐκ τούτου τινὲς τῶν Ῥωμαίων, καθ' ἑαυτοὺς προσβάλλοντι αὐτοῖς ἐπεξῆλθον· κἀκείνους τε ἔφθειρε, καὶ τοῦ χωρίου ὁμολογίᾳ ἐκράτησε, καὶ αὐτὸ κατέσκαψε. Id eſt: *Vnde quidam ex Romanis ſumptâ fiduciâ, per ſe contra eum, mœnia oppugnantem, erumpunt. ſed & illi cæſi ſunt, & caſtellum, factâ deditione, everſum.*

De cætero iter in Itinerariis antiquis à Placentiâ verſùs Parmam deſcribitur huiusmodi:

Tabulæ:	Antonini:	Antonini:	Antonini:	Hieroſolymitano:
Placentia	*Placentia*	*Placentia civitas*	*Placentia civitas*	*Placentia*
				Ad Fonteclos XIII.
Florentia XV.	*Florentia* XV.			
Fidentia X.	*Fidentia* X.	*Fidentiola vicus* XXIIII.	*Fidentiola vicus* XXIIII.	*Fidentiæ* VIII.
				Ad Turum VIII.
Parma XV.	*Parma* XV.	*Parma civitas* XX.	*Parmæ civitas* XV.	*Parmæ* VII.

FLORENTIA *opidum.*

Ex his FLORENTIA, ſive *vicus* olim, ut *Fidentiola*, ſive *opidum*, hodiéque vulgò dicitur *Firenzuola*. Hoc vocabulum diminutivum an jam olim etiam uſurpatum fuerit; ut *Fidentia* etiam *Fidentiola*; incertus ſum.

FIDENTIA *opidum.*

FIDENTIA, ſive FIDENTIOLA, Velleio quoque Paterculo & Livii epitomatori Phlegon-

Phlegontique Tralliano ac Ptolemæo memoratur. quorum hic, Ἡ δὲ Γαλλία, inquit, ἡ Τογάτα ἔχει πόλεις τάσδε· Πλακεντία, Φιδεντία, Βρίξελλον, Πάρμα. Id eſt: *In Galliâ Togatâ urbes ſunt iſtæ: Placentia, Fidentia, Brixellum, Parma.* Paterculus lib. II: *Paullo antè, quàm Sulla ad Sacriportum dimicaret, magnificis prœliis partium eius viri hoſtium exercitum fuderunt. duo Servilii apud Cluſium; Metellus Pius ad Faventiam; M. Lucullus circa Fidentiam.* Epitomator Livii, lib. LXXXVIII: *Sylla Carbonem, exercitu eius ad Cluſium ac Faventiam Fidentiamque cæſo, Italiâ expulit.* Phlegon Trallianus in libro de Longævis: Τίτος Καμόριος Τέρτιος, πόλεως Φιδεντίας. Id eſt: *T. Camurius Tertius, ex opido Fidentiâ.* Opidani inde Plinio lib. III cap. XV dicuntur FIDENTINI. *Opida,* inquit, *Cæſena, Claterna, Forum Clodii, Livii, Popilii, Truentinorum, Cornelii, Laccini, Faventini, Fidentini, Oteſini.* Ipſum opidum *Fidentia* ex itineris ductu & intervallis deprehenditur eſſe id, quod vulgò vocatur incolis *Borgo di San Donnino.* In Tabulâ atque Antonini itinerario quum XL ſcripta ſint millia Placentiam inter & Parmam; ubi XXXV haud ampliùs nunc numerantur; nihil mirum ſit, quòd inter Placentiam & Fidentiam millia legantur XXV; ubi hodiè XX tantùm cenſentur. At à dicto Burgo Sancti Domnini porrò ad Parmam juſta ſunt hodiéque millia XV; ut prædicta itineraria unà cum Hieroſolymitano habent. In Martyrologio Romano ita legitur: VII *Idus Octobris, apud Iuliam, in territorio Parmenſi, viâ Claudiâ, S. Domnini martyris, ſub Maximiano imperatore.* Et Vſuardus in Martyrologio item ſic ſcribit: VII *Idus Octobris, apud Iuliam, viâ Claudiâ, P. Domnini martyris, ſub Maximiano.* Ergo opidum hoc cognominatum fuit *Iulia Fidentia.* quo nomine etiam in Hiſpaniâ ulteriore fuit opidum. Plinius lib. III cap. I: *Celeberrima inter Bætim & Oceani oram opida in mediterraneo; Segeda, quæ Augurina cognominatur; Iulia, quæ Fidentia; Virgao, quæ Alba; Ebura, quæ Cerealis; Ilipula, quæ Laus; Veſci, quod Faventia.* Quando & quomodò poſteà in vicum declinaverit ex opido celebri; unde etiam diminutivum vocabulum *Fidentiolæ* nactum; nusquàm adnotatum reperio. Sed in Hiſtoriâ martyrii S. Domnini ſociorumque eius vocatur *Iulia Chryſopolis,* ſive, ut ex antiquo exemplari manu ſcripto vulgavit Surius, *Criſopolis.* Verba illic de Maximiano imperatore ſunt iſta: *Rurſus Mediolano eodem ferè tempore diſcedens, venit in fineis Germaniæ.* Narratur hinc, quo pacto *Domninus, cubicularius* imperatoris, diis ſacrificare cum ſociis ſuis quingentis recuſaverit. quam ob rem imperator juſſit eos adprehendi & capite cædi. Ibi Domninus hortatur ſocios, uti iræ atque inſidiis imperatoris ſeſe ſubducant. *Quibus auditis,* inquit hiſtoria, *ſtatuerunt quingenti illi Chriſtiani ad civitatem Romanam confugere.* Mox: *Statim ergo aliqui ex ipſis detenti, in eius præſentiâ detruncati ſunt. Reliqui verò ſe ſubtrahentes, cum omni feſtinatione Romanum arripiunt iter; alii per Flaminiam, alii per Aureliam, alii item per Claudiam fugientes à conſpectu furoris impiiſſimi tyranni. beatus verò Domninus perrexit viâ Claudiâ. qui quum veniſſet quintodecimo milliario à Iuliâ Criſopoli civitate, à miniſtris imperatoris inſequutus adprehenditur; & circa fluvium Siſterionem nomine, in mediâ, quæ Claudia vocatur, viâ publicâ capite plectitur. qui ſtatim virtute divinâ abſciſſum caput è terrâ ſublevans & palmis portans, transivit per medium Siſterionem; atque ad jactum lapidis ultrà progrediens ſubſtitit; ibique caput repoſuit. quo loco ſacra eius oſſa ſervantur.* Verùm an à ſatis fidâ auctoritate nomen hoc *Chryſopolis* ſive *Criſopolis* accipiatur, ego equidem etiamnum dubito: præſertim, quum alia quoque haud perinde congrua in hac hiſtoriâ narrantur. Ait auctor, (quisquis ille fuerit) reliquos ex quingentis illis, furorem imperatoris Maximiani fugientes, iter è Germaniâ ad Romanam civitatem arripuiſſe; *alios per Flaminiam, alios per Aureliam, alios item per Claudiam viam.* Ex his *Flaminia* ab Arimino, primùm per maritima opida Piſaurum ac Fanum Fortunæ, mox per Vmbriæ Etruriæque mediterranea Romam ferebat: *Aurelia* verò à Piſis, juxta litus Etruſci maris: *Claudia* paullo ſupra hanc tendebat per opida Saturniam, Tuſcaniam, Bleram, Forum Claudii, & Careias. quod de ſingulis ad calcem huius operis latiùs demonſtrabitur. Aliam, præter hanc, nemo umquàm agnovit auctor Claudiam viam. nam quòd in Antonini itinerario iter *à Lucâ Romam per Claudiam viam* inſcriptum legitur; id librariorum oſcitantiæ eſſe tribuendum; quum ipſe ſcripſerit auctor itinerarii, *per Caſſiam viam;* cùm ex aliis auctoribus ſuo loco patebit, tùm ex ipſo etiam hoc itinere: idque hoc maximè argumento, quòd Forum Caſsî in eo memoratur. Illam verò viam, quæ à Placentiâ Ariminum usque ferebat, omni ævo *Aemiliam* dictam fuiſſe,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

vulgò notum eſt. Sed eſto: fuerit pars huius aliquando adpellata *Claudia*. id haud perinde in præſens diſputavero. at quæro porrò; ſi *Fidentia*, apud ſiniſtram *Siſterrionis* ripam ſita, cognominata fuit *Iulia Criſopolis*; quomodò ſanctus Domninus *quintodecimo* ab eâdem Fidentiâ *milliario, viâ publicâ*, id eſt, conſulari, quam aliàs *Aemiliam* adpellatam conſtat, apud eumdem Siſterrionem, qui nunc vulgò eſt *Stirone*, cæſus fuit? Saltem hoc abſurdum videatur. Sanè errorem atque ignorantiam ſimplicitatemque iſtius ſæculi diſpicere mihi videor. Sancti iſti confeſſores non inde ex ipsâ Germaniâ fugiebant per Flaminiam Claudiamque & Aureliam vias: ſed à Mediolano primùm pervenêre Placentiam. hinc alii Aemiliâ viâ Parmam, Mutinam, Bononiam, Faventiam, Cæſenam, Ariminum, atque inde viâ Flaminiâ per Vmbriæ Etruriæque opida Romam tendebant. alii verò Piſanum à Placentiâ arripuêre iter. horum alii à Piſis per Aureliam, per Claudiam alii eamdem petebant urbem Romam. In Aemiliâ viâ erat *Fidentia*; XV, ut ſuprà dixi, millia paſſuum diſtans à *Parmâ*; quæ cognominabatur olim *Colonia Iulia Auguſta*; ut mox ſequenti capite videbimus. Sanctus itaque *Domninus* quum à Placentiâ *viâ publicâ* verſùs *Iuliam Parmam* pergeret; ad *quintumdecimum* ab hac *milliarium à miniſtris*, ut inquit iſte auctor, *imperatoris inſequutus*, circa *Fidentiam & fluvium Siſterionem* cæſus eſt. Omnem huius rei hiſtoriam quum poſterioris ævi homines paullo obſcuriori famâ accepiſſent; (nam pleraſque ſanctorum vitas non ſtatim à tempore paſſionis ſeu martyrii eorum conſcriptas fuiſſe, ſed multo pòſt, deprehendo) Claudiam viam exiſtimarunt eſſe eam, quæ erat Aemilia; & Fidentiam urbem eſſe eamdem & Iuliam, quæ re verâ erat Parma. *Chryſopolim* autem ſive *Criſopolim* alterutram harum aliquando dictam fuiſſe; quando nemo alius tradit auctor; huic ſcriptori parum diligenti, parum idoneo, ac minùs fido, credere minimè opus habeo. Vſuardus & alii iſti Martyrologi ex huius hiſtoriâ nomen *Iuliæ* transſcripſerunt.

Cæterùm in Hieroſolymitano itinerario locus *Ad Turum*, ex intervallis, hinc VIII verſùs Fidentiam, inde VII ad Parmam millium, deprehenditur eſſe vitiato vocabulo, pro *Ad Tarum*. iis quidpe ſpatiis amnis *Tarus* ab utroque loco diſtat. Sed & alterius loci, qui in dicto itinere eſt *Ad Fonteclos*, corrigenda eſt adpellatio AD FONTICVLOS. isque haud dubiè cenſendus eſt vicus, qui, haud ita procul à Florentiolâ, verſùs Placentiam euntibus vulgò nunc vocatur *Alla Fontana*.

AD FONTICVLOS, *locus*.

AEMILIA *foſſa*.

Apud Strabonem lib. V hæc leguntur: Πολὺ δὲ καὶ τῆς ἐντὸς τοῦ Πάδου κατείχετο ὑπὸ ἑλῶν· δι᾽ ὧν Ἀννίβας χαλεπῶς διῆλθε, προϊὼν ἐπὶ Τυῤῥηνίαν. ἀλλ᾽ ἀνέψυξε τὰ πεδία ὁ Σκαῦρος διώρυξι πλωταῖς ἀπὸ τοῦ Πάδου μέχρι Παρμησῶν· καὶ γὰρ Πλακεντίαν ὁ Τρεβίας συμβάλλων τῷ Πάδῳ, καὶ ἔτι πρότερον ἄλλοι πλείους, πληροῦσι πέραν τοῦ μετρίου. οὗτος δὲ ὁ Σκαῦρός ἐστιν, ὁ καὶ τὴν Αἰμιλίαν ὁδὸν στρώσας. Id eſt: *Multum etiam eius, quæ citra Padum eſt, regionis paludibus olim obtinebatur; per quas, Etruriam petens, Hannibal difficulter transiit. Sed exſiccavit campos Scaurus, foſſis navigabilibus ductis à Pado ad Parmenſeis usque. Namque apud Placentiam Trebia influens in Padum, eum, ſicut & complures alii antè illapſi, ultra modum implent. Idem hic Scaurus & viam Aemiliam ſtravit.* Locus hic Strabonis, præterquàm quòd vocabulis nonnullis vitiatus, aliis etiam mutilatus eſt, toto inſuper orationis ordine miſerè turbatus eſſe videtur: quemadmodùm & ille de Lucâ & Lunâ, paullo antè præcedens. Pro voce Παρμησῶν, quis non intelligat, ſcribendum eſſe Παρμητῶν; Verùm, quid hoc tandem erat dicere; *Foſſæ à Pado ad Parmenſeis usque ſunt ductæ?* Cur non potiùs *ad Parmam?* Deeſt ſanè vox vel πόλεως, vel alia quædam. At rurſum quæro, quas ille foſſas à Pado ad Parmam usque fecerit, quibus omnis is tractus ſiccaretur? Obſervavit heic mendum doctiſſimus auctoris interpres Xylander: ideóque maluit legere, ἀπὸ τῆς Πλακεντίας. Omnem igitur orationem ſic ego ordinare coner: Πολὺ δὲ καὶ τῆς ἐντὸς τοῦ Πάδου κατείχετο ὑφ᾽ ἑλῶν. δι᾽ ὧν Ἀννίβας χαλεπῶς διῆλθε, προϊὼν ἐπὶ Τυῤῥηνίαν. καὶ γὰρ Πλακεντίαν ὁ Τρεβίας συμβάλλων τῷ Πάδῳ, καὶ ἔτι πρότερον ἄλλοι πλείους, πληροῦσιν αὐτὸν πέραν τοῦ μετρίου. Ἀλλ᾽ ἀνέψυξε τὰ πεδία ὁ Σκαῦρος διώρυξι πλωταῖς ἀπὸ τῆς Πλακεντίας μέχρι Παρμητῶν πόλεως. Οὗτος δὲ ὁ Σκαῦρός ἐστιν, ὁ καὶ τὴν Αἰμιλίαν ὁδὸν στρώσας, τὴν διὰ Πισῶν καὶ Λούνης, μέχρι Σαβάτων, κἀντεῦθεν διὰ Δερθῶνος. Hoc eſt: *Multum etiam eius, quæ citra Padum eſt, regionis paludes olim obtinebant: per quas, Etruriam petens, difficulter transiit Hannibal. nam apud Placentiam Pado incidens Trebia, ſicut & alii complures antè fluvii, eum ultra modum implent. Verùm exſiccavit campos Scaurus, foſſis navigabilibus à Placentiâ ad Parmenſem usque*

uſque urbem ductis. Idem Scaurus & viam Aemiliam ſtravit; quæ per Piſas & Lunam uſque ad Sabata, atque inde per Derthonam fert. FOSSA igitur hæc AEMILIA inter Placentiam & Parmam per transverſos amneis, qui inter dictas urbeis in Padum defluunt, à M. Aemilio Scauro ducta fuit, qua reſtagnantes aquæ Padi excipiebantur: quaque commeantes inter dictas urbeis navigabant: ut foſſa alia erat in Latio, juxta Appiam viam, inter Forum Appii & Tarracinam; de qua infrà ſuo loco dicetur. Fuit autem conſul M. Aemilius Scaurus cum M. Cæcilio Metello anno urbis Romæ IↃCXXXVIII; ante natum Ieſum CXV: annis LXXII poſt conſulatum C. Flaminii Nepotis & M. Aemilii Lepidi; qui alteram illam viam Aemiliam inter Placentiam & Ariminum juxta foſſam Aemilii Scauri ſtravit; teſte Livio lib. XXXVIIII. Sed pars huius foſſæ ultra Tarum amnem jam in Boiis erat, unà cum ipſo opido Parmâ.

CAP. XXVIII.

De BOÏIS *ac* LINGONIBVS.

VLtra Tarum igitur amnem fuêre BOII; hisque juncti LINGONES, ad Ravennam usque. Polybius lib. II: Τὰ δὲ πέραν τοῦ Πάδου, τὰ περὶ τὸν Ἀπέννινον, πρῶτοι μὲν Ἄνανες, μετὰ δὲ τούτους Βοῖοι κατῴκησαν· ἑξῆς δὲ τούτων, ὡς πρὸς τὸν Ἀδρίαν, Λίγγωνες· τὰ δὲ τελευταῖα πρὸς θαλάττῃ Σήνωνες. Id eſt: *Trans Padum, quæ circa Apenninum ſunt loca, Ananes, dein Boii, tenuêre: poſt hos, ad Hadriaticum mare versùs, Lingones. ultima, apud mare, Senones.* Livius lib. V: *Pennino deinde Boii Lingonesque transgreſſi, quum jam inter Padum atque Alpeis omnia tenerentur, Pado ratibus trajecto, non Etruſcos modò, ſed etiam Vmbros agro pellunt. intra Apenninum tamen ſeſe tenuêre. Tum Senones, recentiſſimi advenarum, ab Vtente flumine usque ad Aeſim fineis habuêre.* Sed *Lingonum* in Italiâ nulla alia neque apud hos neque apud alios auctores fit mentio. Exiguum fuiſſe populum, cùm ex hoc, tùm ex eo diſpicitur, quòd anguſtos admodùm habuêre fineis inter Bononiam & Ravennam: quarum illa Boiorum fuit; hæc verò Græcorum Vmbrorumque, cum Vtente amne, termino quomdam inter Lingones Senonesque. Finem igitur conſtituerim inter Lingones Boiosque *Idicem* amnem; qui à Bononiâ millia V paſſuum abeſt; defluitque in Padum. Mare non attigiſſe Lingonas, ex eo liquet, quòd Polybius ait ὡς πρὸς τὸν Ἀδρίαν, id eſt, *versùs Hadriam*: quum alioqui de Senonibus dicat πρὸς θαλάττῃ, id eſt, *apud mare*. In Boiorum ſeſe tradidiſſe amicitiam atque clientelam, eorumque nomine ac famâ tandem obſcuratos fuiſſe, maximè credibile eſt. Hinc Boios ſemper Senonibus auctores conjunxêre. Polybius eod. lib. II poſteà: Μανίου δὲ Κορίου πρεσβευτὰς ἐκπέμψαντος εἰς Γαλατίαν ὑπὲρ τῶν αἰχμαλώτων, παρασπονδήσαντες ἐπανείλοντο τοὺς πρέσβεις. τῶν δὲ Ῥωμαίων ὑπὸ τοῦ θυμοῦ ἐκ χειρὸς ἐπιστρατευσαμένων, ἀπαντήσαντες συνέβαλον οἱ Σήνωνες καλούμενοι Γαλάται. Ῥωμαῖοι δ᾽ ἐκ παρατάξεως κρατήσαντες αὐτῶν, τοὺς μὲν πλείστους ἀπέκτειναν, τοὺς δὲ λοιποὺς ἐξέβαλον· τῆς δὲ χώρας ἐγένοντο πάσης ἐγκρατεῖς. * . Οἱ δὲ Βοῖοι, θεωροῦντες ἐκπεπτωκότας τοὺς Σήνωνας, καὶ δείσαντες περὶ σφῶν καὶ τῆς χώρας, μὴ πάθωσι τὸ παραπλήσιον, ἐξεστράτευσαν πανδημεί, παρακαλέσαντες Τυρρηνούς. * — * . Μάρκου δὲ Λεπίδου στρατηγοῦντος, κατεκληρούχησαν ἐν Γαλατίᾳ Ῥωμαῖοι τὴν Πικεντίνην προσαγορευομένην χώραν· ἐξ ἧς νικήσαντες ἐξέβαλον τοὺς Σήνωνας Γαλάτας· Γαΐου Φλαμινίου ταύτην τὴν δημαγωγίαν εἰσηγησαμένου καὶ πολιτείαν· ἣν γε καὶ Ῥωμαίοις, ὡς ἔπος εἰπεῖν, φατέον ἀρχηγὸν μὲν γενέσθαι τῆς ἐπὶ τὸ χεῖρον τοῦ δήμου διαστροφῆς, αἰτίαν δὲ καὶ τοῦ μετὰ ταῦτα πολέμου συστάντος αὐτοῖς πρὸς τοὺς προειρημένους· πολλοὶ μὲν γὰρ τῶν Γαλατῶν ὑπεδύοντο τὴν πρᾶξιν· μάλιστα δ᾽ οἱ Βοῖοι, διὰ τὸ συντερμονεῖν τῇ τῶν Ῥωμαίων χώρᾳ· νομίσαντες, οὐχ ὑπὲρ ἡγεμονίας ἔτι καὶ δυναστείας Ῥωμαίους τὸν πρὸς αὐτοὺς ποιήσασθαι πόλεμον, ἀλλ᾽ ὑπὲρ ὁλοσχεροῦς ἐξαναστάσεως καὶ καταφθορᾶς. Διόπερ εὐθέως τὰ μέγιστα τῶν ἐθνῶν, τό τε τῶν Ἰσόμβρων καὶ Βοιῶν, συμφρονήσαντα, διεπέμποντο πρὸς τοὺς κατὰ τὰς Ἄλπεις καὶ τὸν Ῥοδανὸν ποταμὸν κατοικοῦντας Γαλάτας, προσαγορευομένους δὲ, διὰ τὸ μισθοῦ στρατεύειν, Γαισάτους. Hoc eſt: *M. Curius conſul quum legatos de redemptione captivorum ad Gallos mitteret; illi, datam fidem fallentes, eos necarunt. Id facinus indigniſſimè ferentes Romani, confeſtim exercitum in hoſteis ducunt: & cum Gallis Senonibus, obviam*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

prodire auſis, manum conſerunt. quumque ſecunda ipſis fortuna pugnæ fuiſſet, partem maximam ceciderunt: reliquos ſedibus expulerunt. Mox: *Boii, ut excidiſſe Senones ſedibus ſuis vident; metu ſimilis fortunæ, universâ gente excitâ, Etruſcis etiam in auxilium vocatis, adversùs Romanos proficiſcuntur.* Aliquanto pòſt: *M. Lepido conſule Romani Galliæ agrum, Picenum dictum, quem devictis Senonibus ademerant, diviſerunt: poſtquàm C. Flaminius, popularem auram captans, legem hanc ſvaſiſſet tuliſſetque. quam profectò legem, ut ſi quid aliud, populi Romani mores in deterius mutaſſe, exiſtimandum eſt: eamdemque belli cauſam præbuiſſe, quod poſteà cum iis gentibus Romani geſſerunt. Multi enim Gallorum populi in ſocietatem eius belli nomina dederunt: præſertim Boii; quòd Romanorum agro eſſent contermini. quidpe non jam de imperio aut dominatione ſecum illos certare; ſed, ut eos ſedibus ſuis funditus evertant, atque perdant. Statim itaque communi conſilio duæ inter eos potentiſſimæ gentes, Inſubres atque Boii, legationem ad eos Gallos miſère, qui Alpeis Rhodanumque inter incolebant; Gæſati è re dicti, quòd æra bellando mereri ſoliti.* Conterminos ait fuiſſe Boios Romanorum ditioni, poſtquàm Senones hinc ejecti. at terminum tunc Romani conſtituerunt *Rubiconem* amnem, millia paſſuum XXIIII ultra Ravennam in mare Hadriaticum effluentem; ut ſuprà cap. XXII oſtenſum. Ergo pars illa Senonum agri inter Vtentem & Rubiconem Boiorum nomini adceſſit. Hinc Ptolemæus, in Togatâ Galliâ, quam Pado & Apennino finit, urbeis recenſet, *Placentiam, Fidentiam, Brixellum, Parmam, Regium Lepidum, Nuceriam, Tanetum, Mutinam, Bononiam, Claternam, Forum Cornelii, Faventiam, & Caſenam:* quorum hæc à Rubicone duo millia paſſuum abeſt. at in litore recenſendo ita tradit: Σενόνων· Αἴσιος ποταμοῦ ἐκβολαί, Σῆνα Γάλλικα, Φάνον Φορτούνας, Πιζαῦρον, Ἀρίμινον. Βοΐων Γαλλῶν· Ῥουβίκωνος ποταμοῦ ἐκβολαί, Ῥάβεννα, Πάδου ποταμοῦ ἐκβολαί. Μετὰ τὰς ἐκβολὰς τοῦ Πάδου, Οὐενετίας· Ἀτριανοῦ ποταμοῦ ἐκβολαί. Id eſt: *Senonum; Aeſis fluminis oſtium, Sena Gallica, Fanum Fortunæ, Piſaurum, Ariminum. Boiorum Gallorum; Rubiconis amnis oſtium, Ravenna, Padi fluminis oſtium. Poſt Padi oſtium in Venetiâ, Atriani amnis oſtium.* Hæc igitur ex veterum monumentis Ptolemæo deſumpta. Plinius de ſuâ ætate, lib. III cap. XV, poſtquàm à Placentiâ ad Ariminum usque urbeis octavæ Italiæ regionis recenſuit; *In hoc,* inquit, *tractu interierunt Boii; quorum tribus* CXII *fuiſſe, auctor eſt Cato: item Senones; qui ceperant Romam.* Et Strabo lib. V: Τὸ μὲν οὖν ἀρχαῖον ὑπὸ Κελτῶν περιῳκεῖτο τῶν πλείστων ὁ Πάδος ποταμός. μέγιστα δ' ἦν αὐτῶν ἔθνη Βοιοὶ καὶ Ἴσομβροι, καὶ οἱ τὴν Ῥωμαίων πόλιν ἐξ ἐφόδου καταλαβόντες Σένωνες. Τούτους μὲν οὖν ἐξέφθειραν ὕστερον τελέως Ῥωμαῖοι· τοὺς δὲ Βοΐους ἐξήλασαν ἐκ τῶν τόπων. μεταστάντες δ' εἰς τοὺς περὶ τὸν Ἴστρον τόπους, μετὰ Ταυρίσκων ᾤκουν, πολεμοῦντες πρὸς Δάκους, ἕως ἀπώλοντο πανεθνεί. Hoc eſt: *Circa Padum igitur Galli quondam habitabant plurimi: quorum maximæ gentes Boii atque Inſubres, &, qui Romam repentino adventu ceperunt, Senones. Atque hos quidem poſteà temporis prorſus deleverunt Romani. at Boios ſedibus ejecerunt. qui deinde ad Iſtrum quum commigraſſent; apud Tauriſcos habitarunt; bellum contra Dacos gerentes; donec universa gens funditus eſt exciſa.* Quando Italiâ ejecti fuerint, incertum eſt. Polybius eod. lib. II poſteà; enarrato bello Gallico, quod Romani quadriennio ante bellum Punicum ſecundum geſſerunt, M. Claudio Marcello & Cn. Cornelio Scipione conſulibus; Ὁ μὲν οὖν, inquit, πρὸς τοὺς Κελτοὺς πόλεμος τοιοῦτον ἔσχε τὸ τέλος. * Περὶ τούτων ἡμεῖς συνθεωρήσαντες μετ' ὀλίγον χρόνον αὐτοὺς ἐκ τῶν περὶ τὸν Πάδον πεδίων ἐξωσθέντας, πλὴν ὀλίγων τόπων τῶν ὑπ' αὐτὰς τὰς Ἄλπεις κειμένων, οὐκ ᾠήθημεν δεῖν οὔτε τὴν ἐξ ἀρχῆς ἔφοδον ἀμνημόνευτον παραλιπεῖν, οὔτε τὰς μετὰ ταῦτα πράξεις, οὔτε τὴν τελευταίαν ἐξανάστασιν. Id eſt: *Hunc igitur exitum id bellum habuit, quod cum Gallis geſtum eſt.* Mox: *Nos gnari, non multo pòſt fuiſſe eos ex Circumpadanis campis universos expulſos, paucis locis exceptis, quæ ipſis ſubjacent Alpibus; duximus faciendum, ut, quomodò primùm in Italiam venerint; quas poſteà res ibi geſſerint; ac tandem quomodò illo tractu penitus exciderint; ſilentio non prætermitteremus.* Vltimum cum Boiis bellum legitur apud Livium lib. XXXVI, in conſulatu M'. Acilii Glabrionis & P. Cornelii Scipionis Naſicæ; annis XXVIIII pòſt proximè dictum conſulatum. Verba Livii hæc ſunt: *P. Cornelius conſul cum Boiorum exercitu ſignis collatis egregiè pugnavit. Duodetriginta millia hoſtium cæſa, Antias Valerius ſcribit; capta tria millia & quadringentos; ſigna militaria* CXXIIII; *equos* CIƆCCXXX; *carpenta* CCXLVII. Mox: *P. Cornelius conſul obſidibus à Boiorum gente acceptis, agri parte ferè dimidiâ eos mulctavit: quò, ſi vellet populus Romanus, colonias mittere poſſet.* Et deinde ex oratione Scipionis in

ſenatu:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

ſenatu: *Se de Gallis Boiis poſtulare triumphum, quos acie vicerit, caſtris exuerit; quorum gentem biduo poſt pugnam totam acceperit in deditionem; à quibus obſides abduxerit, pacis futuræ pignus. Verùm enimverò illud multo maius eſſe, quòd tantum numerum Gallorum ceciderit acie; quòd cum tot millibus certè Boiorum nemo ante ſe imperator pugnaverit. plus partem dimidiam ex* L *millibus hominum cæſam: multa millia capta: ſenes puerosque Boiis ſupereſſe.* Atque iterum: *P. Cornelius conſul triumphavit de Boiis. In eo triumpho Gallicis carpentis arma ſignaque & ſpolia omnis generis transvexit; & vaſa ænea Gallica: & cum captivis nobilibus equorum quoque captorum gregem traduxit: aureos torqueis tranſtulit* CIƆCCCCLXX. *ad hæc auri pondo* CCXLV: *argenti infecti factique in Gallicis vaſis, non infabrè ſuo more factis, duo millia* CCCXL *pondo: bigatorum nummorum* CCXXXIIII. Ait heic equidem Livius, *agri parte ferè dimidiâ mulctatos* fuiſſe *Boios*. at poſteà lib. XXXVII *Bononiam*, libro verò XXXVIIII *Mutinam* atque *Parmam* in agro de Boiis capto *deductas colonias* narrat: & hoc etiam libro *M. Aemilium viam ab Placentiâ Ariminum perduxiſſe*. Hæc igitur ultima eſt mentio Boiorum; quos Polybius atque Strabo tandem Italiâ ejectos tradunt. Regio eorum BOIICVS adpellabatur AGER; teſte Feſto Pompeio. *Boiicus*, inquit, *ager dicitur, qui fuit Boiorum Gallorum. is autem eſt in Galliâ citra Alpeis, quæ Togata dicitur.* Fines eius fuerunt; nullo jam diſcrimine inter Boios Lingonesque poſito; ab occaſu Tarus amnis; quà Anamanos conterminos habuêre. ab ſeptemtrionibus, quà Cenomanis Venetisque jungebantur, Padus fluvius; &, ubi is in plura capita ſcinditur, citimus eius alveus. quamquàm ab initio adventus omnia etiam Padi oſtia & terras urbeisque inter ea ſitas, pulſis inde Hatrianis Tuſcis Spinenſibusque Græcis, tenuerint; ut ſuprà, cap. XVII & XVIII, in Venetiæ deſcriptione oſtenſum. Ab ortu terminus primùm fuit inter Boios & Senones Vteis fluvius, teſte Livio ſuprà dicto lib. V; quem nunc apud Ravennam vulgò dici *Montone*, infrà docebo. at poſtquàm Senones à Romanis deleti fuêre; terminum tunc Romani inter ſe atque Boios, ſive inter Italiæ nomen & Galliam Ciſalpinam, conſtituerunt Rubiconem amnem; ut ſuprà dictum. Ab auſtro Apennini jugis ſubmovebantur iidem Boii à Ligurum gente; quæ tum ad Arnum usque flumen incolebat; ut ſuprà in eius deſcriptione monſtratum. Horum igitur finium urbeis, opida, caſtella & alia loca nunc deinceps explicabo.

Vrbium prima poſt Tarum amnem ſeſe offert PARMA, Ciceroni, Livio, Straboni, Columellæ, Plinio, Martiali, Ptolemæo, Itinerariis Romanis, Marcellino, Stephano, & aliis memorata. Nomen antiquum hodiè retinet, unà cum flumine, cui impoſita. Opidani inde dicuntur Ciceroni in Philippicâ XIIII, Plinio lib. XXXI cap. II, & Martiali lib. IIII epigr. XXXVII, PARMENSES. at Stephano ſunt, inuſitato Romanis, ut arbitror, vocabulo, PARMANI. Πάρμη, inquit, πόλις Ἰταλίας. τὸ ἐθνικὸν, Παρμαῖος, ἢ Παρμανός. Id eſt: *Parma, opidum Italiæ. gentilitium inde Parmæus, ſive Parmanus.* Illa Græca, hæc Romana erat formatio. De ipſo opido ſic Strabo lib. V: Πόλεις δ' εἰσὶν ἐντὸς τοῦ Πάδου καὶ περὶ τὸν Πάδον ἐπιφανεῖς, Πλακεντία μὲν καὶ Κρεμὼν, πλησιαίταται κατὰ μέσην που τὴν χώραν· μεταξὺ δὲ τούτων τε καὶ Ἀριμίνου, Πάρμα καὶ Μουτίνη καὶ Βονωνία. Id eſt: *Vrbes cis Padum & apud Padum illuſtres ſunt Placentia & Cremona, proximæ, mediâ fermè regione: inter has verò & Ariminum, Parma & Mutina ac Bononia.* Ptolemæus: Ἡ δὲ Γαλλία ἡ Τογάτα ἔχει πόλεις τάσδε· Πλακεντία, Φιδεντία, Βρίξελλον, Πάρμα κολώνια. Id eſt: *In Galliâ Togatâ urbes ſunt hæ; Placentia, Fidentia, Brixellum, Parma colonia.* Plinius lib. III cap. XV: *Intus coloniæ, Bononia, Brixillum, Mutina, Parma, Placentia. opida Cæſena, Claterna.* Quando *colonia* huc ſit deducta, oſtendit Livius lib. XXXVIIII. *Eodem*, inquit, *anno Mutina & Parma coloniæ Romanorum civium ſunt deductæ: bina millia hominum, in agro, qui proximè Boiorum, antè Tuſcorum fuerat, octona jugera Parmæ, quina Mutinæ acceperunt.* Annus is fuit urbis Romæ IƆLXVIIII; ante natum Ieſum CLXXXIIII: quo anno conſules fuêre M. Claudius Marcellus & Q. Fabius Labeo. Longo tempore pòſt, quum ſub Auguſto imperatore novos colonos acciperet, cognomenta ei tum addita, quæ antiquus lapis refert hoc modo: COL · IVL · AVG. PARMA · id eſt; *Colonia Iulia Auguſta Parma.*

PARMA *colonia.*

Porrò iter à Parmâ per Aemiliam viam ad Mutinam usque in Itinerariis antiquis notatur huiusmodi:

Hiero-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Hieroſolymitano:		Tabulæ:		Antonini:		Antonini:	
Parmæ		*Parma*		*Parma*		*Parma civitas*	
Canneto	VIII.	*Tannetum*	II.	*Tannetum*	VIII.	│	
Regio	X.	*Lepido Regio*	XI.	*Regio*	X.	*Regio civitas*	XVIII.
Ponteſecies	VIII.	│		│		│	
Mutena	V.	*Mutina*	XVIII.	*Mutina*	XVIII.	*Mutina civitas*	XVII.

TANNETVM opidum.

Ex his TANNETVM, Polybio prætereà, Livio, Phlegonti Tralliano ac Ptolemæo memoratum opidum, vulgò etiamnum dicitur *Tanéto*, & *Tanédo*, VIII millia paſſuum à Parmâ diſtans. Opidani inde ſunt Plinio lib. III cap. XV, & Phlegonti Tralliano in libro de Longævis, Ταννητανοὶ, TANNETANI. Quamquàm apud Plinium id vocabuli unico *n* in plerisque exemplaribus legitur *Tanetani*: ut apud Ptolemæum ipſius opidi nomen Τάνητον· & corruptiùs in quibusdam exemplaribus Τάνιτον. Sed vulgaris hic jam olim fuit mos Græcorum, uti in vocabulis à Romanis acceptis geminatas liquidas, vel etiam alias conſonanteis in ſimplicem redigerent: quod jam anteà, cap. X, ad opidi *Pollentiæ* nominis explicationem monui. Cæterò apud Polybium lib. III imperitus geographiæ grammaticus quidam exſcriptor pro τὴν Τάνητον κώμην id eſt, *Tanetum vicum*, ſcripſit, τοῦ Τάνητος κώμην. quod interpretes Latini verterunt *Tanetis vicum*. At iidem interpretes verſioni Latinæ per παρένθεσιν inſeruerunt, *aliis Canetum dici*. quod ſanè per ſummum errorem ab iis factum; quum non diſpexiſſent, vitioſum hoc eſſe vocabulum apud Livium lib. XXI *Cannetum*: pro quo Polybius dicto loco in eâdem hiſtoriâ habet Τάνητον· & ipſe Livius lib. XXX *Tannetum*; ſeu, ut pleraque habent exemplaria, *Tanetum*. Verùm iſtud mendoſum *Cannetum* Livio ſimul & ſuprà ſcripto Itinerario Hieroſolymitano ex eo errore imperiti quidam grammatici intulerunt, quòd eum eſſe locum credebant, qui eodem terrarum tractu, trans Padum, inter Cremonam Mantuamque, ad Ollii Cluſiique amnium confluenteis, vulgò nunc dicitur *Caneto caſtello*: quod ego antiquum *Bedriacum opidulum* eſſe, ſuprà in Cenomanis docui. Sed ipſos audiamus auctores Polybium Liviumque. Ille dicto lib. III, poſtquàm de Placentiâ atque Cremonâ coloniis nuper deductis narravit, ita pergit:

Ἤδη δὲ τούτων συνῳκισμένων, οἱ Βοῖοι καλούμενοι Γαλάται, πάλαι μὲν οἷον λοχῶντες τὴν πρὸς Ῥωμαίους φιλίαν, οὐκ ἔχοντες δὲ τότε καιρὸν, μετεωριζόμενοι καὶ πιστεύοντες ἐκ τῶν διαπεμπομένων τῇ παρουσίᾳ τῶν Καρχηδονίων, ἀπέστησαν ἀπὸ Ῥωμαίων, ἐγκαταλιπόντες τοὺς ὁμήρους, οὓς ἔδοσαν ἐκβαίνοντες ἐκ τοῦ πολέμου τοῦ προγεγονότος· παρακαλέσαντες δὲ τοὺς Ἴσομβρους, καὶ συμφρονήσαντες κατὰ τὴν προγεγενημένην χώραν ὑπὸ Ῥωμαίων· καὶ τοὺς φεύγοντας συνδιώξαντες εἰς Μοτίνην, ἀποικίαν ὑπάρχουσαν Ῥωμαίων, ἐπολιόρκουν. ἐν οἷς καὶ τρεῖς ἄνδρες τῶν ἐπιφανῶν συνέκλεισαν, τοὺς ἐπὶ τὴν διαίρεσιν τῆς χώρας ἀπεσταλμένους· ὧν εἷς μὲν ἦν Γάϊος Λυτάτιος, καὶ τὴν ὕπατον ἀρχὴν εἰληφώς· οἱ δὲ δύο τὴν ἐξαπέλεκυν. οἰομένων δὲ δεῖν τούτων εἰς λόγους σφίσι συνελθεῖν, ὑπήκουσαν οἱ Βοῖοι· τῶν δ᾽ ἀνδρῶν ἐξελθόντων, παρασπονδήσαντες, συνέλαβον αὐτοὺς, ἐλπίσαντες διὰ τούτων κομιεῖσθαι τοὺς αὐτῶν ὁμήρους. Λεύκιος δὲ Μάλιος, ἐξαπέλεκυς ὑπάρχων, καὶ προκαθήμενος ἐπὶ τῶν τόπων μετὰ δυνάμεως, ἀκούσας τὸ γεγονὸς, ἐβοήθει κατὰ σπουδήν. Οἱ δὲ Βοῖοι, συνέντες αὐτοῦ τὴν παρουσίαν, ἔν τισι δρυμοῖς ἑτοιμάσαντες ἐνέδρας, ἅμα τῷ παρελθεῖν αὐτοὺς εἰς τοὺς ὑλώδεις τόπους, πανταχόθεν ἅμα προσπεσόντες, πολλοὺς ἀπέκτειναν τῶν Ῥωμαίων· οἱ δὲ λοιποὶ τὰς μὲν ἀρχὰς ὥρμησαν πρὸς φυγήν· ἐπεὶ δὲ τῶν ὑψηλῶν ἥψαντο χωρίων, ἐπὶ ποσὸν συνέστησαν κατακολουθήσαντες, συνέκλεισαν καὶ τούτους εἰς τὴν Τάνητον καλουμένην κώμην.

Hoc eſt: *Vix erant coloniæ iſtæ deductæ, quum Boii Galli, pridem amicitiæ Romanorum inſidiantes; ſed hactenus occaſione deſtituti; tum verò elati animis; quòd ex crebrorum nunciorum relatione, adventare Pœnos, ſibi perſvaſiſſent: proditis obſidibus, quos in exitu ſuperioris belli Romanis dederant, ab illis deficiunt. Dein Inſubribus ſolicitatis; qui ob veteres in populum Romanum iras facilè cum ipſis conſpirarunt; agros recèns diviſos populari adgrediuntur. quumque Mutinam, Romanorum coloniam, ſe recepiſſent, quos expulerant; eos perſequuntur; atque ibi obſident. triumviros etiam ad metationem agrorum miſſos, viros inſigneis eódem concludunt. horum unus, C. Lutatius, conſularis erat; duo prætorii. quibus colloquium poſtulantibus, adnuunt Boii. dein egreſſos violatâ fide, quam dederant, comprehendunt; nihil dubitantes, quin obſides ſuos eſſent per iſtos recepturi. Quum hæc nunciata eſſent; L. Manlius prætor; qui illis locis cum exercitu præſidebat; ad ferendam opem*

opem magno ſtudio contendit. Boii, adventu Manlii intellecto; paratis in quodam ſaltu inſidiis, ſimul ac Romani ſilvas intraverant, undique facto impetu, pleroſque eorum occiderunt. cæteri in fugam principio ſe convertêre: dein celſiora loca nacti; in tantum hoſti, etſi ægrè id quidem, reſtiterunt, ut, repreſſâ fugâ, honeſtiùs ad ſuos ſe reciperent. Boii hos quoque perſequuti, in Tanetum vicum eos concluſerunt. Hactenus igitur Polybius. De eâdem re ita Livius lib. XXI: *Cornelio conſuli minus copiarum datum; quia L. Manlius prætor & ipſe cum haud invalido præſidio in Galliam mittebatur.* Et poſteà: *In Italiam interim nihil ultrà, quàm Iberum transiſſe Hannibalem, à Maſſilienſium legatis Romam perlatum erat; quum, perinde ac ſi Alpeis jam transiſſet, Boii, ſolicitatis Inſubribus, defecerunt: nec tam ob veteres in populum Romanum iras; quàm quòd nuper circa Padum Placentiam Cremonamque colonias in agrum Gallicum deductas ægrè patiebantur. Itaque armis repentè arreptis, in eum ipſum agrum impetu facto, tantum terroris ac tumultus fecerunt, ut non agreſtis modò multitudo, ſed ipſi triumviri Romani, qui ad agrum venerant adſignandum, diffiſi Placentiæ mœnibus, Mutinam confugerint, C. Luctatius, A. Servilius, T. Annius. Mutinæ quum obſiderentur; & gens, ad oppugnandarum urbium arteis rudis, pigerrima eadem ad militaria opera, ſegnis intactis adſideret muris; ſimulari cæptum de pace agi. evocatique ab Gallorum principibus legati ad colloquium, non contra jus modò gentium, ſed violatâ etiam, quæ data in id tempus erat, fide, comprehenduntur: negantibus Gallis, niſi obſides ſibi redderentur, eos ſe dimiſſuros. Quum hæc de legatis nunciata eſſent; & Mutina præſidiumque in periculo eſſet; L. Manlius prætor, irâ accenſus, effuſum agmen ad Mutinam ducit. Silvæ tunc circa viam erant; pleriſque locis incultis. ibi, inexplorato profectus, in inſidias præcipitatus; multâque cum cæde ſuorum ægrè in apertos campos emerſit. ibi caſtra communita: &, quia Gallis ad tentanda ea defuit ſpes, refecti ſunt militum animi; quamquàm acciſas res ſatis conſtabat. Iter deinde de integro cæptum. necdum per patentia loca ducebatur agmen, quum adparuit hoſtis. Vbi rurſus ſilvæ intratæ; tum poſtremos adorti, cum magnâ trepidatione ac pavore omnium, octingentos milites occiderunt; ſex ſigna ademêre. Finis inde & Gallis territandi & pavendi Romanis fuit, ut ex ſaltu invio atque impedito evasêre. Inde apertis locis facilè tutantes agmen Romani, Tannetum vicum, propinquum Pado, contendêre. ibi ſe munimento ad tempus commeatibusque fluminis & Brixianorum Gallorum auxilio adversùs creſcentem indies multitudinem hoſtium tutabantur.* In vulgatis exemplaribus, uti dixi, eſt *Cannetum*. at Sigonius teſtatur, in veteri manu ſcripto fuiſſe *Tannetum*; ut & lib. XXX legitur: ubi ita ſcriptum eſt: *Conſul C. Servilius, nullâ memorabili re in provinciâ Etruriâ & Galliâ (nam eò quaqueproceſſerat) geſtâ, patre C. Servilio & C. Luctatio patruo ex ſervitute poſt decimum ſextum annum receptis, qui ad vicum Tannetum à Boiis capti fuerant; hinc patre, hinc patruo, latera circumdantibus, privato magis quàm publico decore inſignis, Romam rediit.* Circa Mutinam captos fuiſſe; non trans Padum, ubi nunc caſtellum eſt Cannetum, diſertè lib. XXVI teſtatur his verbis: *Aediles curules fuêre L. Cornelius Caudinus & Ser. Sulpicius Galba: plebeii, C. Servilius & Q. Cæcilius Metellus. Servilium negabant jure aut tribunum plebis fuiſſe, aut ædilem eſſe: quòd patrem eius, quem triumvirum agrarium occiſum à Boiis circa Mutinam eſſe, opinio per X annos fuerat, vivere atque in hoſtium poteſtate eſſe, ſatis conſtabat.* Antiquiſſima igitur *Tanneti* memoria eſt apud Polybium dicto lib. III & apud Livium lib. XXI, in conſulatu P. Cornelii Scipionis & Ti. Sempronii Longi; anno urbis Romæ ɪↄXXXV; ante natum Ieſum Chriſtum anno CCXVIII: quum vicus etiamdum eſſet. opidum poſteà temporis evaſiſſe, patet ex Plinio atque Ptolemæo: quibus vicos in Italiâ referre, minimè uſitatum. ſed idem maximè ex Phlegonte Tralliano liquet: apud quem in dicto libro de Longævis ita ſcriptum: Μάρκος Πομπώνιος Σεβῆρος, Μάρκου ὑιὸς, πόλεως Ταννητίνης, ἔτη ἑκατὸν πέντε. Id eſt: *Marcus Pomponius Severus, M. F. ex opido Tannetano, annos* CV. De cætero SILVAE iſtæ ſive SALTVS, quos *circa viam tunc fuiſſe* tradit Livius cum Polybio, haud dubiè inter Padum & Parmam fuêre. quidpe quadriennio antè à M. Claudio Marcello conſule captum fuerat Inſubrium trans Padum caput Mediolanum: cui tunc haud dubiè præſidium Romanorum militum impoſitum; ſedesque ea facta eſt *prætoris Romani*: ut Mutinæ quoque, quæ Boiorum fuit poſt Bononiam præcipua, alterum erat præſidium locatum. A Mediolano igitur per Cremonam profectus L. Manlius prætor, circa locum Parmæ, quæ nulla dùm erat, in Boiorum inſidias bis incidit, antequàm Tannetum pervênit.

Porrò

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Porrò eâdem viâ Aemiliâ, in præſcripto itinere, proximum à Tanneto ſequitur opidum REGIVM, cognomento LEPIDVM; quia antè erat FORVM LEPIDI. unde etiam Ciceroni dicitur REGIVM LEPIDI. Vulgò nunc incolis vocatur *Rezo*; & aliis Italis, qui politiori utuntur dialecto, *Reggio*; clarum nunc etiam atque celebre opidum. Antiqui eius meminêre, præter Ciceronem, M. Brutus, Strabo, Plinius, Tacitus, Ptolemæus, Itineraria ſuprà ſcripta, Feſtus, Oroſius, & alii. Ex his Feſtus; *Rhegium*, inquit, *ſignificare oportere, ait Verrius, id municipium, quod in freto Siciliæ eſt: quoniam id dictum eſt à rumpendo; quod eſt Græcè* ῥαγῆναι. *eò quidem magis; quia in Galliâ Ciſalpinâ, ubi Forum Lepidi fuerat, Regium vocatur*. Diſcrimen voluit eſſe debere Verrius in orthographiâ. illud opidum ad fretum Siculum Græco modo ſcribendum eſſe cum adſpiratione *Rhegium*; quia Græcum eius eſt vocabulum. hoc verò in Galliâ Ciſalpinâ ſine ſpiritu *Regium*; quaſi à regiæ cuiusdam dignitatis argumento. Hinc apud Phlegontem Trallianum, in dicto libello de Longævis, ubi bis nominatur πόλις Βασίλεια, puto idem eſſe opidum, quod ibidem ſexies vocatur πόλις Ῥήγιον. nam quod Græcis βασίλειον, Latinis eſt *regium*. Et Ciſpadanæ Galliæ illic Phlegontem recenſere exempla, patet ex reliquarum urbium, quas refert, nominibus. tum titulum ei libello præfixit huiusmodi: Οἱ ἑκατὸν ἔτη ζήσαντες Ἰταλοί· ὡς ἐξ αὐτῶν τῶν ἀποτιμήσεων ἀναζητήσαντες οὐ παρέργως ἐμάθομεν. id eſt: *Itali, qui centum annos vixerunt: quos ex ipſis cenſuum commentariis conquiſitos non obiter obſervavimus*. Apud Plinium verò lib. VII cap. XLVIIII ita ſcriptum eſt: *Accedunt experimenta & exempla recentiſſimi cenſus, quem intra quadriennium imperatores Cæſares Veſpaſiani, pater filiusque, cenſores egerunt. Nec ſunt omnia varia excutienda. mediæ tantùm partis inter Apenninum Padumque ponemus exempla*. Et mox, poſt aliquot exempla: *Ac ne pluribus moremur in re confeſſâ; in regione Italiæ octavâ centenûm annorum cenſi ſunt homines* LIIII: & cætera, quæ ſequuntur. Regionem autem octavam complexam eſſe Galliam Ciſpadanam, patet ex lib. III cap. XV. Peccarunt igitur exſcriptores, qui apud ſuprà dictos auctores vocabulum id ſcripſerunt cum adſpiratione *Rhegium*. Sed hi haud dubiè hoc quoque, ut pleraque alia, ex Ptolemæi ſcripturâ ſumpsêre. Cæterùm promiſcuè id uſurparunt veteres, vel ſimpliciter *Regium*; vel cum cognomine *Regium Lepidum*. Itineraria, quæ id ſimpliciter habent, ſuprà produximus: Phlegontem etiam modò citavimus. Apud Ciceronem, Familiarium lib. XI epiſtolâ VIIII, ita ſcribit Ciceroni M. Brutus: *Si non Alpeis trajecerit, conſtitui præſidium in Alpibus collocare. Vale. Quarto Kalendas Maias; ex caſtris Regii*. Hinc Livii breviator lib. XC: *M. Brutus, qui Ciſalpinam Galliam tenebat, à Cnæo Pompeio occiſus eſt*. Et item Oroſius lib. V cap. XXII, & ab hoc ſua mutuati Paullus Diaconus Hiſtoriæ miſcellæ lib. V, ac Freculfus tomo primo lib. VI cap. XIII: *Brutus in Ciſalpinam Galliam fugiens, perſequente Pompeio, apud Regium interfectus eſt*. Strabo lib. V: πόλεις δ' εἰσὶν ἐντὸς τοῦ Πάδου καὶ περὶ τὸν Πάδον ἐπιφανεῖς Πλακεντία μὲν καὶ Κρεμών· μεταξὺ δὲ τούτων τε καὶ Ἀριμίνου, Πάρμα καὶ Μουτίνη καὶ Βονωνία, καὶ μικρὰ πολίσματα ἀνὰ μέσον τούτων, δι' ὧν ἡ εἰς Ῥώμην ὁδὸς φέρει, Ῥήγιον Λέπιδον, Μακροὶ Κάμποι, Κλάτερνα, Φόρον Κορνήλιον. Hoc eſt: *Vrbes cis Padum & ad Padum illuſtriores ſunt Placentia atque Cremona. inter hæc verò & Ariminum, Parma, Mutina, & Bononia: tum alia opidula minora in medio iſtarum, per quæ via fert Romam, Regium Lepidum, Macri Campi, Claterna, Forum Cornelium*. Ammianus Marcellinus lib. XXXI: *Taifalos omneis, circa Mutinam Regiumque & Parmam rura culturos, exterminavit*. Cicero Familiar. lib. XII epiſt. V: *Præter Bononiam, Regium Lepidi, Parmam, totam Galliam tenebamus*. Tacitus Hiſtoriar. lib. II: *Die, quo Bedriaci certabatur, avem inuſitatâ ſpecie apud Regium Lepidum celebri loco conſediſſe, incolæ memorant*. Apud Ptolemæum in pleriſque exemplaribus ita legitur: Πλακεντία, Φιδεντία, Βρίξελλον, Πάρμα, Ῥήγιον Λέπιδον κολώνια, Νουκερία, Τάνητον. Id eſt: *Placentia, Fidentia, Brixellum, Parma, Regium Lepidum colonia, Nuceria, Tanetum*. At Strabo id inter μικρὰ πολίσματα connumerat; id eſt, inter *parva opida*. &, qui Ptolemæo haud ita multo fuit antiquior, Plutarchus in Pompeio ita ſcribit: Ὁ δὲ Βροῦτος ἐνεχείρησε τῷ Πομπηΐῳ τὸ σῶμα. καὶ λαβὼν ἱππεῖς προπομποὺς, ἀνεχώρησεν εἰς πολίχνιόν τι τῶν περὶ τὸν Πάδον· ὅπου μεθ' ἡμέραν μίαν ἐπιπέμψαντος αὐτῷ τοῦ Πομπηΐου Γεμίνιον, ἀνῃρέθη. Hoc eſt: *Brutus vitam ſuam in Pompeii permiſit fidem. acceptisque equitibus, qui ſe proſequerentur, in opidulum quoddam Galliæ Circumpadanæ receſſit. ubi poſtero die, immiſſo per Pompeium Geminio,*

FORVM LEPIDI: *quod poſteà* REGIVM LEPIDVM, *opidum*.

Geminio, interfectus eſt. Quapropter rectiùs apud Ptolemæum Vaticanorum exemplarium unum habet, Πάρμα κολώνια, Ῥήγιον Λέπιδον, Νουκερία. id eſt: *Parma colonia, Regium Lepidum, Nuceria*. Poſterioribus tamen temporibus adeò crevit, uti dignitate ac titulo *civitatis* Parmæ atque Mutinæ & reliquis hinc præcipuis urbibus æquaretur; ut ex Antonini itinerario videre eſt. Opidani inde dicuntur Ciceroni & antiquæ inſcriptioni, quæ heic exſtat, REGIENSES: Plinio autem cum cognomento REGIENSES A LEPIDO. Cicero Familiar. lib. XIII epiſt. VIIII: *Loquutus ſum tecum de agro vectigali municipii Atellani, qui eſt in Galliâ*. Mox: *Mihi dictum eſt, hoc idem à te Regienſeis impetraviſſe*. Plinius lib. III cap. XV: *Faventini, Fidentini, Oteſini, Padinates, Regienſes à Lepido, Solonates*. Originem opidi quod attinet: credo id à M. Aemilio Lepido primùm exſtructum fuiſſe, nomine FORVM LEPIDI, quum is anno urbis Romæ IↃLXV, ante natum Ieſum anno CLXXXVIII, cum C. Flaminio Nepote conſulatum gereret; viamque Aemiliam à Placentiâ ad Ariminum perduxit; ut auctor eſt Livius, lib. XXXVIIII. ſic quidpe & *Fora Appii, Aurelii, Claudii, Caſſii, Flaminii*, conſtructa fuêre ab Appio, Aurelio, Claudio, Caſſio, Flaminio, in viis Appiâ, Aureliâ, Claudiâ, Caſſiâ, Flaminiâ. Quando aut qua occaſione cognomen REGIVM acceperit, planè incertum eſt.

Sequitur tandem in præſcripto viæ Aemiliæ itinere MVTINA urbs; vulgò nunc *Módona* & *Módena* vocitata. Memoratur Polybio, Ciceroni, Livio, Paterculo, Straboni, Melæ, Columellæ, Plinio, Silio, Lucano, Martiali, Tacito, Svetonio, Plutarcho, Floro, Appiano, Ptolemæo, Dioni, & ſuprà ſcriptis Itinerariis. Scribitur Ptolemæo Latinâ formatione, ut pleraque alia per provincias Romanas, Μούτινα· cæteris verò Græcis omnibus Μούτινη, excepto uno Polybio, apud quem fortè rectiùs eſt in primâ ſyllabâ ſimplex vocalis Μοτίνη· quidpe brevem eam ſyllabam fuiſſe habitam, patet ex poëtis. Martialis lib. III epigram. LVIII: MVTINA colonia.

Sutor, credo, dedit tibi, culta Bononia, munus.
Fullo dedit Mutinæ. nunc ubi caupo dabit?

Sil. lib. VIII: *Certavit Mutinæ quaſſata Placentia bello.*

Lucanus lib. I:

His, Cæſar, Peruſina fames Mutinæque labores
Accedant fatis.

Opidani inde dicuntur Plinio lib. II cap. LXXXIII, XCV, & CVII, Tacito Hiſtoriar. lib. II, Epitomatori Livii lib. CXVIIII, MVTINENSES. *Coloniam* fuiſſe Romanorum, complures teſtantur auctores. Cicero in Philippicâ V: *Circumſedit Mutinam, firmiſſimam & ſplendidiſſimam populi Romani coloniam*. Mela lib. II cap. IIII: *Mutina & Bononia, coloniæ Romanorum*. Plinius lib. III cap. XV: *Intus coloniæ, Bononia, Brixellum, Mutina, Parma, Placentia*. Quo anno deducta fuerit Mutina, Livius oſtendere voluit lib. XXXVIIII. *Eodem*, inquit, *anno Mutina & Parma coloniæ Romanorum civium ſunt deductæ. Bina millia hominum in agro, qui proximè Boiorum, antè Tuſcorum fuerat, octona jugera Parmæ, quina Mutinæ acceperunt*. Nempe annus is erat urbis Romæ IↃLXVIIII; ante natum Chriſtum CLXXXIIII. quo anno conſules fuêre Q. Fabius Labeo & M. Claudius Marcellus. At è diverſo Polybius lib. III jam inde in P. Cornelii Scipionis & Ti. Sempronii Longi conſulatu, id eſt, annis XXXIIII antè, ἀποικίαν Ῥωμαίων, id eſt, *coloniam Romanorum*, eam fuiſſe teſtatur: & ipſe item Livius in Romanorum tum fuiſſe eam poteſtate adfirmat: ut ſuprà ad Tannetum intelleximus. Ac ſanè Polybius, qui his temporibus vixit, minùs hoc ignoraſſe debuit, quàm Livius eâ ætate longè poſterior. Quapropter quòd apud eumdem Livium lib. XXXVII, C. Lælius Nepos conſul, qui anno urbis Romæ IↃLXII collegam habuit L. Cornelium Scipionem Aſiaticum, *retulit, & auctore eo patres cenſuerunt, ut novæ coloniæ duæ in agrum, qui Boiorum fuiſſet, deducerentur*; id de *Bononiâ* atque *Parmâ* intelligendum eſt. quarum illa proximo mox anno deducta eſt; teſte Livio eodem lib. XXXVII poſteà: hæc verò poſt VI demum annos, ſuprà dictis conſulibus Q. Fabio & M. Marcello. At nobilitata poſthinc maximè fuit Mutina civilibus inter Cæſarem Auguſtum & M. Antonium bellis: quum illic D. Brutum Antonius obſideret; Auguſtus verò cum Hirtio ac Panſâ conſulibus eâ obſidione Brutum liberaret. qua de re legantur auctores, Breviator Livii lib. CXVIII & CXVIIII, Cicero in Philippicis, Velleius lib. II, Plutarchus in Cicerone & Antonio, Svetonius in Auguſto, Florus lib. IIII cap. IIII, Appianus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Civil. bellor. lib. III, Dio lib. XLVI. Appianus in eâ hiſtoriâ Mutinam adpellat *πόλιν ἐυδαίμονα*, id eſt, *urbem opulentam*. Ius *municipii* habuiſſe, ex Tacito etiam intelligitur: cui dicto Hiſtoriar. lib. II *Ordo* memoratur *Mutinenſis*.

Mutinenſis Bononienſisque agri miranda quædam.

Haud alienum fuerit mirum Mutinenſis agri portentum hoc loco inſerere, quod Plinius lib. II cap. LXXXIII refert: quo ipſa natura ſoli noſcatur. *Factum eſt*, inquit, *ingens terrarum portentum, L. Marcio, Sex. Iulio conſulibus in agro Mutinenſi. namque montes duo inter ſe concurrerunt, crepitu maximo adſultantes recedenteſque; inter eos flammâ fumoque in cœlum exeunte interdiu; ſpectante è viâ Aemiliâ magnâ equitum Romanorum familiarumque & viatorum multitudine. Eo concurſu villæ omnes eliſæ, animalia permulta, quæ intrà fuerant, exanimata ſunt; anno ante ſociale bellum. quod, haud ſcio, an funeſtius ipſi terræ Italiæ fuerit, quàm civilia.* Et cap. CVII: *In Nymphæo exit è petrâ flamma, quæ pluviis accenditur. exit & ad aquas Scantias. exit in Mutinenſi agro, ſtatis Vulcano diebus. Reperitur apud auctores, ſubjectis Ariciæ arvis, ſi carbo decideret, ardere terram.* Ex his *aquæ Scantiæ* & *Aricia* opidum ultra Romam in Latio fuêre; *Nymphæum* in Macedoniâ ad Hadriaticum mare. Supra Mutinam atque Bononiam, in radicibus Apennini montis, totus hodiéque inter Gabelli, qui nunc *Secchia* vocatur, & Idicis amnium fonteis tractus ignibus, aquis calidis, bitumine, & oleo, plurimis in locis ſcatet. Inter hæc clari maximè ſunt apud Rhenum Bononienſem calidi fontes, qui vulgò incolis dicuntur *Bagni della Porretta*. Apud Scultennam, ſive, ut nunc adpellatur, Panarum amnem puteus eſt, qui oleo petrino manat. ſed & totus hic tractus ad vicum uſque, cui vulgaris adpellatio *Monte Gibio*, ſive *Zibio*, XII circiter millia paſſuum à Mutinâ diſſitum, oleo luxuriat; nonnulliſque locis interdum ardet. Apud Montem Zibium aquæ, quæ è puteis cum bitumine manant, ardentibus circùm collibus aut nullæ prorſus aut admodùm tenues fluunt. Exſtitit ante LXXX circiter annos in hoc monte, qui totus cavernoſus eſt & bituminis plenus, ingens incendium. namque præcedentibus intra cavernas mugitibus ac terræ motibus toto hoc tractu frequentibus, tandem flamma repentino ſummi collis hiatu in cœlum emicuit; ignisque pluribus diebus arſit; donec, conſumptâ incendii materiâ, ejecti cinerum lapidumque ac terræ globi, alium juxtà confecêre collem; priore flammis prorſus abſumpto. Apertis poſteà temporis quibusdam fodinis pingviſſimis ſub *Monte Feſtino* opido; quum lychni imprudenter admoverentur, ſuccensâ repentè materiâ, operarios vis flammæ partim abſumpſit, partim horrendis modis extrà ſpecum proturbavit. Supra Bononiam XXVII circiter millia paſſuum, inter duo opidula, quorum alterum *Caſtiglione di gatti*, alterum *Vernio* dicitur, haud ita longè extra viam, quæ à Florentiâ Bononiam fert, nec procul vico *Pietra Mala*, in dictâ viâ poſito, vicus eſt vulgari vocabulo *Baragazza*. heic in collis ſummâ planitie fumus interdiu, nocte etiam ſcintillæ elambere cernuntur.

INSVLA *fluctuans.*

Cæterùm idem Plinius, eodem lib. II cap. XCV; *Quædam*, inquit, *inſulæ ſemper fluctuant: ſicut in agro Cæcubo; & Reatino, Mutinenſi, Statonienſi; in Vadimonis lacu.* INSVLA *fluctuans* in Mutinenſi agro hodiè nulla reperitur: ut nec in reliquis iſtis Plinio memoratis locis. at lacus tamen duo exſtant circa Panari fluminis fonteis: quorum alter *Lago Pratignano*, alter *Lago Scaffiolo* incolis vulgò dicitur. in utrohorum ea inſula fuerit, incertum eſt. Sed ad reliqua Boiici agri loca pergamus.

SALTVS GALLIANVS, & AQVINVM, *opida.*

Plinius lib. III cap. XV; quo octavam Italiæ regionem deſcribit, id eſt, Galliam Ciſpadanam; *Intus*, inquit, *coloniæ, Bononia, Brixellum, Mutina, Parma, Placentia. opida, Cæſena, Claterna, Forum Clodii, Livii, Popilii, Truentinorum, Cornelii, Licinii, Faventini, Fidentini, Oteſini, Padinates, Regienſes à Lepido, Solonates, Saltuſque Galliani, qui cognominantur Aquinates, Tanetani.* Alia exemplaria habent; *Solonates, Saltuſque Galliani cognominantur, Aquinates, Tanetani.* Alia rurſus; *Solonates, Saltes, qui Galliani cognominantur, Aquinates, Tannitani.* Sanè Plinius heic non ſaltus, id eſt ſilvas, ſed opidanos à variis opidis conquirit. quocirca vocem iſtam *Saltus* ex priore *Saltes*, hanc neſcio unde, detortam vitiatamque credo. quæ & ipſa adpellatio erat quorumdam opidanorum, qui cognominabantur *Galliani*. De cætero AQVINVM opidum, unde heic opidani AQVINATES, an id fuerit, quod in Mutinenſi agro infra prædictos lacus ab aquis calidis vulgò nunc vocatur *Acquario*, haud temerè dixerim; quando nullo alio niti heic datur argumento, niſi nominis ſimilitudine. Quamquàm

quàm in Pannoniâ etiam apud Danubium celeberrima quondam urbs ab fontibus calidis dicta fuit Romanis *Aquincum*: quæ nunc ſuprà Budam vetus Buda adpellatur cum aquis etiamnum calidis. Ab dicto opido Aquario ad x millia paſſuum, haud ita procul à ſuprà dicto Monte Zibio, vicus eſt, vulgari vocabulo *Saltino*. hoc, neſcio, nomen an ei manſerit ab antiquo aliquo opido, cui nomen SALTVS. unde opidani fortè dicti SALTVENSES; ſive SALTENSES. quod vocabulum poſteà corruptum in *Saltes*: quemadmodùm apud eumdem Plinium lib. III cap. V Etruriæ opidanorum nomen legitur *Statones*, pro eo quod erat *Statonenſes*, à *Statonâ* opido; ſive *Statonienſes* à *Statoniâ*. ut ſuo loco oſtendetur. At verò GALLIANI unde cognominati ſint prædicti *Saltenſes*, ſive ipſum opidum *Saltus Gallianus*; minimè diſpicio.

MVTILVM *caſtellum.*

Apud Livium lib. XXXI ita ſcriptum eſt: *Eodem ferè tempore P. Aelius conſul, in Galliâ, quum audiſſet, à Boiis ante ſuum adventum incurſiones in agros ſociorum factas; duabus legionibus tumultuariis, tumultus eius causâ ſcriptis, additisque ad eas quatuor cohortibus de exercitu ſuo; C. Appium, præfectum ſociûm, cum hac tumultuariâ manu per Vmbriam, quam tribum Sapiniam vocant, agrum Boiorum invadere juſſit. ipſe eodem aperto itinere per medios monteis duxit. Appius, ingreſſus hoſtium fineis, primò populationes ſatis proſperè ac tutò fecit. delecto deinde ad caſtrum Mutilum ſatis idoneo loco, ad demetenda frumenta profectus, neque explorato circà, nec ſtationibus ſatis firmis, quæ armatæ inermeis atque operi intentos tutarentur, poſitis, improviſo impetu Gallorum cum frumentatoribus eſt circumventus. inde pavor fugaque etiam armatos cepit. Ad* VII *millia hominum, palata per ſegetes, ſunt cæſa. inter quos ipſe C. Appius præfectus. Cæteri in caſtra metu compulſi. inde, ſine certo duce, conſenſu militari, proximâ nocte ad conſulem per ſaltus propè invios pervenêre. Qui, niſi quòd populatus eſt Boiorum fineis, & cum Ingaunis Liguribus fœdus icit; nihil, quod eſſet memorabile, aliud in provinciâ quum geſſiſſet, Romam rediit.* Et lib. XXXIII: *Marcellum, Boiorum ingreſſum fineis, fatigato per diem totum milite viâ faciendâ, caſtra in tumulo quodam ponentem, Corolamus, regulus Boiorum, cum magnâ manu adortus, ad tria millia hominum occîdit. caſtra tamen ab Romanis impigrè permunita retentaque; quum hoſtes à proſperâ pugnâ nequidquàm oppugnaſſent.* Mox: *Marcellus, Pado confeſtim trajecto, in agrum Comenſem ducit.* Exiguo pôſt: *Caſtra eo die Gallorum expugnata direptaque. & Comum opidum intra paucos dies captum. Sub hæc tam variâ fortunâ geſta, L. Furius Purpureo, alter conſul, per tribum Sapiniam in Boios venit. Iam caſtro Mutilo adpropinquabat, quum, veritus ne includeretur ſimul à Boiis Liguribusque, eâdem viâ, qua adduxerat, reduxit: & magno circuitu per aperta eóque tuta loca ad collegam pervênit. Dein junctis exercitibus, primùm Boiorum agrum, usque ad Felſinam opidum, populantes peragraverunt. ea urbs cæteraque caſtella, & Boii ferè omnes, præter juventutem, quæ prædandi causâ in armis erat (tunc in devias ſilvas receſſerat) in deditionem venerunt. In Ligures deinde traductus exercitus. Boii negligentiùs coactum agmen Romanorum, quia ipſi procul abeſſe viderentur, improvisò adgreſſuros ſe rati, per occultos ſaltus ſequuti ſunt. quos non adepti, Pado repentè navibus trajecto, Lævos Libicosque quum pervaſiſſent; redeuntes inde Ligurum extremo fine cum agreſti prædâ, in agmen incidunt Romanum.* MVTILVM hoc CASTRVM noſtri ſæculi Itali ſcriptores id interpretantur opidum, quod ſupra Faventiam apud Martianum amnem vulgò dicitur *Modigliana*, & *Modiana*. Verùm quomodò huc quadrent Ligurum, maximè verò Ingaunorum, tum Lævorum Libicorumque & Comenſium Gallorum fines, nondum video. *A Boiis*, ait Livius, *incurſiones in agros ſociorum* populi Romani *factas*. ii ſocii nulli alii eſſe potuerunt, quàm Anamani Galli, inter Boios Liguresque incolentes; ut ſuprà oſtenſum. Itaque lib. XXXI ipſe conſul P. Aelius ad hunc Boiici agri finem *aperto itinere* per Etruriam & Apuanos Ligures profectus; juxta Macram amnem per *medios monteis* Apenninos, quà frequens & olim fuit & nunc eſt tranſitus, per opida, quibus vulgaria vocabula, *Sarzana, Aula, Villa franca, Pontremoli, Berceto*, exercitum duxit; præfecto C. Appio per Vmbrorum Sapiniam tribum, quæ haud dubiè à Sapi flumine (nunc eſt *Savio* apud Sarſinam & Cæſenam) id cognominis habuit, in alterum Boiorum finem irrumpere juſſo. quod iter hodiéque frequentatur, ut olim; ab Aretio & Subiano opidis per fauceis Apennini ad Aquas calidas ferens, quæ, circa fontem Sapis ſitæ, vulgò dicuntur *Bagno di S. Maria*. Is igitur C. Appius ab hac parte tam propè ad conſulem acceſſit, ut milites eius, pugnæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

ſuperſtites, unâ nocte ad caſtra conſulis ex ſuis caſtris pervenerint. Quapropter prædictum *caſtrum Mutilum* nullum aliud fuerit, quàm quod, haud ita procul ab ſuprà dicto opido Aquario in occidentem versùs poſitum, vulgò etiamnunc vocatur *Médolo*, & *Médola*. Circa hoc poſteà lib. XXXIII L. Furius Purpureo conſul quum *vereretur, ne includeretur ſimul à Boiis Liguribusque*, proxima Apennini juga incolentibus; *eâdem viâ, qua adduxerat*, exercitum *reduxit: & magno circuitu per aperta eoque tuta loca*, id eſt, per Etruriam & Apuanos Ligures, quà antè P. Aelius conſul iverat, ad M. Claudium Marcellum collegam in Anamanorum agros pervênit. Inde, *junctis exercitibus, primùm Boiorum agrum usque ad Felſinam*, quæ poſtmodùm *Bononia* dicta eſt, *populantes peragraverunt; deinde in Ligures traduxerunt exercitus.*

ACRI CAM- regio & dum.

Porrò in viâ rurſum Aemiliâ, inter Regium & Mutinam Straboni dicto lib. V memoratur *opidum*, cui nomen à ſitu Μακροὶ κάμποι, MACRI CAMPI. Πόλεις, inquit, εἰσὶν ἐντὸς τοῦ Πάδου καὶ περὶ τὸν Πάδον ἐπιφανεῖς, Πλακεντία μὲν καὶ Κρεμών· μεταξὺ δὲ τούτων τε καὶ Ἀριμίνου, Πάρμα, καὶ Μουτίνη, καὶ Βονωνία· καὶ μικρὰ πολίσματα ἀνὰ μέσον τούτων, δι' ὧν ἡ εἰς Ῥώμην ὁδὸς φέρει, Ῥήγιον Λέπιδον, Μακροὶ κάμποι· ὅπου πανήγυρις συντελεῖται κατ' ἔτος, Κλάτερνα, Φόρον Κορνήλιον, Φαουεντία, καὶ Καισῆνα. Id eſt: *Vrbes cis Padum & ad Padum illuſtriores ſunt Placentia & Cremona. inter has autem & Ariminum, Parma, Mutina, Bononia. tum minora opida, in medio iſtarum, per quæ via fert Romam, Regium Lepidum, Macri campi; ubi ſolennis conventus quotannis agitatur: dein Claterna, Forum Cornelium, Faventia, & Cæſena.* Meminêre eorum etiam Varro, Livius, atque Columella. Varro de Re ruſticâ in præfatione libri II: *Tibi, Niger Turanni noſter, qui vehementer delectaris pecore; propterea, quòd te empturientem in Campos Macros ad mercatum adducunt crebrò pedes.* Columella, de Re ruſticâ lib. VII cap. II: *Nunc Gallicæ oves pretioſiores habentur: earumque præcipuæ Altinates: item, quæ circa Parmam & Mutinam Macris ſtabulantur campis.* Livius lib. XLV: *Profectus in Galliam, circa Macros campos ad monteis Siciminam & Papinum ſtativa habuit.* Ex Varrone atque Columellâ ſatis diſertè perſpicitur, totum illum tractum Parmam inter & Mutinam dictum fuiſſe *Macros campos*. Hinc etiam Martialis lib. II epigram. XLIII:

SICIMINA & PAPINVS montes.

Te Lacedæmonio velat toga lota Galeſo;
Vel quam ſepoſito de grege Parma dedit.

Et lib. IIII epigram. XXXVII:

Ex inſulis fundisque tricies ſoldûm,
Ex pecore redeunt ter ducena Parmenſi.

Lib. V epigram. XIII:

Magnaque Niliacæ ſervit tibi gleba Syenes:
Tondet & innumeros Gallica Parma greges.

Lib. XIIII epigram. CLV:

Velleribus primis Apulia, Parma ſecundis
Nobilis; Altinum tertia laudat ovis.

Verùm tamen certum aliquem in his campis fuiſſe locum, in opidi modum ædificiis conſtructum, mœnibusque cinctum, in quo πανήγυρις illa κατ' ἔτος agitata, ut teſtatur Strabo, *mercatus*que *crebri* habiti ſint; ex Livii etiam lib. XLI perſpicitur; ubi ſic ſcriptum eſt: *C. Claudius exercitum ad Mutinam, quam Ligures priore anno ceperant, admovit. Ante triduum, quàm oppugnari cæperat, receptam ex hoſtibus colonis reſtituit.* Et poſteà: *C. Claudius proconſul, auditâ rebellione Ligurum, præter eas copias, quas ſecum Parmæ habebat, ſubitariis collectis militibus, exercitum ad fineis Ligurum admovit.* Mox: *Quintus Petilius conſul, ne abſente ſe debellaretur, literas ad C. Claudium miſit, ut cum exercitu ad ſe in Galliam veniret. campis Macris ſe eum exſpectaturum. Literis acceptis, Claudius ex Liguribus caſtra movit: exercitumque ad campos Macros conſuli tradidit.* Non dixit, *in campis Macris ſe exſpectaturum: nec in campis Macris exercitum tradidit*: ſed *ad campos Macros*. qua loquutione certus locus deſignabatur Claudio, in quo Petilius eum exſpectaturus erat. Alioquin, ſi univerſum inter Parmam Mutinamque camporum tractum intellexiſſet; rectiùs ad alterutram harum urbium venire cum exercitu juſſus fuiſſet Claudius. Quo autem loco inter Rhegium Mutinamque id fuerit opidulum,

dulum, incertum eſt: niſi quis vocabuli levem ſimilitudinem, quæ eſt in vico *Marzaia*, ſectari velit. SICIMINA igitur quoque PAPINVSque MONTES circa hunc tractum alicubi fuêre inter proximas Alpium radices.

Porrò ab alterâ viæ Aemiliæ parte apud Padum conſpicitur BRIXELLVM *opidum*, Plinio, Tacito, Svetonio, Phlegonti Tralliano, Plutarcho, Ptolemæo, Antonino, Paullo Diacono, & aliis memoratum. Vulgo hodiè dicitur incolis *Breſſello*. Opidani inde ſunt antiquæ lapidis inſcriptioni BRIXELLANI. Ac Tacito equidem Hiſtoriar. lib. II, ac Svetonio in Othone, Phlegonti in libello de Longævis, præterque Ptolemæo atque Antonino, ſecunda ſyllaba ſcribitur per *e*, *Brixellum*. at apud Plinium lib. III cap. XV legitur per I, BRIXILLVM: atque ita apud Plutarchum in Othone unico λ, priore loco ἐν Βριξίλῳ, poſteà verò ἐν Βριξιάλῳ. ex hoc tamen ſatis clarè patet, geminaſſe ipſum Plutarchum λ, Βριξίλλῳ. Verùm apud eumdem Plinium poſteà lib VII cap. XLVIIII, ſcriptum eſt *Brixelli*. Apud Paullum Diaconum Langobard. rer. lib. III cap. XVIII legitur BREXILLVS *capta eſt*: more ſcilicet illius ævi; quo pleraque urbium nomina, quæ antè erant neutrius generis in *um*, formabantur in *us* genere feminino. *Coloniam* fuiſſe Romanorum, unus teſtatur Plinius, dicto lib. III cap. XV. *Intus*, inquit, *coloniæ*, *Bononia*, *Brixellum*, *Mutina*, *Parma*, *Placentia*. Quando deducta fuerit, nusquàm adnotatum reperio. Nobilitata poſtmodùm fuit interitu Othonis imperatoris. qui, exitum pugnæ Bedriacenſis heic manens, quum cladem ſuorum accepiſſet, pugioni incubuit: ut auctores ſunt Svetonius & Plutarchus in vitâ eius, ac Tacitus dicto Hiſtoriar. lib. II.

BRIXELLVM *colonia*.

Infra Brixellum, haud procul Padi ripâ opidum viſitur, vulgari nunc vocabulo *Lucera*; ſive, ut alii dicunt, *Luzzara*. hoc omnium ferè judicio eſt id opidum, quod Ptolemæo vocatur Νουκερία, NVCERIA. Ἡ δὲ Γαλλία, inquit, ἡ Τογάτα, ἔχει πόλεις τάσδε· Πλακεντία, Φιδεντία, Βρίξελλον, Πάρμα, Ῥήγιον Λέπιδον, Νουκερία, Τάνητον, Μούτινα, Βονωνία. Id eſt: *In Galliâ Togatâ opida ſunt iſta: Placentia, Fidentia, Brixellum, Parma, Regium Lepidum, Nuceria, Tanetum, Mutina, Bononia*. Nec mirum ſit, quæ olim fuerit *Nuceria*, eam nunc dici *Luceriam*: quando clariſſima quondam Romanorum colonia *Luceria* in Apuliâ, vulgò nunc vocatur *Nucera*; raro *Lucera*. quamquàm hæc apud antiquos etiam auctores, Ptolemæum & Tabulam intinerariam, legitur Νουκερία Ἀπούλων, *Nuceria Apulorum*: apud Appianum verò Civil. bellor. lib. II ſimpliciter Νουκερία. unde mihi haud levis nec vana conjectatio, iſthanc etiam in Galliâ Togatâ dictam fuiſſe jam olim, ut nunc LVCERIAM. qua de cauſâ poſteà ad diſcrimen huius Ptolemæus atque auctor Tabulæ ſcripſerunt Λουκερία Ἀπούλων, *Luceria Apulorum*.

NVCERIA *ſive* LVCERIA *opidum*.

Apud Antoninum iter deſcribitur huiusmodi:

Verona	
Hoſtilia	XXX.
Colicaria	XXV.
Mutina	XXV.
Bononia	XXV.

Quum inter Bononiam atque Mutinam XX tantùm noſcantur millia; inter hanc verò & Hoſtiliam, in ſiniſtrâ Padi ripâ ſitam, XXXIIII circiter; pleroſque numeros in iſto itinere eſſe corruptos, vel millia olim admodùm fuiſſe conciſa atque minuta, certum eſt. Illi quàm vehementiſſimè errant, qui COLICARIAM *opidum*, ſeu *vicum*, interpretantur eum vicum, qui apud Rheni Bononienſis ripam, inter Bononiam & Ferrariam, vulgò dicitur *Calacari*. quidpe quid, quæſo, ab Hoſtiliâ Bononiam proficiſcentibus, ex eo itinere ab vico Calacari erat retrogreſſio ad Mutinam; atque hinc tandem ad Bononiam acceſſo? aut ſi Mutina eis transeunda erat; quænam cauſa eſſe potuit, cur à recto itinere in tam longinquum diverticulum ad vicum aliàs obſcurum & nusquàm memoratum deflecterent? At verò eſt hodiè rectiſſimo itinere inter Hoſtiliam & Mutinam vicus, inter hanc & opidum Mirandulam poſitus, vulgari vocabulo *Rocaglia*. quem ego ex itineris tractu ſimulque nominis ſimilitudine omnino interpretor veterem illam eſſe *Colicariam*. Ab ipſo igitur Antonino ſic ſcriptum fuiſſe arbitror:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Hoſtilia	
Colicaria	XX.
Mutina	XV.
Bononia	.XX.

Aliud iter apud eumdem Antoninum continuò antè legitur tale:

Ateſte	
Anneiano	XX.
Vico Variano	XVII.
Vico Sernino	XX.
Mutina	XXIII.
Bononia	XVIII.

SERNINVS *vicus.*

Neque heic numeros eſſe ſatis ſanos, jam dudum in Venetis cap. XVIII monuimus. ubi oſtendimus, *Ateſte*, *Annicianum*, *Vicum Varianum*, nunc vulgò dici *Eſte*, *Montagnana*, *Vigo*: quorum hic apud dextram eſt Atheſis ripam, haud procul opido *Legnago*. Ab eo vico ſi XX millia, quot habet Antoninus, versùs Mutinam progrediaris, incides in vicum dextræ Padi ripæ adpoſitum, vulgari nunc vocabulo *Sermene*. qui ex eo intervallo, ſimulque ex itineris ductu & nominis ſimilitudine, extra omnem controverſiam eſt vetus ille SERNINVS VICVS. In huius autem vocabulo ne ſuſpiceris M corruptum fuiſſe à librariis in N; alia exemplaria antiqua habent *Seruino*; alia verò *Feruino*. in utroque faciliùs *u* ſubjici potuit ab incurioſo imperitoque exſcriptore pro *n*, quàm pro *m*. quod ipſum poſteà temporis pro *n* ſuppoſitum fuiſſe, nihil ſit mirum; quando hodiè Italicæ gentes mirandum ſanè in modum literas in quavis dictione commutent corrumpantque.

PADINVM *opidum.*

Porrò XII millia paſſuum à dicto Sernino vico in orientem Solem versùs caſtellum eſt apud Panari Padique confluenteis vulgari vocabulo *Bondeno*. id ego antiquum PADINVM *opidum* eſſe conjecerim, unde Plinio lib. III cap. XV opidani ſunt PADINATES, in octavâ Italiæ regione inter Padum Apenninumque. *Intus*, inquit, *coloniæ, Bononia, Brixellum, Mutina, Parma, Placentia. opida, Cæſena, Claterna, Forum Clodii, Livii, Popilii, Truentinorum, Cornelii, Licinii; Faventini, Fidentini, Oteſini, Padinates, Regienſes à Lepido, Solonates, Saltuenſes, qui Galliani cognominantur, Aquinates, Tannetani.*

OTESIA *opidum.*

OTESIA *opidum*, unde iſti Plinio dicuntur opidani OTESINI, quo ſitu in hac Galliâ Cispadanâ fuerit, incertum eſt. Celebre tamen olim fuiſſe municipium, ex inſcriptione antiquâ patet, quam ex Bergomatium urbe adfert Ioan. Chryſoſtomus Zanchius, de Cenomanor. origine lib. III, huiusmodi:

C · CORNELIO
C · F · VOT
MINICIANO
PRAEF · COH · PRIM
DAMASC · TRIB · MIL
LEGIONIS · III · AVGVST
· PRAEF · FABR · CVRATORI
REIP · OTESINORVM
IIIIVIRO · I · D · PONTIFICI
FLAMINI · DIVI · CLAVDII
BERGOMI · PATRONO
FLAMINI · DIVI · TRAIANI
MEDIOLANI
PLEBS · VRBANA

Phlegontem Trallianum, in libello de Longævis, Galliæ huius Cispadanæ exempla ex commentariis cenſuum Romanorum conquiſita, recenſere, ſuprà ad Regium Lepidum diximus. in eo igitur libello, inter alia, hæc ſcripta ſunt: Πόλλεια Πῶλλα, Σπου-

ρίου

ρίου θυγάτηρ, πόλεως Αἰτωσίας. Id eſt: *Pollia Polla, Sp. filia, opido Aetoſiâ.* Et aliquanto pòſt: Βεβία Μαρκέλλα, Σέξτου θυγάτηρ, πόλεως Ὀρτισίας. Hoc eſt: *Bebia Marcella, Sexti filia, opido Ortiſiâ.* Tam *Ortiſia* quàm *Aetoſia* nomina nusquàm aliàs memorata ſunt. Ego verò haud dubitaverim, quin unum idemque ſit opidum; Οἰτησία, OETESIA, ipſi Phlegonti ſcriptum. Quum verò totâ hac Galliâ Cispadanâ, præter eas urbeis, de quarum antiquitate ſatis conſtat, nihil clarius nihilque celebrius ſit opido *Mirandulâ*; cuius primam originem hactenus nemo indicare potuit, niſi fabuloſiſſimis nugis confictam: hoc ipſum ego antiquum opidum *Oeteſiam* ſive *Oteſiam* eſſe ſuſpicer.

Sed in viam Aemiliam tandem regrediamur. Prima igitur urbium poſt Mutinam ſequitur BONONIA; vulgò nunc incolis *Bologna* dicta. Memoratur Ciceroni, Livio, Straboni, Paterculo, Melæ, Plinio, Silio, Martiali, Tacito, Appiano, Ptolemæo, Itinerariis, Zoſimo, & aliis. Græcis ſcribitur pariter omnibus Βονωνία: ut & alia hoc nomine urbs in Pannonia; & item alia in Galliâ; quæ nunc vulgò eſt *Boulogne*, ex adverſo Britanniæ. At apud Stephani breviatorem ita legitur: Βοβώνεια, πόλις Ἰταλίας. τὸ ἐθνικὸν, Βοβωνιάτης. Id eſt: *Bobonia, opidum Italiæ. gentilitium inde, Boboniates.* Quum *Bobonia* hæc nusquàm alibi reperiatur; meritò viri quidam docti ſuſpicati ſunt, debere eſſe τὴν Βονωνίαν aliorum auctorum. Non exſcriptoris, ſed ipſius vel Stephani, vel epitomatoris eius, eſſe errorem, patet ex præcedenti voce Βοάλεια, & ſubſequenti Βόγχναι. quibus rectè interpoſitum illud Βοβώνεια, ut cuius litera tertia eſt β. Nec id mirum fuerit; quando etiam inter vocabula incipientia à Δ, reperitur Δανούβιον, πόλις περὶ τὴν Ῥώμην· id eſt, *Danubium opidum circa Romam*: pro eo, quod germano vocabulo erat Λανούβιον, *Lanuvium*: ut ſuo loco oſtendetur: & item inter inchoantia à Τ opida, Τάβαι πόλις Ἰταλίας, pro Γάβαι. In ſecunda ſyllaba omnino ſcribendum eſſe ω, ex Latinis etiam patet poetis. Silius lib. VIII: BONONIA *colonia & municipium.*

Et, quomdam Teucris comes in Laurentia bella,
Ocni priſca domus, parvique Bononia Rheni.

Martialis lib. III epigram. LVIII:

Sutor cerdo dedit tibi, culta Bononia, munus.
Fullo dedit Mutinæ. nunc ubi caupo dabit?

Opidani inde dicuntur Ciceroni in Bruto, Valerio Maximo lib. VIII cap. I, Tacito Annal. lib. XII, ac Svetonio in Octavio atque Nerone, BONONIENSES. Cæterùm, Livio, Melæ, Paterculo, Plinio, ac Tacito, vocatur *colonia*. Tacitus, dicto Annal. lib. XII: *Eodem Nerone oratore Bononienſi coloniæ, igni hauſtæ, ſubventum.* Plinius lib. III cap. XV: *Intus coloniæ, Bononia, Brixellum, Mutina, Parma, Placentia.* Mela lib. II cap. IIII: *Mutina & Bononia, coloniæ Romanorum.* Paterculus lib. I. *Cnæo autem Manlio Volſone & M. Fulvio Nobiliore conſulibus, Bononia deducta colonia.* Id eſt, anno ab urbe Româ conditâ IↃLXIII; ante natum Ieſum CXC. Livius lib. XXXVII, in eodem conſulatu: *Eodem anno ante diem tertium Calendas Ianuarias Bononiam Latinam coloniam ex ſenatus conſulto L. Valerius Flaccus, M. Attilius Serranus, L. Valerius Tappo, triumviri deduxerunt. Tria millia hominum ſunt deducta. equitibus ſeptuagena jugera, cæteris quinquagena ſunt data. Ager captus de Gallis Boiis fuerat. Galli Tuſcos expulerant.* Falſus igitur hoc loco fuerit auctor ille Olympiadum ἀνώνυμος, qui VII annis pòſt deductam teſtatur his verbis: Ὀλυμπιάδος ρμθ´ ἔτει β´ εἰς Βονωνίαν Ῥωμαῖοι ἀποικοὺς ἔστειλαν. id eſt: *Olympiadis* CXLVIIII *anno* II *Bononiam Romani coloniam miſerunt.* Nomen id haud dubiè non à Romanis demum accepit; ſed jam ante horum coloniam deductam, à Gallis, prioribus incolis, habuit: ſiquidem eo nomine, ut modò dixi, etiam alibi apud Celticas genteis fuêre opida. At quum Tuſci adhuc tenerent, FELSINA fuit adpellata. Plinius dicto lib. III cap. XV: *Colonia Bononia, Felſina vocitata, quum princeps Etruriæ eſſet.* Tanta ſcilicet vetuſtas, tanta vetuſtiſſimis jam inde temporibus dignitas huius urbis fuit. quidpe Galli Tuſcos expellere cœperunt circa annum ante natum Ieſum IↃC; *Romæ Tarquinio Priſco regnante*; ut auctor eſt Livius lib. V. Apud Virgilium Aeneid. lib. X hæc leguntur verba:

Ille etiam patriis agmen ciet Ocnus ab oris,
Fatidicæ Mantûs & Tuſci filius amnis;
Qui muros matriſque dedit tibi, Mantua, nomen.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

In Servii cõmmentariis ad hunc locum inter alia leguntur iſta; *Hunc Ocnum alii Auletis filium, alii fratrem, qui Peruſiam condidit, referunt. &, ne cum fratre contenderet, in agro Gallicò Celſenam, quæ nunc Bona dicitur, condidiſſe.* Lege; *Felſinam, quæ nunc Bononia dicitur, condidiſſe.* Hinc ſcilicet illud eſt Silii, præſcripto lib. VIII:

Et, quondam Teucris comes in Laurentia bella,
Ocni priſca domus, parvique Bononia Rheni.

Sed hæ fabulæ ſunt poëticæ; ut ſuprà ad Mantuam examinavimus. *Bononiæ* nomen quando primùm Galli ei impoſuerint, incertum eſt. apud Livium certè lib. XXXIII, annis VII antè, quàm Romani coloniam deduxerunt, id eſt, L. Furio Purpureone & M. Claudio Marcello conſulibus, *Felſina* etiamdum adpellatur. *Dein junctis,* inquit, *exercitibus, Boiorum agrum, usque ad Felſinam opidum populantes, peragraverunt. Ea urbs cæteraque caſtella & Boii ferè omnes in deditionem venerunt.* Sed hoc magis fortaſſe Romanorum tum, quàm Gallorum, uſurpatione factum. *Municipii* quoque jus poſteà habuiſſe, auctor eſt Pompeius Feſtus in voce *Municipium*: ubi tria municipiorum genera definit. *Tertiò,* inquit, *municipium dicitur, quum id genus hominum definitur, qui ad civitatem Romanam ita venerunt, uti municipes eſſent ſuæ quisque civitatis & coloniæ; ut Tiburtes, Prænestini, Piſani, Arpinates, Nolani, Bononienſes, Placentini, Nepeſini, Sutrini, Lucenſes.*

OECVBARIA *caſtellum.*

Porrò in Bononienſi agro memoratur Zoſimo lib. V Οἰκουβαρία ὁρμητήριον, OECVBARIA *caſtellum*; incerto planè ſitu. Ὁ δὲ Ἀλλάριχος, inquit, εἰς τὸ πρόσω προελθὼν, Ἀκυληΐαν μὲν παρατρέχει καὶ τὰς ἑξῆς πόλεις, ἐπέκεινα τοῦ Ἠριδανοῦ κειμένας· φημὶ δὲ Κωνκορδίαν καὶ Ἄλτινον, καὶ ἐπὶ ταύτῃ Κρέμωνα. καὶ περαιωθεὶς τὸν ποταμὸν, εἴς τι τῆς Βονωνίας ὁρμητήριον ἦλθεν, ὃ καλοῦσιν Οἰκουβαρίαν. ἐντεῦθεν Αἰμιλίαν ἅπασαν παραμείψας, καὶ καταλιπὼν τὴν Ῥάβενναν, εἰς Ἀρίμινον ἀφίκετο, πόλιν τῆς Φλαμινίας μεγάλην. εἶτα καὶ ταύτην παραδραμὼν, καὶ τὰς ἄλλας, ὅσαι τῆς αὐτῆς ὑπαρχίας ἦσαν, εἰς τὸ Πικηνὸν παρεγένετο. Id eſt: *Allarichus ulteriùs progrediens, Aquileiam, & urbeis hinc alias trans Padum amnem ſitas, curſu præterit: Concordiam ſcilicet, Altinum, & ſecundùm hanc Cremonam. quumque flumen transjeciſſet; ad caſtellum quoddam Bononiæ, quod Oecubariam vocant, pervênit. hinc Aemiliâ totâ peragratâ, relictâque Ravennâ, Ariminum acceſſit, urbem Flaminiæ magnam. dein, has quoque transgreſſus, cum cæteris quæ ſunt eiusdem provinciæ, in Picenum venit.*

FORVM GALLORVM, *vicus.*

At inter Bononiam Mutinamque in ipsâ viâ Aemiliâ fuit FORVM GALLORVM, *vicus* olim, quem civilia bella Romanorum celebrem reddiderunt. Memoratur Sergio Galbæ apud Ciceronem; tum Frontino, Appiano, & Tabulæ itinerariæ. Frontinus Strategem. lib. II cap. V, exemplo XXXVIII: *Antonius apud Forum Gallorum, quum Panſam conſulem adventare comperiſſet, inſidiis per ſilveſtria Aemiliæ viæ diſpoſitis, agmen eius excepit, fuditque: & ipſum eo vulnere adfecit, quo intra paucos dies exanimaretur.* Tabula cum Hieroſolymitano itinerario ſic habet:

Tabula:		Hieroſolymitanum:	
Mutina		*Mutena*	
		Victuriolas	III.
Foro Gallorum	VIII.		
		Ad Medias	X.
Bononia	XVII.	*Bononia*	XV.

Apud Antoninum iutervallum inter Mutinam Bononiamque in quinque itineribus eſt, ut in Tabulâ, XXV millium; in uno autem ſolo itinere XVIII. Albertus abbas Stadenſis, in Chronico, eo intervallo XX tantùm habet millia; quæ hodiéque numerantur. Quòd ſi verò ſpacium hoc in treis ferè æquas parteis ſeces; *Forum Gallorum* deprehendas eſſe id caſtellum, quod vulgò nunc dicitur *Caſtel Franco*: quæ jam dudum ante me doctorum virorum fuit opinio. His jam Galbæ quoque & Appiani adde teſtimonium. Galba in epiſtolâ ad Ciceronem perſcriptâ, quæ eſt Familiar. lib. X: *Decimo ſeptimo Calendas Maii, quo die Panſa in caſtris Hirtii erat futurus, cum quo ego eram (nam ei obviam proceſſeram millia paſſuum centum,* [lege *decem*] *quò maturiùs veniret) Antonius legiones eduxit duas, Secundam & Trigeſimamquintam, & cohorteis prætorias duas. ita obviam venit nobis; quòd nos* IIII *legiones tironum habere ſolùm arbitrabatur. Sed noctu, quò tutiùs venire in caſtra poſſemus, legionem Martiam, cui ego*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

ego præeſſe ſolebam, & duas cohorteis prætorias miſerat Hirtius nobis. Quum equites Antonii adparuiſſent; contineri neque legio Martia neque cohortes prætoriæ potuerunt. quos ſequi cœpimus coacti; quando eas retinere non poteramus. Antonius ad Forum Gallorum ſuas copias continebat. neque ſciri volebat, ſe legiones habere. tantùm equitatum & levem armaturam oſtendebat. Poſteaquàm vidit, ſe invito legionem ire, Panſa; ſequi ſe duas legiones juſſit tironum. Poſteaquàm anguſtiam paludis & ſilvarum tranſivimus; acies eſt inſtructa à nobis XII *cohortium, (nondum enim venerant legiones duæ) quum repentè Antonius in aciem ſuas copias de vico produxit; & ſine morâ concurrit. Primò ita pugnatum eſt, ut acriùs non poſſet ex utrâque parte pugnari.* Mox: *In ipsâ Aemiliâ, ubi cohors Cæſaris prætoria erat, diu pugnatum eſt. Quum omnes ſe recepiſſent noſtri ordines, recipere me noviſſimus cœpi ad caſtra. Antonius, tamquàm victor, caſtra putavit ſe poſſe capere. quò quum venit; complureis ibi amiſit: nec egit quidquam. Auditâ re, Hirtius cum cohortibus* XX *veteranis redeunti Antonio in ſua caſtra occurrit; copiasque omneis delevit fugavitque eodem loco, ubi erat pugnatum, ad Forum Gallorum. Antonius cum equitibus horâ noctis quartâ ſe in caſtra ſua ad Mutinam recepit. Hirtius in ea caſtra rediit, unde Panſa exierat; ubi duas legiones reliquerat, quæ ab Antonio erant oppugnatæ.* Eamdem hiſtoriam ita refert Appianus Civil. bellor. lib. III: Τῶν δ᾽ ὑπάτων Πάνσας μὲν ἀνὰ τὴν Ἰταλίαν ἐξενάγει· Ἴρτιος δὲ τῷ Καίσαρι τὸν στρατὸν ἐμερίζετο. * . Ἴρτιος δὲ καὶ Καῖσαρ εἰς τὴν Μουτίνην ἐχώρουν, μὴ κάμνοντα τὸν Δεκίμου στρατὸν ὁ Ἀντώνιος παραλάβοι. * — * . Οἱ δ᾽ ἀμφὶ τὸν Καίσαρα, τοῦ Πάνσα μετὰ στρατιᾶς πλησιάζοντος, Καρσουλήϊον αὐτῷ προσέπεμπον, ἄγοντα τὴν Καίσαρος στρατηγίδα τάξιν καὶ τὸ Ἄρειον τέλος, ἐς βοήθειαν τῆς διόδου τῶν στενῶν. Ὁ δὲ Ἀντώνιος τῶν μὲν στενῶν ὑπερεῖδεν, ὡς οὐδὲν πλέον ἢ κωλύσων ἐν αὐτοῖς, ἐπιθυμίᾳ δὲ ἀγῶνος οὐκ ἔχων τοῖς ἱππεῦσιν ἐλλαμπρύνασθαι, διὰ τὸ πεδίον ἑλωδέστερον ὂν καὶ τεταφρευμένον, δύο ἐνήδρευσε τέλη τὰ ἄριστα ἐν τῷ ἕλει, τῆς ὁδοῦ χειροποιήτου καὶ στενῆς οὔσης, ἑκατέρωθεν τῷ δόνακι κρύπτων. Καρσουληΐου δὲ καὶ Πάνσα τὰ στενὰ νυκτὸς διαδραμόντων, ἅμα δ᾽ ἡμέρᾳ μόνοις τοῖς Ἀρείοις καὶ πέντε ἄλλαις τάξεσιν εἰς τὴν χειροποίητον ὁδὸν ἐσβαλόντων, ἔτι καθαρευούσης πολεμίων, καὶ τὸ ἕλος ἑκατέρωθεν ὂν περισκεπτομένων, ὅ τε δόναξ κινούμενος ὑπωπτεύετο, καὶ ἀσπὶς ἤδη που καὶ κράνος ἐξέλαμπε, καὶ ἡ στρατηγὶς Ἀντωνίου τάξις αὐτοῖς ἀφνίδιον ἐπεφαίνετο ἐκ τοῦ μετώπου. Οἱ δ᾽ Ἄρειοι περιειλημμένοι τε πάντοθεν, καὶ οὐδαμόσε διαδραμεῖν ἔχοντες, τῇ στρατηγίδι Ἀντωνίου τὴν Καίσαρος στρατηγίδα ἀντέταξαν· αὐτοὶ δὲ ἐς δύο διαιρεθέντες, ἐνέβαινον ἐς ἑκάτερον τέλος, καὶ αὐτοῖς ἐπεστάτουν, τῇ μὲν ὁ Πάνσας, τῇ δὲ ὁ Καρσουλήϊος. δύο δὲ τῶν ἑλῶν ὄντων, δύο ἦσαν οἱ πόλεμοι, τῇ διόδῳ εἰργόμενοι μὴ γινώσκειν ἀλλήλων· καὶ κατὰ τὴν δίοδον αὐτὴν αἱ στρατηγίδες πόλεμον ἄλλον ἐφ᾽ ἑαυτῶν ἐπολέμουν. * — * . Πονουμένων δὲ πάντων ὑπὲρ φύσιν ἀνθρωπίνην, ἡ μὲν στρατηγὶς ἡ Καίσαρος ἅπασα διεφθάρη· τῶν δ᾽ Ἀρείων οἱ μὲν ὑπὸ τῷ Καρσουληΐῳ μᾶλλον ἐκράτουν τῶν κατὰ σφᾶς, οὐκ αἰσχρῶς, ἀλλὰ κατ᾽ ὀλίγον ἐνδιδόντων· οἱ δὲ ὑπὸ τῷ Πάνσᾳ τὸν αὐτὸν τρόπον ἐβαροῦντο, διεκαρτέρουν δ᾽ ὅμως ἐπ᾽ ἴσης ἑκάτεροι, μέχρι ὀβελῷ τὴν λαγόνα τρωθεὶς, ἐς Βονωνίαν ἐξεφέρετο. τότε γὰρ οἱ κατ᾽ αὐτὸν ἀνεχώρουν ἐπὶ πόδα πρῶτον· εἶτα μεταβαλόντες ὀξύτερον, ὡς ἐν φυγῇ, καὶ οἱ νεήλυδες ἰδόντες, ἔφευγον ἀτάκτως καὶ μετὰ βοῆς ἐς τὸ χαράκωμα, ὅπερ αὐτοῖς ἐξείργαστο ὁ ταμίας Τορκουᾶτος, συνεστώσης ἔτι τῆς μάχης, ὑπονοήσας ἐν χρείᾳ γενήσεσθαι. οἱ μὲν δὴ νεήλυδες ἐς τὸ αὐτὸ ἀτάκτως συνειλοῦντο· οἱ δὲ Ἄρειοι οὐκ εἰσῆλθον μὲν ἐς τὸ χαράκωμα αὐτοὶ ὑπὸ ἀδοξίας, ἀλλὰ παρ᾽ αὐτὸν ἔστησαν· κατάκοποι δὲ ὄντες, ὥρμων ὅμως εἴ τις ἐπίοι, μέχρι τοῦ ἀναγκαίου τέλους διαγωνίσασθαι. Ἀντώνιος δὲ τῶν μὲν Ἀρείων ἀπέσχετο, ὡς ἐπὶ πόνων· τοῖς δὲ νεήλυσιν ἐπιδραμὼν, πολὺν εἰργάζετο φόνον. Ἴρτιος δὲ ἐν Μουτίνῃ τῆς μάχης πυθόμενος, ἑξήκοντα σταδίους ἀπεχούσης, ἵετο δρόμῳ μετὰ τοῦ ἑτέρου τέλους τῶν ἀπὸ Ἀντωνίου μεταστάντων· ἤδη τε ἦν ὀψία δείλη, καὶ οἱ νικήσαντες τῶν Ἀντωνίου παιανίζοντες ἐπανῄεσαν, καὶ αὐτοῖς ὁ Ἴρτιος ἀσυντάκτοις οὖσιν ἐπιφαίνεται συντεταγμένος ὁλοκλήρῳ τέλει καὶ ἀπαθεῖ. οἱ δὲ συνετάχθησαν μὲν αὖθις ὑπ᾽ ἀνάγκης, καὶ πολλὰ καὶ πρὸς τοῦδε ἔργα λαμπρὰ ἀπεδείξαντο· οἷα δὲ ἀκμήτων ἡσσῶντο κεκμηκότες. καὶ τὸ πλεῖστον αὐτῶν μάλιστα τὸ ἔργον Ἰρτίου διέφθειρε, καίπερ οὐ διώκοντος αὐτοὺς, ὑπὸ φόβου τῶν ἑλῶν, καὶ τῆς ἑσπέρας ἤδη μελαινομένης διέλυσεν αὐτούς. * . Ὧδε μὲν Ἀντωνίῳ καλῶς ἀγωνισαμένῳ διέφθαρτο ἡ ἰσχὺς διὰ Ἴρτιον ἐπελθόντα· καὶ ηὐλίσατο ἐν κώμῃ παρὰ τὸ πεδίον ἀχαρακώτως· Ἀγορὰ Κελτῶν ἡ κώμη καλεῖται. Hoc eſt: *Conſulum alter Panſa per Italiam parabat auxilia: alter Hirtius copias partiebatur cum Cæſare.* Mox: *Hirtius & Cæſar Mutinam properabant; ne laborantem Decimi exercitum Antonius caperet.* Paullo pòſt: *At Cæſariani Panſæ propinquanti Carſuleium obviam miſerunt, cum prætorianis Cæſaris & legione Martiâ; quò faciliùs penetraret viarum anguſtias. quas Antonius occupare contempſit; quòd moram tantùm allaturæ eſſent cupido decernere. Ceterò quia nullam egregiam operam exſpectabat ab equitibus in planitie plus ſatis paluſtri & foſſis inercisâ; duas robuſtiſſimas legiones in arundinetis paludis ex utroque anguſti aggeris, per*

quem

quem via erat, latere diſpoſuit in inſidiis. Vbi verò Carſuleius cum toto exercitu ſuperatis
noctu faucibus evaſit; & ſola Martia legio cum V *aliis cohortibus aggerem ingreſſa eſt, qua*
parte nihil erat hoſtium, circumſpectantibus utrimque paluſtria; primò arundinum motus
ſuſpicionem injecit: mox & galearum clupeorumque fulgor intermicuit; quum repentè An-
tonii prætoriani à fronte exorti ſunt. Ibi Martii, circumventi undique, nullo patente effu-
gio, prætorianis Antonii prætorianos Cæſaris oppoſuerunt: ipſi bifariam diviſi, utrimque pa-
ludes ingreſſi ſunt; hinc Panſâ, illinc Carſuleio ducibus. Sic in duabus paludibus duo com-
miſſa ſunt prœlia; conſpectum utrimque adimente medio aggere: in quo prætoriani partium
propriam pugnam inierant. Aliquanto pòſt: *Supra vireis itaque humanas omnibus labo-*
rem perferentibus; tandem prætoriani Cæſaris ad unum deleti ſunt. ex Martiis verò qui
ſub Carſuleio erant, adverſam aciem propulerunt; non turpiter cedentem; ſed ſubducentem
ſeſe paullatim. qui verò ſub Panſâ erant, eodem modo urgebantur. ſuſtinebant tamen for-
titer; donec conſul, veruto per ilia ſauciatus, ex pugnâ elatus eſt Bononiam. tunc hac parte
pedem cœperunt referre paullatim: mox concitatiùs, ut in fugâ. quo viſo, tirones turbatis
ordinibus refugerunt cum clamore intra vallum, quod Torquatus quæſtor, uſui fore credens,
dum acies dimicant, perfecerat. Atque ita trepidè tirones in unum confluxerunt. at Mar-
tii non ſe receperunt intra vallum, metu ignominiæ: ſed in proximo ſtantes, quamvìs de-
feſſi, exſpectabant ſi quis adgrederetur; parati ad ultimum eventum decernere. Verùm
Antonius ab his abſtinuit, vitans laborem: tirones verò adortus, magnam cædem edebat.
Hirtius verò ad Mutinam certior factus de eo prœlio, VIII *circiter inde millibus paſſuum.*
curſim eò contendit cum alterâ legione, quæ ab Antonio defecerat. Iamque veſper adpete-
bat; & victores Antoniani vitulantes revertebantur; quum Hirtius inordinatos ex impro-
viſo nactus eſt; legionem ipſe ducens & inſtructam & viribus integram. Illi igitur, pro tem-
pore inſtauratis ordinibus, tum quoque pugnarunt egregiè. ſed, ut feſſi, à recentibus victi
ſunt; maiorique ex parte cæſi poſteriori hoc prœlio: quamquàm Hirtius eos non perſequutus
eſt; metuens loca paluſtria; &, quia crepuſculum jam erat, receptui canens. Mox: *Sic An-*
tonius, poſt egregiam pugnam profligatus ſuperventu Hirtii, divertit in vicum ei campo pro-
ximum, nullo vallo munitum; cui Forum Gallorum nomen eſt. Convenit Appiano cum
Tabulâ itinerariâ ſuper intervallo Mutinam inter & Forum Gallorum. namque VII
ſtadiis cum dimidio more eius ævi in ſingula millia paſſuum computatis, ſtadia LX
conficiunt millia VIII. Prœlia inter Antonium & Cæſarianos ab eâ vici parte com-
miſſa ſunt, quæ Bononiam ſpectat. Panſa conſul cum tironibus ex Italiâ in hanc
Galliam Ciſalpinam ad Bononiam usque præceſſerat. eoque die in caſtris Hirtii
ad Mutinam futurus erat, quo Serg. Galba ei cum prætorianis Cæſaris Octaviani
obviam mittebatur. Eâ re auditâ, Antonius ex caſtris, quibus Mutinam obſidebat,
ſuas copias ad Forum Gallorum produxit; ſubque ipſo vico, quà Bononiam itur, in
inſidiis collocavit. moxque Cæſarianos, vico adpropinquanteis, adgreſſus eſt. Prœ-
lio commiſſo, quum Torquatus adverſam parti ſuæ fortunam metueret; vallum ca-
ſtris, paullum retrogreſſus verſùs Bononiam, communivit. Cæſariani igitur ab An-
tonio cæſi fugatique, huc ſeſe receperunt. quos ille fruſtra adortus, retro ad vicum
eâdem viâ, qua venerat, contendit; in caſtra ſua ad Mutinam rediturus. Antequàm
vicum ingrederetur; Hirtius cum ſuis occurrens, eodem loco, quo anteà Cæſaria-
ni cæſi erant, copias eius maiori ex parte delet: fugientem in vicum non perſequi-
tur. Ipſe *Antonius cum equitibus horâ noctis quartâ ſe in caſtra ſua ad Mutinam recepit.*
Cæterùm in ſuprà recitatâ Galbæ epiſtolâ ingens illud eſt mendum, ubi legitur
Galbam *Panſæ obviam proceſſiſſe millia paſſuum centum; quò maturiùs in caſtra Hirtii eo*
die veniret. Millia paſſuum C ſunt iter exercitui quàm maximè properanti ad mini-
mum V dierum. at Appianus tradit, πλησιάζοντος τοῦ Πάνσα μετὰ στρατιᾶς, *propinquante*
Panſâ caſtris Hirtii *cum exercitu*, obviam miſſum fuiſſe Carſuleium ἐς βοήθειαν τῆς διόδου
τῶν στενῶν, *quò faciliùs ac tutiùs ille penetraret viæ anguſtias*: quas prope Forum Gallo-
rum fuiſſe, ſatis apertè oſtendit idem Appianus. Igitur *ad decem* potiùs *millia paſ-*
ſuum proceſſiſſe Carſuleium obviam Panſæ Bononiâ egreſſo, crediderim.

Insvla Rheni Bononienſis, in qua Triumviratus inter Octavium & Antonium Lepidumque conſtitutus.

Cæterùm eodem tractu inter Mutinam atque Bononiam Cæſar Octavianus &
Antonius Lepidusque, depoſito tandem hoc bello Mutinenſi, triumviratu inter ſe
inito & provinciarum populi Romani partione locum nobilitarunt. Verùm is lo-
cus, quia veteres quoque auctores malè inter ſe ſuper eo concinunt, vulgò nunc
ignoratur. quapropter operæ laboriſque fuerit pretium, eum heic aperuiſſe. Florus
lib.

lib. IIII cap. VI: *In hoc velut fœdus pax inter treis duces componitur. Apud Confluenteis inter Peruſiam & Bononiam jungunt manus; & exercitus conſalutant.* En, quid hoc monſtri; *inter Peruſiam & Bononiam?* quum C millia paſſuum eo ſpacio colligantur; ingentibus etiam Apennini jugis intercedentibus. Mendum ſanè eſt ingens, nec obſcurum. pro quo ſcribendum, *inter Mutinam & Bononiam.* Incurioſus exſcriptor, quum præcedenti capite de bello Peruſino agi meminiſſet, heic per ſupinam oſcitantiam eius urbis nomen falſò perſcripſit. Apud ſuprà memoratum Appianum Bellor. civil. lib. IIII ita legitur: Καῖσαρ μὲν καὶ Ἀντώνιος ἐς φιλίαν ἀπ' ἔχθρας συνήεσαν ἀμφὶ Μουτίνην πόλιν, ἐς νησῖδα τοῦ Λαβινίου ποταμοῦ βραχεῖάν τε καὶ ὑπτίαν, ἔχων ἑκάτερος ὁπλιτῶν τέλη πέντε, καὶ τάδε ἀλλήλοις ἀντικαθιστάντες, ἐχώρουν σὺν τριακοσίοις ἑκάτερος ἐπὶ τὰς τοῦ ποταμοῦ γεφύρας. Λέπιδος δ' αὐτὸς προελθὼν, διηρεύνα τὴν νῆσον, καὶ τῇ χλαμύδι κατέσειεν ἥκειν ἑκάτερον. οἱ δὲ ἐπὶ τῶν γεφυρῶν τοὺς τριακοσίους μετὰ τῶν φίλων ἀπολιπόντες, ἐς τὸ μέσον ᾔεσαν ἐν περιόπτῳ, καὶ συνήδρευον οἱ τρεῖς, δύο ἡμέραις ἕωθεν ἐς ἑσπέραν συνιόντες. Id eſt: *Cæſar ad componendam amicitiam cum Antonio congreſſus eſt circa Mutinam, in parvâ quadam ac planâ inſulâ fluvii Lavinii; uterque ſecum habens legiones quinque. quibus inter ſe oppoſitis, comitati trecenis ambo proceſſerunt ad ponteis amnis. & Lepidus, præmiſſus ad perſcrutandum inſulam, paludamentum quatiens, ſignum veniendi dedit utrique. illi, comitatu & amicis ad ponteis relictis, progreſſi in medium locum conſpicuum, conſederant ſoli tres; biduum à mane ad veſperum usque illic convenientes.* Quum LAVINIVS *amnis*, qui vulgò hodiéque dicitur *Lavino*, propinquior ſit in viâ Aemiliâ Bononiæ quàm Mutinæ, meritò dixiſſe debebat ἀμφὶ Βονωνίαν πόλιν, *circa Bononiam urbem:* ſi unam dumtaxat urbem nominare voluiſſet. aliàs rectè dicturus erat cum Floro, μεταξὺ Μουτίνης καὶ Βονωνίας πόλεων, *inter Mutinam & Bononiam urbeis.* Reliqui auctores, qui huius rei meminerunt, unam nominant *Bononiam.* Svetonius, in Octavio Cæſare, cap. XCVI: *Contractis ad Bononiam Triumvirorum copiis, aquila, tentorio ſuperſedens, duos corvos, hinc & inde infeſtanteis, adflixit.* Plutarchus in Cicerone: Ἐγίνοντο δ' αἱ σύνοδοι μόνοις ἀπόρρητοι περὶ πόλιν Βονωνίαν ἐφ' ἡμέρας τρεῖς· καὶ συνῄεσαν εἰς τόπον τινὰ πόρρω τῶν στρατοπέδων, ποταμῷ περιρρεόμενον. Id eſt: *Colloquuti ſoli ſunt remotis arbitris treis dies juxta urbem Bononiam. locusque, ubi convenerunt, pro caſtris erat, amne cinctus.* Et in Antonio: Καὶ συνελθόντες οἱ τρεῖς εἰς νησῖδα ποταμῷ περιρρεομένην, ἐπὶ τρεῖς ἡμέρας συνήδρευσαν. Id eſt: *Congreſſi tres illi in parvâ inſulâ, amne circumfluâ, triduum in colloquio fuêre.* Dio lib. XLVI: Ὁ δὲ δὴ Ἀντώνιος ὅ τε Λέπιδος ἐν μὲν τῇ Γαλατίᾳ ὑποστρατήγους κατέλιπον· αὐτοὶ δὲ ἐς τὴν Ἰταλίαν πρὸς τὸν Καίσαρα ὥρμησαν, τό τε πλεῖστον καὶ τὸ κράτιστον τοῦ στρατοῦ ἐπαγόμενοι. * . Καὶ αὐτοῖς καὶ ὁ Καῖσαρ μετὰ πολλῶν στρατιωτῶν ἀπήντησε περὶ Βονωνίαν, μάλα εὖ παρεσκευασμένος ἀμύνασθαι σφᾶς, ἄν τι βίαιον πάσχῃ. * . Συνῆλθον γὰρ ἐς τοὺς λόγους οὐ μόνοι, ἀλλὰ στρατιώτας ἰσαρίθμους ἔχοντες, ἐν νησιδίῳ τινὶ τοῦ ποταμοῦ τοῦ παρὰ τὴν Βονωνίαν παραρρέοντος, ὥστε μηδένα ἄλλον μηδ' ἑτέροις προσγενέσθαι. καὶ οὕτω πολὺ ἀπὸ τῶν παρόντων σφίσιν ἀποστάντες, ἀλλήλους διηρεύνησαν, μὴ καὶ ξιφίδιόν τις ὑπὸ μάλης ἔχοι. Hoc eſt: *Antonius igitur ac Lepidus, relictis in Galliâ apud exercitum legatis, ipſi in Italiam ad Cæſarem contenderunt, ſecum maximâ atque optimâ exercitus parte abductâ.* Mox: *His Cæſar quoque cum validâ militum manu apud Bononiam occurrit; ſatis paratus ad vim propulſandam, ſi quam illi inferre ei voluiſſent.* Statim: *Congreſſi ſunt ad colloquium in inſulâ parvâ quadam eius amnis, qui Bononiam præfluit, cum æquo numero militum; nemine prætereà præſente. proculque ab iis, quos ſecum eò adduxerant, digreſſi; alter alterum excuſſit, ne quam ſub alâ ſicam portarent.* En, ut unanimo conſenſu, & uno quaſi ore, Svetonius, Plutarchus, atque Dio, locum, in quo triumviratus iſte compoſitus, περὶ Βονωνίαν, id eſt, *ad Bononiam* fuiſſe teſtantur. &, quod caput totius negotii eſt, Dio ait conveniſſe eos ἐν τινι νησιδίῳ τοῦ ποταμοῦ τοῦ παρὰ τὴν Βονωνίαν παραρρέοντος, id eſt, *in parvâ quadam inſulâ eius amnis, qui Bononiam præterfluit.* qui nullus alius eſſe poteſt, quàm *Rhenus*, Silio Italico loco ſuprà ſcripto, & Plinio lib. XVI cap. XXXVI, *Bononienſis* cognominatus. quidpe quum hic intercedat, *Lavinium* fluvium minùs rectè Bononiam παραρρεῖν dixeris. Et ne potiorem heic Appiani, quàm Dionis reliquorumque ſcriptorum, auctoritatem eſſe debere contendas, quòd is nomen fluminis addiderit: primùm ſatis in eo ab Appiano erratum eſt, quòd apud Mutinam triumviros congreſſos adfirmavit; quum Lavinius fluvius, ut antè dixi, longè propinquior ſit Bononiæ quàm Mutinæ. tum in hoc fluvio, ut admodùm exiguo, neque nunc eſt, neque umquàm eſſe potuit tanta inſula, in qua triumviri iſti πολὺ ἀπὸ τῶν παρόντων σφίσιν ἀποστάντες, id eſt, *procul ab iis, quos ſecum eò adduxerant,*

LAVINIVS *amnis.*

duxerant, digreſſi, ſoli eſſe ſecretóque negotia ſua transigere quiverint: præſertim, ἐπὶ τῶν γεφυρῶν σὺν τριακοσίοις μετὰ τῶν φίλων ἀπολιπόντες, id eſt, *quum utrimque tricenos milites cum amicis apud ponteis reliquerint*. Nugæ verò meræ germanæque fabulæ ſunt, quod nonnulli Bononienſes ſcriptores hoc ſæculo de neſcio qua peninſula inter Lavinium Girondamque rivulum cenoſum ſomniant: quaſi hæc quomdam fuerit inſula. Tam latis altisque fluentis heic nulla cingi potuit, uti in eâ ſatis tuti alter ab alterius exercitu eſſe potuiſſent. Antiquus item auctor Florus; qui multa etiam alia paſſim præ nimio brevitatis ſtudio ineptè eloquutus eſt; quid heic per *confluenteis* intellexerit, parum laboro; quando & ipſe Appianus, & cum ipſo Plutarchus atque Dio, unius amnis, non duûm fluminum, inſulam fuiſſe diſertè teſtentur. Hæc igitur περὶ πόλιν Βονωνίαν, id eſt, ut Svetonius Latinè dixit, *ad Bononiam*, ἐν τῷ ποταμῷ τῷ παρὰ τὴν Βονωνίαν παραῤῥέοντι, id eſt, *in amne, qui Bononiam præterfluit*, nulla alia eſſe poteſt, quàm quæ hodiéque duo millia paſſuum ab urbe, Rheno amne circumflua, viam.Aemiliam transverſa ſecat; è meridie in ſeptemtriones porrecta; longitudine V circiter millium, latitudine mille paſſuum. in qua duo hodiè conſpiciuntur vici; vulgò *S. Viola* alter verſùs meridiem, alter verſùs ſeptemtriones *Trebo di S. Giovanni* dictus. Appianum malum fuiſſe geographum, plurimis exemplis paſſim patet. quorum unum atque alterum huc adduxiſſe, ſuffecerit. Sub initium libri de rebus Hiſpanicis Iberum amnem ait exire ἐς τὸν βόρειον ὠκεανὸν, *in Oceanum ſeptemtrionalem*. ipſam verò Hiſpaniam à Britanniâ abeſſe navigatione ἥμισυ ἡμέρας, *dimidii diei*. quod de proximis Galliæ Britanniæque litoribus eum accepiſſe, credo. In lib. I de Bellis civilibus ait Rhodani Padique fonteis οὐ μακρὰν ἀπ᾽ ἀλλήλων, *non longè ab invicem diſtare*. quod de Rhodani Rhenique fontibus audiviſſe eum puto. In libro de rebus Hannibalicis Gerionem, Apuliæ opidum, prope Aufidum flumen collocat: quod XL ad minimum millia inde abfuiſſe, infrà ſuo loco oſtendetur. Verùm exemplis haud opus eſt. Heic in errorem de Lavinio fluvio haud dubiè eum traxit, quòd audierat, Cæſarem Octavianum caſtra habuiſſe apud Bononiam; Antonium verò apud Lavinium amnem. in quorum medio erat inſula Rheno flumine circumflua, æquali utrimque ſpacio disſita; ac duobus pontibus reliquæ viæ Aemiliæ juncta.

Ad Medias, locus.

Cæterò locum illum in præſcripto itinerario Hieroſolymitano Ad Medias, ex ipſâ ſimul adpellatione ſimulque intervallis eum fuiſſe cenſeo, qui nunc, medio fermè itinere inter Bononiam Mutinamque vulgò dicitur *Ponte della Samoggia*; à flumine, in quod Lavinius amnis confluit.

Ad Victoriolas, locus.

Alter ille locus in eodem itinere Ad Victoriolas, ex III millium intervallo à Mutinâ deprehenditur fuiſſe circa ſiniſtram Scultennæ, ſive, ut nunc adpellatur, Panari amnis ripam.

Vltra Bononiam porrò, per eamdem Aemiliam viam iter perſcribitur in Itinerariis huiusmodi:

Tabulæ:		Hieroſolymitano:		Antonini:					
Bononia		*C. Bononia*		*Bononia*		*Bononia civitas*		*Bononia civitas*	
Isex	IIII.								
Claterna	VI.	*C. Claterno*	X.	*Claterna*	X.				
Silarum	VII.								
Foro Corneli	VII.	*C. Foro Corneli*	XIII.	*Foro Corneli*	XIII.	*Foro Cornelii civ.*	XXIIII.	*Foro Corneli civ.*	XXIIII.
Sinnum fl.	VI.								
Faventia	III.	*C. Faventia*	X.	*Faventia*	X.	*Faventia civ.*	X.	*Faventia civ.*	X.

Vt ſuprà inter Mutinam & Bononiam, ita heic inter Bononiam & Forum Cornelii, quod *Imola* nunc dicitur, XX tantùm millia hodiè numerantur. ubi in Itinerariis iſtis antiquis IIII millibus is numerus ſuperatur. Sed ad *Idicem* fluvium (ſic enim legendum pòſt ſuo loco docebo) millia juſta ſunt V. Hinc verò ad IIII millia progreſſis Claterna *opidum* monſtratur in tenui admodùm veſtigio; cui nomen vulgare, ut & amniculo juxtà fluenti, *Quaderna*. Meminêre eius, præter præſcripta Itineraria, Cicero, Strabo, Plinius, Ptolemæus. Cicero Philippicâ VIII: *Sed quid plura? Decimus*

Claterna opidum.

Decimus Brutus oppugnatur. non eſt bellum. Mutina obſidetur. ne hoc quidem bellum eſt? Gallia vaſtatur. quæ poteſt pax eſſe certior? Et mox: *Non eſt hoſtis is, cuius præſidium Claternâ dejecit Hirtius. non eſt hoſtis, qui armatus conſulem deſignatum oppugnat. nec illa hoſtilia verba, nec bellica, quæ paullo antè ex collegæ literis Panſa recitavit: Dejeci præſidium: Claternâ potitus ſum.* Et Familiar. lib. XII epiſt. V: *Brutus ſi erupiſſet Mutinâ, nihil belli reliquum fore videbatur. Parvis omnino jam copiis obſidebatur; quòd magno præſidio Bononiam tenebat Antonius. Erat autem Claternæ noſter Hirtius: ad Forum Cornelium Cæſar.* Plinius lib. III cap. XV: *Intus coloniæ, Bononia, Brixellum, Mutina, Parma, Placentia. opida, Cæſena, Claterna, Forum Clodii, Livii, Popilii, Truentinorum, Cornelii.* Ptolemæus: Ἡ δὲ Γαλλία ἡ Τογάτα ἔχει πόλεις τάσδε· Πλακεντία, Φιδεντία, Βρίξελλον, Πάρμα κολώνια, Ῥήγιον Λέπιδον, Νουκερία, Τάνητον, Μούτινα, Βονωνία, Κλατέρνα, Φόρος Κορνηλίου, Καισῆνα, Φαυεντία. Id eſt: *In Galliâ Togatâ opida ſunt iſta: Placentia, Fidentia, Brixellum, Parma colonia, Regium Lepidum, Nuceria, Tanetum, Mutina, Bononia, Claterna, Forum Cornelii, Cæſena, Faventia.* Strabo lib. V: Πόλεις δ' εἰσὶν ἐντὸς τοῦ Πάδου καὶ περὶ τὸν Πάδον ἐπιφανεῖς, Πλακεντία καὶ Κρεμών· μεταξὺ δὲ τούτων τε καὶ Ἀριμίνου, Πάρμα καὶ Μουτίνη καὶ Βονωνία· καὶ μικρὰ πολίσματα ἀνὰ μέσον τούτων, δι' ὧν ἡ εἰς Ῥώμην ὁδὸς φέρει, Ῥήγιον Λέπιδον, Μακροὶ κάμποι, Κλατέρνα, Φόρον Κορνήλιον. Id eſt: *Vrbes citra Padum & ad Padum illuſtriores ſunt Placentia & Cremona: inter has verò & Ariminum, Parma, Mutina, & Bononia. tum alia opida minora, in medio iſtarum ſita, per quæ via fert Romam; Regium Lepidum, Campi macri, Claterna, Forum Cornelium.* Verùm vocabulum id corruptum in omnibus hactenus exemplaribus legitur Κλιτέρνα, *Cliterna:* ut & in nonnullis Ciceronis exemplaribus, dicto Familiar. epiſt. lib. XII. ſed & apud Livium vitiatum id eſt, lib. XXIIII. *Prorogatum,* inquit, *deinde imperium omnibus, qui ad exercitus erant: juſſique in provinciis manere. Ti Gracchus Luceriæ, C. Terentius Varro in agro Piceno, M. Pomponius in Gallico.* Et poſteà: *Prætores fiunt, M. Attilius, P. Sempronius Tuditanus, & Cn. Fulvius Centimalus.* Exiguo pòſt: *Prætori Sempronio Ariminum provincia, Cn. Fulvio Sueſſula, evenerunt: ut Fulvius urbanas legiones duceret; Tuditanus à M. Pomponio acciperet.* Et aliquanto pòſt: *Ab altero prætore Sempronio Tuditano opidum Cliternum expugnatum.* Et lib. XXV: *Ti. Sempronio Graccho & P. Sempronio Tuditano imperium provinciæque Lucani & Gallia cum ſuis exercitibus prorogatæ.* En, ut diſertè opidum id in M. Pomponii Sempronii que Tuditani provinciâ Galliâ fuiſſe teſtatur. audacter itaque vocabulum corruptum emendo in CLATERNVM, neutrius generis; ut etiam ſuprà in Hieroſolymitano itinerario legitur. Nonnulla Livii exemplaria habent *Aternum*: quod conterminum olim Piceno opidum in Veſtinis, vulgò nunc dicitur ad Aterni amnis oſtium *Peſcára*. Verùm in Frentanis quum opidum eſſet *Cliternia*, quod Melæ ac Plinio memoratur; facilè, ob ſimilitudinem nominis, *Claterna* ſive *Claternum* in eius vocabulum corrumpi potuit.

FAVENTIA *opidum.*

Porrò FAVENTIA antiquum hodiè nomen retinet, vulgò *Faenza* dicta. Meminêre eius, præter præſcripta Itineraria, Paterculus, Strabo, Plinius, Silius, Appianus, Phlegon Trallianus, Livii epitomator, Ptolemæus, Spartianus, Stephani epitomator, Caſſiodorus, & alii. Silius lib. VIII:

——— Vndique ſolers
Arva coronatum nutrire Faventia pinum.

Strabo loco proximè dicto: Φαυεντία δὲ καὶ Καισῆνα ἤδη συνάπτουσι τῷ Ἀριμίνῳ. Id eſt: *Faventia & Cæſena jam Arimino adpropinquant.* Appianus Bellor. civil. lib. I: Περὶ τὰς αὐτὰς ἡμέρας ἐν Φαυεντίᾳ Κάρβων καὶ Νωρβανὸς ἐξ ὁδοῦ βραχὺ πρὸ ἑσπέρας ἐπὶ τὸ Μετέλλου στρατόπεδον ἦλθον. Hoc eſt: *Per eoſdem dies ad Faventiam Carbo & Norbanus ex itinere ſub veſperam in Metelli caſtra venerunt.* Atque hæc vetuſtiſſima eſt eius opidi memoria, in C. Marii Iunioris & Cn. Papirii Carbonis conſulatu; anno urbis Romanæ IↃCLXXI; ante natum Ieſum Chriſtum LXXXII. In eâdem hiſtoriâ memoratur Paterculo quoque & Livii epitomatori. quorum hic lib. LXXXVIII; *Sylla,* inquit, *Carbonem, exercitu eius ad Cluſium ac Faventiam Fidentiamque cæſo, Italiâ expulit.* Paterculus lib. II: *Paullo antè, quàm Sulla ad Sacriportum dimicaret, magnificis prœliis partium eius viri hoſtium exercitum fuderant: duo Servilii apud Cluſium; Metellus Pius apud Faventiam; M. Lucullus circa Fidentiam.* Plinio memoratur lib. VII cap. XLVIIII; & Phlegonti in libello de Longævis. Opidani inde ſunt Varroni ac Plinio & Stephani epitomatori & lapidi antiquo FAVENTINI. Plinius lib. III cap. XV; *Faventini, Fidentini,*

Oteſini, Padinates, Regienſes à Lepido. Stephani breviator: Φαβεντία, πόλις Ἰταλίας. τὸ ἐθνικὸν Φαβεντῖνος, ὡς Πλακεντῖνος. Id eſt: *Faventia, opidum Italiæ. unde gentilitium Faventinus, ut Placentinus.* M. Varro Ruſticar. rer. lib. I cap. II: *In agro Faventino.*

FORVM CORNELII, *opidum.*

Iam verò in medio Faventiæ atque Claternæ FORVM CORNELII, ſive FORVM CORNELIVM (talia quidpe utroque modo promiſcnè uſurpantur: Ptolemæo autem ſemper genere maſculino Φόρος) ex intervallis atque itineris ductu deprehenditur nunc eſſe *Imola* opidum. Huc adde Paulli Diaconi teſtimonium; qui Langobard. rer. lib. II cap. XVIII ita ſcribit: *Cornelii forum; cuius caſtrum Imolas adpellatur.* Opidani inde Plinio ſunt, eâdem formatione, ut ab reliquis paſſim *Foris*, FOROCORNELIENSES. unde lib. III cap. XVII tradit, *Padum augeri Vatreno amni ex Forocornelienſi agro.* Is amnis apud Imolam vulgò nunc vocatur *Santerno*. Meminêre eius opidi præterea, Cicero, Strabo, Plinius, Ptolemæus, & Itineraria, locis ſuprà ſcriptis: & item Martialis lib. III epigram. IIII, his verſibus:

Romam vade liber. ſi, veneris unde, requiret;
Aemiliæ dices de regione viæ.
Si, quibus in terris, qua ſimus in urbe, rogabit;
Corneli, referas, me, licet, eſſe foro.

Sic & in lapide, qui heic extat, vocatur *urbs*, hoc modo:

SEX · VIR
VRBE · CORNEL

At in alio lapide, qui Concordiæ Venetorum habetur, ita legitur:

PATRONO · SEX · VIR · FORO
CORNELI · ET · SE · VIR · IVLIA
CONCORDIA

Apud Procopium Gothicar. rer. lib. II legitur in vulgatis exemplaribus Φοροκόρνηλις· pro quo alia habent Φόρον Κορνηλίου. at ego ipſum Procopium ſcripſiſſe dixerim Φοροκορνήλιος; pro more eius ævi; quo pleraque vocabula neutrius generis in ον formabantur genere feminino in ος: ut haud ſemel jam anteà monui: geminatæ autem opidorum adpellationes in unam ſimplicem dictionem contrahebantur. unde eidem Procopio in Gothicis ſunt opida, Κεντουκέλλαι, Οὐρβισαλία, Οὐρβιβεντὸς *Centucellæ, Vrbiſalia, Vrbiventus:* quæ anteà erant *Centum cellæ, Vrbs Salvia, Vrbs vetus.* & in Vandalicis Ἱππονερέγιον, *Hipponeregium:* quod erat *Hippo Regius.* De cætero, antiquiſſima equidem *Fori Cornelii* mentio apud Ciceronem loco ſuprà ſcripto reperitur. at jam inde à *L. Cornelio Syllâ* originem nomenque, circa annum ante natum Chriſtum LXXX, accepiſſe, ex antiquis colligere licet martyrologiis, Vſuardi, Adonis, & aliorum; in quibus ita ſcriptum eſt: *Idibus Auguſti, in Foro Syllæ natalis S. Caſſiani.* In vitâ autem huius S. Caſſiani, quam Mombritius tomo primo ac Surius tomo IIII, referunt, epiſcopum ipſum fuiſſe narratur Brixianum: indeque pulſum, Romam venturum, Imolæ conſediſſe; ibique ludum literarium aperuiſſe; ac tandem martyrium conſumaſſe. Prudentius, Hymno XII; qui inſcribur, *Paſſio Caſſiani Forocornelienſis:*

Sylla forum ſtatuit Cornelius. hoc Itali urbem
Vocant ab ipſo conditoris nomine.

Reliqua jam hinc in Aemilio itinere opida in Senonum Gallorum fuerunt agro: qui anteà fuit Vmbrorum. proinde in horum deſcriptione dicentur. Nunc, ſi qua alia extra viam Aemiliam fuerint in Boiorum Lingonumve agro loca, conquirantur. Plinius lib. III cap. XV; quo hæc regio Italiæ octava à Placentiâ ad Ariminum usque deſcribitur: *Octava regio determinatur Arimino, Pado, Apennino. In orâ fluvius Cruſtumium; Ariminum colonia, cum amnibus Arimino & Aprusâ. fluvius hinc Rubico, quondam finis Italiæ. ab eo Sapis, & Vtis & Anemo; Ravenna, Sabinorum opidum, cum amne Bedeſe. nec procul à mari Vmbrorum Butrium. Intus coloniæ, Bononia, Brixillum, Mutina, Parma, Placentia. opida, Cæſena, Claterna, Forum Clodii, Livii, Popilii, Truentinorum, Cornelii, Licinii, Faventini, Fidentini, Oteſini, Padinates, Regienſes à Lepido, Solonates, Saltuenſes, qui Galliani cognominantur, Aquinates, Tannetani,*

Velia-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Veliates, Vegiates, Vmbranates. In hoc tractu interierunt Boii; quorum tribus CXII *fuiſſe, auctor eſt Cato. item Senones; qui ceperant Romam.* Ex his *Veliates*, in confinio Liguriæ & Galliæ Cispadanæ ſuprà Placentiam ſitos, Liguriæ ſuprà cap. VIII & X adſeruimus. *Fora, Livii, Popilii, Truentinorum*, in Senonum anteà fuêre agro: ſed poſteà Boiorum nomini acceſſerunt; ut mox infrà videbimus. FORVM autem CLODII, & FORVM LICINII, item VEGIA & VMBRANVM, quo ſitu fuerint, planè ignoratur: ſiquidem nulla eorum vocabulorum exſtant veſtigia. quæ tamen & ipſa quibusdam in exemplaribus leguntur *Laccini, Regiates, Vrbinates*.

At SOLONA, à qua opidani SOLONATES, haud dubiè id fuit opidum, quod IIII millia ſupra Forum Livii, in ſiniſtrâ Vtentis, ſive, ut nunc vocatur, Montonis amnis ripâ, vulgò hodiè adpellatur *Città del Sole*. quidpe pleraque per Italiam opida, quorum nomini vox *Città*, ſive *Cività*, id eſt, *Civitas*, adpoſita eſt, eâ ipsâ antiquitatis ſuæ indicium faciunt. Et fuiſſe hoc tractu *Solonam* circa Sarſinam & Ariminum, antiquus quoque teſtatur lapis, in cuius inſcriptione inter alia hæc leguntur verba: SOLONA *opidum.*

SARSINATIVM
SOLONATIVM
PATRON · COL · AVG
ARIMIN ·
CIVIVM · ARIMINENSIVM

Apud Antoninum iter legitur huiusmodi:

A Faventiâ Lucam
M · P · CXX, *ſic*:

In Caſtello	XXV
Anneiano	XXV.
Florentia	XX.
Piſtores	XXV.
Luca	XXV.

Singulorum locorum numeri in unum collecti quamvìs cum præmiſsâ ſummâ CXX millium conveniant; tamen nonnullos eſſe corruptos, certum eſt; quando à Faventiâ, adſcendendo vallem Anemonis fluvii, ad ſummum Apennini tranſitum, qui eſt inter fonteis Anemonis & Rontæ fluviorum, quorum hic in Sevam confluit, Seva autem in Arnum, millia ſunt haud ampliùs XXX; hinc verò Florentiam XX. Scriptum igitur fuiſſe, ſuſpicor, hoc modo:

Faventia	
Caſtello	XXV.
In Apennino	V.
Florentia	XX.

CASTELLVM autem hoc fuerit id opidum, quod ferè in ruinis jacens, vulgò dicitur *Marradi*. CASTELLVM *opidum.*

Plinii BVTRIVM *opidum* qui idem eſſe volunt, quod nunc inter Bononiam & Padum, apud Idicem amnem, vulgò vocatur *Butrio* & *Budrio*, XL millia paſſuum à mari remotum; vehementer errare mihi videntur: errore tamen Ptolemæi, tum nominis ſimilitudine haud dubiè impulſi. Ptolemæus: Κενομανῶν, οἵ εἰσιν ὑπὸ τ̃ Οὐενετίαν, Βέργομον, Φόρος Διουγουντῶν, Βρηξία, Κρεμῶνα, Οὐηρῶνα, Μάντουα, Τριδέντε, Βούτριον. Id eſt: *Cenomanorum, qui ſub Venetiâ incolunt, opida ſunt, Bergomum, Forum Diuguntorum, Brixia, Cremona, Verona, Mantua, Tridente, Butrium*. Hoc, me hercules, non magis fuit Cenomanorum, quàm *Bergomum* atque *Tridentum*: quorum hoc Rætorum, illud erat Orobiorum. A mari autem & litore Ravennatium, quorum fuiſſe *Butrium* teſtatur Strabo, proximi Cenomanorum fines circa Hoſtiliam vicum LXXX millia remoti fuerunt. Strabonis hæc ſunt lib. V: Ἐν δὲ τοῖς ἕλεσι μεγίστη μέν ἐστι BVTRIVM *opidum.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Ῥάβεννα. * . * . Ἔστι δὲ καὶ τὸ Ἄλτινον ἐν ἕλεσι· μεταξὺ δὲ Βούτριον, τῆς Ῥαβέννης πόλισμα· καὶ ἡ Σπῖνα, νῦν μὲν κωμίον, πάλαι δὲ Ἑλληνὶς πόλις ἔνδοξος. Φασὶ δὲ καὶ ἐπὶ θαλάττῃ ὑπάρξαι. νῦν δ' ἐστὶν ἐν μεσογαίᾳ τὸ χωρίον, περὶ ἐνενήκοντα τῆς θαλάττης σταδίους ἀπέχον. Id eſt: *In paludibus maxima eſt Ravenna.* Mox: *Eſt & Altinum in paludibus. In medio earum eſt Butrium, Ravennatium opidulum; & item Spina; nunc quidem vicus exiguus; at olim Græca urbs illuſtris. quam etiam ad mare aiunt fuiſſe ſitam. nunc in mediterraneo eſt, ſtadia à mari circiter* XC. Tot ſtadia faciunt millia paſſuum XI & paſſus CCL. At Plinius ait; *Nec procul à mari Vmbrorum Butrium.* quod ſanè de hodierno Butrio, XL millia à mari ſito adfirmari minimè poterat. Tabula itineraria iter refert huiusmodi:

Ravenna	
Butrio	VI.
Auguſta	VI.
Ad padum	XII.
Sacis	....
Neroma	IIII.
Corniculani	....
Radriani.	VI.
VII *Maria*	VI.
Foſſis	VI.
Ebrone	XVIII.
Mino meduaco	VI.
Maio meduaco	VI.
Ad pertum	III.
Altino	XVI.

Ex his quum *Auguſta* in Comaclenſibus ſtagnis hodiéque dicatur *Agoſta*; ultra hanc verò *Hadrianum* ſit *Ariano*; & *Ebro* ſive *Edro portus* nunc *Porto di Chioggia*; ut in Venetis docui: ſatis apertè hinc adparet, iter iſtud non ad Idicem usque amnem & hodiernum opidum Butrium; ſed prope oram maritimam circumactum fuiſſe: antiquumque illud *Butrium* medio fuiſſe ſitu iuter Ravennam & vicum divi Alberti: à quo XII numerantur millia ad Ravennam. iter autem iſtud in Tabulâ à librariis eſſe turbatum corruptumque, infrà cap. XXXV in Paſti oſtiorum explicatione patebit; ubi ita reſtituetur:

Ravenna	
Butrio	VI.
Ad Padum	VI.
Auguſta	X.
Sacis	XII.

De cætero Plinius, loco proximè ſcripto, *Vmbrorum* facit opidum *Butrium*: Strabo autem τῆς Ῥαβέννης πόλισμα, *Ravennæ opidulum*. hæc quo pacto inter ſe congruant, patet ex inſequentibus mox Strabonis verbis. Καὶ ἡ Ῥάβεννα δὲ, inquit, Θετταλῶν λέγεται κτίσμα. οὐ φέροντες δὲ τὰς τῶν Τυῤῥηνῶν ὕβρεις, ἐδέξαντο ἑκόντες τῶν Ὀμβρικῶν τινας· οἳ καὶ νῦν ἔχουσι τὴν πόλιν· αὐτοὶ δ' ἀπεχώρησαν ἐπ' οἴκου. Hoc eſt: *Ferunt Ravennam quoque à Theſſalis fuiſſe conditam. qui quum Tuſcorum injurias perferre nequirent; ultro in urbem receptis Vmbrorum quibusdam, qui urbem etiamnum tenent, ipſi domum reverterunt.* Ex his igitur Vmbris quidam Butrium in Ravennati agro condiderunt. Opidani inde dicebantur BVTRINI. Stephani epitomator: Βούτριον, τῆς Ἰταλίας πόλις. τὸ ἐθνικὸν Βουτρῖνος. Id eſt: *Butrium, Italiæ opidum. gentilitium inde Butrinus.*

Cæterùm apud Paullum Diaconum Langobard. rer. lib. II; ubi poſterioris ſæculi Italiæ diviſionem perſequitur; ſic ſcriptum eſt cap. XVIII: *Nona denique provincia in Apenninis Alpibus nuncupatur: quæ inde originem capiunt, ubi Cottiæ Alpes finiuntur. (Hæ Apenninæ Alpes, per mediam Italiam pergentes, Tuſciam ab Aemiliâ, Vmbriamque à Flaminiâ dividunt.) in qua ſunt civitates, Ferronianus, & Montepellium, Bobium, & Vrbinum; necnon & opidum quod Verona adpellatur.* Sed ex his quædam opida

opida poſteà lib. VI cap. XLIX Aemiliæ provinciæ, quæ erat inter Apenninum & Padum, attribuit. *Rex quoque*, inquit, *Liutprandus caſtra Aemiliæ, Foronianum & Montem Pellium, Buxeta, & Perſiceta, Bononiam, & Pentapolim, Auximumque invaſit*. Ex his BOBIVM lib. IIII cap. XLIII in Cottiarum Alpium provinciâ ponit. *Circa hæc*, inquit, *tempora beatus Columbanus, ex Scotorum genere oriundus, poſtquàm in Galliâ in loco, qui Luxovius dicitur, monaſterium conſtruxerat; in Italiam veniens, à Langobardorum rege gratanter exceptus eſt: cœnobiumque, quod Bobium adpellatur, in Alpibus Cottiis ædificavit: quod* XL *millibus ab urbe dividitur Ticinenſi*. Id opidum hodiéque, epiſcopatus titulo inſignitum, vulgò vocatur *Bobbio*, in Apennini radicibus apud Trebiam amnem ſitum. quæ equidem loca Ligures olim ſub Romanorum imperio tenuiſſe, ſuprà oſtenſum eſt. At *opidum* BVXETA (quod pluralis numeri eſt vocabulum) in ipsâ Aemiliâ regione eſt prope Padum circa Cremonam, vulgari nunc vocabulo *Buſſeto*. PERSICETA item *opidum* ſive *caſtrum* memoriam antiqui nominis ſervat, vulgò nunc *S. Giovanni in Perſiceto* dictum, ab eodem viæ Aemiliæ latere; VIIII circiter millia à Mutinâ. Meminit eius etiam Chronicon Caſinenſe lib. I cap. LVII, his verbis: *In comitatu Mutinenſi, fundo, qui Perſiceta dicitur*. Ab altero viæ latere, quod Apenninum ſpectat, haud procul à Bazano atque Saviniano opidis, eſt *caſtrum* MONS PELLIVS, vulgò nunc *Monte Veglio*, & *Veio* adpellatum. FORONIANVM *caſtrum*, dubito, an is fuerit locus, qui nunc vicus, apud Nuram flumen ſupra Placentiam vulgò dicitur *Fulignano*, ſive *Fuliniano*. & vehementer ſuſpicor, ſcriptum fuiſſe ab ipſo Paullo Diacono FORONOVANVM *caſtrum*: quod opidum antiquitus dicebatur FORVM NOVVM; nunc autem vulgò eſt *Fornuovo*, apud Tari Cevique amnium confluenteis, X millia paſſuum à Parmâ diſſitum. unde inſcriptio antiqua, quæ Parmæ exſtat, ſic habet:

BOBIVM, BVXETA, PERSICETA, MONS PELLIVS; *caſtra*.

FORVM NOVVM, *municipium*.

PATR · COL · AVG · PARM
PATR · MVNICIPIORVM · FORODRVENT · ET · FORO
NOVANORVM

Tanta igitur huius *Fori novi* olim, quum *municipium* foret Romanorum, fuit celebritas. Apud Frontinum in libro de Coloniis ita ſcriptum eſt: *Foronovanus ager per limites & centurias eſt adſignatus*. Mox: *Variis autem locis per inſtructuras, arcas, rivorum vel fluminum curſus, ſed & juga montium atque ſupercilia, fines ſervantur*. Quum in Sabinis quoque, & item in Hirpinis, utrâque montosâ regione, fuerit opidum *Forum novum*; ut infrà ſuis locis oſtendetur; incertum eſt, quodnam ex tribus iſtis intellexerit hoc loco Frontinus. Porrò inter viam Aemiliam & Apenninum montem, circa ſiniſtram Tari fluminis ripam, in collibus duo ſunt opida, quorum alterum *Varano de' Marcheſi*, alterum *Varano de' Malagari* vulgò adpellatur. ex his unum puto eſſe, quod Diacono VERONA vocatur. VRBINVM neſcio an verum ſanumque heic ſit loci in Aemiliâ regione nomen.

De cætero apud eumdem Dicaonum lib. V cap. XXVII ita ſcriptum eſt: *Sed & Forum Popilii rex Grimoaldus, quum cives ei adverſa quædam intulerant, Beneventum proficiſcenti, hoc modo delevit: Quadrageſimorum tempore per Alpem Bardonis Tuſciam ingreſſus, neſcientibus omnibus Romanis in ipſo ſacratiſſimo Sabbatho Paſchali, ſuper civitatem, eâ horâ, qua baptiſmus fiebat, inopinatè irruit*. Et lib. VI cap. LVIII: *In ſummâ quoque Bardonis Alpe monaſterium, quod Bercetum dicitur, ædificavit Liutprandus rex*. Quo ſitu utrumque nomen fuerit, patet ex Chronico Caſſinenſi; quod lib. I cap. VIIII ſic habet: *Fecit autem idem inclytus rex Pipinus, unà cum filiis Carolo & Carlomanno, conceſſionem beato Petro, eiusque vicario, de civitatibus Italiæ ac territoriis per deſignatos fineis: Alunis, cum inſulâ Coriſitâ; inde Inſuranum; inde in Montem Bardonem, Vercetum, Parmam, Regium, Mantuam, & Montem Silicis; ſimulque omnem exarchatum Ravennæ; ſicut antiquitus fuit, cum provinciis Venetiarum & Hiſtriæ*. Lege; *A Lunis, cum inſulâ Corſicâ; inde in Sarzanum; inde in Montem Bardonis*. Huc adde & Liuthprandum Ticinenſem; qui lib. I cap. XI ita ſcribit: *Quumque Adelbertus, Tuſcorum marchio, & Hildebrandus comes, cum diverſo & invalido Tuſcorum exercitu Bardonis montem tranſirent; Lanthberto regi, ut ſeſe res habuerat, nunciatur. Is verò, (ſicut erat animi conſtans viribusque potens) ſuos non paſſus eſt milites præſtolari: ſed collectis, quos ſecum habebat,*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

centum ferè militibus, curſu præpeti eis occurrere feſtinat. Iamjam Placentiam venerat,
quum juxta fluvium Seſterrionem ad Burgum, in quo ſanctiſſimi & pretioſi martyris Domi-
nici corpus poſitum, caſtra metaſſe nunciatur. Heic quoque corrige, *martyris Domnini*;
ut ſuperiori capite in Anamanis martyrologia ad Fidentiam opidum habent; quod
nunc etiam vulgò dicitur *Borgo di San Donnino*, apud *Seſterrionem fluvium*; qui nunc
BERCETVM opidum. eſt *Seſtirone*, & nonnullis *Stirone*, in Tarum amnem confluens. BERCETVM igitur
id eſt opidum, quod ſupra urbem Parmam, medio ſitu inter Tarum Parmamque
flumina poſitum, hodiéque vulgò adpellatur *Berceto* ſive *Berzeto*: incolarum verò
rudiori lingvâ *Berzè*, & *Brezè*. Ex huius igitur *Berceti* ſimulque ex *Sarzanæ* opidi
BARDONIS mons. documento apertiſſimè jam liquet, BARDONIS *montis* tranſitum nullum eſſe
alium, quàm per quem, celeberrimo hodiéque itinere, ex Macræ amnis valle, ab
opidis, *Sarzanâ*, *Vlâ*, *Villâ francâ*, & *Ponte Tremulo* tranſitur ad Bercetum. unde
porrò iter fert per Forum Novum ad Parmam urbem. Romanorum etiam duces
olim hàc exercitus ductitaſſe, ſuprà ad Mutilum Boiorum caſtrum docui. Sed hunc
Bardonem montem Ligures tunc *Apuani* tenebant.

LITANA ſilva. Memoratur porrò Livio atque Frontino in Boiis LITANA SILVA. Frontinus
Strategemat. lib. I cap. VI: *Boii in ſilvâ Litanâ, quà tranſiturus erat noſter exercitus,*
ſucciderant arbores; ita, ut ex parte exiguâ ſuſtentatæ ſtarent, donec impellerentur. Deli-
tuerant deinde ad extremas ipſi Boii. &, ingreſſo ſilvam hoſte; proximas in ulteriores im-
pulerunt. eo modo propagatâ pariter ſupra Romanos ruinâ, magnam manum eliſerunt. Li-
vius lib. XXIII: *Quum eæ res maximè agerentur, nova clades nunciata; alia ſuper alia cu-*
mulante in eum annum fortunâ: Poſthumium, conſulem deſignatum, in Galliâ ipſum at-
que exercitum deletos. Silva erat vaſta, (Litanam Galli vocant) quà exercitum traductu-
rus erat. eius ſilvæ dextrâ lævâque circa viam Galli arbores ita inciderant, ut immotæ ſta-
rent; momento levi impulſæ occiderent. Legiones duas Romanas habebat Poſthumius; ſo-
ciûmque ab ſupero mari tantum conſcripſerat, ut XXV *millia armatorum in agros hoſtium in-*
duxiſſet. Galli oras extremæ ſilvæ quum circumſediſſent, ut intravit agmen ſaltum, tum
extremas arborum ſucciſarum impellunt. quæ alia in aliam, inſtabilem per ſe ac malè hæ-
rentem, incidentes, ancipiti ſtrage arma, viros, equos, obruerunt; ut vix decem homines
effugerent. nam quum exanimati plerique eſſent arborum truncis fragmentisque ramorum;
cæteram quoque multitudinem, inopinato malo trepidam, Galli, ſaltum omnem armati cir-
cumſedentes, interfecerunt; paucis è tanto numero captis; qui pontem fluminis petentes, ob-
ſeſſo antè ab hoſtibus ponte, intercluſi ſunt. Ibi Poſthumius omni vi, ne caperetur, obnixus,
occubuit. Spolia corporis caputque ducis præciſum Boii ovantes templo, quod ſanctiſſimum
eſt apud eos, intulère. Et poſteà lib. XXXIIII: *Eâdem æſtate alter conſul, L. Valerius*
Flaccus in Galliâ cum Boiorum exercitu propter Litanam ſilvam ſignis collatis ſecundo præ-
lio conflixit. Et eodem libro deinde: *L. Valerius conſul, quum, poſt fuſos circa Litanam*
ſilvam Boios, quietam provinciam habuiſſet; comitiorum causâ Romam redit. In Boiis
fuiſſe hanc *Litanam ſilvam*, ſatis certum eſt. at quo tractu, id planè incertum. In
Apennini tamen radicibus fuiſſe, ex Zonaræ Annalibus perſpicitur. is quidpe lib.
II ita tradit: Ὁ δὲ Ποστούμιος Ἀλβῖνος μετὰ παντὸς τοῦ στρατοῦ ὑπὸ τῶν Βοϊῶν ἐφθάρη, δι᾽ ὄρους ὑλώ-
δους πορευόμενος, καὶ ἐνεδρευθείς. Id eſt: *At Poſthumius Albinus cum omni exercitu à Boiis*
cæſus eſt, in tranſitu ſilvoſi montis inſidiis exceptus.

Atque hactenus loca, quæ inter Tarum & Vtentem amneis Boiorum Lingonum-
que fuêre propria, explicata ſunt. reſtat, uti ea quoque dicantur, quæ inter Vten-
tem ac Rubiconem ab initio quidem Senonum fuêre, poſteà verò, his exciſis, Boio-
rum nomini acceſſerunt; ſteteruntque inde perpetuò ſub *Togatæ Galliæ* titulo.

Viâ igitur Aemiliâ opida Itinerariis antiquis memorantur iſta:

Tabulæ:		Hieroſolymitano;		Antonini;	
Faventiâ		*Faventiâ*		*Faventiâ*	
Foro Livî	X.	*Foro Livî*	V.	*Foro Iulî*	X.
Foro populi	VII.	*Foro populi*	VI.	|	
Curva Ceſena	VII.	*Ceſena*	VI.	*Curva Cæſena*	XIII.

Plinius lib. III cap. XV, quo Galliæ Ciſpadanæ opida recenſet; *Opida*, inquit, *Cæſena*,
Claterna, *Forum Clodii*, *Livii*, *Popilii*, *Truentinorum*, *Cornelii*. Et Ptolemæus in eâ-
dem

dem Galliâ: Βονωνία, Κλατέρνα, Φόρος Κορνηλίου, Καισῆνα, Φαυεντία. Id eſt: *Bononia, Claterna, Forum Cornelii, Cæſena, Faventia.*

FORVM LIVII; *opidum.*

Ex his FORVM LIVII, quod in Antonini itenerario librariorum incuriâ alienum cognomentum habet *Iuli*, hodiè vulgò incolis vocatur *Forlì*, apud dextram Vtentis ſive Montonis ripam, x millia paſſuum â Faventiâ diſſitum. Memoratur prætereà Iornandi quoque in Rebus Gothicis. *Athaulfus*, inquit, *imperatoris Honorii germanam Placidiam in Foro Livii, Aemiliæ civitate, ſuo matrimonio copulavit.*

FORVM POPILII, *opidum.*

Hinc ad IIII millia paſſuum eſt opidulum vulgari vocabulo *Forlimpopolo*, & ſæpiùs *Forlì piccolo*, quaſi *Forum Livii minus*, dictum: â quo porrò ad *Cæſenam* VI ſunt millia paſſuum. unde adparet antiquum id eſſe FORVM POPILII; cuius cognomentum utrùm jam inde antiquis temporibus corruptum fuerit in *Populi*; ut duo iſta Itineraria habent; an verò librarii poſteà ſic id vitiârint; incertum habeo. Dionyſio certè Halicarnaſſenſi lib. I & item Ptolemæo Paulloque Diacono Langobard. rer. lib. V cap. XXVII, Campaniæ quoque opidum eſt *Forum Popilii*; quod & ipſum apud Frontinum inter colonias Romanas legitur corrupto vocabulo *Forum Populi*. & Tabulæ item itinerariæ in Lucaniæ finibus tertium eſt *Forum Popili*, diſertis literis perſcriptum.

CAESENA *opidum.*

Καισῆνα, CAESENA *opidum* nomen hodiè retinet, vulgò *Céſena* dictum. Memoratur prætereà Straboni, Procopio, & Agathiæ. Strabo lib. V: Καισῆνα, πρὸς τῷ Ἰσάπιδι ποταμῷ καὶ τῷ Ῥουβίκωνι, ἤδη συνάπτει τῷ Ἀριμίνῳ. Id eſt: *Cæſena apud Iſapin & Rubiconem amneis, jam Arimino propinquior eſt.* Apud Agathiam lib. I vocabulum id corruptum legitur obliquo caſu εἰς Κισσήνην τὴν πόλιν, id eſt, *in Ciſſenam urbem:* & apud Procopium Gothicar. rer. lib. Κισίναν τὸ φρούριον, *Ciſinam caſtellum*; lib. III recto caſu Κισίνη; lib. II Κυσίνην, & Κυσίνης· eodem verò libro antè ita ſcriptum eſt; Ἔστι δὲ καὶ ἄλλα φρούρια δύο, καὶ Σίνα τε καὶ Μόντης Φερέντης. ubi anteà ſcriptum fuerat, Καισήνα τε καὶ Μόντης Φερέντης. id eſt: *Sunt & alia duo caſtella, Cæſena & Mons Ferens.* Vnde jam ſatis adparet, & Procopium & Agathiam, qui utrique ſub Iuſtiniano imperatore vixerunt, ſcripſiſſe Καισήνη & Καισῆνα, ut Ptolemæus. De cætero miror, à Procopio adpellari φρούριον tantùm; id eſt, *caſtellum*; quum Agathiæ dicatur πόλις, *urbs:* idque eò magis miror, quòd jam CLXX fermè annis ante Procopium Antoninus bis in duobus diverſis itineribus *civitatem* adpellet: quod ille non niſi præcipuis urbibus tribuit. unde etiam in Tabulâ itinerariâ ſignum primariæ urbis nomini eius adpictum eſt. Vtrique CVRVA CAESENA unde cognominata fuerit, nondum diſpicio. Opidani inde dicuntur Plinio lib. XIIII cap. VI, & Sidonio Apollinari lib. I epiſt. VIII, CAESENATES.

FORVM DRVENTINORVM, *opidum.*

At Plinii illud ſuprà memoratum FORVM TRVENTINORVM, ſeu, ut lapides antiqui habent, DRVENTINORVM, haud inſcitè puto viros doctos interpretari opidum nunc epiſcopale, haud procul à Foro Popilii verſùs meridiem, vulgari vocabulo *Bertinoro*. nam & vocabulum adludit, & epiſcopalis dignitas loci antiquitatem indicat. *Municipium* aliquando fuiſſe, oſtendunt duæ antiquæ inſcriptiones; quarum alteram, quæ Parmæ exſtat, paullo antè citavi; altera, quæ Arimini eſt, hæc verba refert:

C · FRASELLIO · C · F
RVFIONI · EQ · PVBL
CVR · REIP · FORODR · PATR · COL · ARIM
ITEMQVE · VICANORVM · VICORVM · VII
VICANI · VICI · DIANENSIS
POSVERE

Fuiſſe id opidum haud ita longè ab Arimino, ex hac maximè adparet inſcriptione.

Porrò ora maritima inter Vtentem & Rubiconem deſcribitur Plinio prædicto lib. III cap. XV his verbis: *Octava regio determinatur Arimino, Pado, Apennino. In orâ fluvius Cruſtumium; Ariminum colonia, cum amnibus Arimino & Aprusâ; fluvius hinc Rubico; quondam finis Italiæ. ab eo Sapis & Vitis & Anemo: Ravenna, Sabinorum opidum, cum amne Bedeſe. nec procul à mari Vmbrorum Butrium.* Capite verò præce-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

denti ita ſcribit : *Iungitur his* [ſcilicet *Picentibus*] *Sexta regio, Vmbriam complexa agrumque Gallicum circa Ariminum. Ab Ancona Gallica ora incipit, Togatæ Galliæ cognomine. Siculi & Liburni plurima eius tractus tenuêre ; in primis Palmenſem, Prætutianum, Hadrianumque agrum. Vmbri eos expulêre ; hos Etruria ; hanc Galli. Vmbrorum gens antiquiſſima Italiæ exiſtimatur ; ut quos Ombrios à Græcis putent dictos, quòd inundatione terrarum imbribus ſuperfuiſſent.* CCC *eorum opida Tuſci debellaſſe reperiuntur. Nunc in orâ flumen Aeſis, Senogallia, Metaurus fluvius, colonia Fanum Fortunæ, Piſaurum cum amne.* Quanti in his verbis ſint errores, vel ſaltem rerum, locorum, hominumque confuſiones, partim proximo hinc capite in Senonibus, partim infrà lib. II cap. IIII in Vmbris docebo. in præſens ſufficiat monuiſſe ; ut ab Anconâ, Piceni urbe, initium Galliæ Togatæ facit ; inter quam tamen & Picenum terminus fuit Aeſis fluvius, XII millia paſſuum ab Anconâ diſſitus : ſic poſteà Octavam regionem, quæ omnem Galliam Ciſpadanam comprehendebat, Arimino ait finiri ; nec minùs tamen in eâ primum memorat flumen Cruſtumium, inter Anconam & Piſaurum in mare ſeſe effundens. Limitem inter Togatam Galliam & Italiæ nomen ab hac parte, poſtquàm Senones Galli hac orâ circa Senam exciſi ſunt, fuiſſe à Romanis obſervatum *Rubiconem* amnem, partim ſuprà cap. XXII oſtenſum eſt, partim proximo hinc capite oſtendetur. Hinc Ptolemæus, qui & ipſe vetuſtiſſima plerumque noviſſimis commiſcet, ſic hanc oram deſcribit : Πικηνῶν πόλεις, Κάστρον, Κύπρα Μαρίτιμα, Τρουεντίνου ποταμοῦ ἐκβολαὶ, Ποτεντία, Νουμάνα, Ἀγκών. Σεμνόνων ὁμοίως, Αἴσιος ποταμοῦ ἐκβολαὶ, Σῆνα Γάλλικα, Φάνον Φορτούνας, Πίσαυρον, Ἀρίμινον. Βοίων Γαλλῶν ὁμοίως, Ῥουβίκωνος ποταμοῦ ἐκβολαὶ, Ῥάβεννα, Πάδου ποταμοῦ ἐκβολαί. Id eſt : *Picentium urbes ſunt, Caſtrum, Cupra Maritima, Truentini fluminis oſtium, Potentia, Numana, Ancon. Senonum item, Aeſis amnis oſtium, Sena Gallica, Fanum Fortunæ, Piſaurum, Ariminum. Boiorum Gallorum item, Rubiconis fluvii oſtium, Ravenna, Padi amnis oſtium.* Plinius itaque non tam ipſos limites *Aeſim* & *Rubiconem* reſpexiſſe videtur, quàm urbeis celeberrimas, quæ limites proximè præcedebant, *Anconam* & *Ariminum.*

RVBICO *amnis.* RVBICO, exiguus breviſque *amnis*, hodiéque ſuperiore ſui parte circa viam Aemiliam, II millia paſſuum ab Cæſenâ in ortum verſùs, vocatur vulgò *Rugone* & *Rigone* ; corruptiúſque nonnullis adcolis *Vrgone* : circa oſtium verò, quòd III millia à Portu Cæſenatico verſùs ortum abeſt, *Fiumecino* ; copioſiſſimis aquis in mare effluens ; quoniam paullo ſupra mare alios duos amneis, ſe ipſo maiores, dextrâ ripâ recipit : quorum alter in viâ publicâ, qua Cæſenâ itur Ariminum, III millia paſſuum à Rubicone remotus, vulgò *Piſatello*, alter totidem millia ultra hunc *Borco* vocatur, omnium maximus, dextrâ ripâ opidum *Savinianum* abluens : unde etiam ipſum Rubiconis oſtium multi adcolarum *Fiume di Savignano* vocant. Sed de Rubicone ingens viris doctis reliquerunt certamen Blondus & hunc ſequutus Leander. Verba illius in deſcriptione Flaminiæ hæc ſunt : *In viâ Flaminiâ Savinianum opidum interſecat Pluſa, vetuſti nominis fluvius ; qui ſub Bellaëre caſtello mare influit Hadriaticum. inde habetur parvus torrens Butrius ; cui ſupra viam Flaminiam adjacet Longianum. ſequitur magni quondam nominis torrens Rubicon : Piſatellum nunc, qui ſub Flaminiâ viâ, Ruconem, qui ſuprà adcolunt, vocant. fuitque olim, ſtante & integrâ republicâ Romanâ, lege prohibitum, ne quiſpiam armatus illum injuſſu magiſtratuum transgrederetur. eaque lex loco mota, in quo ab initio fuit poſita, marmore literis inciſa elegantiſſimis etiam nunc viſitur : quam libuit heic ponere. Iuſſum mandatumve P. R. Cons. Imperator, miles, tyro, commilito, quisquis es manipulariaeve centurio, turmaeve legionariae, hic ſiſtito, vexillum ſinito, nec citra hunc amnem Rubiconem ſigna, ductum, commeatumve traducito. ſi quis huius juſſionis ergo adverſus præcepta ierit feceritve, adjudicatus eſto hoſtis P. R. ac ſi contra patriam arma tulerit, penateſque è ſacris penetralibus asportaverit.* S · P · Q · R · SANCTIO · PLEBISCITI · S, VE · C · Hæc ita apud Blondum in Italiâ illuſtrarâ leguntur : quæ Leander, ut pleraque alia, in Italiam ſuam transſcripſit ; quamquàm inſcriptione marmoris paullo variatâ, in hunc modum : *Iuſſu mandatuve P · R · Cos · imp. trib. mil. tiron. commiliton. arma, quisquis es, manipulariæve centurio turmæve legionariæ, hic ſiſtito, vexillum ſinito, arma deponito, nec citra hunc amnem Rubiconem ſigna, ductum, exercitum, commeatumve traducito. ſi quis ergo huiusce juſſionis adverſus præcepta ierit feceritve, adjudicatus eſto hoſtis P. R. ac ſi contra patriam arma tulerit, penateſque ſacris penetralibus asportaverit.* S · P · Q · R ·

ſanctio

ſanctio plebiſciti S. ve conſulti ultra hos fines arma ac ſigna proferre liceat nemini. Addit præterea Leander; *Blondus tabulam hanc marmoream cum inſcriptione ſe vidiſſe ait. quod mihi ſæpè hàc eunti ſedulóque inquirenti haud licuit. quamquàm fortaſſe nunc aliò translata aut humo tecta eſſe poſſit: quum ſuo loco motam ſe vidiſſe ille dicat.* Vbi Leandri tempore latuerit; item quo loco eam conſpexerit LXXX annis ante Leandrum Blondus; equidem ignoro. cæterùm egomet nuper vidi poſitam ad prædictam publicam viam, II millibus paſſuum à Cæſenâ, apud amnem, qui nunc vulgò dicitur *Rugone*, marmore candidiſſimo, literis haud perinde pulcris, in hunc modum inciſis:

IVSSV · MANDATVVE · P · R · COS
IMP · MILI · TVRO · COMILITO·
MANIPVLARIEVE · CENT · TVR
MÆVE · LEGIONARIOE · ARMAT
QVISQVIS · ES · HIC · SISTITO · VE
XILLVM · SINITO · NEC · CITRA
HVNC · AMNEM · RVBICONEM
SIGNA · ARMA · DVCTVM · CO
MEATVM · EXERCITVMVE · TR
ADVCITO · SI · QVIS · HVIVSCE
IVSSIONIS · ERGO · ADVERSVS
IERIT · FECERITVE · ADIVDICAT
VS · ESTO · HOSTIS · P · C · AC · SI · CO
NTRA · PATRIAM · ARMA · TVLER
IT · SACROS · Q · PENATES · E · PEN
ETRALIBVS · ASPORTAVERIT · SA
NCTIO · PLEBISCITI · SENATVS
VE · CONSVLTI · VLTRA · HOS · FI
NES · ARMA · PROFERRE · LICEAT
NEMINI
S · P · Q · R

Verùm quum opidò quàm barbara atque inepta hæc ſit oratio; meritò prudentiſſimus quisque marmor hoc pro adulterino, ac longè poſteriori demum ſæculo, ut innumera alia per univerſam Italiam, confictо habent. Quòd ſi heic poſita fuiſſet lex, quum Iul. Cæſar amnem cum exercitu trajiceret, bellum Pompeio magno moturus; certè eam reſpexiſſet; certè reſpectam ei lectamque retuliſſent auctores, Svetonius, Plutarchus, Appianus; qui hunc ejus trajectum contra legem ſenatus populique Romani adcuratè narrarunt. At quum Leander Bononienſis, ſæpiùs hac viâ iter fecerit, & Blondi quoque patria Forum Livii XII haud ampliùs millia paſſuum disſita ſit; mirari ego ſatis nequeo, quî illi flumina, quæ recenſent, nominaque eorum ignorare potuerint. quidpe amnis, qui apud caſtellum *Bellaëre* in mare effunditur, non vocatur *Pluſa*; ſed *Luſa*. nec tamen huic adpoſitum eſt opidum *Savinianum*; ſed illi, quem, IIII millia paſſuum in dictâ viâ à Luſâ remotum, vulgò nunc vocari dixi *Borco*. à quo III millia ſunt ad *Piſatellum*; cui ſupra viam imminet à dextrâ ripâ opidum *Longianum*. à Piſatello totidem ſunt millia ad fluviolum, cuius vocabulum ſimplicitate agreſtium adcolarum variè, ut dixi, effertur, *Rucone, Rugone, Rigone, Vrgone*; & interdum *Rigoſa* & *Rugoſa*. apud hunc hodiè viſitur præſcripta inſcriptio marmorea. Tres hi fluvii, ut dixi, in unum alveum confluunt haud ita longè ſupra mare; ubi jam vulgò amnis dicitur *Flumecino*, aquis copioſiſſimis. Atque hos treis hac etiam noſtrâ ætate ita plerique Italorum geographi confuderunt, uti ex *Piſatello* fecerint *Butrium*, eumdem & *Rigoſam*; ex *Rucone Piſatellum*; ex *Borco* apud *Savinianum* opidum *Pluſam*; qui nullus umquàm exſtitit: Blondusque id vocabulum ex nomine *Luſæ* effinxit; uti tandem ex *Pluſâ* Plinii eliceret *Apruſam*: quem apud ipſum Ariminum fluere, infrà ſuo loco patebit. Idem Blondus memoratis erroribus hunc inſuper addit, quòd *Rubiconem*, quem vult nunc eſſe *Piſatellum*, ad portum Cæſenaticum dicat in mare effluere. Sed *Rugonem*, licèt copiâ aquarum longè

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

longè ſit inferior reliquis duobus; præſertim æſtivo tempore; ubi fere totus eius alveus aret: tamen antiquorum eſſe *Rubiconem*, primò vocabulum ipſum evincit; tum veterum ſcriptorum Strabonis atque Lucani auctoritas. quorum ille lib. V, Καισηνὰ, inquit, πρὸς τῷ Ἰσάπιδι ποταμῷ καὶ τῷ Ῥουβίκωνι, ἤδη συνάπτει τῷ Ἀριμίνῳ. Id eſt; *Cæſena apud Iſapin & Rubiconem amneis, jam Arimino propinquior eſt.* *Iſapis* ſub ipſis mœnibus Cæſenæ ab occidente labitur: ad *Rugonem*, ut antè dixi, versùs orientem, ſunt ab urbe duo haud ampliùs millia paſſuum. Lucanus lib. I ita deſcribit *Rubiconem*:

—Vt ventum eſt parvi Rubiconis ad undas.

Paullo pòſt:

Fonte cadit modico, parvisque impellitur undis,
Puniceus Rubicon, quum fervida canduit æſtas,
Perque imas ſerpit valleis, & Gallica certus
Limes ab Auſoniis diſterminat arva colonis.
Tum vires præbebat hiems, atque auxerat undas
Tertia jam gravido pluvialis Cynthia cornu,
Et madidis Euri reſolutæ flatibus Alpes.
Primus in obliquum ſonipes opponitur amnem,
Excepturus aquas. molli tum cætera rumpit
Turba vado facileis jam fracti fluminis undas.
Cæſar, ut adverſam ſuperato gurgite ripam
Attigit, Heſperiæ vetitis & conſtitit arvis;
Heic, ait, heic pacem temerataque jura relinquo.
Te Fortuna ſequor. procul hinc jam fœdera ſunto.

Quomodò *puniceus* intelligendus, docet Sidonius Apollinaris lib. I epiſt. V. *Ravennâ*, inquit, *progreſſis ad Rubiconem ventum: qui originem nomini de glarearum puniceo colore mutuatur: quique olim Gallis Ciſalpinis Italisque veteribus terminus erat.* Cæterùm *parviſſimis* equidem, ut dixi, *impellitur undis, quum fervida canduit æſtas; ſerpit*que veriùs, quàm labitur, *per imam vallem*, etiam apud prædictam inſcriptionem, quà Cæſenâ itur Ariminum. at hac parte Cæſar non trajecit; ſed infrà, apud oſtium: ubi etiam æſtate ſatis copioſas è ſuprà dictis duobus fluminibus recipit atque in mare defert aquas. ſic namque tradit Appianus Civil. bellor. lib. II: Ὁ δὲ Καῖσαρ ἄρτι τὸν Ὠκεανὸν ἐκ Βρεττανῶν διεπεπλεύκει, καὶ ἀπὸ Κελτῶν, τῶν ἀμφὶ τὸν Ῥῆνον, τὰ ὄρη τὰ Ἄλπεια διελθὼν σὺν πεντακισχιλίοις πεζοῖς καὶ ἱππεῦσι τριακοσίοις, κατέβαινεν ἐπὶ Ῥαβέννης, ἣ συναφής τε ἦν τῇ Ἰταλίᾳ, καὶ τῆς Καίσαρος ἀρχῆς τελευταία. * — * — *. Τοὺς μὲν οὖν λοχαγοὺς αὐτῶν σὺν ὀλίγοις τοῖς μάλιστα εὐτολμοτάτοις, εἰρηνικῶς ἐσταλμένοις, προύπεμπεν ἐσελθεῖν ἐς Ἀρίμινον, καὶ τὴν πόλιν ἄφνω καταλαβεῖν, ἥδ᾽ ἐστὶν Ἰταλίας πρώτη μετὰ τὴν Ἰταλίαν· αὐτὸς δὲ περὶ ἑσπέραν, ὡς δὴ τὸ σῶμα ἐνοχλούμενος, ὑπεχώρησε τοῦ συμποσίου, τοὺς φίλους ἀπολιπὼν ἔτι ἑστιᾶσθαι· καὶ ζεύγους ἐπιβὰς, ἤλαυνεν ἐς τὸ Ἀρίμινον, ἑπομένων οἱ τῶν ἱππέων ἐκ διαστήματος. δρόμῳ δ᾽ ἐλθὼν ἐπὶ τὸν Ῥουβίκωνα ποταμὸν, ὃς ὁρίζει τὴν Ἰταλίαν, ἔστη τοῦ δρόμου· καὶ ἐς τὸ ῥεῦμα ἀφορῶν, περιεφέρετο τῇ γνώμῃ, λογιζόμενος ἕκαστα τῶν ἐσομένων κακῶν, εἰ τόνδε τὸν ποταμὸν σὺν ὅπλοις περάσειε. καὶ πρὸς τοὺς παρόντας εἶπεν ἀνενεγκών, Ἡ μὲν ἐπίσχεσις, ὦ φίλοι, τῆσδε τῆς διαβάσεως ἐμοὶ κακῶν ἄρξει, ἡ δὲ διάβασις, πᾶσιν ἀνθρώποις. καὶ εἰπὼν, οἷά τις ἔνθους, ἐπέρα σὺν ὁρμῇ, τὸ κοινὸν τόδε εἰπὼν, Ὁ κύβος ἀνερρίφθω. Δρόμῳ δ᾽ ἐντεῦθεν ἐπιὼν, Ἀρίμινον αἱρεῖ περὶ ἕω. Hoc eſt: *Cæſar, recèns Oceano trajecto reverſus è Britanniâ, emenſusque Galliam Rheno finitimam, & ſuperatis Alpibus cum* V *millibus peditum equitibusque* CCC, *petebat Ravennam; quæ Italiæ contermina erat, extrema in ipſius provinciâ.* Aliquanto pòſt: *Itaque centuriones cum animoſis aliquot Ariminum præmiſit, pacato habitu; juſſos repentè urbem eam occupare: quæ Italicarum prima ſe offert è Galliâ venientibus. ipſe ſub veſperam, quaſi malè adfectus corpore, digreſſus è convivio, amicis ibi relictis, conſcenſâ rhedâ properavit Ariminum; equitibus longo intervallo ſequentibus: quumque continuato curſu perveniſſet ad Rubiconem amnem; defixis in eum oculis, hæſitabat nonnihil; cogitans futuras calamitates, ſi armatus amnem trajiceret. tandem, verſus ad comites, Amici, inquit, tranſitus hic dilatus, mihi erit malorum omnium initium; properatus verò, omnibus hominibus. & cum dicto, quaſi numine adflatus, cœpit magno impetu trajicere: vulgare illud exclamans, Iacta ſit alea. Inde pari celeritate progreſſus, Ariminum primâ luce occupat.* Svetonius in vitâ Cæſaris; cap. XXX: *Tranſiit in Citeriorem Galliam. conventibusque peractis, Ravennæ ſubſtitit; bello vindicaturus, ſi quid de*

tribunis

tribunis plebis, intercedentibus pro ſe, gravius à ſenatu conſtitutum eſſet. Et cap. XXXI: *Quum ergo, ſublatam tribunorum interceſſionem, ipſisque Vrbe ceſſiſſe, nunciatum eſt: præmiſſis confeſtim clam cohortibus, ne qua ſuſpicio moveretur; & ſpectaculo publico per diſſimulationem interfuit, & formam, qua ludum gladiatorium erat ædificaturus, conſideravit, & ex conſvetudine convivio ſe frequenti dedit. dein, poſt Solis occaſum, mulis è proximo piſtrino ad vehiculum junctis, occultiſſimum iter modico comitatu ingreſſus eſt. &, quum, luminibus exſtinctis, deceſſiſſet viâ; diu errabundus, tandem ad lucem duce reperto, per anguſtiſſimos tramites pedibus evaſit. conſequutusque cohorteis ad Rubiconem flumen, qui provinciæ eius finis erat; paullùm conſtitit: ac reputans, quantum moliretur; converſus ad proximos, Etiam nunc, inquit, regredi poſſumus. quòd ſi ponticulum tranſierimus, omnia armis agenda erunt.* Cap. XXXII: *Cunctanti oſtentum tale factum eſt: Quidam eximiâ magnitudine & formâ, in proximo ſedens repentè adparuit, arundine canens. ad quem audiendum quum, præter paſtores, plurimi etiam ex ſtationibus milites concurriſſent; interque eos & æneatores; raptâ ab uno tubâ, proſiluit ad flumen: & ingenti ſpiritu claſſicum exorſus, pertendit ad alteram ripam. Tunc Cæſar, Eatur, inquit, quò deorum oſtenta & inimicorum iniquitas vocat. Iacta alea eſt, inquit.* Ipſe Cæſar de Bello civili comment. I: *Profugiunt ſtatim ex Vrbe tribuni plebis; ſeſeque ad Cæſarem conferunt. is eo tempore erat Ravennæ: exſpectabatque ſuis leniſſimis poſtulatis reſponſa.* Poſteà: *Cognita militum voluntate, Ariminum cum ea legione proficiſcitur.* Sanè neque *puniceus glarearum color* apud prædictam inſcriptionem conſpicitur; terrâ illic ferè albicante: neque *arundinetum* ibidem ullum unquàm fuiſſe potuit in cavâ aridâque valle. verùm ad oſtium Rubiconis, ſive, ut nunc vocatur, *Fiumecini*, utrumque hodiè quoque viſitur. Iter hàc deſcribitur in Itinerariis antiquis tale:

Tabula;		Antoninus;	
Ravenna		*Ravenna*	
Sabis	XI.		
Ad Novas	XI.		
Rubico fl.	III.		
Arimino	XI.	*Arimino*	XXXIII.

Hodiè loca hoc itinere tranſeuntur, quorum vocabula vulgaria ſunt iſta:

Ravenna	
Claſſe	III.
Ponte di Savio	VIII.
Santa Maria del Pino	III.
Cervia	II.
Porto Ceſenatico	V.
Fiumecino	III.
Luſa fiume	II.
Rimini	X.

Quinque iſta millia inter *Cerviam* & *Cæſenaticum portum* adeò magna ſunt, uti meritò pro VI computari poſſint. unde adparet, hunc portum eſſe eum locum, qui in Tabulâ vocatur Ad Novas. Huic argumento accedit & illud, quòd III hinc ſunt millia paſſuum in Tabulâ ad flumen *Rubiconem*, quot hodiéque numerantur ad proximum à portu Cæſenatico amnem, cui vulgare vocabulum *Fiumecino*. Ab hoc amne XII quidem hodiè computantur millia Ariminum usque: at ſunt ea paullo minutiora. Apud Antoninum corruptum arbitror eſſe numerum genuinum millium XXXVI in XXXIII. Eâdem igitur hac viâ olim Cæſar juxta litus iter fecit. pontemque heic jam tum fuiſſe, ſive *ponticulum*, in Rubicone flumine, ex Svetonio patet.

Ad Novas, *locus.*

Cæterùm in Tabulâ itinerariâ ſuprà præſcriptum à Ravennâ ad Ariminum iter aliud perſcriptum eſt in viâ Aemiliâ, quod unà cum Antonino & Hieroſolymitano itinerario habet huiusmodi:

Hieroſo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Hieroſolymitanum;		Tabula;		Antoninus;		Antoninus;		Antoninus;	
Ceſena		*Curva Cæſena*		*Curva Cæſena*		*Cæſena*		*Cæſena*	
Conpetu	VI.	*Ad Confluentes*	VIII.	|		|		|	
Ariminum	XII.	*Ariminum*	XII.	*Ariminum*	XX.	*Ariminum*	XX.	*Ariminum*	XX.

Hodiè id iter agitur per hæc loca:

Céſena	
Rugone fiume	II.
Piſatello fiume	III.
Porco fiume, e Savignano	III.
Luſa fiume, e S. Vito	IIII.
La Madonna	I.
Rimini	V.

AD CONFLVENTEIS, & AD COMPITVM, loca.

Primis quidem tribus intervallis ad Porcum usque flumen juſta ſunt milliaria VIII. at inde Ariminum reliqua X adeò ſunt conciſa, uti vix VIII illa priora ſuperent. Certum igitur vel ex hoc fit documento, non hac priſcos Romanos egiſſe iter ſuum viâ Aemiliâ inter Cæſenam & Ariminum: ſed deflexiſſe ad CONFLVENTEIS prædictorum trium amnium præter Rubiconis ripam: unde mox incidebat in viam Aemiliam aliud illud iter, à Ravennâ Ariminum ferens; apud locum, qui inde COMPITVM vocabatur. Falſiſſimo igitur loco ſuprà memorata inſcriptio hodiè duobus millibus à Cæſenâ ad ſuperiorem Rubiconis partem conſpicitur; & ipſa ſanè falſa, nec minùs adulterina, quàm barbara; barbaro ſæculo ex Cæſaris rebus geſtis imperitè ineptéque conficta. Duo quum fuerint, ut oſtenſum, Rubiconis trajectus; alter in viâ Aemiliâ, apud dictos *Confluenteis*; paullo inferior alter, in viâ, quæ ex Illyrico per Aquileiam Altinumque & Ravennam versùs Ariminum ducebat: duas oportebat ſtatui eiusmodi legis ſenatus populique Romani inſcriptiones. verùm non magis heic, quàm in cæteris provinciarum limitibus poni ſolitam fuiſſe huiusmodi legem, vel inde claret, quòd hactenus inter tam innumeras antiquas inſcriptiones nulla usquàm reperta eſt. De cætero memoratur *Rubico* amnis, præter jam citatos auctores, Ciceroni in Philippicâ VI, Plutarcho in Pompeio ac Cæſare, Vibio Sequeſtro in Catologo fluminum, Oroſio lib. VI cap. XV; & aliis.

SAPIS flumen.

SAPIS *fluvius*, qui Straboni, Plinio, Silio, Lucano, ac Tabulæ Itinerariæ memoratur, vulgò hodiè vocatur *Savio*; quum jam inde auctoris, qui Tabulam confecit, tempeſtate dictus fuerit SABIS. Apud Strabonem ſuprà ſcripto loco neſcio an ſatis ſine exſcriptorum mendo ſit Ἴσαπις, ISAPIS: quum reliquorum ſcriptorum nemo in principio *I* habeat. Plinii Tabulæque verba ſuprà citavimus. Lucani lib. II hæc ſunt:

In lævum cecidêre latus, veloxque Metaurus
Cruſtumiumque rapax, & junctus Sapis Iſauro,
Senaque.

Silii lib. VIII ſunt iſta:

Hos Aeſis Sapisque lavant, rapidasque ſonanti
Vortice contorquens undas per ſaxa Metaurus.

Ab hoc *Sapi* fluvio proximam Vmbriæ partem, circa Sarſinam opidum, adpellatam fuiſſe *Sapiniam tribum*, infrà lib. II in Vmbris docebo.

VTIS & BEDESIS amnes.

Porrò apud Plinium prædicto lib. III cap. XV ita legitur: *Ariminum colonia, cum amnibus Arimino & Aprusâ. fluvius hinc Rubico; quondam finis Italiæ. ab eo Sapis & Vitis & Anemo; Ravenna, Sabinorum opidum, cum amne Bedeſe.* Ex his *Anemo* amnis Tabulæ itinerariæ eſt *Animo*; hodiè verò vulgò vocatur *Ammone*, in Padum defluens à Faventiâ opido, quod alluit. Inter hunc amnem & Sapin duo ſunt flumina memoratu digna, uno ore in mare exeuntes apud Ravennam, quam utrimque cingunt; ab occaſu vulgari vocabulo *Montone*; ab ortu, *Bedeſo*; ſed qui ſuperiore ſui parte *Ronco* vocatur. Hic quum ſit ille Plinii BEDESIS; ſine controverſiâ alter

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

ſiâ alter erit is, qui in omnibus exemplaribus hactenus vitiato vocabulo legitur *Vitis*: quod haud dubiè ipſe Plinius ſcripſit VTIS: unde obliquus caſus fiebat *Vtentis*; ut in Brutio agro *Trais Traëntis* erat, qui nunc eſt vulgò *Tronto*; & in Troiano Aſiæ agro *Simois, Simoëntis*: nempe Græcâ formatione, Οὔτεις, Οὔτεντος· Τράεις, Τράεντος· Σιμόεις, Σιμόεντος. Livius lib. V: *Tum Senones, recentiſſimi advenarum, ab Vtente flumine ad Aeſim fineis habuêre*. Mirari ſatis nequeo eorum ignorantiam atque ſtuporem, qui hodiè quoque in Livii exemplaribus hoc loco curant typis perſcribi, *ab Vſente ad Atheſim*: quorum amnium hic in Rhætis ac Venetis fluebat, vulgò nunc *Adige* dictus; Veronam urbem ſecans: ille in Novo Latio apud Tarracinam opidum in mare inferum effunditur. Sanè haud falſus heic teſtis eſt doctiſſimus Carolus Sigonius; qui teſtatur, antiqua exemplaria mirâ conſenſione habere, *ab Vtente*. ſic quidpe ipſe paſſim in celeberrimis Italiæ, Galliæ, & Britanniæ bibliothecis reperi. Græcam autem flexionem in hoc vocabulo Romani haud dubiè acceperunt ab Ravennatibus Græcis, è Theſſaliâ, ut mox videbimus, quondam huc transgreſſis. In vitâ ſanctorum Hilari & Olybrii; confeſſorum Ravennatium, ita ſcriptum eſt: *Præſidente Symmacho Romæ, Olybrius quidam Ravennas, vir nobiliſſimus, maximâque cùm auctoritate tùm potentiâ, non ſine opinione ſanctitatis monachus factus, in Galigatenſi cœnobio vigebat. per hos enim dies adoleſcens Etruſcus, Hilarus nomine, diligentiùs Deo operam & ſtudium navaturus, paſſibus mille juxta vicum Galigatam, Ravennatis diœceſis, in excelſo atque edito monte, ſub quo Vitis amnis defluit, ab incolis, ut aliqui arbitrantur, Bidens adpellatus, ſeſe conſtituit*. Et poſteà: *Verùm tanta ſolitudinis ab Hilaro atque Olybrio plurimùm expetitæ quies ab Theoderico rege perturbata eſt: qui ad eas radices Apennini, unde, ut aliqui putant, Ravennam aquam adduxerat, juxta Bidentem amnem ædeis ſibi magnificas, quò ſuccedere interdum ſolebat, conſtruxit. cœpit enim frequentari Hilari cœnobium*. Adparet ſanè, haud perinde antiquum eſſe auctorem, qui hæc conſcripſit: quidpe qui diu poſt Theodericum regem fuerit. eò igitur minùs mirum, parum veteris geographiæ gnaro ſæculo vocabula iſta amnium confuſa eſſe. GALIGATA *vicus* hodiéque vulgò adpellatur in Apennini radicibus *Galeata*: ubi ruinæ veteris opidi conſpiciuntur; inſcriptioneſque antiquæ repertæ ſunt; quarum una hæc refert verba; DECVRIONI · MEVANIOLAE. haud procul eſt fons fluvii, qui ſupra Aemiliam viam & opidum Faventiam vulgò *Ronco*, infrà verò *Bedeſo* vocatur. hunc imperiti illi geographiæ antiquæ barbari *Bidentem* adpellarunt; eumdemque opinati ſunt eſſe, qui apud Plinium vitiato jam tum vocabulo legebatur *Vitis*: quum diſertiſſimis verbis Plinius longè diverſum faciat ab hoc *Bedeſim*. Occaſio errandi fortaſſis inde orta, quòd Livii *Vtentem* alii ex Plinio adpellabant *Vitentem*. Sed *Mevaniolam*, jam extra Galliæ Togatæ fineis, Vmbrorum fuiſſe opidum, infrà in horum deſcriptione patebit.

At ipſa RAVENNA *urbs*, vulgò hodiè id nominis eiſdem literis ſervans, inter primas univerſæ Italiæ antiqua eſt; ut quæ diu ante Troianum bellum condita. Hinc Claudianus in Panegyrico de VI conſulatu Honorii: RAVENNA *colonia.*

Dixit; &, antiquæ muros egreſſa Ravennæ,
Signa movet.

Memoratur auctoribus quamplurimis: ſed præcipuis, Ciceroni paſſim in orationibus atque epiſtolis; Cæſari Civilis belli lib. I, Melæ lib. II cap. IIII, Tacito Annal. lib. II, Svetonio in Cæſare & Auguſto ac Tiberio, Philoſtrato in Sophiſtarum vitis, Appiano Civilium bellor. lib. II ac III, Dioni lib. LXIII, Itineratiis antiquis: & quorum verba infrà citabimus, Vegetio, Straboni, Plinio, Silio, Martiali, Ptolemæo, Sidonio Apollinari, Zoſimo, Procopio, Stephani epitomatori: *Opidani* inde dicuntur RAVENNATES; ut mox videbimus. Stephani breviator: Ῥάβεννα, πόλις Ἰταλίας. Ἕρμιππος ὁ Βηρύτιος Ῥούενναν αὐτὴν καλεῖ. Διονύσιος δὲ, ἐν ἑκκαιδεκάτῳ Ῥωμαϊκῆς ἀρχαιολογίας, καὶ πληθυντικῶς, καὶ διὰ τοῦ η, καὶ δι' ἑνὸς ν· Ἀμφότεροι ἀπήντησαν Φλαμίῳ περὶ τὸν καλούμενον Ῥαβηνόν. Τὸ ἐθνικὸν Ῥαβεννάτης, παρ' Ἰταλοῖς Ῥαβεννήσιος. Hoc eſt: *Ravenna, urbs Italiæ. Hermippus Berytius Ruennam eam vocat: Dionyſius verò Romanar. antiquitat. lib. XVI & plurali numero, & per η, & per unicum ν. Ambo obviam progreſſi Flamio apud Ravenum, quem vocant. Gentilitium inde eſt Ravennas; Italis verò Ravennenſis.* Quid hoc? an pluralis numerus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

eſt, τὸν καλούμενον Ῥαβιωνόν; & quis ille *Flaminius*? Mendoſa omnia. Lege; Ἀμ-
φότεροι ἀπηντήσαν Φλαμινίῳ περὶ τὰς καλουμένας Ῥαβήνας. *Ambo obviam progreſſi Fla-*
minio apud Ravenas, quas vocant. Apud Ptolemæum equidem in deſcriptione Ita-
liæ, quæ eſt lib. III, in plerisque exemplaribus eſt plurali numero Ῥάβενναι. at
in uno Vaticanorum reperi eo loco ſingularem Ῥάβεννα, ut in omnibus pariter
exemplaribus eſt lib. VIII. & eodem lib. III poſteà ſic legitur; Ἡ δὲ Γαλλία ἡ
Τογάτα ὑπέρκειται τῶν Ἀπεννίνων ὀρέων, μέχρι Ῥαβέννης ἐκτεινομένη. Id eſt: *Gallia Toga-*
ta ſuprà Apenninos ſita eſt monteis, Ravennam usque extenſa. Certè cunctis Lati-
nis ſcriptoribus conſtanter adpellatur RAVENNA; incolæque eius RAVEN-
NATES; numquàm *Ravennenſes*; ut vult Stephani epitomator. De origine ac
conditoribus urbis inter ſe auctores ambigere videntur. Apud Plinium præſcri-
pto lib. III cap. XV ita ſcriptum: *Ravenna, Sabinorum opidum, cum amne Bedeſe.*
nec procul à mari Vmbrorum Butrium. Longè aliter Strabo ac Zoſimus. quorum hic
lib. V, Ῥάβεννα, inquit, μητρόπολίς ἐστι Φλαμινίας, πόλις ἀρχαία, Θεσσαλῶν ἀποικία, Ῥήνη
κληθεῖσα, διὰ τὸ πανταχόθεν ὕδασι περιῤῥεῖσθαι, καὶ οὐχ, ὡς Ὀλυμπιόδωρος ὁ Θηβαῖος φη-
σι, διὰ τὸ Ῥῶμον, ὃς ἀδελφὸς γέγονε Ῥωμύλῳ, τῆς πόλεως ταύτης οἰκιστὴν γεγονέναι· Κουα-
δράτῳ γὰρ οἱ μεθετέον, ἐν τῇ κατὰ τὸν βασιλέα Μάρκον ἱστορίᾳ τοῦτο περὶ τῆς πόλεως ταύτης δι-
εξελθόντι. Id eſt: *Ravenna metropolis eſt Flaminiæ; urbs ſanè antiqua, Theſſalorum*
colonia: Rhene dicta, quòd eam aquæ ab omni parte circumfluant: non verò inde, ut
Olympiodorus Thebanus ait, quòd Romus, Romuli frater, huius urbis conditor fuerit. hoc
quidpe Quadrato relinquere debuerat; qui de hac urbe in hiſtoriâ Marci imperatoris id
commemoravit. Strabo lib. V: Καὶ ἡ Ῥαούεννα, Θετταλῶν λέγεται κτίσμα. οὐ φέροντες
δὲ τὰς Τυῤῥηνῶν ὕβρεις, ἐδέξαντο ἑκόντες τῶν Ὀμβρικῶν τινας, οἳ καὶ νῦν ἔχουσι τὴν πόλιν·
αὐτοὶ δ᾽ ἀνεχώρησαν ἐπ᾽ οἴκου. Id eſt: *Fertur & Ravenna Theſſalorum eſſe opus. qui,*
quum Tuſcorum injurias non ferrent, Vmbrorum quosdam in urbem ad miſerunt: qui
etiamnum eam tenent. ipſi verò domum reverterunt. Pelaſgos, è Theſſaliâ longè
ante Troianum bellum profectos, urbem in Italiâ ad citimum Padi oſtium, quod
XII millia paſſuum ab Ravennâ abeſt, condidiſſe *Spinam*, auctor eſt Dionyſius
Halicarnaſſenſis lib. I; quem ſuprà lib. I cap. XVIII in Venetiæ opidis citavi-
mus. Ab iisdem igitur Græcis Pelaſgis ſive Theſſalis Ravennam quoque condi-
tam, haud dubium eſt. Hemonam urbem, ultra Alpeis apud Nauportum am-
nem ſitam, haud procul Savo flumine, ab Argonautis conditam fuiſſe, quum hi
ex Ponto Euxino per Iſtrum ac Savum Argô navi adſcendiſſent in Nauportum,
atque inde humeris vel machinis eam in mare Hadriaticum transportarent, pri-
ſcos fabulatos eſſe mortaleis, ſuprà cap. XXI in Hiſtris oſtenſum eſt. hinc Zoſimus
eodem lib. V anteà eamdem narrans fabulam, Μηχαναῖς, inquit, ἐπιθέντες τὴν Ἀρ-
γὼ, καὶ τεσσαρακοσίων σταδίων ὁδὸν ἄχρι θαλάσσης ἑλκύσαντες, οὕτω ταῖς Θεσσαλῶν ἀκταῖς
προσωρμίσθησαν· ὡς ὁ ποιητὴς Πίσανδρος ἱστορεῖ. Id eſt: *Argô navi machinis impoſitâ,*
perque ſtadia CCCC *usque ad mare protractâ, Theſſalorum litoribus adpulerunt; ut tradit*
Piſander poëta. Spinenſeis Ravennateisque intellexit; qui ſoli fuerunt ex Theſſa-
lis in Hadriatico litore, Hiſtriæ oppoſiti. Tuſcos omni regione Circumpadanâ
fuiſſe ejectos à Gallis, antequàm hi urbem Romam anno ante natum Chriſtum
CCCLXXXVIII ceperint, ſuprà cap. XXII docuimus. ergo jam ante eam tempeſta-
tem Græci coloni urbem eam reliquerunt, finitimis Vmbris traditam. Atque
hic quum fuerit inter antiquiſſimos ſcriptores ſuper origine eius conſenſus; me-
ritò aliquis miretur, quidnam uni Plinio venerit in mentem, cur eam *Sabinorum o-*
pidum adpellaret: niſi fortè Zenodotom reſpexerit; de quo ita Dionyſius lib. II:
Ζηνόδοτος δὲ Τροιζήνιος, συγγραφεὺς Ὀμβρικοῦ ἔθνους, αὐθιγενεῖς ἱστορεῖ τὸ μὲν πρῶτον
οἰκῆσαι περὶ τὴν καλουμένην Ῥεατίνην· ἐκεῖθεν δὲ ὑπὸ Πελασγῶν ἐξελαθέντες, εἰς ταύτην
ἀφικέσθαι τὴν γῆν, ἔνθα νῦν οἰκοῦσιν· καὶ μεταβαλόντας ἅμα τῷ τόπῳ τοὔνομα, Σαβίνους ἐξ
Ὀμβρικῶν προσαγορευθῆναι. Id eſt: *Zenodotus Trœzenius, qui Vmbricæ gentis hiſto-*
riam conſcripſit, tradit, indigenas primùm circa Reatinum agrum incoluiſſe. inde ve-
rò Pelaſgorum armis expulſos: veniſſe in terram, quam nunc habitant: mutatoque ſimul
cum ſedibus nomine, Sabinos pro Vmbris adpellatos. De hac re poſteà in Sabinis dili-
gentiùs inquiremus. cæterùm licèt pars quædam Vmbrorum dicta eſſe potuerit Sa-
bini; tamen non illi Vmbrorum ita adpellati fuerunt, qui trans Apenninum Padi
oſtia antiquiſſimis temporibus adcoluerunt. unde ipſe Plinius loco præſcripto;
Nec

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Nec procul à mari, inquit, *Vmbrorum Butrium*. Sanè mendum apud Plinium eſſe in voce *Sabinorum*, ego arbitrer; ipſumque ſcripſiſſe, *Ravenna Theſſalorum opidum*. Strabo prædicto lib. v poſteà: Τὸ δ᾽ Ἀρίμινον Ὀμβρικῶν ἐστι κατοικία, καθάπερ καὶ ἡ Ῥάουεννα. Id eſt: *Ariminum, Vmbrorum eſt colonia: ſicuti Ravenna quoque*. Vmbri igitur perpetuò deinceps eam tenuerunt; teſte eodem Strabone. qui de ſitu eius ibidem hæc addit: Ἐν δὲ τοῖς ἕλεσι μεγίστη μέν ἐστι Ῥάουεννα, ξυλοπαγὴς ὅλη καὶ διάρρυτος, γεφύραις καὶ πορθμίοις ὁδευομένη. δέχεται δ᾽ οὐ μικρὸν τῆς θαλάττης μέρος ἐν ταῖς πλημμυρίσιν, ὥστε καὶ ὑπὸ τούτων καὶ ὑπὸ ποταμῶν ἐκκλυζόμενον τὸ βορβορῶδες πᾶν, ἰᾶται τὴν δυσαερίαν. οὕτως γοῦν ὑγιεινὸν ἐξήτασται τὸ χωρίον, ὥστε ἐνταῦθα τοὺς μονομάχους τρέφειν καὶ γυμνάζειν ἀπέδειξαν οἱ ἡγεμόνες. ἔστι μὲν οὖν καὶ τοῦτο θαυμαστὸν τῶν ἐνθάδε, τὸ ἐν ἕλει τοὺς ἀέρας ἀβλαβεῖς εἶναι, καθάπερ καὶ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ τῇ πρὸς Αἰγύπτῳ τοῦ θέρους ἡ λίμνη τὴν μοχθηρίαν ἀποβάλλει διὰ τὴν ἀνάβασιν τοῦ ποταμοῦ, καὶ τὸν τῶν τελμάτων ἀφανισμόν. ἀλλὰ καὶ τὸ περὶ τὴν ἄμπελον πάθος θαυμάζειν ἄξιον. φύει μὲν γὰρ αὐτὴν τὰ ἕλη, καὶ ποιεῖ ταχὺ καὶ πολλὴν ἀποδιδοῦσαν καρπόν· φθείρεται δὲ ἐν ἔτεσι τέτρασιν ἢ πέντε. Hoc eſt: *In paludibus maxima eſt Ravenna, tota ligneis conſtans ædificiis; aquis perflua: quare pontibus & lembis viæ expediuntur. non modicum maris portionem adfluxu æſtus recipit. à quo ſimulque à fluminibus cænoſa omnia quum eluantur, aëris vitio medetur. unde locus adeò factùs eſt ſalubris, ut ibi gladiatores ali atque exerceri juſſerint principes Romani. Itaque inter alia hoc locus iste mirandum habet, quòd in paludibus aër eſt innoxius; quemadmodùm Alexandriæ in Aegypto æſtate lacus vitium tollitur per adſcenſum fluvii, quo paludes abolentur. Sed & vitis natura heic admiratu digna eſt. producitur quidpe à paludibus celeriter, ubere fructu: ſed intra quadriennium aut quinquennium perit.* Procopius Gothicar. rer. lib. I: Ῥάβεννα ἐν πεδίῳ μὲν κεῖται ὑπτίῳ, ἐς τοῦ Ἰονίου κόλπου τὰ ἔσχατα, δυοῖν σταδίοιν διειργομένη μέτρῳ, τὸ μὴ ἐπιθαλάσσιος εἶναι· οὐκ εὐέφοδος δὲ οὔτε ναυσὶν οὔτε πεζῷ στρατῷ φαίνεται οὖσα. αἵ τε γὰρ νῆες καταίρειν ἐς τὴν ἐκείνῃ ἀκτὴν ἥκιστα ἔχουσι, ἐπεὶ αὐτὴ ἡ θάλασσα ἐμπόδιός ἐστι, βράχος ποιουμένη οὐχ ἧσσον ἢ κατὰ σταδίους τριάκοντα· καὶ ἀπ᾽ αὐτοῦ τὴν ἠϊόνα ταύτην, καίπερ τοῖς πλέουσιν ἄγχιστα ὁρωμένην, τῇ τοῦ βράχους περιουσίᾳ ἑκαστάτω ξυμβαίνει εἶναι· καὶ τῷ πεζῷ στρατῷ ἐσβατὴ οὐδαμῆ γίγνεται. Πάδος τε γὰρ ὁ ποταμὸς ἐξ ὀρέων τῶν Κελτικῶν ταύτῃ φερόμενος, καὶ ποταμοὶ ἄλλοι ναυσίποροι, ξὺν λίμναις τισὶ πανταχόθεν αὐτὴν περιβάλλοντες, ἀμφίρρυτον ποιοῦσι τὴν πόλιν. Ἐνταῦθα γίνεταί τι ἐς ἡμέραν ἑκάστην θαυμάσιον. ἡ θάλασσα πρωῒ ποιουμένη σχῆμα ποταμοῦ, ἡμέρας ὁδὸν εὐζώνῳ ἀνδρὶ, ἐς γῆν ἀναβαίνει. καὶ πλόϊμον αὐτὴν παρεχομένη ἐν μέσῃ ἠπείρῳ, αὖθις ἀναλύουσα τὸν πορθμὸν, ἀναστρέφει ἀμφὶ δείλην ὀψίαν, καὶ ἐφ᾽ αὐτὴν ξυνάγει τὸ ῥεῦμα. Ὅσοι οὖν ἐς τὴν πόλιν ἐσκομίζειν τὰ ἐπιτήδεια, ἢ ἐνθένδε ἐκφέρειν κατ᾽ ἐμπορίαν ἢ κατ᾽ ἄλλην ἔχουσιν αἰτίαν, τὰ φορτία ἐν τοῖς πλοίοις ἐνθέμενοι, κατασπάσαντές τε αὐτὰ ἐν τῷ χωρίῳ, οὗ δὴ ὁ πορθμὸς γίνεσθαι εἴωθεν, προσδέχονται τὴν ἐπιρροήν· καὶ ἐπειδὰν αὕτη ἀφίκηται, τά τε πλοῖα κατὰ βραχὺ ἐκ γῆς ἐπαιρόμενα πλεῖ, καὶ οἱ ἀμφὶ ναῦται ἔργου ἐχόμενοι, ναυτίλονται ἤδη. Καὶ τοῦτο οὐκ ἐνταῦθα μόνον, ἀλλ᾽ εἰς ἅπασαν τῆς ἐκείνης ἀκτὴν ἐσαεὶ γίγνεται, ἄχρι ἐς Ἀκυληΐαν πόλιν. Hoc eſt: *Ravenna in plano campo ad extimam Ionii ſinus partem ſita, duobus ſtadiis, quo minùs maritima ſit, remota, neque navibus nec pedeſtribus copiis facilè adiri poteſt. quidpe naves ad litus hoc adpellere minimè poßunt; ob brevia, quæ ad* XXX *ſtadia in mare protenduntur. unde hoc litus, licèt propiùs adnavigantibus, tamen propter longas haſce ſyrteis procul abeſt. & pedeſtri quoque exercitui minimè pervium eſt; quum Padus amnis, è Gallicis montibus huc delatus, aliique fluvii navigabiles cum lacubus, urbem undequaque circumfluam reddant. Mirandum ſanè quiddam heic quotidiè accidit. namque mare fluminis ritu cum primâ luce in terram invectum, tantum eius exæſtuando invadit, ac navigabile efficit, quantum itineris expeditus viator uno die conficere poſſit. circa ſerum diei, æſtu reciprocante, emiſſas undas rurſum in ſeſe reducit. Quapropter, qui in urbem vel inferre neceſſaria, vel per commercium aliâve de cauſâ inde efferre cupiant; mercibus in navigia impoſitis, ipſisque navigiis in eum locum protractis, unde trajectus fieri ſolet, æſtum operiuntur. qui ut primùm adfluxerit, ſimul ipſa navigia ſenſim fluctuare, ſimulque navicularii remis incumbere occipiunt. Atque hoc non heic tantùm fit: ſed in omni reliquo litore, ad Aquileiam usque.* In eamdem mentem Claudianus in prædicto Panegyrico de VI conſulatu Honorii:

Dixit; &, antiquæ muros egreſſa Ravennæ,
Signa movet. jam ora Padi portusque reliquit
Flumineos, certis ubi legibus advena Nereus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Aeſtuat, & pronas puppeis nunc amne ſecundo,
Nunc redeunte vehit, nudataque litora fluctu
Deſerit, Oceani Lunaribus æmula damnis.

Hinc & Silius lib. VIII:

Quique gravi remo limoſis ſegniter undis
Lenta paludoſæ proſcindunt ſtagna Ravennæ.

Hinc item Martiali *æquorea* vocatur *Ravenna* lib. XIII epigr. XXI:

Mollis in æquoreâ quæ crevit ſpina Ravennâ,
Non erit incultis gratior aſparagis.

Et *undoſam Ravennam* Sidonius Apollinaris Carm. VIIII:

Bætin qui patrium ſalum relinquens,
Vndoſæ petiit ſitim Ravennæ.

Nempe inter marinas paludes dulcibus deſtituebantur Ravennates aquis. Martialis lib. III epigr. LV:

Sit ciſterna mihi, quàm vinea, malo Ravennæ:
Quum poſſim multo vendere pluris aquam.

Ranarum culicumque multitudinem in eiſdem paludibus adnotavit eodem libro epigram. XIII:

Meliusque ranæ garriant Ravennates;
Et Hadrianus dulcius culex cantet.

Ravenna urbs trigemina; *cuius partes*, CIVITAS VETVS; VIA CAESARIS, *ſive* CAESAREA; PORTVS NOVVS, *ſive* CLASSIS.

Sed hæc omnia facetiſſimis jocis expreſſit prædictus Sidonius lib. I epiſt. VIII, ad Candidianum ſuum ita ſcribens: *Morari me Romæ, congratularis. illud tamen quaſi facetè, & fatigationum ſalibus admixtis. ais enim, gaudere te, quòd aliquando neceſſarius tuus videam Solem: quem utique raròbibitor Araricus inſpexerim. Nebulas ergo mihi meorum Lugdunenſium exprobras: & diem, quereris, nobis matutinâ caligine obſtructum, vix meridiano fervore reſerari. Et tu iſta mihi Cæſenatis furni potiùs, quàm opidi, verna deblateras? de cuius natalis tibi ſoli vel jucunditate vel commodo quid etiam ipſe ſentires, dum migras, indicaſti. ita tamen, quòd te, Ravennæ feliciùs exſulantem, auribus Padano culice perfoſſis, municipalium ranarum loquax turba circumſilit. in qua palude indeſinenter, rerum omnium lege perverſâ, muri cadunt, aquæ ſtant; turres fluunt, naves ſedent; ægri deambulant, medici jacent; algent balnea, domicilia conflagrant; ſitiunt vivi, natant ſepulti; vigilant fures, dormiunt poteſtates: fœnerantur clerici, Syri pſallunt; negotiatores militant; milites negotiantur; ſtudent pilæ ſenes, aleæ juvenes; armis eunuchi, literis fœderati. Tu vide, qualis ſit civitas, ubi tibi lar familiaris incolitur; quæ faciliùs territorium potuit habere, quàm terram. Quocircà memento innoxiis Tranſalpinis eſſe parcendum: quibus, cæli ſui dote contentis, non grandis gloria datur, ſi deteriorum collatione clareſcant.* At ſitum urbis indicare voluit eiusdem libri epiſt. V. *Brixillum deinopidum,* inquit, *dum ſuccedenti Aemiliano nautæ decedit Venetus remex, tantùm, ut exiremus, intravimus; Ravennam paulo pòſt curſu dexteriore ſubeuntes. quo loci veterem civitatem novumque portum media via Cæſaris, ambigas, utrùm connectat, an ſeparet. Inſuper opidum duplex pars interluit Padi, cætera pars adluit. qui ab alveo principali molium publicarum diſcerptus objectu, & per eaſdem dirivatis tramitibus exhauſtus, ſic dividua fluenta partitur, ut præbeant mœnibus circumfuſa præſidium, infuſa commercium. Huc quum peropportuna cuncta mercatui, tùm præcipuè quod eſui competeret, deferebatur; niſi quòd, quum ſeſe hinc ſalſum portis pelagus impingeret, hinc cloacali pulte foſſarum diſcurſu lintrium ventilatâ, & ipſe lentati langvidus lapſus humoris, nauticis cuſpidibus foraminato fundi glutino, ſordidaretur; in medio undarum ſitiebamus: quia nusquàm vel aquæductuum liquor integer, vel ciſterna defæcabilis, vel fons irriguus, vel puteus inlimis.* Eumdem ſitum paullo adcuratiùs deſcripſerat Iornandes in Rebus Gothicis, L circiter annis poſt Sidonium; ni narrationem eam nimiùm obſcuris loquutionibus involviſſet; vel erroribus fortè fœdis corrupiſſet. cui malo exſcriptorum etiam adceſſit incuria. Verba illic leguntur iſta: *Ravenna urbs, inter paludes & pelagus interque Padi fluenta, uni tantùm patet acceſſui. Hæc in ſinu regni Romani ſuper mare Ionium conſtituta, in modum* [deeſſe videtur, *inſulæ*] *influentium aquarum redundatione concluditur. habet ab oriente mare: ab occidente paludes; per quas uno anguſtiſſimo introitu, ut porta, relicta eſt.* [lego, *per quas unus anguſtiſſimus introitus, ut porta, relictus eſt.*] à

ſeptem-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

ſeptemtrionali quoque plagâ ramus illi ex Pado eſt, qui Foſſa vocatur Aſconis. à meridie idem ipſe Padus, cognomento Eridanus, ab Auguſto imperatore altiſſimâ foſſâ demiſſus, qui ſeptimâ ſui alvei parte mediam inſluit civitatem, ad oſtia ſua amœniſſimum portum præbens, [lego, *altiſſimâ foſſâ demiſſus, ſeptimâ ſui alvei parte mediam inſluit civitatem; qui, ad oſtia ſua amœniſſimum portum præbens,*] *claſſem* CCL *navium, Dione referente, tutiſſimâ dudum credebatur recipere ſtationem. qui nunc, ut Fabius ait, quòd* [rectiùs fortè, *quà*] *aliquando portus fuerat, ſpacioſiſſimos hortos oſtendit, arboribus plenos; verùm de quibus non pendeant vela, ſed poma. Trino ſiquidem urbs ipſa vocabulo gloriatur; trigeminâque poſitione exſultat: id eſt; prima,* RAVENNA; *ultima,* CLASSIS; *media,* CAESAREA, *inter urbem & mare, plenâ* [fortè meliùs, *planâ*] *mollitie arenâque munita, vectationibus apta.* Hæ igitur tres partes Sidonio Apollinari adpellantur, CIVITAS VETVS, PORTVS NOVVS, VIA CAESARIS. Ex his *Portus novus,* ſive *Claſſis*, hodiéque antiquum nomen ſervat, III millia paſſuum ab ipsâ urbe Ravennâ versùs Ariminum, in monaſterio, quod cum ſplendidiſſimo templo, ſummæ etiamnum celebritatis, divo Apollinari ſacrum eſt, vulgóque vocatur *Claſſe*. Errant quàm vehementiſſimè illi, qui alium faciunt *Novum* iſtum *portum* à *Claſſis portu*. Ipſe hic Claſſis portus dicebatur *novus*, quia vetus urbis Ravennatis portus erat ad Bedeſis fluvii oſtium; ubi etiam nunc vocatur *Porto di Ravenna*. Novum inde portum conſtruxit Auguſtus Cæſar ad claſſem in eo locandam, quæ anteà in veteri portu ſtationem habebat. Svetonius in vitâ Auguſti, cap. XLVIIII: *Ex militaribus copiis legiones & auxilia provinciatim diſtribuit: claſſem Miſeni, & alteram Ravennæ, ad tutelam ſuperi & inferi maris collocavit.* Non Auguſti hoc inventum: ſed jam ante ipſum Cn. Pompeius fecerat, ipſius populi Romani auſpiciis. Cicero in Oratione pro lege Maniliâ, de Pompeio loquens: *Italiæ duo maria maximis claſſibus firmiſſimisque præſidiis adornavit.* Vegetius lib. V cap. I: *Romanus populus, pro decore & utilitate magnitudinis ſuæ, non, propter neceſſitatem tumultus alicuius, claſſem parabat ex tempore; ſed, ne quando neceſſitatem ſuſtineret, ſemper habuit præparatam. Apud Miſenum ergo & Ravennam ſingulæ legiones cum claſſibus ſtabant, ne longiùs à tutelâ Vrbis abſcederent; &, quum ratio poſtulaſſet, ſine morâ, ſine circuitu, ad omneis Mundi parteis navigio pervenirent. nam Miſenatium claſſis Galliam, Hiſpanias, Mauritaniam, Africam, Aegyptum, Sardiniam, atque Siciliam, habebat in proximo. claſſis autem Ravennatium, Epirum, Macedoniam, Achaiam, Propontidem, Pontum, Orientem, Cretam, Cyprum, petere directâ navigatione conſueverat.* Et capite ſequenti: *Liburnis autem, quæ in Campaniâ ſtabant, præfectus claſſis Miſenatium præerat. eæ verò quæ Ionio in mari locatæ fuerant, ad præfectum claſſis Ravennatium pertinebant.* En, ut diſertè, non tantùm non nominat Auguſtum, ſed *populum Romanum* id feciſſe tradit. ſic Tacitus quoque nullam Auguſti facit mentionem, ubi Annal. lib. IIII, *Italiam*, inquit, *utroque mari duæ claſſes, Miſenum apud & Ravennam, præſidebant.* Svetonius igitur quum ex quibusdam Annalibus acceperat, Auguſtum claſſi maris ſuperi, apud Ravennam locatæ, novum ſtruxiſſe portum; ſimulque intellexerat, ad Miſenum quoque promontorium in Campaniâ jam olim alteram claſſem ad tutelam inferi maris fuiſſe poſitam; utramque ab Auguſto primùm locatam fuiſſe credidit. Memoratur præterea Tacito Hiſtoriarum lib. II; ubi de Cæcinâ, Vitelliani contra Veſpaſianum exercitus duce, loquitur. *Ipſe Ravennam*, inquit, *divertit, prætextu claſſem adloquendi.* Et Hiſtor. lib. III: *Lucilius Baſſus, claſſis Ravennatis præfectus.* Et item Spartiano in Iulio Didiano: *Dum hæc egit Iulianus, Severus claſſem Ravennatem occupat.* Cæterò mirificam & perquàm abſurdam Iornandis eſſe ſuprà recitatam foſſarum Aſconis atque Auguſti deſcriptionem, infrà cap. XXXV in Padi expoſitione patebit. Padus quum VII haberet alveos; extimus eorum Tartari fluminis ore, citimus Bedeſis oſtio in mare effundebatur. Hæc *Aſconis* erat *foſſa*; *à principali*, ut inquit Apollinaris, *Padi alveo publicarum molium objectu civitati* jam antiquiſſimis temporibus ita *infuſa*, uti *mediam interlueret*; tandemque in mare effunderetur Bedeſis ore; ubi antiquus erat Ravennatium portus; cuius gratiâ foſſa facta erat. Auguſtus deinde Cæſar novum exſtruxit portum ad oſtium Candiani amnis, foſſâ ab urbe & fine Aſconianæ foſſæ eò usque per III millia paſſuum ductæ; quæ ab auctore cognomentum tunc *Auguſtæ* accepit; nunc verò, antiquitatis memoriam ſervans, vulgò *Fiume vecchio*, id eſt, *Flumen vetus* vocatur: claſſemque, quæ anteà ad

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Bedeſis oſtium ſtabat, ibi Auguſtus locavit. Is locus mox adfluxu hominum, qui militibus claſſiariis victui neceſſaria venditabant, in opidi modum frequentibus ædificiis conſtructus, tandem urbs evaſit celebris; ſervato CLASSIS nomine, quod in hanc usque diem durat. *Via* autem ſive *vicus*, juxta Auguſti foſſam ab veteri urbe ad Claſſem usque perductus, & ipſe ab auctore cognomen habuit *Cæſaris*; tandemque tertiam illam univerſæ urbis partem confecit, quæ VIA CAESARIS, ſive VIA CAESAREA adpellabatur. *Claſſis* opidi meminerunt Procopius, Agathia, Euagrius, Nicephorus Calliſti, & Paulus Diaconus. Procopius Gothicar. rer. lib. III: Ὁ δὲ Βελισάριος ἐκέλευε ἐς Κλάσσεις τὸν λιμένα ἐσπλεῖν· οὕτω γὰρ Ῥωμαῖοι τὸ Ῥαβέννης προάστειον καλοῦσιν, οὗ ὁ λιμήν ἐστιν. Id eſt: *Veliſarius in Claſſeis portum navigare juſſit. ita Romani Ravennæ ſuburbium vocant, ubi portus eſt.* Agathia lib. I: Παραγίνεται ἐς Κλάσσεις. ἵδρυται δὲ τὸ φρούριον ἐν τῇ Ῥαβέννης περιοικίδι. Id eſt *Ad Claſſeis venit. quod caſtellum in Ravennæ ſuburbanis ſitum eſt.* Apud Procopium dicto loco corrupta vocabula in vulgatis exemplaribus leguntur ἔσκλας ἐς τὸν λιμένα. ſed peiùs longè apud Euagrium Eccleſiaſt. hiſtor. lib. VIIII cap. VIIII & Nicephorum Calliſti lib. XIII cap. XXXV; Οὐ πολλῷ δ᾽ ὕστερον Ἀλάριχος καταλαβὼν τὰς Ἄλπεις (χωρίον δὲ τοῦτο ἀμφὶ τὰ ἑξήκοντα στάδια διεστὸς τῆς Ῥαβέννης) εἰς λόγους ἦλθε τῷ βασιλεῖ περὶ τῆς εἰρήνης. Id eſt: *Haud multo pòſt Alarichus, quum veniſſet ad Alpeis, quod eſt opidum LX circiter ſtadia ab Ravennâ diſſitum, de pace cum imperatore communicavit.* En, quodnam vel opidum vel aliud quidquam loci fuerit nomine *Alpes*, LX ſtadia, id eſt, ut poſterioris ſæculi Græci uſurparunt, millia paſſuum VIII à Ravennâ, ubi tunc erat Honorius imperator, diſtans. namque caſtellum, quod haud procul fonte Vtentis amnis vulgò nunc vocatur *Caſtel dell' Alpi*, XXV ampliùs millia diſtat. Omninò ſcribe, ἀμφὶ τὰ εἴκοσι καὶ τρία στάδια, id eſt, ad XXIII ſtadia: quæ millia paſſuum conficiunt III, ſemiſtadio minùs. & anteà, τὰς Κλάσσεις, *Claſſeis*. Iornandes in Rebus Gothicis: *Alaricus, ſumpto exercitu, per Pannonias, Stilicone & Aureliano conſulibus, dextro latere quaſi viris vacuam intravit Italiam. nullo penitus obſiſtente, ad pontem adplicuit Condiniani; qui tertio milliario ab urbe erat regiâ Ravennate.* Hic fluvius hodiéque apud Claſſem vulgò vocatur *Candiano*, aquis copioſiſſimis, non tam è fonte ſuo, quàm è circumjectis paludibus collectis, in portum Auguſti defluens. Vitiatum eius eſſe vocabulum apud Iornandem, è Caſſiodori Chronico adparet; ubi ita ſcriptum: *Fauſtus Iun. conſul. Hoc conſule ad Adduam fluvium Odovacrem dominus Theodericus rex tertio certamine ſuperavit. qui Ravennam fugiens, obſidetur incluſus. Olybrius Iun. conſul. Hoc conſule Odovacer cum Herulis egreſſus Ravennam nocturnis horis, ad pontem Candidium à domino noſtro Theoderico rege memorabili certamine ſuperatur.* Sed hoc etiam vocabulum eſſe corruptum, cùm illud Iornandis tùm hodiernum amnis nomen convincit. Haud dubiè igitur jam tum dicebatur CANDIANVS *fluvius*; & inde *Candiani pons*; & interdum *Candianus pons*. In Candianum autem confluebat BADRINVS *amnis*; qui & ipſe uberrimis aquis, Claſſem monaſterium præfluens, vulgò nunc adpellatur *Foſſato grande*; atque in oſtium Candiani protinus infra Claſſem influit. ſic quidpe apud Paullum Diaconum legitur Langobard. rer. lib. III cap. XVIIII: *Huius ſanè Droctulf adminiculo ſæpè Ravennatium milites adversùm Langobardos dimicarunt. exſtructâque claſſe, Langobardos, qui Claſſem urbem tenebant, hoc adjuvante, pepulerunt.* Et mox in epitaphio huius Droctulfi:

CANDIANVS *amnis.*

BADRINVS *fluvius.*

Inde etiam, retinet dum Claſſem fraude Faroaldus,
Vindicet ut Claſſem, claſſibus arma parat.
Puppibus exiguis decertans amne Badrino
Bardorum innumeras vicit & ipſe manus.

Huius Faroaldi anteà meminit cap. XIII his verbis: *Hac etiam tempeſtate Faroald, primus Spoletanorum dux, cum Langobardorum exercitu Claſſem invadens, opulentam urbem, ſpoliatam cunctis divitiis nudam reliquit.* Factum hoc ſub Tiberio II, circa annum Chriſti Ieſu IↃLXXX. Opidum tamen *Claſſis* in Ravennatium ſemper fuiſſe videtur juriſdictione. Idem Paullus poſteà, lib. VI cap. XLVI: *Per hæc tempora Faroaldus, Spoletanorum ductor, Claſſem, Ravennatium civitatem, invaſit. ſed juſſu regis Luitprandi eadem Romanis reddita eſt.* Et cap. XLVIIII: *Eo tempore rex Luitprandus Ravennam obſedit; Claſſem invaſit, atque deſtruxit.* Sigebertus in Chronico, anno Ieſu IↃCCXXII: *Luithprandus, rex Langobardorum, Ravennam obſidet: Claſſem, Ravennatium*

vennatium civitatem, captam deſtruit. Hic igitur fuit celebris opidi finis: de quo nunc nihil exſtat, præter nomen, ut dixi, cum templo divi Apollinaris ſplendidiſſimo, ac monaſterio juxtà ſito. Memoratur prætereà etiam in ipſius ſancti Apollinaris vitâ his verbis: *Pagani ab urbe Claſſe eum projecerunt, dicentes ei; Quamvis curationes facias, urbem tamen noli ingredi.*

De cætero turrim excelſam cum ignibus ad dirigendos nocturnos navium curſus in hoc Claſſis portu excitatam fuiſſe, teſtis eſt Plinius lib. XXXVI cap. XII. *Magnificatur,* inquit, *& alia turris, à rege facta in inſulâ Pharo, portum obtinente Alexandriæ, quam conſtitiſſe octingentis talentis tradunt. uſus eius, nocturno navium curſui igneis oſtendere, ad prænuncianda vada portusque introitum: ſicut jam tales compluribus locis flagrant; ut Puteolis ac Ravennæ.* Harum ſtructuram indicat Herodianus lib. IIII; ubi de ritu conſecrandi inque deorum numerum referendi imperatores defunctos loquitur. Μετὰ δὲ τοῦτο, inquit, βαστάσαντες τὴν κλίνην, φέρουσιν ἔξω τῆς πόλεως εἰς τὸ καλούμενον Ἄρεως πεδίον. ἔνθα κατεσκεύασται ἐν τῷ πλατυτάτῳ τοῦ πεδίου τόπῳ τετράγωνόν τι καὶ ἰσόπλευρον, ἄλλης μὲν ὕλης οὐδεμιᾶς μετέχον ἢ ἐκ μόνης τε συμπήξεως ξύλων μεγίστων, εἰς σχῆμα οἰκήματος. πᾶν δὲ ἐκεῖνο ἔνδοθεν μὲν φρυγάνων πεπλήρωται, ἔξωθεν δὲ χρυσοϋφέσι στρωμναῖς, ἐλεφαντίνοις τε ἀγάλμασι, γραφαῖς τε ποικίλαις κεκόσμηται. ἐπὶ δὲ ἐκείνῳ ἕτερον, σχήματι μὲν καὶ κόσμῳ παραπλήσιον, μικρότερον δὲ ἐπίκειται, πυλίδας ἔχον καὶ θύρας ἀνεῳγυίας. τρίτον τε καὶ τέταρτον, ἀεὶ τοῦ ὑποκειμένου μεῖον, ἐς τελευταῖον βραχύτατον περιΐσταται. Ἀπεικάσαι τις ἂν τὸ σχῆμα τοῦ κατασκευάσματος φρυκτωρίοις, ἃ τοῖς λιμέσιν ἐπικείμενα, νύκτωρ διὰ τοῦ πυρὸς ἐς ἀσφαλεῖς διαγωγὰς τὰς ναῦς χειραγωγεῖ· φάρους δὲ αὐτὰ οἱ πολλοὶ καλοῦσιν. Id eſt: *His peractis, tollunt iterum lectum, atque extra urbem perferunt in campum Martium. ubi, quà latiſſimè campus patet, ſubgeſtus quidam ſpecie quadrangulâ, lateribus æquis adſurgit: nullâ præterquàm lignorum ingentium materiâ compactus in tabernaculi formam. Id quidem interiùs totum eſt aridis ſarmentis oppletum; extrà autem intextis auro ſtragulis atque eboreis ſignis variisque picturis exornatum. ſupra verò id eſt alterum; minus quidem, ſed formâ & ornatu perſimile, portis januisque patentibus. tertiumque item & quartum, ſemper inferiore contractius. ac deinceps alia; donec ad extremum, quod eſt omnium minimum, perveniatur. Poſſis eius ſtructuræ formam comparare turribus his, quæ portubus impoſitæ, noctu igne oſtenſo, naveis in tutas ſtationes dirigunt. pharos vulgò vocant.* Porrò ab hoc Ravennate portu antiquum PINETVM propter litus extenditur per XI millia paſſuum, ad templum uſque divæ Virgini ſacrum, quod inde cognominatur vulgò *S. Maria del Pino.* meminit illius Iornandes in dicto libro de Rebus Gothicis; ubi de Theoderico, Gothorum rege, loquitur. *Venetiarum,* inquit, *fineis ingreſſus, ad pontem Sontium caſtra metatus eſt. quumque ibi ad reficienda corpora hominum jumentorumque aliquanto tempore reſediſſet; Odovacer armatum contra eum direxit exercitum. quem ille, ad campos Veronenſeis occurrens, magnâ ſtrage delevit: caſtriſque ſolutis, fineis Italiæ cum potiore audaciâ intrat: transjectoque Pado amne, ad Ravennam regiam urbem caſtra componit, tertio milliario ab urbe, loco, qui adpellatur* PINETA. *quod cernens Odovacer, intus ſe in urbe communivit: indéque ſubreptivè noctu frequenter cum ſuis egrediens, Gothorum exercitum inquietat.* Ad *Candianum pontem* id factum, ſuprà è Caſſiodori, Theoderici regis conſiliario, intelleximus. De ipsâ Ravennate urbe Iornandes loco ſuprà citato ita ſcribit: *A meridie idem ipſe Padus, ab Auguſto imperatore altiſſimâ foſsâ demiſſus, ſeptimâ ſui alvei parte mediam influit civitatem, qui ad oſtia ſua amœniſſimum portum præbet.* A ſeptemtrione equidem Padus, ut infrà cap. XXXV in eius deſcriptione pluribus docebo, *ſeptimâ ſui parte,* ſeu *ſeptimo ſuo alveo,* qui *Foſſa Aſconis* vocabatur, *mediam civitatem influebat.* at à meridie idem Padus è mediâ civitate, quam in duas parteis, ut teſtatur Sidonius, dividebat, *duplicemque* reddebat, per *foſſam Auguſtam* in *portum* effluebat *novum.* unde adparet, magnam tum urbis partem ab orientali fuiſſe prædicti *Fluminis veteris* parte, infra confluenteis nunc Bedeſis & Vtentis. quò etiam illud Procopii jam rectè congruit, ubi δυοῖν σταδίοιν tradit eam διειργομένην μέτρῳ, τὸ μὴ ἐπιθαλάσσιον εἶναι. id eſt: *duûm ſtadiorum intervallo remotam fuiſſe, quo minùs eſſet litorea.* Et ipſum quoque opidum *Claſſem* propiùs olim oſtium Fluminis veteris ac Candiani fuiſſe, haud dubium eſt. De reliquo *coloniam* quondam à Romanis Ravennam fuiſſe deductam, auctor eſt Strabo dicto lib. V. Τὸ δ' Ἀρίμινον, inquit, Ὀμβρικῶν ἐστι κατοικία, καθάπερ καὶ ἡ Ῥάβεννα· δέδεκται δ' ἐποίκους Ῥωμαίους ἑκατέρα. Id eſt: *Ariminum Vmbrorum eſt colonia; ut & Ravenna. utraque Romanos poſteà accepit colonos.*

PHARVS ad portum Ravennatium.

PINETVM, *ſilva.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

FICOCLÆ *locus.*

Cæterùm ultra prædictum templum divæ Mariæ ad duo millia paſſuum, id eſt, ad millia XIIII ab ipsâ Ravennâ, opidum nunc eſt epiſcopali dignitate inſigne, vulgari vocabulo *Cervia:* de quo Leander in Italiâ ſuâ teſtatur, antiquum eius nomen in privilegiis urbis Ravennatis eſſe *Phycocle.* Id ſanè neſcio unde conſcriptores eorum privilegiorum habuerint. cæterùm in vitâ S. Baſſiani, epiſcopi Laudis Pompeiæ ita ſcriptum eſt: *Quum jam Ravennâ* XV *paſſuum millia abeſſet, quo loco eſt Phycocle, urbs pervetuſta, cervam cum duobus catulis, quam venatores fuerant perſequuti, conſpicatus, naturali motus miſericordiâ, ad ſe in nomine Domini accedere eam juſſit.* Narrat hinc reliqua, quæ illic geſta. tandem, ob ſervatam ibi à ſancto juvene cervam, miraculumque in venatoribus factum; *urbem,* inquit, *Phycoclen adpellatam deinde Cerviam ferunt.* Sanè urbs heic inter Ravennam & Ariminum nulla *pervetuſta* fuiſſe potuit; quando ne Tabulæ quidem itinerariæ, quæ hoc itinere & *Sapin* flumen & locum *Ad Novas,* & *Rubiconem* amnem refert, nedum vetuſtiori alicui auctori memoratur: contrà verò Appianus loco ſuprà ſcripto diſertis teſtatur verbis, Ravennam Galliæ Cisalpinæ, quæ Rubicone finiebatur, fuiſſe πλησιτάτην, *poſtremam.* Poſteriori autem ævo unde illi vocabulum quaſi è Græco ſermone deſumptum *Phycocle?* At Sigonius ex alio exemplari Latinis literis legit *Ficoclæ.* & apud Anaſtaſium in vitâ Theodori, qui papa factus eſt anno Ieſu Chriſti IↃCXLI, ita ſcriptum eſt: *Audiens Iſacius Patricius, quòd Mauricio omnis exercitus Italiæ ſacramenta dediſſet; miſit Donum Magiſtrum militum & ſacellarium ſuum ad civitatem Romanam cum exercitu. Et ingreſſo eo Romam, fugit Mauricius ad beatam Mariam Ad præſepe. quem tollens de eccleſiâ, miſit Ravennam per manus Maurini ſcribonis & Thomaſii chartularii. qui deducentes eum, pervenerunt juxta civitatem Ravennatem, in locum, qui dicitur Ficuclas, duodecimo milliario à civitate; & ibi decollaverunt Mauricium.* Apud Albonem, Floriacenſem abbatem, in eâdem Theodori vitâ legitur *Ficudas;* barbarâ iridem vocabuli formatione, illi ſæculo uſitatâ. Sed haud dubiè & ipſe Albo ſcripſerat *Ficuclas.* Patet autem ex iſtis Anaſtaſii, qui circa annum Chriſti vixit IↃCCCLX, diſertiſſimis verbis, ætate eius nullam heic pervetuſtam fuiſſe urbem; quando ſimpliciter locum tantummodò adpellat. qui à quibus mortalibus, quando, & unde primùm barbaro vocabulo vocatus ſit FICOCLAE, ſive FICVCLAE, planè incertum eſt.

VRITANVS *ager.*

De cærero apud Appianum Civil. bellor. lib. I ita narratur: Τοῦ δ᾽ ἐπιόντος ἔτους ὕπατοι μὲν γε ἦσαν Παπίριός τε Κάρβων αὖθις καὶ Μάριος, ὁ ἀδελφιδοῦς Μαρίου τοῦ περιφανοῦς. * . Ἀρχομένου δ᾽ ἦρος, περὶ τὸν Αἶσιν ποταμὸν ἀγὼν καρτερὸς ἐγένετο Μετέλλῳ τε καὶ Καρίνᾳ, Κάρβωνος στρατηγῷ, πρὸς ἀλλήλους· καὶ φεύγει μὲν ὁ Καρίνας, πολλοὺς ἀποβαλών, τὰ δὲ περίοικα πάντα ἐς τὸν Μέτελλον ἀπὸ τῶν ὑπάτων μετετίθετο. Μέτελλον δὲ Κάρβων καταλαβών, ἐφρούρει περικαθήμενος· εἶτα Μάριον μεγάλῃ μάχῃ περὶ Πραινεστὸν ἡττῆσθαι πυθόμενος, ἀνεστρατοπέδευσεν εἰς Ἀρίμινον. * — * . Καὶ Μέτελλος ἐπὶ Ῥάβενναν περιπλέων, τὴν Οὐριτανὴν χώραν πεδιάδα καὶ πυροφόρον οὖσαν προκατελάμβανεν. * — * . Καὶ περὶ τὰς αὐτὰς ἡμέρας ἐν Φαυεντίᾳ Κάρβων καὶ Νωρβανὸς ἐξ ὁδοῦ βραχὺ πρὸ ἑσπέρας ἐπὶ τὸ Μετέλλου στρατόπεδον ἐλθόντες, λοιπῆς οὔσης ὥρας μιᾶς, καὶ ἀμπέλων πυκνῶν περικειμένων, ἀνοήτως μάλα ὑπ᾽ ὀργῆς ἐς μάχην ἐξέτασσον, ἐλπίσαντες Μέτελλον τῷ παραλόγῳ καταπλήξειν. ἡττώμενοι δέ, ὡς ἐν ἀφυεῖ χωρίῳ τε καὶ ὥρᾳ, καὶ ἐς τὰ φυτὰ ἐμπίπτοντες, ἐφθείροντο κατὰ πλῆθος. Hoc eſt: *Inſequenti anno conſules facti ſunt Papirius Carbo iterum & Marius, illuſtris illius Marii fratris filius.* Mox: *Primo ſtatim vere ad Aeſim flumen acerrima fuit pugna inter Metellum & Carinam, Carbonis legatum. quo poſt multos cæſos profligato, finitima loca defecerunt ad Metellum ab conſulibus. At Carbo Metellum adſequutus obſidebat. mox, cognito, Marium magno prælio ad Præneſte eſſe victum, copias ſuas reduxit Ariminum.* Aliquanto pòſt: *Metellus quoque claſſe circumvectus ad Ravennam, Vritanum agrum, planum, frumentique feracem, in poteſtatem ſuam redegit.* Et poſteà: *Per eoſdem dies ad Faventiam Carbo & Norbanus, ex itinere ſub veſperam ad Metelli caſtra accedentes; quum unica hora ſupereſſet; viderentque denſa circumquaque vineta; iratè magis, quàm conſultè explicuerunt aciem; rati, perterrituros ſe Metellum re inopinatâ. ſed victi; ut loco temporeque ſibi importuno; magnam ſtragem paſſi ſunt.* Velleius Paterculus lib. II: *Paullo antè, quàm Sulla ad Sacriportum dimicaret, magnificis præliis partium eius viri hoſtium exercitum fuderunt: duo Servilii apud Cluſium; Metellus Pius apud Faventiam; M. Lucullus circa Fidentiam.* VRITANVS igitur iſte *ager* haud dubiè circa Ravennam fuit & Faventiam. Vnde autem id cognominis traxerit, nondum diſpicio.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

diſpicio. Memoratur prætereà in fragmento quodam agrario de limitibus: ubi ita ſcriptum: *Hæc vocabula in lege, quæ eſt in agro Vritano in Galliis, & in quibusdam locis adhuc permanere dicuntur.*

Atque hactenus Boiici agri univerſa ac ſingula loca expoſita ſunt. transeo nunc ad *Senones*, omnium Gallorum in Italiâ poſtremos.

Cap. XXVIIII.

De Senonibvs.

Lingonum priùs, ut ſuprà dictum, dein Boiorum nomini continuabantur ab oriente Sole ad mare Hadriaticum SENONES *Galli*; qui Romam urbem ceperunt. Horum vocabulum variè apud Græcos auctores perſcriptum reperio. Apud Strabonem lib. v, in vulgatis exemplaribus, bis legitur Σένωνος· libro verò IIII eiusdem gentis in Galliâ Transalpinâ nomen variè eſt in variis exemplaribus, nunc Σένωνες, nunc Σείνονες· ex quo commentatores facere conati ſunt Σέννονες, ut in eâdem Galliâ legitur apud Ptolemæum: cui in Italiâ ſunt Σέμνονες· quo nomine gens fuit in Germaniâ. Apud Diodorum lib. XIIII ſunt Galli Σέννωνες. apud Polybium lib. II quater Σηνώνες. Ad ſecundam ſyllabam quod attinet; controverſia nulla moveri poteſt; quando alia etiam eiusmodi vocabula in ων promiſcuè in obliquis habeant modò ωνος, modò ονος. Primam verò ſyllabam omnium rectiſſimè ſcribi puto per η Σηνώνες, ut eſt apud Polybium. ſiquidem opidum juxtà in hoc Hadriatico litore & flumen *Sena*, quæ à Senonum nomine ſic adpellata eſſe fatentur auctores, per η omnes pariter ſcribunt Græci Σῆνα· unde Latini etiam poëtæ eam ſyllabam producunt. Lucanus lib. II; ubi flumina ſuperi maris recenſet:

In lævum decidère latus, veloxque Metaurus,
Cruſtumiumque rapax, & junctus Sapis Iſauro,
Senaque, & Hadriacas qui verberat Aufidus undas.

Silius lib. VIII, Vmbriæ amneis enumerans:

Hos Aeſis Sapisque lavant, rapidusque ſonanti
Vortice contorquens undas per ſaxa Metaurus;
Et lavat, ingentem perfundens flumine ſacro,
Clitumnus, taurum; Narque albeſcentibus undis
In Tybrim properans; Tiniæque inglorius humor:
Et Clanis & Rubico, & Senonum de nomine Sena.

Et lib. XV: ——— *Quà Sena relictum*
Gallorum à populis ſervat per ſæcula nomen.

Verùm quamvìs uterque poëta primam ſyllabam in flumine producat; tamen Silius & heic lib. VIII, & alibi, unàque cum ipſo Lucanus ac Statius eam in gentis vocabulo corripiunt. Silius lib. IIII:

——— *Sociata examina denſant*
Infandi Senones, colliſaque quadrupedantum
Pectoribus toto volvuntur corpora campo.

Et lib. VI:

Allia, & infandi Senones, captæque recurſat
Attonitis arcis facies.

Lucanus lib. I:

Nos primi Senonum motus Cimbrumque
Vidimus.

Statius Silvar. lib. V, carm. III:

—— *Sacrilegis lucent Capitolia tædis;*
Et Senonum furias Latiæ ſensêre cohortes.

Rectè itaque uſurpaveris hoc vocabulum; ſive Σηνώνες, ſive Σένωνες, ſeu Σένονες ſcripſeris.

De finibus eorum ita tradit Polybius lib. II: Τὰ δὲ πέραν τοῦ Πάδου, τὰ περὶ τὸν Ἀπέννινον, πρῶτοι μὲν Ἄνανες, μετὰ δὲ τούτους Βοῖοι κατῴκησαν· ἑξῆς δὲ τούτων, ὡς πρὸς τὸν Ἀδρίαν, Λίγγωνες· SENONVM fines.

Λίγγωνες· τὰ δὲ τελευταῖα, πρὸς θαλάττῃ, Σήνωνες. Id eſt: *Vltra Padum, quæ circa Apenninum ſunt loca, primi Ananes, dein Boii tenuerunt: poſt hos, ad Hadriaticum mare verſus, Lingones: ultima, ad mare, Senones.* De iisdem ſic Livius lib. V: *Pennino deinde Boii Lingoneſque transgreſſi, quum jam inter Padum atque Alpeis omnia tenerentur; Pado ratibus trajecto, non Etruſcos modò, ſed etiam Vmbros agro pellunt. intra Apenninum tamen ſeſe tenuêre. Tum Senones, recentiſſimi advenarum, ab Vtente flumine uſque ad Aeſim fineis habuêre.* Typis hactenus vulgata exemplaria, ut ſuprà dictum, mendoſè referunt; *ab Vſente flumine uſque ad Atheſim.* ex quibus amnibus ille in Latio apud Tarracinam opidum, hic in Rhætiâ ac Venetiâ apud Tridentum & Veronam fluit. Legendum eſſe, *ab Vtente*, ut pleraque manuſcripta habent exemplaria; eumque eſſe amnem, qui, Ravennam urbem ab ſeptemtrionibus abluens, vulgò nunc vocatur *Montone*; infrà in Vmbriâ pluribus docebitur. De *Aeſi*, qui nunc, XII millia ab Anconâ in mare influens, vulgò adpellatur *Fiume Eſino*, ſatis ſuprà, cap. XXII, in ſummâ Galliæ Ciſalpinæ deſcriptione dictum eſt. Hos igitur terminos habuêre Senones inter ortum & occaſum. A ſeptemtrione in auſtrum, id eſt, à mari verſùs Apenninum montem quàm latè incoluerint, incertum eſt. Ac Polybius quidem cum Livio, ut modò intelleximus, has eos ſedeis cepiſſe tradit, quamprimùm, Alpeis transgreſſi, in Italiam venerint. at Appianus in rebus Hannibalicis longè aliter ſentit. Τὰ Ἀπέννινα, inquit, ὄρη κατέρχεται μὲν ἐκ μέσων τῶν Ἄλπεων ἐπὶ θάλασσαν· ἔστι δ' αὐτῶν τὰ μὲν ἐπὶ δεξιὰ πάντα καθαρῶς Ἰταλία, τὰ δ' ἐπὶ θάτερα, ἐς τὸν Ἰόνιον φθάνοντα, νῦν μέν ἐστι καὶ ταῦτα Ἰταλία, οἰκοῦσι δ' αὐτῶν τὰ μὲν Ἕλληνες ἀμφὶ τὴν Ἰόνιον ἀκτήν, τὰ δὲ λοιπὰ Κελτοί, ὅσοι τῇ Ῥώμῃ τὸ πρῶτον ἐπιθέμενοι, τὴν πόλιν ἐνέπρησαν. ὅτε γὰρ αὐτοὺς ἐξελαύνων Κάμιλλος ἐδίωκε μέχρι τῶν Ἀπεννίνων ὀρῶν, ἐμοὶ δοκοῦσιν, ὑπερβάντες αὐτά, ἀντὶ ἠθῶν τῶν ἰδίων, παρὰ τὸν Ἰόνιον οἰκῆσαι· καὶ τὸ μέρος τῆς χώρας ἔτι νῦν οὕτως καλοῦσιν Ἰταλίαν Γαλατικήν. Hoc eſt: *Apenninus mons ex mediis Alpibus in mare procurrit. ad dextrum eius latus ea eſt, quæ verè Italia dicitur. à ſiniſtro ad Ionium mare nunc quidem Italia eſt: ſed tamen partem eius circa litus Ionium incolunt Græci; reliqua Galli, qui quondam Romam bello adorti incenderunt. Hos ego arbitror, quum Camillus fugienteis ad Apenninum uſque perſequutus fuiſſet, ſuperato monte, pro ſedibus patriis juxta Ionium conſediſſe. unde nunc quoque partem eius regionis Italiam Gallicam adpellant.* De hac Gallorum ad Apenninum uſque perſequutione apud Procopium etiam Gothicar. rer. lib. IIII leguntur iſta: Τωτίλας δὲ, παντὶ ἄρας τῷ στρατῷ, ὡς τοῖς πολεμίοις ἐν ἐπιτηδείῳ ὑπαντιάσων ᾔει. ὅλην οὖν Τουσκίαν ἀμείψας, καὶ ἐν ὄρει τῷ Ἀπεννίνῳ καλουμένῳ γενόμενος, αὐτοῦ ἐστρατοπεδευσάμενος, ἔμεινεν ἄγχιστα κώμης, ἥνπερ οἱ ἐπιχώριοι Ταγίνας καλοῦσιν. Ἥ τε Ῥωμαίων στρατιὰ, Νάρσου ἡγουμένου, πολλῷ ὕστερον ἐν τῷ ὄρει καὶ αὐτοὶ τῷ Ἀπεννίνῳ ἐνστρατοπεδευσάμενοι ἔμενον, σταδίους ἑκατὸν μάλιστα οὐ τῶν ἐναντίων στρατοπέδου, ἐν χωρίῳ ὁμαλῷ μὲν, ἄγχιστά πη τάφους περιβεβλημένῳ πολλούς· ἵνα δὴ στρατηγοῦντά ποτε Ῥωμαίων τὸν Κάμιλλον τῶν Γάλλων ὅμιλον διαφθεῖραι μάχῃ νενικηκότα φασί. φέρει δὲ καὶ ἐς ἐμὲ μαρτύριον τοῦ ἔργου τὴν προσηγορίαν ὁ χῶρος· καὶ διασώζει τῇ μνήμῃ τῶν Γάλλων τὸ πάθος, Βοῦστα Γαλλόρων καλούμενος· βοῦστα γὰρ Λατῖνοι τὰ ἐκ τῆς πυρᾶς καλοῦσι λείψανα. τύμβοι τε τῇδε γεώλοφοι τῶν νεκρῶν ἐκείνων παμπληθεῖς εἰσιν. Id eſt: *Totila igitur, cum omni exercitu movens, ut hoſtibus opportunè occurſurus, profectus eſt. omnemque Tuſciam emenſus, ad montem Apenninum ubi pervênit, caſtra prope vicum, quem incolæ Taginas vocant, poſuit. Romanorum exercitus, Narſete duce, multo pòſt & ipſe in monte Apennino caſtris poſitis ſubſtitit, ſtadiis ut plurimùm centum ab hoſtium caſtris; in loco plano, ac ſepulcris cincto: ubi olim à Camillo, Romanorum duce, copias Gallorum cæſas ferunt. unde meâ etiam ætate locus rei adpellationem retinet, cladiſque Gallorum memoriam cuſtodit; Buſta Gallorum dictus. quidpe buſta Latini vocant reliquias rogi. tumulique interfectorum frequentiſſimi heic viſuntur.* Locum heic in Apennino monte circa viam Flaminiam intelligi; item, quæ & quorum Gallorum hæc fuerint buſta; poſteà in Vmbriæ deſcriptione docebo. Camillus autem quouſque Senones Gallos perſequutus ſit, præter alios auctores, ſic tradit Livius lib. XXII: *Vir, ac verè Romanus, quo die, dictatorem eum ex auctoritate patrum juſſuque populi dictum, Veios allatus eſt nuncius, quum eſſet ſatis altum Ianiculum, ubi ſedens proſpectaret hoſtem, deſcendit in æquum: atque illo ipſo die, mediâ in urbe, quà nunc Buſta Gallica ſunt, & poſtero die circa Gabios cecîdit Gallorum legiones.* Sed ne heic quidem in urbe Româ inde buſtis iſtis id cognomen natum, quòd illic victi à Camillo Galli cremati fuerint; ſed peſtilentiâ abſumpti, docet idem Livius lib. V. *Iam pigritiâ*, inquit, *ſingulos ſepeliendi, promiſcuè acervatos cumulos hominum urebant. buſtorumque inde*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Gallicorum nomine inſignem locum fecêre. Fabuloſam igitur iſtam de Camilli ad Alpeis usque perſequutione hiſtoriam neſcio unde Græci iſti poſteriori ævo habuerint mortales. Potior itaque nobis ſit Polybii Liviique, graviſſimorum ſcriptorum, auctoritas. quibus Diodorus quoque accedens, ita tradit lib. XIIII: Καθ' ὃν δὲ καιρὸν μάλιστα Ῥήγιον ἐπολιόρκει Διονύσιος, οἱ κατοικοῦντες τὰ πέραν τῶν Ἄλπεων Κελτοὶ, τὰ στενὰ διελθόντες μεγάλαις δυνάμεσι, κατελάβοντο τὴν μεταξὺ χώραν τοῦ τε Ἀπεννίνου καὶ τῶν Ἄλπεων ὀρῶν, ἐκβαλόντες τοὺς κατοικοῦντας Τυρρηνούς. * . Τῶν δὲ Κελτῶν κατ' ἔθνη διαιρουμένων τὴν χώραν, οἱ καλούμενοι Σένωνες ἔτυχον λαβόντες τὸν πορρωτάτω κείμενον λόφον τῶν ὀρῶν παρὰ θάλατταν. ὄντος δ' αὐτοῦ καυματώδους, δυσφοροῦντες, ἔσπευδον μετοικίσαι· καὶ τοὺς νεωτέρους καθοπλίσαντες, ἀπέστειλαν ζητεῖν χώραν, ἐν ᾗ κατοικήσουσιν. Id eſt: *Quo tempore Dionyſius Rhegium arctiſſimâ obſidione premebat, Galli Tranſalpini validis copiis Alpium anguſtias transgreſſi, regionem inter Alpeis Apenninumque montem ſitam occuparunt; Tuſcis, qui ea loca incolebant, ejectis.* Mox: *Quumque terram in ſingulas genteis diſtribuerent; Senones remotiſſimum ex montibus collem apud mare acceperunt. Is quum nimio æſtu gravaretur, incommoditate loci offenſi Galli, aliò ſedeis transferre decreverunt. Itaque juventutem, armis inſtructam, ad novas ſedeis quærendas emittunt.* Narrat hinc, ut, in Etruriam profecti, primò Cluſium obſederint; dein Romam repentino adventu ceperint. At quid hoc eſt, quòd ait, accepiſſe eos in partitione terrarum τὸν πορρωτάτω κείμενον λόφον τῶν ὀρῶν παρὰ θάλατταν; An unus *collis* ſive *mons* (ſolet quidpe Diodorus immenſos etiam monteis appellare λόφους) totam Senonum gentem capere potuit? Nugæ ſunt, ſive auctoris, ſive exſcriptoris. Auctorem tamen ſcripſiſſe putaverim, ἔτυχον λαβόντες τὸν πορρωτάτω κείμενον τόπον τῶν ὀρῶν παρὰ θάλατταν· id eſt, *acceperunt locum in montibus ad mare longiſſimè ſitum.* Vſitatiſſimum quidpe cùm Diodoro tùm aliis etiam eſt auctoribus Græcis pariter ac Latinis τόπον, id eſt, *locum*, dicere pro ingenti ac vaſtâ regione. Per χώραν autem τὸν πορρωτάτω κείμενον idem intellexit, quod Polybius ſuprà dixit, τὰ δὲ τελευταῖα, πρὸς θαλάττῃ, Σήνωνες κατῴκησαν· id eſt: *Vltima, quæ apud mare ſita ſunt, Senones tenuêre.* Vltima ſcilicet, reſpectu Galliæ Transalpinæ, unde venerant, poſt reliquorum Gallorum, Anamanorum, Boiorum, Lingonumque ſedeis. id eſt, ut Livius ait, *ab Vtente flumine usque ad Aeſim fineis habuêre.* At auctor de Viris illuſtribus, non propter anguſtiam agrorum, ſed ob ſterilitatem reliquiſſe hos fineis Senones, teſtatur in Camillo his verbis: *Galli Senones, relictis ob ſterilitatem agris ſuis, Cluſium, Etruriæ opidum, obſidebant.* Hanc migrandi cauſam plerique ſcriptores, ut ſuprà cap. XXII oſtenſum, univerſis Gallis, è Galliâ Transalpinâ in Italiam profectis, tribuerunt. Cæterùm Diodorus dicto loco, non Senones tantùm, ſed & reliquas ſuprà enarratas Gallorum genteis eodem anno in Italiam veniſſe tradit, quo Senones Cluſium oppugnarunt, moxque Romam ceperunt; id eſt, ut ipſe computat, Olympiadis XCVIII anno II; quum ſummum Athenis magiſtratum gereret Theodotus. Eâ de re ita ſcribit Livius dicto lib. V: *Adventante fatali urbis Romæ clade, legati ab Cluſinis veniunt, auxilium adversùs Gallos petentes. Eam gentem, traditur fama, dulcedine frugum, maximéque vini novâ tum voluptate captam, Alpeis transiſſe: agrosque ab Etruſcis antè cultos poſſediſſe. & invexiſſe in Galliam vinum illiciendæ gentis causâ Aruntem Cluſinum, irâ corruptæ uxoris ab Lucumone, cui tutor is fuerat ipſe, præpotente juvene, & à quo expeti pœnæ, niſi externa vis quæſita eſſet, nequirent. hunc transeuntibus Alpeis ducem, auctoremque Cluſium oppugnandi fuiſſe. Equidem haud abnuerim, Cluſium Gallos ab Arunte, ſeu quo alio Cluſino, adductos. ſed eos, qui oppugnaverint Cluſium, non fuiſſe, qui primi Alpeis tranſierint, ſatis conſtat. ducentis quidpe annis antè, quàm Cluſium oppugnarent, urbemque Romam caperent, in Italiam Galli transſcenderunt. nec cum his primùm Etruſcorum, ſed multo antè cum iis, qui inter Apenninum Alpeisque incolebant, ſæpè exercitus Gallici pugnavêre.* Et paullo pòſt: *De transitu in Italiam Gallorum hæc accepimus. Priſco Tarquinio Romæ regnante, Celtarum, quæ pars Galliæ tertia eſt, penes Bituriges ſumma imperii fuit. ii regem Celtico dabant. Ambigatus is fuit; virtute fortunâque cùm ſua tùm publicâ præpollens: quòd in imperio eius Gallia adeò frugum hominumque fertilis fuit, ut abundans multitudo vix regi videretur poſſe. Hic magno natu ipſe jam, exonerare prægravante turbâ regnum cupiens, Bellovesum ac Sigoveſum, ſororis filios, impigros juvenes, miſſurum ſe eſſe in quas dii dediſſent auguriis ſedeis, oſtendit.* Sciliceet varias varios, cur Galli, patrio ſolo relicto, in Italiam migraverint, adnotaſſe auctores cauſas, ſuprà dicto cap. XXII oſtenſum eſt. quarum una erat, discordia & diſſen-

diſſenſiones domeſticæ: altera, multitudinis tanta abundantia, uti regi ampliùs non
poſſet: tertia, terrarum, quas poſſidebant, anguſtia frugumque penuria: quarta,
adpetitio novorum fructuum tum primùm ex Italiâ relatorum: quinta, quòd ab
Arunte Cluſino vocati ſint, in ultionem corruptæ uxoris. Has univerſas veras eſſe
judicaverim; modò ſuis quæque hominibus temporibusque reddantur. Primùm
credo, univerſos Celticæ Galliæ populos, quos Polybius lib. II ac Livius dicto lib.
V enumerant, ob diſſenſiones ſeditionesque domeſticas, quòd regi nollent, patrio
ſolo pulſos eſſe. quorum pars in Boiohæmum, ut ſuprà cap. XXII intellectum, pars
in Narbonenſem Galliam pervenêre. Hi, poſtquàm in his locis, Italiæ proximis,
aliquamdiu ſubſtitiſſent; tandem περὶ τὸ κάλλος, ut inquit Polybius dicto lib. II,
τῆς χώρας τῶν Τυῤῥηνῶν ὀφθαλμιάσαντες, id eſt, *oculos pulcritudini Tuſcorum regionis adji-*
cientes; dulcedine frugum, ut cum Plinio atque Plutarcho tradit Livius, *maximéque*
vini novâ tum voluptate capti; quod quidam illic guſtaverant, ἐπιμιγνύμενοι κατὰ τὴν παρά-
θεσιν τοῖς Τυῤῥηνοῖς, *commeantes ad Tuſcos, quòd contermini eſſent*; vel etiam per com-
mercia domum reportaverant; ἐκ μικρᾶς προφάσεως μεγάλῃ στρατιᾷ παραδόξως ἐπελ-
θόντες, ἐξέβαλον ἐκ τῆς περὶ τὸν Πάδον χώρας Τυῤῥηνοὺς, καὶ κατεῖχον αὐτοὶ τὰ πεδία. hoc eſt,
arreptâ levi occaſione, cum numeroſo tot populorum exercitu nihil tale cogitanteis Tuſcos in-
vadunt; ex regione Circumpadanâ ejiciunt; atque ipſi agros eorum occupant; annis cir-
citer IↃC ante Chriſtum natum; *Tarquinio Priſco Romæ regnante*. Hinc alii ſub-
inde atque alii Gallorum populi Alpeis transgreſſi, omnem regionem Circumpa-
danam obſederunt. Poſtremi omnium transgreſſi *Senones*, circa annum urbis Ro-
mæ CCCLVIII; ut ſuprà cap. XXII oſtenſum, loca inter Vtentem Aeſimque ſita,
pulſis inde Vmbris, occuparunt. Quæ regio quum in longum quidem juxta mare
inter dicta flumina millia XC pateret; latitudine verò exiguâ nimiùm coarctare-
tur; Vmbris montana circa Sarſinam & Vrbinum etiam tum tenentibus: οὐκ αὐ-
τάρκης ἦν, ut inquit Plutarchus, ἅπαντας τρέφειν, id eſt, *non valebat omneis alere*; ex-
creſcente ſcilicet multitudine. Quapropter anguſtiam hanc δυςπαθῦντες, ut ait Dio-
dorus, ἐσπούδαζον μετοικῆσαι, id eſt, *iniquo animo ferentes ac pertæſi, aliò commigrare cupie-*
bant. Commodè autem accidit, ſexennio circiter pòſt, quàm in Italiam vene-
rant, id eſt, annis tandem CCVII poſt primam Gallorum in Italiam migrationem,
uti ab Arunte Cluſino in ultionem corruptæ à Lucumone uxoris ad Cluſium op-
pugnandum vocarentur. Itaque maiores natu τοὺς νεωτέρους καθοπλίσαντες, ἀπέστειλαν
ζητεῖν χώραν, ἐν ᾗ κατοικήσουσιν, id eſt, *juventutem armis inſtructam ad novas ſedeis quæren-*
das emittunt. Hi, duce eodem Arunte, eâ viâ, qua poſtmodùm ſæpè Romani ex-
ercitus transgreſſi ſunt, per Sapiniam tribum, quà circa Sapis fluvii fonteis Aquæ
ſunt calidæ, vulgò *Bagni di Santa Maria* dictæ, Apenninum montem tranſiverunt,
juxta Aretium atque Cortonam verſùs Cluſium contendentes. unde mox Ro-
mam venerunt. Sed hanc Senonum expeditionem, cauſamque & tempus profe-
ctionis, plerique auctores, ut ſuprà intellectum, univerſæ genti, ex Galliâ Tranſal-
pinâ in Italiam ducentis ampliùs antè annis transgreſſæ, adſtruxerunt.

SENONES *quando ſedibus exciſi.*

Cæterùm deleta eſt tandem tota Senonum gens, vel ſaltem ſedibus ad Hadria-
ticum mare à Romanis pulſa, C ferè annis poſt captam ab eâ incenſamque urbem
Romam. qua de re ita tradit Strabo lib. V: Τὸ μὲν οὖν ἀρχαῖον ὑπὲρ Κελτῶν περιῳκεῖτο πόλιν
τῶν πλείστων ὁ Πάδος. μέγιστα δ' ἦν τῶν Κελτῶν ἔθνη Βοῖοι καὶ Ἴσομβροι, καὶ οἱ τὴν Ῥωμαίων πόλιν
ἐξ ἐφόδου καταλαβόντες Σένωνες. Τούτους μὲν οὖν ἐξέφθειραν ὕστερον τελέως Ῥωμαῖοι· τοὺς δὲ Βοΐους
ἐξήλασαν ἐκ τῶν τόπων. Id eſt: *Circa Padum igitur Galli plurimâ ex parte incolebant. quo-*
rum maximæ gentes Boii & Inſubres, &, qui urbem Romam repentino adventu ceperunt,
Senones. Hos quidem poſteà temporis prorſus deleverunt Romani: Boios verò ſedibus eje-
cerunt. Et aliquanto pòſt: Τὰ δὲ ἐντὸς τοῦ Πάδου κατεῖχον Βοΐοι, καὶ Λίγυες, καὶ Σένωνες, τὸ
πλέον. τῶν δὲ Βοιῶν ἐξελαθέντων, ἀφανισθέντων δὲ τῶν Σενώνων, λείπεται τὰ Λιγυστικὰ φῦλα καὶ
τῶν Ῥωμαίων αἱ ἀποικίαι. Hoc eſt: *Ciſpadanam regionem tenuêre quondam Boii, Ligures,*
atque Senones. Poſteà pulſis Boiis, Senonibus verò prorſus deletis, ſuperſunt nunc Liguſtica
gentes Romanorumque coloniæ. Senones quoque non omnino tunc deletos, ſed tan-
tùm ſedibus pulſos fuiſſe, auctor eſt Polybius lib. II. Παραγενόμενοι δὲ, inquit, Γαλάται
μετὰ μεγάλης στρατιᾶς πολιορκήσαντες τὴν Ἀῤῥητίνων πόλιν. Ῥωμαῖοι δὲ παραβοηθήσαντες καὶ συμβα-
λόντες πρὸ τῆς πόλεως, ἡττήθησαν. Ἐν δὲ τῇ μάχῃ ταύτῃ Λευκίου τοῦ στρατηγοῦ τελευτήσαντος, Μά-
νιον ἐπικατέστησαν τὸν Κόριον· οὗ πρεσβευτὰς ἐκπέμψαντος εἰς Γαλατίαν ὑπὲρ τῶν αἰχμαλώτων,
παρα-

παρασπονδήσαντες ἐπανείλοντο τοὺς πρέσβεις. τῶν δὲ Ῥωμαίων ὑπὲρ τοῦ θυμοῦ ἐκ χειρὸς ἐπιστρατευσαμένων, ἀπαντήσαντες συνέβαλον οἱ Σήνωνες καλούμενοι Γαλάται. Ῥωμαῖοι δ' ἐκ παρατάξεως κρατήσαντες αὐτῶν, τοὺς μὲν πλείστους ἀπέκτειναν, τοὺς δὲ λοιποὺς ἐξέβαλον. τῆς δὲ χώρας ἐγένοντο πάσης ἐγκρατεῖς. εἰς ἣν καὶ πρώτην τῆς Γαλατίας ἀποικίαν ἔστειλαν τὴν Σήνην προσαγορευομένην πόλιν, ὁμώνυμον οὖσαν τοῖς πρότερον αὐτὴν κατοικοῦσι Γαλάταις. Id eſt: *Galli magnâ belli mole Aretinorum urbem oppugnatum aderant. Romani igitur ad ferendam opem quum adveniſſent; collatis ante urbem ſignis, inferiores è pugnâ diſceſſerunt. Eo prælio quum dux legionum Lucius occubuiſſet; M'. Curius in locum eius ſuffectus eſt. Hic legatos de redemptione captivorum ad Gallos miſit. quos ipſi, datam fidem fallentes, necaverunt. Indigniſſimè facinus id tulêre Romani. ac confeſtim ducto in hoſteis exercitu, cum Gallis Senonibus, obviam prodire auſis, manum conſerunt. quumque Romanis ſecunda fortuna pugnæ fuiſſet; partem maximam occiderunt: reliquos ſedibus expulerunt. Ita potiti universâ Senonum regione, primàm in Galliam coloniam eò mittunt, quæ Sena dicitur de eorum Gallorum nomine, qui priùs tenuère.* Conſulatum geſſit M'. Curius Dentatus cum P. Cornelio Rufino anno urbis Romæ CCCCLXIII; ante natum Ieſum anno CCXC. Sed alio ordine hanc hiſtoriam retuliſſe videtur Livius; ita, uti colonia Sena antè fuerit deducta, quàm Senonum gens deleta, vel ſedibus pulſa. ſic quidpe refert Breviator eius lib. XI: *Curius Dentatus conſul, Samnitibus cæſis, & Sabinis, qui rebellaverant, victis, & in deditionem acceptis, bis in eodem magiſtratu triumphavit. Coloniæ deductæ ſunt, Caſtrum, Sena, Hadria.* Et tandem lib. XII: *Quum legati Romanorum à Gallis Senonibus interfecti eſſent, bello ob id Gallis indicto, L. Cæcilius prætor cum legionibus ab iis cæſus eſt.* Quid tandem Senonibus factum, Breviator hic non perſequitur: & tota hæc Livii decas à libro X ad XXI interiit. Pulſos quidem tunc fuiſſe à Curio Dentato conſule ſedibus ſuis circa Senam; at poſt VII annos à P. Cornelio Dolabellâ conſule planè omneis deletos; ex Polybii ſimul & Dionyſii Halicarnaſſenſis Florique hiſtoriis diſco. Polybius, dicto lib. II, ita pergit: Οἱ δὲ Βοῖοι θεωροῦντες ἐκπεπτωκότας τοὺς Σήνωνας, καὶ δείσαντες περὶ σφῶν καὶ τῆς χώρας, μὴ πάθωσι τὸ παραπλήσιον, ἐξεστράτευσαν πανδημεί, παρακαλέσαντες Τυῤῥηνούς. ἀθροισθέντες δὲ περὶ τὴν Ὀάδμονα προσαγορευομένην λίμνην, παρετάξαντο Ῥωμαίοις. ἐν δὲ τῇ μάχῃ ταύτῃ Τυῤῥηνῶν μὲν οἱ πλεῖστοι κατεκόπησαν, τῶν δὲ Βοιῶν τελέως ὀλίγοι διέφυγον. * . Ταῦτα δὲ συνέβαινε γίγνεσθαι τῷ τρίτῳ πρότερον ἔτει τῆς Πύῤῥου διαβάσεως εἰς τὴν Ἰταλίαν. Hoc eſt: *Boii, ut excidiſſe ſedibus ſuis Senones vident; metu ſimilis fortunæ, omnibus ſuis, qui ferre arma poterant, excitis, Etruſcis etiam in auxilium vocatis, adversùs Romanos proficiſcuntur. Poſtquàm ad lacum Vadimonis copiæ univerſæ convenerant, acie inſtructâ certamen initur. Cæſi ſunt plurimâ ex parte Etruſci. Boiorum opidò pauci evaſerunt.* Mox: *Geſta hæc ſunt triennio priùs, quàm Pyrrhus in Italiam trajiceret.* Pyrrhus in Italiam, Tarentinos contra Romanos defenſurus, trajecit anno urbis Romæ CCCCLXXIII, P. Valerio Lævino & Ti. Coruncanio Nepote conſulibus. triennio antè fuêre conſules prædictus P. Cornelius Dolabella & Cn. Domitius Calvinus. Hinc Dionyſius Halicarnaſſenſis, ut eſt in Excerptis legationum: Πύῤῥου, τοῦ Ἠπειρωτῶν βασιλέως, ἐπὶ τὴν Ῥώμην στρατιὰν ἐξαγαγόντος, ἡ βουλὴ πρεσβευτὰς ἀπέστειλε, τοὺς ἀξιώσοντας Πύῤῥον ἀπολυτρῶσαι σφίσι τοὺς αἰχμαλώτους· καὶ ἀποδείκνυσι πρέσβεις, Γάϊον Φαβρίκιον, ὃς ἐνιαυτῷ τρίτῳ ὑπατεύων, Σαυνίτας τε Λευκανοὺς καὶ Βρεττίους ἐνίκησε· καὶ Κόϊντον Αἰμίλιον, τὸν συνάρξαντα τῷ Φαβρικίῳ, καὶ τὴν ἡγεμονίαν τοῦ Τυῤῥηνικοῦ πολέμου σχόντα· καὶ Πόπλιον Κορνήλιον, ὃς ἐνιαυτῷ τετάρτῳ πρότερον ὑπατεύων, Κελτῶν ἔθνος ὅλον, τοὺς καλουμένους Σένωνας, ἐχθίστους Ῥωμαίων ὄντας, πολεμῶν, ἅπαντας ἡβηδὸν κατέσφαξεν. Id eſt: *Quum Pyrrhus, Epirotarum rex, Romam versùs duceret exercitum, ſenatus legationem decrevit, quo à Pyrrho peteret, uti captivorum redemptionem fieri pateretur. legatosque deſignavit, C. Fabricium; qui tertio anno antè conſul Samnites ac Lucanos & Brutios ſuperaverat: & Q. Aemilium, qui cum Fabricio conſulatum geſſerat; Etruſcoque bello dux copiis præfuerat: & P. Cornelium; qui quarto anno antè conſul totam Gallorum gentem, quos Senonas vocant, acerrimos Romanorum hoſteis, bello devictos, omneis, quotquot juvenili ætate eſſent, contrucidaverat.* Et Florus lib. I cap. XIII; poſtquàm narravit, qua ratione Senones urbem Romam ceperint atque incenderint, pulſique inde à Camillo fuerint. *Poſt adſertam à Manlio, reſtitutam à Camillo urbem, acriùs etiam vehementiùsque in finitimos reſurrexit populus Romanus. Ac primùm omnium illam ipſam Gallicam gentem non contentus mœnibus expuliſſe; quum per Italiam naufragia ſua latiùs traheret, ſic perſequutus eſt duce*

Camillo, ut hodiè nulla Senonum veſtigia ſuperſint. Semel apud Anienem trucidati. iterum in Pomptino agro. tandem poſt aliquot annos omneis reliquias eorum in Etruriâ ad lacum Vadimonis Dolabella delevit: ne quis exſtaret in eâ gente, qui incenſam à ſe Romanam urbem gloriaretur. Hic ſanè auctor omnibus modis ac numeris ſuper excidio totius Senonum gentis cum Strabone conſentit. Verùm ager eius gentis jam M'. Curio Dentato conſule, ut ſuprà Polybius teſtatur, Romanorum factus eſt; coloniaque in opidum *Senam Gallicam* deducta. quod opidum, hodiéque clarum, vulgò etiamnunc dicitur *Sinigaglia*. Ergo pulſi Senones maximâ parte agrorum ſuorum, ab Aeſi ad Rubiconem amnem, M'. Curio Dentato & P. Cornelio Rufino conſulibus, reliquam inde portiunculam à Rubicone ad Vtentem amnem incoluerunt; donec VII annis pòſt, P. Cornelio Dolabellâ & Cn. Domitio Calvino conſulibus, apud Vadimonis lacum prorſus deleti ſunt. Prædictam portiunculam tunc Boiorum ditioni ac nomini acceſſiſſe; Romanoſque inde perpetuò terminum Togatam Galliam inter & Italiam ſuam ſervaſſe Rubiconem amnem, ſuprà cap. XXII & XXVIII oſtenſum eſt. At ager inter Rubiconem & Aeſim, annis LVIII pòſt, quàm de Senonibus captus erat, viritim populo Romano diviſus eſt, M. Aemilio Lepido & M. Publicio Malleolo conſulibus. qua de re ita apud Polybium ſcriptum eſt prædicto lib. II: Μάρκου δὲ Λεπίδου στρατηγοῦντος κατεκληρούχησαν ἐν Γαλατίᾳ Ῥωμαῖοι τὴν Πικεντίνην προσαγορευομένην χώραν, ἐξ ἧς νικήσαντες ἐξέβαλον τοὺς Σήνωνας προσαγορευομένους Γαλάτας, Γαΐου Φλαμινίου ταύτην τὴν δημαγωγίαν εἰσηγησαμένου καὶ πολιτείαν. Id eſt: *M. Lepido conſule, Romani agrum in Galliâ, qui Picenus dictus eſt, de Senonibus captum, diviſerunt: poſtquàm C. Flaminius, popularem auram captans, legem hanc ſuaſiſſet tuliſſetque.* Et aliquanto pòſt: Οἱ δὲ Γαισάται Γαλάται συστησάμενοι δύναμιν πολυτελῆ καὶ βαρεῖαν, ἧκον ὑπερβάλαντες τὰς Ἄλπεις εἰς τὸν Πάδον ποταμόν, ἔτει μετὰ τὴν τῆς χώρας διάδοσιν ὀγδόῳ. * . * . Ῥωμαῖοι δ᾽ ὡς θᾶττον ἤκουσαν τοὺς Κελτοὺς ὑπερβεβληκέναι τὰς Ἄλπεις, Λεύκιον μὲν Αἰμίλιον ὕπατον μετὰ δυνάμεως ἐξαπέστειλαν ὡς ἐπ᾽ Ἀρίμινον, τηρήσοντα ταύτῃ τῶν ἐναντίων τὴν ἔφοδον· ἕνα δὲ τῶν πελεκυφόρων εἰς Τυρρηνίαν· ὁ μὲν γὰρ ἕτερος τῶν ὑπάτων Γάϊος Ἀτίλιος προεξεληλυθὼς ἔτυχεν εἰς Σαρδόνα μετὰ τῶν στρατοπέδων. Id eſt: *Gæſatæ igitur Galli, cum exercitu omni armorum genere magnificè inſtructo ſuperatis Alpibus, ad Padum flumen venêre, octavo demum anno poſt agri diviſionem.* Mox: *Romani, audito Gallos trajeciſſe Alpeis, quantocyus L. Aemilium conſulem cum legionibus Ariminum miſerunt; ſi fortè hoſtis impetum illuc eſſet facturus. prætorum uni Etruria decreta eſt. nam alter conſul C. Atilius jam antè in Sardiniam cum exercitu erat profectus.* Longè aliter hæc tempora computavit Cicero, graviſſimus auctor, reipublicæque Romanæ peritiſſimus quondam ipſe conſul. Verba eius in libro de Senectute hæc ſunt: *Q. Fabius Max. conſul iterum, Sp. Carvilio collegâ quieſcente, C. Flaminio, tribuno plebis, quoad potuit, reſtitit, agrum Picenum & Gallicum viritim contra ſenatus auctoritatem dividenti.* Couſules hi fuêre, ambo iterum, triennio ante conſulatum L. Aemilii Papi & C. Atilii Reguli. Ad horum autem conſulatum à conſulatu M. Aemilii Lepidi & M. Publicii Malleoli, non VIIII, ut vult Polybius, ſed VII tantùm numerantur anni. Verùm quia M. Lepidi conſulatum præceſſit primus conſulatus Q. Fabii Maximi; hunc verò primus conſulatus Sp. Carvilii; tum alterum horum conſulatum ſequutus eſt VIIII annis pòſt L. Aemilii Paulli & M. Livii Salinatoris conſulatus: facilè iiſdem nominibus pluries occurrentibus confundi Polybius potuit. De cætero idem Polybius, ut modò relatum, ait Senonum in Galliâ agrum, qui viritim diviſus eſt, Πικεντίνην χώραν, id eſt, *Picenum agrum* fuiſſe adpellatum. id quo pacto factum, oſtendit Columella de Re ruſticâ lib. III cap. III. *Terentius*, inquit, *Varro prodidit, ſingula rura vinearum ſexcenas urnas vini præbuiſſe. id enim maximè adſeverat in primo libro Rerum ruſticarum Varro. nec unâ regione provenire ſolitum: verùm & in Faventino agro, & in Gallico, qui nunc Piceno contribuitur.* Picentium alioquin fines anteà erant inter Aeſim & Heluinum amneis; ut infrà ſuo loco oſtendetur. Huic igitur Piceno poſtmodùm Senonum regio, expulſis inde priſcis cultoribus, ad Rubiconem uſque amnem contributa eſt. Hinc etiam Livius lib. XXV, *Picentibus*, inquit, *victis pax data. Coloniæ deductæ, Ariminum in Piceno, Beneventum in Samnio.* Et Oroſius lib. IIII cap. XVIII: *Fuit hoc prælio Pœnis Metaurus fluvius, ubi Haſdrubal eſt victus, quaſi Traſimenus lacus; & Sena, Piceni civitas, ut vicus ille Cannenſis.* Item Eutropius lib.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

lib. III: *Haſdrubal apud Senam, Piceni civitatem, in inſidias, à conſulibus Claudio Nerone & M. Livio Salinatore compoſitas, incidit.* Verùm tamen idem ager etiam quaſi proprio nomine GALLICVS AGER adpellatus eſt: ut clarè patet ex præſcriptis Columellæ verbis; quibus diſertè inter *Gallicum agrum* & *Faventinum* diſtingvit. *Faventia* autem, ut ſuperiori capite oſtenſum, Boiorum Gallorum fuit opidum. Clarè hoc etiam ipſius indicant verba Varronis; quæ dicto lib. I de Re rûſticâ cap. II ſunt huiusmodi: *Annon M. Cato ſcribit in libro Originum ſic? Ager Gallicus Romanus vocatur, qui viritim cis Ariminum datus eſt, ultra agrum Picentium. in eo agro aliquotſariam in ſingula jugera dena cullea vini fiunt. Nonne item in agro Faventino? à quo ibi tricenariæ adpellantur vites; quòd jugerum tricenas amphoras reddat.* Ad hæc ita in commentariis Petrus Victorius: *Sic locum caſtigavimus. Antiqua lectio; Cæſarem inundatus. excuſi codices inter ſe diſcrepabant. in aliis enim; Cæſennatibus datus eſt: in aliis, Cæſare jubente datus eſt.* Ergo Gallicus iſte ager inter Ariminum & Picentium terminum Aeſim amnem comprehendebatur? Haud indocta profectò caſtigatio; quando ex Plinio deprompta videtur. qui lib. III cap. XIII ita tradit: *Quinta regio Piceni eſt: quondam uberrimæ multitudinis.* CCCLX *millia Picentium in fidem populi Romani venêre.* Et cap. XIIII: *Iungitur his Sexta regio, Vmbriam complexa, agrumque Gallicum circa Ariminum. Ab Anconâ Gallica ora incipit, Togatæ Galliæ cognomine. Siculi & Liburni plurima eius tractus tenuêre: in primis Palmenſem, Prætutianum, Hadrianumque agrum. Vmbri eos expulère: hos Etruria: hanc Galli. Vmbrorum gens antiquiſſima Italiæ exiſtimatur.* CCC *eorum opida Tûſci debellaſſe reperiuntur.* Ac tandem cap. XV: *Octava regio determinatur Arimino, Pado, Apennino. In orâ fluvius Cruſtumium: Ariminum colonia, cum amnibus Arimino & Aprusâ. fluvius hinc Rubico, quondam finis Italiæ.* Atqui Rubico finis inter Italiam Galliamque Togatam factus eſt, poſteaquàm Senones hac orâ inter Rubiconem & Aeſim ejecti ſunt. quod igitur tum nomen fuit peculiare iſti oræ longitudine XII millium inter Rubiconem & Ariminum porrectæ? Nugæ ſunt. Plinius omnia iſta nimio compendii ſtudio immanem in modum confudit. qua re facilè imperitis imponi queat, ut credant, & Galliam Togatam incluſam fuiſſe eâdem orâ, qua iſte Gallicus eius ager inter Anconam & Ariminum; & Palmenſem item ac Prætutianum Hadrianumque agros, qui fuêre circa Aternum flumen, fuiſſe in hac eius Togatâ Galliâ: tum Etruſcos quondam hûnc tractum incoluiſſe; opidaque in eo Vmbrorum CCC debellaſſe. quæ cuncta quàm falſiſſima ſunt; ut infrà in Etruſcorum Vmbrorumque deſcriptione patebit. Deſcriptionem iſtam univerſæ Italiæ in XI regiones à Cæſare demum Auguſto factam, teſtatur ipſe Plinius eodem lib. III cap. V. Quapropter ad ea usque tempora AGER GALLICVS ROMANVS adpellabatur, inter Rubiconem Aeſimque porrectus: nonnumquàm etiam PICENVS dictus. Ab hoc tamen nomine poſteà plerumque ſeparatus fuit. Livius lib. XXIII *cohorteis ex agro Piceno & Gallico collectas* memorat bello Hannibalico, quum Boii hoſtes eſſent infeſtiſſimi Romanorum; ut ex eodem libro adparet. Et lib. XXXVIIII, *Eodem*, inquit, *anno coloniæ duæ, Potentia in Picenum, Piſaurum in Gallicum agrum, deductæ ſunt.* Et lib. XXIIII, dicto bello Hannibalico: *Prorogatum deinde imperium omnibus, qui ad exercitus erant: juſſique in provinciis manere, Ti. Gracchus Luceriæ, C. Terentius Varro in agro Piceno, M. Pomponius in Gallico.* Et poſteà: *Prætores fiunt, M. Attilius, P. Sempronius Tuditanus, & Cn. Fulvius Centimalus.* Exiguo pòſt: *Prætori Sempronio provincia Ariminum, Cn. Fulvio Sueſſula, venerunt: ut Fulvius urbanas legiones duceret; Tuditanus à M. Pomponio acciperet.* Cicero in oratione pro P. Syllâ: *Num in agro Camerti, Piceno, Gallico?* In Catilinariâ II: *Video, cui Apulia ſit attributa; qui habeat Etruriam, qui agrum Picenum, qui Gallicum.* At idem auctor in Bruto ſic habet: *Dicitur etiam C. Flaminius, is, qui tribunus plebis legem de agro Gallico & Piceno viritim dividendo tulerit, qui conſul apud Traſimenum ſit interfectus, ad populum valuiſſe dicendo.* Quum ab eodem M. Curio Dentato conſule, qui Senones Gallos vicit, agrisque ejecit, Picentes quoque debellati forent, quod infrà ſuo loco monſtrabitur; qua victoriâ, ut inquit Florus lib. I cap. XV, *tantum hominum, tantum agrorum redactum in poteſtatem, ut in utro plus eſſet, nec ipſe poſſet æſtimare, qui vicerat;* vel, ut Plinius ſuprà ſcripto loco ait, CCCLX *millia Picentium in fidem populi Romani venêre:* partem horum quoque agrorum viritim diviſam fuiſſe, patet ex Ciceronis proximis verbis. Atque hæc cauſa occaſioque fuit, cur Senonum

ager Piceni nomini in diviſione attribueretur. Sed de his plura fortaſſis hactenus dicta, quàm par erat. operæ tamen pretium viſum eſt, paullo clariùs ea explicare; quando haud facilè cuivis liquebant. De cætero, quia incertum eſt, alias ne quas urbeis, ſive vicos etiamtum incoluerint heic Senones, præter *Senam* & *Cæſenam*; quæ ipſis vocabulis conditorum nomen atque memoriam præ ſe ferunt; in Umbriæ deſcriptione poſteà enarrabimus, quidquid in his oris veterum monumentis celebratur.

CAP. XXX.

De ALPIBVS. *ac primùm quidem de nomine earum.*

HActenus eam ſummâ cum diligentia explicuimus Italiæ partem, quæ Alpeis & Apennini latus ſiniſtrum ad Aeſim usque flumen contingit. quo terrarum ſpacio Gallia Ciſalpina, & quæ ſub huius provinciæ titulo Romanis comprehenſæ fuêre gentes, populique Inalpini expoſiti ſunt. Ad reliqua Italiæ antequàm pergamus, commodum fuerit, adeóque neceſſarium, dum calet recens ab his oris memoria, primùm ipſas ALPEIS, quibus Italia, ceu altiſſimo vallo, à reliquis terris continentibus ſubmovetur, dein principem huius terræ amnium PADVM, cæteraque in eum defluentia flumina lacusque eâdem curâ deſcribere. Sed de Pado poſteriùs dicetur. nunc de Alpibus.

ALPES *unde dictæ.*


Primo igitur loco *nomen* ALPIVM explicetur. De hoc ita Feſtus Pompeius: *Alpes à candore nivium dictæ ſunt; quia perpetuis ferè nivibus albeſcunt. Sabini enim alpum dixêre, quod poſteà Latini album. unde Alpium nomen.* Mirum dictu, quàm inepti plerumque in eiusmodi rerum explicationibus atque deliri ſint iſtius ævi grammatici. Meliùs Iſidorus, Origin. lib. XIIII cap. VIII: *Alpes propriè montes Galliæ ſunt: de quibus Virgilius; Aërias Alpeis. & dicendo aërias, verbum expreſſit à verbo. nam Gallorum lingvâ Alpes, montes alti vocantur.* Sic & Servius, in iſta Virgilii verba, quæ ſunt initio libri x Aeneidos, commentans: *Sanè omnes altitudines montium licèt à Gallis Alpes vocantur, propriè tamen montium Gallicorum ſint.* Et in Γεωργικῶν lib. III: *Gallorum lingvâ alti montes Alpes vocantur.* Sic item Procopius Gothicar. rer. lib. I: Καὶ χώρα μὲν ἡ πρώτη τῆς Εὐρώπης, ἀμφί τε τὸν Ὠκεανὸν καὶ δύοντα Ἥλιον, Ἱσπανία ὠνόμασαι, ἄχρι ἐς Ἄλπεις, τὰς ἐν ὄρει τῷ Πυρηναίῳ οὔσας· Ἄλπεις δὲ καλεῖν τὴν ἐν στενοχωρίᾳ δίοδον οἱ ταύτῃ ἄνθρωποι νενομίκασι. τὸ δὲ ἐνθένδε μέχρι τῶν Λιγουρίας ὁρίων, Γαλλία ἐκλήθη· ἔνθα δὴ καὶ Ἄλπεις ἕτεραι, Γάλλους τε καὶ Λιγούρους διορίζουσι. Id eſt: *Prima Europæ regio, ad Oceanum & occidentem Solem, Hiſpania vocatur, usque ad Alpeis, quæ in Pyrenæo ſunt monte. Alpeis verò adpellare incolæ huius regionis ſolent transitum in anguſtiis. Hinc porrò ad Liguriæ usque confinia Gallia nuncupatur: ubi aliæ Alpes, Gallos & Ligures diſterminantes.* Verior Iſidori Serviique interpretatio; qui non *transitum*, ſed ipſos *altos monteis* Gallis vocari *Alpeis* tradunt. nam hodiéque omnes ſive adcolæ ſive incolæ Alpium Germani, qui Italiam ab ſeptemtrionibus cingunt, patrio vocabulo vocant ALPEN, & variante dialecto ALPEN. quæ antiquiſſima eſſe horum montium vocabula, mox oſtendam. *Hiſpanos* verò, *Britannos, Gallos, Germanos*, atque *Illyricos*, unius eiusdemque CELTICAE gentis fuiſſe nationes, unam item & eamdem habuiſſe inter ſe lingvam, variis tantùm dialectis diſtinctam, Germaniæ antiquæ lib. I pluribus documentis capitibus. Hinc & Pyrenæi montes dicti fuêre utrimque adcolis *Alpes*, teſte Procopio; & item Carpates mons, Daciam ab ſeptemtrionibus cingens, *Baſternicarum* fert *Alpium* nomen in Tabulâ itinerariâ, à Baſternarum gente Germanicâ, quomdam adcolâ. De Pyrenæis jugis ſic etiam canit Prudentius in S. Laurentio:

Nos Vaſco Iberus dividit
Binis remotos Alpibus:
Trans Cottianorum juga,
Trans & Pyrenas ningvidas.

Sed & Prudentio longè antiquior poëta Silius, lib. II Geſtarum introducit ita in ſenatu Carthaginienſi contra Hannonem loquentem:

— *Hoſtis*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

——— *Hoſtis*
Nunc geminas Alpeis Apenninumque minatur,
Nunc freta Sicaniæ & Scyllæi litoris undas.

Cæterùm apud Melam, lib. II cap. V, hæc leguntur verba: *Inter Maſſiliam & Rhodanum maritima Avaticorum ſtagno adſidet foſſa Mariana. partem eius amnis navigabili alveo effundit. alioquin litus ignobile eſt Lapideum, ut vocant: in quo Herculem, contra Albionem & Bergionem, Neptuni liberos, dimicantem, quum tela defeciſſent, ab invocato Iove adjutum imbre lapidum ferunt.* Prima ex his ita lege: *Inter Maſſiliam & Rhodanum, Maritima Avaticorum ſtagno adſidet. Foſſa Mariana partem eius amnis navigabili alveo effundit.* Sic quidpe Ptolemæus: Μετὰ δὲ τὸν Ῥοδανὸν ἐπὶ θαλάσσῃ κεῖται Ἀυατικῶν Μαρίτιμα, κολώνια. id eſt: *Poſt Rhodanum ad mare ſita eſt Avaticorum Maritima, colonia.* Et Plinius lib. III cap. IIII: *Vltrà Foſſa ex Rhodano, C. Marii opere & nomine. inſigne ſtagnum Aſtromela. opidum Maritima Avaticorum: ſuperque Campi lapidei; Herculis præliorum memoria.* Fabulæ, alioquin haud inlepidæ, montium quoque propinquorum vocabula Celtica haud dubiè à Græcis Maſſilienſibus immixta ſunt. *montem* quidpe etiamnum vocamus *berg. excelſos* autem *monteis* atque *præaltos, alpen,* & *alben*; ut antè dictum. Eamdem fabulam alii etiam auctores referunt. Apollodorus de Diis lib. II: Εἰς Λιβύην ἦλθεν [ὁ Ἡρακλῆς·] ἐν ᾗ τὰς βόας ἀφῃρεῖντο Ἀλεβίων τε καὶ Δέρκυνος, οἱ Ποσειδῶνος υἱοί· οὓς κτείνας, διὰ Τυῤῥηνίας ᾔει. Id eſt: *In Lybiam pervenit Hercules: ubi Alebion & Dercynus, Neptuni filii, boves eius abigebant. quibus interemptis, per Etruriam iter habuit.* Ioannes Tzetza in Chiliadibus:

Δι' Ἰβηρίας δὲ τὰς βοῦς ἐλαυνῶν πρὸς Λιβύην,
Δέρκυνον καὶ Ἀλεβίωνα, σὺν Ποσειδῶνος, κτείνει,
Ἀφαιρουμένους τῶν βοῶν. χωρεῖ δ' εἰς Τυῤῥηνίαν.

Hoc eſt:

Per Hiſpaniam autem boves abigens in Libyam,
Dercynum & Alebiona, Neptuni filios, occîdit;
Quòd boves ſurripuerant. inde autem in Etruriam profectus.

Sic equidem apud duos hosce poſterioris ævi ſcriptores Λιβύην legimus, ubi Λιγύην nominaſſe debebant. per Liguriam quidpe, non Africam, iter agendum erat Herculi ex Hiſpaniâ & Galliâ in Italiam & Tyrrheniam ſive Etruriam contendenti. Ne autem librariorum mendum potiùs, quàm ipſorum auctorum errorem, eſſe credas; en ita Iſacius quoque Tzetza ſcribit, in Lycophronis Alexandram commentans: Ἔστι δὲ Χάρυβδις ὄνομα τόπου θαλάσσης περὶ Μεσσήνην καὶ Λιβύην, ἔνθα ὁ Τυῤῥηνὸς Ἀδρίᾳ συμβάλλων, δεινὴν ἐργάζεται τὴν Χάρυβδιν. Ἀδρίας δὲ καὶ Σένων, ὀνόματα ποταμῶν ῥεόντων εἰς τὸν Ἰόνιον κόλπον. Γράφεται δὲ καὶ Λιγυστικάς. οἰκοῦσι γὰρ οἱ Λιγυστῖνοι μετὰ τῶν Τυρσηνῶν. Στενὴν δὲ πορθμοῦ συνδρομὴν λέγει, ἐπειδὴ ὁ πορθμὸς μέσος κεῖται τοῦ Ἀδριατικοῦ καὶ τοῦ Τυρσηνικοῦ πελάγους. τὸ δὲ Τυρσηνικὸν πέλαγος μεταξὺ Ῥηγίου καὶ Μεσσήνης κεῖται. Τὸ δὲ ἑξῆς οὕτως· Τοὺς δ' ἀμφὶ Σύρτιν καὶ Λιβύην καὶ τὸν πορθμὸν τὸν ἐν Τυρσηνίᾳ πλανηθέντας, πάντας ὁ πάνδοχος Ἅδης καθέξει. Λιβυστικὸν καὶ Λιγυστικὸν τὸ αὐτό ἐστι. Λιβυστικὸν μὲν γὰρ λέγεται ἀπὸ Λιβύης, τῆς Ἐπάφου θυγατρός· Λιγυστικὸν δὲ ἀπὸ Λίγυος τοῦ Ἀλεξίωνος [lege Ἀλεβίωνος] ἀδελφοῦ· ὃς Ἡρακλέα κωλύων, ἀπερχόμενον ἐπὶ τὰς Γηρυόνου βοῦς, ἀνῃρέθη· Εὐρώπης καὶ Λιβύης ἄκραι, πορθμὸς σταδίων ἑπτά, ἔνθα περὶ τὴν Λιβύην εἰσὶν Ἡρακλέους δύο ἵσταντο στῆλαι, Ἀλύβη καὶ Ἀβιλῶα λεγόμεναι. ἐκεῖ δέ εἰσι καὶ τὰ Γάδειρα. Id eſt: *Charybdis eſt nomen loci in mari circa Meſſanam & Libyam; ubi Tyrrhenus cum Hadriâ concurrens, ſævam efficiunt Charybdin. Hadria autem & Seno nomina ſunt fluminum in Ionium ſinum defluentium. Scribitur etiam Liguſticas. incolunt enim Ligures juxta Tyrrhenos. Anguſtum autem freti concurſum dicit, quà fretum hoc in medio Hadriatici Tyrrhenique maris ſitum eſt. Tyrrhenum verò mare inter Rhegium & Meſſanam protenditur. Libyſticum & Liguſticum unum idemque eſt. nam Libyſticum dicitur à Libyâ, Epaphi filiâ: Liguſticum verò à Ligure, Alebionis fratre; qui quum Herculem, ad Geyronis boves proficiſcentem, transitu prohiberet, ab eo occiſus eſt. Europæ & Libyæ promontoria fretum efficiunt VII ſtadiorum: ubi circa Libyam Herculis ſunt columnæ, Alyba & Abena dictæ. illic etiam Gades ſunt.* Sanè non ſemper illuſtrant veteres poëtas grammatici iſti commentatores: ſed ſæpiùs etiam obſcurant. Quia Lycophron ſimul memoravit Syrtin ad Libyam ſive Africam, & Charybdin inter Siciliam & Italiam; ineptiſſimi iſti mortales omnia hæc loca mirificè confuderunt. Corrigere tamen hunc errorem voluit Tzetza eodem commentario poſteà his verbis: Ἡ δὲ Λιβύη καὶ τὸ Λιγυστικὸν κλῖμα, ὃ ἐκλήθη ἀπὸ

Λίγυος τοῦ Ἀλεβίωνος ἀδελφοῦ, τῆς Κυρήνης καὶ Καρχηδόνος καὶ Ἀλεξανδρείας ἐστίν. Ὁ δὲ Λίγυς οὗτος κωλύων Ἡρακλῆ ἐπὶ τὰς Γηρυόνου βοῦς ἐλθεῖν, ἀνῃρέθη. Καὶ κατὰ μὲν τοὺς μὴ εἰδότας διαφορὰς τῶν κλιμάτων, ἀλλὰ τὴν αὐτὴν δοκοῦντας Λιβυστικὴν καὶ Λιγυστικὴν, οὕτως, ὡς εἴπομεν, ἔχει· κατὰ δὲ τὴν ἀκρίβειαν Λιβυστικὰ μέρη εἰσὶν, ἅπερ εἴπομεν· οἱ δὲ Λίγυες τὴν παραλίαν ἀπὸ Τυρσηνίδος μέχρι τῶν Ἄλπεων καὶ ἄχρι Γαλατῶν νέμονται. Hoc eſt: *Libya & Liguſtica regio, quæ ab Ligure, fratre Alebionis, nomen habet, circa Cyrenen, Carthaginem & Alexandriam ſita eſt. Hic autem Ligus quum Herculem ad Geryonis boves proficiſci prohiberet, ab eo interfectus eſt. Atque juxta eos quidem, qui diſcrimina regionum neſciunt, verùm Libyſticam & Liguſticam unam eamdemque eſſe putant, hæc ita ſeſe habent. at ſi quis exactiori diligentiâ rem examinet, Libyſticæ regionis partes ſunt, quas diximus: Ligures autem oram maritimam ab Etruriâ ad Alpeis usque & Galliam, accolunt.* Imò antiquiſſimis temporibus, ut ſuprà cap. VIII dictum, ad Maſſiliam usque urbem atque Rhodanum Galliæ amnem. unde etiam pugna iſta inter Herculem & Neptuni filios campis lapideis adſcripta eſt, inter Maſſiliam & Rhodanum ſitis. Sed abſurdiſſimas iſtas Græcorum grammaticorum ineptias eò latiùs expoſui, ne quis temerè ſuſpicetur, apud Melam minùs probæ ſcripturæ eſſe vocabula *Albion* & *Bergion*. Sic ſcilicet, quum Strabo, Mela, Plinius, Ptolemæus, Solinus, Svida, ex duobus prædictis promontoriis, quæ fretum includunt Gaditanum, Europæ ſive Hiſpaniæ vocent *Calpen*, Africæ verò *Abilam* ſive *Abilycem*; uterque Tzetza cum Euſtathio *Alybam* nominant & *Abenam*. quorum illud Euſtathius cum Dionyſio ſuo tribuit Hiſpaniæ; hoc verò Africæ. Cæterò apud Agellium lib. XV cap. XXI ita ſcriptum eſt: *Præſtantiſſimos virtute, prudentiâ, viribus, Iovis filios poëtæ adpellaverunt; ut Aeacum & Minoa & Sarpedona: ferociſſimos & immaneis, & alienos ab omni humanitate, tamquàm è mari genitos, Neptuni filios dixerunt; Cyclopa, & Cercyona & Scyrona & Læſtrygonas.* An heic etiam antiquiſſimi illi poëtæ inter alios Neptuni filios connumerarint Βεργίωνα illum Melæ, quem poſteriori ævo Græci grammatici fecêre Δέρκυνον, equidem neſcio. Κερκύωνα certè Vulcani fuiſſe filium, tradit Hyginus Μυθολογικῶν cap. XXXVIII, CLVIII, CCXXXVIII. Pertinuiſſe autem Alpium nomen usque ad Maſſiliam & Rhodanum, infrà oſtendam. unde *Albicis* quoque populis, *qui monteis ſupra Maſſiliam incoluerunt*, teſte Iul. Cæſare Belli civil. comment. I, nomen fuit. quos inter Alpinos populos diſertis verbis recenſet Strabo lib. IIII. apud quem tamen vitiato hactenus vocabulo leguntur Ἀλβίοικοι pro Ἀλβικοί. Et uſitatum fuiſſe priſcis quoque Alpium incolis utramque adpellationem, præterquàm quòd ex ſuprà citatis Iſidoro & Procopio ac Melâ patuit, Strabo quoque & Euſtathius ac Stephanus teſtantur. quorum hic, Ἄλπεις, inquit, καὶ Ἄλπια ὄρη, καὶ Ἄλβια. διχῇ γὰρ ἡ γραφὴ, καὶ διὰ τοῦ π, καὶ διὰ τοῦ β. Id eſt: *Alpes etiam Alpia dicuntur juga, & Albia. bifariam quidpe ſcribitur, per p, & item per b.* Euſtathius in Dionyſium Περιηγητήν· Ἐκαλεῖτο δὲ κατὰ γένος οὐδέτερον τὰ Ἄλπια· καὶ Ἄλβια δὲ, μετὰ τοῦ β. id eſt: *Dicebantur etiam genere neutro Alpia; & item Albia per b.* Strabo lib. IIII, in deſcriptione horum montium: Καὶ δὴ καὶ σημεῖον τίθενται τοῦ τὴν ἀρχὴν ἀπὸ τῶν Σαβάτων εἶναι τοῖς Ἄλπεσιν ἐκ τῶν ὀνομάτων τούτων τοῦ τε Ἀλβίου Ἰντεμελίου καὶ τοῦ Ἀλβιγγαύνου· τὰ γὰρ Ἄλπια καλεῖσθαι πρότερον Ἄλβια, καθάπερ καὶ Ἀλπιόνια. καὶ γὰρ νῦν ἔτι τὸ ἐν τοῖς Ἰάπυσιν ὄρος ὑψηλὸν, συνάπτον πως τῇ Ὄκρᾳ καὶ ταῖς Ἄλπεσιν, Ἄλβιον λέγεσθαι, ὡς ἂν μέχρι δεῦρο τῶν Ἄλπεων ἐκτεταμένων. Hoc eſt: *Quin & argumentum, quo probant, Alpeis à Sabatis initium ducere, ex nominibus ſumunt opidorum Albii Intemelii & Albingauni. quidpe Alpia juga priùs dicta fuiſſe Albia, ſicut & Alpionia. nam etiamnum montem in Iapydibus ſublimem, Ocræ & Alpibus contiguum, Albium vocari; veluti hucusque porrectis Alpibus.* Heic quum vox Ἀλπιόνια planè nihili eſſet & nullius ſenſus; commentatores quidam emendare eam conati ſunt in Ἀλπίων ἔνια. uti intelligantur *Alpium quædam partes*. quæ ſanè emendatio tum demum haud inſana mihi videbitur, ſi & reliqua, tamquàm ſuo ordine turbata, ita reſtituantur: καθάπερ καὶ νῦν ἔτι Ἀλπίων ἔνια· καὶ γὰρ τὸ ἐν τοῖς Ἰάπυσιν ὄρος ὑψηλὸν, συνάπτον πως τῇ Ὄκρᾳ καὶ ταῖς Ἄλπεσιν, Ἄλβιον λέγεσθαι. id eſt: *quemadmodùm etiam nunc Alpium quædam partes. quidpe in Iapydibus excelſum jugum, Ocræ & Alpibus contiguum, Albium vocari.* Idem auctor poſteà, lib. VII: Ἡ δ' Ὄκρα ταπεινότατον μέρος τῶν Ἄλπεών ἐστι, τῶν διατεινουσῶν ἀπὸ τῆς Ῥαιτικῆς μέχρι τῶν Ἰαπόδων. ἐντεῦθεν ἐξαίρεται τὰ ὄρη πάλιν ἐν τοῖς Ἰάπυσι, καὶ καλεῖται Ἄλβια. Id eſt: *Ocra pars eſt humillima Alpium, à Rhætis ad Iapydes usque porrectarum. Apud Iapydes rurſum ſe attollunt montes, & vocantur Albii.* Et paullo pòſt:

pòſt: ἵδρυνται οἱ Ἰάπυδες ἐπὶ τῷ Ἀλβίῳ ὄρει, τελευταίῳ τῶν Ἄλπεων ὄντι, ὑψηλῷ σφόδρα. Id eſt: *Siti ſunt Iapydes ſub Albio monte, qui finis eſt Alpium, admodùm alto.* Apud Ptolemæum vitioſo vocabulo hunc eſſe Ἀλβανὸν, *Albanum*, infrà patebit. Promiſcuè itaque altiſſima montium juga, Italiam ab ſeptemtrionibus cingentia, modò ALPIA dicta fuêre, modò ALBIA; ut nunc etiam Germanis adcolis atque incolis ALPEN & ALBEN: hoc equidem vocabulo maximè in Salisburgienſi epiſcopatu, in Carinthiâ, Stiriâ, & Carniolâ. circa Helvetiam verò & Penninam vallem, quæ vulgò nunc vocatur *VValiſſerland*, *alp* & *alpen* quaſi peculiari vocabulo dicuntur montes paſcui; in quibus fœnum non ſecatur ad hibernos uſus; ſed tantùm armenta illuc in paſcua mittuntur. unde *Zu alp faren*, eſt armenta in paſcua montana agere: in quibus ternis ad ſummum menſibus æſtivis degunt. Patet igitur ex hactenus allatis, ALPIVM vocabulum neque Romanum neque Sabinum eſſe; ſed merè Celticum atque Germanicum.

Cæterùm iidem montes alio nomine incolis dicti fuêre TAVRI, vulgò TAVREN, & contractè TAVRN. unde etiamnum Noricorum montes inter Dravum & Salſiacum amneis (vulgò hic eſt *Salzach*) variis cognomentis diſtincti, dicuntur *Krumler taurn*, *VVindiſch taurn*, *Felber taurn*, *Kalſer taurn*, *Rauriſſer taurn*, *Kaſtein taurn*, *Vellacher taurn*, *Rachſtäter taurn*, & alii: qui omnes, iisdem cognominibus adhibitis, vulgò etiam vocantur *alben*. Hinc derivativum illud quæſitum eſt vocabulum, quo omnes olim Inalpinæ gentes dictæ fuêre *thi* TAVRISCHEN, & TAVRISKEN: Græcis ac Latinis Ταυρισκοὶ, TAVRISCI; quemadmodùm illi ALBISCHEN ſupra Maſſiliam, paullo jam detortiori vocabulo ALBICI: ut in libro de Vindeliciâ ac Norico latiùs demonſtravimus. Hinc Aſiæ quoque inter Cappadociam Ciliciamque immenſum montium jugum ab eâdem Celticâ noſtrâ gente, quæ, ex Galliâ profecta, apud Cappadociam jam inde antiquiſſimis temporibus conſedit, *Tauri* montis nomen accepiſſe, quod poſteà alii etiam uſurpârint perpetuò populi, facilè crediderim. Euſtathii aliorumque poſterioris ævi grammaticorum nugamenta nihil heic moror.

Alpes alio nomine TAVRI *montes.*

At iidem Alpium montes vetuſtiſſimis Græcorum auctoribus per imperitiam dicti fuêre Ῥιπαῖα ὄρη, RIPHÆI MONTES: quum hi longè alieniſſimo remotiſſimoque ſitu forent apud Oceanum Septemtrionalem, inter Album ſinum, qui Ruſſiam ſive Moſcoviam à Lappiâ dirimit, & Obium amnem; alio nomine & ipſi *Obii*, ut etiamnum, jam tum dicti. Athenæus lib. VI cap. IIII: Καὶ τὰ πάλαι μὲν Ῥιπαῖα καλούμενα ὄρη, εἶθ' ὕστερον Ὄλβια προσαγορευθέντα, νῦν δὲ Ἄλπια. id eſt: *Atque montium juga, quæ antiquitus Riphæa, poſteà verò Olbia dicta ſunt; nunc autem Alpia vocantur.* Stephani epitomator, in vocabulo Ὑπερβόρεοι. Πρώταρχος δὲ τὰς Ἄλπεις Ῥιπαῖα ὄρη οὕτω προσηγορεῦσθαι, καὶ τοὺς ὑπὸ τὰ Ἄλπαια ὄρη κατοικοῦντας πάντας Ὑπερβέους ὀνομάζεσθαι. Locum ſive à typographo, ſive ab antiquo librario fœdè vitiatum, ſic reſtituendum cenſeo: Πρώταρχος δὲ τὰς Ἄλπεις Ῥιπαῖα ὄρη οὕτω προσηγορεῦσθαί φησι, καὶ τοὺς ὑπὲρ τὰ Ἄλπια ὄρη κατοικοῦντας πάντας Ὑπερβορείους ὀνομάζεσθαι. Id eſt: *Protarchus tradit, Alpeis dictas fuiſſe monteis Riphæos. omneis verò populos ſupra Alpeis incolenteis Hyperboreos adpellatos.* Huic adſentiuntur Aeſchylus & Apollonius, antiquiſſimi poëtæ. Apollonii verba Ἀργοναυτικῶν lib. IIII, de Iſtro ſeu Danubio flumine hæc ſunt:

Græcis per errorem etiam RIPHAEI *montes dicti.*

—— Πηγαὶ γὰρ ὑπὲρ πνοιῆς Βορέαο
Ῥιπαίοις ἐν ὄρεσσιν ἀπόπροθι μορμύρουσι.
—— *Fontes enim ſupra ventum boream*
Riphæis in montibus procul murmurant.

Ad quæ ſcholiaſtes poëtæ iſta: Τὸν Ἴστρον φησὶν ἐκ τῶν Ὑπερβορέων καταφέρεσθαι καὶ τῶν Ῥιπαίων ὀρῶν. οὕτω δὲ εἶπεν, ἀκολουθῶν Αἰσχύλῳ, ἐν Λυομένῳ Προμηθεῖ λέγοντι τοῦτο. Hoc eſt: *Iſtrum ait ex Hyperboreis deferri & Riphæis montibus. Hoc autem dixit, ſequutus Aeſchylum; qui idem in Prometheo ſoluto adfirmat.* Aeſchyli iſthæc fabula non exſtat. Iſtrum re verâ ex Alpium parte profluere, pòſt oſtendam. Athenæus loco modò dicto Poſidonium nominat. unde haud dubium, accepiſſe eum iſta de Riphæis montibus ex illius ſcriptis. Teſtatur id manifeſtiùs Apollonii præfatus ſcholiaſtes, his verbis: Ποσειδώνιος εἶναί φησι τοὺς Ὑπερβορέους· κατοικεῖν δὲ πρὸς τὰς Ἄλπεις τῆς Ἰταλίας. Ἑκαταῖος δὲ μέχρι τοῦ αὐτοῦ χρόνου εἶναί φησι τὸ τῶν Ὑπερβορέων ἔθνος. ἔστι δὲ αὐτῷ βιβλία ἐπιγραφόμενα περὶ τῶν Ὑπερβορέων. Id eſt: *Poſidonius Hyperboreos adfirmat exſtare: habitare verò juxta*

 Alpeis;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Alpeis; qui Italiæ ſunt montes. Hecatæus verò ad ſuam usque ætatem duraſſe tradit Hyperboreorum gentem. librosque compoſuit, quos de Hyperboreis inſcripſit. Vt Hyperboreorum gens, ſic Riphæa juga longè diverſis ſitibus ab antiquis ſcriptoribus locata fuerunt. Antiquiſſimi mortalium Hyperboreos adpellarunt ex verâ famâ eos, qui in anguſtâ inter Oceanum glacialem & ingenteis Riphæos ſive Obios monteis regione ultimi Europæorum incolebant. de quibus Hecatæum libros conſcripſiſſe arbitror. Poſteriores famâ jam obſcuriore quum id accepiſſent; Riphæa juga crediderunt eſſe ipſas Alpeis: ſupra quas unam tantùm gentem ad Oceanum usque ſeptemtrionalem incolere ſciebant, nomine CELTAS: quos illi eosdem eſſe putarunt cum vetuſtiorum Hyperboreis; ut Germaniæ lib. I graviſſimis oſtendimus documentis. Poſidonius verò quum apud quempiam vetuſtiſſimorum alterum illud legiſſet Riphæorum montium vocabulum *Obii*; Alpeis autem, quas τὰ Ἄλπια ὄρη vocabant Græci, ſciret accipi pro Riphæis: ex voce Ὄλβια conjecit vocabulum Ὄλβια· quod primùm in Ἄλβια, mox in Ἄλπια tandem mutatum exiſtimavit. At alii iterum, non modò dictos Celtas, ſupra Alpeis incolenteis, adpellaverunt Hyperboreos; ſed, quum continua ab Alpibus ad Hemum Rhodopenque, Thraciæ monteis, protenderentur juga; hæc quoque Riphæos cenſuerunt eſſe monteis; genteisque ultrà incolenteis, Hyperboreos. unde illud eſt Val. Flacci Ἀργοναυτικῶν lib. II:

Qualis, ubi à gelidi boreas convallibus Hebri
Tollitur; & volucres Riphæa per ardua nubeis
Præcipitat.

Item iſtud Martialis lib. VII, epigram. V, *de famâ reditus Domitiani* ex Sarmatis Iazygibus, inter Danubium Patiſſumque amneis prope Germanos incolentibus:

Ecquid Hyperboreis ad nos converſus ab oris
Auſonias Cæſar jam parat ire vias?

Et lib. VIIII epigram. XLVI, de Dacis, trans Patiſſum Danubii adcolis; qui & Getæ dicebantur:

Miles Hyperboreos modò, Marcelline, triones
Et Getici tuleris ſidera pigra poli.

Item illud Lucani, lib. II:

——— *Populos utrâque vaganteis*
Armeniâ; Pontique feras per litora genteis,
Riphæasque manus; & quas tenet æquore denſo
Pigra palus Scythici patiens Mæotica plauſtri.

Nec aliò ſpectavit princeps poëtarum, in Γεωργικῶν lib. IIII, de Orpheo eiusque uxore Eurydice ſic canens:

Solus Hyperboreas glacies, Tanaimque nivalem,
Arvaque Riphæis numquàm viduata pruinis
Luſtrabat; raptam Eurydicen atque irrita Ditis
Dona querens.
Tum quoque marmoreâ caput à cervice revulſum
Gurgite quum medio portans Oeagrius Hebrus
Volverat; Eurydicen vox ipſa & frigida lingva,
Ah miſeram Eurydicen, animâ fugiente, vocabat.

Sic & Γεωργικῶν lib. III, de Sarmatis loquens:

Talis Hyperboreo ſeptem ſubjecta trioni
Gens effrena virûm Riphæo tunditur Euro.

Hinc tandem alii Alpium quoque nomen in Thraciam usque extenderunt. unde illud Melæ Pomponio hauſtum lib. II cap. IIII: *Alpes ipſæ ab iis litoribus longè latéque diffuſæ, primò ad ſeptemtrionem magno gradu excurrunt: deinde, ubi Germaniam attigerunt, verſo impetu in orientem abeunt; direptisque* [lege *diremptisque*] *populis immanibus, usque in Thraciam penetrant.* Cæterùm apud Lycophronem hæc leguntur in Alexandrâ:

Αὖθις δὲ κίρκοι, Τμῶλον ἐκλελοιπότες,
Κίμψον τε καὶ χρυσεργὰ Πακτωλοῦ ποτὰ,
Καὶ νᾶμα λίμνης, ἔνθα Τυφῶνος δάμαρ
Κευθμῶνος αἰνόλεκτρον ἐνδάνει μυχὸν.
Ἄγυλλαν Αὐσονῖτιν εἰσεκώμασαν,

Δφυλιὼ

Δζιλῶ Λιγυστίνοισι, τοῖς τ' ἀφαίματος
Γίγαν γεγώτων Σιθώνων κεκλημένοις,
Λόγχης ἐν ὑσμίνῃσι μίξαντες πάλην,
Εἷλον δὲ Πίσας, καὶ δορύκτητον χθόνα
Πᾶσαν κατεστρέψαντο, τὴν Ὄμβρων πέλας
Καὶ Σαλπίων βεβῶσαν ὀχθηρῶν πάγων.

Hoc eſt:

Deinde accipitres, Tmolum deſerentes
Cimpſumque & auriflua Pactoli fluenta,
Ac fluxionem paludis, in qua Typhonis uxor
Cavernæ infauſto incubat angulo,
In Agyllam Italicam irruerunt,
Gravem cum Liguſtinis, à ſangvine
Gigantum Sithoniorum ſtirpem ducentibus,
Belli conflictu miſcentes pugnam.
Ceperunt autem Piſam: captivamque terram
Omnem ſubegerunt, prope Vmbros ſitam
Et Salpeis, collocatam ſuper turgidos colleis.

De Tyrrhenis ſive Tuſcis loquitur poëta; quos plerique veterum è Lydiâ huc profectos tradiderunt, terramque inter Alpeis & Vmbros occupaſſe. Scholiaſtes poëtæ Iſacius Tzetza inter alia hæc commentatur ad hunc locum: οὐ Σάλπια, ἀλλὰ Ἄλπια ὄρη Εὐρωπαῖα μεγάλα τῆς Ἰταλίας, ἓν μὲν, ἀφ' οὗ ῥεῖ ὁ Ἴστρος, ἄλλο δὲ, ἀφ' οὗ ὁ Ῥῆνος. Ἄλπια δὲ τὰ ὄρη ἐκλήθησαν ἀπό τινος Ἄλπου, ὑπὸ τοὺς τόπους ἀνῃρημένου. Id eſt: *Non Salpia, ſed Alpia juga Europæ immenſa apud Italiam: ex quorum uno Iſter, ex altero Rhenus profluit. Alpia autem juga dicta ſunt à quodam Alpi, qui circa hæc loca interemptus.* Hoc ſanè ex ſolitâ Græcorum fabuloſitate productum. Lycophron qua ratione, aut quam ob cauſam, Alpia juga adpellârit *Salpia*, nondum diſpicio. intellexiſſe tamen eum Alpeis, diſertiſſimè ex eo perſpicitur, quòd Tuſcorum fineis inter Vmbros & Salpia juga protendat. hos quidpe ab initio Circumpadanam regionem ad Alpeis usque tenuiſſe, ſuprà in Gallorum deſcriptione oſtenſum eſt; pluribusque infrà in Tuſcorum expoſitione patebit documentis. Sed de veris falſisque Alpium nominibus hactenus dictum ſit ſatis.

De cætero ALPEM quoque ſingulari numero quidam uſurparunt Latini ſimul Græcique auctores: Lucanus fine libri I:

——— *Nunc deſuper Alpis*
Nubiferæ colleis atque aëriam Pyrenen
Abripimur.

Et lib. III: *Agmine nubiferam rapto ſuperevolat Alpem.*

Iuvenalis Satyrâ X, de Hannibale:

Additur imperiis Hiſpania. Pyrenæum
Tranſſilit. oppoſuit natura Alpemque nivemque:
Diducit ſcopulos, & montem rumpit aceto.

Claudianus, de laudibus Stiliconis lib. III:

——— *Extemplò frondosâ fertur ab Alpe*
Trans pelagus.

Sidonius Apollinaris lib. V epiſt. XVI: *Ravennâ veniens quæſtor Licinianus, quum primùm tetigit, Alpe transmiſſâ, Galliæ ſolum, literas adventus ſui pravias miſit.* Livius lib. V de Gallorum in Italiam tranſitu: *Per Taurinos ſaltumque invia Alpis transſcenderunt.* Dionyſius in Περιηγήσ.

Τῆς δὲ πρὸς ἀντολίην ἀναφαίνεται Ἄλπιος ἀρχή.
Huius ad orientem adparet Alpis principium.

Ad quem verſum ita Euſtathius: Ἡ δὲ Ἄλπις μέγιστον ὄρος. διὸ καὶ πληθυντικῶς λέγονται αἱ Ἄλπεις. id eſt: *Alpis maximus eſt mons. ideóque plurali numero dicuntur Alpes.* Sic etiam tranſitus earum, quos poſteà exponemus, ſingulari numero ádpellantur in Tabulâ Itinerariâ, *In Alpe Maritimâ, In Alpe Cottiâ, In Alpe Graiâ, In Alpe Iuliâ*; & in Norico agro, inter *Iuvavum* & *Virunum*, quorum hoc nunc *Volkmark*, illud *Saltzburg* vocatur, *In Alpe*, ſine cognomine. ſic item apud Antoninum eſt, *In Alpe ſummâ.*

CAP.

Cap. XXXI.

De tractu Alpium, *longitudine, latitudine, atque altitudine; item de naturâ earum.*

TRactus nunc Alpium, longitudo, latitudo, atque altitudo, indicentur, ac primò quidem de tractu generatim. Melæ lib. II cap. IIII: *Alpes ipſæ ab iis* [Liturum ſcilicet] *litoribus longè latéque diffuſæ, primò ad ſeptemtrionem magno gradu excurrunt: deinde, ubi Germaniam attigerunt, verſo impetu in orientem abeunt: diremptisque populis immanibus, usque in Thraciam penetrant.* Polybius lib. II: Τὴν δὲ παρὰ τὰς ἄρκτους Ἰταλίας πλευρὰν ὁρίζει κατὰ τὸ συνεχὲς ἡ τῶν Ἄλπεων παρώρεια, λαμβάνουσα τὴν μὲν ἀρχὴν ἀπὸ Μασσαλίας καὶ τῶν ὑπὲρ τὸ Σαρδῷον πέλαγος τόπων, παρήκουσα δὲ συνεχῶς μέχρι τὸν τοῦ παντὸς Ἀδρίου μυχόν, πλὴν βραχέος, ὃ προκαταλήγουσα λείπει τοῦ μὴ συνάπτειν αὐτῷ. Id eſt: *Latus autem Italiæ ſeptemtrionale Alpium continua juga terminant: quæ, à Maſſiliâ & proximis mari Sardoo locis incipientia, perpetuo inde tractu ad ultimum maris Hadriatici receſſum extenduntur; niſi, quòd aliquanto priùs deſinunt, quàm mare attingant.* Et paullo pòſt: Τῶν δὲ πλευρῶν παρὰ μὲν τὴν ἀπὸ τῶν ἄρκτων, ὡς ἐπάνω προεῖπον, τὰς Ἄλπεις αὐτὴν ἐπὶ δισχιλίους καὶ διακοσίους σταδίους παρήκειν συμβαίνει. Hoc eſt: *Semptemtrionale eius latus claudunt perpetua Alpium juga, ut antè dixi, per millia paſſuum* CCLXXV. Iulianus Cæſar, in oratione de rebus geſtis Conſtantii imperatoris: Κεῖται δὲ ἡ Ἀκυληΐα ὑπὸ τοῖς πρὸς τῶν Ἄλπεων. ὄρη δέ ἐστι ταῦτα παμμεγέθη, καὶ ἀπορρῶγες γῆς ἐν αὐτοῖς πέτραι, μόλις ἁμάξῃ μιᾷ καὶ ὀρικῷ ζεύγει τὴν ὑπέρβασιν βιαζομένοις ξυγχωροῦντα· ἀρχόμενα δὲ ἀπὸ θαλάττης, ἣν δὴ τὸν Ἰόνιον εἶναί φαμεν, ἀποτειχίζοντα δὲ τὴν Ἰταλίαν ἀπό τε Ἰλλυριῶν καὶ Γαλατῶν, ἐς τὸ Τυῤῥηνὸν πέλαγος ἀναπαυόμενα. Id eſt: *Sita autem eſt Aquileia ad radices Alpium. Montes hi ſunt varii ac longè latéque diffuſi: in quibus abruptæ quædam rupes ægrè plauſtro uni ac mularum bigis, ad adſcenſum enitentibus, viam præbent. Iidem ab eo mari, quod Ionium adpellamus, incipiunt. inde Italiam ab Illyrico & Galliâ veluti murus dividentes, in Tyrrhenum mare deſinunt.* Herodianus lib. II: Μέγιστα τὰ τῶν Ἄλπεων ὄρη, καὶ οἷα οὐκ ἄλλα ἐν τῇ καθ' ἡμᾶς γῇ, ἐν τείχους σχήματι περίκειται καὶ περιβέβληται Ἰταλίας, καὶ τοῦτο μετὰ τῆς ἄλλης εὐδαιμονίας παρασχούσης τῆς φύσεως Ἰταλιώταις, ἔρυμα ἄρρηκτόν τι καὶ ..... [deeſt vox quædam] αὐτῶν περιβεβλῆσθαι ἀπὸ ἀρκτῴας θαλάσσης ἐπὶ τὴν πρὸς μεσημβρίαν βλέπουσαν ἀνῆκον. Id eſt: *Sunt autem Alpes altiſſimi montes, quales in noſtris hisce terris nulli alii; porrecti in muri formam, circumdatique Italiæ. quaſi ad reliquam Italorum felicitatem hunc etiam veluti cumulum natura addiderit, ut munitionem haberent inexpugnabilem; pertingentem ſcilicet à ſeptemtrionali mari ad id quod meridiem ſpectat.* Et lib. VIII: Ἅμα ἡλίῳ ἀνίσχοντι ἐπὶ τὰς Ἄλπεις ἠπείγοντο· ἅπερ ὄρη ὑπερμήκη, ὥσπερ τεῖχος Ἰταλίας, ἡ φύσις ἤγειρεν. ὑπερνεφῆ μὲν τὸ ὕψος, ἐπιμηκέστατα δέ, ὡς πᾶσαν Ἰταλίαν διέλκειν φθάνοντα καθήκειν, ἐν μὲν τοῖς δεξιοῖς Ἰταλίας μέρεσιν εἰς τὸ Τυῤῥηναῖον πέλαγος, ἐν δὲ τοῖς λαιοῖς εἰς τὸν Ἰόνιον κόλπον. Hoc eſt: *Simulque cum Sole exoriente ad Alpeis pervenerunt. Hi longiſſimi ſunt montes, murorum vice à naturâ Italiæ circumdati, atque adeò in altum evecti, ut etiam ſuperare nubeis videantur; adeò verò in longum porrecti, ut univerſam Italiam comprehendant; dextrâ ad Tyrrhenum pelagus, lævâ ad Ionium usque pertingentes.* Sic & Iſidorus, Origin lib. XIIII cap. VIII, de eisdem Alpibus: *Hæ ſunt, quæ Italiæ murorum exhibent vicem.* Apud Virgilium, Aeneid. lib. VI Anchiſes Aeneam filium apud inferos de futuris Romanorum regibus atque ducibus, & in his de Cæſare ac Pompeio ſic adfatur:

—— Quantas acies ſtragemque ciebunt,
Aggeribus ſocer Alpinis atque arce Monœci
Deſcendens; gener adverſis inſtructus Eois!

Ad hæc ita Servius: *Aggeribus Alpinis.*] *A munimentis Alpium. hæ enim Italiæ murorum exhibent vicem.* Et ad initium Aeneid. libri I commentans: *Alpes ſecundùm Catonem & Livium, muri vice tuebantur Italiam.* Cl. Mamertinus, in Genethliaco Maximiani Auguſti: *Quum itinera veſtra ipſis hibernis diebus per vicina illa cælo Alpium juga, quibus Italiam natura vallavit, perque illa ſaxa, & duriorum ſaxis nivium denſitatem, deſiderio veſtri & amore ſequeremur.* Cicero, oratione in L. Piſonem, de

de C. Iul. Cæſare: *Cuius ego imperio non Alpium vallum contra adſcenſum transgreſſionemque Gallorum; non Rheni foſſam, gurgitibus illis redundantem, Germanorum immaniſſimis gentibus objicio & oppono. perfecit ille, ut, ſi montes reſediſſent, amneis exaruiſſent; non naturæ præſidio, ſed victoriâ ſuâ rebusque geſtis Italiam munitam haberemus.* Et Philippicâ v: *Si M. Antonio patuiſſet Gallia; ſi, oppreſſis municipiis, & coloniis imparatis, in illam ultimam Galliam penetrare potuiſſet; quantus reipublicæ terror impenderet? dubitaret, credo, homo amentiſſimus & omnibus conſiliis præceps & devius, non ſolùm cum exercitu ſuo, ſed etiam cum omni immanitate barbariæ bellum inferre nobis; ut eius furorem ne Alpium quidem muro prohibere poſſemus.* Item in oratione De provinciis conſularibus: *Alpibus Italiam munierat natura, non ſine aliquo divinò numine. nam, ſi ille aditus Gallorum immanitati multitudinique patuiſſet; numquàm hæc urbs ſummo imperio domicilium ac ſedem præbuiſſet.* Hinc Plinius etiam lib. III cap. IIII *ſaluberrima* vocat *Romano imperio juga; veluti naturæ providentiâ*, ut inquit eiusdem libri cap. XVIIII, *Germaniam ab Italiâ ſubmoventia.* Hæc igitur generatim de tractu Alpium.

Longitudo nunc atque latitudo earum uti commodè indicari poſſint; initium atque finis, ſuper quibus veteres etiam haud modicè diſcrepant auctores, priùs inveſtigentur. Primo igitur loco de initio agatur. De hoc ita Polybius lib. II, ubi de Italiâ Gallicâ ſive Galliâ Circumpadanâ loquitur: Ἔστι δὲ τὸ μὲν ὅλον εἶδος καὶ τῆς ταύτης τὰ πεδία περιγραφούσης γραμμῆς τριγωνοειδές. ταύτης δὲ τοῦ σχήματος τὴν μὲν κορυφὴν ἥ τε τῶν Ἀπεννίνων καλουμένων ὀρῶν καὶ τῶν Ἀλπεινῶν σύμπτωσις, οὐ μακρὰν ἀπὸ τοῦ Σαρδονίου πελάγους ὑπὲρ Μασσαλίας, ἀποτελεῖ. Id eſt: *Habet autem planities iſta figuram & ambitum ſimilem trigono: cuius verticem contactus duorum montium facit, Apennini & Alpium, non procul ab Sardoo mari, ſupra Maſſiliam.* Et eodem libro poſteà: Τὸν δ' Ἀπέννινον, ἀπὸ μὲν τῆς ἀρχῆς, τῆς ὑπὸ Μασσαλίαν, καὶ τῆς πρὸς τὰς Ἄλπεις συμπτώσεως Λιγυστῖνοι κατοικοῦσι, καὶ τὴν ἐπὶ τὸ Τυῤῥηνικὸν πέλαγος πλευρὰν αὐτοῦ κεκλιμένην, καὶ τὴν ἐπὶ τὰ πεδία. Hoc eſt: *Apenninum, quà initium eius eſt ſupra Maſſiliam, & quà Alpibus jungitur, Ligures habent ex utroque latere, & quod Etruſco mari obverſum, & quod planitiei ſuprà dictæ.* Ergo *Apenninus* ſupra Maſſiliam incipit, ibique Alpibus connectitur? Haud temerè crediderim; quando nemo alius ſcriptor illum extra Italiæ finem, Varum amnem, protulit. Nimis latè vocabulum *Maſſiliæ* Polybium uſurpaſſe, judicaverim; ita, ut non modò urbem ipſam, ſed omnem agrum, maximéque litus Maſſilienſium, quod ad Monœci usque portum extendebatur, intellexerit. ſic ſcilicet Euſtathius quoque, Dionyſii Περιηγητοῦ ſcholiaſtes, Ἔστι δὲ, inquit, οὐ μόνον χώρα Μασσαλία, ἀλλὰ καὶ πόλις Λιγύων περί που τὴν Κελτικήν. id eſt: *Eſt autem Maſſilia non regio tantùm, ſed & urbs Ligurum in Galliâ.* Et Stephanus etiam gentilitium vocabulum fuiſſe teſtatus eſt Μασσαλία. ſic quidpe legitur apud epitomatorem eius: Μασσαλία, πόλις τῆς Λιγυστικῆς κατὰ τὴν Κελτικήν, ἄποικος Φωκαέων. τὸ ἐθνικὸν Μασσαλιώτης καὶ Μασσαλιεύς· ἡ Μασσαλία καὶ Μασσαλιῶτις γυνή. Hoc eſt: *Maſſilia, urbs Liguriæ in Galliâ, colonia Phocæenſium. gentilitium inde Maſſaliota & Maſſilienſis; & item Maſſalia & Maſſaliotis mulier.* Sed de Polybio clarè id patet ex iis, quæ paullo pòſt de eâdem re ſubjicit his verbis: Ὁ δὲ Πάδος ποταμὸς ἔχει τὰς πηγὰς ἀπὸ τῶν Ἄλπεων, ὡς πρὸς τὴν κορυφὴν μᾶλλον τοῦ προειρημένου σχήματος. Id eſt: *Padus fluvius oritur ex Alpibus, qua potiſſimùm parte eſt figuræ ſuprà dictæ vertex.* Ergo igitur *Alpium Apenninique conjunctio* eſt circa Padi fonteis. *Vertex* iſte, ſive cuneus, ſeu angulus triquetræ illius figuræ medio eſt ſitu inter Nicæam, opidum Maſſilienſium, ſeu Monœci portum, & Padi fonteis, ad Sturæ Geſſique amnium ortus, in medio duorum montium, quorum alter *Col della Tenda*, alter *Col dell' Argentera*, à propinquis opidis cognominantur. Hæc igitur illa fuerit *Apennini atque Alpium* σύμπτωσις, Polybio intellecta: ita, uti harum principium ſit *Argenterenſis collis*; illius, *collis Tendanus*. Atque equidem ea res hodiéque ita habetur. quamquàm imperitum vulgus monteis inter Varum & Macram flumina *Pyrenæos* adpellitat: quod nomen omni ævo fuit unis ſolis montibus proprium, qui Galliam ab Hiſpaniâ dividunt. Cum Polybio videntur ſenſiſſe & alii auctores antiqui. Virgilius Aeneid. lib. XI.

Apenninicolæ bellator, filius Auni;
Haud Ligurum extremus, dum fallere fata ſinebant.

* . * . *

Vane Ligur, fruſtraque animis elate ſuperbis

Nequid-

ALPIVM *initium apud mare inferum.*

Nequidquàm patrias tentaſti lubricus arteis:
Nec fraus te incolumem fallaci perferet Auno.

Ad hæc ſic Servius: *Quia Liguria maiore parte ſui in Apennino eſt conſtituta: Ligures autem omnes fallaces ſunt.* Et paullo pòſt: *Nigidius: Nam & Ligures, qui Apenninum tenuerunt, latrones inſidioſi, fallaces, mendaces.* Ptolemæus: Ὀυεδιαντίων ἐν Παραλίοις Ἄλπεσι, Κεμενέλεων. Τὰ δὲ Ἀπέννινα ὄρη ὑπέρκειται μικρὸν τῆς Λιγυρίας, ἀρχόμενα ἀπὸ τῶν Ἄλπεων, καὶ μετὰ ταύτην ἐπεκταθέντα ἄχρι Ἀγκῶνος, κἀκεῖθεν ἐπιστραφέντα, καὶ μᾶλλον τῷ Ἀδρίᾳ προσεγγίζοντα, φέρεται μέχρι τοῦ Γαργάνου ὄρους. εἶτα ἐντεῦθεν ἐπιστραφέντα πρὸς μεσημβρίαν, τελευτᾷ ἐπὶ τὴν Λευκόπετραν. Ἡ μὲν οὖν Λιγυρία, ὑποκειμένη τοῖς Ἀπεννίνοις ὄρεσιν, ἔχει μεσογείους πόλεις· Σάβατα, Πολεντία, Ἄστα, Ἄλβα Πομπηΐα, Λιβάρνα. Id eſt: *Vediantiorum in Maritimis Alpibus opidum Cemeneleon. Apennini autem montes Liguriæ exiguâ ſui parte imminent, incipientes ab Alpibus. poſt eam extenſi usque ad Anconam, & inde converſi, magisque Hadriæ adpropinquantes, ad Garganum usque feruntur: rurſusque hinc converſi ad meridiem, in Leucopetram deſinunt. Liguriæ igitur, ſub Apenninis montibus ſitæ, opida ſunt mediterranea, Sabata, Pollentia, Aſta, Alba, Pompeia, Libarna.* Hinc Iul. Capitolinus, in vitâ Pertinacis: *Natus eſt Pertinax in Apennino, in villâ patris.* Et poſteà: *Iuſſus eſt ſtatim à Perenne in Liguriam ſecedere, in villam paternam.* Qua parte Liguriæ ea villa fuerit, oſtendunt Dio lib. LXXIII & Zonara Annal. lib. II, his verbis: Ἦν δὲ ὁ Περτίναξ Λίγυς, ἐξ Ἄλβας Πομπηΐας. *Erat Pertinax Ligus, ex Albâ Pompeiâ.* Sed & Plinius, parum abeſt, quin Polybio adſentiatur. Verba eius lib. III cap. V hæc ſunt: *Igitur ab amne Varo Nicæa opidum, à Maſſilienſibus conditum. fluvius Paulo: Alpes, populique Inalpini multis nominibus; ſed maximè Capillati. opidum Vediantiorum civitatis Cemenelion: portus Herculis Monœci. Liguſtica ora. Ligurum celeberrimi, ultra Alpeis Sallyi, Deceates, Oxubii; citra, Veneni, & Caturigibus orti Vagienni; Statielli, Vibelli, Magelli, Euburiates, Caſmonates, Veliates; & quorum opida in proximâ orâ dicemus. flumen Rutuba: opidum Albium Intemelium. flumen Merula: opidum Albium Ingaunum: portus Vadûm Sabatiûm. flumen Porcifera: opidum Genua: fluvius Feritor. portus Delphini; Tigulia: intus Segeſta Tiguliorum. flumen Macra, Liguriæ finis. A tergo autem ſuprà dictorum omnium Apenninus mons, Italiæ ampliſſimus, perpetuis jugis ab Alpibus tendens ad Siculum fretum. Ab altero eius latere ad Padum amnem omnia nobilibus opidis nitent; Libarnâ, Dertonâ coloniâ, Iriâ, Barderate, Induſtriâ, Pollentiâ, Carreâ, quod Potentia cognominatur; Foro Fulvii, quod Valentinum: Auguſtâ Vagiennorum, Albâ Pompeiâ, Aſtâ, Aquis Statiellorum.* Parum abeſſe dixi, quin Polybio Plinius adſentiatur. quippe poſt *Varum* & *Paulonem* amneis nominat *Alpeis populosque Inalpinos, multis nominibus.* nihilo minùs tamen poſteà ait *à tergo omnium ſuprà dictorum* in Liguriâ opidorum *Apenninum* eſſe *montem*; & *ab altero eius latere opida Libarnam, Dertonam,* & reliqua, quæ modò citavimus. qua ratione σύμπτωσις *Alpium & Apennini* fuerit ad Rutubæ fontem. id namque primum eſt in Liguſticâ orâ flumen. Et *Cemenelionem* quidem opidum, quod inter Varum & Albium Intemelium fuiſſe, duo teſtantur Itineraria Romana, hodiernæque ruinæ, Ptolemæus quoque *in Alpibus Maritimis* diſertis locat verbis. Hinc adparet, quosdam Alpium initium poſuiſſe ad Monœci portum: quod Strabo etiam, ut ſtatim videbimus, atteſtatur. Plinio eam mentem fuiſſe, patet, præter jam dicta, ex cap. XVI eiusdem libri: ubi ait *Tanarum, Apennini latere jactum,* in Padum defluere. ſed maximè ex cap. XLII libri XI: ubi de caſeorum diverſitate diſſerens; *Numeroſior,* inquit, *Apennino. Cebanum hic è Liguriâ mittit.* Hoc opidum *Ceba,* ad Tanari ripam ſitum, vulgò etiamnunc vocatur *Ceva.* Verùm longè aliter ipſe Plinius alio loco, quem mox inſpiciemus, ſentit, unà cum graviſſimis auctoribus, Livio, Bruto, Vitruvio, Strabone, atque Plutarcho. quorum Strabo validiſſimum pro eorum ſententiâ adfert argumentum lib. IIII, in deſcriptione Alpium, his verbis: Ἄρχονται μὲν οὖν αἱ Ἄλπεις οὐκ ἀπὸ Μονοίκου λιμένος, ὡς εἰρήκασί τινες, ἀλλ' ἀπὸ τῶν αὐτῶν χωρίων, ἀφ' ὧνπερ καὶ τὰ Ἀπέννινα ὄρη, κατὰ Γένουαν καὶ τὰ καλούμενα Σαβάτων Οὔαδα. τὸ μὲν γὰρ Ἀπέννινον ἀπὸ Γενούας, αἱ δὲ Ἄλπεις ἀπὸ τῶν Σαβάτων ἔχουσι τὴν ἀρχήν. στάδιοι δ' εἰσὶ μεταξὺ Γενούας καὶ Σαβάτων σ' πρὸς τοῖς ξ'. μετὰ δὲ τ' πρὸς τοῖς ο' Ἀλβίγγαυνόν ἐστι πόλισμα, οἱ δ' ἐνοικοῦντες Λίγυες Ἴγγαυνοι καλοῦνται. ἐντεῦθεν δ' εἰς Μονοίκου λιμένα υ' καὶ π'. ἐν δὲ τῷ μεταξὺ πόλις εὐμεγέθης, Ἄλβιον Ἰντεμέλιον, καὶ οἱ κατοικοῦντες Ἰντεμέλιοι. Καὶ δὴ καὶ σημεῖον τίθενται τοῦ τὴν ἀρχὴν ἀπὸ τῶν Σαβάτων εἶναι ταῖς Ἄλπεσιν ἐκ τῶν ὀνομάτων τούτων· τὰ γὰρ Ἄλπια καλεῖσθαι πρότερον Ἄλβια. Τῶν οὖν Λιγύων τῶν μὲν ὄντων Ἰγγαύνων, τῶν δὲ Ἰντεμελίων, εἰκότως

εἰκότως τὰς ἀποικίας αὐτῶν ἐπὶ τῇ θαλάττῃ, τὴν μὲν ὀνομάζεσθαι Ἄλβιον Ἰντεμέλιον, οἷον Ἄλπιον, τὴν δ᾽ ἐπιτετμημένως μᾶλλον, Ἀλβίγγαυνον. Hoc eſt: *Initium ducunt Alpes, non à Monœci portu, ut quidam prodiderunt; ſed ab iisdem locis, à quibus & Apenninus mons, juxta Genuam & Sabatorum Vada. namque Apenninus à Genuâ incipit; Alpes à Sabatis. Inter Sabata & Genuam ſtadia ſunt* CCLX. *hinc poſt* CCCLXX *ſtadia opidum eſt Albingaunum; unde opidani dicuntur Ligures Ingauni. hinc ad portum Monœci ſtadia ſunt* CCCCLXXX. *in medio eſt urbs magna, Albium Intemelium: cuius incolæ Intemelii. Cæterò argumentum, quo probent, Alpeis à Sabatis initium ducere, ex his nominibus ſumunt. quidpe Alpia juga anteà dicta fuiſſe Albia. quum autem Ligurum alii ſint Ingauni, alii Intemelii; conſentaneum eſſe, eorum colonias maritimas, alteram vocari Albium Intemelium, quaſi Alpium; alteram conciſiùs aliquanto, Albingaunum.* Quin & hoc dictum fuiſſe vulgariter *Albium Ingaunum*, ſuprà cap. VIIII, in Liguriæ deſcriptione, ex Latinis didicimus auctoribus. Argumentum id ſanè haud vanum: utique, quum Ligures Celtica fuerint gens, quæ monteis hos præaltos, Italiam ab ſeptemtrionibus atque occaſu cingenteis, ſuâ lingvâ adpellavit *Alben* & *Alpen*; ut ſuprà oſtenſum. Accedit jam huc graviſſimorum inter Romanos ſcriptorum auctoritas. Ex his Decimus Brutus, epiſtolâ ad Ciceronem, quæ eſt Familiar. epiſtol. lib. XI, ita ſcribit: *Antonius, quacumque ivit, ergaſtula ſolvit; homines arripuit: conſtitit nusquàm priùs, quàm ad Vada pervênit. quem locum volo tibi eſſe notum. Iacet inter Apenninum & Alpeis, impeditiſſimus ad iter faciendum.* Et aliâ epiſtolâ anteà: *Huc acceſſit manus Ventidii; quæ, trans Apenninum itinere facto difficillimo, ad Vada pervênit: atque ſe ibi cum Antonio conjunxit. Conſilia Antonii hæc ſint, neceſſe eſt: aut ad Lepidum ut ſe conferat; ſi recipitur: aut Apennino Alpibusque ſe teneat.* Diſertè hic τὴν σύμπτωσιν *Alpium & Apennini* ponit ad *Vada Sabatia*; quæ apud Savonam fuiſſe, ſuprà dicto cap. VIIII in Ligurum ennarratione oſtenſum eſt. At paullo longiùs hinc verſùs ortum, ad XL millia paſſuum, apud Trebiæ fontem, ſuprà Genuam, eandem locaſſe videtur σύμπτωσιν T. Livius lib. XXI. ubi de pugnâ inter Romanos atque Hannibalem, apud Trebiam flumen commiſsâ, hæc tradit: *Erat fortè brumæ tempus, & nivalis dies in locis Alpibus Apenninoque interjectis; propinquitate etiam fluminum ac paludum prægelidis. ad hæc raptim eductis hominibus atque equis, non capto antè cibo, non ope ullâ ad arcendum frigus adhibitâ, nihil caloris inerat; & quidquid auræ fluminis adpropinquabat, adflabat acrior frigoris vis.* Hinc lib. XXVI oram Etruriæ Alpibus, & his Gallicum ſinum, certo ordine conjungit. *Cum triginta navium claſſe*, inquit, *ab oſtiis Tiberinis profectus prætor, oram Tuſci maris, Alpeis, atque Gallicum ſinum, & deinde Pyrenes circumvectus promontorium, Emporiis copias expoſuit.* Silius lib. XV, in eâdem hiſtoriâ, loco Alpium nominat Ligurum litora in his verſibus:

Iamque agiles, Tyrrhena ſonant quà cærula, puppes
Auſonium evasêre latus; Ligurumque citatis
Litora transmittunt proris. hinc litore ab alto
Tellurem procul irrumpentem in ſidera cernunt,
Aërias Alpeis. occurrunt mœnia, Graio
Condita, Maſſiliæ.

Livius deinde lib. XXVIII & XXVIIII diſertè Savonem *Alpinum* adpellat *opidum, ſub Alpium angulo* ſitum. Verba eius lib. XXVIII hæc ſunt: *Mago Genuam repentino adventu cepit. Inde ad oram Ligurum Alpinorum, claſſem adpulit. Ingauni bellum eâ tempeſtate gerebant cum Epanteriis montanis. igitur Pœnus, Savone, opido Alpino, prædâ depoſitâ, ſocietate cum Ingaunis compoſitâ, montanos inſtituit oppugnare.* Et lib. XXIX: *Eisdem fermè diebus naves, quæ ab Carthagine ad Magonem miſſæ erant, inter Albingaunos Ligures Genuamque acceſſerunt: in iis locis tum fortè Mago tenebat claſſem.* Aliquantò pòſt: *M. Livius exercitum volonum ex Etruriâ in Galliam traducit: junctusque Lucretio, ſi ſe Mago ex Liguribus propiùs Vrbem moveat, obviam ire parat: ſi Pœnus ſub angulo Alpium quietus ſe contineat; & ipſe in eâdem ſtatione circa Ariminum Italiæ præſidio futurus.* At verò quas ſuprà lib. XXVI adpellat *Alpeis*, poſteà lib. XXXIIII *Liguſtinos* vocat *monteis*, in his verbis: *M. Porcius conſul* XXV *navibus longis ad Lunæ portum profectus, eòdem exercitu convenire juſſo, & edicto per oram maritimam miſſo navibus omnis generis contractis; à Lunâ proficiſcens edixit, ut ad portum Pyrenæi ſequerentur. Prætervecti Liguſtinos monteis ſinumque Gallicum, ad diem, quam edixerat, con-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

rat, convenerunt. Opidum *Luna*, ſive *Lunæ portus*, is eſt locus, qui nunc circa Macræ oſtium vulgò dicitur *Porto Lérici*; ut infrà lib. II cap. I ac II oſtendetur. Mela lib. II cap. IIII etiam ad Macram flumen, Liguriæ Etruriæque tum terminum, prædictam *Apennini Alpiumque* σύμπτωσιν protuliſſe videtur. *Ad dextram*, inquit, *Italiæ ſunt ſub Alpibus Ligures, ſub Apennino Etruria: pòſt, Latium, Volſci, Campani*. Huic apertiſſimis verbis conſentit Vitruvius lib. II cap. X. *Montis*, inquit, *Apennini primæ radices ab Tyrrheno mari in Alpeis & in extremas Etruriæ regiones oriuntur*. Fortè rectiùs & ſine mendo, *inter Alpeis & inter extremas Etruriæ regiones*. Huc jam inſuper adde & Plutarchi, graviſſimi ſcriptoris, auctoritatem, qui Ligures Italicos Alpeis incolere teſtatur in L. Aemilio Paullo, his verbis: Ὁ δὲ Αἰμίλιος ὕπατος ἀποδειχθεὶς, ἐστράτευσεν ἐπὶ τοὺς Παραλπίους Λίγυας, μάχιμον καὶ θυμοειδὲς ἔθνος, ἐμπείρως δὲ πολεμεῖν διδασκόμενον ὑπὸ Ῥωμαίων, διὰ τὴν γειτνίασιν· τὰ γὰρ ἔσχατα τῆς Ἰταλίας καὶ καταλήγοντα πρὸς τὰς Ἄλπεις, αὐτῶν τε Ἄλπεων τὰ κλυζόμενα τῷ Τυρρηνικῷ πελάγει, καὶ πρὸς τὴν Λιβύην ἀνταίροντα νέμονται. Id eſt: *Aemilius, conſul factus, in Ligures Alpinos cum exercitu profectus eſt, bellicoſam gentem atque ferocem: qui peritiam bellicam à Romanis didicerant, quòd contermini eſſent. nam extremam oram Italiæ & Alpibus ſubjectam, eamque ipſarum Alpium partem colunt, quæ mari Tuſco ex adverſo Africæ alluitur*. Strabo lib. II: Τῶν δ' Ἄλπεων περιφερῆ ποιούντων γραμμὴν, τὸ μὲν κυρτὸν ἔστραπται πρὸς τὰ λεχθέντα τῶν Κελτῶν πεδία καὶ τὸ Κέμμενον ὄρος, τὸ δὲ κοῖλον πρὸς τὴν Λιγυστικὴν καὶ τὴν Ἰταλίαν. Ἔθνη δὲ κατέχει πολλὰ τὸ ὄρος τοῦτο Κελτικὰ, πλὴν τῶν Λιγύων. οὗτοι δ' ἑτεροεθνεῖς μέν εἰσι, παραπλήσιοι δὲ τοῖς βίοις. Νέμονται δὲ μέρος τῶν Ἄλπεων, τὸ συνάπτον τοῖς Ἀπεννίνοις ὄρεσι· μέρος δὲ καὶ τῶν Ἀπεννίνων ὀρῶν κατέχουσι. Hoc eſt: *Alpibus circumvexam lineam facientibus, convexum earum latus prædictis Gallorum campis & Cemmeno monti obvertitur; concavum Liguriæ & Italiæ. Genteis multas mons hic continet Gallicas, præter Ligures. Hi quamquàm alius ſint generis, tamen ratione vivendi utuntur eâdem. Incolunt partem Alpium, Apenninis montibus contiguam; partemque aliquam ipſorum Apenninorum montium tenent*. Nempe ad Vada uſque Sabatia; ubi σύμπτωσιν horum montium ponit Decimus Brutus. cuius auctoritas hac in re maximè ſequenda eſt; quando ipſa huc ducit loci natura. quidpe nullo alio loco neque Apennini neque Alpium juga propiùs ad mare accedunt, quàm hoc ipſo: adeò, uti ipſa anguſtia nomina ea diſcernere videatur. tum hucuſque excelſiores conſpiciuntur vertices. hinc verò paullo depreſſiores eſſe incipiunt; ſuper Etruriam in reliquam Italiam abeuntes. Atque cum Bruto maximè conſentit Plinius lib. III fine capitis XVIIII: quidquid anteà cap. V & XVI, & item poſteà lib. XI cap. XLII, ſtatuerit. Verba eius dicto cap. XVIIII de Alpibus hæc ſunt: *Nam & centum millia excedunt aliquando, ubi Germaniam ab Italiâ ſubmovent; nec* LXX *millia explent reliqua ſui parte graciles; veluti naturæ providentiâ. Latitudo Italiæ, ſubter radices earum, à Varo per Vada Sabatia, Taurinos, Comum, Brixiam, Veronam, Vicentiam, Opitergium, Aquileiam, Tergeſte, Polam, Arſiam*, IↃCCXIII *millia paſſuum colligit*. Quamquàm hæc quoque à Plinio, ut innumera alia, negligenter ac nimis compendioſè perſcripta. quomodò enim latitudinem Italiæ ſubter radices Alpium rectè ritéque à Varo ad Arſiam colligas, ſi primùm à Varo itinere averſo progrediaris per C ampliùs millia paſſuum ad Vada Sabatia; atque hinc retrogrado itinere per L plus millia ad Auguſtam Taurinorum? Proinde rectiùs ſcripſiſſet, *à Vadis Sabatiis per Varum, Taurinos, Comum*, & cætera opida. Verùm unâ eadémque operâ per compendium oſtendere voluit ſimul duos Italiæ fineis, ad inferum mare Varum amnem, ad ſuperum Arſiam, ſimulque totum Alpium tractum ab Arſiâ ad Vada Sabatia. Convenit igitur ei hoc loco exactè cum Bruto, σύμπτωσιν Alpium Apenninique ad Vada locante. Quò etiam trahatur, neceſſum eſt, Strabonis ſententia: niſi abſurdiſſimâ ratione medium aliquod montium jugum inter Apenninum Alpeiſque ſtatuere velis; quum inter Genuam & Vada XXX interſint millia paſſuum. quod ſpacium ipſe Strabo ſtadiûm facit CCLX; id eſt, millium XXXII & paſſuum IↃ. At ipſe Strabo dicto lib. II ait Ligures incolere μέρος τῶν Ἄλπεων, τὸ συνάπτον τοῖς Ἀπεννίνοις ὄρεσιν, id eſt, *partem Alpium Apennino contiguam atque cohærentem*. Nec perinde multum ab iſtâ ſententiâ de Vadis abhorret Livius, dictam σύμπτωσιν ſuper Genuam ſtatuens. Tale quid fortaſſe in errorem egit Strabonem; quum ex uno auctore Apennini initium ad Genuam, ex alio Alpium principium ad Vada accepiſſet. Certè ſub initium libri V, Τὰ δ' ἄκρα, inquit, Ἄλπεων ἐπιστροφὴν λαμβάνει, τὰ μὲν μέχρι τῆς Ὄκρας κατὰ τοῦ μυχοῦ τοῦ κατὰ τὸν Ἀδρίαν, τὰ δ' εἰς τὴν Λιγυστικὴν παραλίαν μέχρι Γενούας, ὅπου τὰ

Ἀπέννινα

Ἀπέννινα ὄρη συνάπτει ταῖς Ἄλπεσιν. id eſt: *Extrema Alpium flectuntur, hinc ad Ocram usque & intimum ſinus Hadriatici receſſum, illinc ad Liguſticum litus usque Genuam: ubi Apenninus Alpibus jungitur.* Verùm enimverò ex illâ graviſſimi ſcriptoris Polybii traditione, item ex geminâ iſtâ Plinii mente, ſimulque ex Strabonis, Livii, Bruti, Melæ, ac Plutarchi ſententiâ hoc ſuſpicari libet: ἀκριβῶς ſcilicet & curate rem exigentibus, σύμπτωσιν Alpium Apenninique fuiſſe quidem ad Vada Sabatia: vulgò tamen pro Apennino habitum fuiſſe, ut etiam nunc habetur, quidquid montium ad Varum usque flumen protenditur. Appianus, in Hannibalicis, neſcio quid ſibi voluerit, ubi ait, Τὰ Ἀπέννινα ὄρη κατέχεται ἐκ μέσων τῶν Ἀλπίων ἐπὶ θάλασσαν. id eſt; *Apennini montes ex mediis Alpibus in mare procurrunt.* Atque hæc de principio Alpium diſſeruiſſe ſuffecerit. Poſteriori ſæculo qua ratione earum nomen etiam ſupra omnem Etruriam uſurpatum fuerit, ſuprà cap. IIII in Apennini deſcriptione oſtenſum eſt. Nunc de fine earum agamus.

Finem Alpium in Thraciam usque proferri à Pomponio Melâ lib. II cap. IIII, ſuprà intelleximus. *Alpes ipſæ,* inquit, *ab iis litoribus longè latèque diffuſæ, primò ad ſeptemtrionem magno gradu excurrunt: deinde, ubi Germaniam attigerunt, verſo impetu in orientem abeunt; diremptisque populis immanibus, usque in Thraciam penetrant.* Ad proximum ſcilicet Thraciæ finem usque. namque in ipſâ Thraciâ, quam eodem libro cap. II deſcribit, nullam earum facit mentionem; montibus illic nobiliſſimis memoratis, Hæmo, Rhodope, & Orbelo: quorum hic initium facit Thraciæ, in confiniis Mœſiæ ac Macedoniæ. Atque ad hunc quidem Orbelum usque continuum ab Alpibus & Hiſtriâ, noviſſimâ Italiæ regione, procurrit montium jugum; ex quo frequentiſſimi amnes dextro latere in Hadriaticum ſinum per Illyricum, ſiniſtro per Pannoniam atque Mœſiam in Savum & Danubium defluunt. Apud Nicephorum quoque Calliſti, eccleſiaſticæ hiſtoriæ ſcriptorem Græcum, ſed cuius verſio tantùm Latina hactenus publicata eſt, *Alpes Suſacenſes* memorantur lib. VIII cap. XXXII, *inter Daciam & Thraciam:* quem eodem libro antè cap. XIII *Suſacem* vocat *montem, inter Illyricum & Thraciam.* Scriptum illic haud dubiè fuit τῆς Δαλματίας nomen; quod poſteà corruptum in Δακίας vocabulum. quidpe inter Thraciam & Daciam quomodò alicuius montis ſitum hàc ratione monſtraveris, quando & altiſſimus longiſſimusque ille Hæmus mons totus & univerſa Mœſia, & ingens flumen Danubium, interceſſerint. Illyrici autem pars erat Dalmatia. Melæ ac Nicephoro penè adſentiens Plinius lib. III cap. XXV, ita tradit: *Inde* (à Norico ſcilicet; quod præcedenti capite deſcribit) *glandifera Pannonia; quà miteſcentia Alpium juga, per medium Illyricum à ſeptemtrione ad meridiem verſa, molli in dextrâ ac lævâ devexitate conſidunt. Quæ pars ad mare Hadriaticum ſpectat, adpellatur Dalmatia, & Illyricum ſuprà dictum: ad ſeptemtriones Pannonia vergit; finitur inde Danubio.* Hoc quoque, ut multa alia, nimis compendioſè atque confusè dictum; poſtquàm anteâ cap. XXI unam Liburniam adpellaverit Illyricum. nam ab initio, ut alio in opere, (Deus volens propitius adnuat) aliquando docebo, Romanis *Illyricum* dicebatur omne id terrarum ſpacium, quod Danubio ac mari Hadriatico Noricoque & Mœſiâ includebatur. at poſteà pars eius multo maxima, à dictis montium jugis ad Danubium usque, *Pannonia* vocitata eſt; reliquum inter monteis & mare, *Illyricum*: cuius partes duæ, *Liburnia* & *Dalmatia*. Ergo ex Plinii ſententiâ *Alpium juga* non ultra Illyrici ſive Dalmatiæ fineis extendebantur. hi autem fuêre ad Scodrum montem. Livius lib. XLIIII: *Mons Scodrus longè altiſſimus regionis eius, ab oriente Dardaniam ſubjectam habet, à meridie Macedoniam, ab occaſu Illyricum.* A ſeptemtrionibus in meridiem protenditur ad fontem usque Drini amnis, qui in Savum influit. Igitur circa Drini fontem, quà altiſſimus iſte conſurgit *Scodrus* mons, Plinius intellexit, *molli in dextrâ ac lævâ devexitate conſidere Alpium juga.* Hinc lib. XI cap. XLII, quod eſt de diverſitate caſeorum; *Duobus,* inquit, *Alpes generibus pabula ſua adprobant. Dalmaticæ Docleatem mittunt; Centronicæ Vatuſicum.* Populum *Docleatium,* cum opido eorum *Docleâ,* in extimis Dalmatiæ versùs Macedoniam finibus locat Ptolemæus in Illyrici deſcriptione. Ducenta igitur millia paſſuum Plinius minùs tribuit Alpium versùs orientem excurſui, quàm Mela. tanto quidpe ſpacio Illyricum à Thraciâ diſtat. Verùm enimverò quum omnis Illyria gens Celtici fuerit generis; quod pluribus documentis Germaniæ lib. I oſtendi; hos quoque monteis ad Illyricum & Thraciam *Alpeis* ipſis adpellatos fuiſſe, ab argumento inſignis celſitudinis,

Alpivm *finis apud mare ſuperum.*

dinis, crediderim; quemadmodùm Pyrenæa etiam juga inter Galliam & Hiſpaniam, & Baſternica ultra Danubium & Daciam; ut ſuperiori capite intelleximus. Cæterùm Polybius Strabo, Herodianus, ad Italiam *Alpium* nomen finiunt. Herodianus quidpe dicto lib. II Alpeis adpellat ἄῤῥηκτον τῆς Ἰταλίας, ἀπὸ ἀρκτῴας θαλάσσης ἐπὶ τὴν πρὸς μεσημβρίαν βλέπουσαν διήκον. hoc eſt, *munimen Italiæ, à ſeptemtrionali*, id eſt ſupero, *mari ad id quod meridiem ſpectat*, id eſt ad inferum, *pertingens*. libro autem VIII, ἅπερ ὄρη, inquit, ὑπερμήκη, ὥσπερ τεῖχος Ἰταλίας, ἡ φύσις ἤγειρεν, ὑπερνεφῆ μὲν τὸ ὕψος, ἐπιμηκέστατα δὲ, ὡς πᾶσαν Ἰταλίαν διειληφότα καθήκειν ἐν μὲν τοῖς δεξιοῖς Ἰταλίας μέρεσιν εἰς τὸ Τυῤῥηναῖον πέλαγος, ἐν δὲ τοῖς λαιοῖς εἰς τὸν Ἰόνιον κόλπον. id eſt; *Qui montes prælongi, in murorum vicem Italiæ à naturâ circumdati, tantâ altitudine, ut nubeis excedant, longitudine verò, uti omnem Italiam complexi, in dextrâ ad Etruſcum mare, in lævâ ad Ionium*, id eſt Hadriaticum, *pertingant*. Sic Strabo lib. IIII, in deſcriptione Alpium, Καὶ γὰρ νῦν ἔτι, inquit, τὸ ἐν τοῖς Ἰάπυσιν ὄρος ὑψηλὸν, συνάπτον πως τῇ Ὄκρᾳ καὶ τῶν Ἄλπεων, Ἄλβιον λέγεται, ὡς ἂν μέχρι δεῦρο τῶν Ἄλπεων ἐκτεταμένων. Id eſt: *Quin etiam nunc mons in Iapydibus excelſus, Ocræ atque Alpibus contiguus, Albius vocatur; quaſi hucusque porrectis Alpibus*. Et lib. VII: Ἡ δὲ Ὄκρα ταπεινότατον μέρος τῶν Ἄλπεών ἐστι, τῶν διατεινουσῶν ἀπὸ τῆς Ῥαιτικῆς μέχρι Ἰαπόδων. ἐντεῦθεν ἐξαίρεται τὰ ὄρη πάλιν ἐν τοῖς Ἰάπυσι, καὶ καλεῖται Ἄλβια. Hoc eſt: *Ocra pars humillima eſt Alpium, à Rhætiâ ad Iapydes usque extenſarum. Hinc rurſus attollunt ſeſe montes in Iapydibus: & vocantur Albii*. Et paullo pòſt: Ἑξῆς δ' ἐστὶν ὁ Ἰαπυδικὸς παράπλους χιλίων σταδίων. ἵδρυνται γὰρ οἱ Ἰάποδες ἐπὶ τῷ Ἀλβίῳ ὄρει, τελευταίῳ τῶν Ἄλπεων ὄντι. Id eſt: *Sequitur hinc Iapydum ora* CXXV *millium paſſuum. ſiti namque ſunt Iapydes in Albio monte; qui finis eſt Alpium*. Plinius lib. III cap. XVIIII, *Nonnulli*, inquit, *in Flanaticum ſinum Iapidiam promovêre, à tergo Hiſtriæ*, CXXX *millia paſſuum*. Sinus hic vulgò nunc vocatur *Golfo di Carnero*, inter Hiſtriam & Liburniam. Hinc Strabo eodem lib. VII exiguo antè: Διὰ τῶν Ἰαπόδων ῥεῖ ἐκ τοῦ Ἀλβίου ὄρους ὁ Κόλαπις. Id eſt: *Per Iapydes fluit ex Albio monte Colapis*. Et lib. IIII: Συμβάλλει δ' εἰς τὸν Σάον καὶ ὁ Κόλαπις· ῥεῖ δ' ἀπὸ τῶν Ἄλπεων. Hoc eſt: *In Saum quoque influit Colapis, ex Alpibus delatus*. Hic hodiéque vulgò adpellatur *Kulpa*; fonteisque habet haud procul intimo ſinus Flanatici receſſu. Plinius dicto lib. III cap. XXI, *Tedanio flumine finiri Iapidiam*, tradit: quod hodiè vocatur vulgò *Odria*, contra Paron inſulam, quæ vulgò nunc eſt *Pago*. Quum igitur Strabo *Iapydas in Albio monte ſitos* adfirmet; omnino *Albius mons*, id eſt, *pars extrema Alpium*, ad Tedanii usque cenſendus eſt fontem; qui unà cum monte, quo effunditur, prope mare Hadriaticum accedit, juxta *Vegium* opidum, quod vulgò nunc eſt *Veggia*, & variante incolarum dialecto *Veza*. Atque hoc fortè fuerit, quod Plinius dicto lib. III cap. XXV ait, *miteſcentia Alpium juga per medium Illyricum, à ſeptemtrione ad meridiem verſa, molli in dextrâ ac lævâ devexitate conſidere*. quod cummaximè videre eſt ad dextrám Tedanii ripam. *Illyricum* autem heic haud dubiè intellexit antiquis illis finibus; quibus ad Auguſti usque tempora Hiſtria quoque adcenſebatur. Per *mollem* igitur illam *devexitatem* non modò Albii montis extrema intellexit juga; ſed & Ocram montem; partem Alpium humillimam; medium Illyricum, quà Hiſtri fuêre à dextrâ, à ſiniſtrâ Iapydes, ſecantem. Neque enim alio reſpectu in deſcriptione Pannoniæ, cuius proximi ab Italiâ fines fuêre circa Celeiam Noricorum opidum & inferioris Colapis fluvii partem, Alpium meminiſſe ratio poſtulabat. Sed Polybium quoque audiamus. Hic lib. II ſic ſcribit: Τὴν δὲ παρὰ τὰς ἄρκτους Ἰταλίας πλευρὰν ὁρίζει τὸ συνεχὲς ἡ τῶν Ἄλπεων παρώρεια, λαμβάνουσα τὴν μὲν ἀρχὴν ἀπὸ Μασσαλίας καὶ τῶν ὑπὲρ τὸ Σαρδῷον πέλαγος τόπων, παρήκουσα δὲ συνεχῶς μέχρι πρὸς τὸν τοῦ παντὸς Ἀδρίου μυχὸν, πλὴν βραχέος, ὃ προκαταλήγουσα λείπει τοῦ μὴ συνάπτειν αὐτῷ. Hoc eſt: *Latus autem Italiæ ſeptemtrionale Alpium continua juga terminant. quæ, à Maſſiliâ & proximis mari Sardoo locis incipientia, perpetuo inde tractu ad ultimum maris Hadriatici receſſum extenduntur; niſi quòd aliquanto priùs deſinant, quàm mare attingunt*. Incertum ex his manet, quo loco finem earum ſtatuerit; quum intimus maris Hadriatici ſinus apud Timavum fontem, Aquileiam, & Altinum cæteris habeatur auctoribus; Hiſtria verò eius ævo extra Italiæ etiamdum fuerit fineis. Verùm ad Tedanii usque fontem porrectas fuiſſe Alpeis, quod vult Strabo cum Plinio, certiſſimo patet argumento ex Albii nomine. Hinc jam *Bebii* fuêre *montes*; teſte Ptolemæo: apud quem τοῦ Ἀλβίου vocabulum in τοῦ Ἀλβανοῦ corruptum eſſe, infrà oſtendetur.

ALPIUM *longitudo.*

Fine igitur atque initio Alpium inventis, longitudo nunc earum quoque indicetur. De hac ita Strabo fine libri IIII: Ὁ δὲ Πολύβιος περὶ τοῦ μεγέθους τῶν Ἄλπεων καὶ τοῦ ὕψους

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

λέγων, παραβάλλει τὰ ἐν τοῖς Ἕλλησιν ὄρη τὰ μέγιστα, τὸ Ταΰγετον, τὸ Λύκαιον, Παρνασσόν, Ὄλυμπον, Πήλιον, Ὄσσαν· ἐν δὲ Θρᾴκῃ Αἷμον, Ῥοδόπην, Δουνάκα. καί φησιν, ὅτι τούτων μὲν ἕκαστον μικροῦ δεῖν αὐθημερὸν εὐζώνοις ἀναβῆναι δυνατόν· τὰς δ᾽ Ἄλπεις οὐδ᾽ ἂν πεμπταῖος ἀναβαίη τις. τὸ δὲ μῆκός ἐστι δισχιλίων καὶ διακοσίων σταδίων, τὸ παρῆκον παρὰ τὰ πεδία. Τέτταρας δ᾽ ὑπερβάσεις ὀνομάζει μόνον· διὰ Λιγύων μὲν τὴν ἔγγιστα τῷ Τυρρηνικῷ πελάγει· εἶτα τὴν διὰ Ταυρίνων, ἣν Ἀννίβας διῆλθεν· εἶτα τὴν διὰ Σαλασσῶν· τετάρτην δὲ τὴν διὰ Ῥαιτῶν. Hoc eſt: *Polybius, de Alpium magnitudine & altitudine diſſerens, maximos Græciæ monteis cum eis contendit, Taygetum, Lycæum, Parnaſſum, Olympum, Pelium, Oſſam: & de Thraciæ montibus Aemum, Rhodopen, Dunacem. aitque, horum quemque unius diei ſpacio expeditum viatorem ferè conſcendere poſſe: at Alpeis ne intra quintum quidem diem conſcendi à quoquam poſſe. & longitudinem juxta campeſtria porrectam eſſe bis mille ducentûm ſtadiorum. transitus quoque nominat quatuor tantùm. per Ligures; qui proximus mari Tuſco: per Taurinos; quà Hannibal transiit: per Salaſſos: & quartum, per Rhætos.* Quàm malâ fide heic Polybium citaverit Strabo ſuper transitu Hannibalis, infrà videbimus. Cæterùm interpres Latinus Strabonis rectè heic legit, τὸ δὲ μῆκος εἶναι δισχιλίων καὶ διακοσίων σταδίων. nam ex Polybii traditione hæc, ut præcedentia ſimul & inſequentia, citavit Strabo. quamquàm heic etiam peſſimâ fide illius auctoritatem teſtimoniumque produxerit: quum ille non de univerſarum Alpium, ſed de Galliæ Ciſalpinæ, quatenus eam tenebant Gallici populi, longitudine loquatur lib. II. At Plinius lib. III cap. XIX, *Alpeis*, inquit, *in longitudinem* X *millia paſſuum patere, à ſupero mari ad inferum, Cælius tradit: Timagenes* XXII *millibus deductis*. Locus hic in omnibus vetuſtiſſimis etiam exemplaribus planè corruptus eſt. Suprà eodem libro, cap. V, *Latitudo*, inquit, *Italiæ varia eſt;* CCCCX *millium inter duo maria, inferum & ſuperum, amneisque Varum atque Arſiam*. Eadem CCCCX millia intellexiſſe eum prædicto cap. XVIIII, ſuſpicari potiùs, quàm liquidò adfirmare licet. Eodem capite paullo pòſt, *Latitudo*, inquit, *Italiæ, ſubter radices Alpium, à Varo per Vada Sabatia, Taurinos, Comum, Brixiam, Veronam, Vicentiam, Opitergium, Aquileiam, Tergeſte, Polam, Arſiam*, IↃCCXIII *millia paſſuum colligit*. Sed heic etiam exemplaria variant; aliis IↃCCIII, aliis IↃCCXLII, nonnullis IↃCCXLV *millia* ferentibus. Quum à Vadis Sabatiis ad extimum usque Dalmatiæ finem Plinius nomen Alpium produxerit; haud equidem dubitaverim, quin iſtò loco ſcripſerit, *Alpeis in longitudinem decies centena millia paſſuum patere à ſupero mari ad inferum*. namque hodiè per ſummos Alpium vertices, quà fines erant Italiæ, à Varo ad Arſiam IↃCCC colligi millia, ſuprà cap. III docui.

De latitudine Alpium ita tradit idem Plinius dicto lib. III cap. XVIIII: *Alpeis in longitudinem decies [centena] millia paſſuum patere, à ſupero mari ad inferum, Cælius tradit. in latitudinem autem Cornelius Nepos centum millia; T. Livius tria millia ſtadiorum: uterque diverſis in locis. nam & centum millia excedunt aliquando; ubi Germaniam ab Italiâ ſubmovent: nec* LXX *millia explent reliquâ ſui parte graciles*. Tria millia ſtadiorum faciunt paſſuum millia CCCLXXV. Ad Maſſiliam usque & paullo ultrà extenſum fuiſſe Alpium nomen, auctor eſt Strabo lib. IIII, his verbis: Ὁ δὲ Μονοίκου λιμὴν διέχει Ἀντιπόλεως μικρῷ πλείους ἢ διακοσίους σταδίους. τοὐντεῦθεν δ᾽ ἤδη, μέχρι Μασσαλίας καὶ μικρὸν προσωτέρω, τὸ τῶν Σαλύων ἔθνος οἰκεῖ τὰς Ἄλπεις τὰς ὑπερκειμένας, καί τι τῆς αὐτῆς παραλίας, ἀναμὶξ τοῖς Ἕλλησιν. Id eſt: *Portus Monœci abeſt ab Antipoli paullo amplius* CC *ſtadiis. Hinc jam ad Maſſiliam usque, & paullo ultrà, Salyes incolunt oræ maritimæ imminenteis Alpeis; ſimulque partem quamdam ipſius litoris; Græcis permixti*. Salyum gentis fuêre *Aquæ Sextiæ*; teſtibus, Strabone eodem lib. IIII, Plinio lib. III cap. IIII, Epitomatore Livii lib. LXI, & Caſſiodoro in Chronico: quæ urbs nunc vulgò dicitur detorto vocabulo *Aix*, XVIII millia paſſuum à Maſſiliâ in ſeptemtriones versùs diſſita. Ad utramque urbem continuata Alpium juga extenduntur. unde *Albicis* quoque populis, ut ſuprà dictum, nomen fuit: qui teſte Cæſare Belli civilis comment. I, *monteis ſupra Maſſiliam incoluerunt*. quos Strabo etiam dicto lib. IIII, puſillo pòſt, diſertè inter Inalpinos recenſet. Μετὰ δὲ τοὺς Σαλύας, inquit, Ἀλβιεῖς καὶ Ἀλβικοὶ καὶ Οὐοκόντιοι νέμονται τὰ προσάρκτια μέρη τῶν ὀρῶν. Id eſt: *Poſt Salyas Albienſes & Albici ac Vocontii ſeptemtrionaleis Alpium parteis incolunt*. Hinc *Bergionem* & *Albionem*, Neptuni filios, hiſce locis circa Maſſiliam & Lapideos campos adfinxit Græca Maſſilienſium fabuloſitas; ut ſuperiori capite oſtenſum. Ab Maſſiliâ autem & Aquis Sextiis ad Genuam usque millia paſſuum ſunt CCLX. Verùm ea pars montium, quæ eſt inter Genuam & Va-

ALPIVM *latitudo.*

 rum,

rum, longitudini, non latitudini, Alpium attributam fuiſſe, ſuprà intelleximus. Ad Varum itaque à Maſſiliâ millia ſunt circiter cxx. Longè ſupra Maſſiliam Sextiasque aquas nomen earum ad Viennam usque extenſum fuiſſe, teſtis eſt Auſonius, Parental. carm. IIII:

Quà Lugdunenſis provincia, quáque potentes
Aedues, Alpino quáque Vienna jugo.

Et epiſt. XXIIII: ——— *Alpinæ tecta Viennæ.*

Hinc Polybius populos inter Rhodannm & ſummos Alpium vertices modò Gallos Transalpinos vocat, modò Inalpinos. Verba eius lib. II ſunt iſta: Αὖθις ἤρξαντο [Γαλάται Ἰταλικοὶ] τὰ καθεστῶτα κινεῖν, καὶ ἐπισπᾶσθαι τοὺς ἐκ τῶν Ἄλπεων Γαλάτας. διὸ καὶ παραγινομένων τῶν Τρανσαλπίνων, διαπιστήσαντα τὰ πλήθη τῶν Βοιῶν, καὶ στασιάσαντα πρός τε τοὺς ἑαυτῶν προεστῶτας καὶ πρὸς τοὺς παραγεγονότας, ἀνεῖλον τοὺς ἰδίους βασιλεῖς Ἄτιν καὶ Γάλατον. Id eſt: *Cœperunt denuò Galli Italici præſentem rerum ſtatum ſolicitare; Inalpinosque Gallos adſciſcere ſocios. Idcircò quum Tranſalpini advenissent; plebes Boiorum, parum fidei illis habens, ſeditione tum adversùs duces ſuos, tum adversùs eos qui advenerant, excitatâ, reges ſuos Atem & Gatum occîdit.* Et paullo pòſt: Διόπερ εὐθέως τὰ μέγιστα τῶν ἐθνῶν, τό τε Ἰνσόμβρων καὶ Βοιῶν, συμφρονήσαντα, διεπέμποντο πρὸς τοὺς κατὰ τὰς Ἄλπεις καὶ τὸν Ῥοδανὸν ποταμὸν κατοικοῦντας Γαλάτας, προσαγορευομένους δὲ διὰ τὸ μισθοῦ στρατεύειν Γαισάτους. ·*—*· Οἱ δὲ Γαισάτοι Γαλάται ἧκον, ὑπεράραντες τὰς Ἄλπεις, εἰς τὸν Πάδον ποταμόν. ·*· Ῥωμαῖοι δ' ἤκουον, τοὺς Κελτοὺς ὑπερβεβληκέναι τὰς Ἄλπεις. Hoc eſt: *Statim igitur communi conſilio duæ inter Gallos potentiſſimæ gentes, Inſubres & Boii, legationem ad eos Gallos miſêre, qui apud Rhodanum Alpeis incolunt, Gæſati è re dicti, quòd æra bellando mereri ſoliti.* Aliquanto pòſt: *Galli Gæſati, ſuperatis Alpibus, ad Padum venêre.* Mox: *Romani Gallos Alpeis transſcendiſſe audiverunt.* Deinde verò ſic ſcribit: Οἱ δὲ Κελτοὶ τοὺς μὲν ἐκ τῶν Ἄλπεων Γαισάτους προσαγορευομένους ἔταξαν πρὸς τὴν ἀπ' οὐρᾶς ἐπιφάνειαν. Id eſt: *Galli Alpinos, quos vocant Gæſatos, in poſtremâ acie ſtatuunt.* Alii auctores ferè omnes adpellant *Tranſalpinos*. Zonaras Annal. lib. II: Ἴνσοβρες δὲ συμμάχους ἐκ τῶν ὑπὲρ τὰς Ἄλπεις ὁμοφύλων προσειληφότες, ὅπλα τοῖς Ῥωμαίοις ἐπήνεγκαν. Id eſt: *Inſubres, auxiliis ex popularibus, qui trans Alpeis incolebant, accitis, arma Romanis intulerunt.* Epitomator Livii lib. XX: *Galli Tranſalpini, qui in Italiam irruperant, caſi ſunt.* Eutropius lib. III: *L. Aemilio [C. Atilio] conſulibus, ingentes Gallorum copiæ Alpeis tranſierunt.* Oroſius lib. IIII cap. XIII: *L. Aemilio Papo, C. Atilio Regulo conſulibus, magnâ formidine conſternatus ſenatus defectione Ciſalpinæ Galliæ; quum etiam ex ulteriore Galliâ ingens adventare exercitus nunciaretur Gæſatorum.* Hinc etiam *Alpina gæſa* dicta fuêre eorum jacula. quæ poſteà poëta Virgilius quum Gallorum habitum exprimere vellet, Gallis tribuit Senonibus, qui Romam ceperunt. Verba eius Aeneid. lib. VIII hæc ſunt:

——— *Duo quisque Alpina coruſcant*
Gæſa manu, ſcutis protecti corpora longis.

Et Virgilii perpetuus imitator Silius lib. I; ubi imagines curiæ Romanæ deſcribit:

Heic ſpolia Aeacidæ, heic Epirotica ſigna;
Et Ligurum horrentesque comæ; parmæque relatæ
Hiſpanicâ de gente rudes; Alpinaque gæſa.

At Strabo longè interiùs in mediam ferè Galliam Alpium nomen produxit lib. IIII. Φέρεται, inquit, ὁ Ῥοδανὸς ἀπὸ τῶν Ἄλπεων, πολύς τε καὶ σφοδρός. ·*· ῥεῖ δὲ καὶ ὁ Ἄραρ ἐκ τῶν Ἄλπεων, παραλαβὼν τὸν Δοῦβιν, ἐκ τῶν αὐτῶν ὀρῶν φερόμενον. Id eſt: *Rhodanus ab Alpibus magnus magno defluit impetu.* Mox: *Fluit & Arar ex Alpibus, Dubim excipiens, ex iisdem montibus delapſum.* Et eodem libro poſteà; ubi de Lugduno agit: Προκάθηται δὲ τοῦ ἔθνους τῶν Σεγοσιανῶν ἡ πόλις αὕτη, κειμένου μεταξὺ τοῦ Ῥοδανοῦ καὶ τοῦ Δούβιος. Τὰ δὲ ἑξῆς, τὰ συντείνοντα πρὸς τὸν Ῥῆνον, τὰ μὲν ὑπὸ τοῦ Δούβιος ὁρίζεται, τὰ δ' ὑπὸ τοῦ Ἄραρος. Οὗτοι μὲν οὖν ὡς εἴρηται πρότερον, ἀπὸ τῶν Ἄλπεων εἰς τὸν Ῥοδανὸν καταφέρονται. Ἄλλος δ' ἐστὶν [ποταμὸς,] ὁμοίως ἐν ταῖς Ἄλπεσι τὰς πηγὰς ἔχων, Σηκουάνας ὄνομα. Id eſt: *Præeſt hæc urbs genti Seguſianorum, quæ inter Rhodanum & Dubim fluvios incolit. Reliqua hinc, quæ versùs Rhenum tendunt, partim à Dubi terminantur, partim ab Arare. Atque hi quidem amnes, ut antè dictum, ab Alpibus in Rhodanum defluunt. Eſt & alius fluvius, fonteis in iisdem habens Alpibus, Sequana nomine.* Ex his *Sequana* hodiè dicitur *la Seine*, Lutetiam Pariſiorum perfluens; *Arar, la Soane*, & in hunc defluens *Dubis, le Doux*. Hoc de Dubis Ararisque fontibus quum Ptolemæus quoque, ſive apud Strabonem ſive apud alium quempiam, legiſſet; non equidem Alpeis ad verum eorum fontium ſitum produxit; ſed ipſos amnium fonteis Alpi-

bus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

bus Cottiis unà cum Rhodani fonte intulit, infrà Centrones, Graiarum Alpium incolas. Verùm Dubis ex Iurâ monte oritur; quem nemo umquàm partem fecit Alpium, niſi qui inferiori ſæculo jam barbari fuerunt auctores. ultra verò Juram Araris fontes ſunt in Voſego ſive Voſago monte. ultra hunc tandem in Lingonibus oritur Sequana. Hac igitur etiam in re, ut in pluribus aliis in eâdem Galliâ, lapſum eſſe Strabonem, certum eſt. Apud veterem Horatii commentatorem, in Ἐπῳδῶν oden XVI; hæc leguntur: *Allobroges ſunt Galli, rufi, & Sequanici dicti; incolentes illum tractum Alpium, qui eſt à Viſontio in Germaniam.* Opidum *Viſontium*, ſive *Veſontio*, vulgò hodiéque dicitur *Beſançon*, Sequanorum quondam gentis, inter Iuram & Ararim incolentis, caput. *Allobroges* olim incolebant inter Rhodanum & Iſaram; quorum hic prope Valentiam in illum confluit. Imperitus iſte grammaticus duas haſce genteis diverſas, diverſis ſedibus incolenteis, hanc apud Alpeis, illam apud Vaſegum montem, in unam confudit. Cæterùm maxima Alpium latitudo erat inter Italiam & Germaniam; quod Plinius dicto lib. III cap. XVIIII innuit; & cum Plinio Mela quoque lib. II cap. IIII his verbis: *Alpes ipſæ ab iis litoribus longè latéque diffuſæ, primò ad ſeptemtrionem magno gradu excurrunt: deinde ubi Germaniam attigerunt, verſo impetu in orientem abeunt.* Germaniam ab meridie Danubio amne finitam fuiſſe, plurimis auctorum teſtimoniis docui in deſcriptione eius lib. I cap. XI. ultra eum amnem *Alpium* nomen & antiquis poſitum fuiſſe mortalibus & nunc etiam manere, eiusdem Germaniæ lib. III cap. XLVIII certis oſtendi documentis. ea heic, ceu proprio loco, repetiiſſe, haud fuerit alienum. Ptolemæus igitur in deſcriptione Germaniæ: Τῶν δὲ διεζωκότων τ̃ Γερμανίαν ὀρέων ὀνομαστότατά ἐστι, τά τε εἰρημένα, καὶ ἰδίως καλούμενα Σαρματικὰ, καὶ τὰ ὁμώνυμα ταῖς Ἄλπεσι, τὰ ὑπὲρ τὴν κεφαλὴν τ̃ Δανουβίου, καὶ τὸ καλούμενον Αὔνοβα. Id eſt: *Montium, qui Germaniam diſpeſcunt cinguntque, nominatiſſimi ſunt ſuprà dicti, qui propriè adpellantur Sarmatici; item, qui idem cum Alpibus nomen habent, ſupra fontem Danubii: tum, quibus nomen Aunoba.* Hunc *Aunobam*, ſive, & alii vocant auctores, *Abnobam*, fuiſſe id montium jugum, quod ab Rheni Arulæque confluentibus in ſeptemtriones verſùs ad opidum usque *Pfortzhaim*, inter Rhenum ac Nicrum amnem Danubiique fontem ſternitur, eodem Germ. lib. I cap. XLVIII docui. *Cognomines* verò *Alpibus monteis*, qui ſunt *ſupra Danubii fontem*, Ptolemæus ex occidente brumali in orientem æſtivum, longitudine CXC millium paſſuum, juxta lævam Danubii ripam protendit. Hoc hodiè id eſt jugum, quod à dicto Abnobâ & Nicri fonte initium ſumens, inter Danubium & Nicrum verſùs Brentium flumen porrigitur; complureis fundens amneis, quorum alii in Nicrum, in Danubium alii defluunt. Nomen ALPIVM hodiéque hoc tractu manet: & circa Danubii fontem regio vocatur *die Albe*; & inter duo opida *Aurach & Blaubeiren, di rauche Albe*; item vicus inter Vlmos & Brentium amnem, *Albeck*. cuius vocabulum extremum Alpium ſignificat. Iam verò inter Alpinos populos Strabo atque Plinius, Dioque Caſſius, & alii, Vindelicos quoque & Noricos computant: quarum gentium terminus ab ſeptemtrionibus fuit ipſe Danubius; ut in earum deſcriptione, quam Germaniæ operi adjunxi, pluribus oſtendi auctorum teſtimoniis. In proximis Italiæ agris *Comum* Strabo lib. IIII, in deſcriptione Alpium, πρὸς τῇ ῥίζῃ τῶν Ἄλπεων, id eſt, *ad radices Alpium*, ſitum eſſe tradit. A Como autem ad ſuprà dictum vicum *Albeck*. millia paſſuum ſunt circiter CCXX. quæ ſumma eſt Alpium latitudo: quam Plinius *centum millia excedere* adfirmat. *Reliquâ* hinc *ſui parte* verſùs ortum, quà Noricum ingrediuntur, jam *graciles* ſunt; maximè ſupra Carnos atque Hiſtros. ubi *Ocram* montem ταπεινότατον τ̃ Ἄλπεων μέρος adpellat Strabo; id eſt, *humillimam Alpium partem*: deinde, ubi *miteſcentia* in Iapidiâ, inter Hiſtriam & Pannoniam, *molli in dextrâ ac lævâ devexitate juga* earum *conſidunt*; ut ait Plinius: ſub *Albii* nomine; ut teſtatur Strabo. In Norico tamen, inter Dravum Salſiacumque amneis locum Tabula itineraria refert, cui nomen *In Alpe*. eſtque etiamnum heic *Alpium* vocabulum, incolis *Alben*; & alterum illud æquipollens *Taurn*, variis, ut ſuprà dixi, cognomentis diſtinctum. idemque vocabulum etiam inter Aniſum & Muram amneis, ſive inter opida *Muraw*, *Iudenburg*, & *Cell* agnoſcitur. Atque hæc etiam de latitudine Alpium diſſeruiſſe ſufficiat. Reſtat nunc, uti de altitudine quoque & naturâ earum dicamus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Alpium altitudo.

De altitudine Alpium ita Strabo ad finem libri IIII: Ὁ δ᾽ αὐτὸς Πολύβιος, περὶ τοῦ μεγέθους τῶν Ἄλπεων καὶ τοῦ ὕψους λέγων, παραβάλλει τὰ ἐν τοῖς Ἕλλησιν ὄρη τὰ μέγιστα, τὸ Ταΰγετον, τὸ Λύκαιον, Παρνασσὸν, Ὄλυμπον, Πήλιον, Ὄσσαν· ἐν δὲ Θρᾴκῃ Αἷμον, Ῥοδόπην, Δουνάκαν. καί φησιν, ὅτι τούτων μὲν ἕκαστον μικροῦ δεῖν αὐθημερὸν εὐζώνοις ἀναβῆναι δυνατὸν, αὐθημερὸν δὲ κύκλῳ περιελθεῖν· τὰς δ᾽ Ἄλπεις οὐδ᾽ ἂν πεμπταῖος ἀναβαίη τις. Hoc eſt: *Idem Polybius de ma-gnitudine atque altitudine Alpium diſſerens, maximos Græciæ monteis cum iis contendit, Taygetum, Lycæum, Parnaſſum, Olympum, Pelium, Oſſam; & de Thraciæ montibus Ae-mum, Rhodopen, & Dunacem. aitque, horum quemque unius ferè diei ſpacio expeditum viatorem conſcendere, parique ſpacio ambire poſſe. at Alpeis ne intra quintum qui-dem diem conſcendi à quoquam poſſe.* Hinc rectè Appianus *Pyrenæum montem*, inter Hiſpaniam & Galliam, non altiſſimum; quod falsò inſimulat vir quidam doctus; ſed ferè altiſſimum Europæorum montium pronunciat. Verba eius in rebus Hiſpa-nicis hæc ſunt: Οὕτως ἐστὶν ἡ Ἰβηρία περίκλυστος, ὅτι μὴ τῇ Πυρήνῃ μόνῃ, μεγίστῳ τῶν Εὐρω-παίων ὀρῶν καὶ ἰθυτάτῳ σχεδὸν ἁπάντων. Id eſt; *Sic Hiſpania undique mari adluitur; niſi, qua parte Pyrenæo, omnium Europæ montium ferè maximo atque rectiſſimo, clauditur.* Atque rectitudinem equidem ſi ſpectes; eâ facilè Pyrenæus Alpeis ſuperaverit; quæ paul-latim in altius altiusque attolluntur; paullatimque rurſus demittuntur; longo ſanè terrarum tractu; ut ſuprà in expoſitione latitudinis earum intelleximus. Ac tanta quum ſit earum altitudo; haud immeritò eas poëtæ *nubiferas* & *aërias* adpellant: Herodianus etiam lib. VIII ὑπερνεφῆ ὄρη, id eſt, *monteis qui nubeis excedant*; & Cl. Mamertinus, in genethliaco Maximiani Auguſti, *vicina cælo juga*: Livius lib. V *juncta cælo juga*: Silius, *ſaxa minantia cælo*, lib. IIII, in his verſibus:

Fama per Auſoniæ turbatas ſpargitur urbeis,
Nubiferos monteis & ſaxa minantia cælo
Accepiſſe jugum, Pœnosque per invia vectos.

Ovidius Μεταμορφώσεων lib. II:

Aëriæ Alpes, & nubifer Apenninus.

Virgilius Γεωργικῶν lib. III:

Tum ſciat aërias Alpeis, & Norica ſi quis
Caſtella in tumulis, & Iapidis arva Timavi.

Apud Silium lib. I ita ſacerdos Hannibali ſacrificanti:

Quanta procul moles ſcopulis ad ſidera tendit,
Cuius in aërio pendent tua vertice caſtra.

Et paullo pòſt: ——— *Alpibus altis*

Aëriæ rupes, ſcopulorum mole revulsâ,
Haud aliter ſcindunt reſonanti fragmine montem.

De Atho equidem, Thraciæ monte, ita Mela lib. II cap. II: *Athos mons eſt adeò ela-tus, ut credatur altiùs, quàm unde imbres cadunt, ſurgere.* Et item de Olympo ſic So-linus cap. XIIII: *Olympum ab Homero non per audaciam celebratum, docent, quæ in eo vi-ſitantur. Primùm excellenti vertice tantus attollitur, ut ſumma eius Cælum adcolæ vo-cent. Ara eſt in cacumine Iovi dicata; cuius altaribus ſi qua de exſtis inferuntur; nec diſſlan-tur ventoſis ſpiritibus, nec humentibus pluviis diluuntur: ſed volvente anno, cuiusmodi relicta fuerint, eiusmodi reperiuntur. & omnibus tempeſtatibus à corruptelis aurarum vin-dicatur, quidquid ibi ſemel eſt deo conſecratum. literæ in cinere ſcriptæ, usque ad alteram ceremoniam permanent.* Verùm Polybius, ipſe natione Græcus ex Peloponneſo, hi-ſtoriæ geographiæque peritiſſimus ſimul graviſſimusque ſcriptor, & qui Alpeis co-ram ipſe, ut lib. III teſtatur; inſpexit, neque Athon neque Olympum, neque quem-quam alium ſive Græciæ ſive univerſæ Europæ montem Alpibus altitudine magni-tudineque comparandum eſſe cenſuit. Nec illud de exſtis & cineribus in Atho ſa-tis eſt documenti, hunc omnium eſſe altiſſimum. par quidpe exemplum legitur de *Lacinio* Italiæ *promontorio*, minimè alto; in quo Iunonis quondam ara: de qua ita Plinius lib. II cap. CVII: *In Laciniæ Iunonis arâ, ſub dio ſitâ, cinerem immobilem eſſe, perſlantibus undique procellis.* Idem Plinius eodem libro cap. LXV, de Orbis terrarum rotunditate loquens: *Globum tamen effici, mirum eſt, in tantâ planitie maris campo-rumque. cui ſententiæ adeſt Dicæarchus, vir in primis eruditus; regum curâ permenſus monteis; ex quibus altiſſimum prodidit Pelion, CIↃCCL paſſuum, ratione perpendiculi; nullam eſſe eam portionem univerſæ rotunditatis colligens. Mihi incerta hæc videtur con-*

jectatio;

jectatio; haud ignaro, quoſdam Alpium verticeis longo tractu nec breviore L *millibus paſſuum adſurgere*. Non univerſæ Europæ, ſed Græciæ tantùm ſuæ monteis hunc Dicæarchum Macedoniæ regum curâ permenſum, judico. Svida: Δικαίαρχος, Φειδίου, Σικελιώτης, ἐκ πόλεως Μεσσήνης, Ἀριστοτέλους ἀκουστὴς, φιλόσοφος καὶ ῥήτωρ καὶ γεωμέτρης, καταμετρήσας τὰ ἐν Πελοποννήσῳ ὀρῶν. Id eſt: *Dicæarchus, Phidiæ filius, Siculus, ex urbe Meſſanâ; Ariſtotelis auditor; philoſophus & orator & geometra: qui ſcripſit dimenſiones montium, qui ſunt in Peloponneſo*. Non in Peloponneſo tantùm, ſed in reliquâ etiam Græciâ. namque *Pelius*, longè extra Peloponneſum, Theſſaliæ erat mons. neque in Peloponneſo altiſſimi totius Græciæ ſeu Macedonum regni erant montes; uti in hos unos reges curam dimetiendi converterint. Plutarchus in Paullo Aemilio: Ἐνταῦθα τοῦ Ὀλύμπου τὸ ὕψος ἀνατείνει πλέον ἢ δέκα σταδίους. σημαίνεται δὲ ἐπιγεγραμμέναις τοῦ μετρήσαντος οὕτως·

Οὐλύμπου κορυφῆς ἐπὶ Πυθίου Ἀπόλλωνος
Ἱερὸν, ὕψος ἔχει (πρὸς τὴν κάθετον δ' ἐμετρήθη)
Πλήρη μὲν δεκάδα σταδίων μίαν, αὐτὰρ ἐπ' αὐτῇ
  Πλέθρων τετραπέδῳ λειπόμενον μεγέθει.
Εὐμήλου δέ μιν υἱὸς ἔθηκατο μέτρα κελεύθου,
  Ξειναγόρης. σὺ δ', ἄναξ χαῖρε, καὶ ἐσθλὰ δίδου.

Καίτοι λέγουσιν οἱ γεωμετρικοὶ, μήτε ὄρους ὕψος, μήτε βάθος θαλάσσης ὑπερβάλλειν δέκα σταδίους· ὁ μέντοι Ξεναγόρας οὐ παρέργως, ἀλλὰ μεθόδῳ καὶ δι' ὀργάνων εἰληφέναι δοκεῖ τὴν μέτρησιν. Id eſt: *Hoc loco Olympi altitudo attollitur ſupra* X *ſtadia. quod ille, qui dimenſus eſt, hoc epigrammate oſtendit:*

A fano Pythii vertex ſublimis Olympi
Menſuram ſtadii decies ſuſtollit in altum, &
Sextantis; perpendiculo ut dimenſio facta eſt:
  At pĕdibus quatuor eſt tamen illa minor.
Filius Eumeli menſuram prodidit iſtam
  Xenagoras. at tu rex bone fauſtus ades.

Quamquàm geometræ montis altitudinem mariſque profunditatem ultra decem ſtadia protendi negent; tamen Xenagoras non obiter, ſed certâ viâ atque ratione certiſque inſtrumentis menſuram iniſſe videtur. Decem ſtadia paſſus ſunt CIƆCCL; quos Pelio monti tribuiſſe Dicæarchum, tradit Plinius. Ipſi Plinio, Comenſi municipi, quod opidum ad radices Alpium ſitum, adſcenſus horum montium, ſaltem hoc tractu, notus eſſe debebat. quem ſanè egomet alibi L millium paſſuum expertus ſum; quamvìs clementem ac minimè adclivem. Sed quum multis locis adſcenſus eorum ſatis adclivis & arduus reperiatur XXX millium; facilè hinc colligere licet, longè altitudinem eorum CIƆ illos & CCL paſſus Pelii, perpendiculi ratione, vel his etiam ampliùs Olympi montis excedere; altiſſimoſque Græciæ totius monteis ſuperare. Apud Plinium equidem lib. IIII cap. VIII ſic ſcriptum eſt de Theſſaliæ flumine Peneo: *Ante cunctos claritate Peneus, ortus juxta Gomphos, interque Oſſam & Olympum nemeroſâ convalle defluens quingentis ſtadiis, dimidio eius ſpacio navigabilis. In eo curſu Tempe vocantur*, V *millium paſſuum longitudine, & fermè ſeſquijugeri latitudine; ultra viſum hominis attollentibus ſe dextrâ lævâque leniter convexis jugis*. Verùm hoc opidò quàm ὑπερβολικῶς dictum eſt; niſi nebuloſum cœlum montibus obtendas. At quòd Silius Alpeis pronunciet *nubiferos monteis*, & Herodianus etiam ὑπερνεφῆ ὄρη, id eſt, *monteis qui nubeis excedant*; haud magna ſanè res eſt. quidpe quòd nubibus ſæpè operta conſpiciantur ſumma Alpium cacumina; quódque viatores transeuntes nonnumquàm nubeis infra ſe poſitas videant, quum in cacumina adſcenderint; id eò fit, quòd nubes non ſemper mediâ aëris regione, ſed ſæpenumerò propiùs terram feruntur. Quamquàm denſiſſimæ haud raró monteis tegunt nebulæ; quæ nubes eſſe omnino videantur. quod non Alpibus tantùm, ſed cuivis etiam minùs excelſo monti paſſim accidere videmus. Quum ante aliquot annos Helvetiam paullo curioſiore oculo perluſtrans, à vico *Swietz* per Ezzelium montem ad celeberrimum illud cœnobium, cui vulgare vocabulum *Einſidel*, transirem; ſerenus ſatis primò aër in imis collibns erat. mox, quantum in altitudinem eſcendebam, magis magiſque ſilveſtria atque horrida loca excipiebant. ut verò paullo altiùs per juga & denſiſſimos ſaltus adſcendi; adeò omnia contecta erant ſpiſſiori nebulâ, uti haud ſecus ac nocturno itinere diu procederem dubius, quò locorum evaſurus eſſem; donec

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

donec tandem ſummo adpropinquantem vertici lætiſſima cæli ſerenitas Solisque ſplendor clariſſimus excepit. Putabam tum, omnem jam nebulam Solis radiis eſſe discuſſam. ideóque in loca à tergo relicta converſis oculis; lacus, quem paullo antè trajeceram, magnitudinem ſcrutabar. Ibi primò mirari cœpi immenſitatem eius; ut qui multo minor transmittenti viſus fuerat. mox non modò lacum, ſed cuncta circùm montium juga candidâ nebulâ, veluti ingenti quodam velo, contecta eſſe advertebam; ſummis tantùm exſtantibus celſiorum montium cacuminibus. Tale quid igitur frequentiſſimè in Alpium jugis viſitur. nec mihi ſemel conſpectum. Cæterùm de altitudine earum, de nivibus atque nubibus, elegantiſſimo carmine ita cecinit Silius lib. III; ubi Hannibalis transitum in Italiam deſcribit:

Cuncta gelu canâque æternùm grandine tecta,
Atque ævi glaciem cohibent. riget ardua montis
Aetherii facies; ſurgentique obvia Phœbo
Duratas neſcit flammis mollire pruinas.
Quantum Tartareus regni pallentis hiatus
Ad maneis imos atque atræ ſtagna paludis
A ſuperâ tellure patet; tam longa per auras
Erigitur tellus, & cœlum intercipit umbrâ.
Nullum ver usquàm, nullique æſtatis honores.
Sola jugis habitat diris, ſedeisque tuetur
Perpetuas, deformis hiems. illa undique nubeis
Huc atras agit, & mixtos cum grandine nimbos.
Iam cuncti flatus ventique furentia regna
Alpinâ poſuêre domo. caligat in altis
Obtutus ſaxis; abeuntque in nubila montes.
Mixtus Athos Tauro, Rhodopeque juncta Mimanti,
Oſſaque cum Pelio, cumque Hæmo ceſſerit Othrys.

Et paullo pòſt:

Tum quà durati concreto frigore collis
Lubrica fruſtratur canenti ſemita clivo,
Luctantem ferro glaciem premit. haurit hiatu
Nix reſoluta viros; altoque à cacumine præceps
Viventeis turmas operit delapſa ruina.
Interdum adverſo glomeratas turbine Corus
In media ora niveis fuſcis agit horridus alis.
Aut rurſum immani ſtridens avulſa procellâ
Audacis rapit arma viri; volvensque per orbem
Contorto rotat in nubeis ſublimia flatu.
Quóque magis, ſubire jugo atque evadere niſi,
Erexêre gradum; creſcit labor: ardua ſupra
Seſe aperit feſſis, & naſcitur altera moles.
Vnde nec edomitos exſudatosque labores
Reſpexiſſe libet. tantâ formidine plena
Exterrent repetita oculis. atque una pruinæ
Canentis, quacúmque datur permittere viſus,
Ingeritur facies.
Dumque premit ſonipes duro veſtigia cornu,
Vngula perfoſſis hæſit compreſſa pruinis.
Nec peſtis lapſus ſimplex: abſciſſa relinquunt
Membra gelu; fractosque aſper rigor amputat artus.

Et de parte Alpium, quæ *Graia* vocabatur, ita Petronius Arbiter in Satyrico:

Alpibus aëriis, ubi Graio nomine pulſæ
Deſcendunt rupes, & ſe patiuntur adiri,
Eſt locus, Herculeis ſacer aris. hunc nive durâ
Claudit hiems, canoque ad ſidera vertice ſurgit.
Cœlum illic cecidiſſe putes. non Solis aduſti
Manſveſcunt radii; non verni temporis aura,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Sed glacie concreta rigens hiemisque pruinis,
Totum ferre poteſt humeris minitantibus Orbem.

Livius lib. XXI, de ſuprà dicto Hannibalis transitu in Italiam narrans: *Hannibal ab Druentiâ campeſtri maximè itinere cum bonâ pace ad Alpeis incolentium ea loca Gallorum pervênit. tum, quamquàm famâ priùs, qua quidem incerta in maius vero ferri ſolent, percepta res erat; tamen ex propinquo viſa montium altitudo, nivesque cœlo propè immiſtæ, tecta informia impoſita rupibus, pecora jumentaque torrida frigore, homines intonſi & inculti, animalia inanimaque omnia rigentia gelu; cætera viſu, quàm dictu, fœdiora; terrorem renovavêre.* Et poſteà: *Quatriduum circa rupem conſumptum. jumenta propè fame abſumebantur. nuda enim ferè cacumina ſunt: &, ſi quid pabuli, obruunt nives. inferiora vallis apricos quosdam colleis habent, rivosque prope ſilvas; etiam humano cultu digniora loca.* Polybius lib. II: Τὰ δ᾽ ἄκρα τῶν Ἄλπεων διά τε τὴν τραχύτητα καὶ τὸ πλῆθος τῆς ἐπιμενούσης ἀεὶ χιόνος, ἀοίκητα τέως ἐστί. Id eſt: *Alpium cacumina propter locorum aſperitatem, & altas niveis ibi perennanteis, à nemine adhuc habitantur.* Et lib. III: Τῶν γὰρ Ἄλπεων τὰ μὲν ἄκρα καὶ πρὸς τὰς ὑπερβολὰς ἀνήκοντα, τελέως ἄδενδρα καὶ ψιλὰ πάντ᾽ ἐστί, διὰ τὸ συνεχῶς ἐπιμένειν τὴν χιόνα καὶ θέρους καὶ χειμῶνος· τὰ δ᾽ ὑπὸ μέσην τὴν παρώρειαν ἐξ ἀμφοῖν τοῖν μεροῖν ὑλοφόρα καὶ δενδροφόρα καὶ τὸ ὅλον οἰκήσιμά ἐστιν. Hoc eſt: *Alpium cacumina & proxima illis loca nuda prorſus ubique ſunt, absque ullâ omnino arbore, perpetuis nivibus tam æſtate quàm hieme obſeſſa. latera montium ab utrâque parte arbores ſilvasque gignunt; & omnibus locis poſſunt coli.* Hodiè etiam cacumina re verâ inhabitabilia ſunt atque inculta. nam licèt in cunctis fermè, quà frequens iter eſt, diverſoria exſtructa ſunt ad recipiendos viatores; tamen ad ea omnis annona, omniaque adeò ligna ad focos jumentis per multa interdum paſſuum millia ſubvehuntur. Vt olim igitur, ſic nunc etiam ſumma Alpium horrida ſunt ac nuda, nivibusque perpetuis rigentia; media lætiora, & cultui apta, pleraque paſcua: ima, præſertim ab eo latere, quod Italiam ac orientem meridiantemque Solem proſpicit, campeſtria & omnium rerum feraciſſima. nec alterum latus, quod ſeptemtrionibus objectum, malignè præbet, quæ ad victum cultumque ſunt neceſſaria. Sed hactenus de tractu Alpium, longitudine, latitudine, atque altitudine, item de naturâ ſatis disſertum puto. Proxima hinc cura ſit, parteis earum & cognomina, in quæ variè antiquis temporibus fuêre diviſæ, item transitus atque vias indicare.

Cap. XXXII.

De diviſione Alpium, *& variis earum transitibus ſive viis.*

Diviſæ olim ſub Romanorum imperio primisque imperatoribus Alpes fuêre, ab infero mari ad ſuperum, in *Maritimas*, *Cottias*, *Graias*, *Penninas* ſive *Pœninas*, *Rhæticas* ſive *Tridentinas*, *Noricas*, *Carnicas*, & *Iulias* ſive *Pannonicas*. quarum ſingulas ſuo ordine explicabo. De ternis prioribus ita Zoſimus lib. VI: Συναγαγὼν ὁ Κωνσταντῖνος τὴν δύναμιν ἅπασαν, ἔγνω φυλακὰς ἀρκούσας ἐγκαταστῆσαι ταῖς Ἄλπεσιν. ἦσαν δὲ αὗται τρεῖς, αἱ τὰς ἐπὶ τὴν Ἰταλίαν ἀπὸ Κελτῶν τὰς ὁδοὺς ἀποκλείουσαι, Κοττίαι, Ποινῖναι, Μαριτῖμαι. Id eſt: *Conſtantinus, univerſis collectis copiis, Alpeis idoneo præſidio munire decrevit. Eæ ternæ omnino ſunt, quæ in Italiam à Gallis claudunt itinera; Cottiæ, Pæninæ, Maritimæ.* Plinio equidem, *Centronicæ* etiam atque *Dalmaticæ* memorantur lib. XI cap. XLII; quod eſt de diverſitate caſeorum. *Duobus*, inquit, *Alpes generibus pabula ſua adprobant. Dalmaticæ Docleatem mittunt; Centronicæ Vatuſicum.* Verùm ex his *Centronicæ* eædem ſunt, quæ *Graiæ*: *Dalmaticæ* verò longè extra Italiæ ſunt finem, in confinio Macedoniæ; ut ſuperiori capite oſtenſum.

Maritimae alpes à ſitu, quia Liguſtino imminent mari, nomen traxêre. Meminerunt earum, præter Zoſimum, etiam Plinius, Tacitus, Ptolemæus, Vopiſcus, Dio, Itineraria antiqua, Libellus provinciarum civitatumque Galliæ. Plinius lib. XIIII cap. III: *Et Rhætica vitis in Maritimis Alpibus adpellata.* Tacitus Annal. lib. XV: *Eodem anno Cæſar nationes Alpium Maritimarum in jus Latii transtulit.* Factum id à

Maritimae *Alpes.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

id à Nerone, L. Memmio Regulo & P. Verginio Rufo conſulibus. Idem auctor Hiſtoriar. lib. II de Othone: *Blandiebatur cœptis fortuna, poſſeſſâ per mare & naveis maiore Italiæ parte, penitus usque ad initium Maritimarum Alpium. quibus tentandis, adgrediendæque provinciæ Narbonenſi, Suedium Clementem, Antonium Novellum, Aemilium Pacenſem, duces dederat.* Mox: *Maritimas tum Alpeis tenebat procurator Marius Maturus. Is, concitâ gente, arcere provinciæ finibus Othonianos intendit. Sed primo impetu cæſi disjectique montani; ut quibus temerè collectis non caſtra non ducem noſcitantibus, neque in victoriâ decus eſſet, neque in fugâ flagitium. Irritatus eo prœlio Othonis miles, vertit iras in municipium Albintemelium.* Fl. Vopiſcus in Aureliano: *Etruriæ per Aureliam, usque ad Alpeis, Maritimas ingentes agri ſunt; iique fertiles ac ſilvoſi.* Et item in Proculo: *Proculo patria Albingauni fuêre, poſitis in Alpibus Maritimis.* Dio lib. LIIII, in Cæſare Auguſto: Καὶ αἱ Ἄλπεις αἱ Παραθαλάσσιαι, ὑπὸ Λιγύων τῶν Κομήτων καλουμένων ἐλευθέρως ἔτι καὶ τότε νεμόμεναι, ἐδουλώθησαν. Id eſt: *Alpes etiam Maritimæ, quas Ligures Capillati hactenus liberi incoluerant, in ſervitutem redactæ ſunt.* Ptolemæus: Ἐν ταῖς Παραλίοις Ἄλπεσι, Νερουσίων Οὐίντιον· Σουητρίων ἐν Παραλίοις Ἄλπεσι Σαλῖναι. Οὐεδιαντίων ἐν Παραλίοις Ἄλπεσι, Κεμμενέλεων, Σανίτιον. Id eſt: *In Maritimis Alpibus, Neruſiorum Vintium; Suetriorum, Salinæ, Vediantiorum, Cemeneleo, Sanitium.* Ex his *Cemeneleonem* & *Salinas* in Italico Alpium fuiſſe latere, *Vintium* & *Sanitium* in Gallico, ſuprà cap. VIII, in Liguriæ deſcriptione, oſtenſum eſt. Tractus igitur *Alpium Maritimarum* intra Italiæ finem, Varum amnem, fuit à Vadis Sabatiis ſive Genuâ, ubi Apennino jungebantur, ad *Veſulum* usque *montem*, qui Padum fundit. hinc quippe incipiebant *Alpes Cottiæ*, à *Cottio rege* dictæ; ut mox monſtrabimus: extra cuius regnum in Vagiennorum jam Ligurum finibus fuiſſe *Salinas* opidum, quod vulgò nunc eſt *Saluzzo*, ſuprà dicto cap. VIII & item cap. X docui. *Ebrodunenſium* equidem *civitatem*, quæ conciſo nunc vocabulo ad Druentiam flumen in Galliâ dicitur *Embrun*, ut *metropolim* provinciæ Alpium Mavitimarum refert Libellus provinciarum civitatumque Galliæ. verùm id eò factum, quòd, quemadmodùm non modò omnis Italia, ſed & aliæ provinciæ Romanæ, ſic etiam Alpes à poſterioribus imperatoribus in longè alios provinciarum limites aliaque nomina diviſæ fuerunt. de qua diviſione infrà ad finem huius capitis agam. Cæterò iter Romanum per Maritimas Alpeis ex Italiâ in Galliam adnotatum eſt in Itinerariis antiquis hoc modo:

Antonini;		Tabulæ;	
Vadis Sabbatîs		*Vadis Sabates*	
Lollupice	XII.	|	
Albingauno	VIII.	*Albingauno*	XXIX.
Loco Bormani	XV.	*Luno Boramni*	XV.
Coſta Ballene	XVI.	*Coſta Ballene*	....
Albintimilio	XVI.	*Albintimillo*	XVI.
Lumone	X.	|	
Alpe ſummâ	VI.	*In Alpe Maritimâ*	VIIII.
Cemenelo	IX.	*Gemenello*	VIIII.
Varum flumine	VI.	*Varum*	VI.
Antipoli	X.	*Antipoli*	X.
Ad Horrea	XII.	*Ad Horrea*	XII.
Forum Iulî	XVIII.	*Foro Iulii*	XVII.

Atque hæc unica per Maritimas Alpeis olim fuit via: cuius loca ſuprà cap. VIIII expoſita ſunt.

VESVLVS *mons.*

VESVLVS MONS, quem finem ſtatuimus, in ſeptemtriones verſùs, Alpium Maritimarum, memoratur Virgilio, Melæ, Plinio, Solino, Martiano Capellæ, ac Servio. Plinius lib. III cap. XVI: *Padus è gremio Veſuli montis, celſiſſimum in cacumen elati, finibus Ligurum Vagiennorum, viſendo fonte profluit.* Solinus cap. VIII: *Padum mons Veſulus, ſuperantiſſimus inter juga Alpium, gremio ſuo fundit, in Ligurum finibus.* Martianus Capella lib. VI: *Padum amnem mons Veſulus, inter monteis Alpium elatior, gignit fonte mirabili, in Ligurum finibus.* Virgilius Aeneid. lib. X:

Ac

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Ac velut ille canum morſu de montibus altis
Actus aper, multos Veſulus quem pinifer annos
Defendit.

Ad quem locum ſic commentatur Servius: *Veſulus mons Liguriæ eſt juxta Alpeis. Sanè de hoc Veſulo quidam duo flumina, Rodanum & Padum, naſci dicunt: quorum unus, id eſt Rodanus, in Tyrrhenum mare, alter, id eſt Padus, in Hadriaticum fluit.* Ergo ſecundùm hunc grammaticum *Veſulus* mons à Padi fontibus ad Rhodani usque ortus protenditur, per millia paſſuum cc. At quodnam hoc jugum tam amplum tamque longum, non in ipſis Alpibus, tamquàm pars earum, ſed *juxta Alpeis?* An non Plinius *montem* adpellat *celſiſſimum in cacumen elatum;* non *in cacumina?* & Solinus *montem inter Alpium juga ſuperantiſſimum?* qui mons hodiéque incolis vulgò vocatur vocabulo decurtato *Monte Veſo,* & *Monte Viſo.* Nugæ igitur illæ ſunt imperiti grammatici meræ, ex Appiano, haud multo meliore geographo, hauſtæ. is quidpe in Civil. bellor. lib. I ita ſcribit: Ὁ δὲ Πομπήϊος ἐς τὰ Ἄλπεια ὄρη μετὰ φρονήματος ἀνῄει· οὐ κατὰ τὴν Ἀννίβου μεγαλουργίαν· ἑτέραν ἐχάραξεν, ἀμφὶ τὰς πηγὰς τοῦ τε Ῥοδανοῦ καὶ Ἠριδανοῦ· οἳ ἀνίσχουσι μὲν ἐκ τῶν Ἀλπείων ὀρῶν οὐ μακρὰν ἀπ' ἀλλήλων· ῥεῖ δέ, ὁ μὲν διὰ Κελτῶν τῶν ὑπὲρ Ἄλπεις εἰς τὴν Τυρρηνικὴν θάλασσαν, ὁ δὲ ἔνδοθεν τῶν Ἄλπεων ἐπὶ τὸν Ἰόνιον. Id eſt: *Pompeius per Alpeis iter adgreſſus magno animo, ad æmulationem Hannibalis alias fauceis aperuit, medio inter Rhodani Padique fonteis ſpacio: quà uterque amnis haud longè ab invicem oriuntur; ille per Galliam Transalpinam in mare Tyrrhenum, hic per Cisalpinam in mare Ionium defluens.*

A dicto igitur monte Veſulo Padique fontibus poſt Maritimas Alpeis incipiebant ALPES COTTIAE, à *Cottio rege* cognominatæ; ut ſuprà cap. XII oſtenſum eſt. Memorantur Tacito, Ptolemæo, Marcellino, Tabulæ itinerariæ, Mamertino, Sozomeno, Zoſimo, Aurelio Victori, Caſſiodoro, Hieronymo in Euſebii Chronico, & aliis: quorum plerosque dicto cap. XII citavimus. Sed ut apud Plinium lib. III cap. XX *Cottianæ* dicuntur *civitates*, quæ erant in regnò Cottii, ſic apud Tacitum Hiſtoriar. lib. IIII COCTIANAE leguntur ALPES. nam ipſius quoque *Cotti* regis nomen in multis auctorum exemplaribus reperitur per *c* ſcriptum *Coctius.* quod tamen ab imperitis grammaticis ita perſcriptum judico. quidpe antiquis jam inde temporibus, ut ſuprà cap. XX in Carnis docui, huiusmodi voces, *actus, factus, pactum, pectus, ſecta, dictus, doctus, ductus,* efferebantur vulgò *attus, fattus, pattum, pettus, ſetta, dittus, dottus, duttus.* unde hodiéque in vulgari Italorum ſermone dicuntur *atto, fatto, patto, petto, ſetta, detto, dotto, dutto.* Hinc igitur prædicti grammatici *Cottii* etiam regis nomen rectè ſcribi cenſuerunt *Coctius,* & Alpes inde cognominatas *Coctias.* quæ tamen vocabula omnes pariter Græci auctores per geminum ττ habent Κόττιος, Κοττίαι· & ita in antiquâ inſcriptione Romæ legitur, CVRATORI·ET·PRAESIDI·ALPIVM·COTTI· Apud Ptolemæum quòd legatur in plerisque exemplaribus ἐν ταῖς σκοτίαις Ἄλπεσι, apud Procopium item Gothic. rer. lib. II ἄλπεις σκουτίας, & τὰς ἄλπεις τὰς σκουτίας, & apud Agathiam lib. II ἀλπισκουτίας, id imperitorum librariorum vitio commiſſum eſt, præcedentis vocis ultimam literam ς perperam inſequenti adfigentium, vel duas etiam iſtas voces in unam compingentium. Diverſo modo apud Galenum legitur τὰς Ταβίας & τῶν Ταβίαις, pro genuinis τὰς Σταβίας & τῶν Σταβίαις, ut ſuo loco in Campaniâ ad expoſitionem *Stabiarum* opidi oſtendetur. De cætero tractus Alpium Cottiarum fuit, inter auſtrum & ſeptemtriones, à ſuprà dicto Veſulo monte ad montem usque, cui vulgaris adpellatio *MonteCeniſe:* inter ortum & occaſum, à Seguſio opido ad opidum usque Galliæ Eburodunum; ut ſuprà cap. XII in Cottiani regni deſcriptione oſtenſum. Iter per eas in Itinerariis Romanis eſt huiusmodi.

COTTIAE *Alpes.*

Tabulæ:		Antonini:	
Auguſta Taurinorum		*Taurinis*	
Finibus	XVIII.	*Fines*	XVIII.
Seguſione	XXII.	*Seguſione*	XXIII.
Ad Martis	XVII.	*Ad Martis*	XVI.
Gadaone	VIII.	|	
In Alpe Cottiâ	V.	|	
Brigantione	VI.	*Brigantione*	XVIII.
Rama	XVIIII.	*Rame*	XVIIII.
Eburuno	XVII.	*Eburuduno*	XVII.

Singula

Singula huius itineris loca quæ hodiè ſint, ſuprà dicto cap. XII expoſui. De eodem itinere ita tradit Am. Marcellinus lib. XV: *Alpeis Cottias rex Cottius, perdomitis Galliis ſolus in anguſtiis latens, inviâque locorum aſperitate confiſus, lenito tandem timore, in amicitiam Octaviani receptus principis, molibus magnis exſtruxit, ad vicem memorabilis muneris, compendiarias & viantibus opportunas, medias inter alias Alpeis vetuſtas; ſuper quibus comperta paullo poſteà referemus. In his Alpibus Cottiis, quarum initium à Seguſione opido eſt, præcelſum erigitur jugum, nulli ferè ſine diſcrimine penetrabile. eſt enim è Galliis venientibus pronâ humilitate devexum, pendentium ſaxorum altrinſecus viſu terribile; præſertim verno tempore. cum liquente gelu nivibusque ſolutis flatu gelidiore ventorum, per diruptas utrimque anguſtias, & lacunas pruinarum congerie latebroſas, deſcendentes cunctantibus plantis homines & jumenta procidunt & carpenta. idque remedium ad arcendum exitium repertum ſolum, quòd pleraque vehicula, vaſtis funibus illigata, ponè cohibente virorum vel boum niſu valido, vix greſſu reptante paullo tutiùs devolvuntur. Et hæc, ut diximus, anni verno [tempore] contingunt. Hieme verò humus, cruſtata frigoribus, & tamquàm levigata, ideóque labilis, inceſſum præcipitantem impellit; & patulæ valles, per ſpacia plana perfidæ, vorant nonnumquàm transeunteis. ob quæ locorum callidi eminenteis ligneos ſtylos per cautiora loca defigunt; ut eorum ſeries viatorem ducat innoxium. qui ſi nivibus operti latuerint, montanis defluentibus rivis everſi, agreſtibus præviis difficile pervaduntur. A ſummitate autem huius Italici clivi planities adusque ſtationem nomine Martis per VII extenditur millia. & hinc alia celſitudo erectior, ægréque ſuperabilis, ad Matronæ porrigitur verticem. unde declive quidem iter, ſed expeditius, adusque caſtellum Virgantiam patet. Et licèt hæc, quam diximus, via media ſit, & compendiaria, magisque celebris; tamen etiam aliæ multo anteà temporibus ſunt conſtructæ diverſis.* Narrat hinc vias duas, per Maritimas Alpeis unam, alteram per Pœninas. quarum hanc ab Hannibale Pœno, illam ab Hercule, ſtructas docet. Cottiarum itaque Alpium viam ab Cottio rege primùm apertam credidit Marcellinus; nullumque hac fuiſſe ante ea tempora iter. Falſum hoc eſſe, pluribus certisque proximo hinc capite oſtendam documentis.

GRAIAE *Alpes.*

Porrò Cottiis Alpibus continuabantur ALPES GRAIAE, ab incolis *Graiis* ſic cognominatæ. quod *Ideonni* fuiſſe *regnum*, ſuprà cap. XII oſtenſum. Memorantur Plinio, Petronio, Tacito, Ptolemæo, Tabulæ itinerariæ, Rufo Feſto, & Libello provinciarum civitatumque Galliæ, item Servio. Plinius lib. III cap. XVII: *Salaſſorum Auguſta Prætoria, juxta geminas Alpium fauceis, Graias atque Pœninas. his Pœnos, Graiis Herculem transiſſe memorant.* Et cap. XX: *Lepontios relictos ex comitatu Herculis, interpretatione Græci nominis credunt; præuſtis intra ſinus Alpium nive membris. eiusdem & Graios fuiſſe, poſitos in transitu, Graiarum Alpium incolas: præſtanteisque genere Euganeos; inde tracto nomine.* Egregium ſanè habuiſſe numeroſumque comitatum oportet Herculem; ut qui ab Cottiis usque Alpibus ad Hiſtrorum fineis Timavumque amnem *Graios, Lepontios,* & *Euganeos*, partem tantùm exercitus ſui, incolas Alpibus dederit. Nugæ ſunt meræ, & impudens Græcæ vanitatis figmentum. Quin per Maritimas transiſſe Herculem Alpeis, plerique tradunt: ibique ut nomen arci ac portui reliquiſſe *Herculis Monæci*, Marcellinus lib. XV contendit: ut ſequenti capite latiùs exponetur. Hinc ingens ille Petronî error, Graiarum transitum cum Maritimarum transitu confundentis in his verſibus:

Alpibus aëriis, ubi Graio nomine vulſæ
Eſcendunt rupes, nec ſe patiuntur adiri,
Eſt locus Herculeis aris ſacer.

Apud Servium ad Virgilii Aeneid. lib. X, ubi vias Alpium enumerat, ita ſcriptum eſt: *Quinta, quæ quondam à Græcis poſſeſſa eſt; quæ exinde Alpes Græciæ adpellantur.* Saltem *Alpes Græcæ* ſcripturus erat, ſi non ſcripſit *Graiæ*. Sed hoc vocabulum cum ſcripſiſſe, indicio eſt *i* litera in voce *Græciæ*. Tacitus Graiarum Alpium meminit Hiſtoriar. lib. IIII, his verbis: *Legiones Pœninis Cottianisque Alpibus, pars monte Graio, traducuntur.* Ptolemæus ita habet: Ἐν ᾗ ταῖς Γραΐαις Ἄλπεσι, Κεντρώνων, Φόρος Κλαυδίου, Ἄξιμα. Ἐν ταῖς Κοττίαις Ἄλπεσι, Λιποντίων, Ὄσκελλα. Κατουρίγων ἐν ταῖς Γραΐαις Ἄλπεσιν Ἐβουρόδουνον. Σεγουσιανῶν ἐν Γραΐαις Ἄλπεσι Σεγούσιον, Βριγάντιον. Id eſt; *In Graiis Alpibus. Centronum Forum Claudii, Axima. in Cottiis Alpibus, Lepontiorum Oſcella. Caturigum in Graiis Alpibus Eburodunum. Seguſianorum in Graiis Alpibus Seguſium, Brigantium.* Vt falsò atque imperitè *Lepontios* cum opido eorum *Oſcelâ* Cottiis Alpibus intulit;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

intulit; quod ſuprà cap. XIIII patuit; ſic *Caturiges* quoque & *Seguſianos* cum opidis *Eburoduno, Seguſio, Brigantione*, perperam Graiis Alpibus tribuit: quum re verâ, ut cap. XII oſtenſum, in Cottiis fuerint Alpibus. In Graiis fuiſſe *Aximam* & *Forum Claudii*, quod poſteà *Darantaſia*, nunc vulgò *Monſtier en Tarantaiſe*, Tabula etiam Itineraria teſtatur; in qua iter legitur huiusmodi:

Auguſta Prætoria	
Arebrigium	XXV.
Ariolica	XVI.
In Alpe Graiâ	VI.
Bergintrum	XII.
Aximam	VIIII.
Darantaſia	X.

Ex his *Auguſta Prætoria* vulgò hodiè dicitur *Aoſta*, ſive *Oſta*; *Artolica*, *Tuglia*; *Alpis Graiâ*, ſive, ut Tacitus dicto Hiſtoriar. lib. IIII vocat, GRAIVS MONS, *mons divi Bernardi minor:* ut ſuprà cap. XIII docui. Tractus igitur *Alpium Graiarum* fuit à ſuprà dicto monte Ceniſio ad minorem usque montem divi Bernhardi, & paullo ultrà. nam proximum huic jugum, quod vulgò vocatur *mons divi Bernhardi maior*, Pœninarum Alpium erat transitus; ut mox videbimus. Sub poſterioribus imperatoribus unam provinciam per ſe conficiebant *Graiæ Alpes*. Rufus Feſtus, in Breviario rerum geſtarum populi Romani ad Valentinianum imperatorem: *Sunt Galliæ cum Aquitaniâ & Britanniis provinciæ* XVIII: *Alpes Maritimæ; provincia Viennenſis Narbonenſis, Novempopulana; Aquitaniæ duæ, Alpes Graiæ, Maxima Sequanorum;* & cæteræ. Libellus provinciarum Galliæ habet XVII in unâ Galliâ; & in iis ita: *Provincia Viennenſis quinta, Alpium Graiarum & Penninarum. Metropolis civitas Centronum, hoc eſt, Darentaſia: civitas Vallenſium, hoc eſt, Octodurum.* Hæc in Penninis erat Alpibus; illa in Graiis. De cætero *Graium montem*, ſive *Graiam Alpem*, CREMONIS IVGVM adpellari Livio lib. XXI, mox in Penninarum Alpium explicatione videbimus. id nominis unde ei quæſitum, planè incertum eſt.

CREMONIS *iugum.*

Sequuntur igitur ALPES PENNINAE, vero nomine; falſo autem POENINAE. Memorantur Livio, Straboni, Plinio, Tacito, Ptolemæo, Itinerariis Romanis, Marcellino, Libello provinciarum Galliæ, & Notitiæ imperii occidentalis. Tacitus, ſuprà dicto Hiſtoriar. lib. IIII quomodò ſcripſerit id vocabulum, incertum habeo. nam in vulgatis eius exemplaribus vox *Peninis* vitioſa eſt; ſive à *Pœninis* ſive *Penninis* corrupta. Apud Ptolemæum in deſcriptione Rhætiæ, & item in deſcriptione Italiæ, vitiata itidem vox legitur, modò Ποινίαι, modò Ποιναὶ, ut mox videbimus. Cæterùm Plinius, prædicto lib. III cap. XVII, *Salaſſorum*, inquit, *Auguſta Prætoria, juxta geminas Alpium fauceis, Graias atque Pœninas. his Pœnos, Graiis Herculem transiſſe memorant.* Iſidorus Origin. lib. XIIII cap. VIII: *Apenninus mons adpellatus, quaſi Alpes Pœninæ: quia Hannibal, veniens ad Italiam, easdem Alpeis aperuit. unde & Virgilius; Alpeis immittet apertas. Has enim Hannibal poſt bella Hiſpaniæ aceto rupit. Iuvenalis; Et montem rupit aceto. Et inde loca ipſa, quæ rupit, Apenninæ Alpes vocantur.* En tibi grammaticum deliramentum. Nec tamen ſolus id eo ævo ſic habuit Iſidorus: ſed vulgò ita creditum fuiſſe, adparet ex Servio atque Paullo Diacono. quorum hic Langobard. rer. lib. II cap. XVIII, ubi poſteriorem Italiæ diviſionem perſequitur; *Nona*, inquit, *provincia in Apenninis Alpibus nuncupatur: quæ inde originem capiunt, ubi Cottiæ Alpes finiuntur. Hæ Apenninæ Alpes, per mediam Italiam pergentes, Tuſciam ab Aemiliâ Vmbriamque à Flaminiâ dividunt. Alpes autem Apenninæ dictæ ſunt à Punicis, hoc eſt, Hannibale & eius exercitu; qui per easdem, Romam tendentes, transitum habuerunt.* Servius ad Virgilii Aeneid. lib. X: *Alpeis immittet apertas. Has antè exuſtas aceto infuſo Hannibal rupit. Iuvenalis; Et montem rupit aceto. Denique* [lege, ut Iſidorus transſcripſit, *Et inde*] *loca ipſa, quæ rupit, Apenninæ Alpes vocantur. Quamvis legatur à Pœninâ deâ, quæ ibi colitur, Alpeis ipſas vocari.* Credo, ſcripſiſſe Servium, *à Pennino deo, qui ibi colitur;* ut apud Livium eſt; quem heic innuit. Cæterùm poſteriore iſto ſæculo, jam ſemibarbaro, & antiquitatis ignaro, quum Alpes inter Italiam & Galliam in varias distribuerentur

PENNINAE, ſive POENINAE *Alpes.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

provincias; Maritimarum Alpium provincia erat, quæ antè plurimâ ex parte Cot-
tiæ dicebantur Alpes; Cottiarum verò Alpium provincia, quæ priùs Maritimæ
Alpes adpellabantur, & Apennini montis pars, ad Etruriam usque: inde Alpium
Apenninarum provincia erat in ipſo Apennino, inter Etruriam Vmbriamque &
inter Galliam Cispadanam, ſive, uti tum in duas provincias diſſecta hæc vocaba-
tur, Aemiliam & Flaminiam. Hinc quum grammatici iſti apud rerum Hannibalica-
rum auctores legiſſent, Hannibalem Penninis Alpibus è Gallia Transalpinâ in Ita-
liam transſcendiſſe; viamque illac ferro & igni atque aceto perrupiſſe: poſteà verò
per Apenninum montem è Galliâ Cisalpinâ in Etruriam transiſſe: per hunc illi pu-
tarunt viam eum igni acetoque aperuiſſe; eumdemque montem eſſe *Apenninum* &
Alpeis Penninas. Sed de harum nomine ita tradit Livius lib. XXI: *L. Cincius Alimen-
tius, qui captum ſe ab Hannibale ſcribit, maximè auctor moveret me, niſi confunderet nu-
merum. Gallis Liguribusque additis. cum his, ſcribit, octoginta millia peditum, decem equi-
tum, adducta in Italiam. ex ipſo autem audiſſe ſe Hannibale, poſtquàm Rhodanum transie-
rit, XXXVI millia hominum, ingentemque numerum equorum & aliorum jumentorum a-
miſiſſe in Taurinis. quæ Gallis proxima gens erat, in Italiam digreſſo. Id quum inter om-
neis conſtet; eo magis miror, ambigi, quanam Alpeis transierit; & vulgò credi Pennino
(atque inde nomen etiam jugo Alpium inditum) transgreſſum. Cœlius per Cremonis ju-
gum dicit transiſſe. Qui ambo ſaltus eum non in Taurinos, ſed per ſaltus montanos ad
Libuos Gallos deduxiſſent. Nec veri ſimile eſt, ea tum ad Galliam patuiſſe itinera: utique,
quum, quæ ad Penninum ferant, obſepta gentibus Semigermanis fuiſſent. Neque hercule
montibus his (ſi quem fortè id movit) ab transitu Pœnorum ullo Veragri, incolæ jugi eius,
norunt nomen inditum: ſed ab eo, quem, in ſummo ſacratum vertice, Penninum montani
adpellant*. Deum hunc, quem Veragri montani, in ſummo ſacratum vertice, ve-
nerabantur, non *Penninum* fuiſſe dictum, ſed *Pennum*, Germaniæ lib. I cap. XXVI
docui. unde derivativum Alpibus hæſit vocabulum *Penninis*. Fuiſſe eum verti-
cem, qui nunc inter Auguſtam Prætoriam & Martiniacum vulgò vocatur *Monte
Iove* Italis, & *Mont Iou* Gallis, alio verò cognomine *Mons divi Bernhardi maior*, Iti-
neraria maximè docent; quæ iter habent huiusmodi:

Tabulæ;		Antonini;	
Auguſta Prætoria		*Auguſta Prætoria*	
Eudracinum	XXV.	*Summo Apennino*	XXV.
In ſummo Pennino	XIII.	*Octuduro*	XXV.
Octoduro	XXV.	*Tarnadas*	XII.
Tarnaias	XII.	*Penne locus*	XIII.
Penno lucos	XIIII.	*Bibiſco*	VIIII.
Viviſco	VIIII.	*Brumagus*	VIIII.
Viromagus	VIIII.	*Minnodunum*	VI.
Minodum	VI.	*Aventicum*	XIII.
Aventicum Helvetiorum	XVIII.		

Ex his locis *Aventicum Helvetiorum* Gallis hodiè vocatur *Avences*, Germanis *VVi-
flispurg*; *Minodunum* Germanis *Milden*, Gallis *Moudon*; *Bromagus*, *Bro*; *Viviſcus*,
Vivey, ad lacum Lemanum; *Penni lucus*, *Noville*, ad eumdem lacum; quà Rho-
danus influit: *Tarnadæ*, *S. Moritz*, ad Rhodanum; *Octodurus*, vicus Veragrorum,
teſte Cæſare belli Gallici comment. III, nunc *Martiniacum*, vulgò Germanis
Martinach, Gallis *Martigny*. Ab hoc ad montem & delubrum divi Bernhardi
XXV ſunt millia paſſuum. unde mons is deprehenditur eſſe SVMMVS PENNINVS
Tabulæ & Antonini, (nam apud hunc corrigenda eſt vitiata vox *Apennino*) Li-
vii verò SVMMVS VERTEX; in quo *Veragri montani Pennum* deum *ſacratum*
colebant. Plinio, prædicto cap. XVII libri III, ſunt POENINARVM AL-
PIVM FAVCES: Cæſari dicto comment. III, SVMMAE ALPES: quas Stra-
bo lib. IIII interpretatur Græcè τὰ ἄκρα τῶν Ἄλπεων. Verba Cæſaris hæc ſunt: *Quum
in Italiam proficiſceretur Cæſar, Serg. Galbam cum legione Duodecimâ & parte equita-
tus in Nantuates, Veragros, Sedunosque miſit: qui à finibus Allobrogum & lacu Le-
mano*

mano & flumine Rhodano ad ſummas Alpeis pertinent. Ex his *Nantuates* fuêre ad ipſum lacum & Rhodani influxum; *Seduni* circa opidum *Sedunum*, quod vulgò nunc *Sitten* Germanis, Gallis *Sion* dicitur. ab utrorumque latere verſùs auſtrum fuêre *Veragri*, ad ſummas usque Alpeis, Salaſſis contermini; quorum fuit *Auguſta Prætoria*. Strabo lib. IIII, in deſcriptione Alpium: Ὑπὲρ δὲ τῶν Σαλασσῶν ἐν ταῖς κορυφαῖς Κέντρωνες καὶ Κατόριγες καὶ Οὐάραγροι, καὶ Ναντουάται, καὶ ἡ Λεμάνη λίμνη, δι' ἧς ὁ Ῥοδανὸς φέρεται. Id eſt: *Super Salaſſos in verticibus montium ſunt Centrones, Caturiges, Veragri, Nantuatæ, & Lemanus lacus, per quem Rhodanus fertur.* Et paullo pòſt: Τῶν δὲ Σαλασσῶν πολλὴ μέν ἐστιν ἐν αὐλῶνι βαθεῖ, τῶν ὀρῶν ἀμφοτέρωθεν κλειόντων τὸ χωρίον. μέρος δέ τι αὐτῶν ἀνατείνει καὶ πρὸς τὰς ὑπερκειμένας κορυφάς. Τοῖς οὖν ἐκ τῆς Ἰταλίας ὑπερτιθεῖσι τὰ ὄρη, διὰ τοῦ λεχθέντος αὐλῶνός ἐστιν ἡ ὁδός. εἶτα σχίζεται δίχα· καὶ ἡ μὲν διὰ τοῦ Ποινίνου λεγομένου φέρεται, ζεύγεσιν οὐ βατὴ κατὰ τὰ ἄκρα τῶν Ἄλπεων· ἡ δὲ διὰ Κεντρώνων δυσμικωτέρα ἐστίν. Hoc eſt: *Salaſſorum regio magnâ quidem ex parte in profundâ eſt convalle, montibus utrimque eam includentibus: pars verò quædam eorum etiam ad ſupernè imminenteis protenditur vertices. Qui igitur, ex Italiâ profecti, monteis eos transſcendere cupiunt, iis iter eſt per eam vallem. mox in duas ſcinditur vias. quarum altera per Pæninum fert jugum; jumentis inacceſſa, quà ſummitas eſt Alpium: altera, per Centrones, magis occidua eſt.* Hoc ſcilicet illud eſt, quod Plinius dicto lib. III cap. XVII ait, *Salaſſorum Auguſtam Prætoriam* ſitam eſſe *juxta geminas Alpium fauceis, Graias atque Pæninas.* De iisdem viis ita Strabo eodem libro poſteà: Τῶν δὲ ὑπερθέσεων, τῶν ἐκ τῆς Ἰταλίας εἰς τὴν ἔξω Κελτικὴν καὶ τὴν προσάρκτιον, ἡ διὰ Σαλασσῶν ἐστιν ἄγουσα ἐπὶ Λούγδουνον. διττὴ δ' ἐστίν· ἡ μὲν ἁμαξεύεσθαι δυναμένη, διὰ μήκους πλείονος, ἡ διὰ Κεντρώνων· ἡ δὲ ὀρθία καὶ στενή, σύντομος δέ, ἡ διὰ τοῦ Ποινίνου. Hoc eſt: *Transituum ex Italiâ in Galliam ulteriorem & ſeptemtrionaleis regiones qui per Salaſſos eſt, Lugdunum ducit. eſtque duplex. alter curribus etiam pervius; itinere longiore, per Centrones: alter per Pæninum montem, brevior; ſed idem adclivis & anguſtus.* Iter equidem univerſum ab Auguſtâ Prætoriâ Lugdunum usque eſt brevius; at Alpium transitus per Graias fauceis multo eſt longior, quàm per Penninas: per quas iter univerſum prolixius. Vſitatiſſimum hoc, etiam poſterioribus temporibus; fuiſſe inter Italiam Galliamque iter, ex Zoſimi ac Reginonis hiſtoriis adparet. quorum ille lib. VI, Συναγαγὼν, inquit, ὁ Κωνσταντῖνος τὴν δύναμιν ἅπασαν, ἔγνω φυλακὰς ἀρκούσας ἐγκαταστῆσαι ταῖς Ἄλπεσιν. ἦσαν δὲ αὗται τρεῖς, αἳ τὰς ἐπὶ τὴν Ἰταλίαν ἀπὸ Κελτῶν ὁδοὺς ἀποκλείουσι, Κοττίαι, Ποινίναι, Μαρίτιμαι. Id eſt: *Conſtantinus, univerſis collectis copiis, Alpeis idoneo præſidio munire decrevit. eæ trinæ omnino ſunt, quæ in Italiam à Gallis claudunt itinera; Cottiæ, Pæninæ, Maritimæ.* Regino, Chronicor. lib. II, anno IƆCCCLXXXVIII: *Per id tempus Rudolfus, filius Chunradi, provinciam inter Iuram & Alpeis Penninas occupat; & apud S. Mauricium coronam ſibi impoſuit.* Deinde an. IƆCCCXCIIII: *Arnoldus cum valido exercitu Langobardorum terminos intravit; & caſtrum, quod vocatur Bergamum, armis cepit. hinc pervênit usque Placentiam. inde converſus per Alpeis Penninas Galliam intravit; & ſanctum usque Mauricium pervênit. Rudolfo, quem quærebat, nocere non potuit: quia, montana conſcendens, in tutiſſimis locis ſe absconderat. Regionem inter Iuram & montem Iovis exercitus gravitas attrivit.* Heic diſertè *Montem Iovis* adpellat, quas ſuprà *Alpeis Penninas*. Luithprandus Ticinenſis lib. I cap. VIIII: *Arnulfus, quoniam per Veronam non potuit, per Hannibalis viam, quam Bardum dicunt, & Montem Iovis, repedare diſpoſuit.* Salaſſorum vallis ad Prætoriam Auguſtam usque hodiéque *Il Bardo* vocatur. Gotefridus Viterbienſis lib. XI, de Hannibale: *Cum inæſtimabili manu Gallorum in Italiam feſtinans, per Alpeis Pyrenæas, ubi mons Iovis nominatur, iter aperuit.* Lege, *Alpeis Pæninas*. De harum igitur ſitu dubitare jam minimè licet. Cæterùm Livii verba, ſuprà ex libro XXI allata, hoc loco inſigni mendo purgaſſe, laboris fuerit pretium; ſed & neceſſarium. De transitu Hannibalis diſſerens, poſtquàm de *Pennino vertice* & *Cremonis jugo* narravit, hæc continuò ſubnectit: *Qui ambo ſaltus eum non in Taurinos, ſed per ſaltus montanos ad Libuos Gallos deduxiſſent.* En, quid hoc eſt dicere; *Pennini verticis & Cremonis jugi ſaltus Hannibalem per ſaltus montanos ad Libuos Gallos deduxiſſent?* An non ipſi utriusque jugi ſaltus fuêre montani? Omnino ſic exiſtimo: ut qui in ipſis fuêre altiſſimorum montium verticibus. Quomodò igitur *ſaltus montani* deduxiſſent Hannibalem *per ſaltus montanos?* Sanè ſatis hoc in tam gravi auctore abſurdum ineptumque. Tu corrigito, *per Salaſſos montanos:* ut mox poſteà ei dicuntur *Veragri mon-*

juxta opi-
tani. nam *Libicorum Gallorum* agros fuiſſe Salaſſis à meridie conterminos juxta opi-
dum *Eporediam*, ſuprà cap. XXIII oſtenſum eſt. ubi etiam vitiatum vocabulum *Li-*
buorum in genuinum *Libicorum* emendandum docui. *Cremonis* igitur *jugum* idem
fuit, quod *Graium*. hæc quidpe duo itinera, *Penninarum* & *Graiarum faucium* ſive
ſaltuum, ſola antiquis illis temporibus per Salaſſos patuerunt è Galliâ in Italiam pro-
ficiſcentibus. Circa Penninum verticem ſatis diſertè Cremonis jugum ponit Livius
his verbis: *Nec veri ſimile eſt, ea tum ad Galliam patuiſſe itinera: utique, quum, quæ ad*
Penninum ferant, obſepta gentibus ſemigermanis fuiſſent. Cremonis igitur jugum à
Germanis fuit remotius; & Galliæ Rhodanoque, quà cum Hannibal ex Hiſpaniâ
adveniens tranſiit, propinquius. Sed poſtquàm initium *Alpium Penninarum*, quæ
Graiis jungebantur, ſatis detectum eſt, finem quoque earum nunc inveſtigemus.
Ptolemæus in deſcriptione Rhætiæ: Τῆς Ῥαιτίας ἡ ἀπὸ μεσημβρίας πλευρὰ ὁρίζεται τοῖς
ὑπὲρ τὴν Ἰταλίαν Ἀλπίοις ὄρεσιν· ὧν τὰ μὲν πρὸς τὰς Γραίας ἐπέχει μοίρας λ, με γ. τὰ δὲ
πρὸς ταῖς Ποιναῖς, κατὰ τὴν ἀρχὴν τοῦ Λυκίου ποταμοῦ, τοῦ εἰς τὸν Δανούβιον ἐμβάλλοντος, λ γ ∠, με ∠.
τὰ δὲ πρὸς τῇ Ὄκρᾳ ὄρη, λ γ ∠, με ∠. Id eſt: *Rhætiæ meridionale latus finitur Alpium*
jugis, ſuper Italiam extenſis quorum quæ apud Graias ſunt Alpeis, gradus habent XXX; XLV,
XX. *quæ apud Pœnas ſunt ad caput Lyciæ fluminis, in Danubium defluentis, gradus habent*
XXXI XXX; XLV, XXX. *quæ ad Ocram ſunt montes, gradus habent* XXXI, XXX; XLV. XXX.
Et in Italiæ deſcriptione: Ἡ Ἰταλία περιορίζεται ἀπὸ ἄρκτων τοῖς τε ὑπὸ τὴν Ῥαιτίαν Ἀλπί-
οις ὄρεσι, καὶ ταῖς Ποιναῖς καὶ τῇ Ὄκρᾳ καὶ τῷ Καρουσαδίῳ ὄρεσι, τοῖς ὑπὸ τὸ Νωρικόν. Id eſt: *Italia*
circumſcribitur ab ſeptemtrionibus Alpium jugis, quæ ſunt ſub Rhætiâ, & Pœnis; item Ocrâ
& Caruſadio montibus, qui ſunt ſub Norico. In quibusdam exemplaribus manu ſcri-
ptis eſt τῆς Ποινίας. Poſteà verò, in deſcriptione Padi amniumque in eum confluen-
tium, ita legitur Ἡ κεφαλὴ τοῦ Δουρίου ποταμοῦ, ἡ κατὰ τὴν Ποινίναν λίμνην. id eſt: *Fons, ſeu*
caput Duriæ amnis, quod eſt juxta Pœninum lacum. Heic quoque quædam exemplaria
habent, τὴν Ποινίαν λίμνην. Sed Ποινίνας, *Pœninas Alpeis* intellexiſſe heic atque ſcri-
pſiſſe Ptolemæum, ſatis ex eo liquet, quòd *Graiis Alpibus* eas conjunxerit. Fruſtra
igitur eſt doctiſſimus Strabonis commentator, qui *Pœninum montem* ſupra Carnos
apud Ocram, ex corrupto auctoris ſui loco, monſtrare voluit. qua de re poſteà in
Carnicis Alpibus plura diſſeremus. Nec eſt, quòd alius vir eruditus in Alpium
commentatione; Ποινὰς, *Pœnas*, diverſos vult eſſe monteis à *Pœninis Alpibus*. Prole-
mæus, ut in Cottiis atque Graiis, ſic etiam in Pœninis quàm turpiſſimè erravit.
Omnis autem errandi ordo ex Lepontiorum opido *Oſcelâ* ei natus eſt: quod ille pu-
tavit eſſe *Ocelum* in Cottiis Alpibus; ut ſuprà cap. XIIII oſtenſum. atque eâ ra-
tione Lepontios cum *Oſcelâ* dictis Cottiis intulit Alpibus: quas & ipſas in Graia-
rum usque Alpium tractum protulit. & quum apud Lepontios orirетur Rhodanus
amnis; huius fontem in eisdem ſuis Alpibus Cottiis ſtatuit, unà cum Dubis Ara-
risque fontibus. inde, quum Lepontios in Centronum Graiarumque Alpium ſitum
tranſtuliſſet; Centronum viciſſim nomen Graiasque Alpeis in Lepontiorum agrum
& Pœninarum Alpium tractum, adeóque ultra hunc ad Lici usque fluminis fon-
tem in Rhæticarum Alpium ſitum tranſpoſuit. hinc tandem Pœninarum Alpium
nomen inter Lici fontem & Ocram montem, qui initium Carnorum agri à fine
Rhætorum faciebat, in Rhæticis Alpibus ſtatuit. Rhæticas autem Alpeis nullas
habet. Sed verus tandem *Pœninarum Alpium* tractus finisque indicentur. *Vallem*,
quam Rhodanus à fontibus ad Dranſæ usque confluentem ſecat, dictam fuiſſe *Pen-*
ninam, & vitioſo illo vocabulo *Pœninam*, ex veteri lapide diſco, qui Veronæ exſtat
cum hac inſcriptione:

Q·CAICILIO·CISIACO·SEPTI
TIO·PICAI·CAICILIANO·PRO
CVR·AVGVSTOR·ET·PRO
LEG·PROVINTIAI·RAITIAI
ET·VINDELIC·ET·VALLIS
POENIN·AVGVRI·FLAMINI
DIVI·AVG·ET·ROMAI·C·LI
GVRIVS·L·F·VOL·ASPER·Ɔ
COM·I·CR·INGENVOR

Quidam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Quidam vir doctus, ad Germaniæ antiquitates commentans, primùm cenſet, hæc de ſuprà dictâ Rhodani valle dici: mox, mutatâ ſententiâ, *Sed tamen*, inquit, *re exactiùs perpensâ, malim hoc accipere de valle Pœninâ, quæ fontibus Atheſis & Oeni vicina eſt. nam ſcio, quàm longè porrigantur Alpes, quæ Pœninæ vocari ſcriptoribus ſolent.* Certè non longiùs, quàm à *Summo* illo *Pennino* ad Rhodani Rhenique fonteis, hinc jam *Rhæticæ* verſùs ortum, illinc versùs occaſum *Graiæ* incipiebant. Ammianus Marcellinus lib. XV: *A Pœninis Alpibus effuſiore copiâ fontium Rhodanus fluens, paludi ſeſe ingurgitat Lemanæ.* Tacitus in libro de Germaniâ: *Rhenus Rhæticarum Alpium inacceſſo ac præcipiti vertice oritur.* Et quid attinuiſſet vallem iſtam Aeni Atheſisque fontibus vicinam proprio atque discreto nomine, ceu regionem ſingularem, adpellare *Pœninam*; quum hæc quoque terra fuerit *Rhætia*; ut ſuprà cap. XVI oſtenſum? aut, quomodò hæc Aeni vallis Galliæ Belgicæ fuit contermina? ſiquidem apud Rheni fonteis flumenque ad Brigantinum usque lacum incoluêre Rhæti. Aethicus autem, *Gallia*, inquit, *Belgica habet ab Euro Alpeis Penninas.* Scilicet, quia Plinius & alii inde auctores in Belgicâ numerant Helvetios quoque. Melior igitur (utinam & conſtantior) prior illa fuit ſententia; VALLEM PENNINAM eſſe eam, quæ Helvetiorum finibus contermina, à Rhodani fontibus ad Dranſæ usque confluentem & opidum Martiniacum, vulgari nunc adpellatione, ex antiquo illo nomine retentâ, dicitur *VValliſſer land*. Hanc Penninæ Alpes ſuscipiunt ad dictos Rhodani fonteis, ſimulque proſequuntur juxta Lepontiorum fineis: ac tandem ad Dranſam & Martiniacum deponunt. hæc eadem ad Rhodani Rhenique fonteis contermina fuit Rhætiæ provinciæ: atque ob id ipſum ſub eamdem præfecturam cum hac contributa. Patet hoc ex Aethici præſcriptis verbis: ubi Penninas Alpeis prorſus à Galliâ excludit. Nec obſtat, quòd auctor libelli provinciarum Galliæ vallem eam adſcribit Galliæ, his verbis: *Provincia Viennenſis quinta, Alpium Graiarum & Penninarum: Metropolis civitas Centropum, hoc eſt, Darentaſia. civitas Vallenſium, hoc eſt, Octodurum:* quarum hæc, ut ſuprà dixi, eſt Penninarum Alpium, illa Graiarum. nam provinciarum limites pro libitu imperitantium variè mutati fuêre. Sic & Notitia imperii habet: *Præſides per Gallias: Alpium Maritimarum; Alpium Pœninarum & Graiarum; Maximæ Sequanorum.* Et poſteà: *Provinciæ Galliæ* XVII: *Alpes Maritimæ; Alpes Penninæ & Graiæ; Maxima Sequanorum.* Et iterum: *Alpium Maritimarum; Alpium Penninarum & Graiarum; Maximæ Sequanorum.* Iam igitur liquidò conſtat, *Penninis Alpibus* terminos fuiſſe, hinc divi Bernhardi maius jugum, illinc jugum divi Gothardi, ad fonteis Rhodani atque Rheni.

A Rhodani Rhenique fontibus *Rhætia* ſimulque RHAETICAE protendebantur ALPES, ad Carnorum usque confinium; quod fuit apud Dravi Aiſacique amnium fonteis; quorum hic in Atheſim, ille in Danubium defluit: ut ſuprà in Carnis cap. XVIIII demonſtratum eſt. Memorat eas Alpeis Tacitus prædicto libro de Germaniâ. *Rhenus*, inquit, *Rhæticarum Alpium inacceſſo ac præcipiti vertice oritur.* Et Hiſtoriar. lib. I: *Ipſe paullulum cunctatus, num Rhæticis jugis in Noricum flecteret.* Et item Iornandes, in libro de Rebus Goticis: *Svevis tunc juncti Alemanni aderant; ipſique Alpeis Rhæticas omnino regentes: unde nonnulla fluenta Danubio influunt.* Eædem & TRIDENTINAE ALPES fuêre adpellatæ, à capite totius Rhætiæ *Tridento*, Atheſi amni adpoſito: de quo ſuprà cap. XVI actum. Plinius lib. III cap. XVI: *Accedentibus Atheſi ex Tridentinis Alpibus, & Togiſono ex Patavinorum agris.* Florus lib. III cap. III: *Cimbri per hiemem, quæ altiùs Alpeis levat, Tridentinis jugis in Italiam provoluti ruinâ deſcenderant. Atheſim flumen non ponte, nec navibus; ſed, quadam ſtoliditate barbaricâ, primùm corporibus adgreſſi, poſtquàm retinere amnem manibus & clipeis fruſtra tentaverant, ingeſtâ obrutum ſilvâ transſiluêre.* Sed luculentiùs Dio lib. LIIII: Ῥαιτοὶ οἰκοῦσι μεταξὺ τοῦ τε Νωρικοῦ καὶ τῆς Γαλατίας, πρὸς ταῖς Ἄλπεσι ταῖς πρὸς τῇ Ἰταλίᾳ, ταῖς Τριδεντίναις. Id eſt: *Rhæti inter Noricum & Galliam ad Alpeis Italiæ finitimas, quas Tridentinas vocant, ſedeis habent.* Per has quoque duo fuiſſe Romanorum itinera, alterum ad Vindelicos & Noricos, alterum ad Vindelicos ſimul & Helvetios, Itineraria antiqua docent. Atque illud quidem, quod ad Helvetios ſimul & Vindelicos ducebat, geminum habuit Alpium tranſitum. Horum primus ita notatur ab Antonino:

RHAETICAE *Alpes.*

TRIDENTINAE *Alpes.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Mediolano	
Como	XVIII.
Summo laco	XV.
Muro	XX.
Tinnetione	XV.
Curia	XX.
Brigantia	L.

Ex his *Curiam* nunc dici Germanis *Chûr*, Italis *Coira*; *Tinnetionem* illis *Tintzen*, his *Tenzôn*; *Murum* his *la Porta*; ſuprà cap. xv & xvi in Euganeis atque Rhætis oſtenſum eſt. Fauces Alpium, per quas à Muro ad Tinnetionem tranſitur, vulgò incolis *Septa*, Germanis *Setmerberg* vocantur. Alter tranſitus ita notatur in Itinerariis:

Antonini;		Tabulæ;	
Alio itinere à Brigantiâ		*Brigantio*	
Comum, ſic:		*Clunia*	XVII.
		Magia	XVIII.
Curia	L.	*Curia*	XVI.
		Lapidaria	XXXII.
		Cunu aureu	XVII.
Tarveſede	LX.	*Tarveſſedo*	X.
Clavenna	XV.	*Clavenna*	XX.
Ad lacum Comacenum	X.		
Per lacum Comum usque	LX.	*Como*	XVIII.

Singula huius itineris loca ſuprà dictis cap. xv & xvi explicui. Summus Alpium tranſitus, qui olim fortè *Cuneus Aureus*, nunc vulgò adpellatur Germanis *der Splugenerberg*, & item *der Vrſeler*, Italis *Colmen dell' Orſo*. Alterum illud iter, quod ad Vindelicos ferebat, ita in eiſdem Itinerariis deſcribitur:

Tabulæ;		Antonini;	
Auguſta Vindelicûm		*Auguſta Vindelicûm*	
Ad Novas	....		
Avodiaco	....	*Abuzaco*	XXXVI.
Coveliacas	....		
Tarteno	XX.	*Parthano*	XXX.
Scarbia	XI.		
Vetonina	XVIIII.	*Valdidana*	XXX.
Matreio	XVIII.		
Vepiteno	XX.	*Vipiteno*	XXXVI.
Sub Sabione	XXXV.	*Sub Savione*	XXXII.
Ponte Druſi	XIII.		
		Endide	XXIIII.
Tridente	XL.	*Tridento*	XXIIII.
Sarnis	XX.		
		Ad Palatium	XXIIII.
Vennum	XXIII.		
Verona	XVIII.	*Verona*	XXXVI.

Huius itineris loca ſuprà dicto cap. xvi in Rhætiâ expoſita ſunt. Tridentum nunc vocatur *Trento*; Sabio, *Säven*; Vipitenum, *Sterzingen*; Veldidena, *VVilten*, prope Aenipontem; Partanum, *Partenkirch*; Abudiacum, *Füeſſen*; Auguſta Vindelicorum, *Augspurg*. Alpes equidem ſtatim à Veronâ incipiunt. at ſummus earum tranſitus hoc itinere eſt inter Sabionem & Vipitenum, in monte vulgò incolis *der Prenner* dicto.

Adula mons. Cæterùm Rhæticarum Alpium magna pars, ſi Straboni credimus, vocabatur ὁ Ἀδούλας τὸ ὄρος, Adula mons. Ptolemæus, in deſcriptione Galliæ Belgicæ: Τῆς

Τῆς δὲ Βελγικῆς Γαλλίας ἡ ἀπὸ ἀνατολῶν πλευρὰ περιορίζεται τῷ Ῥήνῳ ποταμῷ, καὶ ἔτι τῷ ἀπὸ τῆς πηγῆς αὐτοῦ ἐπὶ τὰς Ἄλπεις ὄρει, ὃ καλεῖται Ἀδούλας ὄρος. Ἡ δὲ ἀπὸ μεσημβρίας πλευρὰ συνῆπται μὲν τῷ λοιπῷ μέρει τῆς Ναρβωνησίας Γαλλίας, διήκει δὲ ἀπὸ τοῦ εἰρημένου κοινοῦ ὁρίου τῆς τε Λουγδουνησίας καὶ τῆς Ναρβωνησίας, μέχρι τοῦ κοινοῦ πέρατος τῶν τε Ἄλπεων καὶ τοῦ Ἀδούλα ὄρους. Id eſt: *Belgicæ Galliæ latus orientale terminatur Rheno amne, & item monte, qui ab fonte eius ad Alpeis protenditur, nomine Adula. Meridionale autem latus conterminum eſt reliquæ parti Galliæ Narbonenſis: porrigiturque à prædicto communi termino Galliæ Lugdunenſis Narbonenſisque usque ad communem finem Alpium & Adulæ montis.* Et in deſcriptione Rhætiæ: Τῆς Ῥαιτίας ἡ μὲν δυσμικὴ πλευρὰ ὁρίζεται τῷ τε Ἀδούλᾳ ὄρει καὶ τῇ μεταξὺ τῶν κεφαλῶν τοῦ τε Ῥήνου καὶ τοῦ Δανουβίου ποταμοῦ γραμμῇ. Hoc eſt: *Rhætiæ occidentale latus terminatur monte Adulâ, & lineâ inter fonteis Rheni Danubiique amnium ductâ.* Item in Italiæ deſcriptione: Ἡ Ἰταλία περιορίζεται ἀπὸ δύσεως τοῖς τε Ἀλπίοις ὄρεσι, κατὰ τὴν ἐκτεθειμένην γραμμὴν ἀπὸ τοῦ Ἀδούλα ὄρους μέχρι τῶν Οὐάρου ποταμοῦ ἐκβολῶν. Id eſt: *Italiæ latus occidentale finitur Alpium jugis, juxta lineam ab Adulâ monte ad Vari fluminis oſtium ductam.* Ex huius igitur auctoris deſcriptione *Adula mons* eſt extra Alpeis, inter has & Rheni fontem ad L millia paſſuum porrectus; ut tabulæ eius indicant. At nos ſcimus Rhenum in ipſis oriri Alpibus, proximè Lepontios, duobus fontibus; quorum alter versùs occidentem æſtivum vocatur adcolis *Rhenus citerior*: alter versùs orientem brumalem, *Rhenus ulterior*: vulgò ille *der Vorder Rijn*; hic *der Hinder Rijn*. Hinc Iul. Cæſar belli Gallici comment. IIII, *Rhenus*, inquit, *oritur ex Lepontiis; qui Alpeis incolunt.* Et Tacitus in dicto libro de Germaniâ: *Rhenus Rhæticarum Alpium inacceſſo ac præcipiti vertice oritur.* Feſtus Avienus in verſione Latinâ Dionyſii Περιηγήσεως·

Nec procul hinc rigidis inſurgunt rupibus Alpes:
Naſcentemque diem celſo juga vertice cernunt.
Porrò inter cauteis & ſaxa ſonantia Rhenus,
Vertice quà nubeis nebuloſus fulcit Atulla,
Vrget aquas.

Pars igitur Alpium, ut antè dixi, eſt *Adula*. Strabo lib. IIII; in deſcriptione Galliæ Lugdunenſis: Τὴν δ' ἐπὶ τῷ Ῥήνῳ πρῶτοι τῶν ἁπάντων οἰκοῦσιν Ἐλουήττιοι· παρ' οἷς εἰσιν αἱ πηγαὶ τοῦ ποταμοῦ ἐν τῷ Ἀδούλᾳ ὄρει. τοῦτο δ' ἐστὶ μέρος τῶν Ἄλπεων, ὅθεν καὶ ὁ Ἀδούας εἰς τἀναντία μέρη ῥεῖ, τὰ πρὸς τὴν ἐντὸς Κελτικὴν καὶ πληροῖ τὴν Λάριον λίμνην, πρὸς ᾗ ἔκτισται τὸ Κῶμον. Id eſt: *Primi omnium Rhenum adcolunt Helvetii: apud quos fontes etiam amnis ſunt, in Adulâ monte; qui pars eſt Alpium. ex hoc etiam Addua fluvius in diverſas parteis versùs Galliam citeriorem fluit; lacumque Larium implet.* Hactenus equidem hoc loco corrupta vocabula legebantur, Αἰτουάτιοι & Διαδουέλλα. ſed legendum eſſe pro primo illo Ἐλουήττιοι, Germaniæ lib. II cap. VI docui. de altero vocabulo teſtem habemus ipſum Strabonem eodem libro poſteà, in deſcriptione Alpium; ubi ita ait: Ὑπὲρ δὲ τῶν Σαλασσῶν ἐν ταῖς κορυφαῖς εἰσι Κέντρωνες, καὶ Οὐάραγροι, καὶ Ναντουάται, καὶ ἡ Λεμάννα λίμνη, δι' ἧς ὁ Ῥοδανὸς φέρεται, καὶ ἡ πηγὴ τοῦ ποταμοῦ. οὐκ ἄπωθεν δὲ τούτων οὐδὲ τοῦ Ῥήνου πηγαί, οὐδ' ὁ Ἀδούλας τὸ ὄρος, ἐξ οὗ ῥεῖ καὶ ὁ Ῥῆνος ἐπὶ τὰς ἄρκτους, καὶ ὁ Ἀδούας εἰς τἀναντία. ἐμβάλλων εἰς τὴν Λάριον λίμνην, τὴν πρὸς τῷ Κώμῳ. Id eſt: *Super Salaſſos ſunt in verticibus montium Centrones, Varagri, Nantuates, & Lemanus lacus; quem Rhodanus transit; & fons amnis. nec procul his Rheni ſunt fontes & Adula mons: ex quo Rhenus fluit versùs ſeptemtriones; & in contrariam partem Addua in lacum Larium, qui apud Comum eſt, delabitur.* Et item lib. V: Ἐγγὺς δὲ τοῦ Κώμου λίμνη, Λάριος καλουμένη· πληροῖ δ' αὐτὴν ὁ Ἀδούας ποταμός, τὰς πηγὰς ἔχων ἐν τῷ Ἀδούλᾳ ὄρει, ὅπου καὶ ὁ Ῥῆνος. Id eſt: *Prope Comum eſt Larius lacus; quem Addua fluvius implet, ortus in Adulâ monte; ubi & Rhenus.* At inter Rheni citerioris fontem, qui eſt in *Criſpaltâ monte*, & fontem Adduæ, qui eſt in *monte Braulio*; centum ferè interſunt millia paſſuum. ac proinde minimè credibile eſt viris doctis, *Adulæ* nomen tanto ſpacio porrectum fuiſſe: utique, quum complura eo intervallo juga, in altiores inter reliquos monteis vertices elata, in varias parteis dividant Alpeis Rhæticas: ita, uti unus mons adpellari nequeant. Præcipuorum verticum ſive montium nomina vulgaria ſunt iſta: *Criſpalta*, *Monte di S. Barnaba*; quem nonnulli *Lucumonis montem* vocant, vulgò Germanicè *der Lukmanierberg*: tum *Monte d'Vccello*; Germanis *der Vogel*: Monte *dell' Orſo*; Germanis *der Vrſeler*; idem *der Splüger* ſive *Splugenerberg*: *Septa*; Germanis *Setmer*: hinc reliqui,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

liqui, *Maloia, Bernina, Iovo plano*, & *Braglio*, ſive *Braio*. Ego equidem cenſuerim, Strabonem hoc loco fuiſſe deceptum tabulâ aliquâ chorographicâ, minùs curatè compoſitâ. in qua quum, Adduâ flumine, quod vallem ſecat Tellinam, omiſſo, Lira tantùm amnis, qui in Splugenſi jugo oritur, in Larium lacum deductus eſſet; hunc ille pro Adduæ habuit fonte. Hinc *Adulam* judico non id tantùm montium jugum, quod ab Liræ fonte ad Criſpaltam & citerioris Rheni fontem porrigitur; ſed & quidquid hinc juxta lævam Rheni ripam ad opidum usque *Meienfeld* protenditur, variis diſtinctum celſioribus verticibus, quorum nomina, *Vepcha*, *Mercha*, *Calanda*. Atque hoc ipſum eſt, quod Ptolemæum decepit; uti is *Adulam* ex ſeptemtrione in auſtrum à Rheni fonte ad Alpeis produxerit. Strabo quàm fœdè variéque circa Duriæ, Salaſſorum amnis, fontem erraverit, cum Taurinorum Cottianique regni Duriâ eum confundens, infrà in Padi amniumque in eum confluentium deſcriptione patebit.

NORICAE Alpes. Porrò Rhæticis Alpibus continuabantur ALPES NORICAE; ab incolis *Noricis* denominatæ. Verùm, quamquàm Noricorum pars ſupra Carnos quomdam & Tilavemptum flumen, circa Dravi fonteis, utrumque Alpium latus incoluerint; ut ſuprà in Carnis cap. XVIIII oſtenſum: tamen *Noricas Alpeis* nemo antiquorum ſcriptorum memoravit. fortè, quia cum Romanorum imperio ſimul & *Carnicarum Alpium* nomen huc illatum; poſtquàm hæc loca Carnis Romani tribuiſſent; ut dicto cap. XVIIII patuit. Plinius quin etiam lib. III cap. XXV quaſi deditâ conſultâque operâ vitaſſe nomen *Noricarum* videtur, in his verbis: *In Danubium defluit Dravus è Noricis, Savus ex Alpibus Carnicis*. Noricos populos eum intellexiſſe, non Noricas Alpeis, patet ex eo, quòd vocem *Alpibus* voci *Carnicis* præpoſuit, non poſtpoſuit: quo loco ad utrumque vocabulum, *Noricis* ſimul & *Carnicis*, referri potuiſſet. Poſterioribus temporibus vetuſtiſſimus *Noricarum* meminit auctor Iornandes, in libro de Regnorum ſucceſſione. *Norici*, inquit, *qui in Alpibus Noricis habitant*. Hinc Aimoinus, Francicar. rer. lib. IIII cap. CVIII: *Tranſactâ hieme, tres exercitus contra Liudevicum mittuntur. quorum unus de Italiâ per Alpeis Noricas, alter per Carantanorum provinciam, tertius per Baioariam & Pannoniam ſuperiorem intravit. Et duo quidem, id eſt dexter & ſiniſter, tardiùs ingreſſi ſunt; eò, quòd unus Alpium tranſitu, hoſtium manu reſiſtente, prohibebatur; alter & longitudine itineris & Dravo flumine, quod trajiciendum erat, impediebatur. medius autem, qui per Carantanos intrabat, quamquàm in tribus locis ei reſiſteretur, feliciore uſus fortunâ, ter hoſte ſuperato, Dravo etiam tranſmiſſo, celeriùs ad loca deſtinata pervênit*. Liudevicum hunc fuiſſe *ducem Pannoniæ inferioris*, tradit eodem libro cap. CVI. Ex tribus iſtis exercitibus unus, quem *dextrum* vocat, per Iulias ſive Pannonicas Alpeis, juxta Frigidum Nauportumque flumina & Hemonam urbem, quæ nunc dicitur *Laubach*, in Pannoniam tetendit: alter, quem *medium* adpellat, per vallem Sontii amnis, & hinc per Salocam & Virunum opida, quæ nunc vulgò *Selch* & *Volkmark* dicuntur, Carnicis Alpibus in Carantaniam, ſive, ut nunc vocatur, Carinthiam pervênit. de utroque itinere ſuprà cap. XX in Carnis actum eſt. Tertius autem exercitus, quem *ſiniſtrum* vocat, per Noricas Alpeis profectus eſt itinere, quod ita notatur Antonino:

Aquileia	
Ad Triceſimum	XXX.
Iulio Carnico	XXX.
Loncio	XVI.
Agunto	XVII.

Ex his *Ad Triceſimum* hodiéque vocari *Triceſimo*; *Iulium Carnicum*, *Zuglio*; *Aguntum*, *Innichen*, circa Dravi fontem; ſuprà dicto cap. XX oſtenſum eſt. Summus igitur Noricarum Alpium tranſitus eſt circa Dravi Plavisque fonteis, in jugo, quod vulgò vocatur *Monte Ceſe*. Idem iter à Paullo Diacono Langobard. rer. lib. II cap. XIII, & à Fortunato in lib. IIII de vitâ beati Martini, deſcribitur. ſed perperam ab iis hoc itinere Alpeis adpellari *Iulias*, eodem cap. XX docui; diſertiúsque mox infrà patebit. Tractum igitur *Alpium Noricarum* inter Rhæticas & Carnicas extendo à Dravi fonte ad Natiſonis usque fontem.

Hinc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Hinc à Natiſonis fonte ſupra Carnos erant ALPES CARNICAE. ex quibus Saum amnem profluere tradit Plinius, loco proximè ſcripto. Iter per has deſcribit Tabula itineraria huiusmodi: *Carnicae Alpes.*

Aquileia	
Ad Silanos	XXXV.
Taſinameti	.....
Saloca	VIIII.
Varuno	XI.

Iter hoc, ut antè dixi, per Sontii Baciique amnium agebatur valleis, versùs opidum, quod nunc *Volkmark*, olim autem dicebatur *Virunum*. Summus Alpium transitus eſt circa fonteis Bacii amnis, qui & Tolmidius ſive Tolminius vocatur; quà iter eſt ad opidum *Krainburg*, Savo adpoſitum. At idem iter ab Aquileiâ ad Virunum aliâ viâ, alioque Alpium Carnicarum transitu duxiſſe Antoninum per Hidriæ amnis vallem & *Laricem Santicum*que opida, quæ, trans Alpeis in Pannoniâ ſita, *Lorch* nunc & *Saneck* dicuntur, ſuprà dicto cap. XX monſtratum eſt. Finem Carnicarum Alpium fuiſſe puto circa Nauporti Formionisque amnium fonteis; quorum hic nunc vulgò *Riſano* in Hadriaticum mare, ille *Laubach* in Saum influit. quidpe circa hæc loca finem ipſorum fuiſſe Carnorum, quà Hiſtris ac Iapydibus jungebantur, ſuprà cap. XVIIII oſtenſum eſt.

Inter Frigidi amnis, qui nunc vulgò dicitur *VVipach*, & Nauporti fonteis IVLIAE erant ALPES; haud dubiè à Iulio Cæſare, qui primus iter per eas muniverit, ſic dictæ. Svetonius in vitâ Cæſaris, cap. XXII: *Initio quidem Galliam Cisalpinam, Illyrico adjecto, lege Vatiniâ accepit.* Et cap. XXVIIII: *Cum adverſariis pepigit, ut, dimiſſis* VIII *legionibus Transalpinâque Galliâ, duæ ſibi legiones & Cisalpina provincia, vel etiam una legio cum Illyrico concederetur.* Quibus tunc finibus incluſum *Illyricum* fuerit, præter alios auctores idem Svetonius docet in Tiberio cap. XVI. *Ac perſeverantiæ*, inquit, *grande pretium tulit; toto Illyrico, quod inter Italiam regnumque Noricum & Thraciam & Macedoniam interque Danubium flumen & ſinum maris Hadriatici patet, perdomito & in ditionem redacto.* Hinc Rufus Feſtus: *Sub Iulio & Octaviano Cæſare Auguſto per Alpeis Iulias iter factum eſt.* De Auguſti expeditionibus in Pannoniam, quæ pars tum Illyriti erat, copioſè agit Appianus in libro de rebus Illyricis; nonnihilque memorat Strabo lib. IIII & VII, ubi de Iapydibus, Illyricâ gente, loquitur. Per *Iulias* hasce *Alpeis* copias Romanas & tum & poſteà ſemper in Pannoniam fuiſſe ductas, ex variorum auctorum hiſtoriis liquet. Iter per eas notatur in Itinerariis hoc modo: *Iuliae Alpes.*

Tabulæ:		Antonino:	
Aquileia		*Aquileia*	
Ponte Sontii	XIIII.	|	
Fl. Frigido	....	*Fluvio Frigido*	XXXVI.
In Alpe Iuliâ	XV.	|	
Longatico	V.	*Longatico*	XXII.
Nauporto	VI.	|	
Emona	XII.	*Hemonia*	XVIII.

Fluvium Frigidum eſſe nunc *VVipach* Germanis, Italis *Vipao*; *Nauportum* opidum fuiſſe circa Nauporti amnis, qui nunc dicitur *Laupach*, & Franitii confluentem; *Hemonam*que urbem eſſe nunc *Laupach*, caput Carniolæ; ſuprà cap. II & item cap. XX oſtenſum eſt. Hinc Strabo lib. IIII, in deſcriptione Alpium: Καὶ οἱ Ἰάπυδες δ' τοῦτ' ἤδη ἐπίμικτον Ἰλλυριοῖς καὶ Κελτοῖς ἔθνος, περὶ τούτους οἰκοῦσι τοὺς τόπους· καὶ ἡ Ὄκρα πλησίον τούτων ἐστίν. οἱ μὲν οὖν Ἰάπυδες, πρότερον εὐανδροῦντες, καὶ τοῖς λῃστηρίοις ἐπικρατοῦντες, ἐκπεπόνηνται τελέως ὑπὸ τοῦ Σεβαστοῦ Καίσαρος καταπολεμηθέντες· πόλεις δ' αὐτῶν, Μέτουλον, Ἀρούπιον, Μονήτιον, Αὐένδων. μεθ' οὓς ἡ Σεγεστικὴ πόλις ἐν πεδίῳ· παρ' ἣν ὁ ῥηθεὶς Σάος παραρρεῖ ποταμὸς, ἐκδιδοὺς εἰς τὸν Ἴστρον. κεῖται δ' ἡ πόλις εὐφυῶς πρὸς τὸν κατὰ τῶν Δακῶν πόλεμον. Ἡ δ' Ὄκρα ταπεινότατον μέρος τῶν Ἄλπεών ἐστι, καθ' ὃ συνάπτουσι τοῖς Καρνοῖς, καὶ δι' οὗ τὰ ἐκ τῆς

Ἀκυληΐας

Ἀκυληΐας φορτία κομίζουσιν ἁρμαμάξαις εἰς τὸ καλούμενον Ναύπορτον, σταδίων ὁδὸν οὐ πολὺ πλειόνων ἢ υ'. ἐκεῖθεν δὲ τοῖς ποταμοῖς κατάγεται μέχρι τοῦ Ἴστρου καὶ τῶν ταύτῃ χωρίων. παραρρεῖ γὰρ τὸ Ναύπορτον ποταμὸς ἐκ τῆς Ἰλλυρίδος φερόμενος, πλωτός· ἐκβάλλει δ' εἰς τὸν Σάον· ὥστε ὁμαρῶς εἰς τὴν Σεγεστικὴν κατάγεται καὶ εἰς τοὺς Παννονίους. συμβάλλει δ' εἰς τὸν Σάον κατὰ τὴν πόλιν καὶ ὁ Κόλαπις. ἀμφότεροι δ' εἰσὶ πλωτοί· ῥέουσι δ' ἀπὸ τῶν Ἄλπεων. Id eſt: *Iapydes quoque, permixta jam Illyriis & Gallis gens, circa hæc loca incolunt; & Ocra his contermina eſt. Hi quum anteà florerent, latrociniiſque invaleſcerent, tandem ab Auguſto Cæſare debellati confectique ſunt. Vrbes eorum, Metulum, Arupium, Monetium, Avendo. Poſt Iapydas Segeſtica urbs in planitie eſt; quam prædictus Saus præfluit amnis, in Iſtrum exiens. Vrbs ea ad Dacicum bellum opportunè eſt ſita. Ocra autem pars eſt Alpium humillima, Carnis contermina: per quam ab Aquileiâ curribus portantur merces ad Nauportum, iter ſtadiorum haud multo plùs* CCCC. *hinc fluminibus ad Iſtrum circumjectaſque regiones devehuntur. adluitur quidpe Nauportum fluvio navigabili, ex Illyrico decurrente, & in Saum exeunte. itaque merces facilè ad Segeſticam & in Pannonios devehuntur. Apud Segeſticam Colapis quoque in Saum incidit. ambo ſunt navigabiles, ab Alpibus delapſi.* In vulgatis equidem exemplaribus legebatur, πόλεις δ' αὐτῶν, Μέτουλον, Ἀρούπινον, Μονήτιον, Οὐένδον· μεθ' οὓς ἡ Σεγεστικὴ πόλις ἐν πεδίῳ, παρ' ἣν ὁ Ῥῆνος αὐτὸς παραρρεῖ ποταμός. & deinde utroque loco Πάμπορτον. quæ cuncta in præſcriptam formam eſſe emendanda, jam anteà cap. XVIIII in Carnis docui. Reliquam etiam orationem, quæ modò ſcripta verba præcedunt, eſſe immanem in modum vitiatam, mox infrà patebit. De iiſdem locis ſic iterum legitur apud Strabonem lib. VII: Ἡ δὲ Σεγεστικὴ πόλις ἐστὶ Παννονίων, ἐν συμβολῇ ποταμῶν πλειόνων, ἁπάντων πλωτῶν, εὐφυὲς ὁρμητήριον τῷ πρὸς Δακοὺς πολέμῳ. ὑποπέπτωκε γὰρ ταῖς Ἄλπεσιν, αἳ διατείνουσι μέχρι τῶν Ἰαπόδων, Κελτικοῦ τε ἅμα καὶ Ἰλλυρικοῦ ἔθνους. ἐντεῦθεν δὲ καὶ ποταμοὶ ῥέουσι πολὺ καταφέροντες εἰς αὐτὴν τόν τε ἄλλον καὶ τὸν ἐκ τῆς Ἰταλίας φόρτον. εἰς γὰρ Ναύποντον ἐξ Ἀκυληΐας ὑπερθεῖσι τὴν Ὄκραν εἰσὶ στάδιοι τριακόσιοι πεντήκοντα, εἰς ἣν αἱ ἁρμάμαξαι κατάγονται, τῶν Ταυρισκῶν οὖσαν κατοικίαν. ἔνιοι δὲ φασὶ πεντακοσίους. Πλησίον δὲ τοῦ Ναυπόντου ποταμός ἐστι Κορκόρας ὁ δεχόμενος τὰ φορτία. οὗτος μὲν οὖν εἰς τὸν Σάον ἐμβάλλει· ἐκεῖνος δ' εἰς τὸν Δράβον· ὁ δ' εἰς τὸν Νόαρον, κατὰ τὴν Σεγεστικήν. ἐντεῦθεν δ' ἤδη ὁ Νόαρος πλήθει προσλαβών, τὸν διὰ τῶν Ἰαπόδων ῥέοντα ἐκ τοῦ Ἀλβίου ὄρους Κάλαπιν, συμβάλλει τῷ Δανουβίῳ. Hæc ita interpretatus eſt poſtremus interpres Latinus: *Vrbs Pannoniæ eſt Segeſtica, ad confluentes multorum amninm, navigabilium omnium; arx belli in Dacos opportuna. ſita eſt enim ſub Alpibus, quæ ad Iapodes uſque porriguntur; gentem partim Gallicam, partim Illyricam. atque inde multi labuntur fluvii, deferentes ad urbem cùm alias tùm Italicas merceis. nam ab Aquileiâ trans Ocram Naupontum uſque, Tauriſcorum opidum, quò vehicula perveniunt, tranſitus eſt ſtadiorum* CCCL, *vel, ut aliis videtur,* IↃ. *Vicinus autem Nauponto fluvius eſt Corcoras, qui merceis excipit. atque hic in Savum influit; Savus in Dravum; hic in Noarum, apud Segeſticam. inde Noarus augetur, hauſto Colapi amne, (qui ex Albio monte per Iapodes delabitur,) inque Danubium exit.* Certè neque Savus in Dravum influit, neque Dravus in Noarum: qui in rerum naturâ omnino nullus eſt. In Savum Colapis incidit ad Segeſticam inſulam & Segeſtam ſive Siſciam opidum, quod hodiè *Siſek* dicitur; Straboni autem perperam ipſius inſulæ nomine *Segeſtica*; ut ſuprà cap. XX in Carnis oſtenſum. ipſe Savus ad Taurunum opidum in Danubium delabitur. Quapropter rectiùs ſuprà lib. IIII merceis ait vehiculis ab Aquileiâ per Ocram montem Nauportum deferri; inde Nauporto ac Savo fluminibus Segeſticam. ubi nihil de Noaro, nec Dravo, nec alio quo flumine. tum Colapin etiam, non in Noarum, ſed in Savum apud Segeſticam influere adfirmat. Flumen autem, cui Nauportum opidum adpoſitum, non *Corcoram* vocat Plinius lib. III cap. XVIII; ſed communi ipſius opidi nomine. *Argo navis,* inquit, *flumine in mare Hadriaticum deſcendit, non procul Tergeſte. nec jam conſtat, quo flumine. Humeris travectam Alpeis, diligentiores tradunt. ſubiiſſe autem Iſtro; dein Sao; dein Nauporto. cui nomen ex eâ cauſâ eſt, inter Aemonam Alpeiſque exorienti.* Strabo lib. IIII, continuò antè præſcripta verba, corruptâ quidem & eâ ipſâ oratione, ut mox videbimus, præter Dravum & Savum, καὶ ἄλλους πλείους χαραδρώδεις ποταμοὺς συμβάλλειν εἰς τὸ τοῦ Ἴστρου ῥεῖθρον ait; id eſt, *alios etiam complureis impetuoſis amneis in Iſtri flumen confluere.* ſubjicitque ſtatim ſuprà ſcripta verba; Καὶ οἱ Ἰάποδες δὲ περὶ τούτους οἰκοῦσι τοὺς τόπους· id eſt; *Iapydes quoque circa hæc loca incolunt.* unde patet,

Nauportum cum intellexiſſe & *Colapim* amneis; quos mox memorat. nam hos ipſos innuit cum Savo lib. VII; ubi ait Segeſticam ſitam eſſe ἐν συμβολῇ ποταμῶν πλειόνων, ἁπάντων πλωτῶν, id eſt, *ad confluenteis complurium amnium, navigabilium omnium*. Quapropter vox iſta Καρκόρας, pro qua etiam nonnulla manu ſcripta exemplaria habent Καρκόρας, corrigenda videtur in χαραδρώδης. Vocabulum Ἰάποδες cùm lib. IIII tùm lib. VII emendandam eſſe in genuinum gentis nomen Ἰάπυδες, ſuprà cap. XVIIII in Carnis docui. Libri verò IIII Πάμπορτον & libri VII Ναύποντον, corrigendum eſſe in Ναύπορτον, non Plinii modò & Itinerariorum, ſed Taciti etiam & Velleii Paterculi, quos mox citabimus, confirmat auctoritas. Reliquam Strabonis orationem loco proximè ſcripto ſic reſtituo: Πλησίον δὲ τοῦ Ναυπόρτου ποταμός ἐστι χαραδρώδης, ὁ δεχόμενος τὰ φορτία. οὗτος μὲν οὖν εἰς τὸν Σαῦον ἐμβάλλει· ἐκεῖνος δ' εἰς τὸν Δανούβιν. ὁ γὰρ Σαῦος κατὰ τὴν Σεγεστικὴν πόλιν ἤδη ὕδατος πλῆθος προσλαβὼν, τοῦ διὰ τῶν Ἰαπύδων ῥέοντος ἐκ τοῦ Ἀλβίου ὄρους Κόλαπιν, συμβάλλει τῷ Δανουβίῳ κατὰ τοὺς Σκορδίσκους. Hoc eſt: *Prope Nauportum fluvius eſt impetuoſus, qui merceis excipit. is in Savum influit; Savus in Danubium. nam Savus apud Segeſticam urbem copiâ aquarum auctus, Colapi flumine, qui ex Albio monte per Iapydes delabitur, hausto, in Danubium apud Scordiſcos exit.* Sed itineris rationem, quod per Iulias Alpeis in Pannoniam ferebat, hactenus explicuiſſe ſufficit. Idem intellexit Velleius Paterculus lib. II; ubi de Pannoniorum exercitu ſic ait: *Pars petere Italiam decreverat; junctam ſibi Nauporti ac Tergeſtis confinio.* Iuliarum Alpium poſteà complures neminêre ſcriptores. Tacitus Hiſtoriar. lib. III: *Interjectus exercitus Rhætiam Iuliasque Alpeis, ne pervium illâ Germanicis exercitibus foret, obſepſerat.* Mamertinus, in Genethliaco Maximiani Auguſti: *Illum modò Syria viderat; jam Pannonia ſusceperat. tu modò Galliæ opida illuſtraveras; jam ſummas arceis Monœci Herculis præteribas. Ambo quum ad Orientem Occidentemque occupati putaremini, repentè in medio Italiæ gremio adparuiſtis.* Poſteà: *Tantâ facilitate illa, quæ tunc aliis forent inacceſſibilia, ſuperaſtis; atque inde Iulias, hinc Cottias Alpeis, quaſi relictas æſtu arenas patentium litorum, transcurriſtis.* Ammianus Marcellinus lib. XXI; ubi de Hæmi & Rhodopes montium jugis loquitur: *Sub hac altitudine aggerum utrobique ſpacioſa camporum planities jacet; ſuperior adusque Iulias Alpeis extenta; inferior ita ſupina & panda, ut nullis habitetur obſtaculis adusque fretum & Propontidem.* Et poſteà: *Iulianus, agens etiam tum apud Næſſum, curis altioribus ſtringebatur; multaque utrimque pertimeſcens. formidabat enim, ne, clauſorum militum apud Aquileiam adſultu obſeratis anguſtiis Alpium Iuliarum, provincias & adminicula perderet, quæ exinde ſperabat indies.* Et lib. XXVIIII: *Raptim obſeſſa ab iisdem eſt Marcomannis, Aquileia diu, Opitergiumque exciſum, & cruenta complura per celeres acta procinctus; vix reſiſtente, perruptis Alpibus Iuliis, primicerio Marico.* Item lib. XXXI: *Sebaſtianus, itineribus celeratis conſpectus prope Hadrianopolim; obſeratis inde portis juxtà adire prohibebatur: veritis defenſoribus, ne captus ab hoſte veniret & ſubornatus; atque contingeret aliquid in civitatis perniciem; quale per alium acciderat Comitem: quo per fraudem Magnentianis militibus capto, clauſtra patefacta ſunt Alpium Iuliarum.* Claudianus in carmine de bello Gotico; de Alarici, Gotorum regis, è Pannoniâ in Italiam transgreſſu:

——— Mirabile poſſet
Eſſe mihi, ſi fraude novâ vel calle reperto
Barbarus ignotas invaderet inſcius Alpeis:
Nunc verò geminis clades repetita tyrannis
Famoſum vulgavit iter. nec nota fefellit
Semita præſtructum bellis civilibus hoſtem.

Maximum intelligit & Eugenium; qui ambo, tyrannidem eius tempore ſub Theodoſio imperatore invadentes, apud Aquileiam oppreſſi fuerunt. Sozomenus, Hiſtoriæ eccleſiaſticæ lib. VII cap. XXII & Nicephorus Calliſti lib. XII cap. XXXVIIII: Καὶ Εὐγένιος μὲν ταύτης τῆς ἐλπίσι βουκολούμενος πλείστην ἤγειρε στρατιάν· καὶ τὰς πρὸς τῇ Ἰταλίᾳ πύλας, ἃς οἱ Ῥωμαῖοι Ἰουλίας Ἄλπεις καλοῦσι, προκαταλαβὼν ἐφρούρει, ὡς ἐν στενῷ μίαν πάροδον ἐχούσας, ἑκατέρωθεν πεφραγμένας ἀποῤῥῶξι καὶ ὑψηλοτάτοις ὄρεσιν. Id eſt: *Atque Eugenius equidem hac ſpe ineſcatus, maximum paravit exercitum: & Italiæ portas, quas Romani Iulias Alpeis vocant, præoccupatas præſidio tenuit; ut quæ per anguſtias unum dumtaxat acceſſum præbeant; utrimque præruptis ſcopulis & montibus altiſſimis communita,*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

munitæ. Pacatus, in Panegyrico Theodoſio Auguſto dicto, de Maximo: *An*
ego ſine divino numine factum putem, ut, qui ſub nomine pacis ludere, & primi ſceleris
pœnas lucrari quieſcendo potuiſſet, ſecundum tertiamque vexillum latrocinii civilis attol-
leret; &, ſuperatis Alpibus Cottiis, Iulia quoque clauſtra laxaret. Deinde: *Nec pia He-*
mona cunctantiùs, ubi te adfore nunciatum, impulſis effuſa portis, obviam provolavit.
Exiguo pòſt: *Ibat interim Maximus; ac, te poſt terga reſpectans, in modum amentis*
attonitus avolabat. Quoties ſibi ipſum putamus dixiſſe, Quò fugio? bellum ne tentabo?
ut, quem viribus totis ferre non potui, parte ſuſtineam? Alpeis Cottias obſerabo, quia Iu-
liæ profuerunt? Mox: *Ipſo, quo agitabatur, metu alligatus, in opidum ſemet Aquileienſe*
præcipitat. Ac poſteà: *An ego, quum ab Alpibus Iuliis ocioſo feriatoque ferro non*
prælium fuiſſe videam, ſed triumphum, dubitaverim, illam ſpecialem quamdam felicitatis
tuæ dixiſſe militiam. Prœlium cum Eugenio in hoc Iuliarum Alpium itinere com-
miſſum fuiſſe apud *Frigidum amnem*, tradunt Claudianus in Panegyrico de III
Honorii conſulatu, & Paul. Diaconus Hiſtoriæ miſcellæ lib. XIII, Socrates Hi-
ſtoriæ eccleſiaſticæ lib. V cap. XXIIII, Nicephorus Calliſti dicto lib. XII cap. XXXVIII,
& Hiſtoria Tripartita lib. VIIII cap. XLV: quorum omnium verba ſuprà cap. XX in
Carnis recitavi. Zoſimus in eiſdem Theodoſii expeditionibus neſcio qua ratione
Apenninos vocat monteis, quas reliqui auctores *Iulias Alpeis*. Sed & ipſe tamen
ab initio *Alpeis* adpellat. Verba eius lib. IIII hæc ſunt: Ὁ Μάξιμος δὲ ἐπιχολά-
θησε πανςρατιᾷ μεθ᾽ ἡσυχίας προπέμψας κτ̀ τὴν ὁδὸν φύλακας, οἳ πᾶσαν ἐποιοῦντο φροντίδα, τοῦ
μηδένα παραδραμόντα τῶν ἐπὶ τὴν Ἰταλίαν Μαξίμου διάβασιν τοῖς ἀμφὶ Δομνῖνον ἀγγεῖλαι. ἦ
ἦν τοιαύτη φυλακὴ λίαν εὔκολος. οὐδὲ γὰρ ἦν οἷόν τε λαθεῖν σὺν διὰ τοῦ στενωτάτου τῶν Ἄλ-
πεων ἰόντας. Ὅτε τοίνυν ἔγνω σὺν ἀμφὶ τὸν Δομνῖνον τὰ στενώτατα τῶν Ἄλπεων καὶ τὰ τῶν ὀρῶν
ἄβατα διελθόντας, ἤδη δὲ καὶ τὰ μετὰ τὰς Ἄλπεις ὅσα ἦν ἑλώδη καὶ δυσχέρειαν ἐποιοῦντα στρατοπέδῳ,
πολέμιον στίφος ἐναντιωσόμενον ἐν δυσχωρίαις οὐκ εὑρήσειν ἐλπίζων τι, τότε δὴ σὺν παντὶ τάχει
τὴν Ἰταλίαν, οὐδενὸς ἐμποδὼν ὄντος, καταλαβὼν, τῇ Ἀκυληΐᾳ προσάγει. Hoc eſt: *Maximus*
univerſis cum copiis ſubſequutus eſt; tacitè præmiſſis in itinere cuſtodibus, qui omnem cu-
ram adhibebant, ne curſu quis prætergreſſus, Maximi tranſitum in Italiam Domnino nun-
ciaret. Atque huiusmodi ſanè cuſtodia erat perfacilis. neque enim latêre poterant, qui
tranſitu Alpium arctiſſimo proficiſcebantur. Quum igitur intelligeret, Domninum cum
ſuis Alpium anguſtias inviosque monteis penetraſſe; nec ullum in locis trans Alpeis palu-
ſtribus atque impeditis, quæ militum copiis difficultatem objicere paterant, hoſtile ſe agmen
inventurum ſperaret; omni cum celeritate Italiam, nemine præpediente, ingreſſus, Aqui-
leiam exercitum ducit. Et aliquanto pòſt: Θεοδόσιος δὲ ἅμα τῷ στρατῷ διὰ Παιονίας
τῆς ἄνω καὶ τῶν Ἀπεννίνων ὀρῶν ἐπὶ τὴν Ἀκυληΐαν αὐτὴν ἐλάσαι διενοεῖτο, καὶ ἐπελθεῖν ἀπα-
ρασκεύῳ τῷ πολεμίῳ. * · * · Ὄντος δὲ ἐν τούτῳ Ἀνδραγαθίου, διελθὼν Παιονίαν καὶ τὰς
ἐν Ἀπεννίνοις ὄρεσι πύλας Θεοδόσιος, ἀπροσδοκήτοις ἅμα καὶ ἀφυλάκτοις τοῖς ἀμφὶ τὸν Μά-
ξιμον ἐπιτίθεται. μέρους δέ τινος τοῦ στρατοπέδου ξὺν ὀξυτάτῃ ῥύμῃ τοῖς τῆς Ἀκυληΐας τείχε-
σι προσπεσόντος, καὶ βιασαμένου τὴν διὰ τῶν πυλῶν εἴσοδον (ἀντιστῆναι γὰρ αὐτοῖς οὐχ οἷόν τε γε-
γόνασιν οἱ φυλάττοντες ὀλίγοι) Μάξιμος μὲν ἐκ τοῦ βασιλείου κατήγετο θρόνου. Id eſt: *Theo-*
doſius autem cum exercitu per Pannoniam ſuperiorem & Apenninos monteis Aquileiam
contendere, & imparatum hoſtem aggredi cogitabat. Mox: *His rebus Andragathio*
intento, Theodoſius, per Pannoniam & portas Apenninorum montium progreßus, necopi-
nanteis & incautos Maximianos adoritur. quumque pars quædam exercitus impetu ce-
lerrimo ad Aquileiæ muros acceſſiſſet, aditumque vi ſibi per portas aperuiſſet; quidpe non
poterant cuſtodes, perpauci numero, reſiſtere; Maximus imperatorio ſolio deturbatur. At
Oroſius lib. VII cap. XXXV, & Freculfus tomi II lib. IIII cap. XXV, ac Paul. Diaco-
nus Hiſtoriæ miſcellæ prædicto lib. XIII, *Alpeis* heic nominant. *Aquileiæ*, inquiunt,
tunc Maximus victoriæ ſuæ ſpectator inſederat. Andragathius, comes eius, ſumma belli
adminiſtrabat. Qui quum largiſſimis militum copiis, ipsâque magnarum copiarum forti-
tudine, præcellenti conſilio, omneis incredibiliter Alpium ac fluminum aditus communiſſet;
ineffabili judicio Dei, navali expeditione dum incautum hoſtem prævenire & obruere pa-
rat; ſponte eadem, quæ obſtruxerat clauſtra, deſeruit. Idem Zoſimus lib. V, in rebus ſub
Honorio imperatore geſtis: Στελίχων δὲ, ἀγγείλαντος αὐτῷ τινος, ὡς τὰς Ἠπείρους Ἀλλάρι-
χος καταλιπὼν, ὑπερβάς τε τὰ διείργοντα στενὰ τὴν ἐπὶ Οὐενετοὺς διάβασιν, τὰς σκηνὰς εἰς Ἥμωνα
πόλιν ἐπήξατο, μεταξὺ Παιονίας τῆς ἀνωτάτω καὶ Νωρικοῦ κειμένην. * · * · Ἐκ δὲ τῆς Ἥμωνος
προελθὼν ὁ Ἀλλάριχος, τῷ Νωρικῷ προσέβαλεν, ἤδη τῶν Ἀπεννίνων ὀρῶν ἔξω γενόμενος. Ὁ εἰς
δὲ

δὲ ταῦτα τὰς Παιονίας ἐσχατιὰς, στενοτάτην ὁδὸν διδόντα τοῖς ἐπὶ τὸ Νωρικὸν ἔθνος διαβαίνειν ἐθέλουσι, καὶ πρὸς ἣν ὀλίγοι φύλακες ἤρκουν, εἰ καὶ πλῆθος τὴν πάροδον ἐβιάζετο. Hoc eſt: *Ad Stilichonem quidam nuncium pertulit, Alarichum, relictis Epiris, & anguſtiis, quæ ex Pannoniâ tranſitum ad Venetos impediunt, ſuperatis, apud Hemonem urbem conſediſſe, inter Pannoniam ſuperiorem & Noricum ſitam.* Paullo pòſt: *Hemone igitur progreſſus Alarichus, jam ſuperatis Apenninis montibus, ad Noricum acceſſit. Hi montes extrema Pannoniæ finiunt; iis, qui ad Noricam gentem tranſire volunt, arctiſſimam viam præbentes: cui cuſtodiendæ præſidiarii pauci ſufficiunt; etiam ſi magna multitudo vi tranſire conetur.* At lib. VI: Ἀταύλφος ἐπεραιώθη τὰς Ἄλπεις, τὰς ἀπὸ Παιονίας ἐπὶ Οὐενετίαν φερούσας. Id eſt: *Ataulfus trajecit Alpeis, quibus è Pannoniâ in Venetiam tranſitur.* Venetiam heic intelligit ſui ævi; ſub cuius titulo non tantùm Carni, ſed & Hiſtria cenſebatur; ut ad finem huius operis oſtendetur. Quum igitur Zoſimus ipſe cum reliquis auctoribus hæc clauſtra locis præſcriptis adpellet Ἄλπεις, nec quiſquam alius umquàm heic *Apenninorum* montium mentionem fecerit; omnino ego cenſeo, ſcripſiſſe eum reliquis etiam locis τῶν Ἀλπείων ὀρῶν, & τοῖς Ἀλπείοις ὄρεσι· vel ſaltem, τῶν Ἀλπεινῶν ὀρῶν, & τοῖς Ἀλπεινοῖς ὄρεσι· ut apud Polybium legitur lib. II & III.

De cætero Ammianus Marcellinus in fine prædicti libri XXXI ita ſcribit: *Gothi exinde digreſſi ſunt effuſoriè per arctoas provincias: quas peragravère licenter, aduſque* VENETAE Alpes.
radices Alpium Iuliarum, quas Venetas adpellabat antiquitas. VENETAS adpellatas fuiſſe antiquis temporibus haſce ALPEIS, neminem, præter hunc auctorem, teſtem habemus. proinde nihil certiùs, quàm tum demum ſic vocitari cœpiſſe, quum omnes hæ regiones Italiæ, ad Noricum ac Pannoniam & Illyricum uſque, ſub uno *Venetiæ provinciæ* titulo comprehenderentur.

At quia Pannoniæ eſſent conterminæ; unicumque ex eâ regione in Italiam militaribus copiis tranſitum præberent; PANNONICAE inde etiam adpellatæ ſunt PANNONICAE Alpes.
ALPES. Tacitus ſub finem Hiſtoriarum libri II: *Ita Vitellii paratus noſcebantur: Veſpaſiani conſiliorum pleraque ignota. primùm ſocordiâ Vitellii; deinde Pannonicæ Alpes, præſidiis inſeſſæ, nuncios retinebant.* Et initio libri III: *Meliore fato fideque Flavianarum partium duces conſilia belli tractabant. Petovionem in hiberna Tertiædecimæ legionis convenerant. illic agitavère, placeretne obſtrui Pannoniæ Alpeis donec à tergo vires univerſæ conſurgerent; an, ire comminus & certare pro Italiâ, conſtantius foret.* Tranſire tandem in Italiam placuit. per Iuliarum Alpium clauſtra ab Nauporto ad Aquileiam tranſitum eſſe, patet ex iis, quæ poſteà ſequuntur. *Interjectus*, inquit, *exercitus Rhætiam Iuliaſque Alpeis, ne pervium illà Germanicis exercitibus foret, obſepſerat.* Annalium verò libro primo *Nauportum* adſcribit Pannoniæ, cum Velleio Paterculo, ſuprà citato; ſicut Plinius & Ptolemæus *Hemonam*. quam Herodianus lib. VIII, ubi accuratè hunc Alpium Iuliarum tranſitum deſcribit, perperam Italiæ titulo tribuit; ut ſuprà cap. II oſtenſum.

Sed quàm longè tandem harum *Iuliarum Alpium* nomen extenſum fuerit, nuſquàm adnotatum reperio. quidpe nullibi earum fit mentio, niſi ubi de alicuius exercitus tranſitu narrant rerum auctores. Proinde dubium manet, utrùm ipſæ tantùm fauces & via, quam C. Iulius Cæſar primus communivit, hoc nominis habuerint; an verò univerſæ *Carnicæ Alpes*, quàm longa tum patuit à Rhætiam ad Hiſtriam Iapidiamque Carnorum regio, ſub eodem vocabulo comprehenſæ fuerint.

Cæterùm alia, præter jam dicta, tributa fuiſſe eisdem *Carnicis Alpibus* vocabula, ex geographis diſco. Apud Strabonem, lib. IIII in deſcriptione Alpium hæc leguntur: Ὑπέρκειται δὲ τῶν Καρνῶν τὸ Ἀπέννινον ὄρος, λίμνην ἔχον ἐξιεῖσαν εἰς τὸν Ἴσαρον ποταμόν· ὃς παραλαβὼν Ἄταγιν ἄλλον ποταμὸν, εἰς τὸν Ἀδρίαν ἐκβάλλει. ἐκ δὲ τῆς αὐτῆς λίμνης καὶ ἄλλος ποταμὸς εἰς τὸν Ἴστρον ῥεῖ, καλούμενος Ἀτησῖνος. καὶ γὰρ ὁ Ἴστρος τὰς ἀρχὰς ἀπὸ τούτων λαμβάνει τῶν ὀρῶν, πολυσχιδῶν ὄντων καὶ πολυκεφάλων. μέχρι μὲν γὰρ δεῦρο ἀπὸ τῆς Λιγυστικῆς συνεχῆ τὰ ὑψηλὰ τῶν Ἄλπεων διέτεινε, καὶ ἑνὸς ὄρους φαντασίαν παρεῖχεν· εἶτ' ἀνεθέντα καὶ ταπεινωθέντα ἐξαίρεται πάλιν εἰς πλείω μέρη καὶ πλείους κορυφάς. πρώτη δ' ἐστὶ τούτων ἡ τοῦ Ῥήνου πέραν καὶ τῆς λίμνης, κεκλιμένη πρὸς ἕω, ῥάχις μετρίως ὑψηλὴ, ὅπου αἱ τοῦ Ἴστρου πηγαὶ, πλησίον Σουήβων καὶ τοῦ Ἑρκυνίου δρυμοῦ. ἄλλαι δ' εἰσὶν ἐπιστρέφουσαι πρὸς τὴν Ἰλλυρίδα καὶ τὸν Ἀδρίαν. ὧν ἐστι τὸ Ἀπέννινον ὄρος, τὸ λεχθὲν, καὶ τὸ Τοῦλλον καὶ Φλυγαδία, τὰ ὑπερκείμενα τῶν Οὐινδελικῶν, ἐξ ὧν ὁ Δούρας καὶ ὁ Κλάνις καὶ ἄλλοι πλείους

 χαραδρώ-

χαραδρώδεις ποταμοὶ συμβάλλουσιν εἰς τὸ τοῦ Ἴστρου ῥεῖθρον. καὶ οἱ Ἰάποδες δὲ περὶ τούτους οἰκοῦσι τοὺς τόπους καὶ ἡ Ὄκρα πλησίον τούτων ἐστίν. * . Ἡ δ' Ὄκρα ταπεινότατον μέρος τῶν Ἄλπεών ἐστι, καθ' ὃ συνάπτουσι τοῖς Καρνοῖς, καὶ δι' οὗ τὰ ἐκ τῆς Ἀκυληΐας φορτία κομίζουσιν ἁρμαμάξαις εἰς τὸ καλούμενον Πάμπορτον. Hoc eſt: *Supra Carnos Apenninus mons eſt, lacum habens exeuntem in Iſarum amnem: qui alium amnem Atagin recipiens, in Hadriam effluit. Ex eodem lacu alius fluvius, Ateſinus nomine, in Iſtrum defluit. nam & Iſter ab his initium ſumit montibus, in multas parteis multosque vertices ſciſſis. hucusque enim à Liguriâ ſumma Alpium juga continenter porriguntur; uniusque jugi ſpeciem præbent. hinc jam remiſſæ & humiliores factæ, rurſum porrò attolluntur in multas parteis multaque cacumina. Primum cacumen eſt trans Rhenum & lacum, dorſum quoddam verſùs orientem Solem mediocriter ſublime; ubi fontes ſunt Iſtri, prope Suevos & Hercynios ſaltus. alia hinc Illyrico ſunt obverſa & Hadriæ: ut Apenninus mons, jam antè dictus, & Tullus, ac Phlygadia, & montes ſupra Vindelicos; ex quibus Duras & Clanes, aliique complures impetuoſi amnes in Iſtrum confluunt. Iapodes quoque circa hæc loca incolunt: & Ocra his eſt contermina.* Mox: *Eſt autem Ocra pars Alpium humillima, Carnis contermina; per quam ab Aquileiâ curribus portantur merces ad Pamportum.* Locus ſanè omnibus ferè propriis regionum, opidorum, fluminum, montiumque nominibus quàm fœdiſſimè vitiatus. Quis, quæſo, ille hoc ſitu mons *Apenninus*? quis *Iſarus* amnis; quis *Atagis*; quis *Ateſinus*; quis *Duras*; quis *Clanes*? qui illi *Vindelici* Carnis Iapodibusque contermini? quod tandem illud *Pamportum*. Verùm pro hoc legendum eſſe *Nauportum*; & pro *Iapodibus*, *Iapydes*; jam dudum demonſtratum eſt. locus quoque iſte de lacu Inalpino ſupra Carnos quomodò reſtitui ſano ſenſui poſſit, ſuprà cap. XVIII in Venetis oſtendi. Ex Nauporti igitur cùm opidi tùm amnis, item ex Carnorum ſitu, qui ad Rhætos usque ſub imperatoribus Romanis pertinebant, amnes illi duo Δοῦρας atque Κλάνης genuinis germanisque nominibus erunt Δραῦος & Σαῦος, ut leguntur in ſuprà citato Strabonis lib. VII. Vocabulum autem Οὐινδελικῶν, quod nullo pacto locum heic habere poteſt; quum proximi Vindelicorum fines fuerint ad lævam Aeni ripam; corrigo in Νωρικῶν. *Dravus* quidpe atque *Savus* ex Alpibus oriuntur, qui Noricum ab Carnis diſpeſcebant. Librario incurioſo facilis fuit lapſus; quia Vindelicorum ſimul & Noricorum crebra antè in continuò præcedenti oratione fit nominatio. Τὸ Ἀπέννινον ὄρος doctiſſimus Strabonis commentator, Iſacius Caſaubonus, in Ποίνινον ὄρος emendandum eſſe exſtimavit. ſcilicet, quia lacum iſtum, Straboni memoratum, eumdem eſſe putavit, quem Ptolemæus Ποινίναν λίμνην, *Pœninum lacum* ad Duriæ Salaſſorum amnis fontem refert. Sed quid hoc ineptius, quid abſurdius eſſe poteſt? quum proximi Carnorum fines apud Plavis fontem millia paſſuum haud minùs CCLXX ab Duriæ fonte ſint diſſiti. Aut ipſe profectò Ptolemæus immenſùm erravit; lacum heic ſtatuens ad Duriæ fontem, ubi planè nullus eſt: aut librarii verba eius corruperunt; quæ vulgò nunc ita leguntur: Ἡ κεφαλὴ τοῦ Δουρίου ποταμοῦ, ἡ κατὰ τὴν Ποινίναν λίμνην. id eſt: *Caput Duriæ amnis, quod eſt juxta Pœninum lacum.* Heic ego equidem malim legere, κατὰ τὴν Ποινίναν Ἄλπιν, id eſt, *Iuxta Pœninam Alpem:* quum fons Duriæ, quem *Graia* quidem *Alpis* fundit, ad regionem *Summi Pennini*, quem ſuprà indicavimus, accedere videatur. verùm obſtat ipſius Ptolemæi ſententia; *Pœninarum Alpium* nomen in Rhæticis jugis locantis. tum Strabo etiam lib. IIII memorat lacum in Alpibus, juxta quem Duria exortus, per Salaſſos in Padum deferatur. de quo lacu infrà in Padi amniumque in eum confluentium deſcriptione agemus. Illud igitur apud Strabonem τὸ Ἀπέννινον ὄρος fortè corrigendum fuerit in τὸ Ἄλπιον ὄρος. ſic quidpe apud Aethicum ſcriptum eſt: *Fluvius Danubius naſcitur ex Alpibus. procedens geminatur; & effecti duo, Danubius & Dravus.* Mox: *Fluvius Suavus naſcitur in Norico de monte Alpion: jungit ſe Danubio.* Et apud Ptolemæum lib. VIII, in deſcriptione tabulæ Italiæ, ita ſcriptum eſt: Ὁ ἕκτος πίναξ τῆς Εὐρώπης περιέχει Ἰταλίαν· περιορίζεται δ' ἀπὸ ἄρκτων τοῖς τε ὑπὸ τῇ Ῥαιτίᾳ καὶ Οὐινδελικίᾳ Ἄλπιοις ὄρεσι καὶ τῷ ὑπὸ τὸ Νωρικὸν Ἀλπίῳ ὄρει, καλουμένῳ τε Καρουάγκᾳ. Id eſt: *Sexta Europæ tabula continet Italiam. terminatur à ſeptemtrionibus Alpium jugis, quæ ſub Rhætiâ & Vindeliciâ ſunt; & Alpio monte; qui ſub Norico eſt; vocaturque Caruanca.* Verùm heic ut plurali numero Ἄλπια ὄρη, ſic ſingulari Ἄλπιον ὄρος, quæ Latinè dicantur *Alpini montes*, & *Alpinus mons*; ſive etiam *Alpii montes*, & *Alpius mons*; non tam proprium ac peculiare unius certi alicuius inter Alpeis verticis

eſt

eſt nomen, quàm univerſarum Alpium communis adpellatio. voluitque Ptolemæus oſtendere, Carvancam eſſe montem in Alpibus; id eſt, eſſe montem Alpinum. Aethicus tamen montem, ex quo Dravus oritur, eo nomine ceu proprio adficit; quum de Danubio ſcribat, *naſcitur ex Alpibus*. Et reliqua Strabonis verba ſic nos ſuprà, cap XVIII in Venetis, reſtituere conati ſumus: Ὑπέρκειται τῶν Καρνῶν τὸ Ἄλπιον ὄρος, λίμνην ἔχον ἐξιεῖσαν εἰς τὸν Ἄταγιν ποταμόν· ὃν παραλαβὼν Ἄτησις ἄλλος ποταμὸς, εἰς τὸν Ἀδρίαν ἐκβάλλει. ἐκ δὲ τῆς αὐτῆς λίμνης καὶ ἄλλος ποταμὸς εἰς τὸν Ἴστρον ῥεῖ, καλούμενος Δραῦος. Id eſt: *Supra Carnos Alpius mon eſt, lacum habens exeuntem in Atagin amnem: quem alius amnis Ateſis recipiens, in mare Hadriaticum effluit. Ex eodem lacu alius item amnis in Iſtrum defertur, nomine Dravus*. Atque hoc eſt, quod mox poſteà ait; Ἄλλαι δὲ τῶν Ἄλπεων κορυφαί εἰσιν ἐπιστρέφουσαι πρὸς τὴν Ἰλλυρίδα καὶ τὸν Ἀδρίαν· ὧν ἐστὶ τό τε Ἄλπιον ὄρος, τὸ λεχθὲν, καὶ τὸ Τοῦλλον καὶ Φλυγαδία, τὰ ὑπερκείμενα τῶν Νωρικῶν· ἐξ ὧν ὁ Δραῦος καὶ ὁ Σαῦος καὶ ἄλλοι πλείους χαραδρώδεις ποταμοὶ συμβάλλουσιν εἰς τὸ τοῦ Ἴστρου ῥεῖθρον. Id eſt: *Alii autem Alpium vertices Illyrico ſunt obverſi & Hadriatico mari; ut Alpius mons, antè dictus, & Tullus, & Phlygadia, Noricis imminentes: ex quibus Dravus & Savus & alii complures impetuoſi fluvii in Iſtrum defluunt*. Illud καὶ, ante ὑπερκείμενα, prorſus tollendum eſt. namque ipſum Alpium montem Noricis imminere, ſatis fatetur ipſe Strabo, dum eum ſuper Carnos ſtatuit. Nec mirum ſit, unum certum inter Alpeis verticem ſingulari ſibi vocabulo adpellatum fuiſſe *Alpium*; quando etiam extrema ad Italiam, ut mox videbimus, Alpium pars ſupra Hiſtriam dicta fuit *Albius mons*: quum interim univerſæ etiam Alpes aliâ dialecto, ut hodiéque, *Albii montes* vocatæ fuerint; ut ſuperiori capite oſtenſum. ALPIVS igitur MONS, ex quo Dravus oritur, quique lacum habet in *Atagin*, id eſt, ut ſuprà cap. XVIII docui, in *Aeſacum* amnem exeuntem, id eſt jugum, quod vulgò hodiè vocatur *Monte Ceſe*, ſive *Sceſe*: complureis amneis in varias cœli regiones emittens: per quod iter ſuprà ſcriptum ab Aquileiâ ferebat in Noricum, per *Triceſimum*, *Iulium Carnicum*, & *Aguntum*.

Iam TVLLVS & PHLYGADIA qui & quo ſitu fuerint *montes*, uti diſpiciamus, OCRA priùs MONS erit indicandus. Ocra mons. De hoc ita Ptolemæus in deſcriptione Rhætiæ: Τῆς Ῥαιτίας ἡ ἀπὸ μεσημβρίας πλευρὰ ὁρίζεται τοῖς ὑπὲρ τὴν Ἰταλίαν Ἀλπίοις ὄρεσιν· ὧν τὰ μὲν πρὸς ταῖς Γραίαις, τὰ δὲ πρὸς ταῖς Ποινίναις, κατὰ τὴν ἀρχὴν τοῦ Λυκίου ποταμοῦ, τὰ δὲ πρὸς τῇ Ὄκρᾳ ὄρη [lege ὄρει.] Id eſt: *Rhætiæ latus meridionale terminatur Alpium jugis, ſuper Italiam extenſis: quorum alia in Graiis ſunt Alpibus, alia in Pœninis, juxta Lyciæ amnis fontem; alia in Ocrâ monte*. Item in Italiæ deſcriptione: Ἡ δὲ Ἰταλία περιορίζεται ἀπὸ τῶν ἄρκτων τοῖς τε ὑπὸ τὴν Ῥαιτίαν Ἀλπίοις ὄρεσι καὶ ταῖς Ποινίναις, καί τῇ Ὄκρᾳ καὶ τῷ Καρουάγκᾳ ὄρεσι τοῖς ὑπὸ τὸ Νωρικόν· ὧν αἱ θέσεις εἴρηνται. Id eſt: *Italia ab ſeptemtrionibus terminatur Alpibus, quæ ſunt ſub Rhætiâ; & item Pœninis atque Ocrâ ac Caruancâ montibus, qui ſunt ſub Norico: quorum ſitus jam anteà dicti*. Quia ad Rhætiam nullas ſcivit vel agnovit *Rhæticas Alpeis*; *Pœninas*, ut ſuprà demonſtratum, ei tribuit: hiſque *Ocram* conjunxit, ad eiusdem Rhætiæ finem, ſupra Opitergium & Altinum, Venetiæ opida. Ad hanc de Ocrâ ſententiam & Strabo accedere videtur lib. VII, his verbis: Ἡ δ᾽ Ὄκρα ταπεινότατόν μέρος τῶν Ἄλπεών ἐστι, τῶν διατεινουσῶν ἀπὸ τῆς Ῥαιτικῆς μέχρι Ἰαπόδων. Id eſt: *Ocra pars eſt humillima Alpium, à Rhætiâ ad Iapydes usque porrectarum*. Et in eamdem mentem lib. IIII: Ἡ δ᾽ Ὄκρα ταπεινότατον μέρος τῶν Ἄλπεών ἐστι, καθ᾽ ὃ συνάπτουσι τοῖς Καρνοῖς, καὶ δι᾽ οὗ τὰ ἐκ τῆς Ἀκυληίας φορτία κομίζουσιν ἁρμαμάξαις εἰς τὸ καλούμενον Ναύπορτον. Id eſt: *Ocra pars eſt Alpium humillima, Carnis contermina; per quam ab Aquileiâ curribus portantur merces ad Nauportum*. Verùm, ſi *Ocra* jam inde à Rhætis incipit; *Alpius* certè & *Tullus* ac *Phlygadia* montes, ex quibus ſupra Carnos Dravus & Savus aliique amnes profluunt, partes fuêre ipſius Ocræ, inter humiliores huius monteis in vertices celſioreis elatæ. Fatetur hoc ipſe Strabo, ſatis diſertis verbis, dicto lib. IIII continuò antè. Ὑπέρκειται δὲ τῶν Καρνῶν, inquit, τὸ Ἄλπιον ὄρος, λίμνην ἔχον ἐξιεῖσαν εἰς τὸν Ἄταγιν ποταμόν· ὃν παραλαβὼν Ἄτησις ἄλλος ποταμὸς, εἰς τὸν Ἀδρίαν ἐκβάλλει. ἐκ δὲ τῆς αὐτῆς λίμνης καὶ ἄλλος ποταμὸς εἰς τὸν Ἴστρον ῥεῖ καλούμενος Δραῦος. καὶ γὰρ ὁ Ἴστρος τὰς ἀρχὰς ἀπὸ τούτων λαμβάνει τῶν ὀρῶν, πολυσχιδῶν ὄντων καὶ πολυκεφάλων. μέχρι μὲν γὰρ δεῦρο ἀπὸ τῆς Λιγυστικῆς συνεχῆ τὰ ὑψηλὰ τῶν Ἄλπεων διέτεινε, καὶ ἑνὸς ὄρους φαντασίαν παρεῖχεν· εἶτ᾽ ἀναθέντα καὶ ταπεινωθέντα, ἐξαίρεται πάλιν εἰς πλείω μέρη καὶ πλείους κορυφάς. πρώτη δ᾽ ἐστὶ τούτων ἡ τοῦ Ῥήνου πέραν καὶ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

τῆς λίμνης, κεκλιμένη πρὸς ἕω, ῥάχις μετρίως ὑψηλή, ὅπου αἱ τοῦ Ἴστρου πηγαί, πλησίον Σουήβων καὶ τοῦ Ἑρκυνίου δρυμοῦ. ἄλλαι δ' εἰσὶν ἐπιστρέφουσαι πρὸς τὴν Ἰλλυρίδα καὶ τὸν Ἀδρίαν· ὧν ἐστι τό τε Ἄλπιον ὄρος, τὸ λεχθὲν, καὶ τὸ Τοῦλλον, καὶ Φλυγαδία, τὰ ὑπερκείμενα τῶν Νωρικῶν· ἐξ ὧν ὁ Δραῦος καὶ ὁ Σαῦος, καὶ ἄλλοι πλείους χαραδρώδεις ποταμοὶ συμβάλλουσιν εἰς τὸ τοῦ Ἴστρου ῥεῖθρον. καὶ οἱ Ἰάπυδες περὶ τούτους οἰκοῦσι τοὺς τόπους· καὶ ἡ Ὄκρα πλησίον τούτων ἐστίν. Id eſt: *Supra Carnos Alpius eſt mons, lacum habens exeuntem in Atagin amnem; quem alius amnis Ateſis recipiens, in mare Hadriaticum effluit. Ex eodem lacu alius item fluvius in Iſtrum defertur, nomine Dravus. nam & Iſter ab his initium ſumit montibus, in multas parteis multosque vertices ſciſſis. hucusque enim à Liguriâ ſumma Alpium juga continenter porriguntur; uniusque montis ſpeciem præbent. hinc remiſſæ & humiliores factæ, rurſum attolluntur in multas parteis multaque cacumina. Primum cacumen eſt trans Rhenum & lacum, dorſum quoddam versùs orientem Solem mediocriter ſublime: ubi fontes Iſtri ſunt, prope Suevos & Hercynium ſaltum. alia ſunt Illyrico obverſa & Hadriatico mari; ut Alpius mons, jam antè dictus, & Tullus, ac Phlygadia, Noricis imminentes: ex quibus Dravus & Savus aliique complures impetuoſi amnes in Iſtrum influunt. Iapydes quoque circa hæc loca incolunt: & Ocra his contermina eſt.* De Iſtri fontibus etiam ſub initium libri VII ita ſcribit: Ἄρχεται δ' ὁ Ἴστρος πλησίον τοῦ μυχοῦ τοῦ Ἀδριατικοῦ, διέχων αὐτοῦ περὶ χιλίους σταδίους. id eſt: *Oritur Iſter prope intimum ſinus Hadriatici receſſum; à quo CIↃ ferè ſtadia diſtat.* Hoc eſt, millia paſſuum CXXV. Paullo autem pòſt ait, eſſe eius fonteis unà cum Rheni fontibus propè *Boiohæmum*. qua ratione iſtic lib. IIII fonteis Iſtri propius Carnos quoque admovit. Partes igitur Ocræ eminentiores fuêre *Alpius, Tulius,* & *Phlygadia*, montes. Horum autem ſinguli qui hodiè ſint habendi, haud facilè quisquam dixerit. nec equidem ego præſtiterim, incorrupta ac ſana eſſe vocabula *Tullus*, & *Phlygadia*. Ptolemæus, ut ſuprà relatum, in deſcriptione Italiæ, Ἡ δὲ Ἰταλία inquit, περιορίζεται ἀπὸ ἄρκτων τοῖς τε ὑπὸ τὴν Ῥαιτίαν Ἀλπίοις ὄρεσι, καὶ τοῖς Ποινίνοις, καὶ τῇ Ὄκρᾳ καὶ τῷ Καρουσαδίῳ ὄρεσι, τοῖς ὑπὸ τὸ Νωρικόν· ὧν αἱ θέσεις εἴρηνται. Hoc eſt: *Italia terminatur ab ſeptemtrionibus Alpibus, quæ ſunt ſub Rhætiâ, & item Pœninis atque Ocrâ & Caruſadio montibus; qui ſunt ſub Norico: quorum ſitus antè dicti ſunt.* Nusquàm ſunt dicti, niſi in ipſius Rhætiæ ac Norici & Pannoniæ ſuperioris deſcriptione. At heic nullus nominatur Καρουσάδιος mons; ſed loco eius Καρουάγκας, CARVANCA. In Norico:

CARVANCA *mons.*

Τὸ Νωρικὸν περιορίζεται ἀπὸ μεσημβρίας τῷ ὑπὲρ τὴν Ἰστρίαν ὄρει, ὃ καλεῖται Καρουάγκας. Id eſt: *Noricum terminatur ab meridie monte ſuper Hiſtriam ſito, cui nomen Caruanca.* In Pannoniâ ſuperiore: Ἡ Παννονία ἡ ἄνω περιορίζεται ἀπὸ μὲν δύσεως τῷ Κετίῳ ὄρει, καὶ ἐκ μέρους τῷ Καρουάγκᾳ. ἀπὸ δὲ μεσημβρίας, τῆς τε Ἰστρίας καὶ τοῦ Ἰλλυρίδος μέρει, κατὰ παράλληλον γραμμὴν, τὴν ἀπὸ τοῦ εἰρημένου δυσμικωτάτου πέρατος, διὰ τοῦ Ἀλβανοῦ ὄρους, μέχρι τῶν Βεβίων ὀρέων, καὶ τοῦ ὅρου τῆς κάτω Παννονίας. Id eſt: *Pannonia ſuperior terminatur ab occidente Cetio monte, & quadam ex parte Caruancâ: ab meridie Hiſtriæ Illyricique parte, juxta lineam æquidiſtantem, ab dicto fine maximè occiduo, per Albanum montem, usque ad monteis Bebios, & terminum Pannoniæ inferioris.* Atque ſuprà dicto quoque libro VIII, de Italiæ tabulâ: Περιορίζεται ἀπὸ τῶν ἄρκτων τοῖς τε ὑπὸ τὴν Ῥαιτίαν καὶ Οὐινδελικίαν Ἀλπίοις ὄρεσι καὶ τῷ ὑπὸ τὸ Νωρικὸν Ἀλπίῳ ὄρει, καλουμένῳ τε Καρουάγκᾳ. Id eſt: *Terminatur ab ſeptemtrionibus Alpinis montibus, qui ſunt ſub Rhætiâ atque Vindeliciâ; item Alpino monte, qui ſub Norico eſt, vocaturque Caruanca.* Quum igitur hoc, vocabulum conſtanti ſcripturâ ter apud Ptolemæum exſtet; illud τῷ Καρουσαδίῳ corruptum ex eo ab incurioſo exſcriptore eſſe cenſeo; licèt in poſteriore ſui parte quodammodò ad illud Strabonis Φλυγαδία accedere videatur. Cæterùm Ptolemæus in Italiæ deſcriptione τὸ μέσον τοῦ Καρουάγκα, id eſt, *medium Caruancæ*, ſtatuit ſuper Formionis amnis oſtium; quo equidem ſitu rectè ſupra Hiſtriam fuerit: ſiquidem Ptolemæus Hiſtriam ex antiquiſſimis auctoribus, ut ſuprà cap. XVIIII in Carnis oſtenſum, ad Timavum usque flumen producit. Quòd ſi autem Caruanca re verà eo tractu fuerit; & ipſe ſanè pars Ocræ exſtitit. ſic namque tradit Strabo dicto lib. VII: Ἡ δ' Ὄκρα ταπεινότατον μέρος τῶν Ἄλπεών ἐστι, τῶν διατεινουσῶν ἀπὸ τῆς Ῥαιτικῆς μέχρι Ἰαπόδων. ἐντεῦθεν ἐξαίρεται τὰ ὄρη πάλιν ἐν τοῖς Ἰάπυσι, καὶ καλεῖται Ἄλβια. Ὁμοίως δὲ καὶ ἐκ τῆς Τεργέστης, κώμης Καρνικῆς, ὑπέρθεσίς ἐστι διὰ τῆς Ὄκρας εἰς ἕλος Λούγεον καλούμενον. Id eſt: *Ocra pars eſt humillima Alpium, ab Rhætiâ ad Iapydes usque porrectarum. apud Iapydes rurſum ſeſe attollunt montes; vocanturque Albii. Similiter & à Tergeſto, vico Carnico, transitus per Ocram eſt ad Lugeam paludem.*

paludem. Hæc hodiè vocatur à vicino vico *Tzirknitzer ſee*; id eſt, *lacus Circonicenſis*. nam lacus veriùs eſt, quàm palus; ut ſuprà cap. XXI in Hiſtris deſcripſi. Straboni adſentitur & Plinius lib. III cap. XX. *Incolæ*, inquit, *Alpium multi populi: ſed illuſtres, à Pola ad Tergeſtis regionem, Secuſſes, Subocrini, Catili, Menocaleni: juxtaque Carnos, quondam Tauriſci adpellati, nunc Norici*. Ergo & Strabonis ſimul & Plinii ſententiâ circa Formionis etiam fonteis fuit *Ocra*: unde adcolæ dicebantur *Subocrini*.

Hinc jam reliqua pars Alpium ſupra Hiſtriam dicebatur τὰ Ἄλβια ὄρη, id eſt, ALBII MONTES; teſte Strabone loco proximè dicto: vel etiam ſingulari numero τὸ Ἄλβιον ὄρος, ALBIVS MONS. Strabo ibidem paullo pòſt: Ἵδρυνται οἱ Ἰάπυδες ἐπὶ τῷ Ἀλβίῳ ὄρει, τελευταίῳ τῶν Ἄλπεων ὄντι. Id eſt: *Siti ſunt Iapydes in Albio monte; qui finis eſt Alpium*. Apud Ptolemæum, præſcripto loco in Pannoniæ ſuperioris deſcriptione, idem mons corrupto vocabulo eſt τὸ Ἀλβανὸν ὄρος, *Albanus mons*. quo nomine celebratiſſimus omni ævo fuit mons in Latio, in conſpectu urbis Romæ; de quo ſuo loco dicetur. Ad *Tedanium* usque flumen extenſam fuiſſe *Iapydiam*, ſuprà cap. XVIIII & item cap. XXXI oſtenſum eſt. idem igitur & *Albii montis* fuerit finis. Atque hactenus ALPIVM nomen, longitudo, latitudo, altitudo, & naturâ, partesque & cognomina, item itinera explicita ſunt. ALBIVS mons.

At poſteriori ſæculo, ut ſuprà dixi, quum antiqua provinciarum Italiæ nomina limitesque immutarentur, *Alpium* quoque *Cottiarum* ac *Maritimarum* nomina inter ſe transpoſita ſunt. Paullus Diaconus lib. II cap. XVI: *Quinta provincia Alpes Cottiæ dicuntur: quæ ſic à Cottio rege, qui Neronis tempore fuit, adpellatæ ſunt. Hæc à Liguriâ in Eurum versùs, usque ad mare Tyrrhenum extenditur; ab occiduo verò Gallorum finibus copulatur. In hac Aquis, ubi aquæ calidæ ſunt, Dertona, & monaſterium Bobium, Genua quoque & Saona, civitates habentur*. Liuthprandus Ticinenſis, Hiſtoriar. lib. IIII cap. II: *In Iannenſi urbe; quæ eſt in Alpibus Cocciis*. Libellus provinciarum Galliæ: *Provincia Viennenſis quarta, in Alpibus Maritimis. Metropolis civitas Ebrodunenſium; civ. Dignenſium, civ. Rigomagenſium, civ. Solinienſium, Civ. Glanatica, civ. Celemenſium, civ. Ventienſium*. Ex his *Ebrodunum*, vulgò nunc *Embrun*, in ipſo Alpium Cottiarum itinere fuit; ut ſuprà patuit.

CAP. XXXIII.

Qui mortalium primi ALPEIS *ſuperaverint: quique poſteà alii ſubinde atque alii exercitus quibus itineribus transſcenderint. ubi de* HANNIBALIS *transitu plurima eſt diſſertatio.*

HActenus igitur tractum Alpium, magnitudinem ac naturam, quæque celebria olim per eas fuêre itinera, ſummâ curâ diligentiâque expoſui. hæc qui mortalium primi aperuerint, antequàm disquiratur, de difficultatibus transituum pauca quædam ex antiquorum auctorum adnotationibus præmittenda erunt. Plinius lib. XXXVI cap. I: *In portento propè maiores habuère Alpeis ab Hannibale exſuperatas, & poſteà à Cimbris*. Livius lib. V: *Alpes inde oppoſitæ erant. quas inexſuperabileis viſas, haud equidem miror; nullâ dum viâ ſuperatas. Ibi, quum velut ſeptos montium altitudo teneret Gallos; circumſpectarentque, quànam per juncta cælo juga in alium Orbem terrarum transirent, religio etiam tenuit*. Murorum in vicem circumdare munireque ab ſeptemtrionibus Italiam, complures tradiderunt ſcriptores; quorum verba ſuprà ſub initium capitis XXXI citavi. Paullus Diaconus Langobard. rer. lib. II cap. VIIII ita ſcribit: *Italia ab occiduo & Aquilone jugis Alpium ita circumcluditur, ut, niſi per anguſtos meatus, & per ſumma juga montium, non poſſit habere introitum. ab orientali verò parte, quà Pannoniæ conjungitur, & largiùs patentem & planiſſimum habet ingreſſum*. De huius quoque anguſtiis teſteis audivimus complureis auctores ſuperiori capite, & item cap. XX in Carnis. ſed inter alios ita ſcribit Herodianus ſub initium libri VIII; ubi de Maximini è Pannoniâ in Italiam transitu narrat: Ἅμα ἡλίῳ ἐπὶ τὰς Ἄλπεις ἠπείγοντο· ἅπερ ὄρη ὑπερμήκη, ὥσπερ τεῖχος Ἰταλίας, ἡ φύσις ἤγειρεν, ὑπερνεφῆ μὲν τὸ ὕψος,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

σκέπεται δὲ ὕλαις δασείαις καὶ πυκναῖς· τὰς δὲ διεξόδους ἐστένωται, ἢ διὰ κρημνοὺς εἰς βάθος μέγα-στον ἀποῤῥωγότας, ἢ διὰ πετρῶν τραχύτητα. στενωποὶ γάρ εἰσι χειροποίητοι μετὰ πολλοῦ καμάτου τοῖς πάλαι Ἰταλιώταις εἰργασμένοι. Id eſt: *Simul cum Sole exoriente ad Alpeis pervenerunt. Hi ſunt longiſſimi quidam montes, vice murorum Italiæ à naturâ circumdati; adeò in altum evecti, ut nubeis ſuperare videantur: denſis ubique nemoribus inſeſſi, atque anguſtiſſimis callibus rupiumque præruptâ altitudine & ſcopulorum aſperitate vix pervii: nonnullis tamen quaſi ſemitis magno veterum Italorum labore manufactis.* Petronius Arbiter in Satyrico, de Iulii Cæſaris è Galliâ in Italiam tranſitu per Maritimas Alpeis, quem ille falſò putavit per Graias factum, ita canit:

Eſt locus Herculeis aris ſacer: hunc nive durâ
Claudit hiems, canoque ad ſidera vertice tollit.
Cœlum illic cecidiſſe putes. non Solis adulti
Manſveſcit radiis, non verni temporis aurâ:
Sed glacie concretâ rigens, hiemiſque pruinis
Totum ferre poteſt humeris minitantibus Orbem.

Et aliquanto pòſt:

Prima quidem glacies, & canâ junctâ pruinâ
Non pugnavit humus, mitique horrore quievit.
Sed poſtquàm turbæ nimbos fregêre ligatos,
Et pavidus quadrupes undarum vincula rupit;
Incaluêre nives: mox flumina montibus altis
Vndabant modò nata. ſed hæc quoque juſſa putares.
Vinctaque mox ſtabant, fluctus ſtupuêre pruinâ;
Et paullo antè lues jam concidenda jacebat.
Tum verò maleſida priùs veſtigia luſit
Decepitque pedes: paſſim turmæque virique
Armaque congeſtâ ſtrue deplorata jacebant.

Claudianus, in carmine de bello Gotico, de Stiliconis tranſitu per Rhæticas Alpeis Clavennamque & Curiam, Rhætorum opida:

Protinus, umbroſâ veſtit quà litus olivâ
Larius, & dulci mentitur Nerea fluctu,
Parvâ puppe lacum prætervolat ociùs. inde
Scandit inacceſſos brumali ſidere monteis;
Nil hiemis cœlive memor.

Mox poſteà:

Sed latus, Heſperiæ quo Rhætia jungitur oræ,
Præruptis ferit aſtra jugis, panditque tremendam
Vix æſtate viam. multi, ceu Gorgone viſâ,
Obriguêre gelu: multos hausêre profundæ
Vaſtâ mole nives: cumque ipſis ſæpè juvencis
Naufraga candenti merguntur plauſtra barathro.
Interdum ſubitam, glacie labente, ruinam
Mons dedit, & tepidis fundamina ſubruit Auſtris
Pendenti malè fida ſolo. Per talia tendit
Frigoribus mediis Stilico loca.

Silius lib: III, de Hannibalis tranſitu; quem ille exiſtimavit, ex Livii auctoritate, per Cottias Alpeis factum:

Sed jam præteritos ultrà meminiſſe labores
Conſpectæ propiùs dempsêre paventibus Alpes.
Cuncta gelu canâque æternùm grandine tecta,
Atque ævi glaciem cohibent. riget ardua montis
Aetherii facies; ſurgentique obvia Phœbo
Duratas neſcit flammis mollire pruinas.
Quantum Tartareus regni pallentis hiatus
Ad maneis imos atque atræ ſtagna paludis
A ſuperâ tellure patet; tam longa per auras
Erigitur tellus, & cœlum intercipit umbrâ.

Nullum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Nullum ver usquàm, nulliquè æſtatis honores.
Sola jugis habitat diris, ſedeisque tuetur
Perpetuas, deformis hiems. illa undique nubeis
Huc atras agit & mixtos cum grandine nimbos.
Iam cuncti flatus ventique furentia regna
Alpinâ poſuère domo. caligat in altis
Obtutus ſaxis, abeuntque in nubila montes.

Paullo poſt:

Tum, quà durati concreto frigore collis
Lubrica fruſtratur canenti ſemita clivo,
Luctantem ferro glaciem premit; haurit hiatu
Nix reſoluta viros; altoque à culmine præceps
Viventeis turmas operit delapſa ruina.
Interdum adverſo glomeratos turbine Corus
In media ora niveis fuſcis agit horridus alis:
Aut rurſum, immani ſtridens avulſa procellâ,
Audacis rapit arma viri; volvensque per orbem
Contorto rotat in nubeis ſublimia flatu.
Quóque magis, ſubire jugo atque evadere niſi,
Erexère gradum; creſcit labor. ardua ſuprà
Seſe aperit feſſis & naſcitur altera moles:
Vnde nec domitos exſudatosque labores
Reſpexiſſe libet. tantâ formidine plena
Exterrent repetita oculis; atque una pruinæ
Canentis, quacúmque datur permittere viſus,
Ingeritur facies.

Ammianus Marcellinus lib. xv: *In his Alpibus Cottiis, quarum initium à Seguſione opido eſt, præcelſum erigitur jugum, nulli ferè ſine diſcrimine penetrabile. eſt enim è Galliis venientibus, pronâ humilitate devexum, pendentium ſaxorum altrinſecus viſu terribile; præſertim verno tempore. cum liquente gelu nivibusque ſolutis flatu gelidiore ventorum, per diruptas utrimque anguſtias, & lacunas pruinarum congerie latebroſas, deſcendentes cunctantibus plantis homines & jumenta procidunt, & carpenta. idque remedium ad arcendum exitium repertum ſolum, quòd pleraque vehicula, vaſtis funibus illigata, ponè cohibente virorum vel boum niſu valido, vix greſſu reptante, paullo tutiùs devolvuntur. Et hæc, ut diximus, anni verno tempore contingunt. Hieme verò humus cruſtata frigoribus & tamquàm levigata, ideóque labilis, inceſſum præcipitantem impellit: & patulæ valles, per ſpacia plana glacie perfidæ, vorant nonnumquàm transeunteis. ob quæ locorum callidi eminenteis ligneos ſtylos per cautiora loca defigunt; ut eorum ſeries viatorem ducat innoxium. qui ſi nivibus operti latuerint, montanis defluentibus rivis everſi; agreſtibus præviis difficile pervaduntur.* Strabo lib. IIII, in Alpium deſcriptione: Ὑπέρκειται δὲ τοῦ Κώμου, τῇ μὲν Ῥαιτοὶ καὶ Οὐέννωνες, ἐπὶ τὴν ἕω κεκλιμένοι, τῇ δὲ Λιπόντιοι καὶ Τριδεντῖνοι καὶ Στόνοι, καὶ ἄλλα πλείω μικρὰ ἔθνη κατέχοντα τὴν Ἰταλίαν ἐν τοῖς πρόσθεν χρόνοις, λῃστρικὰ καὶ ἄπορα. νυνὶ δὲ τὰ μὲν ἐξέφθαρται, τὰ δ' ἡμέρωται τελέως. ὥστε τὰς δι' αὐτῶν ὑπερβολὰς τοῦ ὄρους, [lege τῶν ὀρῶν· ſequitur enim mox, ὧν ἔν.] πρότερον οὔσας ὀλίγας καὶ δυσπεράτους, νυνὶ πολλαχόθεν εἶναι καὶ ἀσφαλεῖς ἀπὸ τῶν ἀνθρώπων καὶ εὐβάτους· ὧν ἔνεστι διὰ τὴν κατασκευήν· προσέθηκε γὰρ ὁ Σεβαστὸς Καῖσαρ τῇ καταλύσει τῶν λῃστῶν τὴν κατασκευὴν τῶν ὁδῶν, ὅσον οἷόν τ' ἦν. οὐ γὰρ δυνατὸν πανταχοῦ βιάσασθαι τὴν φύσιν διὰ πετρῶν καὶ κρημνῶν ἐξαισίων, τῶν μὲν ὑπερκειμένων τῆς ὁδοῦ, τῶν δ' ὑποπιπτόντων, ὥστε καὶ μικρὸν ἐκβᾶσιν ἄφυκτον εἶναι τὸν κίνδυνον, εἰς φάραγγας ἀβύσσους τοῦ πτώματος ὄντος. οὕτω δ' ἐστὶ στενὴ κατ' αὐτὸ ἡ ὁδὸς, ὥστ' ἴλιγγον φέρειν τοῖς πεζῇ βαδίζουσι καὶ αὐτοῖς καὶ ὑποζυγίοις τοῖς ἀήθεσι· τὰ ἐπιχώρια κομίζει τοὺς φόρτους ἀσφαλῶς. οὔτ' οὖν ταῦτα ἰάσιμα, οὔθ' αἱ καταλισθάνουσαι πλάκες τῶν κρυστάλλων ἄνωθεν ἐξαίσιοι, συνοδίαν ὅλην ἀπολαμβάνειν δυνάμεναι, καὶ συνεξωθεῖν εἰς τὰς ὑποπιπτούσας φάραγγας. πολλαὶ γὰρ ἀλλήλαις ἐπίκεινται πλάκες πάγων ἐπὶ πάγοις γινομένων χιόνος κρυσταλλοειδῶν, καὶ τῶν ἐπιπολῆς ἀεὶ ῥᾳδίως ἀπολυομένων ἀπὸ τῶν ἐντὸς πρὶν διαλυθῆναι τελέως ἐν τοῖς ἡλίοις. Hoc eſt: *Supra Comum hinc Rhæti ac Vennones versùs ortum Solis, illinc Lepontii & Tridentini ac Stoni & aliæ complures exiguæ gentes colunt: quæ ſuperioribus temporibus Italiam habuerunt, latrociniis deditæ ac pauperes. ea nunc partim exciſæ ſunt, partim domitæ. ut transitus montium per illas, qui olim erant*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

pauci & ſuperatu difficiles, multis nunc locis pateant, tutique ſint ab injuriâ hominum, & expediti. in quorum montium uno perfectum id eſt opere. nam Auguſtus Cæſar latronum excidio viarum ſtructuram adjecit; quantam equidem licuit. neque enim potuit ubique vi perrumpi natura ſaxorum & ingentium præruptarumque rupium, quæ aliàs viæ impendent, aliàs ſubjacent; ita, uti puſillum è viâ egreſſis periculum ſit inevitabile; quum in valleis fundo carenteis ſit decidendum. interdum verò ita arcta eſt via, ut & peditibus & jumentis non adſvetis vertigo oboriatur. incolarum autem jumenta facilè ac ſecurè onera portant. Quapropter neque huic incommodo mederi poteſt, neque delapſui ingentium glaciei tabularum; quæ integrum etiam comitatum obruere & in ſubjectas deturbare valleis poſſunt. multæ enim alia ſuper aliam jacent glaciei tabulæ, ſubinde uno poſt alterum gelu concreſcente in glaciei formam nive. quarum tabularum quæ in ſuperficie ſunt, facilè quovis tempore ab interioribus ſolvuntur, antequàm à Sole penitus liquentur. Tridentinarum heic Alpium tranſitum, qui eſt juxta Atheſis ripam, innuere Strabonem exiſtimo. hæc quidpe proxima in Vindelicos ſimul atque Noricos frequentiſſimaque fuit via. His jam adde, quæ Sidonius Apollinaris epiſtolâ XV libri IIII perſcripſit in hæc verba: *Quamquàm extremus autumnus jam diem breviat, & viatorum ſolicitas aureis, foliis toto nemore labentibus, crepulo fragore circumſtrepit; inque caſtellum, ad quod invitas, utpote Alpinis rupibus cinctum, ſub vicinitate brumali difficiliùs adſcenditur: nos tamen, Deo prævio, per tuorum montium latera confragoſa venientes, nec ſubjectas cauteis nec ſuperjectas niveis expaveſcimus; quamvìs jugorum profunda declivitas, aggere cochleatim facto, ſæpè redeunda ſit.* Huiusmodi ambitioſæ in Alpium tranſitibus viæ, & variis amfractibus multiplicibusque gyris quaſi ad eadem loca ſæpiùs reducentes, dum à ſummo ad imum deſcenditur, in pleriſque declivibus præcipitibusque jugis ſtructæ ſunt. Sed de his ſimul ac reliquis Alpinarum viarum difficultatibus, item de modis eas ſuperandi plura cognoſcere qui cupiat, doctiſſimum Ioſiæ Simleri de Alpibus adeat commentarium. nobis ſufficit, ea adduxiſſe, quæ ab antiquis adnotata ſunt auctoribus.

ALPEIS *qui mortalium primi tranſſcenderint.*

De cætero quum tot ac tantæ hodiéque ſint in ſuperandis Alpibus difficultates, haud injuriâ *in portento propè*, ut ait ſuprà dicto lib. XXXVI cap. I Plinius, priſci Romani videntur *habuiſſe eas ab Hannibale exſuperatas, & poſteà à Cimbris*: nec immeritò inter antiquos etiam auctores magna fuit quæſtio, quinam mortalium primi tranſſcenderint. Plurimorum opinio fuit, Herculem id feciſſe Thebanum. de quo ita tradit Ammianus Marcellinus prædicto lib. XV; poſtquàm Cottiarum Alpium tranſitum adcuratè deſcripſit: *Et licèt hæc, quam diximus, via media ſit, & compendiaria, magiſque celebris; tamen etiam aliæ multo anteà temporibus ſunt conſtructæ diverſis. Primam Thebanus Hercules, ad Geryonem exſtingvendum & Tauriſcum leniùs gradiens, prope Maritimas compoſuit Alpeis: hicque harum nomen indidit; Monæci ſimiliter arcem & portum ad perennem ſui memoriam conſecravit.* Et Pompeii Trogi breviator Iuſtinus lib. XXIIII: *Galli, abundanti multitudine, quum eos non caperent terræ, quæ genuerant, trecenta millia hominum ad ſedeis novas quærendas, velut ver ſacrum, miſerunt. ex his portio in Italiâ conſedit; portio Illyricos ſinus per ſtrages barbarorum penetravit, & in Pannoniâ conſedit: gens aſpera, audax, bellicoſa; quæ prima poſt Herculem, cui ea res virtutis admirationem & immortalitatis fidem dedit, Alpium invicta* [an *invia?*] *juga & frigore intractabilia loca tranſſcendit*. De eodem Hercule ſic canit Silius dicto lib. III:

Primus inexpertas adiit Tirynthius arceis.
Scindentem nubeis frangentemque ardua montis
Spectarunt ſuperi, longiſque ab origine ſæclis
Intemerata gradu magnâ vi ſaxa domantem.

Et Dionyſins Halicarnaſſenſis Antiquitat. Rom. lib. I de eodem ita ſcribit: Ἀφίκετο δὲ εἰς Ἰταλίαν οὐ μονόστολος, οὐδὲ ἀγέλην βοῶν ἐπαγόμενος· οὔτε γὰρ χῶρος ἐν τέλει τοῖς εἰς Ἄργος ἐξ Ἰβηρίας ἀναγκαζομένοις, οὔτε τοῦ διελθεῖν ἕνεκα τὴν χώραν τοσαύτης ἂν ἠξιώθη τιμῆς. ἀλλ᾽ ἐπὶ δουλώσει καὶ ἀρχῇ τῶν τῇδε ἀνθρώπων στρατὸν ἄγων πολύν, Ἰβηρίαν ἤδη κεχειρωμένος. διατρίψαι δὲ αὐτόθι πλείω χρόνον ἠναγκάσθη, ὑπό τε ναυτικοῦ τῇ ἀπουσίᾳ, ἣ ἐγένετο χειμῶνος ἐπιβαλόντος, καὶ τῷ μὴ πάντα τὰ ἔθνη τὰ κατέχοντα Ἰταλίαν προσχωρῆσαι αὐτῷ ἑκούσια. χωρὶς γὰρ τῶν ἄλλων βαρβάρων, τὸ Λιγύων γένος, πολὺ καὶ μάχιμον, ἐπὶ ταῖς παρόδοις τῶν Ἀλπίων ὀρῶν ἱδρυμένον, ἀποκωλύειν ὅπλοις τὰς εἰσβολὰς αὐτοῦ εἰς τὴν Ἰταλίαν ἐπεχείρησεν· ἔνθα μέγιστος ἀγὼν τοῖς Ἕλλησιν ἐγένετο, πάντων αὐτοὺς ἐπιλειπόντων ἐν τῇ μάχῃ τῶν βελῶν. Hoc eſt: *In Ita-*

In Italiam venit non absque comitatu, nec agens præ ſe armenta boum. nec enim trita eſt per has terras via iis, quos Argos ex Hiſpaniâ petere cogit uſus. neque ob regionis peragrationem tantis potitus fuiſſet honoribus. ſed, perdomitâ Hiſpaniâ, cum juſto exercitu venit ad ſubjugandos eorum locorum homines. Coactus verò eſt ibi multum temporis terere, ob claſſis abſentiam: quæ distinebatur hibernis tempeſtatibus: tum, quia non omnes Italicæ gentes ultro ad imperium eius adcedebant. nam, præter cæteros barbaros, Ligurum gens, magna & bellicoſa, in tranſitu Alpium ſita, armis eum arcere ab Italiæ ingreſſu conata eſt. ubi Græcis fuit certamen difficillimum: adeò, uti tela eos in pugnâ planè defecerint. Quo loco ea pugna facta, oſtendit Mela lib. II cap. V. *Inter Maſſiliam*, inquit, *& Rhodanum litus ignobile eſt Lapideum, ut vocant: in quo Herculem, contra Albionem & Bergiona, Neptuni liberos, dimicantem, quum tela defeciſſent, ab invocato Iove adjutum imbre lapidum ferunt. Credas pluiſſe: adeò multi paſſim & latè jacent.* Idem tradunt Plinius lib. III cap. IIII, Apollodorus de Diis lib. II, Ioannes Tzetza in Chiliadibus, & Iſacius Tzetza in Scholiis ad Lycophronem: quorum omnium verba ſuprà cap. XXX citavimus. Viam in eo itinere Herculem in Alpibus ſtruxiſſe, præter Silium atque Marcellinum, Diodorus quoque tradit lib. IIII, his verbis: Ὁ δ' οὖν Ἡρακλῆς τῶν μὲν Ἰβήρων παρέδωκε τὴν βασιλείαν τοῖς ἀρίστοις τῶν ἐγχωρίων· αὐτὸς δ' ἀναλαβὼν τὴν δύναμιν, καὶ καταντήσας εἰς τὴν Κελτικὴν, καὶ πᾶσαν ἐπελθὼν, κατέλυσε τὰς συνήθεις παρανομίας καὶ ξενοκτονίας. * Ὁ δ' Ἡρακλῆς τὴν ἐκ τῆς Κελτικῆς πορείαν ἐπὶ τὴν Ἰταλίαν ποιούμενος, καὶ διεξιὼν τὴν ὀρεινὴν τὴν κατὰ τὰς Ἄλπεις, ὡδοποίησε τὴν τραχύτητα τῆς ὁδοῦ καὶ τὸ δύσβατον, ὥστε δύνασθαι στρατοπέδοις καὶ ταῖς τῶν ὑποζυγίων ἀποσκευαῖς βάσιμον εἶναι. τῶν δὲ τὴν ὀρεινὴν ταύτην κατοικούντων βαρβάρων, εἰωθότων τὰ διεξιόντα τῶν στρατοπέδων περικόπτειν καὶ λῃστεύειν ἐν ταῖς δυσχωρίαις, χειρωσάμενος ἅπαντας, καὶ τοὺς ἡγεμόνας τῆς παρανομίας ἀνελὼν, ἐποίησεν ἀσφαλῆ τοῖς μεταγενεστέροις τὴν ὁδοιπορίαν. Id eſt: *Hercules igitur, Hiſpaniæ regno viris inter populareis optimis tradito, cum exercitu in Galliam perrexit; totamque peragrans, uſitatam morum improbitatem & advenarum mactationes abrogavit.* Mox: *Porrò è Galliâ in Italiam contendens, dum per Alpium monteis iter facit, aſperam tranſituque difficilem viam ſtravit & aperuit, ut militaribus copiis cum impedimentis tranſitus illà pateret. &, quum Barbari, qui montana hæc incolebant, exercitus fortè tranſeunteis occidere ac latrociniis infeſtare in locorum anguſtiis & aſpretis ſolerent; his ſubactis, ducibusque ſceleratè factorum ſupplicio adfectis, tutum hac iter poſteris effecit.* Ergo per Maritimas Alpeis primus omnium in Italiam factus eſt tranſitus. At longè aliter alii ſenſerunt auctores. Plinius lib. III cap. XVII: *Salaſſorum Auguſta Prætoria, juxta geminas Alpium fauceis, Graias atque Pœninas. his Pœnos; Graiis Herculem tranſiſſe memorant.* Et poſteà cap. XX: *Lepontios & Salaſſos Tauriſcæ gentis Cato arbitratur. cæteri ferè, Lepontios relictos ex comitatu Herculis, interpretatione Græci nominis tradunt, præuſtis intra ſinus Alpium nive membris. eiusdem & Graios fuiſſe, poſitos in tranſitu, Graiarum Alpium incolas; præſtanteisque genere Euganeos; inde tracto nomine.* Servius ad Virgilii Aeneid. lib. X: *Quinta Alpium via, quæ quondam à Græcis poſſeſſa eſt: quæ exinde Alpes Graiæ adpellantur.* Cornelii Nepotis epitomator Aemilius Probus in Hannibalis vitâ: *Ad Alpeis venit, quæ Italiam ab Galliâ ſejungunt; quas nemo umquàm cum exercitu ante eum, præter Herculem Graium, tranſierat; quo facto is hodiè ſaltus Graius adpellatur.* Hinc Petronio Arbitro natus eſt ſummus error, uti Graias Alpeis cum Maritimis confunderet. Verba eius in Satyrico hæc ſunt:

Alpibus aeriis, ubi Graio nomine vulſæ
Deſcendunt rupes, nec ſe patiuntur adiri,
Eſt locus Herculeis aris ſacer. *
Hæc ubi calcavit Cæſar juga milite læto,
Optavitque locum; ſummo de vertice montis
Heſperiæ campos latè proſpexit.

Per Maritimas Alpeis & opidum Herculis Monœci transgreſſum eſſe in Italiam Cæſarem, auctor eſt Virgilius Aeneid. lib. VI; ubi Anchiſen introducit ita filio Aeneæ in Elyſiis campis futura de bello civili inter Pompeium ac Cæſarem prædicentem:

Heu quantum inter ſe bellum, ſi lumina vitæ
Attigerint, quantas acies ſtragemque ciebunt,
Aggeribus ſocer Alpinis atque arce Monœci
Deſcendens; gener adverſis inſtructus Eois!

At mi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

At mirum ſanè dictu, quàm vana, quámque impudens fuerit in fabulis confingendis Græcorum natio. Occaſiones atque anſas fabularum hoc loco arripuerunt, illinc ex opidi Subalpini cognomine, quod vocabatur *Portus Herculis Monæci*; hinc ex gentis Inalpinæ *Graiorum* vocabulo. cui par illud, quod ſuprà cap. xxv de *Orobiorum* nomine atque origine expoſui. Ligures, Celtica gens, quia *Alpeis* incolebant, quas ipſi Celtæ patriâ lingvâ vocabant *alpen* & *alben*, & item *bergen*, id eſt, *monteis*; vocabula inde Ligurum ducibus finxerunt, ut ſuprà cap. xxx oſtenſum, *Albionis* & *Bergionis*. nec hoc putido figmento contenti; *Neptuni liberos* eſſe ementiti ſunt. alii verò, ut patet ex ſuprà ſcripto Marcellini loco, *Tauriſcum* finxêre ducem, ab eodem rei argumento; quòd Alpeis alio vocabulo Celtis incolis vocarentur *taurn*: unde omnes earum incolæ dicebantur *Tauriſci*: ut in libro de Vindelicia ac Norico docui. Atque equidem neſcio, an Maſſilienſes Græci hanc fabulam de Herculis cum Liguribus pugnâ confinxerint; an verò Aeſchylus poëta tragicus primus eius auctor fuerit, centum circiter annis poſtquàm Maſſilia à Phocenſibus Græcis condita; cuius tragœdiam nomine Προμηθέα λυόμενον, id eſt, *Prometheum ſolutum*, ſuper eâ re citat Dionyſius loco ſuprà ſcripto. Quapropter meritò Livius lib v, ubi de Gallorum in Italiam tranſitu agit, *fabulis* hiſce *de Hercule* credere indignum judicavit. GALLIS igitur ipſe primum Alpium, non quidem Maritimarum, ſed Cottiarum, tranſitum tribuit, his verbis: *De tranſitu in Italiam Gallorum hæc accepimus: Priſco Tarquinio Romæ regnante, Celtarum, quæ pars Galliæ tertia eſt, penes Bituriges ſumma imperii fuit. ii regem Celtico dabant. Ambigatus is fuit; virtute fortunâque cùm ſuâ, tùm publicâ præpollens: quòd in imperio eius Gallia adeò frugum hominumque fertilis fuit, ut abundans multitudo vix regi videretur poſſe. Hic, magno natu ipſe jam, exonerare prægravante turbâ regnum cupiens, Belloveſum ac Sigoveſum, ſororis filios, impigros juvenes, miſſurum ſe eſſe in quas dii dediſſent auguriis ſedeis, oſtendit. quantum ipſi vellent, numerum hominum excirent; ne qua gens arcere advenienteis poſſet. Tum Sigoveſo ſortibus dati Hercynii ſaltus. Belloveſo haud paullo lætiorem in Italiam viam dii dabant. Is, quod eis ex populis abundabat, Bituriges, Arvernos, Heduos, Ambarros, Carnutes, Aulercos, excivit. Profectus ingentibus peditum equitumque copiis, in Tricaſſinos vênit. Alpes inde oppoſitæ erant. quas inexſuperabileis viſas, haud equidem miror; nullâ dum viâ, quòd quidem continens memoria ſit, (niſi de Hercule fabulis credere libet) ſuperatas. Ibi, quum velut ſeptos montium altitudo teneret Gallos; circumſpectarentque, quánam per juncta cælo juga in alium Orbem terrarum tranſirent; religio etiam tenuit: quòd allatum eſt, advenas, quærenteis agrum, ab Salyum gente oppugnari. Maſſilienſes erant hi: navibus à Phocide profecti. Id Galli fortunæ ſuæ omen rati, adjuvêre, ut, quem primum in terram egreſſi occupaverant locum, patentibus ſilvis communirent. Ipſi per Taurinos ſaltusque inviæ Alpis tranſſcenderunt.* Heic in vulgatis exemplaribus vitioſè legi *Iuliæ Alpis*; rectéque doctos emendaſſe viros in *inviæ Alpis*; ſuprà cap. xxii dixi. nam *Iuliæ Alpis*, ſive *Iuliarum Alpium* nomen in Pannoniæ confinio fuiſſe, ſuperiori capite, pluribus auctorum teſtimoniis demonſtratum eſt. Quidam tamen cenſent legendum, *Ipſi Taurino ſaltu invias Alpeis tranſſcenderunt*. Verùm non opus heic eſſe aliquâ verborum immutatione, patet ex adſimili eiusdem Livii loquutione, quæ lib. xxxviiii eſt huiusmodi: *Galli Tranſalpini per ſaltus ignotæ antè viæ in Italiam tranſgreſſi*. *Saltus* autem vocabulo Livius paſſim in omni hiſtoriâ ſuâ pro anguſtiis viarum præcelſis jugis utrimque incluſis quàm frequentiſſimè utitur. Cæterùm de primo iſto Gallorum per Taurinos & Cottias Alpeis tranſitu idem dici poterat, quod ipſe Livius, lib. xxi, Hannibalem militibus ſuis, Alpium altitudinem & invium iter formidantibus, dixiſſe tradit his verbis: *Quid aliud Alpeis eſſe crederent, quàm montium altitudines? fingerent altiores Pyrenæis jugis. nullas profectò terras cælum contingere; nec inexſuperabileis humano generi eſſe. Alpeis quidem habitari, coli, gignere atque alere animanteis. pervias paucis eſſe; exercitibus invias? eos ipſos, quos cernant legatos* [Gallorum Ciſalpinorum] *non pennis ſublime elatos Alpeis tranſgreſſos: nec maiores quidem eorum indigenas, ſed advenas Italiæ cultores, has ipſas Alpeis ingentibus ſæpè agminibus, cum liberis ac conjugibus, migrantium modò, tutò tranſiſſe*. Meritò itaque ipſe Livius, dicto lib. v, *Alpeis* ante hunc Gallorum tranſitum *nullâ viâ ſuperatas* tradit, *quòd quidem continens memoria eſſet*. Certè, quum nullus ferè Alpium ſummus tranſitus tam altus longusve ſit, quin æſtivo tempore à cultâ valle, & frugum vinique

ferace

ferace, in alteram, æquè fertilem ac lætam, eodem die, ſuperatis altiſſimis jugis, tranſcendere poſſis; dubitari minimè licet, quin conterminis utrimque populis aliqui invicem fuerint commeatus & commercia. nec credibile eſt, tam ſtupidos incurioſoſque fuiſſe, uti aditus montium, quorum haud dubiè maximam partem pecora eorum depaſcebant, numquàm tentaverint. Verùm enimverò ita ego exiſtimaverim; ſingulis vel paucis viatoribus jam inde à primis ſæculis pervias fuiſſe Alpeis. integro cum exercitu neminem iter per eas petiiſſe ante dictum Gallorum tranſitum. Diſertè hoc teſtantur auctores. Plinius lib. XII cap. I: *Produnt coërcitas etiam tum inſuperabili munimento Gallias hanc primam habuiſſe cauſam ſuperfundendi ſe Italiæ, quòd Elico, ex Helvetiis civis earum, fabrilem ob artem Romæ commoratus, ficum ſiccam & uvam oleique ac vini primitias remeans ſecum tuliſſet. Quapropter hæc bello quæ-ſiſſe, venia ſit.* Plutarchus in Camillo: Οἱ δὲ Γαλάται μεταξὺ Πυρρηναίων ὀρῶν καὶ τῶν Ἄλπεων ἱδρυθέντες κατοικεῖν λέγονται χρόνον πολύν· ὀψὲ δὲ οἴνου γευσάμενοι, τότε πρῶτον ἐξ Ἰταλίας διακομισθέντος, οὕτως ἄρα θαυμάσαι τὸ πόμα, καὶ πρὸς τὴν καινότητα τῆς ἡδονῆς ἔκφρονες γενέσθαι πάντες, ὥστε ἀράμενοι τὰ ὅπλα, καὶ γονέας ἀναλαβόντες, ἐπὶ τὰς Ἄλπεις φέρεσθαι, καὶ ζητεῖν ἐκείνην τὴν γῆν, ἣ τοιοῦτον τὸν καρπὸν ἀναδίδωσιν. Hoc eſt: *Galli inter Pyrenæum montem & Alpeis diu ſedeis habuiſſe dicuntur. tandem, vino, quod tùm primùm ex Italiâ allatum fuit, guſtato, ita fuiſſe potus novâ voluptate captos, & inſaniiſſe omneis, ut protinus armis arreptis, parentibuſque adſumptis, versùs Alpeis contenderent; regionem illam, quæ tam præſtantem gigneret fructum, quæſituri.* Ipſe Livius dicto lib. V continuò antè: *Gallos, traditur fama, dulcedine frugum, maximéque vini novâ tum voluptate captos, Alpeis tranſiſſe: & invexiſſe in Galliam vinum, illiciendæ gentis causâ, Aruntem Cluſinum, irâ corruptæ uxoris ab Lucumone, cui tutor is fuerat ipſe, præpotente juvene, & à quo expeti pœnæ, niſi externa vis quæſita eſſet, nequirent.* Sed frequentia fuiſſe Gallicis Italicisque gentibus commercia, etiam ante Gallorum in Italiam commigrationem, luculentiſſimus omnium eſt auctor Polybius lib. II. Τοὺς ἱστορῦντας, inquit, τὰς Τυρρηνῶν δυναστείας, οὐ χρὴ ποιεῖσθαι τὴν ἀναφορὰν ἐπὶ τὴν νῦν κατεχομένην ὑπ' αὐτῶν χώραν· ἀλλὰ ἐπὶ τὰ προειρημένα πεδία, καὶ τὰς ἐκ τούτων τῶν τόπων ἀφορμάς· οἷς ἐπιμιγνύμενοι κατὰ τὴν παράθεσιν Κελτοὶ, καὶ περὶ τὸ κάλλος τῆς χώρας ὀφθαλμιάσαντες, ἐκ μικρᾶς προφάσεως μεγάλῃ στρατιᾷ παραδόξως ἐπελθόντες, ἐξέβαλον ἐκ τῆς περὶ τὸν Πάδον χώρας Τυρρηνοὺς, καὶ κατέσχον αὐτοὶ τὰ πεδία. Hoc eſt: *Qui in Etruſcorum principatus inquirunt, eos oportet non ad illam regionem, quam nunc tenent, oculos referre; ſed ad campos ſuprà dictos, & ad opes, quas inde colligebant. Adſidebant illis Galli: ideóque commercia cum iis frequentabant. dein cupiditatis oculis in pulcherrimam hanc planitiem adjectis; arreptâ occaſione levi, numeroſo cum exercitu nihil tale cogitanteis Etruſcos invadunt; ex regione Circumpadanâ ejiciunt; atque ipſi agros eos occupant.* Manifeſtum igitur eſt ex horum auctorum teſtimonio, Alpeis jam ante dictum Gallicæ multitudinis tranſitum negociatoribus aliiſque viatoribus patuiſſe; maximè verò conterminis inter ſe populis.

De cætero Livius equidem, dicto lib. V, quinque diverſa Gallorum agmina, aliis ſubinde atque aliis temporibus in Italiam tranſgreſſa, tradit. primum Belloveſo duce per Taurinas Alpeis: alterum, Elitovio duce, eâdem viâ: tertium, Libiciorum; & ipſum eodem haud dubiè ſaltu: quartum, Boiorum Lingonumque, Pennino jugo: quintum, Senonum, incertum quo itinere. At Polybius, Diodorus, Plutarchus, Iuſtinus, ut ſuprà cap. XXII notatum, unam tantùm omnium iſtarum gentium migrationem agnoſcunt. Credo, quum primi ſcriptores ſuper primo Gallorum tranſitu, quanam parte Alpium is factus, inter ſe variarent, poſteriores complureis eorum migrationes per plureis diverſoſque ſaltus tradidiſſe. Tranſcenderunt autem primi, ut auctor eſt dicto lib. V Livius, *Tarquinio Priſco Romæ regnante*; id eſt, circa annum ante natum Ieſum IↃC. *Trecenta millia hominum* fuiſſe, quorum pars in Pannoniam penetravit, auctor eſt Pompeius Trogus apud Iuſtinum lib. XXIIII.

Alia ſubinde manus tranſiit annis circiter CCC pòſt; à Gallis illis prioribus Circumpadanis excita. de qua ita Polybius lib. II: Μετὰ δὲ ταῦτα οἱ Γαλάται συνορῶντες αὐξανομένην τὴν Ῥωμαίων δύναμιν, εἰρήνην ἐποιήσαντο καὶ συνθήκας· ἐν αἷς ἔτη τριάκοντα μείναντες ἐμπεδῶς, αὖθις γενομένου κινήματος ἐκ τῶν Τρανσαλπίνων, δείσαντες μὴ πόλεμος αὐτοῖς ἐγερθῇ βαρύς, ἀπὸ μὲν αὑτῶν ἔτρεψαν τὰς ὁρμὰς τῶν ἐξανισταμένων, δωροφοροῦντες καὶ προτιθέμενοι τὴν συγγένειαν· ἐπὶ δὲ Ῥωμαίους παρώξυναν καὶ μετέσχον αὐτοῖς τῆς στρατείας· ἐν ᾗ τὴν ἔφοδον ποιησάμενοι διὰ Τυρρηνίας, ὁμοῦ συστρατευσαμένων σφίσι Τυρρηνῶν, καὶ περιβαλόμενοι λείας πλῆθος, ἐκ τῆς Ῥωμαίων ἐπαρχίας ἀσφαλῶς ἐπανῆλθον· * . Μετὰ δὲ ταῦτα πάλιν ἔτει τετάρτῳ συμφρονή-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

σαντες ἅμα Σαυνίταις καὶ Γαλάταις, παρετάξαντο Ῥωμαίοις ἐν τῇ Καμερτίων χώρᾳ, καὶ πολλοὺς αὐτῶν ἐν τῷ κινδύνῳ διέφθειραν. Id eſt: *Poſthæc Galli, ut vident Romanorum incrementa, pacem fœduſque cum eis icerunt. Triginta jam annos pacem conſtanter ſervaverant, quum Transalpinis arma in ipſos moventibus, bellum paveſcentes, quod pernicioſum fore arbitrabantur; qua largitione munerum, quà generis communione allegatâ, hoſtis jam concitati impetum à ſe amoliti, in Romanos eumdem incitarunt; atque adeo expeditionis ſocios ipſi ſeſe præbuerunt. Per fineis Etruſcorum, qui & ipſi expeditionis participes erant, impreſſione factâ, prædam avertere magnam; finibuſque Romanorum ſine periculo exceſſerunt.* Mox: *Quarto poſthinc anno conſpirant inter ſe Samnites & Galli: & cum Romanis in agro Camertium acie dimicant; magnamque eorum cædem faciunt.* Gallos in Cluſinorum, qui & Camertes dicti, agrum veniſſe Q. Fabio Maximo quintum & P. Decio Mure quartum conſulibus, auctor eſt Livius lib. x. quarto igitur anno ante fuêre conſules M. Fulvius Pætus & T. Manlius Torquatus, anno urbis Romæ CCCCLIIII: quo anno iſti Galli Tranſalpini in Italiam venerunt.

Tertius hinc eiuſdem gentis exercitus tranſiit LXII anno pòſt. de quo paullo pòſt ſic idem Polybius: Οἱ δὲ Γαλάται αὖθις ἤρξαντο τὰ καθεστῶτα κινεῖν, καὶ τραχύνεσθαι μὲν ἐκ τῶν τυχόντων πρὸς Ῥωμαίους, ἐπισπᾶσθαι δὲ τοὺς ἐκ τῶν Ἄλπεων Γαλάτας. διὸ καὶ παραγενομένων τῶν Τρανσαλπίνων ἕως Ἀριμίνου μετὰ δυνάμεως, διαπιστήσαντα τὰ πλήθη τῶν Βοίων, καὶ στασιάσαντα πρός τε τοὺς ἑαυτῶν προεστῶτας καὶ πρὸς τοὺς παραγεγονότας, ἀνεῖλον μὲν τοὺς ἰδίους βασιλέας Ἄτιν καὶ Γάλατον, κατέκοψαν δ' ἀλλήλους συμβαλόντες ἐκ παρατάξεως. *. Μετὰ δὲ τοῦτον τὸν φόβον ἔτει πέμπτῳ, Μάρκου Λεπίδου στρατηγοῦντος, κατεκληρούχησαν ἐν Γαλατίᾳ Ῥωμαῖοι τὴν Πικεντίνην προσαγορευομένην χώραν, ἐξ ἧς νικήσαντες ἐξέβαλον τοὺς Σήνωνας. Id eſt: *Galli denuo cœperunt præſentem rerum ſtatum ſolicitare, & adverſus Romanos levis ob cauſas exaſperari; Inalpinoſque Gallos adſciſcere ſocios. Idcircò quum Tranſalpinorum exercitus Ariminum uſque proceſſiſſet; plebes Boiorum, parum illis fidei habens; ſeditione tùm adverſùs duces ſuos, tùm adverſùs eos, qui advenerant, excitatâ; reges primùm ſuos Aten & Galatum occiderunt; dein mutuis cædibus inter ſe, ſignis etiam collatis, graſſati ſunt.* Mox: *Quinto ab hoc tumultu anno, M. Lepido conſule, Romani Galliæ agrum, Picenum dictum, quem devictis Senonibus ademerant, diviſerunt.* Tranſiit igitur tertius hic exercitus anno urbis Romæ IↃXVI, L. Cornelio Lentulo & Q. Fulvio Flacco conſulibus. nam quinto anno pòſt fuêre conſules M. Aemilius Lepidus & M. Publicius Malleolus.

Quartus inde Tranſalpinorum exercitus à Boiis, diviſum à Romanis agrum Senonum indignantibus, accerſitus eſt, XII anno poſt proximè dictos. Polybius mox poſteà: Διόπερ εὐθέως τὰ μέγιστα τῶν ἐθνῶν, τό τε Ἰνσόμβρων καὶ Βοίων, συμφρονήσαντα, διεπέμποντο πρὸς τοὺς κατὰ τὰς Ἄλπεις καὶ τὸν Ῥοδανὸν ποταμὸν κατοικοῦντας Γαλάτας, προσαγορευομένους δὲ, διὰ τὸ μισθοῦ στρατεύειν, Γαισάτους. * — *. Οἱ δὲ Γαισάται, συστησάμενοι δύναμιν πολυτελῆ καὶ βαρεῖαν, ἧκον ὑπεράραντες τὰς Ἄλπεις εἰς τὸν Πάδον ποταμόν. *. Ῥωμαῖοι δ' ὡς θᾶττον ἤκουσαν τοὺς Κελτοὺς ὑπερβεβληκέναι τὰς Ἄλπεις, Λεύκιον μὲν Αἰμίλιον ὕπατον μετὰ δυνάμεως ἐξαπέστελλον ὡς ἐπ' Ἀριμίνου· ὁ δὲ ἕτερος τῶν ὑπάτων Γάϊος Ἀτίλιος προεξεληλυθὼς ἐτύγχανεν εἰς Σαρδόνα. Id eſt: *Statim igitur communi conſilio duæ inter Gallos potentiſſimæ gentes, Inſubres & Boii, legationem ad eos Gallos miſerunt, qui Alpeis apud Rhodanum incolebant, Gæſati è re dicti, quòd æra bellando mereri ſoliti.* Poſteà: *Gæſati cum exercitu omni armorum genere magnificè inſtructo, ſuperatis Alpibus ad Padum venêre.* Mox: *Romani, audito Gallos tranſiſſe Alpeis, quantocyus L. Aemilium conſulem cum legionibus Ariminum miſerunt. alter conſul C. Atilius jam antè in Sardiniam erat profectus.* Conſules hi fuêre anno urbis Romæ IↃXXVIII. Fuiſſe in eo exercitu πεζοὺς μὲν πεντακισμυρίους, ἱππεῖς δὲ καὶ συνωρίδας εἰς δισμυρίους, id eſt, *peditum L millia, equitum & eſſedariorum ad XX millia*, auctor eſt ibidem Polybius. De his ita Livii breviator lib. XX: *Galli Tranſalpini, qui in Italiam eruperant, cæſi ſunt.* Et Eutropius lib. III: *L. Aemilio conſule ingentes Gallorum copiæ Alpeis tranſierunt.* Et mox: *Quadraginta millia hoſtium interfecta ſunt; & triumphus Aemilio decretus.*

Quintum poſthinc Tranſalpinorum agmen Alpeis tranſgreſſum eſt anno tertio pòſt, M. Claudio Marcello & Cn. Cornelio Scipione conſulibus. Polybius eodem libro poſteà: Τῷ δ' ἑξῆς ἔτει διαπρεσβευσαμένων τῶν Κελτῶν ὑπὲρ εἰρήνης, καὶ πᾶν ποιεῖν ὑπισχνουμένων, ἔσπευσαν οἱ κατασταθέντες ὕπατοι, Μάρκος Κλαύδιος καὶ Γναῖος Κορνήλιος, τοῦ μὴ συγχωρηθῆναι τὴν εἰρήνην αὐτοῖς. οἱ δ' ἀποτυχόντες καὶ κρίναντες ἐξελέγξαι τὰς τελευταίας ἐλπίδας,

πίδας, αὖθις ὥρμησαν ἐπὶ τὸ μισθώσασθαι τῶν περὶ τὸν Ῥοδανὸν Γαισατῶν Γαλατῶν εἰς τρισμυρίους· οὓς παραλαβόντες εἶχον ἐν ἑτοίμῳ, καὶ προσεδόκων τὴν τῶν πολεμίων ἔφοδον. Id eſt: *Inſequuto dein anno, de pace miſerunt legatos Galli; quaſcumque condiciones accipere parati. quæ ne illis concederetur, per eius anni conſules M. Claudium & Cn. Cornelium eſt effectum. quamobrem Galli, ultimam ſpem ſibi tentandam rati, ad mercede conducenda auxilia Gæſatorum Gallorum, qui Rhodanum adcolunt, denuo ſe convertunt. quorum ubi* XXX *millia accepiſſent; hoſtis adventum præſtolantes, paratos in armis habent.* Oroſius lib. IIII cap. XIII: *Poſt hæc Claudius conſul Gæſatorum* XXX *millia delevit.* Plutarchus, in vitâ Claudii Marcelli: Γενομένης εἰρήνης, ἀνακαινίσαι τὸν πόλεμον οἱ Γαισάται δοκοῦσι, τὰς Ἄλπεις ὑπερβαλόντες, καὶ τοὺς Ἰνσόμβρους ἐπάραντες· τρισμύριοι γὰρ ὄντες προσεγένοντο πολλαπλασίοις ἐκείνοις οὖσι. Hoc eſt: *Pace factâ, bellum renovaſſe dicuntur Gæſatæ. qui ad* XXX *millia quum eſſent, ſuperatis Alpibus, Inſubres concitaverunt; iisque ſe conjunxerunt: quorum etiam longè plures erant legiones.* De hoc bello ita Livii epitomator ſuprà dicto lib. XX: *M. Claudius Marcellus conſul Inſubrium Gallorum duce Viridomaro occiſo, opima ſpolia retulit.* Et Tabulæ triumphorum ducum Romanorum, quæ Romæ in Capitolio exſtant: M · CLAVDIVS · MARCELLVS · COS · DE · GALLEIS · INSVBRIBVS · ET · GERMAN · IS · QVE · SPOLIA · OPIMA · RETTVLIT · DVCE · HOSTIVM · VIRDVMARO · AD · CLASTIDIVM · INTERFECTO. Fortè fuerunt ex iis Germanis, qui centum circiter annis ante hoc bellum Rhenum transgreſſi, ex proximis agris Gallos ejecerunt, eaque loca occuparunt; primique *Germanorum* nomen à pulſis Gallis adepti ſunt; ut Germaniæ lib. I cap. X oſtendi. Polybius & alii eius ævi ſcriptores *Gæſatas* eſſe putarunt Rhodanum adcolenteis, quia aliquoties anteà ex his locis proximis Galli Ciſalpini auxilia acciverant.

Proximi hinc à Gallis Alpeis ingenti agmine tranſiſſe narrantur Pœni, Hannibale duce. Hic quo itinere duxerit, multum antiqui etiam inter ſe diſputaverunt auctores; fabulaſque ei rei nonnulli admiſcuerunt immaneis. qua de re ita diſſerit Polybius lib. III: Ἔνιοι δὲ τῶν γεγραφότων περὶ τῆς ὑπερβολῆς ταύτης, βουλόμενοι τοὺς ἀναγινώσκοντας ἐκπλήττειν τῇ περὶ τῶν προειρημένων τόπων παραδοξολογίᾳ, λανθάνουσιν ἐκπίπτοντες εἰς δύο τὰ πάσης ἱστορίας ἀλλοτριώτατα. καὶ γὰρ ψευδολογεῖν καὶ μαχόμενα γράφειν αὑτοῖς ἀναγκάζονται. ἅμα μὲν γὰρ τὸν Ἀννίβαν ἀμίμητόν τινα παρεισάγοντες στρατηγὸν καὶ τόλμῃ καὶ προνοίᾳ, τοῦτον ὁμολογουμένως ἀποδεικνύουσιν ἡμῖν ἀλογιστότατον· ἅμα δὲ καταστροφὴν οὐ δυνάμενοι λαμβάνειν, οὐδ' ἔξοδον τοῦ ψεύδους, θεοὺς καὶ θεῶν παῖδας εἰς πραγματικὴν ἱστορίαν παρεισάγουσιν. ὑποθέμενοι γὰρ τὰς ἐρυμνότητας καὶ τραχύτητας τῶν Ἀλπεινῶν ὀρῶν τοιαύτας, ὥστε μὴ οἷον ἵππους καὶ στρατόπεδα, σὺν δὲ τούτοις ἐλέφαντας, ἀλλὰ μηδὲ πεζοὺς εὐζώνους εὐχερῶς ἂν διελθεῖν· ὁμοίως δὲ καὶ τὴν ἔρημον τοιαύτην τινὰ περὶ τοὺς τόπους ὑπογράψαντες ἡμῖν, ὥστε, εἰ μὴ θεὸς ἤ τις ἥρως ἀπαντήσας τοῖς περὶ τὸν Ἀννίβαν ὑπέδειξε τὰς ὁδούς, ἐξαπορήσαντας ἂν καταφθαρῆναι πάντας· ὁμολογουμένως ἐκ τούτων εἰς ἑκάτερον τῶν προειρημένων ἁμαρτημάτων ἐμπίπτουσι. πρῶτον μὲν γάρ, τίς ἂν φανείη στρατηγὸς ἀλογιστότερος Ἀννίβου καὶ σκαιότερος ἡγεμών, ὃς τοσούτων ἡγούμενος δυνάμεων, καὶ τὰς μεγίστας ἐλπίδας ἔχων ἐν τούτοις τοῦ κατορθώσειν τοῖς ὅλοις, οὔτε τὰς ὁδούς, οὔτε τοὺς τόπους, ὡς οὗτοί φασιν, οὔτε πῇ πορεύεται τὸ παράπαν, οὔτε πρὸς τίνας, ἐγίνωσκε, τὸ δὲ πέρας, οὐ τοῖς κατὰ λόγον, τοὐναντίον δ' ἀδυνάτοις ἐπιβάλλεται πράγμασιν. ἀλλ' ὅπερ οἱ τοῖς ὅλοις ἐπταικότες, καὶ κατὰ πάντα τρόπον ἐξαπορούντες οὐχ ὑπομένουσιν, ὥστ' εἰς ἀπρονοήτους καθιέναι τόπους μετὰ δυνάμεως· τοῦτο περιτιθέασιν οἱ συγγραφεῖς Ἀννίβᾳ, τῷ τὰς μεγίστας ἐλπίδας ἀκεραίους ἔχοντι, περὶ τῶν καθ' ἑαυτὸν πραγμάτων. Ὁμοίως δὲ καὶ τὰ περὶ τῆς ἐρημίας, ἔτι δ' ἐρυμνότητος καὶ δυσχωρίας τῶν τόπων, ἔκδηλον ποιεῖ τὸ ψεῦδος αὐτῶν. οὐχ ἱστορήσαντες γάρ, ὅτι συμβαίνει τοὺς Κελτούς, τοὺς παρὰ τὸν Ῥοδανὸν ποταμὸν οἰκοῦντας, οὐχ ἅπαξ, οὐδὲ δίς, πρὸ τῆς Ἀννίβου παρουσίας, οὐδὲ μὴν πάλαι, προσφάτως δὲ μεγάλοις στρατοπέδοις ὑπερβάντας τὰς Ἄλπεις, παρατετάχθαι μὲν Ῥωμαίοις, συναγωνίσασθαι δὲ Κελτοῖς τοῖς τὰ περὶ τὸν Πάδον πεδία κατοικοῦσι· καθάπερ ἡμεῖς ἐν τοῖς πρὸ τούτου ἐδηλώσαμεν. πρὸς δὲ τούτοις οὐκ εἰδότες, ὅτι πλεῖστον ἀνθρώπων φῦλον κατ' αὐτὰς οἰκεῖν συμβαίνει τὰς Ἄλπεις. ἀλλ' ἀγνοοῦντες ἕκαστα τῶν εἰρημένων, ἥρωά τινά φασιν ἐπιφανέντα, συνυποδεῖξαι τὰς ὁδοὺς αὐτοῖς. ἐξ ὧν εἰκότως ἐμπίπτουσιν εἰς τὸ παραπλήσιον τοῖς τραγῳδιογράφοις. καὶ γὰρ ἐκείνοις πᾶσιν αἱ καταστροφαὶ τῶν δραμάτων προσδέονται θεοῦ καὶ μηχανῆς, διὰ τὸ τὰς πρώτας ὑποθέσεις ψευδεῖς καὶ παραλόγους λαμβάνειν. τούς τε συγγραφέας ἀνάγκη τὸ παραπλήσιον πάσχειν, καὶ ποιεῖν ἥρωάς τε καὶ θεοὺς ἐπιφαινομένους, ἐπειδὰν τὰς ἀρχὰς ἀπιθάνους καὶ ψευδεῖς ὑποστήσωνται. πῶς γὰρ οἷόν τε παραλόγοις ἀρχαῖς εὔλογον ἐπιθεῖναι τέλος; Ἀννίβας γε μήν, οὐχ ὡς οὗτοι γράφουσι, λίαν δὲ περὶ ταῦτα πραγματικῶς ἐχρῆτο ταῖς ἐπιβολαῖς. καὶ γὰρ τὴν τῆς χώρας ἀρετήν, εἰς ἣν ἐπεβάλετο καθιέναι, καὶ τὴν τῶν ὄχλων ἀλλοτριότητα πρὸς Ῥωμαίους ἐξητάκει σαφῶς, καὶ ταῖς μεταξὺ δυσχωρίαις ὁδηγοῖς καὶ καθηγεμόσιν ἐγχωρίοις ἐχρῆτο, τοῖς τῶν αὐτῶν ἐλπίδων μέλλουσι κοινωνεῖν.

HANNIBAL *quo itinere Alpeis tranſierit.*

Ἡμεῖς δὲ περὶ τούτων θαρσαλέως ἀποφαινόμεθα, διὰ τὸ περὶ τῶν πράξεων παρ' αὐτῶν ἱστορηκέναι τῶν παραγεγονότων τοῖς καιροῖς· τούς τε τόπους κατωπτευκέναι, καὶ τῇ διὰ τῶν Ἄλπεων αὐτὸς κεχρῆσθαι πορείᾳ, γνώσεως ἕνεκα καὶ θέας. Hoc eſt: *Nonnulli, quum de ſuperatis ab Hannibale Alpibus ſcriberent, dum miraculo rerum novarum, quas de locis istis narrant, ſtupefacere lectores cupiunt; imprudentes in duo vitia incidunt, ab omni historiâ alieniſſima. nam & mentiri & ſibi ipſis repugnare in ſuis ſcriptis coguntur. qui enim Hannibalem prodant fuiſſe inimitabilis cuiusdam audaciæ juxtà ac prudentiæ imperatorem; ſimul tamen eumdem faciunt ſine controverſiâ imprudentiſſimum. deinde, ubi exitum rei non inveniunt, nec quomodò mendacium deponant; deos & deorum filios in hiſtoriam rerum geſtarum, veram & ſeriam narrationem profeſſam, inducunt. Alpium ſiquidem juga adeò inacceſſa atque aſpera fingunt, uti vix ab expeditis peditibus, nedum equis & exercitibus ac elephantis ſuperari queant. ad hæc, loca ita deſerta nobis deſcribunt, ut, niſi deus & heros aliquis Hannibali occurriſſet, qui viam indicaret; omnes, incerti quò ſe verterent, fuerint perituri. Quæ dum ita ſcribunt; nemini dubium eſt, quin utriusque peccati, de quo diximus, ſeſe obligent. Iam primùm, quis imperator Hannibale imprudentior, aut dux ſiniſterior reperiatur; qui tantas copias trahens, in quibus ſpes maximas habuit repoſitas de proſpero ſummæ rerum eventu, neque itinera, neque loca, ut quidem iſti aiunt, neque quò vel ad quos iret, notum haberet? quodque omnem inſaniam ſuperat; non illa adgrederetur, quæ ratio ſvaderet poſſe perfici: ſed è contrario illa, quæ fieri nequirent? &, quod ne ii quidem facere ſuſtinent, qui, univerſo bello victi, ad ultimam conſilii inopiam fuerint redacti: ut in ignota ſibi loca copias deducant; id præclari iſti ſcriptores Hannibali adſcribunt; qui ſpes univerſas de ſuis rebus, easque maximas, tunc temporis habebat integras atque illibatas. Sed & quòd aiunt, fuiſſe illa loca deſerta, adeóque munita, ut adiri nequirent; palàm facit ipſorum mendacia. non enim didicerant iſti, Gallos, Rhodani adcolas, non ſemel aut iterum ante Hannibalis adventum; neque jam antiquitus, ſed paullo antè, cum magnis exercitibus Alpeis transſcendiſſe; & cum Romanis, Circumpadanis Gallis opem ferenteis, arma contuliſſe: quòd in ſuperioribus eſt à nobis oſtenſum. Verùm ignari horum omnium, heroem quemdam aiunt Pœno adparuiſſe, & viam ipſi indicaſſe. In quo ſimile illis uſuvenit ac poëtis, qui tragœdias componunt. nam quoniam hi poëtæ argumenta falſa & abſurda initio ſibi proponunt; ſemper in fabularum exitu deo indigent & machinâ. Idem his quoque ſcriptoribus uti eveniat, neceſſum planè eſt; utque heroas aut deos fingant viſos: poſtquàm ſemel principia à veri ſimilitudine aliena & falſa poſuerunt. abſurdis enim principiis, quî poteſt colophon imponi non abſurdus? Enimverò Hannibal in hoc incepto, non quomodò illi ſcribunt, ſed adprime ſolerter ſe geſſit. qui & præſtantiam regionis, quam erat aditurus, atque alienatos populorum animos à Romanis, certò exploraverat; & ad itinerum difficultates ducibus utebatur indigenis; qui eamdem ſecum belli fortunam erant experturi. Nos autem de hiſce rebus eo maiore fiduciâ ſcribimus, quia ab iis hominibus eas didicimus, qui temporibus illis vivebant; & quòd loca ipſi luſtravimus. viſendi quidpe ſtudio ac veritatis noſcendæ Alpeis adiimus.* Quos *deos*, quosque *deorum filios*, & quos *heroas* innuat Polybius, oſtendunt maximè Livius atque Silius. quorum ille lib. XXI; *Ab Gadibus*, inquit, *Carthaginem ad hiberna exercitus rediit. atque inde profectus præter Etoviſſam urbem, ad Iberum maritimamque oram ducit. Ibi, fama eſt, in quiete viſum ab eo juvenem divinâ ſpecie; qui ſe ab Iove diceret ducem in Italiam Hannibali miſſum: proinde ſequeretur: neque usquàm à ſe deflecteret oculos. pavidum primò, nusquàm circumſpicientem aut reſpicientem, ſequutum. deinde, curâ humani ingenii, quum, quidnam id eſſet, quod reſpicere vetitus eſſet, agitaret animo; temperare oculis requiviſſe. tum vidiſſe poſt ſe ſerpentem mirâ magnitudine cum ingenti arborum ac virgultorum ſtrage ferri; ac pòſt inſequi cum fragore cæli nimbum. tum, quæ moles ea quidve prodigii eſſet, quærentem, audiviſſe, Vaſtitatem Italiæ eſſe. pergeret porrò ire; nec ultra inquireret; ſineretque fata in occulto eſſe.* Silius lib. III *juvenem* iſtum *divinâ ſpecie* tradit Mercurium fuiſſe, his verſibus:

Iamque per humentem noctis Cyllenius umbram
Aligero lapſu portabat juſſa parentis.

Haud immeritò igitur illud à Plinio pronunciatum lib. XXXVI cap. I; *In portento propè maiores habuêre Alpeis ab Hannibale exſuperatas.* Nam, præter Herculem, neminem ante Hannibalem cum exercitu eas transſcendiſſe, tradebant. Cornelii Nepotis epitomator Probus Aemilius in vitâ eius: *Ad Alpeis poſtquàm venit; quæ Italiam ab Galliâ ſejungunt; quas nemo umquàm cum exercitu ante eum, præter Herculem Graium,*

trans-

tranſierat: quo facto is hodiè ſaltus Graius adpellatur: Alpinos, conanteis prohibere tranſitum, concîdit; loca patefecit; itinera muniit; effecitque, ut eà elefantus oneratus ire poſſet, quà anteà unus homo inermis vix poterat repere. Auctor de Viris illuſtribus; in eodem Hannibale: *Tum Alpibus patefactis, in Italiam trajecit.* Eutropius lib. III: *Alpeis, adhuc in eâ parte invias, ſibi patefecit.* Valer. Maximus lib. III cap. VII, de eodem: *Novo tranſitu Alpium juga patefacta.* Silius lib. I; de Hannibale Saguntum in Hiſpaniâ obſidente:

> ——— *Propiùs ſi preſſa furenti*
> *Haſta foret, clauſæ ſtarent mortalibus Alpes:*
> *Nec Traſymene tuis nunc Allia cederet undis.*

Et lib. II Geſtar, Carthaginienſis ſenator, ita in ſenatu pro Hannibalis expeditione Italicâ contra Hannonem fatur:

> *Proinde paullo creſcant Alpes; altusque coruſcos*
> *Apenninus agat ſcopulos: per ſaxa, per niveis,*
> *Per cælum, eſt, qui pandat iter. pudet Hercule tritas*
> *Deſperare vias, laudemque timere ſecundam.*

Lib. III; ubi jam ad tranſitum Alpium erat perventum:

> *Nec mora. promotum promiſſis ditibus agmen*
> *Erigit in collem; & veſtigia linquere nota*
> *Herculis edicit magni, crudiſque locorum*
> *Ferre pedem, ac proprio turmas evadere calle.*

Lib. XI ipſe Hannibal ita de ſe loquitur:

> *Cui patuêre Alpes; ſaxa impellentia cælum,*
> *Atque uni calcata deo.*

Hæc igitur atque talia tragici illi ſcriptores Hannibalis tranſitui fabuloſè adfinxerunt. quæ Polybius uti audacter rejicere tutóque damnare poſſet, ipſe loca, quæ tranſiit Hannibal, inſpexit: ad hæc omneis Gallicorum exercituum ante Hannibalem tranſitus diligenter adnotavit. Rectè igitur Florus lib. II cap. VI: *Vbi ſemel ſe in Hiſpaniâ movit illa gravis & luctuoſa Punici belli vis atque tempeſtas; deſtinatumque Romanis jam diu fulmen Saguntino igne conflavit: ſtatim quodam impetu rapta, medias perfregit Alpeis; & in Italiam ab illis fabuloſæ altitudinis nivibus, velut cælo miſſa, deſcendit.* Rectè item pro hiſtorico Livius adnotavit iſta lib. XXI: *Hannibalem, incertum, utrùm cæptum in Italiam intenderet iter; an cum eo, qui primas ſe obtuliſſet Romanus exercitus, manus conſereret; averterat à præſenti certamine Boiorum legatorum reguliquè Matali adventus: qui, ſe duces itinerum, ſocios periculi fore adfirmantes, integro bello, nuſquàm antè libatis viribus, Italiam adgrediendam cenſent.* Et paullo pòſt; ubi Hannibal exercitum ſuum, Alpium altitudinem formidantem, ſic adfatur: *Quid aliud Alpeis eſſe crederent, quàm montium altitudines? Fingerent altiores Pyrenæis jugis. nullas profectò terras cælum contingere, nec inexſuperabileis humano generi eſſe. Alpeis quidem habitari, coli, gignere atque alere animanteis. pervias paucis eſſe; exercitibus invias? Eos ipſos, quos cernant, legatos non pennis ſublime elatos Alpeis tranſgreſſos. nec maiores quidem eorum indigenas, ſed advenas Italiæ cultores, has ipſas Alpeis ingentibus ſæpè agminibus, cum liberis ac conjugibus, migrantium modo, tutò tranſiſſe.* Sed de poëticis iſtis figmentis fabuloſiſque narrationibus ſatis hactenus ſuperque diſſertum. Quo tandem Alpium tranſitu uſus ſit Hannibal, videamus. Super hoc, ut antè dixi, variant inter ſe priſci etiam auctores. unde hodiè quoque veritas rei in occulto latet. Nos eam in lucem producere firmiſſimiſque argumentis adſere conabimur. Plinius itaque lib. III cap. XVII, *Salaſſorum,* inquit, *Auguſta Prætoria, juxta geminas Alpium fauceis, Graias atque Pœninas. his Pœnos, Graiis Herculem tranſiſſe memorant.* Idem teſtatur de Pœnis & Hannibale Ammianus Marcellinus lib. XV: quamquàm illic duas diverſiſſimas de Pœnorum tranſitu narrationes nimis quàm imperitè in unam confudit; ut pòſt videbimus. Longè maioris auctoritatis ſcriptor Polybius eumdem Hannibali copioſiſſimâ adſcribit hiſtoriâ tranſitum, lib. III. cui hiſtoriæ huiuſmodi præmittit narrationem geographicam: Ὁ δὲ Ῥοδανὸς ἔχει μὲν τὰς πηγὰς ὑπὲρ τοῦ Ἀδριατικοῦ μυχὸν, πρὸς τὴν ἑσπέραν νεύουσας ἐν τοῖς ἀποκλίνουσι μέρεσι τῶν Ἄλπεων, ὡς πρὸς τὰς ἄρκτους· ῥεῖ δὲ πρὸς τὰς χειμερινὰς δύσεις, ἐκβάλλει δ᾽ εἰς τὸ Σαρδῷον πέλαγος. φέρεται δ᾽ ἐπὶ πολὺ δι᾽ αὐλῶνος· οὗ πρὸς μὲν τὰς ἄρκτους Ἄρδυες Κελτοὶ κατοικοῦσι, τὴν δ᾽ ἀπὸ μεσημβρίας αὐτοῦ πλευρὰν ὁρίζουσι πᾶσαι πρὸς ἄρκτον κεκλιμέναι τῶν Ἄλπεων παρώρειαι. τὰ δὲ πεδία τὰ πρὸς τὸν Πάδον, ὑπὲρ ὧν

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

ἡμῖν εἴρηται διὰ πλειόνων, ἀπὸ δὲ τοῦ κατὰ τὸν Ῥοδανὸν αὐλῶνος διαζευγνύουσι αἱ τῶν προειρημένων ὀρῶν ἀκρώρειαι, λαμβάνουσαι τὴν ἀρχὴν ἀπὸ Μασσαλίας ὡς ἐπὶ τὸν τοῦ παντὸς Ἀδρίου μυχόν· ἃς τότε ὑπεράρας Ἀννίβας ἀπὸ τῶν κατὰ τὸν Ῥοδανὸν τόπων, ἐνέβαλεν εἰς Ἰταλίαν. Hoc eſt: *Rhodanus fonteis habet ſupra ſinum Hadriaticum, in occaſum verſus, in partibus Alpium, quæ ſeptemtriones ſpectant. fertur ad occaſum hibernum: exoneratque ſe in mare Sardoum. magna pars eius curſus eſt in valle; cuius ſeptemtrionale latus Ardyes Galli colunt: meridionale omne terminant radices Alpium, quæ in ſeptemtriones vergunt. Circumpadanam regionem, de qua plura in ſuperioribus nobis dicta, ab eâ valle, quam permeat Rhodanus, ſeparant radices Alpium; quæ à Maſſiliâ ad ultimum Hadriæ receſſum porriguntur. Hos monteis Hannibal eâ parte tranſgreſſus, quâ fertur Rhodanus, Italiam intravit.* Intelligere eum *Summum Penninum*, ſive ſummum *Penninarum Alpium* trajectum, quem ſuperiori capite expoſuimus; per quod jugum à Rhodano & Veragris in Salaſſos ferebat via; ex deſcriptione *Penninæ vallis*, per quam fertur Rhodanus, diſertiſſimo liquet argumento. De iiſdem locis hæc poſteà ſcribit, quæ jam anteà citavimus: Ἡμεῖς δὲ περὶ τούτων εὐθαρσῶς ἀποφαινόμεθα, διὰ τὸ περὶ τῶν πράξεων παρ' αὐτῶν ἱστορηκέναι τῶν παρατετευχότων τοῖς καιροῖς, τοὺς δὲ τόπους κατωπτευκέναι, καὶ τῇ διὰ τῶν Ἄλπεων αὐτοὺς κεχρῆσθαι πορείᾳ, γνώσεως ἕνεκα καὶ θέας. Id eſt: *Nos de hiſce rebus eo maiore fiduciâ ſcribimus, quia ab iis hominibus eas didicimus, qui temporibus illis vivebant: tum, quòd loca ipſi luſtravimus, viſendi quidpe ſtudio & veritatis noſcendæ cauſâ Alpeis adiimus.* Tandem finem prædictæ de tranſitu Hannibalis relationis ita concludit: Τέλος δὲ τὴν μὲν πᾶσαν πορείαν ἐκ Καινῆς πόλεως ἐν πέντε μησὶ ποιησάμενος, τὴν δὲ τῶν Ἄλπεων ὑπερβολὴν ἡμέραις πεντεκαίδεκα, κατῆρε τολμηρῶς εἰς τὰ περὶ τὸν Πάδον πεδία καὶ τὸ τῶν Ἰνσόμβρων ἔθνος. Id eſt: *Tandem, univerſo itinere à Carthagine Novâ* V *menſibus confecto, Alpibus verò diebus* XV *ſuperatis, in Circumpadanos campos & Inſubrum fineis audacter eſt ingreſſus.* Hinc mox ad Taurinos oppugnandos, caputque gentis, quod nunc vulgo vocatur *Turino*, expugnandum tradit profectum. At, ne quid eorum, quæ hactenus ex hoc auctore relata, perperam intellectum ſuſpiceris; intermedia etiam eius hiſtoriæ adducantur; quo totum Hannibalis iter per Alpeis membratim noſcatur. Sic igitur de eo, poſtquàm Rhodanum trajecit, porrò narrat: Ἀννίβας δὲ ποιησάμενος ἑξῆς ἐπὶ τέτταρας ἡμέρας τὴν πορείαν ἀπὸ τῆς διαβάσεως, ἧκε πρὸς τὴν καλουμένην Νῆσον, χώραν πολύοχλον καὶ σιτοφόρον, ἔχουσαν δὲ τὴν προσηγορίαν ἀπ' αὐτοῦ τοῦ συμπτώματος· τῇ μὲν γὰρ ὁ Ῥοδανός, τῇ δὲ Σκόρας προσαγορευόμενος, ῥέοντες παρ' ἑκατέραν τὴν πλευράν, ἀποκορυφοῦσιν αὐτῆς τὸ σχῆμα κατὰ τὴν πρὸς ἀλλήλους σύμπτωσιν. ἔστι δὲ παραπλησία, τῷ μεγέθει καὶ τῷ σχήματι, τῷ παρ' Αἰγύπτῳ καλουμένῳ Δέλτα. πλὴν ἐκείνου μὲν θάλατταν τὴν μίαν πλευρὰν καὶ τὰς τῶν ποταμῶν ῥύσεις ἐπιζεύγνυσι· ταύτης δ' ὄρη δυσπρόσοδα καὶ δυσέμβολα, καὶ σχεδὸν, ὡς εἰπεῖν, ἀπρόσιτα. πρὸς ἣν ἀφικόμενος, καὶ καταλαβὼν ἐν αὐτῇ δύο ἀδελφοὺς ὑπὲρ τῆς βασιλείας στασιάζοντας, καὶ μετὰ στρατοπέδων ἀντικαθημένους ἀλλήλοις, ἐπισπωμένου τοῦ πρεσβυτέρου, καὶ παρακαλοῦντος εἰς τὸ συμπρᾶξαι καὶ συμπεριποιῆσαι τὴν ἀρχὴν αὐτῷ, ὑπήκουσε· προδήλου σχεδὸν ὑπαρχούσης τῆς πρὸς τὸ παρὸν ἐσομένης αὐτῷ χρείας. διὸ καὶ συνεπιθέμενος καὶ συνεκβαλὼν τὸν ἕτερον, πολλῆς ἐπικουρίας ἔτυχε παρὰ τοῦ κρατήσαντος. Hoc eſt: *Hannibal quarto die, poſtquàm à Rhodano erat profectus, ad Inſulam, quam vocant, pervênit; regionem & cultoribus frequentem & frumenti feracem; è re ipſâ ſic nominatam. quidpe hinc Rhodanus, inde Scoras latera duo eius præterfluentes, quà in unum confluunt, faſtigiatam eius figuram reddunt. Eſt autem ſimilis hæc regio, tùm magnitudine tùm figurâ, illi, quod in Aegypto Delta vocant. eo differunt; quòd huius latus unum mare & fluviorum oſtia claudunt; illius verò montes difficilis acceſſus introitusque; imò verò, ad quos nullus ferè aditus patet. Ad eam quum perveniſſet; duosque inveniſſet fratres regni certamine ambigenteis, caſtraque caſtris oppoſita habenteis; accitus à maiore, rogatusque, ut in adſerendo ſe vellet adjuvare; petitioni adnuit: quòd propè manifeſta eſſet utilitas, quam ea res in præſens ei erat allatura. Itaque ſocietate belli cum ipſo initâ, & fratre altero pulſo, multis rebus à victore eſt adjutus.* Vocabulum alterius fluminis Σκόρας jam dudum alii ante me vitioſum eſſe adnotaverunt; quandoquidem nullum hoc tractu eo nomine flumen neque apud veteres auctores neque hodiernâ experientiâ reperitur. Sigonius & Caſaubonus audacter id ex Livii exemplaribus emendandum cenſuerunt in Ἄραρος. ſic, quidpe perſcriptum eſt apud Livium lib. XXI: *Hannibal quartis caſtris ad Inſulam pervênit. ibi Arar Rhodanusque amnes, diverſis ex Alpibus decurrentes, agri aliquantulum amplexi, confluunt in unum: mediis campis Inſulæ nomen inditum. adcolunt propè Allobroges; gens jam inde nullâ Gallicâ gente opibus*

opibus aut famâ inferior. tum diſcors erat. regni certamine ambigebant fratres. maior, & qui priùs imperitârat, Brancus nomine, minore à fratre & cœtu juniorum, qui jure minus, vi plus poterat, pellebatur. Huius ſeditionis peropportuna diſceptatio quum ad Hannibalem rejecta eſſet, arbiter regni factus, quod erat ſenatus principumque ſententiâ futurum, imperium maiori reſtituit. ob id meritum commeatu copiâque rerum omnium & veſtimentis eſt adjutus, quæ infames frigoribus Alpes præparare cogebant. Sedatis certaminibus Allobrogum; & cætera, quæ ſequuntur. Verùm, qui nam illi ſunt montes, qui tertium huius inſulæ inter Ararim Rhodanumque latus claudant? quum ipſa inſula magnitudine Aegypti Delta non exceſſerit: cuius maximum latus maritimum, inter Heracleoticum ac Peluſiacum oſtia, CXX haud ampliùs paſſuum obtinet millia; Ptolemæo teſte, juxtà genito: proximum inde, inter divortium Nili & Peluſiacum oſtium, C: tertium, inter divortium & Heracleoticum oſtium, LXXXV. Quæ itêm illæ ſunt Alpes, ex quibus defluit *Arar*? quem è Volego monte oriri, conſtat; fonte longè à proximis Alpibus diſſito. Denique, quinam illi Allobroges, inter Rhodanum Ararimque regnum obtinentes? quum conſtet, in Narbonenſi eos fuiſſe provinciâ, in lævâ Rhodani ripâ, cùm opidis *Viennâ & Genevâ*. Proinde corrupta iſta duo amnis vocabula audacter ego emendo, apud Polybium Σκώρας in Ἴσαρας, apud Livium *Arar* in *Iſara*. eſt quidpe is fluvius, qui Straboni lib. IIII, in deſcriptione Alpium, & Ptolemæo in Galliæ Narbonenſis deſcriptione, vocatur Ἴσαρ, Planco verò apud Ciceronem, Familiar. lib. X epiſt. XV, XVIII, XXI, & item Bruto apud eumdem Ciceronem, Famil. lib. XI epiſt. XIII, *Iſara*; hodiè vulgò Gallis adcolis *L'Iſere*. Plancus in dictâ epiſt. XV: *Itaque in Iſarâ, flumine maximo, quod in finibus eſt Allobrogum, ponte uno die facto, exercitum traduxi*. Et Brutus, dictâ epiſt. XIII: *Sanè in ſpem venerant, quòd neque Planci quatuor legiones omnibus ſuis copiis pareis arbitrabantur; neque ex Italiâ tam celeriter exercitum trajici poſſe credebant. quos ipſi adhuc ſatis arroganter Allobroges equitatûsque omnis, qui eò præmiſſus erat à nobis, ſuſtinebant; noſtroque adventu ſuſtineri facilius poſſe confidimus. Tamen, ſi quo etiam caſu Iſaram ſe trajecerint; ne quid detrimenti reipublicæ injungant, ſumma à nobis dabitur opera*. Hic igitur *Iſara* ab Graiis decurrens Alpibus, ubi ad opidum Gratianopolim, quod vulgò dicitur *Grenoble*, adpropinquat, lætiſſimorum hinc feraciſſimorumque ingens ſpatium agrorum unà cum Rhodano in vicem inſulæ complectitur, cuius latus orientale altorum aſperorumque montium jugum claudit, à Gratianopoli in ſeptemtriones verſùs ad Rhodani ripam, quà huic Bellæum opidum adpoſitum, longitudine XL millium paſſuum protenſum: cui ab oriente adſidet, caput nunc Sabaudiæ, *Cameriacum* opidum, vulgò *Chambery* dictum. Summa inſulæ longitudo eſt, à prædicti jugi apud Rhodanum fine ad confluenteis Rhodani Iſaræque, millium LXX: latitudo inter duo flumina, ſive inter Lugdunum & Fanum divi Marcellini, millium XLV. Cingitur præclaris urbibus; apud Rhodanum, Lugduno, Viennâ, Valentiâ; apud Iſaram, Romanſio & Gratianopoli; apud monteis, Cameriaco. Polybius neque figuram eius neque magnitudinem Aegyptiacæ regioni rectè adſimilavit, quæ dicebatur *Delta*. eſt quidpe τετράπλευρος potiùs: cuius latus ſeptemtrionale atque occidentale Rhodanus, auſtrale Iſara, orientale, quod reliquis contractius, montes claudunt. In occidentali, apud Rhodani ripam ſedet caput olim Allobrogum *Vienna*. Pergit porrò Polybius de Branco Allobrogum rege ac reliquo Hannibalis itinere in hæc verba: Ἔτι δὲ τοὺς πλείστους ἐσθῆτι καὶ πρὸς τούτοις ὑποδέσει κοσμήσας, μεγάλην εὐχρηστίαν παρέσχετο πρὸς τὰς τῶν ὀρῶν ὑπερβολάς. τὸ δὲ μέγιστον εὐλαβῶς διακειμένοις πρὸς τὴν διὰ τῶν Ἀλλοβρίγων καλουμένων Γαλατῶν πορείαν, ἀπουραγήσας μετὰ τῆς σφετέρας δυνάμεως, ἀσφαλῆ παρεσκεύασε τὴν δίοδον αὐτοῖς, ἕως ἤγγισαν τῇ τῶν Ἄλπεων ὑπερβολῇ. Ἀννίβας δ' ἐν ἡμέραις δέκα πορευθεὶς παρὰ τὸν ποταμὸν εἰς ὀκτακοσίους σταδίους, ἤρξατο τῆς πρὸς τὰς Ἄλπεις ἀναβολῆς. καὶ συνέβη μεγίστοις αὐτὸν περιπεσεῖν κινδύνοις. ἕως μὲν γὰρ ἐν τοῖς ἐπιπέδοις ἦσαν, ἀπείχοντο πάντες αὐτῶν οἱ κατὰ μέρος ἡγεμόνες τῶν Ἀλλοβρίγων· τὰ μὲν τοὺς ἱππεῖς δεδιότες, τὰ δὲ τοὺς παραπέμποντας βαρβάρους. ἐπειδὴ δ' ἐκεῖνοι μὲν εἰς τὴν οἰκείαν ἀπηλλάγησαν, οἱ δὲ περὶ τὴν Ἀννίβαν ἤρξαντο προάγειν εἰς τὰς δυσχωρίας, τότε συναθροίσαντες οἱ τῶν Ἀλλοβρίγων ἡγεμόνες ἱκανὸν τὸ πλῆθος, προκατελάβοντο τοὺς εὐκαίρους τόπους, δι' ὧν ἔδει τοὺς περὶ τὸν Ἀννίβαν κατ' ἀνάγκην ποιεῖσθαι τὴν ἀναβολήν. Id eſt: *Hæc ampliùs, pleroſque eorum veſtimentis atque inſuper calceamentis inſtruens, ad exſuperandos monteis magna iis auxilia præbuit. quodque præcipuum eius meritum fuit;*

malè metuentibus ſibi in tranſitu per fineis Gallorum, quos Allobriges vocant, in extremo agmine ſubſequutus cum ſuis copiis; ſecurum iter præſtitit, donec et loco adpropinquarunt, unde Alpeis conſcendere cœperunt. Hannibal x *diebus* c *fermè paſſuum millia propter Rhodanum flumen emenſus, in ipſo Alpium aditu pericula ſubiit ingentia. quidpe Allobrigum minores omnes duces, qui Pœnis per plana tranſeuntibus ſeſe abſtinuerant: partim barbarorum metu, qui præſidii cauſâ comites ſe illis addiderant: poſtquàm hi domum rediiſſent; Hannibal verò erigere in primos agmen clivos cœpiſſet; tunc magno numero congregati, opportuna loca, per quæ neceſſariò adſcendendum Hannibali erat, occupant.* Centum millia paſſuum ab Iſaræ confluente ſi adverſum Rhodanum ſequaris, incides tandem in opidum amni impoſitum, cui vulgare vocabulum *Seiſſel.* ab eo opido per vallem itur juxta opidum *Croiſilles* ad primos Alpium clivos: quibus ſuperatis, alia occurrit vallis, ex qua per excelſa jam montium juga tranſitur in Veragrorum vallem, ad vicum *Saxe* & opidum Martiniacum, olim *Octodurum* dictum. ex hac valle iterum tranſitus patet per *Summum Penninum* in Italiam & Salaſſorum vallem. Polybius de Allobrogum incurſionibus narrare pergit eadem, quæ refert Livius lib. XXI; licèt longè diverſo Alpium itineri tributa; ut pòſt videbimus. *Erigentibus*, inquit Livius, *in primos agmen clivos adparuerunt imminenteis tumulos inſidentes montani. qui ſi valleis occultiores inſediſſent; coorti in pugnam repentè, ingentem fugam ſtragemque dediſſent. Hannibal conſiſtere ſigna jubet: Galliſque* [quibus utebatur ducibus, teſte Polybio] *ad viſenda loca præmiſſis, poſtquàm comperit, tranſitum eà non eſſe, caſtra inter confragoſa omnia præruptaque, quàm extentiſſimâ poteſt valle, locat. tum per eoſdem Gallos, haud ſanè multum linguâ moribuſque abhorrenteis, quum ſe immiſcuiſſent colloquiis montanorum, edoctus, interdiu tantùm obſideri ſaltum; nocte in ſua quemque dilabi tecta: luce primâ ſubiit tumulos; ut ex aperto atque interdiu viam per anguſtias facturus. die deinde ſimulando aliud, quàm quod parabatur, conſumpto; quum eodem, quo conſtiterat, loco caſtra communiſſet: ubi primùm digreſſos tumulis montanos laxataſque ſenſit cuſtodias; pluribus ignibus, quàm pro numero manentium, in ſpeciem factis, impedimentiſque cum equite relictis, & maximâ parte peditum; ipſe cum expeditis acerrimo quoque viro, raptim anguſtias evadit; iiſque ipſis tumulis, quos hoſtes tenuerant, conſedit. Primâ deinde luce caſtra mota; & agmen reliquum incedere cœpit. Iam montani, ſigno dato, ex caſtellis ad ſtationem ſolitam conveniebant; quum repentè conſpiciunt alios arce occupatâ ſuâ ſuper caput imminenteis, alios viâ tranſire hoſteis. Vtraque ſimul objecta res oculis, animis immobileis parumper eos defixit. deinde, ut trepidationem in anguſtiis, ſuoque ipſo tumultu Hannibalis miſceri agmen vidêre, equis maximè conſternatis; quidquid adjeciſſent ipſi terroris, ſatis ad perniciem fore rati, perverſis rupibus juxta invia ac devia adſveti diſcurrunt. Tum verò ſimul ab hoſtibus ſimul ab iniquitate locorum Pœni oppugnabantur: pluſque inter ipſos ſibi cuique tendenti ut periculo priùs evaderat, quàm cum hoſtibus, certaminis erat. equi maximè infeſtum agmen faciebant. qui & clamoribus diſſonis, quos nemora etiam repercuſſæque valles augebant, territi trepidabant; & icti fortè aut vulnerati, adeò conſternati ſunt, ut ſtragem ingentem ſimul hominum ac ſarcinarum omnis generis facerent. multoſque turba, quum præcipites diruptæque utrimque anguſtiæ eſſent, in immenſum altitudinis dejecit: quoſdam & armatos. inde ruinæ maximæ: modò jumenta cum oneribus devolvebantur. Quæ quamquàm fœda viſu erant; ſtetit parumper tamen Hannibal; ac ſuos continuit, ne tumultum ac trepidationem augerent. deinde, poſtquàm interrumpi agmen videt, periculumque eſſe, ne exutum impedimentis exercitum quidquàm incolumen traduxiſſet; decurrit ex ſuperiore loco: &, quum impetu ipſo fudiſſet hoſtem, ſuis tumultum auxit. ſed is tumultus momento temporis, poſtquàm liberata itinera fugâ montanorum erant, ſedatur: nec per otium modò, ſed propè ſilentio mox omnes traducti. Caſtellum inde, quod caput eius regionis erat, vicoſque circumjectos cepit; & captivorum pecoribus per triduum exercitum aluit. &, quia nec montanis, primò perculſis, nec loco magnoperè impediebantur, aliquantum eo triduo viæ confecit.* Polybius hæc cuncta in *Allobrogibus* geſta tradit: quos Nantuatibus apud Lemanum lacum & Rhodani influxum, circa has verò Alpium parteis *Veragris* fuiſſe conterminos, conſtat. citra hos in ſummâ Iſaræ valle apud Graias Alpeis fuêre *Centrones*; quorum opidum *Darantaſia*, hodiè vulgò vocatur *Monſtier en Tarentaiſe*: nomenque gentis adhuc exſtat in vico *Centron*, circa fonteis Iſaræ. Pergit ita Livius: *Perventum inde ad frequentem cultoribus alium, ut inter montana, populum. Ibi non bello aperto, ſed ſuis artibus, fraude, deinde*

inſidiis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

inſidiis eſt propè circumventus. Magno natu principes caſtellorum oratores ad Pœnum veniunt; alienis malis utili exemplo doctos, memorantes, amicitiam malle, quàm vim, experiri Pœnorum. itaque obedienter imperata facturos. commeatum itinerisque duces, & fidem promiſſorum, obſides acciperet. Hannibal, nec temerè credendo, nec aſpernando; ne repudiati apertè hoſtes fierent; benignè quum reſpondiſſet; obſidibus, quos dabant, acceptis, & commeatu, quem in viam ipſi detulerant, uſus; nequaquàm, ut inter pacatos, incompoſito agmine duces eorum ſequitur. Primum agmen elephanti & equites erant. ipſe pòſt cum robore peditum, circumſpectans ſolicitus omnia, incedebat. Vbi in anguſtiorem viam ex parte alterâ ſubjectam jugo inſuper imminenti ventum eſt; unde ex inſidiis barbari à fronte & à tergo coorti, comminus eminusque petunt, ſaxa ingentia in agmen devolvunt. maxima ab tergo vis hominum urgebat. in eos verſa peditum acies, haud dubium fecit, quin, niſi firmata extrema agmina fuiſſent, ingens in eo ſaltu accipienda clades fuerit. tunc quoque ad extremum periculi ac prope perniciem ventum eſt. nam, dum cunctaretur Hannibal demittere in anguſtias agmen; quia non, ut ipſe equitibus præſidio erat, ita peditibus quidquam à tergo auxilii reliquerat; occurſantes per obliqua montani, perrupto medio agmine viam inſedêre. noxque una Hannibali ſine equitibus & impedimentis acta eſt. Ait ſuprà Livius, occupato montanorum, quos adhuc Allobroges fuiſſe teſtatur Polybius, caſtello, *aliquantulum viæ confeciſſe Hannibalem:* quarto tandem iterum in periculum incidiſſe. id triduum Polybius ita partitur, uti diem unum, poſt caſtellum occupatum, quieverit; duobus deinde diebus iter fecerit: quarto tandem in periculum inciderit. Verba eius hæc ſunt: Τότε μὲν οὖν αὐτοῦ ποιησάμενος τὴν παρεμβολὴν, καὶ μίαν ἐπιμείνας ἡμέραν, αὖθις ὥρμα. τῆς δ' ἑξῆς, μέχρι μὲν τινος ἀσφαλῶς διῆγε τὴν στρατιάν· ἤδη δὲ τεταρταῖος ὢν, αὖθις εἰς κινδύνους παρεγίνετο μεγάλους. οἱ γὰρ περὶ τὴν δίοδον οἰκοῦντες, συμφρονήσαντες ἐπὶ δόλῳ, συνήντων αὐτῷ, θαλλοὺς ἔχοντες καὶ στεφάνους. Id eſt: *Tum igitur caſtra eodem loci metatus, diem unum quievit: ac deinceps ire perrexit. ſequentibus diebus aliquantum viæ ſine ullo periculo cum copiis confecit. quarto in periculum ingens iterum incidit. viæ namque adcolæ, clam conſpiratione factâ, cum virentis olivæ ramis & coronis fiunt illi obviam.* Factum id eſſe docet Livius, quum *perventum* eſſet *ad frequentem cultoribus alium, ut inter montana, populum.* hic nullus alius fuit, quàm *Veragri*; per quorum vallem porrò, ut antè dictum, via ferebat ad *Summum Penninum*, & inde in *Salaſſos*. patet hoc etiam ex Polybii verbis; ubi ita de adcolis viæ, qui ſe duces præbebant itineris, ſcribit: Προηγουμένων δ' αὐτῶν ἐπὶ δύο ἡμέραις, συναθροισθέντες οἱ προειρημένοι καὶ συνακολουθήσαντες, ἐπιτίθενται, φάραγγά τινα δύσβατον καὶ κρημνώδη περαιουμένων αὐτῶν. * * ὥστ' ἀναγκασθῆναι τὸν Ἀννίβαν μετὰ τῆς ἡμισείας δυνάμεως νυκτερεῦσαι περί τι λευκόπετρον ὀχυρὸν χωρὶς τῶν ἵππων καὶ τῶν ὑποζυγίων, ἐφεδρεύοντα τούτοις, ὃς ἐν ὅλῃ τῇ νυκτὶ τούτων μόλις ἐξεμηρύσατο τῆς χαράδρας. τῇ δ' ἐπαύριον τῶν πολεμίων χωρισθέντων, συνάψας τοῖς ἱππεῦσι καὶ τοῖς ὑποζυγίοις, προῆγε πρὸς τὰς ὑπερβολὰς τὰς ἀνωτάτω τῶν Ἄλπεων. Hoc eſt: *Hi, ubi per biduum præiviſſent exercitui, congregati omnes, & à tergo inſequnti, copias Hannibalis in transitu confragoſæ ac prœruptæ cuiusdam vallis adoriuntur.* Et mox poſteà: *Ita, uti cogeretur Hannibal in munitâ quadam & deſertâ nudâque petrâ ſeparatim ab equis atque jumentis cum alterâ parte exercitus, ut his præſidio eſſet, pernoctare. vixque tandem nocte totâ per confragoſam iſtam vallem longum horum agmen eſt explicitum. Poſtero die, hoſtibus inde digreſſis, equites adſequutus & jumenta, ſummum Alpium petiit jugum.* Id eſt: *Summum Penninum.* Per biduum ergo Veragri pacati quietique Pœnis, in vallem, in qua vicum nunc *Saxe* eſſe dixi, ad Dranſam amnem deſcendentibus, atque inde adversâ Dranſæ ripâ tendentibus, præiverunt; quatenus vallis eorum, quam Dranſa ſecat mediam, paullo latiùs adhuc patebat. at ubi jam ad anguſtiora loca, verſùs fontem amnis & *Summum Penninum* ſita, pervenêre; impetum in eos fecerunt. Ἐνναταῖος δὲ διανύσας εἰς τὰς ὑπερβολὰς, inquit Polybius, αὐτοῦ κατεστρατοπέδευσε, καὶ δύο ἡμέρας ἔμεινε· βουλόμενος ἅμα μὲν ἀναπαῦσαι τοὺς διασωζομένους, ἅμα δὲ προσδέξασθαι τοὺς ὑπολειπομένους. Id eſt: *Nono die ad ſummum Alpium trajectum eſt perventum. ibi ſtativa Hannibal biduum habuit. nam & quietem dare militibus, qui incolumes evaſerant, volebat; & eos operiri, qui à tergo fuerant relicti.* Nono ſcilicet die, poſtquàm Alpeis adſcendere cœperat. Idem ita narratur Livio: *Nono die in jugum Alpium perventum eſt, per invia pleraque & errores; quos aut ducentium fraus, aut, ubi fides iis non eſſet, temerè initæ valles à conjectantibus iter faciebant. Biduum in jugis ſtativa habita: feſſisque labore ac pugnando quies data militibus.*

Pergit

Pergit hinc in hæc verba Livius: *Feſſis tædio tot malorum nivis etiam caſus, occidente jam ſidere Vergiliarum, ingentem terrorem adjecit. Per omnia nive oppleta quum, ſignis primâ luce motis, ſegniter agmen incederet; pigritiaque & deſperatio in omnium vultu emineret; prægreſſus ſigna Hannibal, in promontorio quodam, unde longè ac latè proſpectus erat, conſiſtere juſſis militibus Italiam oſtentat, ſubiectosque Alpinis montibus Circumpadanos campos: mœniaque eos tum tranſcendere non Italiæ modò, ſed etiam urbis Romæ. cætera plana proclivia fore. uno, aut ad ſummum altero prælio arcem & caput Italiæ in manu ac poteſtate habituros. Procedere inde agmen cœpit: jam nihil ne hoſtibus quidem præter parva furta per occaſionem tentantibus. cæterùm iter multò, quàm in adſcenſu fuerat, (ut pleraque Alpium ad Italiam ſicut breviora, ita arrectiora ſunt) difficilius fuit.* Polybius è diverſo tradit Hannibalem militibus Italiam oſtentaſſe antequàm ſigna forent mota. Τῆς δὲ χιόνος, inquit, ἤδη περὶ τοὺς ἄκρους ἀθροιζομένης διὰ τὸ συνάπτειν τὴν τῆς Πλειάδος δύσιν, θεωρῶν τὰ πλήθη δυσθύμως διακείμενα, καὶ διὰ τὴν προγεγενημένην ταλαιπωρίαν, καὶ διὰ τὴν ἔτι προσδοκωμένην· ἐπειρᾶτο συναθροίσας παρακαλεῖν, μίαν ἔχων ἀφορμὴν εἰς τοῦτο, τὴν τῆς Ἰταλίας ἐνάργειαν. οὕτω γὰρ ὑποπεπτώκει τοῖς προειρημένοις ὄρεσιν, ὥστε συνθεωρουμένων ἀμφοῖν, ἀκροπόλεως φαίνεσθαι διάθεσιν ἔχειν τὰς Ἄλπεις τῆς ὅλης Ἰταλίας. διόπερ ἐνδεικνύμενος αὐτοῖς τὰ περὶ τὸν Πάδον πεδία, καὶ καθόλου τῆς εὐνοίας ὑπομιμνήσκων τῆς τῶν κατοικούντων αὐτὰ Γαλατῶν, ἅμα δὲ καὶ τῆς Ῥώμης αὐτῆς τὸν τόπον ὑποδεικνύων, ἐπὶ ποσὸν εὐθαρσεῖς ἐποίησε τοὺς ἀνθρώπους. Τῇ δ᾽ ἐπαύριον ἀναζεύξας, ἐνήρχετο τῆς καταβάσεως. Hoc eſt: *Quoniam autem multa jam in ſummis montibus nix erat, occidente jam Vergiliarum ſidere; animadvertens Hannibal, multitudinem, partim propter præterita mala, partim ob imminentia, animos deſpondere; advocatâ concione, adhortari milites conabatur; unicam eius faciendi occaſionem nactus, quòd in conſpectu eſſet Italia. quæ quidem illis montibus ita ſubjecta eſt, ut ſimul utraque adſpiciens, Italiæ arcem Alpeis dicas. Itaque Circumpadanos campos illis oſtentans, & incolarum Gallorum benevolentiam erga ipſos ſubinde memorans; ipſius quoque Romæ locum deſignans; aliquanto alacriorem militem reddebat. Poſtero die, motis ſignis, deſcendere cœpit.* Suprà Polybius tradit, Hannibalem ἐν ταῖς ὑπερβολαῖς τῶν ἀνωτάτω τῶν Ἄλπεων caſtra poſuiſſe; id eſt, *in ſummo Alpium trajectu*. heic ait eum ἐν τοῖς ἄκροις, id eſt, *ex ſummis jugis* militibus ſuis Italiam oſtentaſſe, antequàm caſtra moveret. ex ipſo igitur *Summo Pennino* eam monſtravit. Livius id è *promontorio quodam* factum ait, *unde longè ac latè proſpectus erat*. quo loco Græcam vocem ἄκρον Latinè vertit *promontorium*; vocabulo haud facilè aliàs Latinis auctoribus uſurpato pro excelſiori ſive ſummo vertice. Dionyſius Περιηγητὴς in Italiæ deſcriptione, de *Zephyrio promontorio*:

Κεῖθεν δ᾽ εἰς Βορέην Ζεφύρου προφαίνεται ἄκρη.

Quem verſum ita vertit interpres Dionyſii Priſcianus:

Hinc eſt ad Boream, Zephyri quæ ſumma vocatur.

Elegantiùs ſanè ac magis propriè de Maritimarum Alpium ſummo trajectu Petronius in Satyrico; ad imitationem facti Hannibalici:

Hæc ubi calcavit Cæſar juga milite læto,
Optavitque locum; ſummo de vertice montis
Heſperiæ campos latè proſpexit.

Ipſe Livius lib. XXII *altum montem* adpellat in agro Larinati, quàm ἄκραν vocat Polybius eodem libro III poſteà. Sed de hoc monere legenteis viſum eſt; ne quis, inſolentiâ vocabuli impulſus, promontorium heic aliquod quærat in orâ maritimâ. De cætero deſcenſum Hannibalis ex ſummis Alpibus in Italiam eodem modo, quo Livius, memorat Polybius. cuius fini hæc tandem ſubjicit, jam anteà nobis citata: Τέλος δὲ τὴν μὲν πᾶσαν πορείαν ἐκ Καινῆς πόλεως ἐν πέντε μησὶ ποιησάμενος, τὴν δὲ τῶν Ἄλπεων ὑπερβολὴν ἡμέραις πεντεκαίδεκα, κατῆρε τολμηρῶς εἰς τὰ περὶ τὸν Πάδον πεδία, καὶ τὸ τῶν Ἰσόμβρων ἔθνος. Id eſt: *Tandem, univerſo itinere à Carthagine Novâ V menſibus confecto, Alpibus verò XV diebus ſuperatis, in Circumpadanos campos & Inſubrium fineis audacter eſt ingreſſus.* Huc jam refer ea, quæ Polybius ſuprà perſcripſit in hæc verba: φέρεται δ᾽ ὁ Ῥοδανὸς ἐπιπολὺ δι᾽ αὐλῶνος, οὗ πρὸς μὲν τὰς ἄρκτους Ἄρδυες Κελτοὶ κατοικοῦσι, τὴν δ᾽ ἀπὸ μεσημβρίας αὐτοῦ πλευρὰν ὁρίζουσι πᾶσαν πρὸς ἄρκτον κεκλιμέναι τῶν Ἄλπεων παρώρειαι· ἃς τότε ὑπεράρας Ἀννίβας ἀπὸ τῶν κατὰ τὸν Ῥοδανὸν τόπων, ἐνέβαλεν εἰς Ἰταλίαν. Id eſt: *Magna pars Rhodani fertur per vallem, cuius ſeptemtrionale latus Ardyes Galli colunt, meridionale omne terminant radices Alpium, quæ in ſeptemtriones vergunt.*

Hos monteis Hannibal ab iis locis transgreſſus, per quæ fertur Rhodanus, Italiam intravit. Ex Inſubrium mox finibus Taurinos, cum quibus ad id temporis bellum erat Inſubribus, petiiſſe Hannibalem, tradit ibidem poſteà Polybius. Verùm non ipſorum quidem Inſubrium proprios fineis eſt ingreſſus; ſed, qui in amicitiâ cum fide atque clientelâ eorum erant, Libiciorum. quibus finitimi erant juxta Orgum amnem Taurini; bellum ad id temporis Inſubribus Libiciorum causâ moventes: ut ſuprà cap. XXIIII dictum eſt. Ex hac igitur diſertiſſimâ Polybii narratione quum luce meridianâ clariùs pateat, Hannibalem per lævam Rhodani ripam & montanorum Allobrogum fineis ad Veragros, atque hinc per ſummum Alpium Penninarum jugum ad Salaſſos, mox ad Libicios Gallos, ac tandem in Taurinorum fineis tranſiſſe; mirari ego ſatis nequeo, quæ cauſa fuerit Livio, cur is Polybii, quem alioquin non in hac modò de Hannibalis tranſitu, ſed & in cunctis cæteris rebus Romanis ad verbum fermè transſcripſit, auctoritaten fidemque damnans & oppugnans, longè diverſiſſimo itinere Hannibalem per Cottias Alpeis in Taurinos primùm omnium deſcendiſſe tradiderit: utique, quum Polybius teſtetur, ſe περὶ τῶν πράξεων παρ' αὐτῶν ἱστορηκέναι τῶν παρατετυχότων τοῖς καιροῖς, τοὺς δὲ τόπους κατωπτευκέναι, καὶ τῇ διὰ τῶν Ἄλπεων αὐτὸν κεχρῆσθαι πορείᾳ, γνώσεως ἕνεκα καὶ θέας· id eſt, *ſe ab iis hominibus rem certam didiciſſe, qui temporibus illis vivebant; atque inſuper loca ſeipſum luſtraſſe, viſendi veritatiſque cognoſcendæ ſtudio Alpibus aditis.* Sed Livio quæ fuerit mens, uti conſtet; eius quoque verba in medium adducantur, explicenturque. *Sedatis*, inquit, *certaminibus Allobrogum* [nempe apud inſulam, quam Rhodanus Iſaraque amnes includunt] *quum jam in Alpeis Hannibal peteret, non rectâ regione iter inſtituit: ſed ad lævam in Tricaſſinos flexit. inde per extremam oram Vocontiorum agri tetendit in Tricorios: haud uſquàm impeditâ viâ, priusquàm ad Druentiam flumen pervênit. is & ipſe Alpinus amnis, longè omnium Galliæ fluminum difficillimus tranſitu eſt. nam, quum aquæ vim vehat ingentem, non tamen navium patiens eſt. quia nullis coërcitus ripis, pluribus ſimul neque iiſdem alveis fluens, nova ſemper vada novoſque gurgites faciens, (& ob eadem pediti quoque incerta via eſt) ad hæc ſaxa glomeroſa volvens, nihil ſtabilis nec tuti ingredienti præbet. & tum fortè imbribus auctus, ingentem transgredientibus tumultum fecit; quum, ſuper cætera, trepidatione ipſi ſuâ atque incertis clamoribus turbarentur. Ab Druentiâ campeſtri maximè itinere cum bonâ pace ad Alpeis incolentium ea loca Gallorum pervênit. erigentibus in primos agmen clivos adparuerunt imminenteis tumulos inſidentes montani.* & hinc cætera; quæ ei ad ingreſſum uſque in Italiam cum Polybio conveniunt; quæque ſuprà ex utroque citata ſunt. Tandem ita finit: *Hoc maximè modo perventum eſt in Italiam: quinto menſe à Carthagine Novâ, ut quidam auctores ſunt; quintodecimo die Alpibus ſuperatis. L. Cincius Alimentius, qui captum ſe ab Hannibale ſcribit, ex ipſo ſe audiſſe Hannibale* [*tradit,*] *poſtquàm Rhodanum tranſierit,* XXXVI *millia hominum ingentemque numerum equorum & aliorum jumentorum amiſiſſe in Taurinis: quæ Gallis proxima gens erat, in Italiam digreſſo. Id quum inter omneis conſtet; eo magis miror, ambigi, quánam Alpeis tranſierit; & vulgò credi Pennino (atque inde nomen etiam jugo Alpium inditum) transgreſſum. Cœlius per Cremonis jugum dicit tranſiſſe. Qui ambo ſaltus eum non in Taurinos, ſed per Salaſſos montanos ad Libicos Gallos deduxiſſent. Nec veri ſimile eſt, ea tum ad Galliam patuiſſe itinera: utique, quum, quæ ad Penninum ferant, obſepta gentibus Semigermanis fuiſſent. Neque herculè montibus his (ſi quem fortè id movit) ab tranſitu Pœnorum ullo Veragri, incolæ jugi eius, nôrunt nomen inditum; ſed ab eo, quem, in ſummo ſacratum vertice, Penninum montani adpellant.* Ptolemæus eo ſitu Tricaſtinos locat, circa Rhodanum, inter Sequanos & Meminos, infra quos verſùs meridiem Vocontios ponit, uti opidum illorum *Noviomagum* nullum aliud eſſe poſſit, quàm quod hodiè in Sabaudiâ vulgò vocatur *Nicy*, epiſcopi Genevenſis ſedes. verùm, ut paſſim innumera alia, ſic hoc quoque ſatis imperitè factum puto. Strabo lib. IIII, in deſcriptione Galliæ Narbonenſis: Ἀπὸ Μασσαλίας ἀρξαμένοις, καὶ προϊοῦσιν ἐπὶ τὴν μεταξὺ χώραν τῶν τε Ἄλπεων καὶ τοῦ Ῥοδανοῦ, μέχρι μὲν τοῦ Δρουεντία ποταμοῦ Σάλυες οἰκοῦσιν. ἡ δ' ἐφεξῆς πᾶσα χώρα Καυάρων ἐστὶ μέχρι τοῦ Ἴσαρος συμβολῆς πρὸς τὸν Ῥοδανόν. τῶν Καυάρων ὑπέρκεινται Οὐοκόντιοί τε καὶ Τρικόριοι, καὶ Σικόνιοι καὶ Μεδοῦλλοι. ἀπὸ δὲ τοῦ Ἴσαρος εἰς τὴν Οὐίενναν, τὴν τῶν Ἀλλοβρίγων μητρόπολιν, στάδιοί εἰσι τκ'. Ἀλλόβριγες δὲ μυριάσι πολλαῖς πρότερον μὲν ἐστράτευον· νῦν δὲ γεωργοῦσι τὰ πεδία καὶ τοὺς αὐλῶνας τοὺς ἐν ταῖς Ἄλπεσιν. Id eſt: *A Maſſiliâ regionem*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

nem inter Rhodanum & Alpeis ſitam ad Druentiam usque Salyes incolunt. regio Cavarum eſt, ad Iſaræ usque ac Rhodani confluentem. Supra Cavares ſunt Vocontii, Tricorii, Siconii, & Medulli. Porrò ab Iſarâ ad Viennam, Allobrogum caput, ſtadia ſunt CCCXX. *Allobroges olim multis hominum millibus expeditiones fecerunt. nunc campos & Alpium valleis agriculturâ colunt.* Et eodem libro poſteà, in Alpium deſcriptione: Μετὰ δὲ τοὺς Σάλυας Ἀλβιεῖς καὶ Ἀλβικοὶ καὶ Οὐοκόντιοι νέμονται τὰ προσάρκτια μέρη τῶν ὀρῶν. παρατείνουσι δ' οἱ Οὐοκόντιοι μέχρι Ἀλλοβρίγων, ἔχοντες αὐλῶνας ἐν βάθει τῆς ὀρεινῆς ἀξιολόγους καὶ ὀχυρούς. μετὰ δὲ Οὐοκοντίους Σικόνιοι καὶ Τρικόριοι, καὶ μετ' αὐτοὺς Μέδουλλοι, οἵπερ τὰς ὑψηλοτάτας ἔχουσι κορυφάς. Hoc eſt: *Poſt Salyas Albenſes & Albici & Vocontii habitant versùs ſeptemtrionem ſitas montium parteis. Vocontii usque ad Allobroges pertingunt; degentes in vallibus Alpium profundis atque naturâ munitis. Poſt Vocontios ſunt Siconii, Tricorii, & ab his Medulli, qui altiſſimos montium vertices tenent.* Opida Vocontiorum fuêre, *Vaſio, Lucus Auguſti*, & *Dea Vocontiorum*. Plinius lib. III cap. IIII: *In agro Cavarum Valentia; Allobrogum Vienna. opida Latina, Aquæ Sextiæ Salyorum, Avenio Cavarum, Auguſta Tricaſtinorum, Carpentoracte Meminorum: Vocontiorum, civitatis fœderatæ, duo capita, Vaſio & Lucus Auguſti.* Itineraria antiqua:

Hieroſolymitanum:		Antonini:		Tabulæ:	
Valentia		*Valentia*		*Valentia*	
Cerebelliaca	XII.				
Auguſta	X.	*Auguſta*	XXII.	*Auguſta*	XXII.
Darentiaca	XII.				
Dea Vocontiorum	XVI.	*Dea Bocontiorum*	XXII.	*Dea Vocontiorum*	XIII.
Luco	XII.	*Luco*	XII.	*Luco*	XII.
Vologatis	IX.				
Cambono	VIII.				
Monte Seleuci	VIII.	*Monte Seleuco*	XXVI.		
Daviano	VIII.				
Ad Fines	XII.				
Vapinco	XI.	*Vapinco*	XXXIII.		
Catorigas	XII.	*Caturicas*	XII.		
Ebriduno	XVI.	*Ebreduno*	XVI.		

Ex his locis *Valentia* nunc dicitur *Valence*; *Dea Vocontiorum, Dye*; *Lucus Auguſti, Luc*; *Vologatis, Vilargonis*; *Cambono, Les Combes*; *Vapincum, Gap*; *Caturigæ, Chorges*; *Ebredunum, Embrun*. *Vaſio* autem Plinii & Ptolemæi nunc vocatur *Vaiſon*, haud ita longè ſupra *Arauſionem*; quod opidum nunc dicitur *Aurange*. Strabo, dicto lib. IIII, in Galliæ Narbonenſis deſcriptione, Vocontiorum fineis usque ad Ebrodunum & Cottii regnum producit. Κατὰ δὲ τὴν ἑτέραν, inquit, ὁδὸν, τὴν διὰ Οὐοκοντίων καὶ τῆς Κοττίου, μέχρι μὲν Οὐγέρνου καὶ Ταράσκωνος, κοινὴ ὁδὸς ἡ ἀπὸ Νεμαύσου· ἐντεῦθεν δὲ ἐπὶ μὲν τοὺς Οὐοκοντίων ὅρους καὶ τὴν ἀρχὴν τῆς ἀναβάσεως τῶν Ἄλπεων διὰ Δρουεντία καὶ Καβαλλίωνος μίλια ἑξήκοντα τρία. πάλιν δ' ἐντεῦθεν ἐπὶ τοὺς ἑτέρους ὅρους τῶν Οὐοκοντίων πρὸς τὴν Κοττίου μίλια ἑκατὸν ἑνὸς δέοντα, εἰς Ἐβρόδουνον κώμην. Id eſt: *Altero verò itinere, quod eſt per Vocontios & Cottii regnum, Vgernum quidem usque & Taraſconem communis à Nemauſo eſt via. hinc ad Vocontiorum proximum finem & initium adſcenſus Alpium, per Druentiam & Caballionem, millia ſunt* LXIII. *inde ad ultimum Vocontiorum finem & ad Cottii regnum millia* XCIX, *ad Ebrodunum vicum.* Ergo ultra Vocontios versùs ſeptemtriones atque Allobroges incoluêre *Tricaſtini* atque *Tricorii*. Equidem haud dubitaverim, quin *Tricorii* fuerint in valle, quam Dracus amnis ſecat; ubi opidum etiamnum vulgò dicitur *Cors*. Iuxta hos, in occidentem versùs, fuiſſe *Tricaſtinos*, quorum opidum facit Plinius *Auguſtam*, ex præſcriptis itinerariis apertè patet: ubi eadem *Auguſta* inter Valentiam & Deam Vocontiorum ponitur. Hinc igitur haud dubiè L. Cœlius Antipater, belli Punici ſecundi ſcriptor, teſtibus Cicerone in Oratore & Valerio Maximo lib. I cap. VII, Hannibalem ab Allobrogum inſulâ & Tricaſtinorum finibus adversâ Iſaræ ripâ per Centrones atque *Cremonis jugum*, quas *fauceis* fuiſſe *Graiarum* ſive *Centronicarum Alpium* ſuprà oſtenſum, in Salaſſos transiſſe tradidit. Livius verò ait, *quum jam Alpeis, ſedatis certaminibus Allobrogum, Hannibal peteret,*

non

non rectâ regione iter inſtituiſſe; ſed ad lævam in Tricaſtinos flexiſſe. inde per extremam oram Vocontiorum agri tetendiſſe in Tricorios & ad Druentiam. hinc ad *Taurinos* transſcendiſſe ſummas Alpeis. Næ ille longos & ambitioſos, ineptosque nec neceſſarios amavit errores; dum à Rhodani trajectu & Taraſcone opido primùm Druentiam, rapidiſſimum amnem, & hinc reliqua inter Druentiam & Iſaram complura flumina, versùs ſeptemtriones, ad inſulam usque Allobrogum transivit; inde verò retrogrado in meridiem versùs itinere, per Tricaſtinos & Tricorios ad eumdem Druentiam rediit. At quomodò ille, *itinere*, quod *rectâ regione* ab Allobrogum inſulâ ad Alpeis ferebat, relicto, *ad lævam in Tricaſtinos flexit*, atque inde per *Tricorios ad Druentiam tetendit?* Certè omne cœlum omneisque terras hac ſuâ Hannibalici itineris deſcriptione conturbavit nobis Livius. Verùm erroris huius haud modici originem diſpicere mihi videor: quem hoc loco aperuiſſe, curæ pretium exiſtimo. Ipſe eodem libro anteà tradit, *Hannibalem in Volcarum, gentis validæ & circa utramque Rhodani ripam colentis, agro* Rhodanum trajeciſſe. Plinius lib. III cap. IIII, & Ptolemæus in deſcriptione Galliæ Narbonenſis Volcarum Arecomicorum, quos heic intelligit Livius, caput faciunt *Nemauſum*, hodiè *Nimes* dictum, ex adverſo Taraſconis opidi & confluentis Druentiæ amnis. hinc Strabo dicto lib. IIII: Τὴν δ' ἐπὶ θάτερα μέρη τοῦ Ῥοδανοῦ Οὐόλκαι νέμονται τὴν πλείστην, οὓς Ἀρεκομικοὺς προσαγορεύουσι· τούτων δ' ἐπίνειον ἡ Νάρβων. Οἱ μὲν οὖν Οὐόλκαι γειτονεύουσι τῷ ποταμῷ τῷ Ῥοδανῷ, τοὺς Σάλυας ἔχοντες ἀντιπαροικοῦντας αὐτοῖς ἐν τῇ περαίᾳ, καὶ τοὺς Καουάρους. μητρόπολις δὲ τῶν Ἀρεκομικῶν ἐστὶ Νέμαυσος. Id eſt: *Alterum Rhodani latus Volcæ maximâ ex parte adcolunt, cognomine Aricomici. Horum navale eſt Narbo. Volcæ igitur Rhodano ſunt contermini; oppoſitos habentes in alterâ ripâ Salyas atque Cavares. Caput Aricomicorum eſt Nemauſus.* Trans Druentiam ſtatim *Caballionem* atque *Avenionem* Strabo & Ptolemæus Cavaribus adſcribunt. Polybius eodem lib. III anteà iter per Hiſpaniam & Galliam ad Rhodani ripam, quà Hannibalem vult trajeciſſe, à Romanis tradit per octona ſtadia, id eſt, per milliaria, fuiſſe dimenſum. eo verò itinere Strabo loco ſuprà ſcripto trajectum Rhodani fuiſſe docet ad Taraſconem opidum: quod & ipſum, ſecundùm Livii ſententiam, in Volcarum Arecomicorum fuerit agro neceſſe eſt, cis Druentiam ſitum. Hinc igitur ſatis manifeſtis jam colligitur argumentis, Druentiam Hannibalem non tunc demum trajeciſſe, quum *ex Tricaſtinis*, ut vult Livius, *per extremam oram Vocontiorum agri in Tricorios tenderet*: ſed à Rhodani ſtatim tranſitu. Huc & illud accedit documenti, quòd circa Caballionem opidum hodiéque Druentia *nullis ripis coërcitus, pluribusque ſimul neque iisdem alveis fluens, nova ſemper vada novosque gurgites faciens, ad hæc ſaxa glomeroſa volvens, nihil ſtabilis nec tuti ingredienti præbet.* Rhodano Druentiâque trajectis, *quum jam Alpeis peteret, non rectâ regione* ac proximâ viâ, quæ adverſo Druentiâ per Cottias Alpeis in Taurinos ferebat, *iter inſtituit: ſed ad lævam flexit*: &, ut ipſe Livius paullo antè ait, *profectus adverſâ ripâ Rhodani, mediterranea Galliæ petiit: non, quia rectior ad Alpeis via eſſet; ſed, quantum à mari receſſiſſet, minùs obviam fore Romanum credens: cum quo priùs, quàm in Italiam ventum foret, non erat in animo manus conſerere. Quartis caſtris ad Inſulam* Allobrogum *pervênit*, quam *Iſara Rhodanusque amnes* ambiunt. Hinc tandem per ipſam inſulam *campeſtri maximè itinere*, ſive, ut Polybius vocat, διὰ τῶν ἐπιπέδων, id eſt, *per plana & campeſtria loca, cum bonâ pace ad Alpeis incolentium ea loca Gallorum*, ſcilicet Allobrogum, ut auctor eſt Polybius, quorum regi Branco regnum reſtituit, *pervênit*. *Erigenti* hinc, quod & ipſum teſtatur Polybius, *in primos agmen clivos adparuerunt minores Allobrogum principes, imminenteis tumulos inſidentes*. Verùm circa Rhodani trajectum longè Polybius ab Livio diſſentire videtur. hic quidpe, ut antè dictum, Hannibalem tradit trajeciſſe in finibus *Volcarum, circa utramque ripam Rhodani colentium. qui, diffiſi citeriore agro*, qui erat ad dextram ripam, *arceri Pœnum poſſe; ut flumen pro munimento haberent, omnibus fermè ſuis trans Rhodanum trajectis, ulteriorem ripam armis obtinebant*. At è diverſo Polybius, dicto lib. III, ait Hannibalem πεποιηκέναι τὴν διάβασιν σχεδὸν ἡμερῶν τεττάρων ὁδὸν ἀπέχοντα στρατοπέδῳ τῆς θαλάττης: id eſt, *trajeciſſe flumen, quum quatuor fermè dierum iter caſtra eius abeſſent à mari*. Hoc ſi verum; ſanè non in ulteriorem Volcarum ripam, ſed in Cavarum fineis trajecit Hannibal; medio itinere inter mare & Rhodani Iſaræque confluenteis. nam ποιησάμενος, inquit ibidem Polybius, ἑξῆς ἐπὶ τέτταρας ἡμέρας τὴν πορείαν ἀπὸ τῆς διαβάσεως, ἧκε πρὸς τὴν καλουμένην Νῆσον, id eſt, *quatuor porrò*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

dierum itinere ab trajectu facto, pervênit ad Inſulam Allobrogum. & ipſe Livius teſta-
tur, *quartis caſtris ad Inſulam* cum *perveniſſe*. Atque tum non Druentia fluvius, ut
vult Livius, & qui Livii hiſtoriam fidemque ſequuti ſunt, Silius atque Marcellinus,
difficillimum ei præbuit *tranſitum*; ſed Iſara, Druentiâ longè maior amnis, nec minùs
rapidus. Plinius dicto lib. III cap. IIII: *Rhodanus amnis, multo Galliarum fertiliſſimus;*
ex Alpibus ſe rapiens per Lemanum lacum; ſegnemque deſerens Ararim; nec minùs ſe
ipſo torrentem Iſaram, & Druentiam. Sed quacumque tandem parte Rhodanum tra-
jecerit Hannibal; ad Iſaram & Allobrogum inſulam eum perveniſſe, juxta cum Po-
lybio fatetur Livius. Hinc verò quid, quæſo, illi, per Tricaſtinos extremamque
Vocontii agri oram & Tricorios profecto, tranſitio Druentiæ fuit? quando iter ad
Alpeis Cottias & Taurinorum fineis non lævâ ſed dextrâ eius ripâ & nunc eſt, &
omni ævo fuit; ut ex Strabone, dicto lib IIII, & Itinerariis Romanis, Marcellino &
aliis auctoribus patet. niſi fortè aliis faucibus, quàm quæ ab Eboroduno ad Brigan-
tium & Matronæ jugum, quod nunc vulgò vocatur *Monte Genebra*, atque hinc por-
rò ad Scincomagum, Martis fanum, Ocelum, & Seguſionem ferebant, tranſiſſe
Hannibalem contenderis. quod tamen minimè ſic intellexit Livius lib. V; ubi ait
primos illos Gallos *per Taurinos ſaltusque inviæ Alpis transſcendiſſe in Italiam*. nam
qui per Taurinos tranſeunt in Italiam, ii Cottias Alpeis transſcendunt. ipſe verò
Livius lib. XXI Hannibalem introducit militibus ſuis adfirmantem, *Gallos has ipſas Al-*
peis, quas illi erant tranſituri, *ingentibus ſæpè agminibus cum liberis ac conjugibus tutò*
tranſiſſe. Verùm è Tricoriorum agro qui Druentiam trajicere voluerunt, illi jam
ſuprà Eburodunum, in extimo Vocontiorum fine poſitum opidum, eum trajecerunt:
ubi jam non *ingentem* illam, quam memorat Livius, *aquæ vim vehit* amnis, XXX haud
amplius millia à fonte delapſus; & ſatis certis ac præruptis plerumque, ut inter al-
tiſſimas rupeis, *coërcetur ripis*; haud *pluribus ſimul* diverſisque *alveis fluens*; nec *no-*
va ſemper vada novosque gurgites faciens. Sed age; reliquam etiam Livii narratio-
nem diligentiùs examinemus; an ea aliquo modo cum Cottiano Alpium tranſitu
conveniat. *Hannibal*, inquit, *ſedatis certaminibus Allobrogum, quum jam Alpeis pe-*
teret, non rectâ regione iter inſtituit; ſed ad lævam in Tricaſtinos flexit: inde per extre-
mam oram Vocontiorum agri tetendit in Tricorios; haud usquàm impeditâ viâ priusquàm
ad Druentiam flumen pervênit. Mox: *Ab Druentiâ campeſtri maximè itinere cum bonâ*
pace ad Alpeis incolentium ea loca Gallorum pervênit. Erigentibus in primos agmen cli-
vos adparuerunt imminenteis tumulos inſidentes montani. & hinc cætera, quæ ei cum
Polybio, ut ſuprà relatum, probè conveniunt. Tandem: *Nono die in jugum Alpium*
perventum. Et mox: *Procedere inde agmen cæpit. cæterùm iter multo, quàm in adſcenſu*
fuerat, (ut pleraque Alpium ad Italiam ſicut breviora, ita arrectiora ſunt) difficilius fuit.
En, quid hoc nugarum eſt? Hannibal ab Iſarâ amne & Allobrogum inſulâ, *non*
rectâ regione verſùs Alpeis *iter inſtituit; ſed ad lævam per Tricaſtinos atque Tricorios*
extremamque oram Vocontiorum agri, quæ erat apud Eburodunum opidum, *ad Druen-*
tiam tetendit. quo trajecto, *campeſtri maximè itinere ad Alpeis pervênit*. De iſtis Tri-
caſtinis, qui ab Allobrogum finibus *rectâ regione* rectoque *itinere* ad Alpeis ten-
dentibus relinquantur *ad lævam*, jam ampliùs non quæro. *campeſtria* illa loca in-
ter Druentiæ lævam ripam & Alpium initium ubi tandem ſtatuerit, ſcire velim.
Meminiſſe debebat, quæ paullo antè perſcripſerat in hæc verba: *Poſtero die profe-*
ctus adverſâ ripâ Rhodani, mediterranea Galliæ petit: non, quia rectior ad Alpeis via
eſſet; ſed quantum à mari receſſiſſet, minùs obviam fore Romanum credens. cum quo
priùs, quàm in Italiam ventum foret, non erat in animo manus conſerere. Quartis caſtris
ad Inſulam pervênit. An non igitur prædictâ ratione ab Inſulâ trans Druentiam
ad loca mari propinqua eum reduxit? Et quibus tandem, quæſo, Alpibus, Druen-
tiam flumen & campeſtria iſta neſcio quæ loca transgreſſum, tranſiſſe in Taurino-
rum fineis finget? Sed quanto magis Livii orationem verſes, tanto plureis maio-
resque eius circa hunc Hannibalis tranſitum errores deprehendas. *Inter omneis*
ait *conſtare, per Taurinos, proximam Gallis gentem, Italiam ingreſſum* Hanniba-
lem: *eóque magis ſe mirari, ambigi, quánam Alpeis tranſierit: & vulgò credi Pen-*
nino transgreſſum. Sanè non inter omneis id conſtabat; id eſt, non omnes ita tra-
debant auctores: quandoquidem Polybius, quem ille ad verbum ferè, ut ſuprà
dictum, in Latinum transſcripſit ſermonem, quàm diſertiſſimis verbis tradit, ab
inſulâ

inſulâ Allobrogum per montanos Allobroges transſcendiſſe Hannibalem in eam vallem, per quam ab ſeptemtrionali Italiæ latere fertur à fontibus Rhodanus: & ex eâ valle, ſuperato ſummarum Alpium jugo, primùm ad montanum quemdam Italiæ populum, mox in Inſubrium fineis ingreſſum: atque inde tandem ad Taurinos oppugnandos tranſiſſe. Hæc igitur diſſimulaveritne Livius, an non ſatis perceperit, an verò fidem iis non habuerit; item an quis alius præter ipſum auctor antiquior per Cottias Alpeis in proximos Taurinos Hannibalem deduxerit; haud equidem ſcio: niſi quòd apud Strabonem in fine libri IIII ſic legatur: Πολύβιος τέτταρας ὑπερβάσεις τῶν Ἄλπεων ὀνομάζει μόνον· διὰ Λιγύων μὲν τὴν ἔγγιστα τῷ Τυῤῥηνικῷ πελάγει· εἶτα τὴν διὰ Ταυρίνων, ἣν Ἀννίβας διῆλθεν· εἶτα τὴν διὰ Σαλασσῶν· τετάρτην δὲ τὴν διὰ Ῥαιτῶν. ἁπάσας κρημνώδεις. Id eſt: *Polybius quatuor tantùm Alpium transitus nominat. per Ligures; qui proximus Etruſco mari. per Taurinos; quo Hannibal tranſiit. per Salaſſos. & quartum per Rhætos. omneis præcipites.* Certè per *Taurinos*, id eſt, per *Cottias Alpeis*, tranſiſſe Hannibalem, non docuit Polybius. meraque hæc Strabonis, non Polybii, eſt opinio: quam ex Livio videtur hauſiſſe; immemor aut non capax eorum, quæ apud Polybium legerat. Cæterùm Silius, ut omnem poëſin à Virgilio, ſic univerſam belli Hannibalici hiſtoriam ab uno Livio mutuatus eſt. proinde auctoritas eius heic nulla. Marcellinum verò auctoritate ſuâ ita infatuavit idem Livius, uti is non tantùm Alpium parteis atque nomina, ſed & populos utrimque adcolenteis mirum ridiculumque in modum inter ſe confuderit. Suprà dicto lib. XV, poſtquàm *Cottias Alpeis* ſatis curatè deſcripſit, pergit in hæc verba: *Et licèt hæc, quam diximus, via media ſit, & compendiaria, magisque celebris; tamen etiam aliæ multo anteà temporibus ſunt conſtructæ diverſis. Primam Thebanus Hercules, ad Geryonem exſtinguendum & Tauriſcum leniùs gradiens, prope Maritimas compoſuit Alpeis. hicque harum nomen indidit: Monœci ſimiliter arcem & portum ad perennem ſui memoriam conſecravit. Deinde, emenſis poſteà ſæculis multis, hac ex cauſâ ſunt Alpes excogitatæ Pœninæ.* Paullo pòſt: *Hannibal, Taurinis ducentibus adcolis, per Tricaſtinos & oram Vocontiorum extremam ad ſaltus Tricorios venit. indeque exorſus, aliud iter, antehac inſuperabile, fecit: excisâque rupe, in immenſum elatâ, quam cremando vi magnâ flammarum acetoque infuſo diſſolvit, per Druentiam flumen, gurgitibus vagis intortum, regiones occupavit Etruſcas.* Ex hoc ſanè auctore, veriorum neſcius, jurares Taurinos Galliæ Transalpinæ fuiſſe gentem; Druentiam verò flumen Italiæ: ita omnia præpoſterè confudit, quæ ex diverſis acceperat auctoribus; quorum alii per Pœninum ſive Penninum jugum tranſiſſe Hannibalem tradiderunt; Livius verò per Cottias Alpeis & Taurinorum agros: alii autem *Penninas Alpeis* cum *Apennino* monte confuderunt. unde Iſidorus Origin. lib. XIIII cap. VIII: *Apenninus mons adpellatur, quaſi Alpes Pœninæ: quia Hannibal veniens ad Italiam, easdem Alpeis aperuit. unde & Virgilius; Alpeis immittet apertas. Has enim Hannibal poſt bella Hiſpaniæ aceto rupit. & inde loca ipſa, quæ rupit, Apenninæ Alpes vocantur.* Et Paullus Diaconus Langobard. rer. lib. II cap. XVIII: *Apenninæ Alpes, per mediam Italiam pergentes, Tuſciam ab Aemiliâ Vmbriamque à Flaminiâ dividunt. Alpes autem Penninæ dictæ ſunt à Punicis, hoc eſt, Hannibale & eius exercitu; qui per easdem, Romam tendentes, tranſitum habuerunt.* Servius ad Virgilii Aeneid. lib. X: *Alpeis immittet apertas. Has antè exuſtas aceto infuſo Hannibal rupit. & inde loca ipſa, quæ rupit, Apenninæ Alpes vocantur. Quamvìs legatur à Pennino deo, qui ibi colitur, Alpeis ipſas vocari.* Qua autem occaſione poſterius iſtud ac ſemibarbarum ſæculum *Penninum* montem cum *Apennino* confuderit, ſuperiori capite in expoſitione Alpium Penninarum indicavi. Præter Livium igitur, &, qui fidem eius ſequuti, Strabonem, Silium atque Marcellinum, reliqui auctores omnes, quorum monimenta ad noſtram usque pervenêre ætatem, Pennino Hannibalem tranſiſſe tradunt. ex quibus Polybii & dictorum grammaticorum teſtimonia hactenus citavimus: ſed & Plinii: cuius verba lib. III cap. XVII hæc ſunt: *Salaſſorum Auguſta Prætoria, juxta geminas Alpium fauceis, Graias atque Pœninas. his Pœnos, Graiis Herculem tranſiſſe memorant.* Cæterùm Livius lib. XXVII de Haſdrubalis, fratris Hannibalis, itinere ex Hiſpaniâ ſic tradit: *Auxerunt Romæ tumultum literæ ex Galliâ miſſæ ab L. Porcio prætore, Haſdrubalem moviſſe ex hibernis; & jam Alpeis tranſire.* Mox: *Haſdrubali & ſuâ & aliorum ſpe omnia celeriora & expeditiora fuère. non modò receperunt Arverni eum, deincepsque aliæ Gallicæ atque Alpinæ gentes; ſed etiam ſequutæ ſunt ad bellum. &, cùm per munita pleraque tranſitu fratris, quæ anteà invia*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

fuerant, ducebat; tum etiam duodecim annorum adſvetudine perviis Alpibus factis, inter mitiora jam hominum transibat ingenia. Ergo eodem ſaltu Haſdrubal tranſiit, quo anteà frater Hannibal. Livium haud dubiè ſequutus Eutropius lib. III, *Deſperans,* inquit, *Hannibal Hiſpanias contra Scipionem diutius poſſe retineri, fratrem ſuum Haſdrubalem ad Italiam cum omnibus copiis evocavit. Is veniens eodem itinere, quo Hannibal venerat, à conſulibus C. Claudio Nerone & M. Livio Salinatore apud Senam Piceni civitatem ſtrenuè pugnans occiſus eſt.* Et Silius lib. XV:

Hinc nova complerunt haud tardo milite caſtra
Venales animæ, Rhodani qui gurgite gaudent,
Quorum ſerpit Arar per rura pigerrimus undæ.
Iamque hieme adfectâ miteſcere cœperat annus.
Inde iter ingrediens rapidum per Celtica rura,
Miratur domitas Alpeis, ac pervia montis
Ardua; & Herculeæ quærit veſtigia plantæ;
Germanique vias divinis comparat auſis.
Vt verò ventum in culmen, caſtriſque reſedit
Hannibalis; Quos Roma, inquit, quos altiùs, oro,
Attollit muros, qui poſt hæc mœnia fratri
Victa meo ſtent incolumes? Sit gloria dextræ
Felix tanta, precor: neve usque ad ſidera adiſſe
Invideat lætus nobis deus. Agmine celſo
Inde alacer, quà munitum declivis ab alto
Agger monſtrat iter, properatis devolat armis.

Sed & Appianus in Bello Hannibalico: Ἐν τούτῳ δὲ καὶ Ἀσδρούβας, ὁ ἀδελφὸς τοῦ Ἀννίβου τὴν στρατιὰν, ἣν ἐξενάγησεν ἐν τοῖς Κελτοῖς, ἔχων, διέβαινεν ἐς τὴν Ἰταλίαν· καὶ Κελτῶν φιλίως αὐτὸν δεχομένων, τὰ Ἄλπια ὄρη, ὡδοποιημένα πρότερον ὑπὸ Ἀννίβου, διώδευε δύο μησὶν, ὅσοις πως Ἀννίβας ἓξ διῆλθεν. Id eſt: *Dum hæc geruntur, Hannibalis frater Haſdrubal exercitum, quem in Celtiberiâ mercede conſcripſerat, in Italiam traduxit: benignéque excipientibus Gallis, duobus menſibus Alpeis, per quas Hannibal jam antè iter aperuerat, ſuperavit; quum Hannibal vix ſex menſium ſpacio tranſiſſet.* At longè aliter de Haſdrubalis tranſitu ſenſit teſtatusque eſt Terentius Varro, graviſſimus inter Romanos auctor, & T. Livio ſuperior. Servius ad prædictum Virgilii Aeneid. lib. X: *Alpes quinque viis Varro dicit tranſiri poſſe. unâ, quæ eſt juxta mare, per Ligures: alterâ, qua Hannibal tranſiit: tertiâ, qua Pompeius ad Hiſpanienſe bellum profectus eſt: quartâ, qua Haſdrubal de Galliâ in Italiam venit: quintâ, quæ quondam à Græcis poſſeſſa eſt; quæ exinde Alpes Graiæ adpellantur.* Ad Hannibalis Haſdrubaliſque tranſitus uti commodè perveniamus, Pompeii iter antè aperiendum erit. nam de Maritimis, ſive Liguſticis, & item de Graiis Alpibus nulla moveri poteſt controverſia, in tanto omnium pariter auctorum conſenſu. Præfatus Appianus Bellor. civil. lib. I: Ὁ δὲ Πομπήϊος ἐς τὰ Ἄλπια ὄρη μετὰ φρονήματος ἀνῄει· οὐ κατὰ τὴν Ἀννίβου μεγαλουργίαν· ἑτέραν ἐχάραξεν, ἀμφὶ τὰς πηγὰς τοῦ τε Ῥοδανοῦ καὶ Ἠριδανοῦ, οἳ ἀνίσχουσι ἐκ τῶν Ἀλπείων ὀρῶν οὐ μακρὰν ἀπ᾽ ἀλλήλων. Id eſt: *Pompeius magno animo Alpeis ingreſſus, non quà Hannibal magno opere iter aperuerat, ſed aliam viam communivit circa Rhodani Padique fonteis; quà uterque amnis haud longè abinvicem exoriuntur.* Satis imperitè pro geographo ſeu hiſtorico; quum inter binos iſtos fonteis CC millia paſſuum interſint; quumque Cottiarum ſimulque Penninarum Alpium tranſitus interjecti ſint. Interim teſtem eum habemus de novo Pompeii itinere. Ipſe Pompeius in epiſtolâ ad Senatum; ut retulit Salluſtius Hiſtoriar. lib. III: *Nomine modò imperii à vobis accepto, diebus XL exercitum paravi: hoſtîsque, in cervicibus jam Italiæ agentîs, ab Alpibus in Hiſpaniam ſubmovi. per eas iter aliud atque Hannibal, nobis opportunius, patefeci.* En; *opportunius* id iter ait fuiſſe Romanis in Galliam Hiſpaniamque ducentibus, quàm quod Hannibal patefecerat. ergo id ipſum haud dubiè fuit, quod & Iul. Cæſar ſtatim poſt Pompeium, & poſt Cæſarem Strabo atque Marcellinus *compendiarium, breviſſimum, proximum, & omnium celeberrimum* vocant. Cæſar Belli Gal. comment. I: *Ipſe Cæſar in Italiam magnis itineribus contendit: duasque ibi legiones conſcribit; & treis, quæ circùm Aquileiam hiemabant, ex hibernis educit: &, quà proximum iter in ulteriorem Galliam per Alpeis erat, cum his quinque legionibus ire contendit. Ibi Centrones & Garoceli & Caturiges, locis ſuperioribus occupatis, itinere exercitum prohibere conantur.*

tur. Compluribus his præliis pulſis, ab Ocelo, quod eſt citerioris provinciæ extremum, in fineis Vocontiorum ulterioris provinciæ die ſeptimo pérvenit. inde in Allobrogum fineis, ab Allobrogibus in Seguſianos exercitum ducit. hi ſunt extra provinciam trans Rhodanum primi. Strabo lib. IIII; in Narbonenſis Galliæ deſcriptione: Ἵδρυται δὲ Νέμαυσος ἡ πόλις κατὰ τὴν ὁδὸν τὴν ἐκ τῆς Ἰβηρίας εἰς τὴν Ἰταλίαν. * . Τῆς δ' ὁδοῦ τῆς λεχθείσης, ἡ μὲν εὐθὺς ἐπὶ τὰς Ἄλπεις ἐστί, καθάπερ εἴπομεν, ἡ σύντομος διὰ Οὐοκοντίων· ἡ δὲ διὰ τῆς παραλίας τῆς Μασσαλιωτικῆς καὶ τῆς Λιγυστικῆς, μακροτέρα μέν, τὰς δὲ ὑπερθέσεις τὰς εἰς τὴν Ἰταλίαν εὐμαρεστέρας ἔχει, ταπεινουμένων ἐνταῦθα ἤδη τῶν ὀρῶν. Id eſt: *Nemauſus urbs ſita eſt in viâ, quæ ex Hiſpaniâ in Italiam ducit.* Mox: *Via autem, quam dixi, duplex eſt: altera, rectà ad Alpeis pergens, ut ſuprà dixi, per Vocontios, compendiaria eſt: altera per litus Maſſilienſe & Liguſticum prolixior; ſed trajectus montium in Italiam habens faciliores; montibus ibi ſe jam demittentibus.* Dixit de utrâque eodem libro anteà his verbis: Ἐκ δὲ τοῦ ἱεροῦ τῆς Πυρηναίας Ἀφροδίτης εἰς Νάρβωνα μίλιά ἐστιν ξγʹ· ἐκεῖθεν δὲ εἰς Νέμαυσον ὀγδοήκοντα ὀκτώ. ἐκ Νεμαύσου δὲ διὰ Οὐγέρνου καὶ Ταρούσκωνος εἰς τὰ θερμὰ ὕδατα, τὰ Σέξτια καλούμενα, νγʹ· ἐκεῖθεν δὲ εἰς Ἀντίπολιν καὶ τὸν Οὐάρον ποταμὸν ογʹ. Κατὰ δὲ τὴν ἑτέραν ὁδόν, τὴν διὰ Οὐοκοντίων καὶ τῆς Κοττίου, μέχρι μὲν Οὐγέρνου καὶ Ταρούσκωνος κοινὴ ὁδὸς ἡ ἀπὸ Νεμαύσου· ἐντεῦθεν δὲ ἐπὶ μὲν τοὺς Οὐοκοντίων ὅρους καὶ τὴν ἀρχὴν τῆς ἀναβάσεως τῶν Ἄλπεων, διὰ Δρουεντία καὶ Καβαλλίωνος, μίλια ἑξήκοντα τρία· πάλιν δ' ἐντεῦθεν ἐπὶ τοὺς ἑτέρους ὅρους τῶν Οὐοκοντίων, πρὸς τὴν Κοττίου, μίλια ἑκατὸν ἑνὸς δέοντα, εἰς Ἐβρόδουνον κώμην· εἶτ' ἄλλα τοσαῦτα διὰ Βριγαντίου κώμης καὶ Σκιγγομάγου καὶ τῆς τῶν Ἄλπεων ὑπερθέσεως, ἐπὶ Ὤκελον, τὸ πέρας τῆς Κοττίου γῆς. Καὶ ἡ ἀπὸ Σκιγγομάγου δὲ ἤδη Ἰταλία λέγεται. ἔστι δὲ ἐνθένδε ἐπὶ Ὤκελον μίλια κζʹ. Hoc eſt: *A Veneris Pyrenææ templo Narbonem usque millia ſunt paſſuum* LXIII. *hinc Nemauſum* LXXXVIII. *à Nemauſo per Vgernum atque Taraſconem ad aquas calidas quæ Sextiæ adpellantur,* LIII. *hinc ad Antipolim & Varum amnem,* LXXIII. *Altero verò itinere, per Vocontios & Cottii terram, Vgernum quidem usque & Taraſconem à Nemauſo communis eſt via. hinc ad Vocontiorum proximum finem, & initium adſcenſus Alpium, per Druentiam & Caballionem, millia* LXIII. *inde ad extimum Vocontiorum finem & ad Cottii terram millia* XCVIIII, *ad Ebrodunum usque vicum. hinc totidem per Brigantium vicum & Scincomagum Alpiumque ſummum tranſitum usque ad Ocelum, terræ Cottiæ finem. ceterùm à Scincomago jam Italia dicitur. diſtat autem ab Ocelo millia* XXVII. Ammianus Marcellinus dicto lib. XV: *Alpeis Cottias rex Cottius, perdomitis Galliis ſolus in anguſtiis latens, inviâque locorum aſperitate confiſus, lenito tandem timore, in amicitiam Octaviani receptus principis, molibus magnis exſtruxit, ad vicem memorabilis muneris, compendiarias & viatoribus opportunas, medias inter alias Alpeis vetuſtas; ſuper quibus comperta paullo poſteà referemus.* Aliquantulo igitur pòſt: *Et licet hæc, quam diximus, via media ſit & compendiaria, magisque celebris; tamen etiam aliæ multo anteà temporibus ſunt conſtructæ diverſis.* Memorat hinc, ut ſuprà relatum, ab Hercule Maritimarum, ab Hannibale Pœninarum Alpium vias munitas. *Cottiæ* equidem vocabantur Alpes ab rege *Cottio*, cuius id fuit regnum; ut ſuprà cap XII oſtenſum. at ab eodem Cottio primùm patefactam conſtructamque earum fuiſſe viam, non magis verum eſt, quàm quòd *ſolus* ille, *perdomitis Galliis, in anguſtiis latuerit, inviâ locorum aſperitate confiſus.* ſiquidem jam ante Octavianum Auguſtum Iul. Cæſar, ut modò intellectum, cum ingenti exercitu hac tranſiit. unde illud Plinii, lib. III cap. XX, poſtquàm trophæum devictarum ab Auguſto Cæſare gentium Alpinarum recitavit: *Non ſunt adjectæ Cottianæ civitates* XII; *quæ non fuerunt hoſtiles.* Hoc igitur Cottiarum Alpium *iter compendiarium, proximum, magisque celebre,* quàm reliquarum Alpium viæ; Cæſari, Straboni, ac Marcellino memoratum, idem eſt, quod Cn. Pompeius, quæſtor cum exercitu in Hiſpaniam miſſus, *patefeciſſe* ſe ait *aliud atque Hannibal,* & Romanis *opportunius.* Id fortè poſtmodùm imbrium eluvie terræque ac ſaxorum rupturâ, qui frequentes in Alpibus ſunt caſus, præpeditum atque obſeptum, Cottius rex inſtauravit. Nec Pompeius id, veluti anteà omni ævo clauſum, primus patefecit; ſed exercitus permeatui opportunum reddidit; id eſt, ut Appianus dicto loco ait, ἐχάραξεν, *communivit.* nam multis ſæculis ante Pompeium primi Galli, ut ſuprà hoc capite & item cap. XXII oſtenſum, ingentibus cum agminibus ex eâdem Galliâ Narbonenſi eodem itinere in Italiam tranſiverunt. Itaque ſecundùm M. etiam Varronis atque Cn. Pompeii Appianique & ipſius adeò Marcellini teſtimonium, Hannibal non Cottiis, ſed Penninis tranſſcendit Alpibus. His jam adde inferioris quoque ſæculi ſcriptores Luithprandum Ticinenſem

& Gotefridum Viterbienſem. quorum ille lib. I cap. VIII: *Arnulfus, quoniam per Veronam non potuit, per Hannibalis viam, quàm Bardum dicunt & montem Iovis, repedare diſpoſuit.* Gotefridus verò lib. XI de ipſo Hannibale: *Deinde cum inæſtimabili manu Gallorum in Italiam feſtinans, per Alpeis Penninas, ubi mons Iovis nominatur, igne & ferro, & ſangvine hircorum primus iter aperuit.* Certè neque hoc iter Hannibal primus aperuit: quamquàm de Graiis ſimul Penninisque Alpibus *haud veri ſimile* Livio fuerit, *tum ad Gallias patuiſſe itinera: utique, quum, quæ ad Penninum ferant, obſepta gentibus Semigermanis fuiſſent.* Ipſe ſanè Livius lib. V multis ſæculis ante Hannibalem Pennino Boios Lingonesque Gallos transgreſſos teſtatur. Nec dubitaverim, quin *Germani* illi Cisrhenani, quos Inſubres, ut ſuprà hoc ipſo capite commemoratum, ad XXX millia hominum, quadriennio ante Hannibalis adventum, mercede in Italiam acciverunt, eodem hoc itinere, ut proximo & compendiario, uſi ſint. De Hannibale autem ita ſcribit Livius dicto lib. XXI: *Hannibalem incertum, utrùm cœptum in Italiam intenderet iter; an cum eo, qui primus ſe obtuliſſet Romanus exercitus, manus conſereret; averterat à præſenti certamine Boiorum legatorum regulique Matali adventus: qui ſe duces itinerum, ſocios belli fore adfirmantes, integro bello, nusquàm antè libatis viribus, Italiam adgrediendum cenſent.* Et de eisdem legatis Polybius dicto lib. III: Πρῶτον μὲν ἡ τῆς παρουσίας ἐνέργεια τῶν ἐπισπωμένων καὶ κοινωνήσειν ἐπαγγελλομένων τοῦ πρὸς Ῥωμαίους πολέμου· δεύτερον δὲ τὸ τῆς ἐπαγγελίας αὐτῶν ἀξιόπιστον, ὅτι καθηγήσονται διὰ τόπων τοιούτων, δι' ὧν, οὐδενὸς ἐπιδεόμενοι τῶν ἀναγκαίων, συντόμως ἅμα καὶ μετ' ἀσφαλείας ποιήσονται τὴν εἰς Ἰταλίαν πορείαν. Id eſt: *Iam primùm efficax præſentia erat eorum, qui ipſos accibant, & belli contra Romanos participes ſe fore promittebant. deinde, quòd, quum ſponderet Magilus, ſe per ea loca ipſos ducturum, per quæ citò ac tutò, neceſſariâ re nullâ deficiente, in Italiam eſſent venturi; nequaquàm levis auctor huius promiſſionis eſſe videbatur.* Secundùm hanc promiſſionem Hannibal *profectus adversâ ripâ Rhodani,* ut inquit haud multo poſt Livius, *mediterranea Galliæ petit: non, quia rectior ad Alpeis via eſſet; ſed, quantum à mari receſſiſſet, minùs obviam fore Romanum credens: cum quo priùs, quàm in Italiam ventum foret, non erat in animo manus conſerere.* Et uſum fuiſſe hoc itinere iis ducibus, teſtatur Polybius poſteà his verbis: Ἀννίβας γε μήν, οὐχ ὡς οὗτοι γράφουσι, λίαν δὲ περὶ ταῦτα πραγματικῶς ἐχρῆτο ταῖς ἐπιβολαῖς· καὶ γὰρ τῆς δυσχωρίας ὁδηγοῖς καὶ καθηγεμόσιν ἐγχωρίοις ἐχρῆτο, τοῖς τῶν αὐτῶν ἐλπίδων μέλλουσι κοινωνεῖν. Hoc eſt: *At Hannibal in hoc incepto, non quomodò iſti ſcribunt, ſed adprimè ſolerter ſe geſſit: qui ad itinerum difficultates ducibus utebatur indigenis; qui eamdem ſecum belli fortunam erant experturi.* Ex antiquis tamen ſcriptoribus illud, quod recitavimus, hauſit Gotefridus Viterbienſis. ſic quippe tradit Appianus in rebus Hannibalicis: Ἐλθὼν δὲ ἐπὶ τὰ Ἄλπια ὄρη, καὶ μηδεμίαν μήτε δίοδον μήτε ἄνοδον εὑρὼν (ἀπόκρημνα γάρ ἐστιν ἰσχυρῶς) ἐπέβαινε κἀκείνοις, ὑπὸ τόλμης κακοπαθῶν. χιόνος τε πολλῆς οὔσης καὶ κρύους, τὴν μὲν ὕλην τέμνων τε καὶ κατακαίων, τὴν δὲ τέφραν σβεννὺς ὕδατι καὶ ὄξει, καὶ τὴν πέτραν ἐκ τοῦδε ψαφαρὰν γιγνομένην, σφύραις σιδηραῖς θραύων καὶ ὁδοποιῶν· ἣ καὶ νῦν ἐστιν ἐπὶ τῶν ὁδῶν ἐντριβής, καὶ καλεῖται Δίοδος Ἀννίβου. Id eſt: *Ad Alpeis ubi pervênit; quamquàm nec transitum nec adſcenſum ullum videbat; omnia enim prærupta admodùm & inacceſſa ſunt; fiduciâ tamen animi, nullis laboribus cedentis, has quoque tranſire perrexit. quumque altâ nive ac glacie concreta forent omnia; ingenti cæsâ materiâ & ſuccensâ, cineribus aquâ acetoque exſtinctis, torridam & putrem incendio rupem tuditibus ferreis perfringendo comminuendoque, viam ſibi aperuit, quæ nunc etiam teritur, vocaturque Transitus Hannibalis.* Et Ammianus Marcellinus dicto lib. XV: *Hannibal per Tricaſtinos & oram Vocontiorum extremam ad ſaltus Tricorios venit. indeque exorſus, aliud iter, antehac inſuperabile, fecit: excisâque rupe, in immenſum elatâ, quam cremando vi magnâ flammarum cetoque infuſo diſſolvit, regiones Etruſcas occupavit.* Eutropius lib. III: *Hannibal, relicto in Hiſpaniâ fratre Haſdrubale, Pyrenæum tranſit: Alpeis, adhuc in eâ parte invias, ſibi patefecit.* Silius lib. III:

Sed jam præteritos ultrà meminiſſe labores
Conſpectæ propiùs dempsêre paventibus Alpes.

Paullo pòſt:

Nec mora. commotum promiſſis ditibus agmen
Erigit in collem; & veſtigia linquere nota
Herculis edicit magni, crudisque locorum
Ferre pedem, ac proprio turmas evadere calle.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Rumpit inacceſſos aditus; atque ardua primus
Exſuperat.

Oroſius lib. IIII cap. XIIII: *Hannibal, Pyrenæum montem transgreſſus, inter fероciſſimas Gallorum genteis ferro viam aperuit; & nono demum die à Pyrenæo ad Alpeis pervênit. ubi dum montanos Gallos, repellere ab adſcenſu obnitenteis, bello ſuperat; atque invias rupeis igni ferroque reſcindit; quatriduum commoratus; quintâ demum die cum maximo labore ad plana venit.* Sed iſta, ut ab reliquis fortè negligenter, ſic certè ab Oroſio èpidò quàm imperitè conſcripta ſunt. quidpe *nono demum die* ab imo Alpium adſcenſu in ſummum earum jugum, unde jam deſcenſus ſequebatur in Italiam, perventum eſt: teſtibus ſuprà citatis Polybio Livioque. *Biduum in jugis*, inquit Livius, *ſtativa habita. procedere inde agmen cœpit. quatriduum circa rupem perfringendam in deſcenſu conſumptum.* quinto demum die *ad plana deſcenſum eſt. Hoc maximè modo perventum eſt in Italiam; quinto menſe à Carthagine Novâ; quinto decimo die Alpibus ſuperatis.* Rupes igitur iſta neque in adſcenſu Alpium neque in ſummo tranſitu, ſed in deſcenſu, inter ſummum jugum, quod maius nunc divi Bernhardi vocari dixi, & Auguſtam Prætoriam perfracta eſt. Eam verò viam jam anteà patuiſſe Boiorum Lingonumque & aliorum Gallorum Germanorumque exercitibus, ſuprà oſtenſum eſt. Qua igitur ratione tum obſtructa fuerit, docent Polybius Liviusque. quorum hic prædicto lib. XXI ita narrat: *Nono die in jugum Alpium perventum eſt. Biduum in jugis ſtativa habita. Procedere inde agmen cœpit: jam nihil ne hoſtibus quidem præter parva furta per occaſionem tentantibus. cæterùm iter multo, quàm in adſcenſu fuerat, (ut pleraque Alpium ad Italiam ſicut breviora, ita arrectiora ſunt) difficilius fuit. omnis enim fermè via præceps, anguſta, lubrica erat: ut neque ſuſtinere ſe à lapſu poſſent, nec, ſi qui paululum titubaſſent, hærere, adflicti veſtigio ſuo; aliique ſuper alios & jumenta & homines conciderent. Ventum deinde ad multo anguſtiorem rupem, atque ita rectis ſaxis, ut ægrè expeditus miles tentabundus, manibusque retinens virgulta ac ſtirpeis circà eminenteis, demittere ſeſe poſſet. Naturâ locus jam antè præceps, recenti terræ lapſu in pedum mille admodùm altitudinem abruptus erat. Ibi, quum, velut ad finem viæ, equites conſtitiſſent, miranti Hannibali, quæ res moraretur agmen, nunciatur, rupem inviam eſſe. digreſſus deinde ipſe ad locum viſendum. Haud dubia res viſa, quin per invia circà, nec trita anteà, quamvìs longo ambitu, circumduceret agmen. Ea verò via inſuperabilis fuit. nam, quum ſuper veterem nivem intactam nova modicæ altitudinis eſſet; molli nec præaltæ nivi facilè pedes ingredientium inſiſtebant. ut verò tot hominum jumentorumque inceſſu dilapſa eſt: per nudam infrà glaciem fluentemque labem liqueſcentis nivis ingrediebantur. Tetra ibi luctatio erat; ut à lubricâ glacie non recipiente veſtigium, & in prono citiùs pede ſe fallente. &, ſeu manibus in adſurgendo ſeu genu ſe adjuviſſent; ipſis adminiculis prolapſi ſi iterum corruiſſent; nec ſtirpes circà radicesve, ad quas pede aut manu quiſquam eniti poſſet, erant. Itaque in lævi tantùm glacie tepidâque nive volutabantur jumenta. necabantur interdum; etiamnum infirmam ingredientia nivem; & prolapſa jactandis graviùs in continendo ungulis penitus perfringebant: ut pleraque, velut pedicâ capta, hærerent induratâ & altâ concreta glacie. Tandem nequidquàm jumentis atque hominibus fatigatis, caſtra in jugo poſita, ægerrimè ad id ipſum loco purgato. tantum nivis fodiendum atque egerendum fuit. Inde ad rupem minuendam, per quam via una eſſe poterat, milites ducti. Quum cædendum eſſet ſaxum; arboribus circà immanibus dejectis detruncatisque, ſtruem ingentem lignorum faciunt: eamque, quum & vis venti apta faciendo igni coorta eſſet, ſuccendunt; ardentiaque ſaxa infuſo aceto putrefaciunt. ita torridam incendio rupem ferro pandunt: molliuntque amfractibus modicis clivos, ut non jumenta ſolùm, ſed elephanti etiam deduci poſſent. Quatriduum circa rupem conſumptum. Iumenta propè fame abſumebantur. nuda enim ferè cacumina ſunt. &, ſi quid eſt pabuli, obruunt nives. inferiora vallis apricos quosdam colleis habent, rivosque prope ſilvas; etiam humano cultu digniora loca. ibi jumenta in pabulum miſſa. & quies muniendo feſſis hominibus data triduo. inde ad planum deſcenſum eſt; etiam locis mollioribus & adcolarum ingeniis. Hoc maximè modo perventum eſt in Italiam: quinto menſe à Carthagine Novâ, ut quidam auctores ſunt; quinto decimo die Alpibus ſuperatis.* Certè omnes numeri dierum in unum collecti, XVIII conficiunt dies. itaque paullo indiligentiùs hæc Livius transſcripſit è Polybio, qui die quinto decimo *ad plana* perveniſſe Hannibalem tradit; atque inde tandem *quietem muniendo feſſis militibus datam.* De cætero in eâdem rupe, quæ *in pedum mille admodùm*

altitudinem abrupta erat, quáque jam antè via patuerat, iter commodius ab Hannibale ſtructum fuiſſe, ex Polybio maximè patet. Huius quoque verba, quia à Livii narratione diſcrepare nonnullis noſtri ſæculi hominibus videntur, in medium producantur. Ἐνναταῖος, inquit, ὁ Ἀννίβας διανύσας εἰς τὰς ὑπερβολὰς, αὐτοῦ κατεστρατοπέδευσε, καὶ δύο ἡμέρας ἔμεινε. * — *. Τῇ δ' ἐπαύριον ἀναζεύξας, ἐνήρχετο τῆς καταβάσεως. ἐν ᾗ πολεμίοις μὲν οὐκ ἔτι περιέτυχε, πλὴν τῶν λάθρᾳ κακοποιούντων· ὑπὸ δὲ τῶν τόπων καὶ τῆς χιόνος, οὐ πολλῷ λείποντας ἀπέβαλε τῶν κατὰ τὴν ἀνάβασιν φθαρέντων. οὔσης γὰρ στενῆς καὶ κατωφεροῦς τῆς καταβάσεως, τῆς δὲ χιόνος ἄδηλον ποιούσης ἑκάστοις τὴν ἐπίβασιν, πᾶν τὸ παραπεσὸν τῆς ὁδοῦ καὶ σφαλὲν, ἐφέρετο κατὰ τῶν κρημνῶν. οὐ μὴν ἀλλὰ ταύτην μὲν ὑπέφερον τὴν ταλαιπωρίαν, ἅτε συνήθεις ὄντες ἤδη τοῖς τοιούτοις κακοῖς· ἅμα δὲ τῷ παραγενέσθαι πρὸς τοιοῦτον τόπον, ὃν οὔτε τοῖς θηρίοις οὔτε τοῖς ὑποζυγίοις δυνατὸν ἦν παρελθεῖν διὰ τὴν στενότητα, σχεδὸν ἐπὶ τρία ἡμιστάδια τῆς ἀπορρῶγος καὶ πρὸ τοῦ μὲν οὔσης, τότε δὲ καὶ μᾶλλον ἔτι προσφάτως ἀπερρωγυίας· ἐνταῦθα πάλιν ἀθυμῆσαι καὶ διατραπῆναι συνέβη τὸ πλῆθος. Τὸ μὲν οὖν πρῶτον ἐπεβάλετο περιελθεῖν τὰς δυσχωρίας ὁ τῶν Καρχηδονίων στρατηγός. ἐπιγενομένης δὲ χιόνος, καὶ ταύτης ἀδύνατον ποιούσης τὴν πορείαν, ἀπέστη τῆς ἐπιβολῆς. τὸ γὰρ συμβαῖνον ἴδιον ἦν καὶ παρηλλαγμένον. ἐπὶ γὰρ τὴν προϋπάρχουσαν χιόνα καὶ διαμεμενηκυῖαν ἐκ τοῦ πρότερον χειμῶνος, ἄρτι τῆς ἐπ' ἔτους πεπτωκυίας, ταύτην μὲν εὐδιάκοπον εἶναι συνέβαινε· καὶ διὰ τὸ πρόσφατον οὖσαν, ἁπαλὴν ὑπάρχειν, καὶ διὰ τὸ μηδέπω βάθος ἔχειν. ὁπότε δὲ ταύτην διαπατήσαντες ἐπὶ τὴν ὑποκάτω καὶ συνεστηκυῖαν ἐπιβαῖεν, οὐκ ἔτι διέκοπτον, ἀλλ' ἐπέπλεον ὀλισθαίνοντες ἀμφοτέροις ἅμα τοῖς ποσί· καθάπερ ἐπὶ τῇ γῇ συμβαίνει τοῖς διὰ τῶν ἀκροπήλων πορευομένοις. τὸ δὲ συνακολουθοῦν τούτοις, ἔτι δυσχερέστερον ὑπῆρχεν. οἱ μὲν γὰρ ἄνδρες οὐ δυνάμενοι τὴν κάτω χιόνα διακόπτειν, ὁπότε πεσόντες βληθεῖεν ἢ τοῖς γόνασιν ἢ τῶν χερσὶ προσεξερείσασθαι πρὸς τὴν ἐξανάστασιν, τότε καὶ μᾶλλον ἐπέπλεον ἅμα πᾶσι τοῖς ἐρείσμασιν, ἐπιπολὺ καταφερῶν ὄντων τῶν χωρίων· τὰ δ' ὑποζύγια διέκοπτεν, ὅτε πέσοι, τὴν κάτω χιόνα κατὰ τὴν διανάστασιν. διακόψαντα δὲ, ἔμενε μετὰ τῶν φορτίων, οἷον καταπεπηγότα, διά τε τὸ βάρος καὶ διὰ τὸ πῆγμα τῆς προϋπαρχούσης χιόνος. Ὅθεν ἀποστὰς τῆς τοιαύτης ἐλπίδος, ἐστρατοπέδευσε περὶ τὴν ῥάχιν, διαμησάμενος τὴν ἐπ' αὐτῇ χιόνα. Καὶ μετὰ ταῦτα παραστήσας τὰ πλήθη, τὸν κρημνὸν ἐξῳκοδόμει μετὰ πολλῆς τῆς ταλαιπωρίας. Τοῖς μὲν οὖν ὑποζυγίοις καὶ τοῖς ἵπποις ἱκανὴν ἐποίησε πάροδον ἐν ἡμέρᾳ μιᾷ. διὸ καὶ ταῦτα μὲν εὐθέως διαγαγὼν, καὶ καταστρατοπεδεύσας περὶ τοὺς ἐκφεύγοντας ἤδη τὴν χιόνα τόπους, διαφῆκε πρὸς τὰς νομάς. Τοὺς δὲ Νομάδας ἀνὰ μέρος προῆγε πρὸς τὴν οἰκοδομίαν. καὶ μόλις ἐν ἡμέραις τρισὶ κακοπαθήσας διήγαγε τὰ θηρία. καὶ ταῦτα συνέβαινε κακῶς διατεθεῖσθαι ὑπὸ τοῦ λιμοῦ. τῶν γὰρ Ἄλπεων τὰ μὲν ἄκρα καὶ πρὸς τὰς ἀναβολὰς ἀνήκοντα, τελέως ἄδενδρα καὶ ψιλὰ πάντ' ἐστὶ, διὰ τὸ συνεχῶς ἐπιμένειν τὴν χιόνα καὶ θέρους καὶ χειμῶνος· τὰ δ' ὑπὸ μέσην τὴν παρώρειαν ἐξ ἀμφοῖν τοῖν μεροῖν, ὑλοφόρα καὶ δενδροφόρα καὶ τὸ ὅλον οἰκήσιμά ἐστιν. Ἀννίβας δὲ συναθροίσας ὁμοῦ πᾶσαν τὴν δύναμιν, κατέβαινε· καὶ τριταῖος ἀπὸ τῶν προειρημένων κρημνῶν διανύσας, ἥψατο τῶν ἐπιπέδων. *. Τέλος δὲ τὴν μὲν πᾶσαν πορείαν ἐκ Καινῆς πόλεως ἐν πέντε μησὶ ποιησάμενος, τὴν δὲ Ἄλπεων ὑπερβολὴν ἡμέραις πεντεκαίδεκα, κατῆρε τολμηρῶς εἰς τὰ περὶ τὸν Πάδον πεδία καὶ τὸ τῶν Ἰσόμβρων ἔθνος. Hoc eſt: *Nono die in ſummum Alpium jugum perventum eſt: ubi ſtativa Hannibal biduum habuit*. Paullo pôſt: *Poſtero die motis ſignis, deſcendere cœpit. & in deſcenſu quidem hoſtes ei non occurrêre, præter paucos, parva furta ex occaſione tentanteis. cæterùm per locorum iniquitatem ac nivem non multo pauciores deſideravit, quàm in adſcenſu amiſerat. quia enim deſcendentibus via eſt anguſta & declivis, non dignoſcente milite, propter nivem, ubi pedem poneret; quidquid viâ aberrans ſemel excidiſſet, per præcipitia ferebatur. Verùm tamen hanc ærumnam, ut jam hoc genus malis adſveti, patienter ferebant milites. at ubi ad quemdam locum eſt ventum, quem propter anguſtias neque elephanti, neque jumenta tranſire poterant; ſiquidem locus jam anteà præceps in tria fermè ſemiſtadia;* [id eſt, *pedes* ꟾↃCCCXXXVII *cum dimidio;*] *recenti inſuper terræ lapſu magis etiam erat abruptus: tum enimverò multitudo iterum deſpondere animos atque confundi. Heic Pœnus conſilium principio cepit, invia hæc loca circumeundi. ſed quoniam præ nivis copiâ ea via facta erat inſuperabilis, incepto deſtitit. Etenim rarum aliquid ac peculiare illuc incedentibus eveniebat. quidpe quum ſuper veterem nivem, quæ ex priore hieme remanſerat, nova præſentis anni cecidiſſet; hæc quidem, tùm quia mollis erat, utpote recens, tùm quia modicæ adhuc erat altitudinis, facilè veſtigium recipiebat: poſteà verò quàm iſtâ conculcatâ per ſubjectam huic & gelu concretam ingrediebantur, non recipiebatur veſtigium; ſed, natantibus ſimiles, utroque pede fallente, cadebant: ſicut in terrâ uſuvenire ſolet, quoties per lubricum glacie ſolum inceditur. Miſeros deinde tetrior etiam fortuna excipiebat. nam qui imprimere in nivem illam inferiorem veſtigium non poſſent; ſi à lapſu conniti ad adſurgendum ſeu genu ſeu manibus vellent;*

ipſis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

ipſis adminiculis, in morem natantium, per prona admodùm loca fœdiùs adhuc corruebant. jumenta ubi ceciderunt, luctantia in adſurgendo glaciem rumpebant. ſed eâ ruptâ, cum ipſis ſarcinis quaſi congelata hærebant, & propter gravitatem ſuam, & propter glaciem ex priore nive firmiter adſtrictam. Itaque deſperato conſilii huius exitu, in principio eius viæ effoſsâ egeſtâque nive, caſtra poſuit. deinde operâ militum uſus, labore improbo per ipſum præcipitium viam munivit. Ac jumentis quidem & equis idoneum transitum uno die expedivit. quare hos ſtatim transmiſit; &, motis caſtris ad loca, ubi nix nulla reperiebatur, ad paſcua dimittit. ipſe intereà Numidas ad viam muniendam per vices admovet. vix que tertio demum die per ſummum laborem atque ærumnam elephantos transduxit. qui jam propè fame conſumebantur. nam Alpium cacumina, & proxima eis loca, nuda prorſus ubique ſunt, absque ullâ omnino arbore, perpetuis nivibus æſtate juxtà & hieme obſeſſa. latera montium ab utrâque parte arbores ſilvasque gignunt, & omnibus locis poſſunt coli. Hannibal univerſo exercitu congregato deſcendere inſtitit. ac tertio die à præruptis iſtis locis ad plana pervênit. Mox: *Tandem, univerſo itinere à Carthagine Novâ quinque menſibus confecto, Alpibus verò diebus* XV *ſuperatis, in Circumpadanos campos & Inſubrium fineis audacter eſt ingreſſus.* Non equidem in ipſos Inſubrium fineis; ſed in Libiciorum agros. qui, unà cum Lævis, medio tractu inter Taurinos & Inſubreis poſiti, in horum tunc erant amicitiâ, fide, atque clientelâ; ut ſuprà docui cap. XXIIII. Hinc illud Livii eodem lib. XXI paullo pòſt: *Miror, ambigi, quánam Alpeis transierit: & vulgò credi Pennino transgreſſum. Cœlius per Cremonis jugum dicit transiſſe. Qui ambo ſaltus eum non in Taurinos, ſed per Salaſſos montanos ad Libicos Gallos deduxiſſent.* Cæterùm *rupes* iſta, in qua Hannibal viam exercitui munivit, ea eſt, quæ ſtatim ſupra Auguſtam Prætoriam terminus eſt inter duas valleis: quarum altera verſùs ſeptemtriones ad *Summum Penninum* brevior atque anguſtior, vulgò dicitur *Val Pelina*; antiquæ jugi adpellationis memoriam ſervans: altera verſùs auſtrum ad opidum usque Eporediam, multo longiſſima, vulgò *Val d' Aoſta*, & *Val di Bardo* vocatur, celſiſſimis ùtrimque jugis cincta, vini nobilis & omnis generis fructuum in apricis collibus maximè ferax. mediam ſecat Duria amnis. In hanc, ſuperatâ rupe, equos & jumenta Hannibal in pabula miſit; dum ipſe Numidarum operâ elephantis traducendis iter latius pandit. Strabo lib. IIII, in deſcriptione Alpium: Ἡ δὲ τῶν Σαλασσῶν πολλὴ μὲν ἐστιν ἐν αὐλῶνι βαθεῖ, τῶν ὀρῶν ἀμφοτέρων κλειόντων τὸ χωρίον· μέρος δέ τι αὐτῶν ἀνατείνει καὶ πρὸς τὰς ὑπερκειμένας κορυφάς. Τοῖς οὖν ἐκ τῆς Ἰταλίας ὑπερβαίνουσι τὰ ὄρη, διὰ τοῦ λεχθέντος αὐλῶνός ἐστιν ἡ ὁδός· εἶτα σχίζεται δίχα· καὶ ἡ μὲν διὰ τοῦ Ποινίνου λεγομένου φέρεται, ζεύγεσιν οὐ βατὴ κατὰ τὰ ἄκρα τῶν Ἄλπεων· ἡ δὲ διὰ Κεντρώνων δυσμικωτέρα. * . * . Οἱ δὲ Σαλασσοὶ καὶ Δέκιμον Βροῦτον, φυγόντα ἐκ Μουτίνης, ἐπράξαντο δραχμὴν κατ᾽ ἄνδρα, καὶ ἐσύλησάν ποτε καὶ χρήματα Καίσαρος. Id eſt: *Salaſſorum regio magnâ quidem ex parte in profundâ eſt valle, montibus utrimque incluſa: pars verò quædam eorum etiam ad ſupernè imminenteis extenditur vertices. Qui igitur, ex Italiâ profecti, monteis hos transſcendere cupiunt, iis iter eſt per eam vallem. mox in duas ſcinditur vias. quarum altera per Pœninum fert jugum; jumentis inacceſſa, quà ſummitas eſt Alpium: altera, per Centrones, magis occidua eſt.* Paullo pòſt: *Salaſſi & Decimum Brutum, Mutinâ profugientem, viritim denarium ſolvere coëgerunt; & Cæſaris aliquando pecuniam diripuerunt.* Ipſe Iul. Cæſar de Bello Gallico lib. III: *Quum in Italiam proficiſceretur Cæſar, Sergium Galbam cum legione Duodecimâ & parte equitatus in Nantuates, Veragros, Sedunosque, miſit; qui à finibus Allobrogum & lacu Lemano & flumine Rhodano ad Summas Alpeis pertinent. Cauſa mittendi fuit, quòd iter per Alpeis, quo magno periculo magnisque portoriis mercatores ire conſueverant, patefieri volebat.* Strabo eodem libro poſteà: Τῶν δ᾽ ὑπερθέσεων, τῶν ἐκ τῆς Ἰταλίας εἰς τὴν ἔξω Κελτικὴν καὶ τὴν προσάρκτιον, ἡ διὰ Σαλασσῶν ἐστιν ἄγουσα ἐπὶ Λούγδουνον. διττὴ δ᾽ ἐστίν· ἡ μὲν ἁμαξεύεσθαι δυναμένη, διὰ μήκους πλείονος, ἡ διὰ Κεντρώνων· ἡ δ᾽ ὀρθία καὶ στενή, σύντομος δέ, ἡ διὰ τοῦ Ποινίνου. Id eſt: *Transituum ex Italiâ in Galliam ulteriorem & ſeptemtrionaleis regiones, qui per Salaſſos eſt, Lugdunum ducit. eſtque duplex. alter curribus etiam pervius; itinere longiore, per Centrones: alter per Pœninum montem, brevior; ſed idem adclivis & anguſtus.* Sed rupes illa ſupra Prætoriam Auguſtam licèt abrupta in trium fermè ſemiſtadiorum altitudinem fuerit, viamque tam anguſtam præbuerit, uti neque elephanti neque jumenta cum ſarcinis transire potuerint; tamen ſinguli *expediti milites*, quamvìs ægrè, manibusque retinentes virgulta ac ſtirpeis circà eminenteis, etiam tunc, quum recenti terræ lapſu magis præceps

ceps

ceps locus eſſet factus, demittere ſeſe potuerunt. unde ſatis adparet, ante eum terræ lapſum fuiſſe iter ſatis pervium. Nec tunc tam prodigioſi laboris res fuiſſe videtur id aperire, ut tragici iſti ſcriptores, res Hannibalis in maius æquo extollentes, prodiderunt. ſiquidem equis ac jumentis commodus deſcenſus uno die confectus eſt: elephantis autem tertio die. Et quid tandem factum? *Modicis amfractibus*, ut teſtatur Livius, iter, quod anteà rectum atque præceps erat, hinc inde circumductum eſt. cuiusmodi viæ non modò per omnem Italiam, ſed per alias quoque montoſas regiones paſſim reperiuntur. & jam olim fuiſſe, ſuprà ex Sidonio intelleximus. Nec equidem dubitaverim, quin ignis tunc ad torrenda molliendaque ſaxa admotus ſit, antequàm ferro cæderentur: quamquàm eâ de re nihil referat graviſſimus curatiſſimusque rerum Hannibalicarum auctor Polybius. aceti verò unde tanta copia, miror: præſertim ſi maiores rupes pluribus in locis perfringendæ fuerint. Quapropter moderatiores heic magis placent ſcriptores. in quibus, præter Polybium, ita tradit Cornelii Nepotis epitomator Aemilius Probus in vitâ Hannibalis: *Ad Alpeis poſtquàm venit; Alpinos, conanteis prohibere transitum, concîdit; loca patefecit; itinera muniit: effecitque, ut eà elefantus oneratus ire poſſet, quà anteà unus homo inermis vix poterat repere*. Et Zonara, Annal. lib. II: Ἀννίβας ἐπιέναι πρὸς Ἰταλίαν σπεύδων, ὑποπτεύων δὲ τὰς ἐπιτομωτέρας τῶν ὁδῶν, ἐκείνας μὲν παρεξῆλθεν, ἑτέραν δὲ τραπεὶς, ἰσχυρῶς ἐπόνησε. Hoc eſt: *Hannibal, in Italiam tendens, quum compendioſiores vias ſuſpectas haberet; aliâ proficiſcens, magnas ærumnas toleravit*. Verùm enimverò haud omninò falſa fuit illa de novo Hannibalis itinere antiquiorum ſcriptorum relatio: modò in iſtiusmodi fabulas tragicas converſa non fuiſſet. quippe nemo neque ante neque poſt eum cum exercitu ſuprà memorato ſaltu à Rhodani ripâ per montanos Allobroges in Veragrorum vallem transſcendiſſe traditur. At mirum fortè abſurdumque videbitur, hac eum maluiſſe viâ circumire, quàm adversâ Iſaræ ripâ per Cremonis jugum, id eſt, Centronicas ſive Graias Alpeis: quæ & ipſæ in Salaſſos montanos atque Libicios Gallos eum demiſiſſent. Sanè hæc ipſa res haud dubiè L. Cœlium Antipatrum movit, uti per Cremonis jugum transiſſe eum traderet; teſte Livio dicto lib. XXI: utique, quum Boiorum legati regulusque Matalus, ſive Magilus, promiſiſſent Pœnis, ut auctor eſt Polybius dicto lib. III, ὅτι καθηγήσονται διὰ τόπων τοιούτων, δι᾽ ὧν, οὐδενὸς ἐνδεόμενοι τῶν ἀναγκαίων, συντόμως ἅμα καὶ μετ᾽ ἀσφαλείας ποιήσονται τὴν εἰς Ἰταλίαν πορείαν: id eſt; *ſe per ea loca eos ducturos, per quæ citò ac tutò, neceſſariâ re nullâ deficiente, in Italiam eſſent venturi*. Verùm cauſa videtur nulla alia fuiſſe hac potiùs transeundi, niſi quod Penninarum Alpium fauces ſeu ſaltus eſſent breviores, quàm Graiarum: quòd Strabo quoque teſtatur, locis proximè citatis. Hinc rariſſimus Graii itineris adnotatur auctoribus uſus: Pennini verò frequentiſſimus. unde illud Zoſimi lib. VI: Συναγαγὼν ὁ Κωνσταντῖνος τὴν δύναμιν ἅπασαν, ἔγνω φυλακαῖς ἀρκούσαις ἐγκαταστῆσαι τὰς Ἄλπεις. ἦσαν δὲ αὗται τρεῖς, αἱ τὰς ἐπὶ τὴν Ἰταλίαν ἀπὸ Κελτῶν τὰς ὁδοὺς ἀποκλείουσαι, Κοττίαι, Ποινίναι, Μαρίτιμαι. Id eſt: *Conſtantinus, univerſis collectis copiis, Alpeis idoneis præſidiis munire decrevit. eæ ternæ omnino ſunt, quæ in Italiam à Gallis ducentia claudunt itinera; Cottiæ, Pæninæ, Maritimæ*. Hinc Marcellinus quoque, ſuprà dicto lib. XV, has tantùm treis memotat. Sed Hannibalem Pennino jugo in Italiam transiſſe, ſatis hactenus ſuperque mihi demonſtratum erat; ni nonnullos noſtri ſæculi homines contendere viderem, ipſius Polybii etiam intervallorum itineris computationibus probari poſſe, per Cottias Alpeis in Taurinos illum transiſſe. Polybius eodem lib. III anteà, intervalla, quæ Hannibal ex Hiſpaniâ in Italiam emenſus, enarrans, ita ſcribit: Ἀπὸ δὲ τῆς διαβάσεως τοῦ Ῥοδανοῦ πορευομένοις παρ᾽ αὐτὸν τὸν ποταμὸν ὡς ἐπὶ τὰς πηγὰς, ἕως πρὸς τὴν ἀναβολὴν τῶν Ἄλπεων τὴν εἰς Ἰταλίαν, στάδιοι χίλιοι καὶ τετρακόσιοι. λοιπαὶ δὲ αἱ τῶν Ἄλπεων ὑπερβολαὶ, περὶ χιλίους διακοσίους· ἃς ὑπερβάλλων ἔμελλεν ἥξειν εἰς τὰ περὶ τὸν Πάδον πεδία τῆς Ἰταλίας. Hoc eſt: *A transitu Rhodani, propter ipſum flumen, ad eius fonteis versùs, usque ad adſcenſum Alpium in Italiam, ſtadia ſunt* CIↃCCCC. *inde ſuperſunt ipſæ Alpes: in quibus ſuperandis ſtadia ſunt* CIↃCC. *quibus exſuperatis, in Circumpadanos Italiæ campos venturus erat Hannibal*. Stadia CIↃCCCC ſunt paſſuum millia CLXXV. ſtadia verò CIↃCC conficiunt millia CL. Strabo lib. IIII à Rhodano flumine & Taraſcone opido ad proximum Vocontiorum agri finem & initium adſcenſus Alpium, in Druentiæ amnis ripâ, LXIII numerat millia paſſuum. Marcellinus verò, dicto lib. XV, apud Seguſionem opidum initium facit Alpium Cottiarum

rum ex Italiâ venientibus. Ab hoc ad illum locum, in quem ſexageſimum tertium à Taraſcone milliare incidit, c haud ampliùs ſunt paſſuum millia. Vnde patet, non hunc, ſed alium intellexiſſe Polybium transitum; ad quem adversâ Rhodani ripâ Hannibal per millia CLXXV contendit: quemque ipſe Polybius τῆς γνώσεως ἕνεκα καὶ θέας perluſtravit. Tot verò millia ab Taraſcone adversâ Rhodani ripâ ſi progreſſus fueris; incides in ſuprà dictum opidum *Seiſſel*. Hinc per Alpium juga in Veragrorum vallem, & inde per Summum Penninum atque Salaſſos ad Circumpadanos campos, quorum initium eſt ad Eporediam opidum, ire ſi pergas; millia habebis haud minus CL. Fruſtra igitur eſt, quidquid iſti homines contendant. Sed hæc futiliora erant, quàm uti confutari egerent.

Reſtat nunc, uti de Haſdrubalis quoque, fratris Hannibalis, itinere atque transitu pauca quædam dicantur. Eâdem cum veniſſe viâ, qua anteà Hannibal, Livium, Silium, Appianum, atque Eutropium ſuprà audivimus auctores. Sed longè diverſum ab illis tradidit M. Varro. de quo Servii verba ex commentariis ad Virgilii Aeneid. lib. x recitavimus iſta: *Alpeis quinque viis Varro dicit transiri poſſe: Vnâ, quæ eſt juxta mare, per Ligures: alterâ, qua Hannibal transiit: tertiâ, qua Pompeius ad Hiſpanienſe bellum profectus eſt: quartâ, qua Haſdrubal de Galliâ in Italiam venit: quintâ, quæ quondam à Græcis poſſeſſa eſt: quæ exinde Alpes Graiæ adpellantur.* Verùm, ut Alpium partes atque nomina, quà Galliæ adiri poſſunt, id eſt, inter mare Liguſticum & Rhodani fonteis, quatuor tantùm omni ævo ſervata fuerunt; ſic totidem etiam itinera per eas Itinerariis Romanis cæteriſque auctoribus antiquis adnotata reperiuntur. quorum unum per *Liguſticas* ſive *Maritimas* fuit Alpeis: alterum, per *Cottias*; tertium, per *Graias*; quartum, per *Penninas*. à quibus omnibus transitum Haſdrubalis Varro excluſit. Hodiè è Galliâ in Italiam omnium plurimùm frequentatur id iter, quod ab Lugduno per ſuprà memoratam Allobrogum inſulam & Sabaudiam huiusque vallem Maurianam, quam mediam ſecat Arcus fluvius, in Iſaram defluens, perque Cinisium montem & Seguſionem opidum ad Auguſtam Taurinorum ducit. Huius itineris antiquiſſimam memoriam ego reperio in rebus geſtis Caroli Magni; qui circa annum à nato Ieſu IↃCCC Italiam ingreſſus eſt. qua de re ita Aimoinus, Francicar. rer. lib. IIII cap. LXVIIII: *Rex Carolus bellum ſibi cum Langobardis pro defenſione Romanorum ſuscipiendum ratus, commoto Francorum exercitu, unam partem cum Bernardo, patruo ſuo, per montem Iovis ire juſſit; alteram ipſe ducens, per montem Ciniſium Italiam intrare contendit.* Idem auctor lib. v cap. XXXV; de Carolo Calvo: *Carolus imperator, inter manus portantium transito monte Ciniſio, perveniens ad locum, qui Brios dicitur, miſit pro Richilde, quæ erat apud Moriennam, ut ad eum veniret.* Hac igitur viâ Haſdrubal in Italiam venerit neceſſe eſt; quando nulla alia reliqua eſt. Atque huc facit, quòd Livius ſuprà dicto lib. XXVII tradit, Alpeis eum petiiſſe ex *Arvernis*, Galliæ populis; quorum regio hodiéque vocatur vulgò incolis *Auvergne*, contra Viennam inſulamque Allobrogum ſita. *Cæterùm Haſdrubali,* inquit Livius, *& ſuâ & aliorum ſpe omnia celeriora atque expeditiora fuêre. non enim receperunt modò Arverni eum, deinceps que aliæ Gallicæ atque Alpinæ gentes; ſed etiam ſequutæ ſunt ad bellum. & cùm per munita pleraque transitu fratris, quæ anteà invia fuerant, ducebat; tùm etiam duodecim annorum adſvetudine perviis Alpibus factis, inter mitiora jam hominum transibat ingenia. inuſitati namque anteà alienigenis, nec videre ipſi advenam in ſuâ terrâ adſveti, omni generi humano inſociabiles erant. & primò ignari, quò Pœnus pergeret; ſuas rupeis ſuaque caſtella & pecorum hominumque prædam peti crediderant. fama deinde Punici belli, quo duodecimum annum Italia urebatur, edocuerat, viam tantùm Alpeis eſſe: duas prævalidas urbeis, magno inter ſe maris terrarumque ſpacio discretas, de imperio & opibus certare. hæ cauſæ aperuerant Alpeis Haſdrubali. Cæterùm, quod celeritate itineris profectum erat, id mora ad Placentiam, dum fruſtra obſidet magis quàm oppugnat, corrupit.* Quum Livius, ſive jam alii ante ipſum auctores perſvaſum haberent, Hannibalem per Druentiæ fluminis vallem & loca opidorum Eburoduni & Brigantionis, perque Cottiarum Alpium fauceis in Italiam ad Seguſionis opidi locum, atque hinc in Taurinos transiſſe; Haſdrubal autem per Maurianam vallem & montem Ciniſium ad idem opidum Seguſionem eosdemque Taurinos transſcendiſſet: eodem hunc, quò frater antè Hannibal, itinere veniſſe illi crediderunt. Hæ igitur v illæ ſunt viæ, quibus antiquiſſimis jam inde temporibus

Haſdrubal, frater Hannibalis, quo itinere Alpeis transſcenderit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

poribus Italia ex Galliis aditi potuit. quarum omnium minùs uſitata, minúſque haud dubiè munita fuit hæc, qua Haſdrubal tranſiit. Hodiéque omnes frequentiſſimis commeatibus celebrantur; ſextâ etiam adjectâ, quæ à Seguſterone opido, Druentiæ impoſito, per valleis Saſſii & Habæi fluminum, atque inde per ſaltum *Argentarii* montis, qui pars eſt Alpium Maritimarum, vallemque Sturæ amnis Italiæ, ad Cunium opidum defert.

Cæterùm Strabo fine libri IIII, Ὁ δὲ Πολύβιος, inquit, τέτταρας τὰς τῶν Ἄλπεων ὑπερβάσεις ὀνομάζει μόνον· διὰ Λιγύων μὲν τὴν ἔγγιστα τῷ Τυῤῥηνικῷ πελάγει· εἶτα τὴν διὰ Ταυρίνων, ἣν Ἀννίβας διῆλθεν· εἶτα τὴν διὰ Σαλασσῶν· τετάρτην δὲ τὴν διὰ Ῥαιτῶν· ἁπάσας κρημνώδεις. Id eſt: *Polybius quatuor tantùm Alpium tranſitus nominat. per Ligures; qui proximus Etruſco mari: per Taurinos; quo Hannibal tranſiit: per Salaſſos: & quartum per Rhætos. omneis præcipites.* Hunc *Rhæticarum Alpium tranſitum* puto eſſe eum, cuius iter ſuperiori capite à Tridento ad Auguſtam Vindelicorum ex Itinerariis Romanis produxi. Cimbri certè hac viâ XX circiter annis poſt Polybii ætatem in Italiam venêre; ut ſuprà cap. XXXIII in Libiciis Gallis oſtenſum. Atque eo magis miror id, quod Plinius lib. XXXVI cap. I ſcripſit his verbis: *In portento propè maiores habuêre Alpeis ab Hannibale ſuperatas, & poſteà à Cimbris.* Verùm ut illud de Hannibale, ſic hoc etiam de Cimbris nimis tragicè nimiſque fabuloſè ad augendam legentium admirationem nonnullos ſcriptores extuliſſe, exiſtimo. Adparet id manifeſtè ex iis, quæ Florus lib. III cap. III de eorum tranſitu narrat. *Hi jam per hiemem*, inquit, *quæ altiùs Alpeis levat, Tridentinis jugis in Italiam provoluti ruinâ deſcenderunt. Atheſim flumen non ponte, nec navibus, ſed quadam ſtoliditate barbaricâ, primùm corporibus adgreſſi; poſtquàm retinere amnem manibus & clipeis fruſtra tentaverant; ingeſtâ obrutum ſilvâ tranſiluêre.* Ac fortè LXXXVII annis ante Cimbrorum in Italiam tranſitum Galli hoc eodem ſaltu in Venetiam transſcenderunt, anno ab urbe Româ conditâ IↃLXVI, Sp. Poſthumio Albino & Q. Marcio Philippo conſulibus. de quibus ita Livius lib. XXXVIIII: *Eodem anno Galli Tranſalpini, transgreſſi in Venetiam ſine populatione aut bello, haud procul inde, ubi nunc Aquileia eſt, locum opido condendo ceperunt.* Et eodem libro poſteà: *Galli Tranſalpini, per ſaltus ignotæ anteà viæ, ut antè dictum eſt, in Italiam transgreſſi, opidum in agro, qui nunc Aquileienſis eſt, ædificabant.* Sed & hæc tunc integris exercitibus fortè fuerit ignota; uti illæ viæ per Maritimas, Cottias, Graias, atque Penninas Alpeis; incolis verò Rhætis notiſſima. nam invium iſthàc anteà tranſitum non tradit Livius. Eodem ſaltu haud dubiè etiam alii Galli, VII annis pòſt, L. Manlio Acidino & Q. Fulvio Flacco conſulibus, transgreſſi ſunt. Livius lib. XL: *Ab altero conſule L. Manlio, nihil memoriâ dignum in Liguribus eſt geſtum. Galli Tranſalpini, tria millia hominum, in Italiam transgreſſi, neminem bello laceſſentes, agrum à conſule & ſenatu petebant, ut pacati ſub imperio populi Romani eſſent. eos ſenatus excedere Italiâ juſſit, & conſulem Q. Fulvium quærere & animadvertere in eos, qui principes & auctores transſcendendi Alpeis fuiſſent.* Et lib. XLI, in rebus geſtis anni inſequentis, M. Iunio Bruto & A. Manlio Volſone conſulibus; quorum hic bellum tunc Hiſtris inferebat: *T. & C. Aelii, tribuni militum, legionem Tertiam, quæ pabulatores & lignatores tueretur, viâ, quæ Aquileiam fert, duxerant. Ab eâdem regione mille fermè paſſuum caſtra erant Gallorum. Carmelus pro regulo erat tribus aut ampliùs millibus armatorum.* Poſt LXXX igitur annos, ut antè dictum, tranſiêre eâdem viâ Cimbri Germani. Annis verò LXXXVI pòſt, M. Druſo Libone & L. Calpurnio Piſone conſulibus, anno urbis Romæ IↃCCXXXVIII, ante natum Ieſum XV, Auguſti Cæſaris exercitus hàc traductus eſt; teſte Dione lib. LIIII. Δροῦσος δὲ, inquit, ἐν τούτῳ καὶ Τιβέριος τάδε ἔπραξαν· Ῥαιτοί, οἰκοῦντες μεταξὺ τοῦ τε Νωρικοῦ καὶ τῆς Γαλατίας, πρὸς ταῖς Ἄλπεσι ταῖς πρὸς τῇ Ἰταλίᾳ ταῖς Τριδεντίναις, τῆς τε Γαλατίας, προσόρου σφίσι, πολλὰ κατέτρεχον, καὶ ἐκ τῆς Ἰταλίδος ἁρπαγὰς ἐποιοῦντο, τοῖς τε ὁδῷ τῶν Ῥωμαίων, ἢ καὶ τῶν συμμάχων αὐτῶν, διὰ τῆς σφετέρας γῆς χρωμένους ἐλυμαίνοντο. δι᾽ οὖν ταῦτα ὁ Αὔγουστος πρῶτον μὲν τὸν Δροῦσον ἐπ᾽ αὐτοὺς ἔπεμψε. ὃς καὶ πρὸς τοὺς ἀπαντήσαντας οἱ αὐτῶν περὶ τὰ Τριδεντῖνα ὄρη συμβαλὼν, διὰ ταχέων ἐτρέψατο. ἔπειτα δὲ ἐπειδὴ τῆς μὲν Ἰταλίας ἀπεκρούσθησαν, τῇ δὲ δὴ Γαλατίᾳ καὶ ὣς ἐνέκειντο, τὸν Τιβέριον προσαπέστειλεν. Ἐσβαλόντες οὖν ἐς τὴν χώραν πολλαχόθεν ἅμα ἀμφότεροι, αὐτοί τε καὶ διὰ τῶν ὑποστρατήγων, καὶ ὅ γε Τιβέριος καὶ διὰ τῆς λίμνης πλοίοις κομισθεὶς, ἀπό τε τούτου κατέπληξαν αὐτοὺς, ὡς ἑκάστοις σφίσι συμμιγνύντες, τούς τε ἀεὶ ἐς χεῖρας ἀφικνουμένους, οὐ χαλεπῶς, ἅτε διεσπασμένοις τὴν δυνάμει χρωμένους, κατειργάσαντο. Id eſt: *Eo tempore à Druſo & Tiberio hæ res ſunt geſtæ:*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Rhæti inter Noricum & Galliam ad Alpeis Italiæ finitimas, quas Tridentinas nominant, ſedeis habent. hi vicinam Galliam frequenter populati, etiam ex Italiæ finibus prædas egerant; Romanosque & eorum ſocios, iter per ipſorum terras facienteis, infeſtaverant. quapropter Auguſtus primò Druſum contra eos cum exercitu miſit: qui Rhætos, apud Alpeis Tridentinas obviam factos, prœlio congreſſus, haud magno certamine fudit. deinde quum, ab Italiâ rejecti, nihilo minus Galliam urgerent; Tiberium quoque contra eos miſit. Proinde Druſus ac Tiberius ſimul multis locis in Rhætiam inrumpentes, legatorum operâ, ac ipſe etiam Tiberius per lacum navigiis ſubvectus, exterruerunt eâ re barbaros: diſſipatosque adgreſſi; haud difficulter multis exiguis prœliis diſperſas eorum copias deleverunt. Sub Rhætorum nomine Vindelicos quoque Romanis ut plurimùm comprehenſos fuiſſe, poſtquàm utrique populi, bello devicti, in unam provinciam redacti fuerunt, in libro de Vindeliciâ ac Norico docui. Hinc Horatius Carm. lib. IIII odâ IIII:

Vidêre Rhæti bella ſub Alpibus
Druſum gerentem, & Vindelici.

Et eodem libro poſteà, odâ XIIII, ita de Auguſto canens:

Quem legis expertes Latinæ
Vindelici didicêre nuper,
Quid Marte poſſes.

Et Mox:

Maior Neronum mox grave prœlium
Commiſit; immaneisque Rhætos
Auſpiciis pepulit ſecundis.

Lacum autem Dio intelligit *Brigantinum*, quem Rhenus fluvius transit. Strabo lib. VII, in deſcriptione Germaniæ, ita Boiohæmum deſignat: ὁ δ' Ἑρκύνιος δρυμὸς πυκνότερός τε ἐστὶ καὶ μεγαλόδενδρος ἐν χωρίοις ἐρυμνοῖς, κύκλον περιλαμβάνων μέγαν· ἐν μέσῳ δ' ἵδρυται χώρα καλῶς οἰκεῖσθαι δυναμένη. ἔστι δὲ πλησίον αὐτῆς ἥ τε τοῦ Ἴστρου πηγὴ καὶ ἡ τοῦ Ῥήνου, καὶ ἡ μεταξὺ ἀμφοῖν λίμνη καὶ τὰ ἕλη τὰ ἐκ τοῦ Ῥήνου διαχεόμενα. ἔχει δ' ἡ λίμνη τὴν μὲν περίμετρον σταδίων πλειόνων ἢ τ', δίαρμα δ' ἐγγὺς σ'. ἔχει δὲ καὶ νῆσον, ᾗ ἐχρήσατο ὁρμητηρίῳ Τιβέριος ναυμαχῶν πρὸς Οὐινδελικούς. Hoc eſt: *Saltus Hercynius, denſior magnisque conſitus arboribus, in locis naturâ munitis magnum includit circulum, intra quem regio eſt habitationi egregiè apta. prope hanc fontes ſunt Iſtri ſimul atque Rheni, & lacus inter eos ſitus, paludesque è Rheno effuſa. lacus in ambitu habet ſtadia ampliùs CCC, trajectum prope CC. inque eo eſt inſula, qua pro receptaculo uſus eſt Tiberius, navali pugnâ cum Vindelicis certans.* In hac inſulâ egregium nunc opidum conſpicitur, vulgari vocabulo *Lindaw*. Strabo lib. IIII, in deſcriptione Alpium, eadem Romanorum cum Vindelicis Rhætisque bella referens, ſic tandem concludit: πάντας δ' ἔπαυσε τῶν ἀνέδην καταδρομῶν Τιβέριος, καὶ ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ Δροῦσος, θερείᾳ μιᾷ. Id eſt: *Horum omnium crebris incurſionibus finem tandem impoſuit Tiberius cum fratre Druſo unicâ æſtate.* Patet igitur ex hactenus allatis, utrumque Alpium Rhæticarum transitum, alterum hinc adverſo Atheſi per Tridentum opidum, alterum per Larium lacum opidaque Clavennam, Curiam, & Brigantium, Auguſti ævo frequentatum fuiſſe exercitibus Romanis. Hinc poſterioribus temporibus Ammianus Marcellinus lib. XVI Tridentinum transitum ita memorat: *Imperator Conſtantius ab Vrbe profectus, per Tridentum iter in Illyricum feſtinavit*. Idem iter haud dubiè intellexit & Zoſimus lib. II; ubi ita ſcribit: Ἐντεῦθεν προφάσεις αἰτίας ζητεῖ τοῦ πρὸς Κωνσταντῖνον πολέμου ὁ Μαξέντιος· καὶ προσποιησάμενος ἐπὶ τῷ θανάτῳ τοῦ πατρὸς ὀδυνᾶσθαι, Κωνσταντῖνον δεδωκότος αἰτίαν αὐτῷ τῆς τελευτῆς, ἐπὶ Ῥαιτίαν ὁδὸν ἐλαύνειν διενοεῖτο· ὡς τοῦ ἔθνους τούτου καὶ Γαλλίᾳ καὶ τοῖς Ἰλλυριῶν κλίμασι πλησιάζοντος. ὠνειροπόλει γὰρ καὶ Δαλματίας καὶ Ἰλλυριῶν περιέσεσθαι διὰ τῶν ἐκεῖσε στρατιωτικῶν ἡγεμόνων καὶ τῆς Λικιννίου δυνάμεως. Id eſt: *Secundùm hæc Maxentius occaſiones gerendi adversùs Conſtantinum belli quærebat: ſeque dolere propter obitum patris ſimulans, cui mortis cauſam Conſtantinus præbuiſſet; viâ, qua itur ad Rhætos, proficiſci cogitabat: veluti hac natione tam Galliæ quàm Illyricis regionibus proximâ. ſomniabat enim & Dalmatiâ & Illyriis ſe potiturum operâ ducum militarium in iis locis, & Licinnii copiarum.* Sed quum non una tantùm in Rhætos ex Italiâ duxerit via, legendum heic cenſuerim ἐπὶ Ῥαιτίαν ὁδὸν ἐλαύνειν διενοεῖτο· id eſt; *in Rhætiam iter facere conſtituebat*. Altero illo per Clavennam Curiamque itinere Stilico ſub Honorio imperatore exercitum duxit. de qua re ita Claudianus in carmine de bello Gotico:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Protinus, umbroſâ veſtit quà litus olivâ
Larius, & dulci mentitur Nerea fluctu,
Parvâ puppe lacum prætervolat ocyus. inde
Scandit inacceſſos brumali ſidere monteis.

Cæterùm transitus in Helvetiam per *S. Gothardi montem*, qui eſt inter Rheni Rhodanique & Ticini atque Arulæ fonteis, patuit exercitibus jam inde ſub prædicto Conſtantio imperatore: qui ſe ipſo VII & Gallo III conſulibus anno urbis Romæ CIƆCVI, à nato Ieſu CCCLIIII, apud *Bilitionem* caſtellum, quod nunc vulgò dicitur *Belinzona*, caſtra poſuit; illac in Alemannos, qui tunc Helvetiam tenebant, profecturus; ut ſuprà cap. XIIII in Lepontiis docui. Ac fortè jam centum fermè annis antè eadem gens ſub Gallieno imperatore eâdem viâ in Italiam ingreſſa eſt. qua de re ita habet Eutropius lib. VIIII, in dicto Gallieno: *Alamanni, vaſtatis Galliis, in Italiam irruperunt*. Et Paullus Diaconus Hiſtoriæ miſcellæ lib. X, in eodem Gallieno: *Alemanni, vaſtatis Galliis, in Italiam penetraverunt*. Paul. Oroſius lib. VII cap. XXII & Freculfus tomi II lib. III cap. VIIII: *Alemanni, Gallias pervagantes, etiam in Italiam transeunt*. Epitoma vitarum Cæſarum, quæ Sex. Aurelio Victori vulgò adſcribitur; in Claudio, Gallieni ſucceſſore: *Hic Claudius Gallieni morientis ſententiâ imperator deſignatus; ad quem, Ticini poſitum, per Gallonium Baſilium indumenta regia direxerat. exſtinctoque à ſuis Aureolo, receptis legionibus, adverſùm aciem Alamannorum haud procul à lacu Benaco dimicans, tantam multitudinem fudit, ut ægrè pars dimidia ſuperfuerit*. Apud ipſum Sex. Victorem eiusdem hiſtoriæ verba depravata ſunt. ſic quidpe illic in Gallieno ſcriptum eſt: *His proſperè ac ſupra vota cedentibus, more hominum, ſecundis ſolutior, rem Romanam quaſi naufragio dedit, cum Salonino filio; cui honorem Cæſaris contulerat: adeò, uti Thraciam Gothi, liberè progreſſi, Macedonas, Achæosque & Aſiæ finitima occuparent; Meſopotamiam Parthi; Orienti latrones ſeu mulier dominaretur, Alemannorum vi, tunc æquè Italiam, Francorum gentes, direptâ Galliâ, Hiſpaniam poſſiderent*. Lego ex ſuprà ſcriptis auctoribus, maximè verò ex Eutropio; *Alemannorum vis irrumperet Italiam*.

At duo illa itinera ex Carnis, quorum unum ab Aquileiâ per Iulium Carnicum in Noricum, alterum ab eâdem Aquileiâ per Iulias Alpeis in Pannoniam ad Nauportum & Hemonam ferebat, primum aperuiſſe Iul. Cæſarem, cap. XX & XXXII intellectum eſt. Hæc igitur ferè ſunt Alpium itinera, jam antiquiſſimis inde temporibus magnis exercitibus frequentata.

CAP. XXXIIII.

De PADO *amne. ac primùm de nominibus eius veris falſisque.*

OMni Italiâ inter Alpeis & Apenninum hactenus explicatâ, ipſisque Alpibus expoſitis, proximus hinc ſit labor, antequàm ad reliqua Italiæ transeam, PADVM FLVMEN, & alios amneis, ſimulque lacus in id defluenteis deſcribere.

PADVS *amnis; qui &* BODINCVS, *&* ERIDANVS.

De vocabulo PADI ita apud Plinium lib. III cap. XVI ſcriptum eſt: *Pudet à Græcis Italiæ rationem mutuari. Metrodorus tamen Scepſius dicit; quoniam circa fontem arbor multa ſit picea, quæ pades Gallicè vocetur, Padum hoc nomen accepiſſe. Ligurum quidem linguâ amnem ipſum* BODINCVM *vocari: quod ſignificet fundo carentem*. Illud vereor ne Græcæ vanitatis, ut id genus innumera alia, ſit figmentum. hoc etiam graviſſimus auctor Polybius atteſtatur lib. II, his verbis: Παρά γε μὴν τοῖς ἐγχωρίοις ὁ ποταμὸς προσαγορεύεται Βόδεγκος. Id eſt: *Incolis amnis hic* BODENCVS *nuncupatur*. Plinius eodem loco anteà: *Græcis dictus* ERIDANVS; *ac pœnâ Phaëthontis illuſtratus*. Iſidorus Origin. lib. XIII cap. XXI: *Padus à Græcis Eridanus cognominatur, ab Eridano, Solis filio; quem Phaëthontem dicunt: qui, fulmine percuſſus, in eodem fluvio dejectus eſt & exſtinctus*. Hyginus Μυθολογικῶν cap. CLIIII: *Phaëthon, Clymenis, Solis filii, & Meropes nymphæ filius, quam Oceanitidem accepimus, quum indicio patris avum Solem cognoviſſet; impetratis curribus malè uſus eſt. nam quum eſſet propiùs terram vectus; vicino igni omnia conflagrarunt: & fulmine ictus in flumen Padum cecidit. hic amnis à Græcis Eridanus dicitur: quem Phe-*

recydes

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

recydes primus vocavit. Sorores autem Phaëthontis, dum interitum deflent fratris, in arbores ſunt populos verſæ. Harum lacrumæ, ut Heſiodus indicat, in electrum ſunt duratæ. Mox: *Cygnus autem rex Liguriæ, qui fuit Phaëthonti propinquus, dum deflet propinquum, in cygnum converſus eſt. is quoque moriens flebile canit.* Polybius dicto loco anteà: ὁ Πάδος ὑπὸ τῶν ποιητῶν Ἠριδανὸς θρυλλούμενος, ἔχει τὰς πηγὰς ἀπὸ τῶν Ἄλπεων. id eſt: *Padus amnis, quem Eridani nomine poëtæ celebrant, oritur ex Alpibus.* Et paullo pòſt: Τἄλλα δὲ τὰ περὶ τὸν ποταμὸν τοῦτον ἱστορούμενα παρὰ τοῖς Ἕλλησι, λέγω δὲ τὰ περὶ Φαέθοντα καὶ τὴν ἐκείνου πτῶσιν, ἔτι δὲ δάκρυα τῶν αἰγείρων, καὶ τοὺς μελανείμονας, τοὺς περὶ τὸν ποταμὸν οἰκοῦντας, οὕς φασι τὰς ἐσθῆτας εἰσέτι νῦν φορεῖν τοιαύτας ἀπὸ τοῦ κατὰ Φαέθοντα πένθους, καὶ πᾶσαν δὴ τὴν τραγικὴν καὶ ταύτῃ προσεοικυῖαν ὕλην, ἐπὶ μὲν τοῦ παρόντος ὑπερθησόμεθα. Hoc eſt: *Cætera, quæ de Pado à Græcis ſunt prodita, narrationem ſcilicet de Phaëthonte & eius caſu, de populorum arborum lacrumis, de atratâ ad hunc amnem gente; quam dicunt etiamnum veſtitum illum ſervare à Phaëthontis luctu; & huiusmodi res tragicas his adſineis, in præſens miſſas facimus.*

Phaëthontis fabulam ſic refert Lucianus in ſermone de Aſtrologiâ: Φαέθων δὲ τοῦ Ἠελίου δρόμον ἐτεκμήρατο, ἐμένγε ἀτρεκέως, ἀλλ᾽ ἀτελέα τὸν λόγον ἀπολιπὼν ἀπέθανεν· οἱ δὲ ταῦτα γε ἀγνοέοντες, Ἠελίου παῖδα Φαέθοντα δοκέουσι, καὶ μῦθον ἐπ᾽ αὐτέῳ οὐδαμὰ πιστὸν διηγέονται. ἐλθόντα γάρ μιν παρὰ τὸν Ἠέλιον τὸν πατέρα, αἰτέειν τὸ τοῦ φωτὸς ἅρμα ἡνιοχεῦσαι, τὸν δὲ δοῦναί τε οἱ, καὶ ὑποθέσθαι τῆς ἱππασίης τὸν νόμον. Ὁ Φαέθων ἐπεὶ δὴ ἀνέβη τὸ ἅρμα, ἡλικίῃ καὶ ἀπειρίῃ, ἄλλοτε μὲν πρόσγειος ἡνιόχευεν, ἄλλοτε πολλὸν τῆς γῆς ἀπηωρεύμενος· τοὺς δὲ ἀνθρώπους κρύος τε καὶ θάλπος οὐκ ἀνασχετὸν διέφθειρεν· ἐπὶ τοῖσι δὴ τὸν Δία ἀγανακτέοντα, βαλεῖν πρηστῆρι Φαέθοντα μεγάλῳ· πεσόντα δέ μιν αἱ ἀδελφαὶ περιεστεῶσαι πένθος μέγα ἐποίεον, ὥστε μετέβαλλον τὰ εἴδεα, καὶ νῦν εἰσιν αἴγειροι, καὶ τὸ ἤλεκτρον ἐπ᾽ αὐτῷ δάκρυον στάζουσιν. Hoc eſt. *Phaëthon Solis curſum deprehendit: non ille quidem verè ac certò: ſed moriens imperfectam artem reliquit. Hæc qui ignorant, Phaëthontem Solis filium credunt; fabulamque de eo haudquaquàm veram narrant: Adiiſſe Solem patrem; ac poſtulaſſe ab eo, ut ſibi liceret lucis currum regere. illum id conceſſiſſe: monuiſſeque, qua ratione foret aurigandum. Phaëthontem verò, conſcenſu curru, partim ob ætatem, partim per imperitiam ita egiſſe, uti aliquando eſſet vicinus terræ, aliquando longo ab eâdem ſpacio ſemotus. interim mortaleis frigus atque æſtum intolerabilem confeciſſe. Ob hæc indignatum Iovem, ingenti fulminis telo percuſſiſſe Phaëthontem. Eum dejectum ſorores circumſtanteis magno luctu proſequutas eſſe; donec immutarent formas in arbores, quæ nunc ſint populi; ac lacrumarum vice, quibus fratrem deploraverint, electrum deſtillent.* In eadem penè verba & Diodorus lib. v ita ſcribit: Περὶ δὲ τοῦ ἠλέκτρου πολλοὶ τῶν παλαιῶν ἀνέγραψαν μύθους παντελῶς ἀπιστουμένους, καὶ διὰ τῶν ἀποτελεσμάτων ἐλεγχομένους. πολλοὶ γὰρ ποιητῶν καὶ συγγραφέων φασὶ, Φαέθοντα τὸν Ἡλίου μὲν υἱὸν, παῖδα δὲ τὴν ἡλικίαν ὄντα, πεῖσαι τὸν πατέρα μίαν ἡμέραν παραχωρῆσαι τοῦ τεθρίππου· συγχωρηθέντος δ᾽ αὐτῷ τούτου, τὸν μὲν Φαέθοντα, ἐλαύνοντα τὸ τέθριππον, μὴ δύνασθαι κρατεῖν τῶν ἡνιῶν, τοὺς δ᾽ ἵππους, καταφρονήσαντας τοῦ παιδὸς, ἐξενεχθῆναι τοῦ συνήθους δρόμου· καὶ τὸ μὲν πρῶτον κατὰ τὸν οὐρανὸν πλανωμένους, ἐκπυρῶσαι τοῦτον, καὶ ποιῆσαι τὸν νῦν γαλαξίαν καλούμενον κύκλον· μετὰ δὲ ταῦτα πολλὴν τῆς οἰκουμένης ἐπιφλέξαντας, οὐκ ὀλίγην κατακαῦσαι χώραν. διὸ καὶ τὸν Δία, ἀγανακτήσαντα ἐπὶ τοῖς γεγενημένοις, κεραυνῶσαι μὲν τὸν Φαέθοντα, ἀποκαταστῆσαι δὲ τὸν Ἥλιον ἐπὶ τὴν συνήθη πορείαν. τοῦ δὲ Φαέθοντος πεσόντος πρὸς τὰς ἐκβολὰς τοῦ νῦν Πάδου καλουμένου ποταμοῦ, τὸ δὲ παλαιὸν Ἠριδανοῦ προσαγορευομένου, θρηνῆσαι μὲν τὰς ἀδελφὰς αὐτοῦ τὴν τελευτὴν φιλοτιμότατα· διὰ δὲ τὴν ὑπερβολὴν τῆς λύπης ὑπὸ τῆς φύσεως μετασχηματισθῆναι τὴν φύσιν, γενομένας αἰγείρους. ταύτας δὲ κατ᾽ ἐνιαυτὸν κατὰ τὴν αὐτὴν ὥραν δάκρυον ἀφιέναι, καὶ τοῦτο πηγνύμενον ἀποτελεῖν τὸ καλούμενον ἤλεκτρον, λαμπρότητι μὲν τῶν ὁμοφυῶν διαφέρον, ἐπιχωριάζον δ᾽ ἐν ταῖς τῶν νέων τελευταῖς καὶ τὸ τούτων πένθος. Διημαρτηκότων δὲ πάντων τῶν τὸν μῦθον τοῦτον πεπλακότων, καὶ διὰ τῶν ἀποτελεσμάτων ἐν τοῖς ὕστερον χρόνοις ἀπελεγχομένων προσεκτέον ταῖς ἀληθιναῖς ἱστορίαις. Id eſt: *De electro multi ex veteribus fabulas omninò incredibileis, & quas ipſe refellit eventus, propoſuêre. nam, ut à multis poëtis hiſtoricisque proditum eſt, Phaëthon, Solis filius, puer adhuc precibus patrem induxit, uti per unum diem currus ei gubernatio concederetur. quo impetrato, quum ad habenas regendum non ſat virium haberet; equi, pueri imperium aſpernati, à ſolito curſu exorbitant; ac devio per cælum errore, primò ipſum inflammant; unde lacteus in eo circulus exſtitit: tum magnâ terræ parte exuſtâ, regiones haud paucas incendio vaſtarunt. Ob eam rem indignatus Iupiter, fulmine in aurigam intorto, Solem obire conſuetum curſum juſſit. Phaëthon autem in oſtium Padi, qui olim Eridani nomen habebat, delapſus eſt. Vbi quum interitum eius ſorores impenſiùs deflerent, præ nimio luctu exutâ naturâ priſtinâ in populos transformatæ ſunt. quæ quotannis ſub hoc ipſum*

tempus lacrumas emittunt; è quarum concretione electrum effici perhibetur; quod reliqua ſui generis ſuperet nitore: quo utuntur incolæ in luctibus ad exſequias juvenum defunctorum. At quum omnes, qui hanc fabulam commenti ſunt, à vero aberraverint; aliudque poſterioris ſæculi eventus demonſtravit; veris potiùs hiſtoriis fides adhibenda eſt. Hinc Dionyſius in Περιηγήσει·

Τοῖς δ᾽ ἔπι Πυρρηναῖον ὄρος καὶ δώματα Κελτῶν,
Ἀγχόθι πηγάων καλλιρρόου Ἠριδανοῖο·
Οὗ ποτ᾽ ἐπὶ προχοῇσιν ἐρημαίην ἀνὰ νύκτα
Ἡλιάδες κώκυσαν, ὀδυρόμεναι Φαέθοντα.
Κεῖθι δὲ Κελτῶν παῖδες ὑφήμενοι αἰγείροισι,
Δάκρυ ἀμέργονται χρυσαυγέος ἠλέκτροιο.

Hoc eſt:

Poſt hos autem Pyrenæus mons & domicilia Gallorum
Prope fonteis pulcriflui Eridani.
Cuius olim juxta fluenta tacitam per noctem
Heliades fleverunt, lugentes Phaëthontem.
Illic Gallorum filii, ſedentes ſub populis,
Lacrumam colligunt aureo colore fulgentis electri.

Eamdem fabulam prolixiore deſcribit carmine Ovidius initio libri II Μεταμορφώσεων, eamque ſic finit:

Inde fluunt lacrumæ, ſtillataque Sole rigeſcunt
De ramis electra novis: quæ lucidus amnis
Excipit, & nuribus mittit geſtanda Latinis.

Meram eſſe fabulam, à poëtis monſtroſè confictam, experimento ſuo redarguit præfatus Lucianus in ſermone de electro. Ἠλέκτρου πέρι, inquit, καὶ ὑμᾶς δηλαδὴ ὁ μῦθος πέπεικεν, αἰγείρους ἐπὶ τῷ Ἠριδανῷ ποταμῷ δακρύειν αὐτὸ, θρηνούσας τὸν Φαέθοντα. καὶ ἀδελφάς γε εἶναι τὰς αἰγείρους ἐκείνας τοῦ Φαέθοντος. εἶτα ὀδυρομένας τὸ μειράκιον, ἀλλαγῆναι εἰς τὰ δένδρα, καὶ ἀποστάζειν ἔτι αὐτῶν δάκρυον, δῆθεν τὸ ἤλεκτρον. τοιαῦτα γὰρ ἀμέλει καὶ αὐτὸς ἀκούων τῶν ποιητῶν ᾀδόντων, ἤλπιζον, εἴποτε γενοίμην ἐπὶ τῷ Ἠριδανῷ, ὑπελθὼν μίαν τῶν αἰγείρων, ἐκπετάσας τὸ προκόλπιον, ὑποδέξασθαι τῶν δακρύων ὀλίγα, ὡς ἤλεκτρον ἔχοιμι. Καὶ δὴ οὐ πρὸ πολλοῦ, καθ᾽ ἄλλο μέν τι χρέος, ἧκον δὲ ὅμως ἐς τὰ χωρία ἐκεῖνα· καὶ ἔδει γὰρ ἀναπλεῖν κατὰ τὸν Ἠριδανὸν, οὔτ᾽ αἰγείρους εἶδον, πάνυ περισκοπῶν, οὔτε τὸ ἤλεκτρον, ἀλλ᾽ οὐδὲ τοὔνομα τοῦ Φαέθοντος ᾔδεσαν οἱ ἐπιχώριοι. Ἀναζητοῦντος γοῦν ἐμοῦ καὶ διαπυνθανομένου, πότε δὴ καὶ ἐπὶ τὰς αἰγείρους ἀφιξόμεθα, τὰς τὸ ἤλεκτρον ἐκδιδούσας; ἐγέλων οἱ ναῦται, καὶ ἠξίουν σαφέστερον λέγειν, ὅ τι καὶ θέλοιμι. Κἀγὼ τὸν μῦθον διηγούμην αὐτοῖς, Φαέθοντα γενέσθαι Ἡλίου παῖδα, καὶ τοῦτον, ἐς ἡλικίαν ἐλθόντα, αἰτῆσαι παρὰ τοῦ πατρὸς, ἐλάσαι τὸ ἅρμα, ὡς ποιήσειε καὶ αὐτὸς μίαν ἡμέραν· τὸν δὲ δοῦναι· τὸν δὲ ἀπολέσθαι ἐκδιφρευθέντα· καὶ τὰς ἀδελφὰς αὐτοῦ πενθούσας ἐνταῦθά που, ἔφην, παρ᾽ ὑμῖν, ἵνα περ καὶ κατέπεσεν ἐπὶ τῷ Ἠριδανῷ αἰγείρους γενέσθαι, καὶ δακρύειν ἔτι αὐτῷ τὸ ἤλεκτρον· Τίς ταῦτά σοι, ἔφασκον, διηγήσατο ἀπατεὼν καὶ ψευδολόγος ἄνθρωπος; Ἡμεῖς δὲ οὔτε ἡνίοχόν τινα ἐκπίπτοντα εἴδομεν, οὔτε τὰς αἰγείρους, ἃς φὴς, ἔχομεν. εἰ δὲ ἦν τι τοιοῦτον, οἴει ἡμᾶς δυεῖν ὀβολοῖν ἕνεκα ἐρέττειν ἂν ἢ ἕλκειν τὰ πλοῖα πρὸς ἐναντίον τὸ ὕδωρ, ὡς ἐξὸν πλουτεῖν ἀναλέγοντας τῶν αἰγείρων τὰ δάκρυα; Τοῦτο λεχθὲν οὐ μετρίως με καθίκετο· καὶ ἐσιώπησα διαχωθεὶς, ὅτι παιδίου τινὸς ὡς ἀληθῶς ἔργον ἐπεπόνθειν, πιστεύσας τοῖς ποιηταῖς, ἀπίθανα οὕτω ψευδομένοις, ὡς μηδὲν ὑγιὲς ἀρέσκεσθαι αὐτοῖς. Id eſt: *Quam ſuper electro commenti ſunt poëtæ fabulam, ea & nobis planè perſuaſis fidem fecerat, eſſe in ripis Eridani populos, qui lacrumantes id deſtillarent, Phaëthontem lugentes. eaſdemque populos Phaëthontis fuiſſe ſorores. deinde juvenis caſum luctu proſequenteis in arbores fuiſſe commutatas: atque etiamdum è lacrumis illarum electrum defluere. Hæc itaque quum poëtas canenteis audiſſem; in ſpem veniebam, ut, ſi quando ad Eridanum delatus eſſem, unam accidens ex arboribus, expanſo protenſoque ſinu nonnullas me ſuſcepturum lacrumas; ut ego quoque electrum poſſiderem. Et ſanè non multo pòſt, alterius negotii conficiendi gratiâ, ea in loca iter habens devêni. eratque mihi commodùm adverſo navigandum Eridano. neque tamen, quum diligenter omnia loca circumcircà oculis obiſſem atque perluſtraſſem, aut populos vidi, aut electrum conſpexi: ſed & Phaëthontis nomen ne notum quidem erat incolis. Exquirente tandem me, atque interrogante; Ecquando verò ad populos, quæ electrum de ſe reddunt, perveniemus? riſerunt nautæ; atque manifeſtiùs, ſi quid vellem, jubebant proloqui. Et ego fabulam illis ordine percenſui. ſcilicet Phaëthontem fuiſſe Solis filium. hunc, ubi adoleviſſet, à patre poſtulaſſe, aurigandi copiam ſibi faceret; ut unius diei curſum & ipſe conficeret. patrem*

filii

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

filii precibus adnuiſſe, ac poſtulata præſtitiſſe. hunc verò inter aurigandum è curru delapſum atque dejectum periiſſe. ſorores porrò eius, inquiebam, lugenteis eo loci alicubi apud vos, ubi delapſus eſt, apud Eridanum in populos fuiſſe transformatas; & nunc fratrem lugenteis, electrum lacrumando emittere. Quicumque, reſpondent illi, hæc tibi dixit, vanum eum hominem eſſe adparet: teque dolis produxit & mendaciis. Nos verò neque aurigam ullum delapſum novimus; neque eæ penes nos ſunt, quas narras, populi. Quòd ſi quid eiusmodi apud nos eſſet; ecquid tu putas, duûm obolorum gratiâ nos ita laborioſè remigaturos, aut navigia adverſùs fluminis impetum tracturos: quibus promptum eſſet, minori negotio ac ſudore diteſcere, populorum lacrumas colligentibus? Hæc quum dixiſſent; non mediocri ſanè ſum pudore adfectus. confuſus autem obticui: quòd re verâ puerile quiddam admiſeram; habitâ fide poëtis, adeò monſtroſa mentientibus: quidpe quibus ſtudium eſt, nihil ſani dicere, aut literis prodere. Hinc igitur rectè Strabo lib. V: Τὰ δὲ πολλὰ τῶν μυθολογουμένων ἢ κατεψευσμένων ἄλλοις ἐᾶν δεῖ· οἷον τὰ περὶ τὸν Φαέθοντα καὶ τὰς Ἡλιάδας, τὰς ἀπαιγειρουμένας περὶ τὸν Ἠριδανὸν τὸν μηδαμοῦ γῆς ὄντα, πλησίον δὲ τοῦ Πάδου λεγόμενον· καὶ τὰς Ἠλεκτρίδας νήσους, τὰς πρὸ τοῦ Πάδου, καὶ μελεαγρίδας ἐν αὐταῖς. οὐδὲ γὰρ τούτων οὐδέν ἐστιν ἐν τοῖς τόποις. Id eſt: *At fabuloſa illa & conficta aliis ſunt relinquenda. cuiusmodi ſunt, quæ ſuper Phaëthonte & Heliadibus finguntur, in populos mutatis apud Eridanum; qui nullibi terrarum eſt; quamquàm vicinus Pado tradatur: item, quæ de inſulis Electridibus, ante Padum ſitis, & Meleagridibus, quæ in iis ſint, traduntur. nihil quidpe horum iis eſt in locis.* Antiquus in primis poëta Apollonius Ἀργοναυτικῶν lib. IIII, de Argonautis in Hadriatico ſinu navigantibus:

Ῥίμφα δὲ νηὶ ἐπιβάντες ἐπερρώοντ' ἐλάτῃσι
Νωλεμές, ὄφρ' ἱερὴν Ἠλεκτρίδα νῆσον ἵκοντο,
Ἀλλάων ὑπάτην, ποταμοῦ σχεδὸν Ἠριδανοῖο.

Id eſt:

Protinus navi conſcensâ incumbebant remis
Indeſinenter; donec ad ſacram inſulam Electridem pervenerunt,
Reliquarum ultimam, prope amnem Eridanum.

Plinius lib. XXXVII cap. II: *Phaëthontis, fulmine icti, ſorores, fletu mutatas in arbores populos, lacrumis electrum omnibus annis fundere juxta Eridanum amnem, quem Padum vocamus; & electrum adpellatum, quoniam Sol vocitatus ſit Elector; plurimi poëtæ dixêre; primique, ut arbitror, Aeſchylus, Philoxenus, Nicander, Euripides, Satyrus. quod eſſe falſum, Italiæ teſtimonio patet. Diligentiores eorum, Electridas inſulas in mari Hadriatico eſſe dixerunt, ad quas delaberetur Padus. qua adpellatione nullas umquàm ibi fuiſſe, certum eſt: nec verò ullas ibi adpoſitas eſſe, in quas quidquam curſu Padi devehi poſſit.* Ariſtoteles in Mirandis: Ἐν ταῖς Ἠλεκτρίσι νήσοις, αἳ κεῖνται ἐν τῷ μυχῷ τοῦ Ἀδρίου, φασὶν εἶναι δύο ἀνδριάντας ἀνακειμένους, τὸν μὲν κασσιτέρινον, τὸν δὲ χαλκοῦν, εἰργασμένους τὸν ἀρχαῖον τρόπον· λέγεται δὲ τούτους Δαιδάλου εἶναι ἔργα, ὑπόμνημα τῶν πάλαι, ὅτε, Μίνωα φεύγων ἐκ Σικελίας καὶ Κρήτης, εἰς τούτους τοὺς τόπους παρέβαλε. Ταύτας δὲ τὰς νήσους φασὶ προσκεχωρηκέναι τὸν Ἠριδανὸν ποταμόν. ἔτι δὲ λίμνη ἔοικε πλησίον τοῦ ποταμοῦ, ὕδωρ ἔχουσα θερμόν· ὀσμὴ δ' ἀπ' αὐτῆς βαρεῖα, καὶ χαλεπὸν ἀποπνεῖ· καὶ οὔτε ζῷον οὐδὲν πίνει ἐξ αὐτῆς, οὔτε ὄρνεον ὑπερίπταται, ἀλλὰ πίπτει, καὶ ἀποθνήσκει. ἔχει δὲ τὸν μὲν κύκλον σταδίων διακοσίων, τὸ δὲ εὖρος, ἕως δέκα. μυθολογοῦσι δὲ οἱ ἐγχώριοι Φαέθοντα κεραυνωθέντα πεσεῖν εἰς ταύτην τὴν λίμνην. εἶναι δ' ἐκεῖ αἰγείρους πολλάς, ἐξ ὧν ἐκπίπτειν τὸ καλούμενον ἤλεκτρον· ὃ δή λέγουσιν ὅμοιοι εἶναι κόμμι, διὰ τὸ ἀποσκληρύνεσθαι ὡσανεὶ λίθον, καὶ συλλεγόμενον ὑπὸ τῶν ἐγχωρίων, διαφέρεσθαι εἰς τοὺς Ἕλληνας. Εἰς ταύτας οὖν τὰς νήσους Δαίδαλόν φασιν ἐλθεῖν, καὶ κατασχόντα αὐτὰς, ἀναθεῖναι ἐν μιᾷ αὐτῶν τὴν αὑτοῦ εἰκόνα, καὶ τὴν τοῦ υἱοῦ Ἰκάρου ἐν τῇ ἑτέρᾳ. ὕστερον δὲ ἐπιπλευσάντων Πελασγῶν, τῶν ἐκπεσόντων ἐξ Ἄργους, φυγεῖν τὸν Δαίδαλον, καὶ ἀφικέσθαι εἰς Ἴκαρον τὴν νῆσον. Hoc eſt: *In inſulis Electridibus, quæ in intimo Hadriatici ſinus receſſu ſitæ ſunt, duas aiunt eſſe ſtatuas antiqui operis. alteram ſtanneam, alteram æneam; ab Dædalo confectas in monumentum rerum olim geſtarum: quum Minoem è Siciliâ & Cretâ fugiens, in hæc loca delatus eſſet. Inſulas has ante Eridanum amnem jacere tradunt. lacum præterea eſſe prope flumen aquas habentem calidas, odoremque exhalantem adeò gravem, uti neque animalia ex eo bibere, neque volucres ſupervolare poſſint; ſed mortua decidant. ambitum eius eſſe ducentûm ſtadiorum; latitudinem ad decem ſtadia. Ac fabulantur, Phaëthontem fulmine ictum in eum decidiſſe. eſſeque illic multas populos arbores, ex quibus electrum manet. id gummi eſt ſimile; quòd inſtar lapidis indureſcat. collectumque ab incolis deportari in Græciam. In has itaque inſulas deveniſſe aiunt Dædalum; imagi-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

imaginemque ſuam in unâ earum ſtatuiſſe; in alterâ filii. Adventantibus verò poſteà cum claſſe Theſſalis, ex Argo qui pulſi fuerant; in Icariam inſulam confugiſſe Dædalum. Lacum calidarum aquarum heic intelligi eum, qui calidi erant fontes ſeu lacus Aponi, in Patavino agro, ſuprà cap. XVIII in Venetis oſtenſum: ubi eadem hæc verba, ſed decurtata depravataque, è Stephani epitomatore citata ſunt. Sed ſitum Electridum inſularum clariùs indicat Marcianus Heracleenſis in Περιηγήσει, his verbis:

Εἶτ᾽ ἔστιν Ἀδριανὴ θάλαττα λεγομένη.
Θεόπομπος ἀναγράφει δὲ ταύτης τὴν θέσιν,
Ὡς δὴ, συνισθμίζουσα πρὸς τὴν Ποντικὴν,
Νήσους ἔχει τῶν Κυκλάσιν ἐμφερεστάτας·
Τούτων δὲ τὰς μὲν λεγομένας Ἀψυρτίδας,
Ἠλεκτρίδας τε, τὰς δὲ καὶ Λιβυρνίδας.
Τὸν κόλπον ἱστοροῦσι τὸν Ἀδριατικὸν
Τῶν βαρβάρων πλῆθός τι περιοικεῖν κύκλῳ·
* . * . Ἐνετῶν δ᾽ εἰσὶ πεντήκοντά που
Πόλεις ἐν αὐτῷ, κείμεναι πρὸς τῷ μυχῷ.
Ἐνετῶν ἔχονται Θρᾶκες, Ἴστροι λεγόμενοι,
Δύο δὲ κατ᾽ αὐτοὺς εἰσὶ νῆσοι κείμεναι,
Κασσίτερον αἳ δοκοῦσι κάλλιστον φέρειν.
Ὑπὲρ δὲ τούτους Ἴσμενοι καὶ Μέντορες,
Ἠριδανός· ὃς κάλλιστον ἤλεκτρον φέρει·
Ὅ φασιν εἶναι δάκρυον ἀπολιθούμενον,
Διαυγὲς, αἰγείρων ἀποστάλαγμά τι.
Λέγουσι γὰρ δὴ τὴν κεραυνώσιν πρὸ τοῦ
Τὴν τοῦ Φαέθοντος δεῦρο γεγονέναι τινές.
Διὸ καὶ τὰ πλήθη πάντα τῶν οἰκητόρων
Μελανειμονεῖν τε, πενθικάς τ᾽ ἔχειν στολάς.
Ἡ πλησίον χώρα δὲ τούτων κειμένη
Ὑπὸ τῶν Πελαγόνων καὶ Λιβυρνῶν κατέχεται.

Hoc eſt:

Hinc ſequitur Hadrianum quod vocatur mare.
Huius ſitum Theopompus ita deſcribit,
Vti, iſthmum cum Pontico mari conſtituens,
Inſulas habeat Cycladibus ſimillimas:
Quarum quædam dicantur Abſyrtides,
Aliæ Electrides, aliæ verò Liburnides.
Sinum autem Hadriaticum tradunt
Barbarorum multitudinem circumcolere.
Mox: — *Venetorum autem ſunt ad quinquaginta*
Opida ad ipſum, in intimo eius receſſu ſita.
Proximè Venetos incolunt Thraces, qui Hiſtri dicuntur.
Iuxta hos duæ ſitæ ſunt inſulæ,
Quæ optimum creduntur ferre ſtannum.
Vltra eos ſunt Iſmeni & Mentores,
Eridanusque: qui optimum fert electrum;
Quod lacrumam aiunt eſſe in lapidem converſum,
Atque perlucidum; populorum quædam deſtiliatio.
Ferunt quidpe quidam, fulmine quondam
Phaëthontem fuiſſe ictum hoc loco:
Ideóque omnem incolarum multitudinem
Pullo incedere veſtitu, ac lugubreis geſtare ſtolas.
Quæ autem his contermina eſt regio,
A Pelagonibus atque Liburnis habitatur.

Sed & ipſe Plinius lib. III cap. XXVI eodem tractu eas refert. *Illyrici,* inquit, *ora mille ampliùs inſulis frequentatur; naturâ vadoſi maris, æſtuariisque tenui alveo intercurſantibus. Claræ; ante oſtia Timavi calidorum fontium, cum æſtu maris creſcentium: juxta Hiſtrorum agrum Ciſſa, Pullariæ, & Abſyrtides Graiis dictæ, à fratre Medéæ ibi*

ibi interfecto Abſyrto. juxta eas Electridas vocavère; in quibus proveniret ſuccinum; quod illi electrum adpellant; vanitatis Græcæ certiſſimum documentum: adeò, ut, quas earum deſignent, haud umquàm conſtiterit. Haud equidem certò conſtabat Aeſchyli & Euripidis temporibus; quum Eridanus crederetur, non quidem prope Padum; quod unus tradit Strabo; ſed ipſe Padus: electrumque putabatur aut in ipſius ripâ ex populis arboribus, aut in inſulis, oſtiis eius objectis, legi. at ante Aeſchylum antiquiſſimis Græcorum ſcriptoribus verus Eridanus amnis, veræque Electrides inſulæ fuêre notiſſimæ. Patet hoc haud ita obſcurè ex Herodoto; cuius verba lib. III hæc leguntur: Αὗται μὲν νυν ἔν τε τῇ Ἀσίῃ ἐσχαλιαί εἰσι, καὶ ἐν τῇ Λιβύῃ. περὶ δὲ τῶν ἐν τῇ Εὐρώπῃ, τῶν πρὸς ἑσπέρην ἐσχαλιέων ἔχω μὲν οὐκ ἀτρεκέως λέγειν. οὔτε γὰρ ἔγωγε ἐνδέκομαι, Ἠριδανὸν καλέεσθαι πρὸς βαρβάρων ποταμὸν, ἐκδιδόντα ἐς θάλασσαν, τὴν πρὸς βορέην ἄνεμον, ἀπὸ τοῦ τὸ ἤλεκτρον φοιτᾶν λόγος ἐστί. οὔτε νήσους οἶδα Κασσιτερίδας ἐούσας, ἐκ τῶν ὁ κασσίτερος ἡμῖν φοιτᾷ. τοῦτο μὲν γὰρ ὁ Ἠριδανὸς αὐτὸ κατηγορέει τὸ οὔνομα, ὡς ἔστι Ἑλληνικὸν, καὶ οὐ βαρβαρικὸν, ὑπὸ ποιητοῦ δέ τινος ποιηθέν. οὔτε δὲ οὐδενὸς, αὐτόπτεω γενομένου, οὐ δύναμαι ἀκοῦσαι τοῦτο μελετῶν, ὅκως θάλασσά ἐστι τὰ ἐπέκεινα Εὐρώπης. Ἐξ ἐσχάτης δ᾽ ὦν ὁ κασσίτερος ἡμῖν φοιτᾷ, καὶ τὸ ἤλεκτρον. Id eſt: *Atque hæc quidem ſunt extrema Aſiæ Africæque. de extremitatibus autem Europæ, quod pro comperto referam, non habeo. neque enim adſentior, fluvium quemdam eſſe, Eridanum à barbaris vocitatum, qui exeat in mare ſeptemtrionale; unde electrum venire narratur. nec Caſſiteridas quidem novi inſulas, unde ad nos venit plumbum album. nam vel ipſum nomen fluvii Eridanus coarguit, non eſſe barbaricum, ſed Græcum, ab aliquo poëtarum confictum. Quin etiam à nemine, qui ipſe vidiſſet, explorare potui, quomodò ſe mare habeat ad illam plagam Europæ; quamvìs ſedulò inquiſivi. Conſtat tamen ab extremis Europæ ad nos venire plumbum album, atque electrum.* Diſpectu facile erat, quas heic intelligeret Herodotus *Caſſiteridas inſulas*; & item quæ loca, unde electrum veniret: ſiquidem utraque in extremis collocat Septemtrionis: ex quo antiquiſſimis etiam temporibus Britannicas inſulas miſiſſe τὸν κασσίτερον, patet ex Ariſtotelis libro Περὶ τῶν θαυμασίων ἀκουσμάτων· multo verò maximè ex Diodori lib. V: ubi & inſula, & metalla plumbi & transportatio in Galliæ continentem & ad Rhodani oſtia, quàm curatiſſimè deſcribuntur. *Succinum* verò, ſive *electrum*, ab uno ſolo Pruſſiæ litore in omnem reliquam omni ævo miſſum fuiſſe Europam, Germaniæ noſtræ lib. III capp. XXXIIII, XXXVIII, & XLIIII, compluribus auctorum demonſtravi teſtimoniis. Id quum Ioanni Goropio etiam eſſet certum; *Eridanum* iſtum nullum alium in Veneticis Hyperboreiſque ſuis ſtatuit eſſe amnem, quàm qui in hac parte omnium maximus nobiliſſimuſque *Viſtula* antiquo dicatur auctoribus vocabulo: vulgò adcolis Polonis *VVislá*, Germanis *die VVeiſſel*, & variante dialecto *de VVieſſel*: dignus ſanè, qui præ omnibus aliis Septemtrionis amnibus antiquiſſimam mortalium memoriam obtineat; quando nunc etiam alimenta, toti propemodùm Europæ transmittenda, ad mare commodus devehit. Verùm nihil heic ego gratiæ, nihil dignitati indulſerim; huius memor, me unius ubique veritatis patrocinium ſuſcepiſſe. Aio igitur rectè equidem ſenſiſſe Goropium, dum Eridanum Herodoti, à quo electrum in Græciam deferebatur, Pruſſiaco litori adſeruit; vocabulumque id ex Herodoti ſententiâ Viſtulæ tribuit. at malè eum ſtatuiſſe cenſeo, vocabulum id verum eſſe germanumque & antiquiſſimum Viſtulæ nomen. eſt quippe amnis hodiè, qui XXV circiter millia paſſuum ſupra opidum *Danzig*, inter duo cœnobia *Sukovv* & *Carthuus*, in lacu exoriens, primò dictum cœnobium *Sukovv*, mox celebrem vicum *Pruuſt*, copioſiſſimis aquis abluit; tandemque ipſum opidum *Danzig* interfluens, ſtatim ſub ipſis mœnibus magno illi flumini Viſtulæ ſeſe miſcet; vulgari vocabulo adpellatus *di Rodaune*, & variantibus dialectis, *di Raddaune*, *de Raddune*, & *de Reddune*. Hunc eſſe vetuſtiſſimum Græcorum ſeptemtrionalem illum *Eridanum*, cùm ſitus prope litus, in quo electrum legebatur, tùm maximè nomen teſtatur ipſum. Nec obſtat, quòd Eridanum ſuum Herodotus facit ἐκδιδόντα ἐς θάλασσαν, id eſt, *in mare ſeſe effundentem*; noſter autem *Radanus* III millibus paſſuum à mari in Viſtulam exit. namque loca hæc Septemtrionis, omnium, uti ex vulgari Græcorum opinione credidit Herodotus, extrema, obſcurè Græcis noſcebantur. Cuius rei cauſa nulla alia erat, quàm quòd fama, dum per longinquos variarum terrarum gentiumque tractus tenderet, antequàm in Græciam perferretur, variè, ut fieri adſolet, ab hominibus variis corrumpebatur.

rumpebatur. Poterant igitur antiquiſſimi mortalium, ſive Germani ipſi, ſuccinum ſuum in Danubii ripâ, quod in dictâ Germaniæ deſcriptione oſtendi, vendentes; ſive exterorum quidam, ad Germanos coëmendi ſuccini causâ profecti, cæteris narraſſe Græcis mercatoribus, legi id in Germanorum litore; atque inde in unum locum ad mercatum conferri, qui prope litus eſſet, ad confluenteis duûm fluviorum, quorum alter maior, atque in ipſum mare immediatè effluens, incolis *VVissel*; alter minor, in maiorem influens, *Redane* diceretur. Huius narrationis poſtmodùm memoria, ut antè dixi, antequàm in Græciam, per varias gentium interjectarum manus tradita, perveniret; temporis ſimul atque locorum longinquitate adeò corrupta eſt, uti maximi fluvii nomen *Viſtula* prorſus per oblivionem periret: minoris verò, ac notioris, quia is prædictum locum *Danzig*, in quo ſuccini mercatus fiebat, medium interlabebatur, memoria cuſtodiretur: idque mox maioris fluvii vocabulum eſſe crederetur. Cæterùm Græci homines, qui omnia exterarum gentium vocabula ad ſui ſermonis ſuæque lingvæ formationes adcommodabant, quum cernerent, iſtius noſtri *Radani* ſive *Redani* vocabulum adſimile eſſe nomini illius amnis, qui, parvus & ipſe, in Atticâ terrâ in Iliſſum flumen tranſiens, Straboni lib. VIIII & Pauſaniæ in Atticis deſcribitur nomine Ἠριδανὸς, ERIDANVS: noſtrum quoque *Redanum* adpellarunt *Eridanum*. quod vocabulum mox per errorem, ut dixi, magno illi flumini Viſtulæ tributum; ut ſatis liquidò ex præſcriptâ Herodoti colligere eſt hiſtoriâ. Quum verò *Venedi Sarmatæ* electrum primùm in ſuo litore, ubi nunc *Sudavia* eſt prope Regimontium opidum inſula, legerent, & inde ad Viſtulæ Redanique confluenteis, ut antè dictum, ad mercatum deferrent; unde porrò per Germaniam atque Illyricum ad *Venetos*, Italiæ gentem, Padum adcolentem, transportabatur: Græci, ex ſimilitudine nominum, alii in ipſis Venetorum finibus, ad Padi ripas, alii in inſulis ante Padi oſtia id legi crediderunt; ac amni huic inde dederunt nomen *Eridani*; inſulasque ante eum finxerunt *Electrides*: quia Viſtulæ quoque (quem & ipſum per errorem, ut dictum, putaverunt eſſe Gotonum Germanorum *Eridanum* ſive *Redanum*) plura oſtia acceperant, inſulasque iis objectas, in quarum litore electrum legeretur: quod fuſiùs clariúsque dicto Germaniæ lib. III cap. XLIIII demonſtravi. Hinc tandem illud natum eſt Apollonio, quod Ἀργοναυτικῶν lib. IIII canit his verſibus:

Ἐκ δὲ τόθεν Ῥοδανοῖο βαθὺν ῥόον εἰσεπέρησαν,
Ὅς τ᾽ εἰς Ἠριδανὸν μετανείσεται· ἄμμιγα δ᾽ ὕδωρ
Ἐν ξυνοχῇ βέβρυχε κυκώμενον. αὐτὰρ ὁ γαίης
Ἐκ μυχάτης, ἵνα τ᾽ εἰσὶ πύλαι καὶ ἐδέθλια νυκτὸς,
Ἔνθεν ἀπορνύμενος, τῇ μέν τ᾽ ἐπερεύγεται ἀκτὰς
Ὠκεανοῦ, τῇ δ᾽ αὖτε μετ᾽ Ἰονίην ἅλα βάλλει,
Τῇ δ᾽ ἐπὶ Σαρδόνιον πέλαγος καὶ ἀπείρονα κόλπον
Ἑπτὰ διὰ στομάτων ἱεὶς ῥόον. ἐκ δ᾽ ἄρα τοῖο
Λίμνας εἰσέλασαν δυσχείμονας, αἵ τ᾽ ἀνὰ Κελτῶν
Ἤπειρον πέπτανται ἀθέσφατον· ἔνθα κεν οἵ γε
Ἄτῃ ἀεικελίῃ πέλασσαν· (φέρε γάρ τις ἀπορρὼξ
Κόλπον ἐς Ὠκεανοῖο, τὸν οὐ προδαέντες ἔμελλον
Εἰσβαλέειν· τόθεν οὔκεν ὑπότροποι ἐξεσάωθεν)
Ἀλλ᾽ Ἥρη σκοπέλοιο καθ᾽ Ἑρκυνίου ἰάχησεν,
Οὐρανόθεν προθοροῦσα. φόβῳ δ᾽ ἐτίναχθεν ἀϋτῆς,
Πάντες ὁμῶς· δεινὸν γὰρ ἐπὶ μέγας ἔβραχεν αἰθήρ.
Ἂψ δὲ πάλιν τρωπῶντο θεᾶς ὕπο. καὶ ῥ᾽ ἐνόησαν
Τὴν δ᾽ οἶμον τῇ πέρ τε καὶ ἔπλετο νόστος ἰοῦσι
Δηναιοὶ δ᾽ ἀκτὰς ἁλμυρέας εἰσαφίκοντο
Ἥρης αἰνεσίῃσι, δι᾽ ἔθνεα μυρία Κελτῶν
Καὶ Λιγύων περόωντες ἀδήϊοι.

Hoc eſt:

Ex tunc autem Rhodani profundum ſinum intrarunt;
Qui ad Eridanum accedit: ſimulque aqua
In arcto reſonat confuſa. ſed ille terrâ
Ex intimâ, ubi ſunt portæ & ſedes noctis,

Illinc

Illinc exoriens, heic quidem fremit ad litora
Oceani; illic verò è diverſo ad Ionium mare tendit:
Alibi etiam in Sardoum pelagus, atque vaſtum ſinum,
Septem per oſtia emittit fluxum. èque iſto ſanè
Paludes intrarunt procelloſas, quæ per Celtarum
Terram panduntur. immenſam ubi illi
In calamitatem miſerrimam incidiſſent, (eminebat enim rupes
In ſinum Oceani. in quam imprudentes erant
Illiſuri; illicque nequaquàm reduces liberati fuiſſent)
Ni Iuno de monte Hercynio clamaſſet,
Cælo delapſa. terrore verò perculſi ſunt vocis
Cuncti ſimul: horrendum quidpe magnus inſonuit æther.
Iterum autem retro agebantur à deâ: atque notârant
Illud vadum, quo erat reditus proficiſcentibus.
Seri tamen litora falſa attigerunt,
Iunonis conſiliis; genteis multas Celtarum
Et Ligurum peragrantes ignoti.

Mira ſanè in his verbis trium fluminum, *Rhodani, Padi*, atque *Viſtulæ* confuſio. Fluvio, qui per Viſtulæ os Oceano ſeptemtrionali adfundebatur, & unde electrum in Græciam veniebat, nomen erat *Radûne*, ſive *Radaune*, ſeu fortè illius ævi dialecto *Redâne*; ut ſuprà dictum. id vocabulum Græcis primò formatum *Eridanus*, ſui fluminis in Atticâ nomine. mox, quia à Pado, qui in Ionium mare ſive in Ionii maris ſinum, cui cognomen Hadriatici, effunditur, electrum in Italiam, atque inde in Græciam transportabatur; Græcique id ad Padi ripas ſeu oſtia legi putabant: *Padus* etiam inde dictus eſt illis *Eridanus*. dein verò, quum nomen amnis, à quo re verâ electrum veniebat, clariùs atque integriùs intelligeretur Græcis; pro *Eridano* id dixêre *Rhodanum*; nomine Galliæ fluminis nobiliſſimi, quod in Sardoum mare effunditur. hinc tandem, quum Italicus Eridanus, id eſt, Padus, per ingenteis paludes ſeptem oſtiis, quæ inde Septem maria, ut infrà patebit, dicta fuêre, in mare Ionium ſeu Hadriaticum influeret; iidem Græci id ad Gallicum Rhodanum tranſtulerunt. Vnde illud Plinii dicto lib. XXXVII cap. II; ubi de electro agit: *Quòd Aeſchylus in Iberiâ, id eſt, in Hiſpaniâ Eridanum eſſe dixit, eumdemque adpellari Rhodanum; Euripides rurſus & Apollonius in Hadriatico litore confluere Rhodanum & Padum; feliciorem veniam facit ignorati ſuccini in tantâ Orbis ignorantiâ*. Non Hiſpaniam tantùm ſub *Iberiæ* nomine intellexiſſe Aeſchylum; ſed *Iberiam* illam latè ſumptam; ſub qua Gallia etiam Germaniaque comprehendebantur Græcis διὰ τὴν ἄγνοιαν τῶν καθέκαστα ἐθνῶν, id eſt, *ab ignorantiam ſingularum & inter ſe diverſarum nationum*; vel potiùs, quia gens una, uno eodemque utens ſermone, terras eas incolebat; in Germaniæ lib. I cap. II ex Strabone ac Nonno poëtâ demonſtravi. Eodem errore, ſeu potiùs ignorantiâ veri Eridani implicitus Philoſtratus, de Iconibus lib. II, Phaëthontem in Italiæ Eridanum delapſum narrat: nihilo minùs tamen in fine ita de electro addit: Καὶ διὰ φαιδροῦ τοῦ ὕδατος ἀπάξει ὁ ποταμὸς τοῖς ἐν Ὠκεανῷ βαρβάροις τὰ τῶν αἰγείρων ψήγματα. id eſt: *Et per limpidam aquam ad barbaros, Oceani adcolas, populorum abducet ramenta*. Nemo umquàm Hadriaticum mare, nec totum quidem mare internum adpellavit Oceanum, præter unum Homerum in Odyſſeâ; ut poſteà in Campaniæ litore videbimus. at noſtrum mare ſæpiùs ſic vocatur; quod vulgari nunc vocabulo adpellamus *de Ooſt ſee*: quia ulteriora jam in inſulis putabantur priſcis Græcis Romaniſque. in quarum unâ nomine *Baltiâ* electrum legi opinabantur; ut latiùs clariúſque mihi oſtenſum eſt Germaniæ lib. III cap. XXXVIII. Porrò quum utræque inſulæ, tam *Caſſiterides* quàm *Electrides*, re verâ in ultimo ferè Septemtrione vetuſtiſſimis noſcerentur Græcis; poſteriores verò fabulâ de Phaëthontis in Padum lapſu confictâ, *Electridas* contra huius amnis locarent oſtia, in intimo ſinu maris Hadriatici: *Caſſiteridas* etiam ſimul eâdem ratione eò deduxerunt; ut ſuprà ex Marciani Heracleenſis verbis intellectum. Verùm hactenus de nominibus PADI veris falſiſque ſatis dictum eſt. Adcolis nunc Italis vulgari vocabulo dicitur *Pò*. at Gallis *Pau*: quod ipſorum ore ferè idem ſonat. unde etiam haud raro eis ſcribitur, ut Italis, *Po*. Germanis eſt *Pavv*, & *Pfavv*.

CAP.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Cap. XXXV.

De Padi *fonte, curſu, & oſtiis.*

De *fonte* Padi ita Plinius ait lib. iii cap. xvi: *Padus è gremio Veſuli montis, celſiſſimum in cacumen elati, finibus Ligurum Vagiennorum, viſendo fonte profluit.* Et epitomator eius Solinus cap. viii: *Padum mons Veſulus, ſuperantiſſimus inter juga Alpium, gremio ſuo fundit, viſendo fonte, in Ligurum finibus: unde ſe primùm Padus proruit.* Et Mela lib. ii cap. iiii: *Padus ab imis radicibus Veſuli montis exoritur.* Ingens Blondi eſt error; qui docet, fontis huius nomen proprium fuiſſe *Viſendus.* quidpe quid Plinius epitomatorque eius Solinus *viſendo fonte* intellexerint, diſertè oſtendit alius Plinii epitomator Martianus Capella, lib. vi, in deſcriptione Italiæ, his verbis: *Padum amnem mons Veſulus, inter monteis Alpium elatior, gignit fonte mirabili, qui in Ligurum finibus flumen creat.* Igitur *viſendum fontem* Plinius adpellavit, qui erat *viſu dignus*. Sic Plinius Iunior lib. vi epiſt. xxxi, de Centumcellenſi portu in Etruriâ loquens; *In ore portus*, inquit, *inſula adſurgit, quæ illatum vento mare objacens frangat; tutumque ab utroque latere decurſum navibus præſtet. Adſurgit autem arte viſendâ.* At de eodem Padi ortu ita ſcribit Strabo lib. iiii, in deſcriptione Alpium: Ἄνω δ' ἐν τισι κοίλοις χωρίοις λίμνη τε συνίσταται μεγάλη, καὶ πηγαὶ δύο, οὐ πολὺ ἄπωθεν ἀλλήλων· ὧν ἐκ μὲν τῆς ἑτέρας ἐστὶν ὁ Δρουεντίας ποταμὸς χαραδρώδης, ὡς ἐπὶ τὸν Ῥοδανὸν καταράττει, καὶ ὁ Δουρίας εἰς τἀναντία· τῷ γὰρ Πάδῳ συμμίσγει, κατενεχθεὶς διὰ Σαλασσῶν εἰς τὴν ἐντὸς τῶν Ἄλπεων Κελτικήν· ἐκ δὲ τῆς ἑτέρας πολὺ ταπεινότερος τῶν χωρίων τούτων ἀναδίδωσιν αὐτὸς ὁ Πάδος, πολύς τε καὶ ὀξύς. Id eſt: *Supernè in cavis quibusdam locis magnus continetur lacus, duoque fontes haud multum ab ſe invicem disſiti; ex quorum altero Druentia fluvius impetuoſus atque torrens Rhodanum versùs deſtuit: & in diverſam partem Duria, per Salaſſos in Cisalpinam delapſus Galliam, Pado miſcetur: ex altero longè iſtis locis humilior ipſe Padus oritur copioſus & rapidus.* Quum duo ſint fluvii *Duriæ*, alter *maior* cognomine apud Salaſſos, alter *minor* apud Taurinos; Strabo heic utrumque mirificè in unum confudit: falsóque Duriam ac Druentiam ex uno fonte oriri pronunciavit. Cæterùm lacus heic quoque Alpini conſpiciuntur duo, maximè viſendi memorandique; alter in vertice Ceniſii montis, juxta viam, qua itur ab Auguſtâ Taurinorum & Seguſio opido in vallem Maurianam; alter in ſummo Veſulo; uterque amœniſſimus: &, quum occulta eorum ſit origo, ne digitum quidem excedunt ripas ſive labra ſua. ex his per ſubterraneos cuniculos fontes amnium oriri creduntur; ex Ceniſio fluvii, qui apud Seguſium in Duriam minorem defluit; ex Veſulo Padi. hos quoque lacus, l circiter millia paſſuum inter ſe disſitos, Strabo commiſcuit in unum. Ac Padi quidem fontem ipſe unà cum Plinio huiusque epitomatoribus unum dumtaxat memorat. at Polybius lib. ii, Ὁ δὲ Πάδος, inquit, ποταμὸς ἔχει τὰς πηγὰς ἀπὸ τῶν Ἄλπεων. id eſt; *Padus amnis fonteis habet in Alpibus.* & Mela dicto loco, *Parvis*, inquit, *ſe primùm fontibus colligit.* Servius verò, ad Virgilii Aeneid. lib. xi, *Alii*, inquit, *Padum tribus fontibus naſci dicunt.* Et Iſidorus Origin. lib. xiii cap. xxi: *Padus, à jugis Alpium fuſus, ex tribus fontibus oritur; ex quibus uni vocabulum eſt Padus.* Ac totidem ſanè fontes eius hodiéque noſcuntur, ſub prædicto lacu *è gremio*, ut inquit Plinius, *Veſuli montis* ſive *ab imis*, ut Mela ait, *eius radicibus exorientes:* quorum unus reliquis duobus ſitu inferior eſt longéque uberior; qui *Padus* olim propriè dictus eſt. Inde unus jam factus amnis, per ſaxa præcipitia delabens, ſtrepitum fragoremque edit ingentem. Plinius dicto loco: *Padus è gremio Veſuli montis viſendo fonte profluens, condensque ſeſe cuniculo, in Forovibienſium agro iterum exoritur.* Et epitomator eius Solinus; *Submerſus cuniculo, rurſus in agro Vibienſi extollitur.* Et item Capella; *Dehinc fluvius merſus in penita telluris, in parte agri Vibienſis emergit.* Nempe à dicto præcipitio in plana dejectus, tantâ aquarum copiâ, quanta verſandæ molæ frumentariæ ſufficiat, nullo tamen certo alveo, per ſaxeum ſolum tria fermè millia paſſuum, ad vicum usque, cui vulgare vocabulum *Paiſana*, defertur. heic cuniculo ita ſeſe condit, uti vix exigua quædam veſtigia ſupra terram adpareant, inde poſt duo millia rurſum emergit: receptisque

aliis

aliis ſubinde atque aliis fluminibus, mirum in modum augetur. Mela dicto loco: *Parvis ſe primum fontibus colligit; & aliquatenus exilis ac macer, mox aliis amnibus adeò augeſcit atque alitur, ut ſe per ſeptem ad poſtremum oſtia effundat.* Cæterùm Plinius lib. II cap. CIII, *Padi*, inquit, *fons mediis diebus æſtivis, velut interquieſcens, ſemper aret.* Hoc ipſum fuerit, quocircà poſteà dicto lib. III cap. XVI *viſendum* eius dixerit *fontem*. Pergit hoc loco in hæc verba: *Augetur ad Canis ortus, liquatis nivibus, agris quam navigiis torrentior; nil tamen ex rapto ſibi vendicans; atque ubi liquit agros, ubertate largior,* C C C *millibus paſſuum à fonte addens meatu duodenonaginta; nec amneis tantùm Apenninos Alpinosque navigabileis capiens, ſed lacus quoque immenſos, in eum ſeſe exoneranteis; omni numero* XXX *flumina in mare Hadriaticum defert.* Sic equidem pleraque habent exemplaria. at unum manu ſcriptum pro *agris quàm navigiis torrentior*, habet *agris quamvìs torrentior*. Ego ex utrâque ſcriptione colligo legendum; *Augetur ad Canis ortus, liquatis nivibus, aquis: &, quamvìs torrentior, nil tamen ex rapto ſibi vendicans.* Patet hoc ex epitomatore Solino, qui eamdem rem ita refert dicto cap. VIII: *Intumeſcit exortu Canis, tabefactis nivibus, & liquentibus brumæ pruinis: auctusque aquarum acceſſione,* XXX *flumina in Hadriaticum defert mare.* Idem ita Martianus dicto loco: *Canis ortu diffuſior. nam ſolutis Alpium nivibus flagrantiâ Solis æſtivi, exuberat ultra gurgitis ripas, nullique gloriâ nobilium amnium cedens,* XXX *receptis fluminibus, Hadriaticum mare magnâ opimus granditate perfundit.* Et Polybius dicto lib. II: Ὁ δὲ Πάδος ποταμὸς ἔχει μὲν τὰς πηγὰς ἀπὸ τῶν Ἄλπεων, καταφέρεται δ' εἰς τὰ πεδία, ποιούμενος τὴν ῥύσιν ὡς ἐπὶ μεσημβρίαν. ἀφικόμενος δὲ εἰς τοὺς ἐπιπέδους τόπους, ἐκκλίνας τῷ ῥεύματι, πρὸς ἕω φέρεται δι' αὐτῶν· ποιεῖ δὲ τὴν ἐκβολὴν εἰς τοὺς κατὰ τὸν Ἀδρίαν μυχούς. τὸ δὲ πλεῖον ἀποτέμνεται μέρος τῆς πεδιάδος χώρας εἰς τὰς Ἄλπεις καὶ τὸν Ἀδριατικὸν μυχόν. ἄγει δὲ πλῆθος ὕδατος οὐδενὸς ἔλαττον τῶν κατὰ τὴν Ἰταλίαν ποταμῶν· διὰ τὸ τὰς ῥύσεις, τὰς ἐπὶ τὰ πεδία νευούσας, ἀπό τε τῶν Ἄλπεων καὶ Ἀπεννίνων ὀρῶν εἰς τοῦτον ἐμπίπτειν ἁπάσας καὶ πανταχόθεν. μεγίστῳ δὲ καὶ καλλίστῳ ῥεύματι φέρεται περὶ κυνὸς ἐπιτολὴν, αὐξόμενος ὑπὸ τοῦ πλήθους τῶν ἀνατηκομένων χιόνων ἐν τοῖς προειρημένοις ὄρεσιν. Hoc eſt: *Padus amnis oritur ex Alpibus; primoque ſtatim ortu ſubjectos petit campos, in meridiem converſus. ſed mox, planitiem ingreſſus, mutato in orientem curſu, per eam labitur, donec ſinum Hadriaticum ingrediatur. cæterùm univerſam planitiem ita dividit, ut maior longè pars ea ſit, quæ ad Alpeis & Hadriaticum ſinum porrigitur. Copiam fert aquarum tantam, uti nulli Italicorum amnium concedat. quidquid enim aquarum in dictos campos ex Alpibus & Apenninis montibus defluit, omne id undique in Padum illabitur. Fluit autem maximus pulcherrimusque ad Canis ortum, auctus liquatis nivibus in prædictis montibus.* De fluminibus lacubusque in Padum ſeſe exonerantibus poſteriùs agam: nunc primo loco de ipſius Padi curſu atque oſtiis dicendum. Quòd igitur Polybius ait à fontibus ſtatim eum fluere in meridiem, donec campos attingat; id ad ſuprà dictum præcipitium usque intelligendum eſt. hinc quidpe jam in ortum versùs fertur, ad confluentem usque amnis Veraitæ: inde in ſeptemtriones, ad minoris usque Duriæ confluentem: à quo in ortum æſtivum tendit, ad confluentemque maioris Duriæ. hinc in ortum æquinoctialem ut plurimum agitur. Planitiem autem Polybius intelligit eam, quæ Gallia Ciſalpina, &c, ab ipſo amne tracto cognomine, *Circumpadana* dicebatur. Huius equidem maiorem longè ſeu latiorem partem Padus habet à lævâ ripâ ad Alpeis versùs: verùm non ultra Brixellum opidum. namque hinc jam æquale agrorum ſpacium à dextrâ etiam habet ripâ versùs Apenninum, ad oſtia usque. Omnem meatum eius à fonte usque ad mare *trecentûm & duodenonaginta* tradit *millium paſſuum* Plinius, loco ſuprà ſcripto. quo equidem millium in numero haud aberraſſe à vero deprehendetur, ſi quis alveum ſemper ſequatur ad præcipuum eius oſtium, quod *Padum & Eridanum* propriè vocabatur; ut mox oſtendam.

De oſtiis igitur Padi ita tradit Polybius dicto lib. II: Ποιεῖ δὲ τὴν ἐκβολὴν δυσὶ στόμασιν εἰς τοὺς κατὰ τὸν Ἀδρίαν κόλπους. * · * · Ἀναπλεῖται δ' ἐκ θαλάττης κατὰ τὸ στόμα τὸ καλούμενον Ὄλανα σχεδὸν ἐπὶ δισχιλίους σταδίους. τὴν μὲν γὰρ πρώτην ἐκ τῶν πηγῶν ἔχει ῥύσιν ἁπλῆν, σχίζεται δ' εἰς δύο μέρη κατὰ τοὺς προσαγορευομένους Τριγαβόλους. τούτων δὲ τὸ μὲν ἕτερον στόμα προσονομάζεται Πάδοα, τὸ δ' ἕτερον Ὄλανα. κεῖται δ' ἐπὶ τούτῳ λιμὴν, οὐδενὸς τῶν κατὰ τὸν Ἀδρίαν ἥττω, παρεχόμενος ἀσφάλειαν τοῖς ἐν αὐτῷ καθορμιζομένοις. Hoc eſt: *Duobus oſtiis in ſinum Hadriaticum effunditur.* Mox: *Adſcendunt in eo naves è mari per oſtium*

PADI oſtia.

Olanen

Olanen ad millia paſſuum CCL. *nam ipſe amnis à fontibus quidem unico fertur alveo: ubi verò ad Trigabolos, quos vocant, pervênit, in duas ſcinditur parteis. oſtiorum alteri nomen Paduæ; alteri, Olanæ: ubi portus eſt nulli omnium, quos habet ſinus Hadriaticus, inferior, ad ſecuritatem adpellentibus præſtandam.* Duo igitur hæc præcipua eius fuêre & antiqua veraque oſtia: reliqua quinque, de quibus mox dicam, poſteriùs acceſſerunt. *Olanæ* vocabulum Plinius quoque retulit, dicto lib. III cap. XVI. *Proximum inde*, inquit, *oſtium Capraſiæ: dein Sagis: dein Volane; quod antè Olane vocabatur.* Alterum illud vocabulum Παδόα corruptum eſt à genuino Παδόσου, ſi Virgilio Plinio, Claudiano, ac Servio, & Vibio Sequeſtro, credimus. ſic quidpe canit Virgilius Aeneid. lib. XI:

Haud ſecus atque alto in luco quum fortè catervæ
Conſedêre avium; piſcoſove amne Paduſæ
Dant ſonitum rauci per ſtagna loquacia cygni.

Claudianus in epithalamio Paladii & Celerinæ:

Eridani ripas & raucæ ſtagna Paduſæ
Diffugiens nudavit olor.

Plinius loco proximè dicto, de Pado loquens: *Auguſtâ foſſâ Ravennam trahitur: ubi Paduſa vocatur, quondam Meſſanicus adpellatus.* Servius ad præſcriptum Virgilii locum: *Paduſa pars eſt Padi. nam Padus licèt unus ſit fluvius, habet tamen fluenta plurima; è quibus eſt Paduſa: quæ quibusdam locis facit paludem, quæ plena eſt cygnorum. Alii Padum tribus fontibus naſci dicunt; ex quibus ſumpſit vocabulum Paduſæ; qui diffuſus in modum ſtagni, in amnem digeritur. Alii partem fluminis Padi, in quam deſcenditur foſſâ. Valgius in Elegiis:*

Et, placidam foſſæ quà jungunt ora Paduſam,
Navigat Alpini flumina magna Padi.

Iſtud equidem parum ſanæ rationis in ſe habet; *Padus ex tribus fontibus naſcitur; ex quibus ſumpſit vocabulum Paduſæ; qui diffuſus in modum ſtagni, in amnem digeritur.* Eadem quum retulerit & Iſidorus dicto lib. XIII cap. XXI; ſanari iſte Servii locus inde poterat, niſi & ipſe Iſidorus vitiatus foret. Verba illic leguntur iſta: *Padus à jugis Alpium ſuſus, ex tribus fontibus oritur; ex quibus uni vocabulum eſt Padus: qui diffuſus in modum ſtagni, amnem ſinu dirigit; à quo & Padus eſt nuncupatus.* Credo, ſcriptum fuiſſe apud aliquem veterum auctorum, Padum ex tribus naſci fontibus, ex quibus uni vocabulum eſſet *Padus*: inferiori autem ſui parte in complura fluenta, ſive in complureis alveos dividi; ex quibus uni vocabulum eſſet *Paduſa*: qui, in modum ſtagni diffuſus, amnem in ſinum Hadriaticum ingenti ore egereret; unde & *Paduſa* eſſet nuncupatus. Hanc Padi deſcriptionem quum poſteà grammatici apud dictum auctorem legerent; fonteis amnis cum oſtiis non minùs ridiculè quàm imperitè confuderunt. poſteà horum etiam exſcriptores orationem eorum depravarunt; ita, uti, quid illi ſibi voluerint, nemo hodie facilè divinaverit. [illegible] quod pro illis, *ex quibus ſumpſit vocabulum Paduſæ*, omninò ex Iſidoro reſtituendum [illegible] eſt, *ex quibus uni eſt vocabulum Paduſa*. Cæterùm anſam vitandi hoc vocabulum [illegible] apud Polybium in Παδόα præbuit eadem hæc vox eodem libro poſteà perſcripta, in his verbis: [illegible] id eſt: [illegible] *Padus in Padum amnem* [illegible] Verùm hoc loco legendum eſſe, [illegible] id eſt, [illegible] ſuprà cap. XXVII docui. De cætero non [illegible] ſed & ipſos [illegible] apud *Trigabolos* locum [illegible] alveos, [illegible] *Paduſam*, illum *Padoam*, patet ex Virgilii ſimul Pliniique verbis. [illegible] parte Padum Ravennam [illegible] ait, *ubi Paduſa vocabatur, & quondam* [illegible] ille autem diſtinctè *Paduſam* adpellat *amnem piſcoſum*. his adde Vibium Sequeſtrum; qui in Catalogo paludum, *Paduſa*, inquit, *Galliæ palus, à Pado dicta* [illegible] Nempe, quia hic alveus in [illegible] palude ſive ſtagni [illegible] ſuprà ſcriptis Servium. Quam autem hic intelligat Polybium [illegible] quando *Padoa* nomen [illegible] Ferrariam Padus in duos ſcinditur alveos; quorum ſiniſter etiam nunc vocatur [illegible] vulgò *Il Po di Volana*: & oſtium eius, *Il Porto di Volana*: dexter autem, [illegible] *Il Po d' Argenta*, id eſt, *Padus Argentanus*; oſtium [illegible] *Il Porto Primaro*: quo alveum priſcis [illegible] *Paduſa*. Sed de [illegible]

Padi

Padi oſtiorum numero ita Melam lib. II cap. IIII loquentem jam anteà audivimus: *Padus ab imis radicibus Veſuli montis exortus, parvis ſe primùm fontibus colligit; & aliquatenus exilis ac macer, mox aliis amnibus adeò augeſcit atque alitur, ut ſe per VII ad poſtremum oſtia effundat.* In eamdem mentem & Herodianus lib. VIII, Ὁ δὲ Μάξιμος, inquit, ἀπὸ τῆς Ῥαβέννης ἄρας, ἐπέστη Ἀκυληΐᾳ, διαβὰς τὰ τενάγη, ἃ ὑπό τε Ἠριδανοῦ ποταμοῦ πληρούμενα καὶ τῶν περικειμένων ἑλῶν, ἑπτὰ στόμασιν ἐς θάλατταν ἐκχεῖται· ἔνθεν καὶ τῇ φωνῇ ἑαυτῶν καλοῦσιν οἱ ἐπιχώριοι Ἑπτὰ πελάγη τὴν λίμνην ἐκείνην. Id eſt: *Maximus, Ravennâ profectus, Aquileiam pervenit; tranſmiſſis vadis, in quæ Eridanus amnis ſimulque circumjecta exundant ſtagna; ita, uti per ora ſeptem in mare effundantur. unde etiam incolæ ſuâ linguâ lacum illum Septem maria adpellant.* Et Plinius, dicto lib. III cap. XVI: *Nec alius amnium tam brevi ſpatio majoris incrementi eſt. urgetur quidpe aquarum mole, & in profundum agitur, gravis terræ: quamquàm diductus in flumina & foſſas inter Ravennam Altinumque per CXX millia paſſuum; tamen, quia largius vomit, Septem maria dictus facere.* Item Antoninus in itinerario: *Ab Arimino recto itinere Ravennam millia paſſuum* XXXIII. *inde navigantur Septem maria, Altinum uſque.* Atque hinc tandem natus eſt antiquus inter primos Græcorum poetæ Apollonio error, quo *Eridanum* ἑπτὰ διὰ στομάτων καὶ λίμνας δυσχειμέρων, id eſt, *ſeptem per oſtia & ſtagna procelloſa* in mare effluere tradit Ἀργοναυτικῶν lib. IIII: quia hoc de Eridano, id eſt, de Pado acceperat; quem ille, unà cum Aeſchylo, unum eumdemque cum Rhodano amnem eſſe credidit, in tria capita atque oſtia ſciſſum; quorum unum in Hadriaticum, alterum in Sardoum, tertium in Oceanum ſeu Septemtrionale deduxit mare, ut ſuperiori capite oſtenſum eſt. Rhodanum non tantùm VI, ſed & V habere oſtia, negat curatiſſimo examine Strabo lib. IIII.

At univerſo Padi oſtiorum numero oſtenſo, ſingula nunc quoque indicentur, ut à Plinio dicto loco enumerantur. Verba ejus hæc ſunt: *Vergitur aquarum mole, & in profundum agitur, gravis terræ; quamquam diductus in flumina & foſſas inter Ravennam Altinumque, tamen quia largius vomit, ſeptem maria dictus facere. Auguſtâ foſſa Ravennam trahitur, ubi Paduſa vocatur, quondam Meſſanicus adpellatus. Proximum inde oſtium magnitudinem portus habet, qui Vatreni dicitur: quo Claudius Cæſar, è Britanniâ triumphans, prægrandi illâ domo verius, quàm nave, intravit Hadriam. hoc ante Eridanum oſtium dictum eſt: alii Spineticum, ab urbe Spinâ, quæ fuit juxtà. auget ibi Padum Vatrenus amnis ex Forocornelienſi agro. Proximum inde oſtium Capraſiæ. dein Sagis. dein Volane; quod antè Olane vocabatur. Omnia ea flumina foſſaſque primi à Sagi fecere Thuſci; egeſto amnis impetu per tranſverſum in Atrianorum paludes, quæ Septem maria adpellantur; nobili portu oppidi Thuſcorum Atriæ, à quo Atriaticum mare antè adpellabatur, quod nunc Hadriaticum. Inde oſtia plena, Carbonaria ac Foſſiones Philiſtinæ; quod alii Tartarum vocant: omnia ex Philiſtinæ foſſæ abundatione naſcentia; accedentibus Atheſi ex Tridentinis Alpibus & Togiſono ex Patavinorum agris. Pars eorum & proximum portum facit Brundulum; ſicut Edronem Meduaci duo ac foſſa Clodia. His ſe Padus miſcet ac per has effundit; plerique, ut in Ægypto Nilus, quod vocant Delta, triquetram figuram inter Alpes atque oram maris facere proditus, ſtadiorum duum millium circuitu.* Hæc quidem vulgata exemplaria, tam manu ſcripta, quàm typis edita. [illegible]

[illegible] Tabula [illegible]

Ravenna	
[illegible]	VI.
Auguſta	VI.
[illegible] ad Padum	XII.
[illegible]	[illegible]
[illegible]	
[illegible]	VI.

[illegible]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

VII Maria	VI.
Foſſis	VI.
Ebrone	XVIII.
Mino meduaco	VI.
Maio meduaco	VI.
Ad portum	III.
Altino	XVI.

In Tabulâ verò vocem hanc *Auguſta* eſſe incorruptam, cùm vocabulum vici, qui hodièque in Comaclenſibus ſtagnis vocatur vulgò *Aoſta*, tùm Iornandes diſertiſſimis teſtatur verbis, in rebus Goticis ita de Ravennâ urbe loquens: *Habet ab oriente mare, ab occidente paludes; per quas uno anguſtiſſimo introitu, ut porta relicta eſt. à ſeptemtrionali quoque plagâ ramus illi ex Pado eſt, qui Foſſa vocatur Aſconis. à meridie idem ipſe Padus, cognomento Eridanus, ab Auguſto imperatore altiſſimâ foſſâ demiſſus, qui ſeptimâ ſui alvei parte mediam influit civitatem, ad oſtia ſua amœniſſimum portum præbens, claſſem* CCL *navium, Dione referente, tutiſſimâ dudum credebatur recipere ſtatione. qui nunc, ut Fabius ait, quòd aliquando portus fuerat, ſpatioſiſſimos hortos oſtendit, arboribus plenos: verùm de quibus non pendeant vela, ſed poma. trino ſiquidem urbs ipſa vocabulo gloriatur, trigeminâque poſitione exſultat: id eſt, prima, Ravenna; ultima, Claſſis; media, Cæſarea, inter urbem & mare, plena mollitie arenâque munita, vectationibus apta.* Omnino legendum heic ego cenſeo; *ab occidente paludes; per quas unus anguſtiſſimus introitus, ut porta, relictus eſt.* & iterum: *à meridie idem ipſe Padus, cognomento Eridanus, ab Auguſto imperatore altiſſimâ foſſâ demiſſus, ſeptimâ ſui alvei parte mediam influit civitatem; qui, ad oſtia ſua amœniſſimum portum præbens*; & reliqua, ut ſequuntur. Patet igitur ex his Iornandis verbis ſimulque ex Tabulâ itinerariâ & hodierno vici vocabulo, apud Plinium quoque legendum eſſe *Auguſtâ foſſâ Ravennam trahitur.* Quamquàm iſta apud Iornandem mirifica ſit & perquàm abſurda Auguſtæ foſſæ deſcriptio: quidpe quæ ab meridie Ravennæ introducat Padum; inde verò neſcio quod aut ubi oſtium eius ſtatuat cum portu claſſis Romanæ. etenim oſtendi mihi velim, à qua Padi parte & quanto circuitu ea foſſa ita circumducta fuerit, uti, paludes illas, quæ erant urbi ab occidentali regione, anguſtumque per eas in urbem introitum circumgreſſa, tandem ab meridie ipſam urbem intraverit. Infra Vatreni amnis, qui nunc vulgò dicitur *Santerno*, confluentem diducta fuerit oportet; quando hunc amnem *augere Padum* ipſum, nomenque uni ex VII eius oſtiis dediſſe, quo *Portus Vatreni* dicebatur, adfirmat Plinius. At infra Saternum etiam alii ſatis magni occurrebant amnes, *Sennus, Animo*, & *Vtis*; qui vulgò hodiè adpellantur *Seno, Amone, Montone*: quos omneis transverſâ iſtâ foſſâ ſectos fuiſſe, minimè credibile eſt; quum nullus eius rei adpareat uſus. Quin jam non VII, ſed VIII fuerint ex iſthac Iornandis deſcriptione Padi alvei, ſive, ut ipſe vocat, *rami*; quorum nomina, Auguſta foſſa, Foſſa Aſconis, Eridanus, ſive Spineticus; Capraſiæ, Sagis, Volane, Carbonaria, & Foſſiones Philiſtinæ. Verùm, *à meridie*, inquit Iornandes, *idem ipſe Padus ab Auguſto imperatore altiſſimâ foſſâ demiſſus, ſeptimâ ſui alvei parte mediam influit civitatem; qui ad oſtia ſua amœniſſimum portum præbens, claſſem* CCL *navium tutiſſimâ dudum credebatur recipere ſtatione*. En, quid hoc monſtri? Padus, ſeptimo ſuo alveo à meridie mediam influit Ravennam; & inde ad oſtium ſuum habet portum, in quo claſſis Romana ſtationem agebat. Atqui ab hac claſſis ſtatione ipſe portus nomen traxit *Claſſis*; quod hodièque retinet idem locus cum cathedrali templo ſummæ etiamnum celebritatis, III millia paſſuum in ipſum meridiem ab Ravennâ diſſitus. Quòd ſi ergo ſeptima iſta amnis pars ſeu ſeptimus alveus à Ravennâ in meridiem fluxit ad oſtium ſuum; quomodò, quæſo, à meridie urbem mediam influere dici potuit? Nugæ ſunt barbari & omnis abſtruſioris antiquitatis ignari ſæculi. Quum VII fuerint omni numero Padi alvei; primum ex his Plinius nominat eum, qui Ravennam ingrediebatur. Is nullus alius eſſe potuit, quàm qui ASCONIS FOSSA vocatur Iornandi, *à ſeptemtrionali plagâ ex Pado Ravennam influens*. cuius tenue veſtigium hodièque inter Padum & Ravennam, ſpatio XII millium paſſuum, vulgò dicitur *Il Canal di Santo Alberto*; quia initium eius eſt apud S. Alberti vicum Padi Animoniſque confluentibus adpoſitum: & alio nomine *Il Canal*

del

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

del Navilio, id eſt, *Foſſa navicularis*; quia jam olim hac navigare ſolebant iter facientes à Ravennâ Altinum versùs; ut teſtis loco ſuprà ſcripto Antoninus. Claſſem autem apud Ravennam locaſſe prædicto loco Auguſtum imperatorem, complures tradunt auctores, quorum verba poſteà in Vmbris ad huius urbis deſcriptionem producemus. Ea claſſis quò commodiorem opportunioremque haberet ſtationem; Padanæ aquæ prædicta pars ex Aſconis foſsâ in portum eius effuſæ ſunt per novam foſſam, juſſu Auguſti ab urbe ad IIII millia paſſuum actam; quæ tum ab auctoris nomine FOSSA AVGVSTA dicta eſt; hodiè verò, veterem adhuc referens memoriam, vulgò vocatur *Fiume vecchio*, id eſt, *Flumen vetus*: ad cuius caput locus prope urbem & Bedeſem amnem etiam nunc adpellatur vulgò *Il Porto*. Ab hac foſſa poſtmodùm *Aſconis* quoque *foſſa* idem cognomentum *Auguſtæ foſſæ* attraxit; ut patet ex Plinii præſcriptis verbis. Sed & ultra Padi Animoniſque confluenteis & vicum S. Alberti tranſiſſe idem nomen in contiguam hinc foſſam, quà porrò navigabant Altinum versùs, apertiſſimo indicio eſt ſuprà dictus vicus, cui in hanc usque diem nomen inde vulgare manſit *Agoſta*, foſſæ adpoſito: apud quam alius item eſt vicus, duo millia ultra Auguſtam, vulgari vocabulo *Foſſe*. Nec ego equidem dubito, quin hæc quoque foſſa navigatoria inter ſuprà dictos Padi præcipuos alveos, Paduſam ſcilicet & Volanam, à Padi Animoniſque confluentibus ad divergium usque, quod mox indicabo, Sagis ac Volanæ, eiusdem Auguſti Cæſaris juſſu perducta ſit; opidumque juxtà poſitum communi ipſius foſſæ nomine. uſitatum quidpe Romanis fuiſſe, eiusmodi foſſionibus opida ſimul adponere, pluribus exemplis patet. ſic ſcilicet ad *Foſſam* ſive *Foſſas Druſianas*, Tacito Annal. lib. II ac Svetonio in Claudio memoratas, quæ à Rheno in Iſalam flumen ductæ erant, opidum eodem nomine ſimul conditum eſt, quod Germani aliquamdiu *Druſiburgium*, mox verò *Duſiburgium* vocarunt; ut Germaniæ lib. III cap. XVII docui. ſic item in Galliâ apud Rhodanum amnem opidum memoratur Tabulæ itinerariæ *Foſſæ Marianæ*; quod hodiéque eodem ſitu incolis dicitur *Fos*, ad veſtigia foſſarum à C. Mario bello Cimbrico, ut auctor eſt Strabo lib. IIII, ductarum. ſic eadem Tabula unà cum Ptolemæo Etruriæ habet opidum *Foſſas Papirianas*. ſic eadem item Tabula in ſuprà ſcripto itinere locum inter Edronem portum & Hadrianum refert, cui nomen *Foſſis*; haud dubiè ad *Foſſas Philiſtinas* opidum ſeu vicum. ſic denique ad *Foſſam Clodiam* opidum poſitum fuit, quod in hanc usque diem nomen inde vulgare retinet *Chioggia*; ut ſuprà cap. XVIII in Venetis docui; antiquis inſcriptionibus hodiéque refertum. In ſuprà ſcripto Tabulæ itinere multa locorum nomina multosque intervallorum numeros librariorum incuriâ imperitiâque eſſe vitiatos, eodem cap. XVIII monui. hinc inter Ravennam etiam & Auguſtam XII haud ampliùs leguntur millia; quum re verâ, ut antè dixi, à Ravennâ ad Padum & S. Alberti vicum tot ſint: inde verò ad Auguſtam X; atque hinc tandem ad divergium Padi Sagiſque alia XII. Quapropter facilè ſuſpicer, ſcriptum fuiſſe in archetypo Tabulæ hoc modo:

Ravenna	
Butrio	VI.
Ad Padum	VI.
Auguſta	X.
Sacis	XII.

At verò ne temerè ſuſpiceris Aſconis quoque inter Padum & Ravennam foſſam ab Auguſto fuiſſe deductam, quia eo nomine Plinii tempore vocitata fuit; Aſconis autem cognomen poſtmodum adeptam; jam anteà oſtendi, Apollonium jam inde poëtam, qui Auguſto imperatore ducentis ampliùs annis fuit prior, VII accepiſſe Padi oſtia & alveos. unde etiam Plinius, loco proximè ſcripto, poſtquàm quinque ex iis enarravit, *Auguſtam* ſcilicet *foſſam*, *Eridanum*, *Capraſias*, *Sagin*, *& Volanen*; *Omnia*, inquit, *ea flumina foſſasque primi fecêre Thuſci*, *egeſto amnis impetu per transverſum in Hatrianorum paludes*, *quæ Septem maria adpellantur*. At Thuſci ex his oris jam inde IↃC circiter annis ante Chriſtum natum à Gallis ejecti fuerunt, Tarquinio Priſco Romæ regnante, aut paullo pòſt. Oſtium igitur tunc ſeptimus hic Padi alveus ſive Aſconis foſſa habuit idem, quod Vtentem & Bedeſem amneis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

(vulgò nunc ſunt *Montone* & *Ronco*) apud Ravennam in mare effundebat: qui nunc *Ravennatium* dicitur *portus*, vulgò *Porto di Ravenna*.

ERIDANVM *Padi oſtium; quod & MESSANICVM, &* SPINETICVM, *ac* PADVSA, *&* *item* VATRENI portus.

De cætero eumdem alveum quondam etiam *Meſſanicum* fuiſſe dictum, quidam ex hiſce Plinii judicarunt verbis: *Auguſtâ foſſâ Ravennam trahitur, ubi Paduſa vocatur, quondam Meſſanicus adpellatus*. Vnde ita legitur apud Blondum: *Eſt is S. Alberti locus, unde per foſſam Paduſæ Meſſanicum* XII *milliaria Ravennam itur*. Blondum poſteà ſequuti ſunt plerique alii. At ſi hic alveus *Meſſanicus Padus* fuit dictus, ſive *Meſſanica foſſa*; certè idem alveus & *Paduſa* adpellandus erit ex iisdem Plinii verbis. quod tamen minimè ſic intellexit ipſe Blondus: falſumque eſſe ex ſuprà citatis Polybii Valgiique ac Virgilii patet locis. quorum hic *piſcoſum* vocat *amnem Paduſam*; in cuius *ſtagnis* quamplurimi fuerint cygni. ad quem locum Servius commentans, *Alii*, inquit, *dicunt Paduſam eſſe partem fluminis Padi, in quam deſcenditur foſſâ. Valgius in Elegiis:*

Et, placidam foſſæ quà jungunt ora Paduſam,
Navigat Alpini flumina magna Padi.

Heic ſanè apertiſſimè diſtingvitur inter ipſam *Paduſam* & *foſſam*; quæ nulla alia erat, quàm quæ *Aſconis* dicebatur *foſſa*, & item *Auguſta*: per quam à Ravennâ navigabatur in *Paduſam*: quam ideò *placidam* adpellavit Valgius, & item *magnum flumen*, quia latè ſtagnabat. Huc jam adde omnium diſertiſſimum graviſſimumque teſtimonium Polybii; qui, loco ſuprà ſcripto, apud Trigabolos, id eſt, apud Ferrariam, ait amnem in duo ſcindi capita, quorum alterum *Olana*, alterum *Paduſa*, vocentur. Plinius igitur hoc voluit: nempe Padum eâ parte, *ubi* PADVSA *vocetur*, & *quomdam* MESSANICVS *adpellatus* ſit PADVS, *Auguſtâ foſſâ Ravennam trahi*. Pergit inde continuò Plinius in hæc verba: *Proximum inde oſtium magnitudinem portus habet, qui Vatreni dicitur: quo Claudius Cæſar, è Britanniâ triumphans, prægrandi illâ domo veriùs, quàm nave, intravit Hadriam. hoc antè Eridanum oſtium dictum eſt: aliis Spineticum, ab urbe Spinâ, quæ fuit juxtà. auget ibi Padum Vatrenus amnis ex Forocornelienſi agro. Proximum inde oſtium Capraſiæ. dein Sagis. dein Volane: quod ante Olane vocabatur*. De iis, qui Spinam urbem apud Padum condiderunt, ita tradit Dionyſius Halicarnaſſenſis Antiquitat. Rom. lib. I: Καὶ πρὸς ἑνὶ τῶν τοῦ Πάδου στομάτων ὁρμισάμενοι Σπινῆτι καλουμένῳ, ναῦς αὐτοῦ ταύτῃ καταλείπουσιν. Id eſt: *Atque ad unum è Padi oſtiis Spineti adpellentes, ibi naveis reliquerunt*. At non oſtium tantummodò, verùm & omnis amnis, qui à ſciſſione Padi apud Trigabolos ad mare usque alio nomine vocabatur *Paduſa* & *Meſſanicus Padus*, dictus fuit SPINETICVS PADVS, & SPINES *fluvius*. ſic quippe eodem libro poſteà Dionyſius: Ἐπὶ Σπινῆτι ποταμῷ ἐν τῷ Ἰονίῳ κόλπῳ τὰς νῆας καταλιπόντες, Κρότωνα πόλιν ἐν μεσογείῳ εἷλον. Id eſt: *Relictis ad Spinetem amnem in Ionio ſinu navibus, Crotonem ceperunt urbem mediterraneam*. Et Stephani epitomator: Σπῖνα, πόλις Ἰταλίας· ὡς Εὔδοξος καὶ Ἀρτεμίδωρος. ἔστι δὲ καὶ ποταμὸς Σπῖνος καλούμενος. Hoc eſt: *Spina, urbs Italiæ; auctoribus Eudoxo atque Artemidoro. Eſt & amnis nomine Spinus*. Sic equidem vulgata habent exemplaria. at ego ſcriptum fuiſſe puto ab Stephano, ut eſt apud Dionyſium, ποταμὸς Σπινῆς καλούμενος· id eſt, *amnis nomine Spines*. Cæterùm Mela lib. II cap. IIII, *Per* VII, inquit, *ad poſtremum oſtia ſe effundit. unum de iis magnum Padum adpellant*. Heic equidem in dubio relinquitur, volueritne Mela, *unum* de Padi oſtiis adpellatum fuiſſe MAGNVM PADVM; an verò unum, quod fuit *magnum*, & omnium maximum, dictum fuiſſe PADVM. eumdem certè intellexit amnem, qui *placida* PADVSA & *magnum Padi flumen* adpellatur Valgio poëtæ: quique ſimpliciter PADVS dicitur Tabulæ itinerariæ in ſuprà ſcripto itinere: item qui ERIDANVS *antè dictus eſt*, teſte Plinio; ſcilicet Græcis adcolentibus Spinenſibus, qui falſum hoc nomen ſibi uſurparunt in Pado; ut ſuperiori capite oſtenſum eſt. Hinc igitur patet, omnium huius amnis alveorum oſtiorumque hoc fuiſſe præcipuum, primum, atque genuinum: reliqua poſteà temporis acceſſiſſe. Atque hinc Plinius *Spinam* urbem in Transpadanâ regione refert lib. III cap. XVII. hinc item Ptolemæus, in deſcriptione huius oræ, unum refert Padi oſtium; quod ex intervallo XLV millium, quæ inde habet ad Atrianum amnem, qui eſt Tartarus, hoc ipſum *Spineticum* ſive *Eridanum* oſtium eſſe deprehenditur. Atque ex tot auctorum teſtimoniis quum jam ſatis conſtet, hunc fuiſſe genuinum omniumque tunc maximum Padi alveum; miror ego, cur

Polybius

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Polybius prædicto loco *Volanæ* potiùs eam gloriam tribuerit: utique, quum Plinius diſertè oſtium illius *magnitudinem portus habere* teſtetur, *quo Claudius Cæſar prægrandi domo veriùs quàm navi intravit Hadriam*. Is portus nunc vulgò adcolis dicitur *Porto di Primaro*. quod & ipſum vocabulum forſitan priſcæ dignitatis memoriam referat; licèt ipſe alveus tenuis modicusque redditus ſit, poſtquàm maxima vis aquarum ad primam amnis ſciſſionem, quæ eſt ſupra Ferrariam inter duos vicos *Figarolam* & *Stellatam*, in Foſſiones Philiſtinas divertit: qui nunc *Magnus Padus* vocatur, vulgò *Il Po Grande*. Cæterùm Plinius ſuæ ætatis magni Padi os, quod nunc vocant *Portum Primarium*, dictum fuiſſe tradit PORTVM VATRENI. *Proximum inde oſtium*, inquit, *magnitudinem portus habet, qui Vatreni dicitur*. Additque ſtatim rationem huius adpellationis: *Auget ibi Padum Vatrenus amnis ex Forocornelienſi agro*. Augebant equidem Paduſam alii quoque amnes ex Apenninis montibus profluentes; Sabina, Idex, Galliana, Silarus, Sennus, Animo: ſed maximus inter eos erat VATRENVS, ex agro defluens Forocornelienſi: quod opidum nunc vulgò dicitur *Imola*; ut ſuprà cap. XXVIII in Boiis Gallis oſtenſum. Is amnis quum jam inde in antiquâ Tabulâ itinerariâ ſit SATERNVS; & hodiéque vulgò dicatur adcolis *Santerno*; vehementer equidem ſuſpicabar, corruptum eius eſſe nomen iſto loco apud Plinium; niſi eodem modo apud Martialem quoque reperiſſem lib. III epigram. LXVI; quod legitur huiusmodi in vulgatis exemplaribus:

Ceſſatis pueri; nihilque noſtis,
Vatreno reſinâque pigriores;
Quorum per vada tarda navigantes,
Lentos tingitis ad celeuſma remos.
Iam prono Phaëthonte ſudat Aethon,
Exarſitque dies, & hora laſſos
Interjungit equos meridiana.
At vos tam placidas vagi per undas
Tutæ luditis otium carinæ.
Non nautas puto vos, ſed Argonautas.

In his verbis vocabula iſta, *Vatreno* & *reſina*, variè in variis leguntur exemplaribus; illud, *Vatro, Votrina, Vaterno*: hoc, *Raſina, Ratina, Retina*. ubi quidam etiam commentatores ſive interpretes corrigere voluerunt, hoc in *remora*, illud in *veterno*: alii utrumque in *Veientone aſinâque*: alii in *Reſinâ Venetoque*: alii *Aternoque Sapique*: & noviſſimè quidam *Aternoque Vitique*: vel, ſi hoc minùs placeret, *Vatreno Teſinâque*: vel denique *Vatreno Retenoque*. Sed veterno omnino mihi laboraſſe videntur, qui ſcribendum heic cenſuerunt, *veterno reſinâque pigriores*: item illi, qui *Veientone aſinâque*. quidpe amneis duos intellexiſſe poëtam, apertè clamant verſiculi ſequentes iſti:

Quorum per vada tarda navigantes
Lentos tingitis ad celeuſma remos.

* * *

At vos tam placidas vagi per undas
Tutæ luditis otium carinæ.

Quin in voce *reſina*, media ſyllaba eſt longa. Iuvenalis Satyrâ VIII:

Deſpicias merito. quid reſinata juventus,
Cruraque totius facient tibi lævia gentis?

Ipſe Martialis eodem libro paullò pòſt, epigram. LXXIII:

Quid faciem tingis? nam certè non potes illos
Reſinâ, Veneto nec reſecare luto.

Et item epigram. LXXVI:

Reſinata bibis vina: Falerna fugis.

Atque ex iſto quidem epigrammate LXXIII ille ſuum ſomniavit *Reſina Venetoque pigriores*. *Viteis* & *Sapis* amnes ſunt circa Ravennam; quorum ille *Montone*, ut antè dixi, hic *Savio* vulgò nunc vocatur. ultra Picenum verò *Aternus* vulgò nunc adpellatur *Peſcára*, unà cum opido ori eius adpoſito. *Teſina* agri eſt Vicentini, in Meduacum minorem infra Vicentiam confluens. Horum omnium planè ignaros ſeſe produnt, quotquot conjectant, hos vel illos ex iis ſcripſiſſe Martialem. quidpe nullus eorum eſt *piger, tardusve*, aut *lentus*: ſed cuncti ſunt veloces. Et quomodò, quæſo,

quæſo, ſive *Aternum* cum *Sapi*, ſive *Vtentem* cum *Aterno*, ſive *Vatrenum* cum *Te-ſinâ*, amneis longè inter ſe diſtanteis, poëta conjunxiſſe potuit, quum, de flumini-bus uno eodemque die ſibi navigatis ſe loqui, apertè indicet verbis præſentis tem-poris *figitis* & *luditis*: tum maximè, quòd ait, *jam exarſiſſe diem, & horam meridia-nam interjunxiſſe laſſos equos*. Hæc non animadvertiſſe iſtos poëtæ commentatores, equidem ego miror. *Eretenus* fluvius, Aeliano memoratus, ſive, ut Fortunatus eum nominat, *Retenus*, inferiore equidem ſui parte per paludes, ut ſuprà cap. XVIII in Venetis retulimus, lentus trahitur. at hic etiam longiùs ab Vatreno abeſt, quàm uti utrumque uno die pernavigare queas. Verùm de *Vatreno* heíc poëtam loqui, minimè ſit veri ſimile prædictis commentatoribus: ſcililicet, quòd diſertè Plinius prodat, *Padi* quoddam *oſtium magnitudinem portus habere, qui Vatreni dicitur, quo Cæſar Claudius prægrandi navi Hadriam intraverit*. proinde aliud quiddam heíc in-veſtigandum eſſe exiſtimant in locum *Vaterni* aut *Vatreni*. nec illa conjectatio ſa-tis ipſis placet, *Vatreno Eridanoque pigriores*: quòd Vatrenus Plinianus non modi-cus fuit amnis; nec Eridanus fluit tam lentè & tardè. Sanè *Saternus* amnis apud Imolam equidem & ſuperiore ſui parte aliquanto concitatior fertur: at infra id opidum, ubi jam paludibus ac Pado adpropinquat, lentiſſimus fluit: quia heíc ma-gis in profundum infra ſeſe agitur. Hunc autem Padi alveum, quem Vatrenus au-get, an non, *Eridanum* propriè vocitatum fuiſſe, diſertè adfirmat Plinius? &, quum idem adpellatus ſit *Paduſa*; an non, hunc in *ſtagna* ſeſe diffudiſſe, cum Vir-gilio teſtantur Claudianus atque Servius; *placidam*que inde vocat *Paduſam* Val-gius? quod ipſum diſertiſſimè expreſſit ac graphicè Martialis his verbis:

At vos tam placidas vagi per undas
Tutæ luditis otium carinæ.

Vagos dixit; quia hinc inde per Vatreni Paduſæque *placidas paludes* ſive *placida ſta-gna* ferebantur ludibundi. Omnino itaque legendum exiſtimo, *Vatreno Eridano-que pigriores*. Et, quamquàm altera illa vox *Vaterno* propiùs accedat ad Tabulæ itinerariæ vocabulum *Saternum*, hodiernumque nomen *Santerno*; tamen nihil te-merè heic immutandum cenſeo; quando præſcriptæ illæ voces *Votro* & *Votrina*, diſerta *Vatreni* veſtigia referunt. Egiſſe autem circa hæc Galliæ Togatæ loca Mar-tialem, librumque hunc tertium inibi confeciſſe, ipſe teſtatur carmine mox primo, quod præfationis loco compoſuit ad lectorem huiusmodi:

Hoc tibi, quidquid id eſt, longinquis mittit ab oris
Gallia Romanæ nomine dicta togæ.
Hunc legis; & laudas librum fortaſſe priorem.
Illa, vel hæc, mea ſunt, quæ meliora putas.
Plus ſanè placeat, dominâ qui natus in Vrbe eſt.
Debet enim Gallum vincere verna liber.

Epigrammate verò IIII locum quoque ſive opidum edit, in quo per id temporis hæſerit, his verbis:

Romam vade liber. ſi, veneris unde, requiret;
Aemiliæ, dices, de regione viæ.
Si, quibus in terris, qua ſimus in urbe, rogabit;
Corneli referas me, licet, eſſe Foro.

Et excurriſſe nonnumquàm in vicinam urbem Ravennam, patet ex epigram. LVI; quod tale eſt:

Callidus impoſuit nuper mihi caupo Ravennæ.
Quum peterem mixtum, vendidit ille merum.

Solitus igitur eſt navigio eò proficiſci per Vatrenum amnem Paduſamque & Au-guſtam foſſam. quod iter in ſuprà ſcripto epigrammate LXVI innuit. Sed hacte-nus *Vatreni portus* nomen Paduſæ oſtio adſeruiſſe ſufficiat. ad reliqua nunc Padi ora transgrediamur.

SAGIS & CAPRASIAE, Padi oſtia.

Pergit ita Plinius: *Proximum inde oſtium Capraſiæ. dein Sagis. dein Volane: quod antè Olane vocabatur*. OLANAE ſive VOLANAE flumen & oſtium jam anteà in-dicata ſunt. Inter hæc igitur & Paduſam, ſive Spinetem, fuêre duo illa alia oſtia, CAPRASIAE & SAGIS. quorum hoc in Tabulâ itinerariâ eſt SACIS: utrum rectè ſic, variante dumtaxat dialecto; an mendoſè, ut innumera alia in eâdem Tabulâ;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

haud temerè dixerim. Quum autem in præſcriptis Plinii verbis nominativi caſus ſint voces *Velane* atque *Olane*; idque in cunctis exemplaribus; miror ego, qua ratione, vocem *Capraſiæ* genitivi caſus eſſe numeri ſingularis, omnes hactenus crediderunt, quotquot eam memorarunt. Opidum fuiſſe quomdam in Bruttiis eodem vocabulo pluralis numeri, Antonini teſtatur itinerarium. quod tamen vocabulum ſingulari numero refert Tabula. Iter illic deſcribitur huiusmodi:

Antonino;		Antonino;		Tabulæ;	
Nerulo		*Nerulo*		*Nerulos*	
Summurano	XVI.	*Summurano*	XVI.	*Interamnio*	XXVIII.
Capraſis	XXI.	*Capraſis*	XXI.	*Capraſia*	VIII.
|		|		*Crater fl.*	XXVI.
Conſentia	XXVIII.	*Conſentia*	XXVIII.	*Conſentia*	XVIII.

Heic equidem apud Antoninum noſtri ævi grammatici homines opidum adpellatum fuiſſe arbitrantur *Capraſas*. ſed more illius ſæculi, cuius rei exempla innumera exſtant vel in unis hisce duobus itinerariis, ſcriptum fuiſſe *Caprasîs*, pro *Capraſiis*, Tabulæ ſcriptio docet. Cæterùm iſta quoque duo vocabula, *Capraſiæ* & *Sagis*, non tantùm oſtiorum, ſed & alveorum fuiſſe, maximè credibile eſt. Sed horum inveſtigatio paullo obſcurior eſt; quum facies horum locorum vehementer hodiè immutata ſit; ſtagnis Comaclenſibus pleraque occupantibus. Oſtia tamen duo etiam nunc in hoc litore exſtant: quorum alterum minus, prope Paduſæ oſtium, vulgò vocatur *Bocca di Bell' occhio:* alterum maius, medio ſitu inter Paduſam & Volanam, dicitur *Porto Magno*, & *Porto di Magnavacca*, à diverſorio publico juxtà ſito, nomine *Magnavacca*. Hoc oſtium noſtri ſæculi geographi interpretantur Plinii *Capraſias:* ſed nullâ datâ ratione. Ego verò ex ſitus argùmento SAGIN eſſe arbitror. confirmatque hanc opinionem meam Tabula itineraria: in qua equidem iter perſcriptum eſt, ut antè retuli, huiusmodi:

Ravenna	
Butrio	VI.
Auguſta	VI.
Sacis. ad Padum	XII.
Neroma	IIII.
Corniculani	....
Radriani	VI.

Verùm corruptum id eſſe iter, jam anteà oſtendi; reſtituendamque priorem eius partem in hunc modum:

Ravenna	
Butrio	VI.
Ad Padum	VI.
Auguſta	X.
Sacis	XII.

Vocabulum autem *Radriani* emendandum eſſe in *Hadriani*, ſuprà cap. XVIII in Venetis docui. eſt quidpe opidum id, quod hodiéque ad magnum nunc Padum vulgò dicitur *Ariano*, X millia paſſuum ab urbe Hadriâ diſſitum. Iter igitur iſtud Tabulæ ab Ravennâ per Auguſtam foſſam tendebat ad divergium Sagis à Volanâ; quod erat apud vicum, cui vulgare vocabulum *Marozzo*, XII juſta millia ab vico Auguſtâ diſtantem. ubi hodiéque exſtat foſſa, à Volanâ in Comaclenſia ſtagna verſùs foſſam Magnavaccæ protenſa. Foſſam autem Magnavaccæ adpello eam, quæ opido Comaclo in ſpeciem ſemicirculi obducitur; ab occidente trium, ab meridie quinque ferè millium intervallo; tandemque in prædictum Magnavaccæ portum exit. Ad hanc foſſam vicus conſpicitur, vulgari vocabulo *Foſſagge*, &, variante dialecto, *Foſſegge*. quod & ipſum antiquum *Sagis* nomen referre videtur; quaſi *Foſſa Sagis*. CAPRASIARVM hinc alveus haud dubiè is eſt, qui, VI circiter millia paſſuum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

infra Ferrariam ad vicum *Codréa* à Volanæ alveo divertens, cognomen habet nunc vulgare *Vergineſe*, à vico eius nominis, haud procul ſito. Tranſit id flumen in prædicta ſtagna Comaclenſia contra Auguſtam vicum foſſamque; quam olim ſecuit, ad oſtium tendens, quod hodiè *Bocca di Bell' occhio* vulgò vocari dixi. inter quod & vicum Auguſtam etiamnunc foſſarum reliquiæ exſtant, circa locum, qui vulgò *Paſſolo* dicitur. Alvei autem iſti duo, *Sagis* atque *Capraſiarum*, eâ ratione maximâ ex parte aboliti ſunt, quòd Padi maximus impetus, ut ſuprà dixi, poſtmodùm in *Philiſtinam foſſam* eruperit; ſtagnis etiam Comaclenſibus, ut memoravi, ea loca inundantibus. Atque hactenus quinque priora Padi oſtia, ut Plinio traduntur, enarravimus; *Auguſtam foſſam, Paduſam* ſive *Spinetem, Capraſias, Sagin, & Volanen.* Cæterùm apud Plinium, poſtquàm ea enumerata ſunt, ſubjunguntur continuò hæc verba: *Omnia ea flumina foſſasque primi à Sagi fecère Thuſci; egeſto amnis impetu per transverſum in Atrianorum paludes, quæ Septem maria adpellantur; nobili portu opidi Thuſcorum Atriæ. Inde oſtia plana, Carbonaria ac Foſſiones Philiſtinæ.* At quid hoc erat dicere; *Omnia ea flumina foſſasque à Sagi ad Volanen uſque fecère Thuſci?* quum nulla inter Sagin Volanenque recenſeat flumina nullasque foſſas. Aut cur amnem non nominavit, cuius impetum Thuſci egeſſerunt in Atrianorum paludes? Quin ipſe *Sagis* erat flumen à Pado diductum. Sanè, ut ſuprà circa Auguſtam foſſam & Meſſanicum Padum ſive Paduſam, ſic heic etiam nimio brevitatis ſtudio intricatam obſcuramque reddidit orationem ſuam Plinius. An Atrianorum paludes, quæ *Septem maria* adpellabantur, inter Ravennam & Volanam tantùm conſiſtebant? an non Herodianus ſuprà dicto libro VIII ait; Ὁ δὲ Μάξιμος ἀπὸ τῆς Ῥαβέννης ἄρας, ἐπέστη Ἀκυληΐᾳ, διαβὰς τὰ τενάγη, ἃ ὑπό τε Ἠριδανοῦ ποταμοῦ πληρούμενα καὶ τῶν περικειμένων ἑλῶν, ἑπτὰ στόμασιν ἐς θάλατταν ἐκχεῖται· ἔνθεν καὶ τῇ φωνῇ ἑαυτῶν καλοῦσιν οἱ ἐπιχώριοι Ἑπτὰ πελάγη τὴν λίμνην ἐκείνην. id eſt; *Maximus, Ravennâ profectus, Aquileiam pervênit; transmiſſis vadis, in quæ Eridanus amnis ſimulque circumjecta exundant ſtagna; ita, uti per ora ſeptem in mare effundantur. unde etiam incolæ ſuâ linguâ lacum illum Septem maria adpellant.* An non Antonini etiam hæc ſunt verba in itinerario; *Ab Arimino recto itinere Ravennam millia paſſuum* XXXIII. *inde navigantur Septem maria, Altinum uſque?* Denique, an non ipſe Plinius eodem loco anteà ait, *Quamquàm diductus in flumina & foſſas inter Ravennam Altinumque per* CXX *millia paſſuum; tamen, quia largiùs vomit, Septem maria dictus facere?* An non *nobilis* ille *portus opidi Thuſcorum* Atriæ longè trans Volanen in ultimo ſeptem Padi oſtiorum fuit? Verùm hoc manifeſtam licèt Plinii ſive incuriam ſive nimiam brevitatis cupidinem arguant: tamen non ſcripſiſſe eum puto, *à Sagi*. mendumque haud dubiè huic vocabulo inhæret. Pleraque exemplaria antiqua habent; *Omnia ea foſſas fluminaque primi Aſagi fecère Thuſci.* Ex qua variatione magis etiam adparet, vocem eam eſſe corruptam. Et *Auguſta foſſa* reſcribendum eſſe in præcedenti oratione, ſuprà oſtendi. heic verò nondum percipio, quid in ſequentibus verbis ſint *plana*, ſeu, ut alia habent exemplaria, *plena oſtia Carbonariæ & Foſſionum Philiſtinarum.* Lego igitur iſtic; *Omnia ea flumina foſſasque primi à Pado facère Thuſci; egeſto amnis impetu per transverſum in Atrianorum paludes, quæ Septem maria adpellantur.* Nam Padum heic intelligit, unà cum Melâ, Ptolemæo, ac Tabulâ itinerariâ, qui antiquiſſimus verusque erat Padi alveus, aliis nominibus *Paduſa, Eridanus, Spines, & Meſſanicus* dictus. duo verò reliqua oſtia, *Carbonariam ac Foſſiones Philiſtinas* non tam *Padi*, quàm *Foſſæ Philiſtinæ*, voluit eſſe

FOSSIONES PHILISTINAE; *quod &* TARTARVM *Padi oſtium.*

oſtia. ſic quidpe ait: *Inde oſtia plana, Carbonaria ac Foſſiones Philiſtinæ; quod alii Tartarum vocant: omnia ex Philiſtinæ foſſæ abundatione naſcentia; accedentibus Atheſi ex Tridentinis Alpibus, & Togiſono ex Patavinorum agris. Pars eorum & proximum portum facit Brundulum: ſicut Edronem Meduaci duo ac Foſſa Clodia. His ſe Padus miſcet; ac per hæc effunditur.* Sanè vel his ſaltem verbis ſatis apertè fatetur, paludes ſive ſtagna, quæ adpellabantur *Septem maria*, per quæ Padus in mare effundebatur, pertinuiſſe ad Altinum uſque. & quamquàm id nominis habuerint à numero VII Padi oſtiorum, tamen ex parte quadam ea etiam impleſſe Atheſim & Togiſonum ac Meduacos duos. quam dictorum ſtagnorum deſcriptionem nimis obſcurâ ac penè ænigmaticâ oratione tradidit Plinius. Quin illud etiam, *Egeſto amnis impetu per transverſum in Atrianorum paludes*, non ad Capraſias ac Sagin Volanamque pertinebat; ſed ad ſuprà dictam Aſconis foſſam, ac foſſiones Philiſtinas; quas mox indicabo.

TARTA-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

TARTARI *fluminis* Tacitus meminit Hiſtoriar. lib. III, in his verbis: *Cæcina inter Hoſtiliam, vicum Veronenſium, & paludes Tartari fluminis caſtra permunit.* Id nominis hodiéque amnem retinere, vulgò *Tartaro* dictum; ac Ptolemæo vocari *Atrianum*, aliis *Hadrianum*; prædicto cap. XVIII in Venetis oſtendi. Defluit in ſuprà dictum Padi alveum, qui ſuprà Ferrariam ad vicum *Stellatam* à vero Pado ad lævam divertit; poſtque LX circiter millia paſſuum per oſtium, quod vulgò dicitur *Porto delle Fornaci*, in mare effunditur. Hoc igitur ſeptimum illud atque ultimum eſt oſtium Padi, quod Plinio FOSSIONES PHILISTINAE & alio nomine dicitur TARTARVM; quia proprium erat *Tartari* amnis oſtium: in quem amnem poſteà Padi pars per FOSSAM PHILISTINAM à dicto vico *Stellatâ* ad vicum usque *Fornaci* deducta eſt. quæ foſſa nunc Padi nomen obtinet; & quia præcipuus omniumque maximus eſt alveus, cognominatur vulgò, ut antè dixi, *Il Po grande*. Falſa igitur eſt eorum opinio, qui oſtium hoc Padi, quod Plinio dicitur *Tartarum* ac *Foſſiones Philiſtinæ*, Atheſis nunc interpretantur oſtium: eâ ratione ducti, quia huius ſiniſtræ ripæ adpoſitus vicus vulgari vocabulo *Foſſone* cognomen dedit ipſi oſtio, vulgò *Porto di Foſſone*. Multo magis etiam falluntur illi, qui oſtium id Padi Philiſtinas foſſiones arbitrantur fuiſſe juxta inſulam, in qua hodiéque vicus vulgò vocatur *Piliſtrina*, ac *Paleſtrina*, contractéque *Piſtrina*. quidpe, præter rationes jam dictas, *Brundulus* intercedit heic *portus*, qui etiamnunc nomen antiquum ſervat, vulgò *Porto Brondolo* vocatus. Equidem haud perinde negaverim, duos iſtos vicos, *Foſſone* & *Piliſtrina*, memoriam *Philiſtinarum foſſionum* referre. ſed has foſſiones à Tartari Foſſæque Philiſtinæ confluentibus *per tranſverſum* Atheſis, Togiſoni, minorisque Meduaci, quos cunctos ſuprà dicto cap. XVIII expoſui, in ſtagna Atrianorum litoris, ad Meduaci usque maioris oſtium, quod nunc vulgò vocatur *Porto di Malamoco*, ductas fuiſſe, cenſeo: nam hodiéque eiusmodi foſſiones, quamvìs nunc tenues, heic exſtant; vulgò inter Tartarum & Atheſim *Canal di Lorédo*, inter Atheſim & Meduacum minorem *Canal delle Bebe*, à vicis juxtà ſitis dictæ. Olim autem eodem modo *Philiſtinarum foſſionum* adpellatio ipſis communicata fuit, ut ſuprà dicta *Foſſa Aſconis* nomen accepit *Foſſæ Auguſtæ*. Atque hoc ipſum eſt, quod Plinius ait, *accedere*, id eſt, partem quoque conferre ad oſtium *Foſſionum Philiſtinarum Atheſim & Togiſonum*; *partemque* eorum aliam *proximum* quoque *portum facere Brundulum*.

Iam verò CARBONARIA FOSSA, inter Volanam & Foſſiones Philiſtinas, nulla alia eſſe poteſt, quàm is alveus, qui à dicto Pado Magno, ſive, ut olim vocabatur, à Foſsâ Philiſtinâ, juxta vicum, cui vulgare vocabulum *PapozZe*, ad dextram divertens, vulgò nunc vocatur *Il Po d' Ariano*, à vico ei impoſito; oſtium autem eius, *Il Porto di Goro*, itidem à vico juxtà ſito. De hoc Padi alveo atque oſtio verè dictum eſt illud à Plinio; *Omnia ex Philiſtinæ foſſæ abundatione eſſe nata*. FOSSA CARBONARIA, *Padi oſtium.*

Hæc igitur ſunt ſeptem Padi alvei, ſeptemque oſtia: quæ ob magnitudinem ſuam aquarumque copiam unà cùm circumjectis paludibus *Septem* dicebantur *maria*. De cætero integrum iter juxta hæc oſtia, inter Ravennam & Altinum, in Tabulâ itinerariâ legitur hoc modo:

Ravenna	
Butrio	VI.
Auguſta	VI.
Sacis. ad Padum	XII.
Neroma	IIII.
Corniculani	....
Radriani	VI.
VII *Maria*	VI.
Foſſis	VI.
Ebrone	XVIII.
Mino meduaco	VI.
Maio meduaco	VI.
Ad portum	III.
Altino	XVI.

Multa in his eſſe corrupta, genuinoque ordine deturbata, jam anteà dixi. ac non- HADRIANVS *vicus.*

nulla

nulla eorum partim hoc capite, partim ſuprà cap. XVIII correxi. ubi pro vocabulo *Radriani* legendum oſtendi HADRIANVM: qui vicus nunc eſt *Ariano*. Vocem autem *Neroma* licèt, & ipſam mendoſam eſſe, liquidò adfirmare auſim; tamen, quid in archetypo ſcriptum fuerit, haud facilè divinaverim: niſi heic NERONIA ſive NERONIANA fortè FOSSA intelligenda ſit ea, qua, transversâ inter Volanam & Carbonariam, hodiéque navigatur ab Hadriano ad vicum, cui vulgaris adpellatio *Capo di Goro*, ſive, ut incolæ loquuntur, *Co de Goro*. qui communem olim cum ipsâ foſsâ adpellationem habuerit; ut vicus ille ad Auguſtam foſſam. Hinc CORNICVLANVM, inter Hadrianum & Neronianæ foſſæ initium, vicus nunc fuerit vulgari adpellatione *Mezo Goro*; mediæ fermè foſſæ Neronianæ impoſitus. Ab Hadriano aliâ porrò navigabatur foſsâ ad Foſſas usque Philiſtinas & confluentem Tartari amnis, quæ nunc vulgò vocatur *Il Canal del Boſco*. Inde porrò navigabatur Altinum verſùs per ſuprà dictas Philiſtinas foſſiones trans Atheſim, Togiſonum, Meduacumque minorem. Eo itinere inter *Hadrianum* & *Foßas* Tabula XII habet millia paſſuum: & medio ſitu, poſt ſextum lapidem, quaſi certi alicuius loci adpellationem, *Septem Maria*. verùm certum heic aliquem fuiſſe tam arcto ſpacio circumſcriptum locum, qui ſic adpellatus fuerit, nullus ego umquàm crediderim; quando id nominis, ut ſuprà demonſtratum, univerſis inter Ravennam Altinumque ſtagnis atque paludibus proprium fuit. Sed titulum hunc ſtagnorum, arbitror, Padi oſtiis in archetypo adſcriptum fuiſſe circa *Hadriani Foſſarumque* vocabula: inter quæ VII poſita fuerunt millia. imperitus dein ac malè curioſus exſcriptor eum titulum loci cuiusdam inter Hadrianum Foſſasque putans eſſe adpellationem, huc eum inſeruit; adjectis utrimque VI millibus paſſuum. Nec dubitare licet, quin *Foſſas* heic intellexerit auctor Tabulæ *Philiſtinas*; quando hodiéque inter Tartari confluentem & *Ebronem portum*, qui vulgò nunc dicitur *Porto di Chioggia*, juſta ſunt millia XVIII.

FOSSA NERONIA.

CORNICVLANVM, *locus*.

Atque hæc ferè ſunt, quæ de Padi fonte, decurſu, alveis atque oſtiis, à veteribus auctoribus adnotata reperio. Talis igitur tantusque quum & nunc ſit & olim fuerit; haud immeritò principi Latinorum poëtarum REX *fluviorum* adpellatus eſt Γεωργικῶν lib. I, in his verſibus:

PADVS rex *fluviorum*.

Protulit inſano contorquens vertice ſilvas
Fluviorum rex Eridanus; camposque per omneis
Cum ſtabulis armenta tulit.

Γεωργικῶν autem lib. IIII ita de eo canit idem Virgilius:

Eridanus; quo non alius per pinguia culta
In mare purpureum violentior influit amnis.

Ad priorem locum ita commentatur Servius: *Fluviorum autem rex Padus per Italiam: aut certè per totum Orbem, ſecundùm quod dicit Lucanus*. Lucani verba lib. II hæc ſunt:

Quoque magis nullum tellus ſe ſolvit in amnem,
Eridanus. factus devolvit in æquora ſilvas;
Heſperiamque exhaurit aquis.
Non minor hic Nilo; ſi non per plana jacentis
Aegypti Libycas Nilus ſtagnaret arenas.
Non minor hic Iſtro; niſi quòd, dum permeat Orbem,
Iſter caſuros in quælibet æquora fonteis
Accipit; & Scythicas exit non ſolus in undas.

Polybius tamen lib. II, Ἄγει δὲ πλῆθος, inquit, ὕδατος οὐδενὸς ἔλαττον τῶν κατὰ τὴν Ἰταλίαν ποταμῶν. id eſt; *Copiam fert aquarum tantam, uti nulli Italicorum amnium cedat.* Et Plinius dicto lib. III cap. XVI, epitomatorque eius Solinus cap. VIII, *claritate tantùm nulli amnium inferiorem* adfirmant: & alius Plinii epitomator Martianus Capella lib. VI, *nulli nobilium amnium gloriâ cedere*, ait. Lucanus prætereà lib. IIII ita canit:

Sic Venetus ſtagnante Pado, fuſoque Britannus
Navigat Oceano.

Et lib. VI ſic:

Sic pleno Padus ore tumens, ſuper aggere tutas
Excurrit ripas, & totos concutit agros.
Succubuit ſi qua tellus, cumulumque furentum
Vndarum non paſſa, ruit; tum flumine toto

Tranſit,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Tranſit, & ignotos aperit ſibi gurgite campos.
Illos terra fugit dominos: his rura colonis
Accedunt, donante Pado.

Plinius *aurum* etiam in eo adnotavit lib. XXXIII cap. IIII, his verbis: *Aurum invenitur in noſtro Orbe tribus modis: fluminum ramentis; ut in Tago Hiſpaniæ, Pado Italiæ, Hebro Thraciæ, Pactolo Aſiæ, Gange Indiæ. nec ullum abſolutius aurum eſt; curſu ipſo tritùque perpolitum.*

CAP. XXXVI.

De fluviis ac lacubus in PADVM *defluentibus.*

DE fluminibus lacubuſque in Padum confluentibus ita tradit Plinius dicto cap. XVI libri III: *Nec amneis tantùm Apenninos Alpinoſque navigabileis capiens, ſed lacus quoque immenſos, in eum ſeſe exoneranteis, omni numero* XXX *flumina in mare Hadriaticum defert.* Et ex Plinio Solinus cap. VIII: *Auctus aquarum acceſſione,* XXX *flumina in Hadriaticum defert mare.* Item alius Plinii epitomator, Martianus Capella lib. VI: *Nulli gloriâ nobilium amnium cedens, triginta receptis fluminibus Hadriaticum mare magnâ opimus granditate perfundit.* Plinius equidem diſertè ait, *omni numero* XXX Padum recipere *flumina:* verùm ad XL hodiè enumerantur: quorum XV lævâ recipit ripâ; reliqua dextrâ. Idem auctor eodem libro poſteà, cap. XVIIII, de Transpadanâ loquens regione; *In hac,* inquit, *regione &* X *lacus inclyti ſunt; amneſque eorum partus, aut alumni; ſi modo exceptos reddunt: ut Adduam Larius, Ticinum Verbanus, Mincium Benacus, Ollium Sebinus, Lambrum Eupilis; omneis incolas Padi.* Reliqui quinque lacus ſunt vulgaribus hodiè adpellationibus, *Lago di Lugano, Lago d' Orta, Lago di Ghivira;* ex quibus amnes in Verbanum lacum defluunt: inde *Lago d' Idro;* quem Cluſius tranſit; & *Lago di Mántoa,* quem Mincius. De iiſdem ita tradit Strabo fine libri IIII: Λίμνας δ' εἶναί φησιν ὁ Πολύβιος ἐν τῇ Ἄλπεσι πλείους μὲν, τρεῖς δὲ μεγάλας· ὧν ἡ μὲν Βήνακος ἔχει μῆκος πεντακοσίων σταδίων, πλάτος δὲ ἑκατὸν πεντήκοντα, ἐκρεῖ δ' ὁ ποταμὸς Μίγκιος· ἡ δ' ἑξῆς Οὐερβανὸς, τετρακοσίων· πλάτος δὲ στενοτέρα τῆς προτέρου· ἐξίησι δὲ ποταμὸν τὸν Τικῖνον· τρίτη δὲ Λάριος, μῆκος ἐγγὺς τριακοσίων σταδίων, πλάτος δὲ τριάκοντα· ποταμὸν δ' ἐξίησι μέγαν Ἀδούαν. πάντες δ' εἰς τὸν Πάδον συρρέουσιν. Hoc eſt: *Lacus in Alpibus Polybius ait eſſe complureis; at treis magnos. quorum Benacus in longum ſtadia* D *occupet, in latum* CL. *ex hoc Mincius effluit. alter eſt Verbanus,* CCCC *ſtadiorum longitudine, anguſtior aliquanto jam dicto. is amnem emittit Ticinum. tertius eſt Larius; longus ferè* CCC *ſtadia, latus* XXX. *is Adduam magnum flumen emittit. Omnes autem in Padum confluunt.* Porrò Plinius dicto cap. XVI ita pergit: *Celeberrima ex iis Apennini latere jactum,* (malim, *jacta*) *Tanarum, Trebiam Placentinum, Tarum, Niciam, Gabellum, Scultennam, Rhenum, Alpium verò, Sturam, Orgum, Durias duos, Seſſitem, Ticinum, Lambrum, Adduam, Ollium, Mincium:* ſcilicet, *in mare Hadriaticum defert;* quod antè dixit. Cæterùm addit cap. XVIIII, *Omneis incolas Padi;* quia præter eos & alii quidem erant celebres fluvii; ſed non in Padum, verùm Bremba & Serius in Adduam, Mela & Cluſius in Ollium defluentes. Ab Apennini latere non addidit infrà Rhenum *Vatrenum* & *Anemonem;* quia illum paullo pòſt eodem capite, in oſtiorum Padi deſcriptione, memorat; hunc verò anteà cap. XV. Nos non tantùm eos, quos Plinius heic recenſet, ſed & cæteros, quotquot aliis etiam memorantur auctoribus, ſuo ordine à fontibus Padi ad oſtia uſque exponemus; initio facto ab iis, quos Alpina juga fundunt. Tabula igitur itineraria flumina in ſiniſtram Padi ripam deducta refert hiſce nominibus: *Fl. Orſus. Lacus Henus:* ex quo flumen ad Auguſtam Prætoriam, prope Padum ſitam, depictum eſt. *Fl. Betuctelum. Lacus Cuſius;* flumen itidem ſine nomine emittens. *Fl. Victium. Fl. Novaria. Fl. Ticenum. Fl. Ambrum. Fl. Vbartum. Fl. Vmatia. Fl. Cleuſis. Fl. Aſeſia. Fl. Meduacum. Fl. Licenna.* Sed ex his tria poſteriora flumina, *Atheſis, Meduacum,* & *Liquentia,* non in Padum, ſed ſuis ſibi oſtiis in mare tranſeunt; ut ſuprà cap. XVIII in Venetis dictum: ubi etiam vocabula iſta corrupta *Aſeſia* & *Licenna* emendavi.

DVRIAE *duo* nomen antiquum hodiéque retinent; uterque vulgò *Doria* dictus. quod

DVRIAE *amnes duo.*

quod & ipſum vocabulum jam inde antiquis temporibus eâdem vocali *o* in uſu fuiſſe, patet ex Ptolemæi Græcâ ſcriptione Δωρίας· niſi vocem hanc vitiatam eſſe ſuſpiceris ex genuinâ Δουρίας, quæ ter legitur apud Strabonem lib. IIII & V. In cunctis equidem Plinii exemplaribus, quæ ego inſpexi, legitur *Durias duas*. at quorſum, aut qua grammatices ratione femininum genus in fluminum ſive amnium vocabulo? præſertim, quum apud prædictos auctores Græcos generis ſit maſculini ὁ Δουρίας, & ὁ Δωρίας, ut innumera alia paſſim fluminum nomina in ας formata; quæ Latinè exeunt in *a*. Audacter igitur heic ego corrigo, *Durias duos*. Ex his MINOR DVRIA ſupra Seguſium opidum ex ſummis Alpibus Cottiis exortus, III millia paſſuum infra Auguſtam Taurinorum Pado miſcetur, diminutivo vocabulo adcolis, ad diſcrimen Duriæ maioris, *La Dorietta* dictus. MAIOR DVRIA, ſupra Salaſſorum Auguſtam Prætoriam ex ſummis Graiis Alpibus profluens, ipsâ Auguſtâ Prætoriâ & Eporediâ ablutis, XVIII circiter millia paſſuum infra minorem Duriam eidem Pado redditur; vulgò *La Doria Baltia*, &, variante adcolarum dialecto, *Bautia* cognominatus. Strabo quum aliquando inaudiviſſet, Duriam amnem eſſe in Salaſſis: deinde etiam accepiſſet, Duriæ fluvii fontem haud ita procul Druentiæ, Gallici fluminis, ac Padi fontibus eſſe: unius hoc eiusdemque eſſe amnis nomen putavit; eóque miſerum ac mirum in modum cùm loca & populos, tùm fonteis duûm diverſorum amnium confudit. Verba eius lib. IIII, in Alpium deſcriptione, ſunt illa: Ἄνω δ᾽ ἐν ἐπικοίλοις χωρίοις λίμνη τε συνίσταται μεγάλη, καὶ πηγαὶ δύο, οὐ πολὺ ἄπωθεν· ὧν ἐκ μὲν τῆς ἑτέρας ἐστὶν ὁ Δρουέντιος ποταμὸς χαραδρώδης, ὡς ἐπὶ τὸν Ῥοδανὸν καταῤῥέει· καὶ ὁ Δουρίας εἰς τἀναντία· τῷ γὰρ Πάδῳ συμμίσγει, κατενεχθεὶς διὰ Σαλασσῶν εἰς τὴν ἐντὸς τῶν Ἄλπεων Κελτικήν. ἐκ δὲ τῆς ἑτέρας πολὺ ταπεινότερος τῶν χωρίων τούτων ἀναδίδωσιν αὐτὸς ὁ Πάδος. In his à librariis vitiata ita corrigo: ὧν ἐκ μὲν τῆς ἑτέρας ὁ Δρουέντιος ποταμὸς χαραδρώδης ὡς ἐπὶ τὸν Ῥοδανὸν καταῤῥεῖ, καὶ ὁ Δουρίας εἰς τἀναντία. nam lib. V accuſativus legitur τὸν Δρουεντίαν, & eodem libro IIII anteà corruptus itidem genitivus διὰ Δρουεντίου, pro διὰ Δρουεντία. qui amnis Livio lib. XXI, Plinio lib. III cap. IIII, & Marcellino lib. XV, *Druentia* dicitur. Integer itaque Strabonis locus ita Latinè redditur: *Supernè in cavis quibusdam locis continetur lacus magnus, duoque fontes non multum inter ſe diſſiti: ex quorum altero Druentia amnis torrens atque impetuoſus per confragoſa loca Rhodanum versùs defluit; & in diverſam partem Duria, per Salaſſos in Ciſalpinam delatus Galliam, Pado miſcetur. ex altero fonte longè iſtis locis humilior Padus ipſe oritur.* Et paullo pòſt ita ſcribit: Ἔχει δὲ χρυσεῖα ἡ τῶν Σαλασσῶν, ἃ κατεῖχον ἰσχύοντες οἱ Σαλασσοὶ πρότερον. προσελάμβανε δὲ πλεῖστον εἰς τὴν μεταλλείαν αὐτοῖς ὁ Δουρίας ποταμὸς εἰς τὰ χρυσοπλύσια. Hoc eſt: *In Salaſſorum regione ſunt auri metalla: quæ olim obtinuerunt Salaſſi. maximum illis adjumentum ad rem metallicam attulit Duria fluvius, ad eluendum ſcilicet aurum.* Tale quid de *Duriæ* fonte quum Ptolemæus quoque legiſſet; Ἡ κεφαλὴ, ſcripſit, τοῦ Δωρία ποταμοῦ, ἡ κατὰ τὴν Πoινίναν λίμνην. id eſt: *Caput ſeu fons Doriæ amnis, qui eſt juxta lacum Pœninum*. Nempe, quum intellexiſſet, primò, Duriam amnem prope lacum oriri; ut tradidit Strabo: tum Duriam item quemdam profluere ex Alpinis jugis ſuprà Auguſtam Prætoriam: quæ poſita erat, ut Plinius lib. III cap. XVII ait, *juxta geminas Alpium fauceis, Graias atque Pœninas*: ille duos diverſos amneis, ſibi invicem cognomines, unum eſſe putavit, ex Pœninis jugis orientem; lacumque inde cognominavit *Pœninum*: quum fontes duorum Duriarum LXX inter ſe diſtent millia paſſuum. Certè neuter Duriarum ex lacu oritur; neque minor Duria ex eodem cum Druentiâ, Gallico amne, profluit fonte. At verò ſunt tamen, ut ſuperiori capite dixi, hoc Alpium tractu lacus duo; alter maior, in Ceniſii montis vertice; alter in ſummo Veſulo minor; L circiter millia paſſuum inter ſe diſſiti: uterque incertæ & occultæ originis. ex quibus per ſubterrancos abſconditosque meatus flumina oriri vulgò creduntur; in Ceniſio monte, ad Italiam verſùs Semarus, apud Seguſium opidum in Duriam minorem tranſiens; ab Galliæ latere Arcus in Iſaram: ex Veſulo, in Italiam Padus in Galliam Druentiæ alter fons defluens. Hos lacus & amneis mirificè geographi illius ſæculi confudc-runt: quum Semari fontem eſſe crederent fontem ipſius Duriæ. quo etiam acceſſit, quòd alter Druentiæ fons, qui eſt ſupra Brigantionem opidum, uno tantùm jugo Alpis Cottiæ, ſive Matronæ vertice, qui nunc vulgò dicitur *Mont Genebra*, à vero Duriæ minoris fonte diſpeſcitur. Verùm Strabo atque Ptolemæus, Græcus uterque, hic ab Aegypto, ille ab Aſiâ, auctor, veniam in tantâ Orbis eo ævo ignorantiâ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

meritò conſequuntur. at nuperum Italiæ Italum deſcriptorem quis ſatis excuſabit, quòd eosdem errores, relatu quorumdam, ut fatetur, adoleſcentum, ſibi paſſus ſit imponi? In Tabulâ itinerariâ quoque prædictus eſt *Lacus Henus*, ex quo fluvius ad Auguſtam Prætoriam deducitur. hunc ad eumdem ſpectare errorem, nullum dubium eſt; quando proximè eum præcedit *Orcus* fluvius; de quo mox dicam.

STVRA *amnis.*

Porrò proximus Duriæ minori STVRA *amnis* nomen hodiéque integrum conſervat, ex Graiis decurrens Alpibus.

ORGVS *fluvius.*

Ex eisdem Alpibus defertur fluvius, cui vulgare vocabulum *Orco*. hic ſcilicet is eſt, qui in vulgatis Plinii exemplaribus legitur *Morgus*: in quibusdam verò manu ſcriptis rectiùs ORGVS; ut eſt apud Ennodium, in carmine, quo iter per Cottias Alpeis & opidum Brigantionem deſcribitur; ubi hic legitur verſus:

Duria nam, Seſſis, torrens vel Stura, vel Orgus.

Tabulæ quoque itinerariæ eſt vitioſè *Orsus*, pro ORCVS: unde hodiernum vocabulum adcolis *Orco*.

SESSITES, *ſive* SESSIS *fluvius.*

Poſt maiorem Duriam, SESSITES Plinii, ſive SESSIS Ennodii, vulgò nunc vocatur, variante adcolarum ore, *Séſſia*, *Séſia*, & *Senza*; & aliis Italis etiam *Siccia*.

TICINVS *amnis.*

TICINVS nunc eſt *Teſino*. huius complures meminêre auctores; ut, Polybius lib. III, Livius lib. XXI, Strabo lib. V, Plinius dicto loco, Silius lib. I & IIII, Claudianus in panegyrico de VI conſulatu Honorii, Tabula itineraria, Epitomator Stephani, & alii. Eam debet celebritatem pugnæ Romanos inter & Pœnos ſub introitum Hannibalis in Italiam circa eum commiſſæ: quam referunt Polybius Liviusque dictis locis, & Silius lib. IIII. unde hic etiam lib. I ita canit:

Dum Romana tua, Ticine, cadavera ripæ
Non capiant.

At lib. IIII ita ipſum amnem depingit:

Cæruleas Ticinus aquas & ſtagna, vadoſo,
Perſpicuus ſervat, turbari neſcia fundo;
Ac nitidum viridi lentè trahit amne liquorem.
Vix credas labi; ripis tam mitis opacis
Argutos inter volucrum certamina cantus
Somniferam ducit lucenti gurgite lympham.

Hinc & Claudianus, dicto loco:

Colla levant, pulcher Ticinus, & Addua viſu
Cærulus.

VERBANVS *lacus.*

Vocabulum eius corruptum legitur apud Polybium dicto lib. III Τηκῖνον· quod haud dubiè natum eſt librariis ex poſterioris ævi ſcriptione Τικινόν· ut in Tabulâ etiam itinerariâ eſt & flumen & opidum ei adpoſitum, quod nunc *Pavía* dicitur, *Ticenum*. quamquàm ipſi Græci eius ſæculi homines η pronunciarunt ut ι. De cætero oritur id flumen ex ſummo Alpium jugo, qui *Divi Gothardi mons* cognominatur; quà terminus eſt Pœninas Rhæticasque Alpeis inter. transit deinde immenſum lacum; cui nunc vulgaris adpellatio *Lago Maggiore*; Straboni autem ac Plinio ſuprà citatis locis dicitur VERBANVS LACVS. cuius longitudinem ille rectè CCCC ſtadiorum, id eſt, L millium paſſuum, eſſe tradidit.

NOVARIA *flumen.*

Inter Ticinum & Seſſitem amneis opidum Novariam flumen præfluit, ad Padum tendens, quod vulgò nunc *La Gogna* vocatur. id ſine controverſiâ eſt NOVARIA *flumen* Tabulæ itinerariæ.

Inter Novariam & Duriam maiorem, qui Auguſtam Prætoriam præfluit, in eâdem Tabulâ tres alii depicti ſunt fluvii in Padum defluentes; verſùs Duriam *Betuctelus*; verſùs Novariam *Victius*; & in horum medio tertius ſine nomine; cæterùm ex *lacu Cuſio* deductus. Verùm, quum nulli in Duriam & Novariam in Padum confluant amnes, præter unum Seſſitem; corrupta ea eſſe vocabula, alienoque tractu poſita, certum eſt. Et quid jam mirum hoc videatur; quando & Atheſim & Meduacum & Liquentiam in Padum deductos habet eadem Tabula, quæ ſuis ſibi oſtiis in mare effluunt. Sed & *Cleuſim*, qui nunc vulgò eſt *Chieſe*, in Padum delabentem perperam refert; quum is in Ollium confluat; hic tandem in Padum. Contrà verò miror, neque Ollium, neque Mincium, neque Adduam, maximos ac celeberrimos fluvios, omneisque Padi incolas, eidem Tabulæ memorari. Quapropter inter

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

prædicta illa obſcura nomina credo nonnulla corrupta eſſe, ut antè dixi; omnia autem ad amneis pertinere, qui in Verbanum lacum defluunt, ac poſteà Pado redduntur per Ticinum flumen. Lacus autem ſuprà nominavi treis, è quibus fluvii in Verbanum lacum tranſeunt: quibus vulgares adpellationes ab opidis juxtà ſitis ſunt iſtæ; *Lago di Lugano, Lago di Ghivira, Lago d' Orta*. Ex his maximus eſt Luganenſis: quem CERESIVM LACVM adpellari Gregorio Turonenſi lib. x cap. III, ſuprà cap. XIIII in Lepontiis oſtendi. Idem an CVSIVS ſit LACVS Tabulæ; an verò hic unus ex reliquis duobus; haud temerè ego dixerim. Amnium eumdem lacum Verbanum petentium maximus, ſecundùm Ticinum, eſt *Toſa*, *Oſcelam* & *Augoniam* opida præfluens. inde eſt *Madia*; apud Lucarnum in Verbanum ſeſe exonerans.

CERESIVS *lacus.*

LAMBER *amnis.*

Porrò Ticinum proximè ſequitur LAMBER *fluvius*. cuius nomen equidem in Tabulâ itinerariâ, in itinere inter Ticinum & Placentiam rectè ſcriptum eſt *Lambrum*. at circa fontem vitiatum legitur, ut ſuprà citavi *Fl. Ambrum*. ubi haud dubiè in archetypo ſcriptum fuit FL. LAMBRVM; id eſt, *Flumen Lambrum*. Adcolis hodiè ab adpoſitis opidis vocatur *Fiume di Monza*, & *Fiume di Merignano*. Nonnullis tamen etiamnunc antiquo nomine dicitur vulgò *Il Lambro*. Apud Silium dicto lib. IIII hæc leguntur verba:

Scipio, quà medius pugnæ vorat agmina vortex,
Infert cornipedem; atque, inſtinctus ſtrage ſuorum,
Inferias cæſis mactat Labarumque Padumque,
Et Comum, & multo vix fuſum vulnere Brennum,
Gorgoneoque Larum torquentem lumina vultu:
Occidis & triſti pugnans Lepontice fato.

Fluminum nomina ductoribus militum in aciebus adfingere, vulgare poëtis eſt; maximè Homero, Virgilio, ac Silio. hinc hoc etiam loco Silius Gallorum duces à Scipione proſtratos fingit, *Brennum* à Senonum, qui Romam quomdam ceperunt, ducis nomine mutuatum; *Camum* & *Leponticum*, à Camunorum Lepontiorumque gentibus; *Larum*, à Lario lacu; *Padum* autem & *Labarum*, ab amnibus. An verò ipſe poëta *Labarum* ſcripſerit, pro *Lambrum*; etiamnunc dubito. De cætero, eumdem amnem in Itinerario antiquo Hieroſolymitano vocari FLVVIVM FRIGIDVM, ſuprà cap. XXIIII in Inſubribus oſtendi. Oritur infra lacum Larium; qui vulgò nunc eſt *Lago di Como*. Haud procul à fonte treis recipit nunc modicos lacus. at antïquitus unus heic fuit, ſi Plinio credimus, EVPILIS LACVS, quem Lamber tranſiit; ut Verbanum Ticinus, Larium Addua, Sebinum Ollius, & Benacum Mincius. Hac de re ita ſcribit Paul. Iovius Comenſis in libro de Piſcibus Romanis, cap. XXIIII: *Sed Eupilis multo minores, quàm Larius, percecos producit; quoniam magnâ ex parte, vel influentium aquarum defectu, vel occultiore aliquo hiatu terræ hauſtus, multis antè annis exaruit, abiitque in treis minores lacus, aquis in depreſſiora loca ſubſidentibus.*

EVPILIS *lacus.*

ADDVA *flumen.*

Proximus hinc eſt ADDVA *fluvius*; Polybio, Straboni, Plinio, & Claudiano memoratus. quorum hic in dicto Panegyrico de VI conſulatu Honorii:

Colla levant pulcher Ticinus & Addua viſu
Cærulus.

Græcis unico δ ſcribitur; Polybio ὁ Ἀδόας, Straboni, ὁ Ἀδούας. Strabo lib. IIII: Ὁ Ἀδούλας τὸ ὄρος· ἐξ οὗ ῥεῖ καὶ ὁ Ῥῆνος ἐπὶ τὰς ἄρκτους, καὶ ὁ Ἀδούας εἰς τἀναντία, ἐμβάλλων εἰς τὴν Λάριον λίμνην. Id eſt: *Adûla mons: ex quo profluit Rhenus ad ſeptemtriones versùs; & item Adua in contrariam partem, in Larium lacum delabens*. Et ipſo fine eiuſdem libri: Λάριος λίμνη ποταμὸν ἐξίησι μέγαν Ἀδούαν. Id eſt: *Larius lacus emittit amnem magnum Aduam*. Et item lib. V: Ἐγγὺς δὲ τοῦ Κώμου λίμνη Λάριος καλουμένη· πληροῖ δ᾽ αὐτὴν ὁ Ἀδούας ποταμός· εἶτ᾽ ἐξίησιν εἰς τὸν Πάδον. τὰς δὲ πηγὰς ἔσχηκεν ἐν τῷ Ἀδούλᾳ ὄρει, ὅπου καὶ ὁ Ῥῆνος. Hoc eſt: *Prope Comum eſt Larius lacus; quem Adua amnis implens, mox in Padum defluit; ortus in Adulâ monte; ubi & Rhenus*. Polybius lib. II: Πόπλιος Φούριος καὶ Γάϊος Φλαμίνιος διέβησαν εἰς τὴν Ἰσόμβρων γῆν κατὰ τὰς συῤῥοίας τοῦ Ἀδόα καὶ Πάδου ποταμῶν. Id eſt: *P. Furius & C. Flaminius in Inſubrium agrum, quà Adua in Padum confluit, trajecerunt*. Sic ſuprà cap. XXVII corrigendum docui hunc locum, qui in vulgatis exemplaribus mendoſus legitur κατὰ τὰς συῤῥοίας τοῦ Παδόα καὶ Πάδου ποταμοῦ. Hodiè amnis vulgò dicitur *Adda*. fontemque habet in excelſo Rhæticarum Alpium jugo, quod vulgò incolis vocatur *Monte Brailo*. Per Tellinam vallem L circiter millia paſſuum lapſus, lacum ingentem tranſit, qui nunc vulgò

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

vulgò adpellatur *Lago di Como*: olim autem vocabatur LARIVS LACVS: Catullo, Virgilio, Strabone, Plinio, Claudiano, Vibio Sequeſtro, & Virgilii commentatoribus memoratus. Vibius, in Catologo lacuum: *Larius, Galliæ Ciſalpinæ*. Catullus carm. XXXVI: *Velim Cæcilio, papyre, dicas,* Larius lacus.

Veronam veniat, Novi relinquens
Comi mœnia, Lariumque litus.

Claudianus in Epithalamio Palladii & Celerinæ:

Vndique concurrunt volucres, quæcumque frementem
Permulcent Atheſim cantu: quas Larius audit;
Quas Benacus alit; quas excipit amne quieto
Mincius.

Virgilius, Γεωργικῶν lib. II; quo loco laudes Italiæ celebrat:

An mare, quod ſuprà, memorem, quodque alluit infrà?
An ne lacus tantos? te Lari maxime, teque
Fluctibus & fremitu adſurgens Benace marino?

Immenſum heic ineptiunt, qui docent, Verbanum lacum innuiſſe poëtam iſtâ voce, *maxime*: ſcilicet, quia hodiè is vulgò vocatur, ut ſuprà dixi, *Lago Maggiore*. At verò, hoc ſi voluit Virgilius, cur non dixit; *vos, Lari, Maxime*? Nugas hos homines agere, ſi non ipſa poëtæ verba ſatis convincerent; certè commentator eius Servius clarè docebat. *Larius*, inquit, *eſt lacus vicinus Alpibus. qui, juxta Catonem in Originibus, per* LX *tenditur millia. Benacus eſt lacus Italiæ, qui magnitudine ſui tempeſtates imitatur marinas*. Tam igitur *Larii*, quàm *Benaci* magnitudinem Virgilius oſtendere voluit. Strabo fine libri IIII, ut ſuprà citavi, Polybium ait Lario tribuiſſe τὸ μῆκος ἐγγὺς τριακοσίων σταδίων, id eſt, *longitudinem trecentûm ferè ſtadiorum*: quæ conficiunt millia XXXVII & paſſus 10. Sed hoc falſum eſt: quum hodiè L numerentur millia à Como ad Ripam Clavennenſem. Olim autem quum milliaria paullo eſſent minutiora; rectè Cato poſuit LX. cum quo conſentiens poſterioris etiam ævi auctor Antoninus, ita iter refert:

Brigantia	
Curia	L.
Tarveſedo	LX.
Clavenna	XV.
Ad lacum Comacenum	X.
Per lacum Comum usque	LX.

Alter igitur ille Virgilii commentator Philargyrus neſcio quid ſomniaverit, quum ſcriberet iſta: *Larius lacus in Galliâ eſt Ciſalpinâ, non amplius centum viginti ſtadiorum circuitu patens*. Apud Probum verò in commentariis ad eumdem Virgilii locum ita ſcriptum eſt: *Vterque lacus eſt in Italiâ. Larius Vmbros tangit; & pérvenit usque Comum*. Scripſerat ipſe Probus; *Larius Inſubres tangit*. vel ſaltem Græcâ formatione *Iſombros*. Sic è contrario apud Polybium lib. III, in hiſtoriâ Hannibalicâ, Ἰσόμβρων eſt vocabulum, ubi Ὀμβρῶν, id eſt, *Vmbrorum*, nomen ſcripſerat ipſe auctor. Cæterùm ab ipſo opido Como idem lacus adpellatus fuit poſteriori ſæculo, neſcio qua analogiâ, COMACINVS *lacus*: & quia tunc η vocalis pronunciaretur ut ι, idem vocabulum ſcripſerunt etiam COMACENVS; ut modò ex Antonini præſcripto itinere intelleximus. De lacus deinde nomine *inſula* quoque in eo, XX millia paſſuum à Como ſita, adpellata eſt COMACINA. Paul. Diaconus Langobard. rer. lib. III cap. XXVII: *Alii quoque Langobardi in inſulâ Comacinâ Francionem, magiſtrum militum, obſidebant*. Lib. IIII cap. III: *Rurſum ſe Gaidulfus in inſulâ Comacinâ recluſit. Agilulfus verò rex in eamdem Comacinam inſulam ingreſſus, homines Gaidulfi exinde expulit; & theſaurum, quem ibidem à Romanis poſitum invenerat, Ticinum transtulit*. Lib. V cap. XXXVIII: *Cunibertus ad inſulam, quæ intra lacum Larium non longè à Como eſt, confûgit; ibique ſe fortiter communivit*. Cap. XXXVIIII: *Aldo verò & Grauſo euntes ad lacum Comacinum, ingreſſique navem, ad Cunibertum profecti ſunt*. Lib. VI cap. XVIIII: *Anſprandus quoque fugiens, in inſulam ſe Comacinam communivit*. Et Cap. XXI: *Miſit quoque rex Aripertus exercitum adversùs Anſprandum in inſulam Comacinam. Quo comperto Anſprandus fugit Clavennam; deinde*

per Curiam, Rhætorum civitatem, venit ad Theudebertum, Baioariorum ducem. At quum ſuperior lacus Larii pars veluti freto quodam anguſto, quod eſt apud Adduæ influxum, ab reliquo lacu ſeparetur; SVMMVS LACVS hic olim adpellatus eſt. Antoninus in Itinerario:

SVMMVS *lacus.*

Brigantia	
Curia	L.
Tinnetione	XX.
Muro	XV.
Summo laco	XX.
Como	LX.

Vici heic tenue veſtigium hodiéque incolis vocatur *Sammòlico*. ipſe autem lacus vulgò dicitur *Lago di Chiavenna*, & *Lago della Riva di Mezuola*.

Cæterùm in Tabulâ circa Ticinum, Mediolanum, & Laudem Pompeiam inſulæ quædam includuntur amnium fluentis, quibus miſcentur Ticinus atque Lamber. hinc patet, jam tum, ut nunc fit, Ticinum, Lambrum, & Adduam fuiſſe inter ſe foſſionibus mixtos.

VBARTVS & HVMATIA *fluvii.*

In câdem Tabulâ inter Lambrum & Cleuſim duo amnes ab Alpibus in Padum derivantur, quibus nomina adpoſita ſunt hoc modo; *Fl. Vbartum. Fl. Vmatia.* At hoc tractu inter duo prædicta flumina, præter Ollii & Melæ clara nomina, nulli alii ſunt amnes, quàm qui, in Adduam confluentes, vulgò dicuntur *Il Brembo* & *Il Serio*. Ex ſitu igitur VBARTVS *fluvius* is fuerit, qui nunc dicitur *Brembo*; VMATIA autem, ſive HVMATIA, (adſpirationem enim interiiſſe puto) is, qui nunc *Serio*. Quamquàm haud temerè ego adfirmaverim, genuina hæc atque incorrupta eſſe eorum fluminum nomina.

OLLIVS *fluvius.*

Sequitur hinc OLLIVS *amnis*, vulgò nunc Italis *Oglio*, & eius adcolis *Oio* dictus. Memoratur uni Plinio, præſcripto loco, & item lib. II cap. CIII: quem locum poſteà citabimus. Oritur eodem cum Adduâ Alpium tractu, in monte, cui vulgare vocabulum *Mortaruolo*. Per vallem Camunicam L fermè millia paſſuum delapſum SEBINVS ſive SEVINVS eum excipit LACVS; teſte Plinio eisdem locis. qui lacus ab opido *Sebo* ſive *Sevo* cognominatus eſt; ut ſuprà cap. XV in Euganeis docui. Opidum id quum nunc vulgò dicatur *Iséo*; lacus inde nunc etiam, ut olim, cognomen habet, vulgò *Lago d' Iséo*.

SEBINVS *lacus.*

MELA *flumen.*

Ipſe amnis Ollius antequàm in Padum transeat, duos recipit ſiniſtrâ ripâ alios amneis Alpinos, quorum vulgaria nunc vocabula *Mela & Chieſe*. MELA ſive, ut alii ſcribunt, MELLA, hoc nomine memoratur Catullo atque Virgilio. quorum hic Γεωργικῶν lib. IIII ita canit:

Eſt etiam flos in pratis, cui nomen amello
Fecère agricolæ. tonſis in vallibus illum
Paſtores & curva legunt prope flumina Mellæ.

Ad quæ verba ita commentatur Servius: *Mella fluvius Galliæ eſt, juxta quem herba hæc plurima naſcitur. unde & amello dicitur.* Catullus carmine LXVIII ſic canit:

Atqui non ſolùm hunc ſe dicit cognitum habere
Brixia, Chinææ ſuppoſita ſpeculæ;
Flavus quam molli percurrit flumine Mela;
Brixia, Veronæ mater amata meæ:
Sed de Poſtumî & Cornelî narrat amore;
Cum quibus illa malum fecit adulterium.

Sed an ſatis ſine mendo hoc vocabulum *percurrit*, equidem neſcio; quando Mela à mille paſſibus urbem præfluit. unde ſuſpicor, ſcripſiſſe ipſum Catullum *præcurrit*. Quum amniculus *Gartia* urbem hodiè perfluat ſive percurrat; quidam hunc antiquorum Melam interpretati ſunt. Verùm hos aperto teſtimonio redarguit Virgilii commentator Philargyrus; ad præſcripta poëtæ verba ita ſcribens: *Mella amnis in Galliâ Ciſalpinâ, vicinus Brixiæ. oritur ex monte Brenno.* BRENNVS hic MONS vocatur nunc vulgò *Monte Maniva*. At ipſe amnis quum hodiè ſuperiore ſui parte ab eis, qui apud *Collium, Bovenium, Gardonem*, & aliis locis in XL ampliùs officinis ferri metallis operantur, in multos rivulos atque canaleis diducatur; communis eius nativusque alveus circa urbem totus plerumque aret.

BRENNVS *mons.*

Alter

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Alter ille amnis, qui nunc vulgò *Chieſe* & *Chieſi* vocatur, Tabulæ itinerariæ, ut ſuprà memoravi, dicitur CLEVSIS. ab hac quidpe voce rectiſſimâ Italicæ grammatices ratione deſcendit illa. nempe ſolent Itali in multis vocibus literam *l*, præcedente aliqua conſonarum mutare in *i*. ut ex *clamo, clarus, clavis, eccleſia, cludo*, fiunt *chiamo, chiaro, chiave, chieſa, chiudo*. Nomina autem eorum cuncta ab Latinorum ablativis formantur. Hinc igitur ab *Cleuſi*, abjecto *u* ex diphthongo *eu*, formatum eſt vulgare vocabulum *Chieſi*, & *Chieſe*. illud rurſus alii formant in *Chieſio*. Quamquam jam inde Polybii ætate Romanis etiam CLVSIVS *amnis* dictus eſt. Polybius lib. II: Πόπλιος Φέριος καὶ Γάϊος Φλαμίνιος διέβησαν εἰς τὴν τῶν Ἰσόμβρων γῆν κατὰ τὰς συῤῥοίας τοῦ Ἀδόα καὶ Πάδου ποταμῶν. * * Μετὰ δὲ ταῦτα σπεισάμενοι καθ' ὁμολογίαν, ἔλυσαν ἐκ τῶν τόπων. Περιελθόντες δὲ πλείους ἡμέρας, καὶ διελθόντες τὸν Κλούσιον ποταμὸν, ἦλθον εἰς τὴν τῶν Κενομανῶν χώραν. Id eſt: *P. Furius & C. Flaminius in Inſubrium regionem circa Adduæ Padique conflacnteis trajecerunt*. Mox: *Poſt hæc fœdus icerunt: & ex pacto communi exceſſerunt illis locis. Deinde per proximas regiones multos dies vagati; transmiſſo Cluſio amne, in Cenomanorum agros pervenerunt*. Eſſe hunc *Cluſium* Tabulæ *Cleuſim*, patet ex nomine Cenomanorum, in quorum finibus tunc fluxit *Cleuſis*. De cætero hic quoque fluvius lacum transit haud perinde magnum; qui vulgò hodiè vocatur *Lago d' Idro*, ab opido eius nominis juxta ſito. quod quum olim Latinè dictum fuerit *Edrum*; ut ſuprà dicto cap. XV in Euganeis oſtenſum: *lacus* etiam inde Latinè haud dubiè cognominatus fuit EDRINVS; vel EDRANVS; ut opidanos refert lapis antiquus, quem in Euganeis citavi.

CLEVSIS *amnis: qui & CLVSIVS.*

EDRINVS *lacus.*

Vltimus hinc in Padum ex Alpibus defluit MINCIVS *amnis*; vulgò nunc *Menzo* dictus: Græcè Straboni in fine libri IIII Μίγκιος. Meminêre prætereà eius, Virgilius, Plinius, Servius, Vibius Sequeſter, Claudianus, Iſidorus, & alii. Ex his Virgilius Eclogâ VII:

MINCIVS *amnis.*

Heic viridis tenerâ prætexit arundine ripas
Mincius.

Et γεωργικῶν lib. III:

Primus Idumæas referam tibi, Mantua, palmas:
Et viridi in campo templum de marmore ponam
Propter aquam, tardis ingens ubi flexibus errat
Mincius, & tenerâ prætexit arundine ripas.

Claudianus in Panegyrico de VI conſulatu Honorii:

Sic fatus, Ligures Venetosque erectior amneis
Magnâ voce ciet. frondentibus humida ripis
Colla levant pulcher Ticinus & Addua viſu
Cærulus, & velox Atheſis, tardusque meatu
Mincius.

Et in Epithalamio Palladii & Celerinæ:

Vndique occurrunt volucres, quæcumque frementem
Permulcent Atheſim cantu; quas Larius audit;
Quas Benacus alit; quas excipit amne quieto
Mincius.

Sed ſuper huius amnis ortu diſcrepant inter ſe auctores. alii quidpe ex BENACO *lacu* qui nunc vulgò dicitur *Lago di Garda*, primam originem eum trahere putarunt: alii ex Alpium jugis exortum transire lacum tradiderunt. Illius opinionis fuit Virgilius, adcola eius: qui Aeneid. lib. X ſic canit:

BENACVS *lacus.*

Hinc quoque quingentos in ſe Mezentius armat:
Quos, patre Benaco, velatus arundine glaucâ,
Mincius infeſtâ ducebat in æquora pinu.

Ad quæ ita Servius: *Benacus eſt lacus Venetiæ, de quo fluvius naſcitur Mincius. Iure ergo dux Venetus fluvium provinciæ ſuæ depinxit in navi: quem Benaci filium, quia ex ipſo habere originem dicit*. Deeſt aliquid. Ego puto ſcripſiſſe Servium; *Quem Benaci filium dicit, quia ex ipſo habere originem putatur*. In eamdem ſententiam Iſidorus, Origin. lib. XIII cap. XVIIII: *Benacus, lacus Italiæ in Venetiâ; de quo fluvius naſcitur Mincius*. Et Vibius Sequeſter, in Catalogo fluminum: *Benacus, Galliæ; ex quo naſcitur Mantuanorum Mincius*. Et poſteà in eodem fluminum Catalogo: *Mincius, Galliæ Ciſ-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

alpinæ, proximus Mantuanis. agitur ex Benaco. Fortè heic etiam ſcriptum fuit, *naſcitur ex Benaco.* Rurſus item in Catalogo lacuum: *Benacus, Galliæ; unde Mincius fluit.* Item Probus grammaticus, ad Virgilii Γεωργικῶν lib. II: *Benacus eſt, ex quo Mincius flumen oritur; quod præterfluit Mantuam.* Atque eiusdem ſanè fuiſſe videtur ſententiæ & Plinius lib. III cap. XVIIII; ubi ait, *In hac regione & X lacus inclyti ſunt; amnesque eorum partus, aut alumni.* Eos ſcilicet adpellaſſe poterat *alumnos*, qui, supernè exorti, lacus ſuos transeunt: *partus* verò, qui ex ipſis lacubus primam originem trahunt. in

SARRACA *fluvius.*

quibus hic noſter *Mincius* cùm ab ipſo tùm à Virgilio haud immeritò cenſeri potuit; quando hodiéque nomen eius ab ipſo lacu incipit. nam qui ſupernè lacum influit amnis, is *Sarca* vocatur. quod nomen jam olim habuiſſe cum opido eiusdem nominis, ſuprà dicto cap. XV in Euganeis ex Ptolemæi huius tractus opido *Carraca* colligi: quod ab ipſo Ptolemæo ſcriptum putaverim Σάῤῥακα, SARRACA. Verùm enimverò longè aliter ſentit Plinius eodem loco in ſequenti continuò oratione. ſic quidpe ait: *In hac regione & X lacus inclyti ſunt, amnesque eorum partus aut alumni; ſi modò exceptos reddunt; ut Adduam Larius, Ticinum Verbanus, Mincium Benacus, Ollium Sebinus, Lambrum Eupilis.* Et dicto lib. II cap. CIII: *Quædam aquæ dulces inter ſe ſupermeant alias: ut in Lario lacu Addua amnis, in Verbano Ticinus, in Benaco Mincius, in Sevino Ollius.* Sed omnium diſertiſſimè lib. VIIII cap. XXII: *Lacus eſt Italiæ Benacus, in Veronenſi agro, Mincium amnem transmittens: ad cuius emerſus annuo tempore Octobri ferè menſe, autumnali ſidere, ut palàm eſt, hiemante lacu, fluctibus glomerata volvuntur in tantum mirabili multitudine, ut in excipulis eius fluminis, ob hoc ipſum fabricatis, ſingulorum millium globi reperiantur.* Sanè, neque illa Virgilii dictorumque grammaticorum verba omnino falſa atque conficta eſſe exiſtimo; neque, quos alias *lacuum partus* potuerit adpellare amneis Plinius, video. Cæterùm BENACVS *lacus*, præter jam dictos auctores, Virgilium, Plinium, Servium, Probum, Claudianum, Vibium, Iſidorum, memoratur etiam Catullo, Straboni, Sotioni, ac Ptolemæo. Ac Straboni quidem, ſuprà dicto lib. IIII, ſcribitur Βήνακος, *Benacus.* ut etiam Latinis poëtis vocalis *e* in primâ ſyllabâ longa eſt. At apud Ptolemæum ea ſyllaba per diphthongum ſcripta eſt Βαίνακος, *Bænacus.* Scripſiſſe antiquos Romanos ſimplicem vocalem, patet ex inſcriptionibus antiquis, quas ſuprà cap. XV in Euganeis citavi. Apud Sotionem, ut mox videbimus, vocabulum id corruptum eſt in Βενβήνακος. Catullo carm. XXXII memoratur ſine nomine, in his verſibus:

Salve, ô vetuſta Sirmio, atque hero gaude.
Gaudete vosque ludiæ lacus undæ.

Magnitudinem eius indicare voluit Virgilius dicto Γεωργικῶν lib. II, his verſibus:

An mare, quod ſuprà, memorem, quodque alluit infrà?
An ne lacus tantos? te Lari maxime, teque
Fluctibus & fremitu adſurgens Benace marino?

Ad quem locum ita commentatur Servius: *Benacus eſt lacus Italiæ, qui magnitudine ſui tempeſtates imitatnr marinas.* Sed de magnitudine eius ita è Polybio refert Strabo fine dicti lib. IIII: Ἡ μὲν Βήνακος λίμνη ἔχει μῆκος πεντακοσίων σταδίων, πλάτος δὲ ἑκατὸν πεντήκοντα· ἐκρεῖ δὲ ποταμὸς Μίγκιος. Id eſt: *Benacus lacus longitudinem habet quingentûm ſtadiorum, latitudinem verò* CL. *effluitque ex eo Mincius amnis.* Stadia IↃ conficiunt millia paſſuum LXII, paſſusque IↃ. ſtadia autem CL ſunt millia XVIII cum paſſibus IↃCL. Certè in longum vix XXXV millia excedit; in latum verò XII. Philargyrus in commentariis ad Virgilii Γεωργικῶν lib. II, *Larius*, inquit, *lacus in Galliâ eſt Ciſalpinâ, non amplius centum viginti ſtadiorum circuitu patens. Benacus, in eâdem regione, mille & ducentorum.* Tot ſtadia conſtituunt millia paſſuum CL. quæ equidem ſatis juſta foret circuitus dimenſio, ſi tanta eſſet longitudo latitudoque lacui, quantam Polybius tradidit. at re verâ totius lacus ambitus haud ampliùs centum colligit millia. In fragmentis Sotionis libri de Fluminum, fontium, ac lacuum mirandis ita ſcriptum eſt: Ἐπὶ τῆς ἐν Ἰταλίᾳ λίμνης καλουμένης Βενβηνάκου, οὔσης δὲ τὸ περίμετρον σταδίων φ', νῆσος ἐστιν οἰκουμένη κατάφυτος δένδρεσιν ἡμέροις, ἥτινη φορουμένη καὶ μεταβαίνουσα πρὸς τὰς τῶν πνευμάτων φοράς. Τὸ δ' αὐτὸ τοῦτο καὶ ἐν ἑτέρᾳ λίμνῃ τῆς Ἰταλίας, Κουτιλίᾳ καλουμένῃ γίνεται. Ἔστι δὲ καὶ Λάκκος Οὐαδιμῶνος καλουμένη λίμνη οὐ μεγάλη ἐν Ἰταλίᾳ, ὁμοίως ἔχουσα νησία πλείονα πάσῃ πνοῇ μετακινούμενα. Hoc eſt: *In Italiæ lacu, qui Benbenachus vocatur, ſtadiaque in circuitu occupat* IↃ, *inſula eſt cultoribus habitata, atque arboribus domeſticis conſita; quæ fluitans hinc inde*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

inde circumfertur ventis impellentibus. Idem in alio lacu Italiæ fit, qui Cutilius vocatur. Eſt & Vadimonis lacus modicus in Italiâ; qui conſimiliter parvas habet aliquot inſulas quavis aurâ huc illuc translatas. Vehementer ego vereor, ne Sotion, Græcus homo, non tantùm à lacus vero nomine heic atque magnitudine, ſed & ab ipſo prorſus lacu, in quo inſula arboribus conſita fluctuabat, quàm longiſſimè aberraverit. quidpe tale quid de *Benaco* nemo usquàm adnotavit alius auctor: licèt & Catullus peninſulam eius Sirmionem diu habitaverit; nec Virgilius Mantuanus procul inde natus ſit; ac Plinius in eâdem Italiâ Transpadanâ Comi genitus. qui lib. II cap. XCV ita ſcribit: *Quædam inſulæ ſemper fluitant: ſicut in agro Cæcubo & Reatino, Mutinenſi, Statonienſi, in Vadimonis lacu; & ad Cutilias aquas opaca ſilva; quæ numquàm die ac noctu eodem loco viſitur.* Mox: *In Tarquinienſi lacu magno Italiæ duæ inſulæ nemora circumferunt, nunc triquetram figuram edentes, nunc rotundam complexu, ventis impellentibus; quadratam numquàm.* De hoc igitur *lacu Tarquinienſi*, qui nunc vulgò dicitur *Lago di Bolſena* in Etruriâ, illud accepiſſe Sotionem crediderim. quum autem de lacus Benaci *Sirmione* quoque inaudiviſſet; quam Catullus in dicto carm. XXXII *peninſularum* ſimul *inſularumque* vocat *ocellum*; nempe plurimùm peninſulæ in formam depreſsâ cervice continenti terræ adnexam conſpici: ubi verò à ſeptemtrionibus ventus invaluerit, lacusque commotus ſit; contectâ fluctibus cervice, ſpeciem inſulæ præbere: has duas diverſas de duobus diverſis lacubus atque inſulis narrationes Sotion poſteà per oblivionem in unum Benacum lacum contuliſſe, nomenque eius corrupiſſe in Βενϐλώαχον videtur; magnitudine inſuper illi tributâ, quæ Benacum non implet, Tarquinienſem autem lacum excedit. Sed quum alii, ut ſuprà ex Strabone intellectum, τὸ μῆκος, id eſt, *longitudinem* Benaci φʹ σταδίων, id eſt, *quingentûm ſtadiorum* eſſe tradidiſſent: ille τὸ περίμετρον, id eſt, *ambitum*, tot occupare putavit ſtadia. De cætero quantæ celebritatis hic lacus olim fuerit, adparet ex innumeris, quæ paſſim in opidis vicisque ei adpoſitis reperiuntur, antiquitatum monimentis. Atque hi ferè ſunt amnes lacusque in ſiniſtram Padi ripam ex Alpibus defluentes, quorum antiqui meminêre ſcriptores.

Nunc ea quoque explicentur flumina, quæ ex Apennino dextram petunt Padi ripam. Celeberrima ex iis memorat Plinius dicto lib. III cap. XVI, *Tanarum, Trebiam Placentinum, Tarum, Niciam, Gabellum, Scultennam, Rhenum, & Vatrenum*: capite autem XV, *Anemonem*. In Tabulâ autem itinerariâ eamdem ripam inlabentia complura alia recenſentur; quorum nomina vel corrupta ſunt, vel planè obſcura. Sunt autem iſta, à fonte Padi ad oſtia: *Fevos, Latis, Iala, Varuſa, Berſula, Odubria, Hadra, Nigella, Rigonum, Paala, Saternum, Animo, Isex, Silarum, Sinnum*. Heic itidem miror, tam obſcura nomina, *Fevos, Latis, Iala, Berſula, Odubria*, perſcripta eſſe; quum interim maxima celeberrimaque huius ripæ flumina, *Tanarus, Trebia, Tarus, Gabellus, Scultenna*, non memorentur.

Sed maximus omnium eſt TANARVS; nomen etiamnunc retinens, vulgò adcolis *Tanaro* & *Tanero* dictus. Corruptum eius vocabulum legitur apud Aelianum Ταίναρος, pro Τάναρος. quòd inſcitiâ librarii factum; cui notius erat extimum Peloponneſi versùs meridiem promontorium hoc nomine, quàm *Tanarus* amnis Italiæ. Verba Aeliani Hiſtor. animal lib. XIIII cap. XXVIIII hæc ſunt: Ἔνθα ὁ Τάναρος ποταμὸς καὶ ὁ Ἠριδανὸς συμβάλλετον· ἔστι μὲν δὲ διὰ δόξης ἰὼν καὶ κλέος, ἐκεῖνος δὲ οὐ πάντη γνώριμος· ἐνταῦθά τοι ἴσασι καὶ μὰ Δία ἰχθύων ἰδίαν. Id eſt: *Vbi inſignis Eridanus & parum nobilis Tanarus in unum confluunt, ibi peculiares piſcandi modos incolæ exercent.* TANARVS *amnis.*

In Tanari dextram ripam apud Alexandriam opidum defluit amnis, cui vulgare hodiè vocabulum *Bormia*; & in hunc paullo ſupra Alexandriam influit *Orba*. huius nomen antiquis dicebatur VRBS. Claudianus de bello Gotico: VRBS *fluvius.*

——— Ligurum regione ſupremâ
Pervenit ad fluvium miri cognominis Vrbem.

Silvam juxtà eodem olim adpellatam fuiſſe nomine, ſuprà cap. X in Liguribus oſtenſum eſt.

De cætero opidum Liguriæ memorari Plinio atque Ptolemæo *Iriam*; quod nunc *Voghiera* vulgò vocatur, VIIII millia paſſuum à Dertonâ diſſitum; eodem cap. X docui. Flumen hoc adluit, in Padum defluens, vulgari nunc vocabulo *Staffora*. id IRIA *fluvius.*

 olim

olim eodem cum opido nomine dictum fuit IRIA. Iornandes de Rebus Goticis: *Maioranus Dertonæ juxta fluvium Ira cognomento occiditur.* Non mendum heic eſſe pro *Iria*, ſed jam tum nomen id fluminis juxtà atque opidi dictum fuiſſe IRA, ex hodierno vocabulo colligo.

TREBIA *amnis.*

TREBIA *fluvius* antiquum nomen hodiéque retinet, vulgò *Trebbia* dictus; apud Placentiam in Padum confluens: unde Plinio cognominatur *Placentinus*. Nobilitatus maximè fuit clade Romanorum, quam heic à Pœnis duce Hannibale acceperunt; ut auctores ſunt inter alios præcipui Polybius lib. III, Livius lib. XXI, Silius lib. IIII, Appianus in Hannibalicis. Atque apud Polybium equidem vero legitur nomine ὁ Τρεβίας ποταμὸς, *Trebia amnis*. at apud Appianum corruptum putaverim eſſe Τριβίας, *Tribia*. Silius dicto lib. IIII:

Planitiem metuens, Trebiam colleisque petebat.

Lucanus lib. II: —— *Quòd non in Punica nati*
Tempora Cannarum fuimus Trebiæque juventus.

Paludes ad eum memorantur Livio Silioque. quorum hic ita canit. lib. XVII:

Qualem Gargani campum, Trebiæque paludem,
Et Tyrrhena vada, & Phaëthontis viderat amnem
Strage virûm undantem.

Livius verò dicto lib. XXI ita ſcribit: *Locum inſidiis circumſpectare Pœnus cœpit. Erat in medio rivus præaltis utrimque clauſus ripis, & circà obſitus paluſtribus herbis, & quibus inculta fermè veſtiuntur virgultis vepribusque.* Et paullo poſt: *Erat fortè brumæ tempus & nivalis dies, in locis Alpibus Apenninoque interjectis, propinquitate etiam fluminum ac paludum prægelidis.* Eæ paludes circa primos apud Trebiam colleis hodiéque conſpiciuntur.

VARVSA & HADRA, *flumina.*

Tabulæ itinerariæ VARVSA *fluvius* is videtur eſſe amniculus, qui inter Trebiam & Iriam, haud longè infra Ticini confluentem in Padum influit vulgari vocabulo *Verſa*. HADRA autem haud dubiè is eſt, qui, infra Cremonam in Padum confluens, vulgò vocatur *L'Arda*.

TARVM *flumen.*

SESTERRIO *fl.*

TARVS Plinii nomen antiquum ſervat, vulgò adcolis *Taro* & *Tarro* nuncupatus. In lævam eius ripam confluit amnis, qui vulgò nunc *Stirone*, & *Seſtro*, ac *Seſtrone* vocatur. Luitprando Ticinenſi is SESTERRIO *fluvius* adpellatur; in hiſtoriâ autem Martyrii divi Domnini eſt SISTERIO. Verba huius hiſtoriæ ſuprà cap. XXVII ad opidum *Fidentiam* citavimus examinavimusque. Luitprandus Hiſtoriar. lib. I cap. XI ita tradit: *Quum Adelbertus, Tuſcorum marchio, & Hildebrandus comes, cum diverſo & invalido Tuſcorum exercitu Bardonis montem tranſirent, Lanthberto regi, ut ſeſe res habuerat, nunciatur. Is verò, ſicut erat animi conſtans viribusque potens, ſuos non paſſus eſt milites præſtolari: ſed collectis, quos ſecum habebat, centum ferè militibus, curſu præpeti eis occurrere feſtinat. Iamjam Placentiam venerat, quum juxta fluvium Seſterrionem, ad Burgum, in quo ſanctiſſimi ac precioſi martyris Domnini corpus poſitum, caſtrametaſſe nunciantur.* In vulgatis equidem exemplaribus ſcriptum eſt *Dominici*. ſed legendum eſſe *Domnini*, cùm antiqua martyrologia Romana, quæ ſuprà cap. XXVII citavimus, tum hodierna loci teſtatur adpellatio, quæ eſt vulgò *Il Borgo di San Donnino*.

PARMA *fluvius.*

Proximus à Taro PARMA *fluvius* ipſam urbem Parmam interfluit. id nomen amnis corruptum eſſe cenſeo in Tabulâ itinerariâ in *Paala*.

NICIA *fluvius; qui &* NIGELLA.

Hinc apud Brixellum opidum amnis in Padum influit, cui vulgare vocabulum *Henza*, & adjecto lingvæ Italicæ articulo *L'Henza*: quod plerique contrahunt in unam vocem *Lenza*. Is amnis viris doctis putatur eſſe Plinii NICIA. Hic haud dubiè idem eſt, qui Tabulæ itinerariæ quaſi diminutivo vocabulo dicitur NIGELLA. nam C in G facilè converſum fuiſſe, vel ſexcentis patet exemplis. Sic, qui Padi alveus dicitur *Sagis*, Tabulæ eſt *Sacis*: ut ſuperiori capite intelleximus.

RHENVS *amnis.*

RHENVS Plinii nomen hodiè retinet, vulgò adcolis *Reno* adpellatus; Bononiam ad duo millia paſſuum ab occaſu Solis præfluens. Hinc illud Silii lib. VIII: *— Parvique Bononia Rheni.* Hinc etiam *Bononienſis* dicitur *Rhenus* Plinio lib. XVI cap. XXXVI. *Sed in hoc quoque*, inquit, *ut cæteris in rebus, vicit Italia: quando nullus ſagittis aptior calamus, quàm in Rheno Bononienſi; cui plurima ineſt medulla, pondusque volucre.* Huius quoque amnis nomen in Tabulâ itinerariâ corruptum eſt in *Riganum*.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

num. Nec obſtat, quòd *Rhenus* illic *Parmæ* præpoſitus ſit. ſic namque *Saternus* quoque ibidem & *Animo Idici* perperam præmiſſi; ut mox videbimus.

GABELLVS *amnis; qui &* SECIA.

Inter Niciam & Rhenum memorat idem Plinius *Gabellum* & *Scultennam*. ex his GABELLVS quia primus nominatur, hodiè putatur eſſe id flumen, quod vulgò dicitur *La Secchia*, apud Mincii confluentem in Padum tranſiens. Sed hoc etiam nomen SECIA haud perinde novum eſt. quidpe jam inde antiquo itinerario Hieroſolymitano memoratur hoc modo:

C. Fano Fortunæ	
C. Piſauro	XXIV.
Vsque Ariminum	
Mu. Conpetu	XII.
C. Ceſena	VI.
C. Foro Popili	VI.
C. Foro Livi	VI.
C. Faventia	V.
C. Foro Corneli	X.
C. Claterno	XIII.
C. Bononia	X.
Mu. Ad Medias	XV.
Mu. Ad Victuriolas	X.
C. Mutena	III.
Mu. Ponte Secies	V.
C. Regio	VIII.

SCVLTENNA *amnis.*

SCVLTENNA *amnis* præter Plinium Livio quoque & Straboni ac Frontino Paulloque Diacono memoratur. ex quorum deſcriptione deprehenditur is eſſe fluvius, qui, Mutinam à tribus millibus paſſuum verſùs Bononiam præfluens, vulgò nunc dicitur adcolis *Il Panaro*. Sed apud Strabonem vocabulum antiquum corruptum legitur, Σκουτάνα pro Σκουλτάνα. Verba eius ſunt lib. V iſta: Ἔρεαν δὲ τὴν μαλακὴν οἱ περὶ Μουτίνην τόποι καὶ τὸν Σκουλτάναν ποταμὸν φέρουσι πασῶν πολὺ καλλίστην. Id eſt: *Lanam mollem & omnium longè pulcherrimam producunt loca circa Mutinam & Scultanam flumen*. Livius lib. XLI: *C. Claudius conſul, literis T. Claudii & ſenatusconſulto accepto, ex Hiſtriâ legiones in Ligures transduxit. Ad Scultennam flumen in campos progreſſi caſtra habebant hoſtes. ibi cum his acie dimicatum. XV millia cæſa: plus IↃCC aut in prœlio aut caſtris capti. Ligures, reliquiæ cædis, in monteis refugerunt paſſim. populantique campeſtreis agros conſuli nulla usquàm adparuerunt arma*. Et haud multo pòſt: *Ligures, poſtquàm ſenſerunt, non conſularem tantùm exercitum Romam adductum; ſed legionem ab T. Claudio Piſis dimiſſam; ſoluti metu, clam exercitu indicto, per transverſos limites ſuperatis montibus in campos digreſſi, agrum Mutinenſem populati, repentino impetu coloniam ipſam ceperunt*. Apud Paullum etiam Diaconum quum huius fluvii mentio exſtaret, nomen eius nunc in vulgatis exemplaribus vitiatum legitur *Cultenna*. Verba eius ſunt Langobard. rer. lib. IIII cap. XLVII iſta; *Rothari rex cum Ravennatibus & Romanis bellum geſſit ad flumen Aemiliæ, quod Scultenna dicitur*. Sed & Appianus ac Dio eius meminerant; quamquàm ſine nomine. Dio lib. XLVI: Ὁρμήσαντες οὖν ὅ τε Καῖσαρ καὶ ὁ Ἵρτιος, Βονωνίαν μὲν, ἐκλειφθεῖσαν ὑπὸ τῶν φρουρῶν, ἀμαχεὶ παρέλαβον, καὶ τοὺς ἱππέας, τοὺς μετ' αὐτοῦ ἀπαντήσαντας σφίσιν, ἐτρέψαντο. ὑπὸ δὲ τοῦ πρὸς τῇ Μουτίνῃ ποταμοῦ τῆς τε ἐπ' αὐτῷ φυλακῆς οὐχ οἷοί τε ἐγένοντο περαιτέρω χωρῆσαι. Id eſt: *Profecti igitur cum copiis Cæſar & Hirtius, Bononiam à præſidio deſtitutam citra certamen receperunt: equitesque obviam factos in fugam dederunt. ſed à fluvio, qui Mutinam præterfluit, cuſtodiâque ad eum poſitâ, ulteriùs progredi prohibiti ſunt*. Appianus Civil. bellor. lib. III: Δεκίμῳ δὲ ἀπαλλαγέντι τῆς πολιορκίας ὁ φόβος ἐς τὸν Καίσαρα ἐνηλλάσσετο. τὰς οὖν γεφύρας τοῦ ποταμοῦ διέκοψε πρὸ ἡμέρας, καὶ κελητίωνας ἐς τὸν Καίσαρα ἀποστέλλων, ἐμαρτύρει μὲν ὡς αἰτίῳ τῆς σωτηρίας, ἠξίου δὲ μέσον ἔχοντα τὸν ποταμὸν ἐς λόγους οἱ συνελθεῖν ἐπὶ μάρτυσι τοῖς πολίταις. Hoc eſt: *Decimus, obſidione exemptus, metuere ſibi cœpit à Cæſare. itaque ante lucem rupto ponte fluminis, in lembo ad Cæſarem miſit, qui gratias tamquam ſervatori agerent; poſtularentque, ut in ripam adverſam procederet ad colloquium,*

arbitris

arbitris civibus. Mutinæ Decimus Brutus obſidebatur ab M. Antonio. hunc C. Octavianus Cæſar, Bononiâ profectus, abegit: ut ſuprà cap. XXVIII in Boiis Gallis oſtenſum. Apud Frontinum Strategem. lib. III cap. XIIII ita ſcriptum eſt: *Hirtius conſul, Mutinenſibus obſeſſis ab Antonio, ſalem, quo maximè indigebant, cuppis conditum, per amnem Saniturnum intromiſit*. Alia exemplaria antiquâ manu ſcripta habent *Samminicorum*. Vtrumque vitioſum. nam neque *Samminicorus* neque *Samminicus* amnis heic ullus. ſed, ut nunc, ſic olim haud dubiè *Scultennæ* fluvii pars in urbem Mutinam derivata fuit: qua tunc A. Hirtius conſul prædictas cuppas, ſupra Antonii caſtra, qua divergium id eſt apud opidum vulgari vocabulo *Vignola*, amni impoſitas, Mutinenſibus obſeſſis demiſit.

IDEX *fluvius*.

Vltra Rhenum IDEX *fluvius* à V millibus paſſuum Bononiam prætetlapſus, in Padum defluit; vulgò nunc *L'Idice* dictus. quod vocabulum quum antiqua etiam inferioris ſæculi inſcriptio in curiâ Bononienſi referat; ſatis certum eſt, corruptum id legi in Tabulâ itinerariâ bis *Isex*.

SILARVS *amnis*.

Hinc X fermè millia in eâdem Aemiliâ viâ progredientibus occurrit SILARVS *amnis*, Tabulæ itinerariæ memoratus; vulgò nunc *Sillaro* dictus, & *Sillero*.

VATRENVS *amnis; qui &* SATERNVS.

Inde ad ſeptimum lapidem, apud Forum Cornelii, quod opidum nunc vocatur *Imola*, SATERNVS eſt *amnis*, vulgò nunc *Santerno* adpellatns: qui in dictâ Tabulâ unà cum *Animone* perperam *Idici* præpoſitus eſt. Idem antiquiori vocabuli formâ dicebatur VATRENVS, ſive VATERNVS; ut ſuperiori capite ex Plinio atque Martiali docui.

SINNVM *flumen*.

Proximè Saternum ſequitur SINNVM *flumen* eiusdem Tabulæ, vulgò nunc *Senno* & *Senio* dictum.

ANEMO *amnis*.

Poſtremus hinc in Padum defluit, qui Tabulæ ANIMO, Plinio autem ANEMO adpellatur; vulgò nunc *Armone*, *Ammone*, & *Amone* dictus. Plinii verba lib. III cap. XV hæc ſunt: *Octava regio determinatur Arimino, Pado, Apennino. In orâ fluvius Cruſtumius. Ariminum colonia, cum amnibus Arimino & Aprusâ. fluvius hinc Rubico; quondam finis Italiæ. ab eo Sapis, & Vteis, & Anemo: Ravenna, Sabinorum opidum, cum amne Bedeſe*. Hæc ſanè paullo incurioſiùs à Plinio conſignata; quum *Anemo* non in mare Hadriaticum inter Ariminum & Ravennam, ut reliqua iſta flumina, ſed ultra Ravennam in Padum defluat.

Atque hæc fermè ſunt, quæ de fluviis lacubusque in Padum defluentibus ex veterum auctorum monimentis erui potuerunt. Nunc ad reliquæ Italiæ expoſitionem pergemus.

FINIS LIBRI PRIMI.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

PHILIPPI CLVVERI

ITALIAE ANTIQVAE

LIBER SECVNDVS;

Quo ETRVRIA, VMBRIA, SABINVS AGER, PICENVM, VESTINI, MARRVCINI, PELIGNI, MARSI, & AEQVI deſcribuntur.

* *
*

CAPVT PRIMVM.

De TVSCORVM *ſive* ETRVSCORVM *variis nominibus ac genere: item de geminâ* ETRVRIA. *ubi etiam de* PELASGIS *agitur, cognomine* TYRRHENIS: *qui primi Etruriam in* XII *populos principatusque diſtinxerunt.*

HActenus ea Italiæ pars nobis expoſita eſt, quæ *Gallia* dicebatur *Cisalpina*, ſive *Citerior*; eadem & *Togata*, & *Italia Gallica*. nunc reliqua univerſæ Italiæ versùs meridiem ortumque exſequenda ſunt. Prima igitur poſt Ligures atque Gallos fuit ETRVRIA, ſub Apennino monte ſita. Huius fines & opida antequàm deſcribantur, de incolis eorumque nomine atque originine ac priſcâ ſede, item de potentiâ ac moribus, quæ antiqui rerum adnotarunt ſcriptores, erunt explananda.

Nomen igitur gentis quod attinet, dicti fuêre Græcis Τυῤῥηνοὶ TYRRHENI, & variante dialecto, Τυρσηνοὶ, TYRSENI. Hoc vocabulo utuntur ſemper antiquiſſimi ſcriptorum, Heſiodus, Pindarus, Euripides, Herodotus, Thucydides, Apollonius, Lycophron; & cum ipſis ex poſterioribus Dio: illo reliqui ferè auctores. Regio ipſa inde vocata eſt Τυῤῥηνία, TYRRHENIA, & Τυρσηνία, TYRSENIA. Romanis gens adpellata eſt ETRVSCI; & regio ETRVRIA. quæ vocabula inferioribus temporibus ad hanc usque diem plerumque ſcribuntur cum adſpiratione *Hetruſci*, & *Hetruria*. Verùm quum omnes pariter lapides antiqui adſpirationem heic habeant nullam; rectiùs eam omitti, certum eſt. Cæterùm iiſdem Romanis gens quoque dicebatur TVSCI. quod & ipſum vocabulum quia Græcæ originis eſſe credebatur, quasi ἀπὸ τοῦ θύειν, id eſt, *à ſacrificando* deductum; nonnullis etiam antiquis ſcriptoribus, maximè verò Plinio, cum adſpiratione ſcriptum eſt THVSCI. Sed hoc quoque tùm in compluribus inſcriptionibus, tùm apud ipſos Græcos auctores ferè omneis, quotquot eo uſi ſunt, & item in plerisque Latinorum auctorum exemplaribus antiquis legitur ſimpliciter Τοῦσκοι, *Tuſci*. adeóque hactenus unam ſolam reperi inſcriptionem, quæ adſpirationem referat; ex auctoribus autem Græcis Sozomenum; & qui huius locum in hiſtoriam ſuam eccleſiaſticam tranſcripſit, Nicephorum Calliſti. Regionis hinc nomen TVSCIA apud vetuſtiores equidem Romanorum ſcriprores non invenitur; niſi quòd apud unum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

M. Terentium Varronem lib. IIII de lingvâ Latinâ hæc leguntur: *Quæ ad humum ſunt, aut à re, ut Sabini & Lucani; aut declinata ab hominibus, ut Appulia & Latium; aut utrumque, ut Etruria & Tuſcia.* Primus id inde, CCL circiter annis pòſt, ſub Severo imperatore, uſurpavit L. Florus, lib. I cap. V; ſic de Tarquinio Priſco, Romanorum rege, loquens: *Duodecim Tuſciæ populos frequentibus armis ſubegit.* Sub idem tempus etiam inſcriptiones lapidum, ac poſteà alii auctores, frequenter eo uſi ſunt. Zoſimus lib. V: Πομπηϊανὸς ἐνέτυχέ τισιν ἐκ Τουσκίας εἰς τὴν Ῥώμην ἀφικομένοις. Id eſt: *Pompeianus fortè in quosdam incidit, qui è Tuſciâ Romam proficiſcebantur.* Eadem res narratur Sozomeno quoque, Eccleſiaſticæ hiſtoriæ lib. VIIII cap. VI; & ex hoc Nicephoro Calliſti, lib. XIII cap. XXXV: apud quos, ut antè dixi, gentis nomen cum adſpiratione legitur Θοῦσκοι, regionis Θουσκία. Porrò Servius ad Virgilii Aeneid. lib. I, *Tyrrhenum,* inquit, *mare dictum eſt, vel quòd Tuſciam adluit, id eſt Tyrrheniam; vel à Tyrrhenis nautis, qui ſe in hoc mare præcipitaverunt.* Et ad eumdem librum ita poſteà: *Provinciam quæro; hoc eſt, Italiam: patriam; hoc eſt, Corytum, Tuſciæ civitatem.* Et ad lib. VIII: *Tuſcia duodecim Lucumones habuit, id eſt, reges; quibus unus præerat.* Item ad lib. X: *Lucumones in totâ Tuſciâ duodecim fuiſſe, manifeſtum eſt: ex quibus unus omnibus imperavit. hi autem totius Tuſciæ diviſas habebant quaſi præfecturas.* Eutropius, ſub initium libri VII: *L. Antonius conſul apud Peruſium, Tuſciæ civitatem, victus eſt.* Iſidorus Origin. lib. XIIII cap. IIII: *Tuſcia à frequentiâ ſacrorum & thuris vocata,* ἀπὸ τοῦ θυάζειν. Mox: *Hæc eſt & Tuſcia. Sed Thuſciam dicere non debemus; quia nusquàm legimus. Thuſcia autem à frequentiâ ſacrificii & thuris dicta eſt,* ἀπὸ τοῦ θύειν. Sic equidem vulgata exemplaria referunt. at ego credo, ſcripſiſſe ipſum Iſidorum ubique cum adſpiratione, *Thuſcia*; quia id vocabulum ἀπὸ τοῦ θυάζειν ſive θύειν deductum docet. De cætero verba hæc à Servio mutuatus eſt: apud quem ad dictum Virgilii Aeneid. lib. X hæc leguntur: *Thuſci à frequenti ſacrificio ſunt dicti,* ἀπὸ τοῦ θύειν. *unde Thuſcos populos benè dicimus: Thuſciam verò non debemus dicere; quia nequaquàm in idoneis auctoribus legitur. ſed aut Etruria dicenda eſt, ab Etruſco principe, aut Lydia à Lydo; aut Tyrrhenia ab eius fratre; qui, ut ſuprà diximus, cum parte populi de Mæoniâ venit ad Italiam.* Hinc haud immeritò doctiſſimus Ioſephus Scaliger in ſuprà ſcripto Varronis loco legendum cenſuit, non *Tuſcia*, ſed *Tuſci*. additque rationem: quia *Varro doceat, ab humo declinari, quòd Etruria; ab hominibus, quòd Thuſci dicerentur.* At Varro non ait *aut ab humo declinari* iſta vocabula, *aut ab hominibus*; ſed, *ad humum quæ ſpectent, aut à re, aut ab hominibus dici.* Et quomodò regio ſive terra *Etruria ab humo* ſic dicta eſt? item, à quibus *hominibus* incolæ eius adpellati ſunt *Tuſci*? Quapropter, ſi, ut Scaliger cenſet, Varro ſcripſit, *Vtrumque; ut Etruria & Tuſci*: certè hos *à re*, id eſt, ἀπὸ τοῦ θύειν, terram verò *ab hominibus*, id eſt, ab *Etruſcis, Etruriam* dictam eſſe voluit. Scripſiſſe autem Varronem, *Etruria & Tuſci*, ea maximè perſvaſerit ratio, quòd nullus alius ante L. Florum *Tuſciæ* uſurpavit vocabulum auctor. tum ſatis diſertum eius rei exſtat teſtimonium apud Philargyrum in Commentariis ad Virgilii Aeneid. lib. II; ubi ſic ſcriptum: *De Sabellis Varro in Agemodo ſic ait: Terra culturæ causâ attributa olim particulatim hominibus; ut Etruria Tuſcis, Samnium Sabellis.* Verùm unde Romanis regionis *Etruriæ* incolæ *Etruſci* adpellati fuerint, apud neminem veterum auctorum adnotatum invenio: niſi quod Servius loco proximè ſcripto de *Etruſco* neſcio quo *principe* prodit; *De Tyrrhenorum* verò *Tuſcorum*que gentis ſimul ac nominum origine alii etiam idonei teſtantur auctores quamplurimi. Plinius lib. III cap. V: *Etruria eſt ab amne Macrâ; ipſa mutatis ſæpè nominibus. Vmbros inde exegêre antiquitus Pelaſgi; hos Lydi. à quorum rege Tyrrheni, mox à ſacrifico ritu lingvâ Græcorum Thuſci ſunt cognominati.* Epitomator Plinii Solinus cap. VIII: *Tyrrhenos à Tyrrheno, Lydiæ rege, dictos ferunt.* Hinc Cicero in lib. II de Conſulatu; ut ipſe refert in primo de Divinatione:

—— Torquato quæ quondam & conſule Cottâ
Lydius ediderat Tyrrhenæ gentis haruſpex.

Et Horatius Satyrâ VI libri I:

—— Lydorum quidquid Etruſcos
Incoluit fineis.

Statius Silvar. lib. I carm. II:

Lydius unde meos iteraſſet Tybris Iulos.

Et

Et Silvar. lib. IIII carm. IIII:

—— Dextras flavi pete Tybridis oras,
Lydia quà penitus ſtagnum navale coërces
Ripa.

Scilicet, quia *Tiberis* amnis Etruriæ erat ab oriente terminus. Porrò Silius lib. IIII; de Hannibale è Galliâ Cispadanâ Etruriam ingrediente:

Ergo agitur raptis præceps exercitus armis
Lydorum in populos, ſedemque ab origine priſci
Sacratam Coriti, junctosque à ſangvine avorum
Mæonios Italis permixtâ ſtirpe colonos.

Mæones priùs dicebantur in Aſiâ Lydi; & inde Lydia regio *Mæonia*. Hinc idem poëta lib. XV:

—— Cannæ ne tibi graviorque palude
Mæonius Stygiâ lacus exceſſère Padusque?

Traſymenum intelligit, Etruriæ *lacum*; qui nunc à vicinâ urbe dicitur *Lago di Perugia*. Apud Virgilium Aeneid. lib. VIII ſic Euander adloquitur Aeneam:

Haud procul hinc ſaxo incolitur fundata vetuſto
Vrbis Agyllinæ ſedes: ubi Lydia quondam
Gens bello præclara jugis inſedit Etruſcis.
Hanc multos florentem annos rex deinde ſuperbo
Imperio & ſævis tenuit Mezentius armis.
Mox: *— O Mæoniæ delecta juventus,*
Flos veterum virtusque virûm, quos juſtus in hoſtem
Fert dolor, & meritâ accendit Mezentius irâ.

Ad hæc ita Servius: *Lydia gens. ſuprà diximus Mæoniam provinciam eſſe; cuius brevitas quum duos fratres Lydum & Tyrrhenum ferre non poſſet; ex ſorte Tyrrhenus cum ingenti multitudine profectus eſt, & partem Italiæ tenuit, & Tyrrheniam nominavit. Lydi autem à fratre Lydo dicti ſunt, qui in provinciâ remanſerat; & Lydia provincia.* Idem Virgilius Aeneid. lib. X; de Aeneâ loquens:

Namque ut ab Euandro caſtris ingreſſus Etruſcis,
Regem adit, & regi memorat nomenque genusque;
Quidve petat, quidve ipſe ferat; Mezentius arma
Quæ ſibi conciliet; violentaque pectora Turni
Edocet: humanis quæ ſit fiducia rebus,
Admonet; immiſcetque preces. Haud fit mora; Tarchon
Iungit opes; fœdusque ferit. Tum libera fatis
Claſſem conſcendit juſſis gens Lydia divûm,
Externo commiſſa duci.

Et eiusdem Aeneid. lib. II:

Ad terram Heſperiam venies; ubi Lydius arva
Inter opima virûm leni fluit agmine Tybris.

Ad quem locum ita Servius: *Lydius Tybris, dictus à fratre Tyrrheni. Thuſci enim à Lydis originem ducunt. nam Lydus & Tyrrhenus, duo fratres, quum eos provincia una non ferret, in ſortem miſerunt, ut, diviſis copiis, proficiſceretur unus ad novas ſedeis quærendas. profectus Tyrrhenus eſt: qui ex ſuo nomine Thuſcos Tyrrhenos vocavit. Lydia autem dicta eſt, in qua frater remanſerat. unde nunc traxit, ut Lydium diceret. Thuſci autem à frequentiâ ſacrificii dicti ſunt; hoc eſt,* ἀπὸ τοῦ θύειν. Sic & Feſtus Pompeius: *Sardi venales alius alio nequior. ex hoc natum proverbium videtur; quòd ludis Capitolinis, qui ſunt vicanis prætextatis, auctio Veientium fieri ſolet; in qua noviſſimus quisque deterrimus producitur à præcone ſenex cum togâ prætextâ bullâque aureâ; quo cultu reges ſoliti ſunt eſſe Etruſcorum; qui Sardi adpellantur; quia Etruſca gens eſt orta Sardibus ex Lydiâ. Tyrrhenus enim inde profectus cum magnâ manu eorum, occupavit eam partem Italiæ, quæ nunc vocatur Etruria.* Et poſtea: *Turrhenos Etruſcos adpellari ſolitos, ait Verrius, à Tyrrheno duce Lydorum.* Plutarchus in Romulo: Ἐθριάμβευσε δὲ καὶ ἀπὸ τούτων, ἄλλους τε πολλοὺς αἰχμαλώτους ἔχων καὶ τὸν ἡγεμόνα τῶν Οὐηΐων, ἄνδρα πρεσβύτην, ἀφρόνως δόξαντα καὶ παρ' ἡλικίαν ἀπείρως τοῖς πράγμασι κεχρῆσθαι. διὸ καὶ νῦν ἔτι θύοντες ἐπινίκια, γέροντα μὲν ἄγουσι δι' ἀγορᾶς εἰς Καπιτώλιον ἐν περιπορφύρῳ, βοῦλλαν αὐτῷ παιδικὴν ἀψάντες· κηρύττει δ' ὁ κῆρυξ, Σαρδιανοὺς ὠνίους. Τυῤῥηνοὶ γὰρ ἄποικοι Σαρδιανῶν λέγονται. Τυῤῥηνικὴ γὰρ πόλις οἱ Οὐήιοι. Id eſt: *Duxit in triumpho*

cùm alios multos captivos, tùm Veientium ducem jam ſenem; qui imprudenter viſus fuerat & præter ætatem imperitè rempublicam geſſiſſe. unde manſit, quum ob partam victoriam ſacrificant, uti ſenem per forum in Capitolium traducant prætextatum, cui bullam puerilem addunt; & proclamat præco, Sardianos venaleis. nam Sardianorum Etruſci feruntur eſſe coloni. urbs autem Etruſca eſt Veii. Et in Quæſtionibus Romanis: Διὰ τί τοῖς Καπιτωλίοις θέας ἄγοντες ἔτι νῦν κηρύττουσι, Σαρδιανοὺς ὠνίους· καὶ γέρων τις ἐπὶ χλευασμῷ προάγεται, παιδικὸν ἐναψάμενος περιδέραιον, ὃ καλοῦσι Βοῦλλαν; Ἤ, ὅτι Ῥωμύλῳ πολὺν χρόνον ἐπολέμησαν οἱ λεγόμενοι Οὐήιοι Τυρρηνῶν, καὶ ταύτην πόλιν ἐσχάτην εἷλε, καὶ πολλοὺς αἰχμαλώτους ἀπεκήρυξε μετὰ τοῦ Βασιλέως, ἐπισκώπτων αὐτοῦ τὴν ἠλιθιότητα καὶ τὴν ἀβελτηρίαν; ἐπεὶ δὲ Λυδοὶ μὲν ἦσαν οἱ Τυρρηνοὶ ἐξ ἀρχῆς, Λυδῶν δὲ μητρόπολις Σάρδεις, οὕτω τοὺς Οὐηίους ἀπεκήρυττον, καὶ μέχρι νῦν ἐν παιδιᾷ τὸ ἔθος διαφυλάττουσι. Hoc eſt: *Cur ludis Capitolinis etiamnum præconis voce proclamant Sardianos venaleis; & ſenex quidam ludibrii gratiâ producitur, bullam collo adpenſam gerens puerilem? An, quia Veientes Etruſcorum populus, per longum tempus Romulo bello reſtiterunt; hancque ultimam is urbem cepit; multosque captivos ſub haſtâ vendidit, unà cum ipſorum rege, futilitatem eius & ſtultitiam deridens? nam Etruſci à Lydis originem trahunt: Lydorum autem gentis caput urbs Sardes. ideoque Veienteis Sardianorum nomine proclamarunt: & in hunc uſque diem ludicri gratiâ morem iſtum conſervant.* Tacitus, Annal. lib. IIII: *Sardiani decretam Etruriæ recitavêre, ut conſanguinei: nam Tyrrhenum Lydumque, Atye rege genitos, ob multitudinem diviſiſſe gentem. Lydum patriis in terris reſediſſe: Tyrrheno datum, novas ut conderet ſedeis. & ducum è nominibus indita vocabula; illis per Aſiam, his in Italiâ.* Marcianus Heracleenſis in Περιηγήσει:

Τυρρηνίαν δ᾽ ὁ Λυδὸς Ἄτυος ἔκτισεν
Τυρρηνός. Id eſt:
Tyrrheniam Lydus, Atyis filius, condidit
Tyrrhenus.

Velleius Paterculus lib. I: *Oreſtes ſe etiam à Pyrrho, Achillis filio, virtute vindicavit. nam quòd pactæ ei Menelai atque Helenæ filiæ Hermiones nuptias occupaverat, Delphis eum interemit. Per hæc tempora Lydus & Tyrrhenus fratres quum regnarent in Lydiâ, ſterilitate frugum compulſi, ſortiti ſunt, uter cum parte multitudinis patriâ decederet. Sors Tyrrhenum contigit. Pervectus in Italiam, & loco & incolis & mari nobile ac perpetuum à ſe nomen dedit.* Strabo lib. V: Οἱ Τυρρηνοὶ παρὰ μὲν τοῖς Ῥωμαίοις Ἐτροῦσκοι καὶ Τοῦσκοι προσαγορεύονται· οἱ δ᾽ Ἕλληνες οὕτως ὠνόμασαν αὐτοὺς ἀπὸ τοῦ Τυρρηνοῦ τοῦ Ἄτυος, ὥς φασι, τοῦ στείλαντος ἐκ Λυδίας ἀποίκους δεῦρο. ἀπὸ γὰρ λιμοῦ καὶ ἀφορίας ὁ Ἄτυς, εἷς τῶν ἀπογόνων Ἡρακλέους καὶ Ὀμφάλης, δυοῖν παίδων ὄντων, κλήρῳ Λυδὸν μὲν κατέσχε, τὸν δὲ Τυρρηνόν, τὸν πλείω συστείλας λαόν, ἐξέστειλεν. ἐλθὼν δέ, τὴν χώραν ἀφ᾽ ἑαυτοῦ Τυρρηνίαν ἐκάλεσε. Id eſt: *Tyrrheni à Romanis quidem Etruſci ac Tuſci nominantur, Græcis verò ſic dicti ſunt à Tyrrheno, Atyis filio; qui colonos huc è Lydiâ deduxerit. Fame namque & ſterilitate compulſus Atys, unus ex Hercule Omphaleque prognatis, de duobus filiis alterum Lydum nomine ſortitò apud ſe detinuit, alterum Tyrrhenum cum maiore multitudinis parte amandavit. Is quum in has oras perveniſſet, regionem de ſuo nomine nuncupavit Tyrrheniam.* Hinc Seneca etiam, in conſolatione ad Helviam, cap. VI: *Tuſcos Aſia ſibi vindicat.* Et Valer. Maximus lib. II cap. IIII: *Ea res ludium ex Etruriâ accerſendi cauſam præbuit: cuius decora pernicitas vetuſto ex more Curetum Lydorumque, à quibus Etruſci originem traxerunt, novitate gratâ Romanorum oculos permulſit.* Sed eamdem de Atyis filiis hiſtoriam latiùs refert antiquiſſimus rerum auctor Herodotus lib. I in hæc verba: Φασὶ δὲ αὐτοὶ Λυδοί, καὶ τὰς παιγνίας τὰς νῦν σφίσι τε καὶ Ἕλλησι κατεστεώσας ἑωϋτῶν ἐξεύρημα γενέσθαι. ἅμα δὲ ταύτας τε ἐξευρεθῆναι παρὰ σφίσι λέγουσι, καὶ Τυρσηνίαν ἀποικίσαι. ὧδε περὶ αὐτῶν λέγοντες· Ἐπὶ Ἄτυος τοῦ Μάνεω βασιλέος σιτοδείην ἰσχυρὴν ἀνὰ τὴν Λυδίην πᾶσαν γενέσθαι· καὶ τοὺς Λυδοὺς τέως μὲν διάγειν λιπαρέοντας· μετὰ δέ, ὡς οὐ παύεσθαι, ἄκεα δίζησθαι· ἄλλον δὲ ἄλλο ἐπιμηχανᾶσθαι αὐτῶν, ἐξευρεθῆναι δὴ ὦν τότε καὶ τῶν κύβων καὶ τῶν ἀστραγάλων καὶ τῆς σφαίρης, καὶ τῶν ἀλλέων πασέων παιγνιέων τὰ εἴδεα, πλὴν πεσσῶν· τούτων γὰρ ὦν τὴν ἐξεύρεσιν οὐκ οἰκηιοῦνται Λυδοί. ποιέειν δὲ ὧδε πρὸς τὸν λιμὸν ἐξευρόντας· τὴν μὲν ἑτέρην τῶν ἡμερέων παίζειν πᾶσαν, ἵνα δὴ μὴ ζητέοιεν σιτία. τὴν δὲ ἑτέρην σιτέεσθαι, παυομένους τῶν παιγνιέων. τοιούτῳ τρόπῳ διάγειν ἐπ᾽ ἔτεα δυῶν δέοντα εἴκοσι. ἐπείτε δὲ οὐκ ἀνιέναι τὸ κακόν, ἀλλ᾽ ἐπὶ μᾶλλον ἔτι βιάζεσθαι· οὕτω δὴ τὸν Βασιλέα αὐτῶν, δύο μοίρας διελόντα Λυδῶν πάντων, κληρῶσαι τὴν μὲν ἐπὶ μονῇ, τὴν δὲ ἐπὶ ἐξόδῳ ἐκ τῆς χώρης. καὶ ἐπὶ μὲν τῇ μένειν αὐτοῦ λαγχανούσῃ τῶν μοιρέων, ἑωυτὸν τὸν Βασιλέα προστάσσειν· ἐπὶ δὲ τῇ ἀπαλλασσομένῃ, τὸν ἑωυτοῦ παῖδα, τῷ οὔνομα εἶναι Τυρσηνόν. Λαχόντας δὲ αὐτῶν τοὺς ἑτέρους ἐξιέναι

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

ἐκ τῆς χώρης, καὶ καταβῆναι ἐς Σμύρνην, καὶ μηχανήσασθαι πλοῖα ἐς τὰ ἐσθεμένους τὰ πάντα ὅσα σφι ἦν χρηστὰ ἐπίπλοα, ἀποπλέειν κατὰ βίου τε καὶ γῆς ζήτησιν. ἐς ὃ ἔθνεα πολλὰ παραμειψαμένους, ἀπικέσθαι ἐς Ὀμβρικούς· ἔνθα σφέας ἐνιδρύσασθαι πόλιας, καὶ οἰκέειν τὸ μέχρι τοῦδε. ἀντὶ δὲ Λυδῶν μετονομασθῆναι αὐτοὺς ἐπὶ τοῦ βασιλέος τοῦ παιδός, ὅς σφέας ἀνήγαγε: ἐπὶ τούτου τὴν ἐπωνυμίην ποιευμένους, ὀνομασθῆναι Τυρσηνούς. Hoc eſt: *Aiunt ipſi Lydi, ſe ludos inveniſſe, qui etiamnum apud Græcos cum illis communes ſint. ſimul autem hæc inveniſſe, & in Tyrſeniam colonos deduxiſſe. id quod in hunc modum accidiſſe referunt: Tempore Atyis, Manæ regis filii, annonæ difficultatem per univerſam Lydiam valdè graſſatam eſſe. & initio quidem Lydos vitam adſiduis laboribus toleraſſe. poſteà verò, quum non ceſſaret malum, remedia quæſiviſſe: & alium aliud excogitaſſe. Tum igitur inventum ab iis teſſerarum & talorum ludum, & item pilæ, cæterorumque ludorum omnia genera, præterquàm calculorum. horum enim inventionem ſibi Lydi non vindicant. Cæterùm ad famem leniendam alterâ quidem dierum in totum luſibus occupatos fuiſſe; ne videlicet ciborum quærendorum ſolicitudine diſtorquerentur: alterâ verò à luſibus abſtinenteis, veſci conſueviſſe. Quum autem malum non remitteret; ſed magis magisque ſæviret: tum regem univerſos Lydos in duas parteis diviſiſſe: ſorteque legiſſe, alteram earum ad manendum, alteram verò ad exeundum è regione. & parti quidem, cui ſortitò obtigiſſet uti maneret, ſe ipſum regem, migranti autem filium ſuum præfeciſſe, cui nomen Tyrſeno. Hos igitur, quibus ſorte obtigerat, uti emigrarent, Smyrnam deſcendiſſe. heic mox fabricatis navibus, quibus ea, navigationi accommoda videbantur, imponerent, ad victum ſedeisque quærendas oram ſolviſſe: variasque genteis prætervectos, tandem ad Vmbros perveniſſe. ubi, urbibus conſtructis, ad hunc usque diem habitaverint. atque pro Lydis, mutatâ adpellatione, de regis filii, qui eos deduxit, vocatos fuiſſe Tyrſenos.* Hactenus Herodotus ex ipſorum Lydorum, ut ait, relatione, fabulam veriùs, quàm rem geſtam recenſet: quam eamdem Dionyſius Halicarnaſſenſis, unà cum aliis eius gentis falſis originationibus, refutat argumentis quàm graviſſimis. Ea hoc loco ſingula atque univerſa recitaſſe, quamvìs longum, tamen abs re haud alienum, imò neceſſarium fuerit; quò rei veritatem conſequi tandem certis indiciis poſſimus. Verba igitur eius Antiquitat. Rom. lib. I hæc ſunt de Pelaſgis Etruriæ ſive tum temporis Vmbriæ partem ante Troiana bella incolentibus: Ἐκαλοῦντο δὲ ὑπὸ τῶν ἄλλων ἀνθρώπων, τῆς τε χώρας ἐπικλήσει, ἀφ᾽ ἧς ἐξανέστησαν, καὶ τοῦ παλαιοῦ γένους μνήμῃ, οἱ αὐτοὶ Τυρρηνοὶ καὶ Πελασγοί. ὧν ἐγὼ λόγον ἐποιησάμην, τοῦ μή τινα θαῦμα ποιεῖσθαι, ἐπειδὰν ποιητῶν ἢ συγγραφέων ἀκούσῃ τοὺς Πελασγοὺς καὶ Τυρρηνοὺς ὀνομαζόντων, πῶς ἀμφοτέρας ἔσχον τὰς ἐπωνυμίας οἱ αὐτοί. ἔχει γὰρ καὶ περὶ αὐτῶν Θουκυδίδης ἐν ἀκτῇ τῆς Θρᾴκης μνήμην, καὶ τῶν ἐν αὐτῇ κειμένων πόλεων, ἃς οἰκοῦσιν ἄνθρωποι δίγλωττοι· περὶ δὲ τοῦ Πελασγικοῦ γένους ὧδε ὁ λόγος· Ἔνι δέ τι καὶ Χαλκιδικόν, τὸ δὲ πλεῖστον Πελασγικόν, τῶν καὶ Λῆμνόν ποτε καὶ Ἀθήνας οἰκησάντων Τυρρηνῶν. Σοφοκλεῖ δ᾽ ἐν Ἰνάχῳ δράματι ἀνάπαιστον ὑπὸ τοῦ χοροῦ λεγόμενον πεποίηται ὧδε· Ἴναχε γεννᾶτορ, παῖ κρηνῶν Πατρὸς Ὠκεανοῦ, μέγα πρεσβεύων Ἄργους τε γύαις Ἥρας τε πάγοις, καὶ Τυρρηνοῖσι Πελασγοῖς. Τυρρηνίας μὲν δὴ ὄνομα τὸν χρόνον ἐκεῖνον ἀνὰ τὴν Ἑλλάδα ἦν, καὶ πᾶσα ἡ πρὸς ἑσπέραν Ἰταλία τὰς κατὰ τὸ ἔθνος ὀνομασίας ἀφαιρεθεῖσα, καὶ τὴν ἐπίκλησιν ἐκείνην ἐλάμβανεν. Ὁ δὲ χρόνος, ἐν ᾧ τὸ Πελασγικὸν ἔθνος κακοῦσθαι ἤρξατο, δευτέρᾳ γενεᾷ σχεδὸν πρὸ τῶν Τρωϊκῶν ἐγένετο. διέτεινε δὲ σχεδὸν καὶ μετὰ τὰ Τρωϊκά, ἕως εἰς ἐλάχιστον συνεστάλη τὸ ἔθνος. ἔξω γὰρ Κρότωνος, τῆς ἐν Ὀμβρικοῖς πόλεως ἀξιολόγου, καὶ εἰ δή τι ἄλλο Ἀβοριγίνων οἰκισθὲν ἐτύγχανε, τὰ λοιπὰ τῶν Πελασγῶν διεφθάρη πολίσματα. ἡ δὲ Κρότων ἄχρι πολλοῦ διαφυλάξασα τὸ παλαιὸν σχῆμα. χρόνος οὐ πολύς, ἐξ οὗ τήν τε ὀνομασίαν καὶ τοὺς οἰκήτορας ἤλλαξε· καὶ νῦν ἐστι Ῥωμαίων ἀποικία· καλεῖται δὲ Κορθωνία. Οἱ δὲ τῶν ἐκλιπόντων τὴν χώραν Πελασγῶν κατασχόντες τὰς πόλεις ἄλλοι τε πολλοὶ ἦσαν, ὡς ἕκαστοί τισιν ἔτυχον ὁμοτέρμονας τὰς οἰκήσεις ἔχοντες, καὶ ἐν τοῖς μάλιστα πλείστας τε καὶ ἀρίστας Τυρρηνοί. Τοὺς δὲ Τυρρηνοὺς οἱ μὲν αὐτόχθονας Ἰταλίας ἀποφαίνουσιν, οἱ ἐπήλυδας. καὶ τὴν ἐπωνυμίαν αὐτοῖς ταύτην οἱ μὲν αὐθιγενὲς τὸ γένος ποιοῦντες, ἀπὸ τῶν ἐρυμάτων, ἃ πρῶτοι τῶν τῇδε οἰκούντων κατεσκευάσαντο, τεθῆναι λέγουσι. τύρσεις γὰρ καὶ παρὰ Τυρρηνοῖς αἱ ἐντείχιοι καὶ στεγαναὶ οἰκήσεις ὀνομάζονται, ὥσπερ παρ᾽ Ἕλλησιν. ἀπὸ δὲ τοῦ συμβεβηκότος ἀξιοῦσι τεθῆναι τοὔνομα, ὥσπερ καὶ τοῖς ἐν Ἀσίᾳ Μοσσυνοίκοις. οἰκοῦσι μὲν γὰρ δὴ κἀκεῖνοι ἐπὶ ξυλίνοις, ὥσπερ ἂν πύργοις, ὑψηλοῖς σταυρώμασι, μόσσυνας αὐτὰ καλοῦντες. Οἱ δὲ μετανάστας μυθολογοῦντες αὐτοὺς εἶναι, Τυρρηνὸν ἀποφαίνουσιν, ἡγεμόνα τῆς ἀποικίας γενόμενον, ἀφ᾽ ἑαυτοῦ θέσθαι τῷ ἔθνει τοὔνομα. τοῦτον δὲ Λυδὸν εἶναι τὸ γένος, ἐκ τῆς πρότερον Μηονίας καλουμένης, παλαιὸν δή τινα μεταναστάντα. εἶναι δ᾽ αὐτὸν πέμπτον ἀπὸ Διός· λέγοντες, ἐκ Διὸς καὶ Γῆς Μάνην γενέσθαι, πρῶτον ἐν τῇ γῇ ταύτῃ βασιλέα· τούτου δὲ καὶ Καλλιρόης τῆς Ὠκεανοῦ

θυγατρὸς

θυγατρὸς γεννηθῆναι Κότυν. τῷ δὲ Κότυϊ, γήμαντι θυγατέρα Τύλλου τοῦ γηγενοῦς Ἁλίην, δύο γενέσθαι παῖδας, Ἀδιὴν καὶ Ἄτυν. ἐκ δὲ Ἄτυος καὶ Καλλιθέας, τῆς Χωραίου, Λυδὸν φῦναι καὶ Τυρρηνόν· καὶ τὸν μὲν Λυδόν, αὐτοῦ καταμείναντα, τὴν πατρῴαν ἀρχὴν καταλαβεῖν, καὶ ἀπ' αὐτοῦ Λυδίαν τὴν γῆν ὀνομασθῆναι. Τυρρηνὸν δέ, τῆς ἀποικίας ἡγησάμενον, πολλὴν κτήσασθαι τῆς Ἰταλίας, καὶ τοῖς συναραμένοις τοῦ στόλου ταύτην θέσθαι τὴν ἐπωνυμίαν. Ἡροδότῳ δὲ εἴρηται, Ἄτυος τοῦ Μάνεω παῖδες οἱ περὶ Τυρρηνόν, καὶ ἡ μετανάστασις τῶν Μηιόνων εἰς Ἰταλίαν οὐχ ἑκούσιος. φησὶ γάρ, ἐπὶ τῆς Ἄτυος ἀρχῆς ἀφορίαν καρπῶν ἐν τῇ γῇ Μηιόνων γενέσθαι. τοὺς δὲ ἀνθρώπους τέως μὲν ὑπὸ τῆς φιλοχωρίας κρατουμένους, πολλὰ διαμηχανήσασθαι πρὸς τὴν συμφορὰν ἀλεξητήρια, τῇ μὲν ἑτέρᾳ τῶν ἡμερῶν μέτρια σιτία προσφερομένους, τῇ δ' ἑτέρᾳ διακαρτεροῦντας. χρονίζοντος δὲ τοῦ δεινοῦ, διανείμαντας ἅπαντα τὸν δῆμον διχῇ, κλήρους ταῖς μοίραις ἐπιβαλεῖν. τὴν μὲν ἐπ' ἐξόδῳ τῆς χώρας, τὴν δ' ἐπὶ μονῇ· καὶ τῶν Ἄτυος παίδων τῇ μὲν προσμεῖναι, τῇ δὲ μή. λαχούσης δὲ τῆς ἅμα Λυδῷ μοίρας, τὴν μὲν ἀμείνω τύχην ἐκχωρῆσαι· τὴν δὲ ἑτέραν ἀπολαχοῦσαν τῶν χρημάτων τὰ μέρη, ὁρμισαμένην δ' ἐπὶ τοῖς ἑσπερίοις μέρεσι τῆς Ἰταλίας, ἔνθα ἦν Ὀμβρικοῖς ἡ οἴκησις, αὐτοῦ καταμείνασαν ἱδρύσασθαι πόλεις τὰς ἔτι καὶ κατ' αὐτὸν ἐκεῖνον οὔσας. Τούτῳ τῷ λόγῳ πολλοὺς καὶ ἄλλους ἐν γραφῇ περὶ τοῦ Τυρρηνῶν γένους χρησαμένους ἐπίσταμαι, τοὺς μὲν κατὰ ταῦτα, τοὺς δὲ μεταθέντας τὸν οἰκιστὴν καὶ τὸν χρόνον. ἔλεξαν γὰρ δή τινες, Ἡρακλέους υἱὸν εἶναι τὸν Τυρρηνόν, ἐξ Ὀμφάλης τῆς Λυδῆς γενόμενον· τοῦτον δὲ ἀφικόμενον εἰς Ἰταλίαν, ἐκβαλεῖν τοὺς Πελασγοὺς ἐκ τῶν πόλεων, οὐχ ἁπασῶν, ἀλλ' ὅσαι πέραν ἦσαν τοῦ Τιβέριος, ἐν τῷ βορείῳ μέρει. ἕτεροι δὲ Τηλέφου παῖδα τὸν Τυρρηνὸν ἀποφαίνουσιν· ἐλθεῖν δὲ μετὰ Τροίας ἅλωσιν εἰς Ἰταλίαν. Ξάνθος δὲ ὁ Λυδός, ἱστορίας παλαιᾶς, εἰ καί τις ἄλλος, ἔμπειρος ὤν, τῆς δὲ πατρίου καὶ βεβαιωτὴς ἂν οὐδενὸς ὑποδεέστερος νομισθείς, οὔτε Τυρρηνὸν ὠνόμακεν οὐδαμοῦ τῆς γραφῆς, δυνάστην Λυδῶν, οὔτε ἀποικίαν Μηιόνων εἰς Ἰταλίαν κατασχοῦσαν ἐπίσταται Τυρρηνίας τε μνήμην ὡς Λυδῶν ἀποικήσεως, ταπεινοτέρων ἄλλων μεμνημένος, οὐδεμίαν πεποίηται. Ἄτυος δὲ παῖδας γενέσθαι λέγει Λυδὸν καὶ Τόρυβον. τούτους δὲ μερισαμένους τὴν πατρῴαν ἀρχήν, ἐν Ἀσίᾳ καταμεῖναι ἀμφοτέρους, καὶ τοῖς ἔθνεσιν, ὧν ἦρξαν, ἐπ' ἐκείνων φησὶ τεθῆναι τὰς ὀνομασίας, λέγων ὧδε· Ἀπὸ Λυδοῦ μὲν γίνονται Λυδοί, ἀπὸ δὲ Τορύβου Τόρυβοι. τούτων ἡ γλῶσσα ὀλίγον διαφέρει· καὶ νῦν ἔτι σιλλοῦσιν ἀλλήλους ῥήματα οὐκ ὀλίγα, ὥσπερ Ἴωνες καὶ Δωριεῖς. Ἑλλάνικος δὲ ὁ Λέσβιος τοὺς Τυρρηνούς φησι, Πελασγοὺς πρότερον καλουμένους, ἐπειδὴ κατῴκησαν ἐν Ἰταλίᾳ, παραλαβεῖν, ἣν ἔχουσι, προσηγορίαν. ἔχει δὲ αὐτῷ ἐν Φορωνίδι ὁ λόγος ὧδε· Τοῦ Πελασγοῦ, τοῦ βασιλέως αὐτῶν καὶ Μενίππης, τῆς Πηνειοῦ, ἐγένετο Φράστωρ· τοῦ δὲ Ἀμύντωρ· τοῦ δὲ Τευταμίδης· τοῦ δὲ Νάνας. ἐπὶ τούτου βασιλεύοντος, οἱ Πελασγοὶ ὑφ' Ἑλλήνων ἀνέστησαν, καὶ ἐπὶ Σπινῆτι ποταμῷ ἐν τῷ Ἰονίῳ κόλπῳ τὰς νῆας καταλιπόντες, Κρότωνα πόλιν ἐν μεσογείῳ εἷλον· καὶ ἐντεῦθεν ὁρμώμενοι, τὴν νῦν καλουμένην Τυρρηνίαν ἔκτισαν. Μυρσίλος τὰ ἔμπαλιν ἀποφαινόμενος Ἑλλανίκῳ, τοὺς Τυρρηνούς φησιν, ἐπειδὴ τὴν ἑαυτῶν ἐξέλιπον, ἐν τῇ πλάνῃ μετονομασθῆναι Πελαργούς, τῶν ὀρνέων τοῖς καλουμένοις πελαργοῖς εἰκασθέντας, ὡς κατ' ἀγέλας ἐφοίτων, εἴς τε τὴν Ἑλλάδα καὶ τὴν βάρβαρον. καὶ τοῖς Ἀθηναίοις τὸ τεῖχος, τὸ περὶ τὴν ἀκρόπολιν, τὸ Πελασγικὸν καλούμενον, τούτους περιβαλεῖν. Ἐμοὶ μέν τοι δοκοῦσιν ἅπαντες ἁμαρτάνειν οἱ πεισθέντες ἓν καὶ τὸ αὐτὸ ἔθνος εἶναι τὸ Τυρρηνικὸν καὶ τὸ Πελασγικόν· τῆς μὲν γὰρ ὀνομασίας ἀπολαῦσαί ποτε αὐτοὺς τῆς ἀλλήλων, οὐδὲν θαυμαστὸν ἦν· ἐπειδὴ καὶ ἄλλα δή τινα ἔθνη, τὰ μὲν Ἑλλήνων, τὰ δὲ βαρβάρων, ταὐτὸ ἔπαθον· ὥσπερ τὸ Τρωικὸν καὶ τὸ Φρυγικόν, ἀγχοῦ οἰκοῦντα ἀλλήλων. πολλοῖς γέ τοι γένος ἓν ἄμφω ταῦτ' ἐνομίσθη, κλήσει διαλλάττον, οὐ φύσει· καὶ οὐχ ἥκιστα τῶν ἄλλοθί που συνωνυμίαν ἐπικερασθέντων, καὶ τὰ ἐν Ἰταλίᾳ ἔθνη τὸ αὐτὸ ἔπαθον. ἦν γὰρ δὴ χρόνος, ὅτε καὶ Λατῖνοι καὶ Ὀμβρικοὶ καὶ Αὔσονες, καὶ συχνοὶ ἄλλοι, Τυρρηνοὶ ὑφ' Ἑλλήνων ἐλέγοντο, τῆς διὰ μακροῦ τῶν ἐθνῶν οἰκήσεως ἀσαφῆ ποιούσης τοῖς πρόσω τὴν ἀκρίβειαν. τήν τε Ῥώμην αὐτὴν πολλοὶ συγγραφέων Τυρρηνίδα πόλιν εἶναι ὑπέλαβον. ὀνομάτων μὲν οὖν ἐναλλαγήν, ἐπεὶ καὶ βίων, πείθομαι τοῖς ἔθνεσι γενέσθαι· κοινοῦ δὲ ἀμφοῖν μετειληφέναι γένους, οὐ πείθομαι, πολλοῖς τε ἄλλοις καὶ μάλιστα ταῖς φωναῖς αὐτῶν διηλλαγμέναις, καὶ οὐδεμίαν ὁμοιότητα σωζούσαις τεκμαιρόμενος. καὶ γὰρ δὴ οὔτε Κροτωνιᾶται, ὥς φησιν Ἡρόδοτος, οὐδ' ἄλλοις τῶν νῦν σφέας περιοικεόντων εἰσὶν ὁμόγλωσσοι, οὔτε Πλακιηνοί, σφίσι δὲ ὁμόγλωσσοι. δηλοῦσι δέ, ὅτι τὸν ἠνείκαντο γλώσσης χαρακτῆρα, μεταβαίνοντες ἐς ταῦτα τὰ χωρία, τοῦτον ἔχουσιν ἐν φυλακῇ. καί τοι θαυμάσειεν ἄν τις, εἰ Πλακιανοῖς μέν, τοῖς περὶ τὸν Ἑλλήσποντον οἰκοῦσιν, ὁμοίαν διάλεκτον εἶχον οἱ Κροτωνιᾶται, ἐπειδὴ Πελασγοὶ ἦσαν ἀμφότεροι ἀρχῆθεν· Τυρρηνοῖς δὲ τοῖς ἔγγιστα οἰκοῦσι μηδὲν ὁμοίαν. εἰ γὰρ τὸ συγγενὲς τῆς ὁμοφωνίας αἴτιον ὑποληπτέον, θάτερον δή που τῆς διαφωνίας. οὐ γὰρ δὴ τὸ μὲν ἕτερον καὶ λόγον τινὰ εἶχε γενόμενον, τὸ δὲ τοὺς πρόσω τὰς οἰκήσεις ἀπ' ἀλλήλων ποιησαμένους ὁμοεθνεῖς, μηκέτι διασώζειν τὸν αὐτὸν τῆς διαλέκτου χαρακτῆρα, διὰ τὰς πρὸς τοὺς πέλας ὁμιλίας· τὸ δ' ἐν τοῖς αὐτοῖς οἰκοῦντας χωρίοις μηδ' ὁτιοῦν κατὰ τὴν φωνὴν ὁμολογεῖν ἀλλήλοις, ἐκ τοῦ αὐτοῦ φύντας γένους, οὐδένα λόγον ἔχει. Τούτῳ μὲν δὴ τῷ τεκμηρίῳ χρώμενος, ἑτέρους εἶναι πείθομαι τῶν Τυρρηνῶν τοὺς Πελασγούς. Οὐ μὲν δὴ οὐδὲ Λυδῶν τοὺς Τυρρηνοὺς ἀποίκους οἶμαι γενέσθαι. οὐδὲ γὰρ ἐκείνοις ὁμόγλωσσοί εἰσιν, οὐδὲ ἔστιν εἰπεῖν,

εἰπεῖν, ὡς φωνῇ μὲν οὐκέτι χρῶνται παραπλησίως, ἀλλὰ δέ τινα διασώζουσι τῆς μητροπόλεως γῆς μνημεῖα. οὔτε γὰρ θεοὺς Λυδοῖς τοὺς αὐτοὺς νομίζουσιν, οὔτε νόμοις οὔτ' ἐπιτηδεύμασι κέχρηνται παραπλησίοις· ἀλλὰ κατά γε ταῦτα πλέον Λυδῶν ἢ Πελασγῶν διαφέρουσι. κινδυνεύουσι γὰρ τοῖς ἀληθέσι μᾶλλον ἐοικότα λέγειν, μηδαμόθεν ἀφιγμένον, ἀλλ' ἐπιχώριον τὸ ἔθνος ἀποφαίνοντες· ἐπειδὴ ἀρχαῖόν τε πάνυ, καὶ οὐδενὶ ἄλλῳ γένει οὔτε ὁμόγλωσσον οὔτε ὁμοδίαιτον εὑρίσκεται. ὠνομάσθαι δ' ὑφ' Ἑλλήνων αὐτὸ τῇ προσηγορίᾳ ταύτῃ, οὐδὲν κωλύει, καὶ διὰ τὰς ἐν τύρσεσιν οἰκήσεις, καὶ ἀπ' ἀνδρὸς δυνάστου. Ῥωμαῖοι μέν τοι ἄλλαις αὐτὸ προσαγορεύουσιν ὀνομασίαις· καὶ γὰρ ἀπὸ τῆς χώρας, ἐν ᾗ ποτε ᾤκησαν, Ἐτρουρίας προσαγορευομένης, Ἐτρούσκους καλοῦσι τοὺς ἀνθρώπους· καὶ ἀπὸ τῆς ἐμπειρίας τῆς περὶ τὰ θεῖα σεβάσματα λειτουργιῶν, διαφέροντας εἰς αὐτὴν ἑτέρων, νῦν μέν τοι ἀσαφέστερον Τούσκους, πρότερον δ' ἀκριβοῦντες τοὔνομα, ὥσπερ Ἕλληνες, Θυοσκόους ἐκάλουν. Αὐτοὶ μέν τοι σφᾶς αὐτοὺς ἀπὸ τῶν ἡγεμόνων τινὸς Ῥασένα, τὸν αὐτὸν ἐκείνῳ τρόπον ὀνομάζουσιν. Hoc eſt : *Hos cæteri homines de nomine regionis, ex qua olim emigrarunt, & in memoriam antiqui generis, Tyrrhenos vocabant; eoſdemque Pelaſgos. quod cò dixi, ne quis, audiens à poëtis atque hiſtoricis Pelaſgos etiam Tyrrhenos nominari, miretur, quomodò iidem homines utrumque nomen habuerint. nam & Thucydides horum meminit, recenſens urbeis in orâ Thraciæ, habitatas à bilingvibus : in quarum mentione de Pelaſgico genere ſic loquitur : Sunt ibi & Chalcidici generis homines, non ita multi : ſed maxima Pelaſgicæ gentis pars eſt, ex illis Tyrrhenis, qui olim & Lemnum & Athenas habitaverunt. Sophocles verò in Inacho dat choro anapæſticum tale : Inache pater; fili fontium patris Oceani : qui maximos honores habes in Argivis arvis Iunoniſque collibus, & Tyrrhenis Pelaſgis. Erat autem Tyrrheniæ nomen illo tempore celebre per Græciam : ac tota Italia, quà occidentem ſpectat, nullo gentium diſcrimine, adpellationem eam habebat. Tempus verò, quo res Pelaſgorum cœperunt deficere, incidit in alteram fermè ante bellum Troianum ætatem. Duraverunt tamen penè ultra eius belli tempora; donec in minimam gentem contractæ ſunt. nam præter Crotonem, Vmbriæ urbem memorabilem, & ſi quod aliud tenuerunt Aborigines domicilium, perierunt reliqua Pelaſgorum opida. Croto verò quum diu retinuiſſet veterem formam; non multo ante noſtram ætatem & civeis mutavit & nomen; Cortonia vocata, Romanorumque facta colonia. Derelictas autem à Pelaſgis urbeis occupaverunt cùm alii, ut quique erant finitimi; tùm maximè Tyrrheni plurimas atque optimas. Hos, quidam aiunt, indigenas eſſe Italiæ; alii advenas. Qui externi eos eſſe generis negant, nominatos dicunt à domiciliis munitis, quæ illi primi in his regionibus ſtruxerunt. quidpe turreis ſive tyrſeis Tyrrheni etiam, ut Græci, clauſa muris & firma ædificia vocant. Volunt igitur ex re nomen eos invenisse; ſicut Moſynæci in Aſiâ. namque & illi habitant ligneas quaſi turreis, compactas celſis trabibus. ipſi vocant mæſynas. At qui aliunde immigraſſe eos fabulantur; Tyrrhenum iis aiunt fuiſſe ducem coloniæ; ab eoque nomen genti impoſitum. hunc, Lydum genere, antiquis admodùm temporibus migraſſe è regione, quæ priùs dicta ſit Mæonia, quintam Iovis progeniem. ex Iove quidpe atque Terrâ genitum Manem, primum in illis locis regnaſſe. ex hoc & Colliroë, Oceani filiâ, prognatum Cotyn. huic nuptam Tylli terrigenæ filiam Halien, duos peperiſſe filios, Adiem & Atyn. ex Atye & Callitheâ, Choræi filiâ, natos Lydum & Tyrrhenum. Lydum, domi manentem, ſucceſſiſſe in paternum imperium : ab eoque denominatam terram Lydiam. Tyrrhenum, coloniæ deducendæ auctorem, occupaſſe bonam partem Italiæ; ſociiſque profectionis ſuum impoſuiſſe vocabulum. Herodotus autem tradit, ab Atye, Manæ filio, Tyrrhenos eſſe ortos : & Mæonas non ſponte migraſſe in Italiam. ait enim, Atye regnante ſterilitatem incubuiſſe terræ Mæonum : incolaſque aliquamdiu, quòd tenerentur amore patriæ, multa excogitaſſe eius mali remedia; alternis diebus jejunanteis; reliquis utenteis modico cibo. ſed quum id malum morâ nihilo remiſſius fieret; diviſo in duas parteis toto papulo, ſorti commiſiſſe, utris abeundum aut manendum eſſet. ſub quam ſortem veniſſe Atyis quoque filios : & Lydo cum ſuâ parte lætiorem ſortem obveniſſe : alteram verò cum facultatibus ſorte attributis adpuliſſe in regionem Italiæ, quæ ad occidentem vergit, tunc Vmbrorum cultam populis : ibique manſiſſe, & urbeis condidiſſe, quæ ad ſua usque tempora fuerint inhabitatæ. Eadem multos alios de Tyrrhenorum genere ſcio tradere. verùm alii de auctore coloniæ, de tempore alii variant. quidam enim dixerunt Tyrrhenum Herculis filium, natum ex Lydâ Omphale. hunc, delatum in Italiam, expuliſſe Pelaſgos ſuis urbibus; non quidem omnibus, ſed Transtiberinis tantùm, ad ſeptemtriones ſpectantibus. alii Tyrrhenum Telephi malunt filium : veniſſeque poſt Troiam captam in Italiam. At Xanthus, natione Lydus, antiquitatum, ſi quis alius, peritus, patriæ verò hiſtoriæ auctor ne-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

neque Tyrrhenum uſquàm in ſuis ſcriptis, Lydorum principem, nomi-
mine inferior, neque ullam ſcit Mæonum in Italiam deductam coloniam, nec Tyrrheniæ quaſi
nat: neque ullam ſcit Mæonum in Italiam deductam coloniam, nec Tyrrheniæ quaſi
Lydorum coloniæ meminit: quum tamen alia leviora memoret. at filios Atyis ait fuiſſe
Lydum & Torybum. hos, poſt diviſum paternum regnum, ambos manſiſſe in Aſiâ: ab
iisque adpellationes gentibus, quibus præfuerunt, impoſitas oſtendit his verbis: A Ly-
do deſcendunt Lydi; a Torybo Torybi. horum lingua altera ab alterâ parum evariat;
& hodiéque alteri alterorum uſurpant haud pauca vocabula; quemadmodùm Iones ac Do-
res. At Hellanicus Lesbius ait, Tyrrhenos, primùm dictos Pelaſgos, poſtquàm Italiam
habitare cæperunt, adſumpſiſſe, quam nunc habent, adpellationem. Verba eius in ope-
re, quod Phoronida inſcripſit, ſunt iſta: Pelaſgi, regis eorum & Menippe, Penei filiæ,
filius fuit Phraſtor: huius verò Amyntor: huius deinceps Teutamidas; & huius Nanas.
hoc regnante, Pelaſgi ab Hellenibus, ſive Græcis, ſunt pulſi: relictisque ad Spineten flu-
vium in Ionio ſinu navibus, Crotonem ceperunt urbem maritimam: eâque belli ſede uſi,
conſtituerunt quam nunc vocant Tyrrheniam. Myrſilus contrà diſſentiens ab Hellanico,
Tyrrhenos ait, poſt relictam patriam, paſſim vagabundos, mutato nomine dictos Pelargos,
quadam alitum pelargorum [Latini dicunt *ciconias*] *ſimilitudine; quòd agminatim ob-*
errarent per Græcas ſimul atque barbaras regiones: & item murum, quo Athenienſium arx
cincta eſt, cognomine Pelaſgicum, opus eſſe horum hominum. Mihi tamen omnes videntur
errare, qui credunt, unam & eamdem gentem eſſe Tyrrhenicam & Pelaſgicam. nam hos pro
illis invicem fuiſſe nominatos, nihil mirum eſt; quando & aliis gentibus, ſimul Græcis ſimul
barbaris, idem accidit; ut Troianis & Phrygibus, conterminis invicem: quamquàm multi
unum idemque genus utriſque autumant; & non in re, ſed in nomine hoc eſſe diſcrimen. quæ
quidem nominum confuſio non minùs in Italicis, quàm aliis fuit gentibus. fuit quidpe tem-
pus, quo Latini, Vmbri, Auſones, & alii nonnulli, Tyrrheni à Græcis dicebantur: quòd ob lon-
ginquas earum gentium ſedeis difficile eſſet hæc exactè diſcernere; adeò, uti Romam ipſam
multi Tyrrhenicam opinati ſint urbem ſcriptores. Proinde nominum quidem mutationem,
ſicut & vitæ, credo factam in his gentibus. genus ambarum fuiſſe commune, non credo;
cùm aliis multis argumentis inductus, tùm linguarum diverſitate; & quòd nulla ſimilitu-
dinis apud eas ſuperſunt veſtigia. Etenim neque Crotoniatæ, ut inquit Herodotus, cum
ullis hoc tempore circumvicinis communem habent ſermonem, neque Placiani: ſed ipſis hiſce
inter ſe linguæ eſt convenientia. ſatisque adparet, quòd, quam ſecum in ea loca intulerunt
linguæ ſpeciem, eam retinent. Atqui miretur aliquis, cum Placianis quidem, circa Helles-
pontum colentibus, ſermonem Crotoniatas habuiſſe ſimilem; quandoquidem utrique à Pe-
laſgis ſunt orti: Tyrrhenis autem tam vicinis habuiſſe prorſus diſſimilem. quidpe ſi commune
genus & cognatio credenda eſt cauſa huius in linguâ ſimilitudinis; contrarium erit cauſa diſ-
ſimilitudinis. neque enim utriuſque eamdem cauſam putare poſſumus. nam alterum quidem
rationem quamdam habet; eiuſdem ſcilicet gentis homines, qui longè inter ſe diſſiti ſint,
non ampliùs retinere eamdem ſermonis formam, propter finitimorum commercia: ſed ab-
ſurdiſſimum eſt, eorumdem locorum incolas nihil prorſus convenire linguâ; ſi ſint eiuſdem
generis. Atque Tyrrhenos quidem diverſos eſſe à Pelaſgis, hoc argumento inducor. neque
tamen Lydorum eos colonos arbitror. nec enim communis illis eſt lingua; nec poſſumus di-
cere, quòd, licèt non ampliùs uno utantur ſermone, alia tamen priſcæ patriæ ſervent indicia.
neque enim eadem, quæ Lydi, colunt numina; nec ſimilibus utuntur legibus, aut ſtudiis:
verùm hac parte plus à Lydis, quàm à Pelaſgis, differunt. Quare vereor, ne veri ſimilior
eorum ſit oratio, qui, non advenam eſſe hanc gentem, ſed indigenam, adſeverant: quando-
quidem & pervetuſta eſt, nec, cum ullâ aliâ moribus aut linguâ eam convenire, compertum
eſt. Hoc autem nomine à Græcis adpellatos eſſe, nihil vetat, vel propter domicilia turri-
ta, vel ab aliquo præpotente principe. Romani certè aliis eos vocant nominibus. etenim
ab regione, quam aliquando incoluerunt, nomine Etruriam, Etruſcos adpellitant; &, ob
excellentem ſacrorum ac divini cultus peritiam, nunc quidem obſcuriùs Tuſcos, olim verò
exactiori voce, quemadmodùm Græci, Θυοσκόες nuncupabant. Ipſi verò à duce quodam
Raſenâ eodem, quo ille, modo ſe nominant. Apud Rutilium Itinerarii lib. 1 hæc legun-
tur:

Heic oblata mihi ſancti genitoris imago;
Piſani proprio quam poſuêre foro.
Namque pater quondam Tyrrhenis præfuit arvis;
Faſcibus & ſenis credita jura dedit.

Paullo pòſt:

Famam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Famam Lachanii veneratur numinis inſtar
Inter Turrigenas Lydia tota ſuos.

Quoniam Etruſcos & ipſe credidit Rutilius è Lydiâ profectos; ipſam Etruriam heic adpellavit *Lydiam*: gentem verè *Turrigenas*; non à Tyrrheno aliquo, Lydorum ſeu Mæonum regis filio; ſed à *turribus* ſic dictam. Verùm ut omnium aliarum antiquarum gentium primordiis, ſic Tuſcorum quoque origini ineptas fabuloſa antiquitas adſtruxit fabulas variasque θεογονίας. alii quidpe Atyn Manæ, Lydiæ ſive Mæoniæ regis, filium, alii nepotem tradiderunt. & conſimili modo Tyrrhenum, à quo Tyrtheniam denominatam voluerunt, alii Herculis & Omphales, alii Telephi, Herculis & Auges filii, alii Atyis, unius ex Herculis Omphalesſque prognatis, filium adfirmarunt. Alii quoque Tyrrhenos advenam in Lydiâ fuiſſe gentem dixerunt. Plutarchus in Romulo; ubi de urbis Romæ conditoribus diſſerit: οἱ δὲ Ῥῶμον, Λατίνων τύραννον, λέγουσι τοὔνομα θέσθαι τῇ πόλει, ἐκβαλόντα Τυρρηνοὺς, τοὺς εἰς Λυδίαν μὲν ἐκ Θετταλίας, ἐκ δὲ Λυδίας εἰς Ἰταλίαν παραγενομένους. Id eſt: *Alii aiunt Romum, Latinorum regem, nomen urbi dediſſe, quum ejeciſſet Etruſcos; qui in Lydiam ex Theſſaliâ, ex Lydiâ commigraverant in Italiam.* Hi etiam Pelaſgicam gentem eſſe intellexerunt Tyrrhenos, è Theſſaliâ profectam. nam hæc antiquiſſima earum fuit ſedes. Strabo ſuprà dicto lib. v poſteà: Τοὺς δὲ Πελασγοὺς ὅτι μὲν ἀρχαῖόν τι φῦλον κατὰ τὴν Ἑλλάδα πᾶσαν ἐπιπολάσαν, καὶ μάλιστα παρὰ τοῖς Αἰολεῦσι τοῖς κατὰ Θετταλίαν, ὁμολογοῦσιν ἅπαντες σχεδόν τι. Id eſt: *Pelaſgos, antiquam gentem, per univerſam Græciam exſtitiſſe, ac maxime inter Aeoles Theſſaliæ incolas claram, apud omneis ferè in confeſſo eſt.* Libro autem XIII antiquiſſimorum ſcriptorum auctoritate probat, omnem Græciam Aſiaticam Lydiæ conterminam, à Pelaſgis habitatam fuiſſe. Dionyſius Halicarnaſſenſis eodem lib. I haud multo antè: Ἔπειτα Πελασγῶν τινες τῶν οἰκούντων ἐν τῇ καλουμένῃ Θετταλίᾳ, τὴν ἑαυτῶν ἀναγκασθέντες ἐκλιπεῖν, συνοικοῦσι γίνονται τοῖς Ἀβοριγῖσι, καὶ κοινῇ μετ' ἐκείνων ἐπολέμουν πρὸς τοὺς Σικελούς. ἐδέξαντο δὲ αὐτοὺς οἱ Ἀβοριγῖνες, ἴσως μὲν καὶ κατὰ τὴν τῆς ὠφελείας ἐλπίδα, ὡς δ' ἐγὼ πείθομαι, καὶ κατὰ τὸ συγγενὲς τὸ μάλιστα. ἦν γὰρ δὴ καὶ τὸ τῶν Πελασγῶν γένος Ἑλληνικὸν, ἐκ Πελοποννήσου τὸ ἀρχαῖον· ἐχρήσατο δὲ τύχαις δυσπότμοις, εἰς πολλὰ μὲν καὶ ἄλλα, μάλιστα δ' εἰς τὴν πολύπλανόν τε καὶ οὐδενὸς τόπου βέβαιον οἴκησιν. πρῶτον μὲν γὰρ περὶ τὸ καλούμενον νῦν Ἀχαϊκὸν Ἄργος ᾤκησαν, αὐτόχθονες ὄντες, ὡς οἱ πολλοὶ περὶ αὐτῶν λέγουσι. Τὴν δὲ ἐπωνυμίαν ἔλαβον ἐξ ἀρχῆς ταύτην ἀπὸ τοῦ Πελασγοῦ βασιλέως. ἦν δὲ ὁ Πελασγὸς ἐκ Διὸς, ὡς λέγεται, καὶ τῆς Νιόβης τῆς Φορωνέως, ᾗ πρώτῃ γυναικὶ θνητῇ μίσγεται ὁ Ζεὺς, ὡς ὁ μῦθος ἔχει. ἕκτῃ δὲ ὕστερον γενεᾷ Πελοπόννησον ἐκλιπόντες, εἰς τὴν τότε μὲν Αἱμονίαν, νῦν δὲ Θετταλίαν ὀνομαζομένην μετανέστησαν. ἡγοῦντο δὲ τῆς ἀποικίας Ἀχαιὸς καὶ Φθῖος καὶ Πελασγὸς, οἱ Λαρίσσης καὶ Ποσειδῶνος υἱοί. ἀφικόμενοι δ' εἰς τὴν Αἱμονίαν, τούς τε κατοικοῦντας ἐν αὐτῇ βαρβάρους ἐξελαύνουσι, καὶ νέμονται τὴν χώραν τριχῇ, τοῖς ἡγεμόσι ποιήσαντες ὁμωνύμους τὰς χώρας, Φθιῶτιν καὶ Ἀχαΐαν καὶ Πελασγιῶτιν. Πέντε δὲ μείναντες αὐτόθι γενεὰς, ἐν αἷς ἐπὶ μήκιστον εὐτυχίας ἤλασαν, τὰ κράτιστα τῶν ἐν Θετταλίᾳ πεδίων καρπούμενοι, περὶ τὴν ἕκτην γενεὰν ἐξελαύνονται Θετταλίας ὑπό τε Κουρήτων καὶ Λελέγων, οἱ νῦν Αἰτωλοὶ καὶ Λοκροὶ καλοῦνται, καὶ συχνῶν ἄλλων τῶν περὶ τὸν Παρνασσὸν οἰκούντων, ἡγουμένου τῶν πολεμίων Δευκαλίωνος, τοῦ Προμηθέως, μητρὸς δὲ Κλυμένης, τῆς Ὠκεανοῦ. Σκεδασθέντες δὲ κατὰ τὴν φυγὴν, οἱ μὲν εἰς Κρήτην ἀπῆλθον, οἱ δὲ τῶν Κυκλάδων νήσων τινὰς κατέσχον, οἱ δὲ περὶ τὸν Ὄλυμπόν τε καὶ τὴν Ὄσσαν τὴν καλουμένην Ἑστιαιῶτιν ᾤκησαν· ἄλλοι δὲ εἴς τε Βοιωτίαν καὶ Φωκίδα καὶ Εὔβοιαν διεκομίσθησαν· οἱ δ' εἰς τὴν Ἀσίαν περαιωθέντες, τῆς περὶ τὸν Ἑλλήσποντον παραλίου πολλὰ χωρία κατέσχον, καὶ τῶν προκειμένων αὐτῆς νήσων ἄλλας τε συχνὰς, καὶ τὴν νῦν καλουμένην Λέσβον, ἀναμιχθέντες τοῖς ἐκ τῆς Ἑλλάδος στελλομένοις τὴν πρώτην ἀποικίαν εἰς αὐτὴν, ἄγοντος Μάκαρος τοῦ Κρασίου. τὸ δὲ πλεῖον αὐτῶν μέρος, διὰ τῆς μεσογείου τραπόμενοι πρὸς τοὺς ἐν Δωδώνῃ κατοικοῦντας σφῶν συγγενεῖς, οἷς οὐδεὶς ἠξίου ἐπιφέρειν πόλεμον, ὡς ἱεροῖς, χρόνον μέν τινα σύμμετρον αὐτόθι διέτριψαν· ἐπεὶ δὲ λυπηροὶ ὄντες αὐτοῖς ᾐσθάνοντο, οὐχ ἱκανῆς οὔσης ἅπαντας τρέφειν τῆς γῆς, ἐκλείπουσι τὴν χώραν, χρησμῷ πειθόμενοι κελεύοντι πλεῖν εἰς Ἰταλίαν. κατασκευασάμενοι δὲ ναῦς πολλὰς, περαιοῦνται τὸν Ἰόνιον, καὶ πρὸς ἑνὶ τῶν τοῦ Πάδου στομάτων ὁρμισάμενοι Σπινῆτι καλουμένῳ, ναῦς μὲν αὐτοῦ ταύτῃ καταλείπουσι καὶ τὸν ἥκιστα δυνάμενον ταλαιπωρεῖν ὄχλον, φυλακὴν ἐπ' αὐτοὺς καταστήσαντες, ὡς ἕξοιεν, εἰ μὴ προχωροίη σφίσι τὰ πράγματα, καταφυγήν· καὶ οἱ μὲν ὑπομείναντες ἐν τούτῳ τῷ χωρίῳ, τεῖχος τῷ στρατοπέδῳ περιβαλόμενοι, πόλιν ἔκτισαν ὁμώνυμον τῷ στόματι τοῦ ποταμοῦ· οἱ δὲ διὰ τῆς μεσογείου τραπόμενοι, τὴν ὀρεινὴν τῆς Ἰταλίας ὑπερβαλόντες, εἰς τὴν Ὀμβρικῶν ἀφικνοῦνται χώραν, τῆς ὁμορούντων Ἀβοριγῖσι. πολλὰ δὲ καὶ ἄλλα τῆς Ἰταλίας χωρία ᾤκουν οἱ Ὀμβρικοί· καὶ ἦν τοῦτο τὸ ἔθνος ἐν τοῖς πάνυ μέγα τε καὶ ἀρχαῖον. τὸ μὲν οὖν κατ' ἀρχὰς ἐκράτουν οἱ Πελασγοὶ τῶν χωρίων, ἔνθα τὸ πρῶτον ἱδρύσαντο, καὶ πολισμάτια τῶν Ὀμβρικῶν κατέλαβόν τινα. Hoc eſt: *Poſthæc Pelaſ-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

gorum quidam, Theſſaliam patriam linquere coacti, recepti ſunt ab Aboriginibus: communibusque opibus bellum gerebant contra Siculos. Hanc Pelaſgorum manum Aborigines in ſedium ſuarum partem admiſerunt, ſpe fortaſſis auxilii; ſed tamen, ut mea fert opinio, ob conſangvinitatem potiſſimùm: quando & Pelaſgorum natio Græca fuit; oriunda ex Peloponneſo: agitata variis caſibus; ſed erroribus maximè; nullibi valens certum domicilium figere. nam primùm habitarunt apud Argos, quod nunc Achaicum vocatur; eius loci, juxta multorum opinionem, indigenæ: à rege Pelaſgo antiquitus ſortiti hoc vocabulum. Hunc aiunt Iovis fuiſſe filium è Niobe, Phoronei filiâ; quam primam mortalium feminarum amplexus eſt Iupiter; ut priſci ferunt ſermones. Sextâ pòſt ætate relinquentes Peloponneſum, migraverunt in Hæmoniam; quæ nunc Theſſalia dicitur. duceſque eius coloniæ fuerunt Achæus & Phthius ac Pelaſgus, Lariſſæ ac Neptuni filii. Vt verò in Hæmoniam ventum eſt; pulſis inde cultoribus barbaris, regionem in treis parteis dividunt; adpellantque ex ſuis ducibus Phthiotin & Achaiam atque Pelaſgiotin. Ibi ætates quinque quum exegiſſent; fortunis ampliſſimis aucti, fruenteſque uberrimis Theſſaliæ campis; circa ſextam ætatem eos inde Curetes Lelegeſque ejecerunt; qui nunc Aetoli ac Locri vocantur; cumque his & alii complures Parnaſſi adcolæ; duce Deucalione, filio Promethei & Clymenes, filiæ Oceani. Profugorum tunc alii Cretam petierunt; alii Cycladum inſularum nonnullas occuparunt: pars Olympo atque Oſſæ contiguam regionem, nomine Heſtiotin, inſederunt: pars migrarunt in Bœotiam, Phocidem, atque Eubœam. alii, trajicentes in Aſiam, multa circa Helleſpontum occuparunt loca maritima. at maxima eorum pars per loca mediterranea ſe contulit ad conſangvineos ſuos Dodonæos: quos, ut ſacros, nemo fas putabat bello adgredi. ibique manſerunt ſat longo tempore. deinde, ubi ſenſerunt, gravari ab ſe cæteros; quòd terra omnibus alendis non ſufficeret; reliquerunt eam regionem; oraculo moniti navigare in Italiam. Paratâ itaque claſſe mari Ionio trajecto, adplicuerunt ad unum è Padi oſtiis, nomine Spinetem: ibique naveis reliquerunt, ac turbam ferendis laboribus imparem; non abſque præſidio: ut refugium haberent, ſi res non ſuccederent ex ſententiâ. Hi eo loco manentes, caſtra cinxerunt mœnibus; urbemque condiderunt oſtio fluminis cognominem. At illi, qui mediterranea petierunt, ſuperatis Italiæ montibus, pervenerunt in Vmbrorum agrum, Aboriginibus finitimum. Habitabant tunc Vmbri & alios multos Italiæ agros: eratque ea gens cum primis antiqua & ampla. Itaque initio occuparunt agros in quibus primùm conſederant; potiti quibusdam Vmbrorum opidulis. Narrat hinc porrò Dionyſius, ut Pelaſgi, quum ab Vmbris ingenti exercitu peterentur, in Aboriginum, qui tum Reatinum agrum & alia circùm loca incolebant, fineis ſeſe contulerint. à quibus in amicitiam atque fœdus recepti, ope eorum & auxilio, primùm Cortonam urbem, dein alia etiam opida Vmbrorum, ſcilicet inter Apenninum & mare inferum dextramque Tiberis ripam ſita, occupârint. Strabo ſuprà dicto lib. v haud multo pòſt, de iiſdem Pelaſgis: Ἀντικλείδης δὲ πρώτους φησὶν αὐτοὺς τὰ περὶ Λῆμνον καὶ Ἴμβρον κτίσαι· καὶ δὴ τούτων τινὰς καὶ μετὰ Τυῤῥηνοῦ, τοῦ Ἄτυος, εἰς Ἰταλίαν συνᾶραι. Hoc eſt: *Anticlides primus eos ait Lemnum & Imbrum incolis frequentaſſe. quoſdamque eorum cum Tyrrheno, Atyis filio, in Italiam commigraſſe.* At hos ipſos Lemni Imbrique inſularum incolas alii vocarunt *Tyrrhenos Pelaſgos*; ut Dionyſius ſuprà citato loco ex Sophocle & Thucydide refert: quorum hic lib. IIII id tradit. alii verò ſimpliciter *Tyrrhenos* eos adpellarunt. Polyænus Strategem. lib. VII: Τυῤῥηνῶν οἱ Λῆμνον καὶ Ἴμβρον κατασχόντες ἐξελαθέντες ὑπ’ Ἀθηναίων εἰς Ταίναρον κατασχόντες, Σπαρτιάταις περὶ τὸν Εἱλωτικὸν πόλεμον συνεμάχουν. Id eſt: *Tyrrheni, qui Lemnum & Imbrum inhabitabant, expulſi ab Athenienſibus, ad Tænarum adpellentes, Spartanis ad bellum Eloticum auxilium tulerunt.* Aliter de hac re ſenſiſſe videtur antiquus inter primos poëta Apollonius Ἀργοναυτικῶν lib. IIII:

—— Τῆς δ’ ἔκποθι νῆσος ἀέρθη
Καλλίστη, παίδων ἱερὴ τροφὸς Εὐφήμοιο·
Οἳ πρὶν μέν ποτε δὴ Σιντιάδα Λῆμνον ἔναιον·
Λήμνου τ’ ἐξελαθέντες ὑπ’ ἀνδράσι Τυρσηνοῖσι,
Σπάρτην εἰσαφίκανον ἐφέστιοι.

Id eſt: —— *Inde inſula ſeſe attollebat*
Calliſte; natorum ſacra altrix Euphemi.
Qui olim Sintiadem Lemnum inhabitabant.
Inde verò pulſi ab viris Tyrrhenis,
Spartam ſeſe contulerunt ſupplices.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Porrò Porphyrius, qui antè Malchus dictus, in vitâ Pythagoræ: Μνήσαρχόν φησιν ὁ Ἀριστόξενος Τυῤῥηνὸν γενέσθαι καὶ γένος, τῶν Λῆμνον καὶ Ἴμβρον καὶ Σκῦρον κατοικησάντων Τυῤῥηνῶν. Id eſt: *Ariſtoxenus ait, Mneſarchum fuiſſe natione Tyrrhenum; ex iis ſcilicet Tyrrhenis, qui Lemnum atque Imbrum & Scyrum incoluerunt.* Ariſtoxenum iſtum Ariſtotelis fuiſſe auditorem, auctor eſt Svidas. Sed Dionyſius, loco ſuprà ſcripto, graviſſimis contra Herodotum, & qui eius ſequuti ſunt auctoritatem, validiſſimisque demonſtravit documentis, *Etruſcorum* in Italiâ gentem, quos & ipſos Græci adpellabant *Tyrrhenos*, neque Pelaſgorum neque Lydorum fuiſſe ſtirpem. Ego verò diligentiæ Dionyſii hanc inſuper conjecturam addiderim: nempe *Pelaſgos*, poſtquàm à Curetibus Lelegibusque Theſſaliâ pulſi ſunt, novum ſibi adſumpſiſſe nomen vel ſaltem cognomen *Tyrſenorum*, ſeu, variante dialecto, *Tyrrhenorum*, in varias Europæ ſimul Aſiæque parteis adjacenteisque inſulas diſperſos. omneis hos, aut verò plurimam eorum partem, è Lydiâ in Italiam profectos, (quod annis CCCXVIIII ante bellum Troianum, CXXXVIII annis poſt Oenotrorum ſive Aboriginum in Italiam migrationem, id eſt, circa annum ante natum Ieſum CIↃIↃXIII, factum eſſe, infrà lib. III cap. I oſtendam) ejectis ibi è parte agrorum, quæ erat inter Apenninum & mare inferum dextramque Tiberis ripam, Vmbris, regionem hanc de ſuo nomine *Tyrſeniam*, &, variante dialecto, *Tyrrheniam* adpellaſſe. quod diſertè teſtatur apud Dionyſium præſcripto loco antiquus in primis auctor Hellanicus; & item alii quidam ſcriptores apud Plutarchum in Romulo. Poſteà temporis, quum circa annum ante natum Chriſtum IↃC Etruſci è Circumpadanâ regione, quæ prima eorum, ut mox oſtendetur, fuit ſedes, ſupervenirent, paſſimque Pelaſgis immiſcerentur; & ipſi à Græcis Græciam incolentibus adpellati fuêre *Tyrrheni*. ſic quidpe ait Marcianus Heracleenſis in Περιηγήσει·

Μετὰ τὴν Λιγυστικὴν Πελασγοὶ δ' εἰσὶν, οἱ
Πρότερον κατοικίσαντες ἐκ τῆς Ἑλλάδος,
Κοινὴν δὲ Τυῤῥηνοῖσι χώραν νεμόμενοι.

Hoc eſt:

Poſt Liguſticam ſequuntur Pelaſgi: qui
Primùm ſedeis huc tranſtulerunt ex Græciâ:
Communem autem cum Tyrrhenis regionem incolunt.

Dionyſius itidem in Περιηγήσει·

Τυῤῥηνοὶ μὲν πρῶτ', ἐπὶ δέ σφισι φῦλα Πελασγῶν·
Οἵ ποτε Κυλλήνηθεν ἐφ' ἑσπερίην ἅλα βάντες
Αὐτόθι νηήσαντο σὺν ἀνδράσι Τυῤῥηνοῖσι.

Id eſt:

Primi ſunt Tyrrheni; tum gens Pelaſgorum:
Qui quondam à Cyllene per occiduum mare profecti,
Heic habitarunt unà cum Tyrrhenis.

Cyllene opidum erat Peloponneſi: ex qua regione Pelaſgos primùm profectos, ſuprà oſtenſum eſt. Hoc igitur *Tyrrhenorum* nomen poſtmodùm in Etruſcorum gente perpetuò uſurparunt Græci; à ſolo, quod tenebant, ſic eos vocitantes: ad eumdem ſcilicet modum, ut, pulſis in Germaniâ Gallicâ gente Boiis, ſedes horum perpetuò poſteà ad hanc noſtram usque tempeſtatem adpellata fuit *Boiohæmum*; licèt etiam Marcomannis inde egreſſis Slavica gens dudum immigraverit, qui *Czechi* ſibi ipſis dicuntur, Germanis verò *die Böhaimen*, id eſt, *Boiohæmi*. quod vocabulum, ut nunc contractè uſurpatur plerisque Germanis *die Bömen*, ſic jam inde Ptolemæo, Marcomannis etiamtum loca tenentibus, relatum eſt Βαῖμοι, *Bæmi*. Hac igitur potiſſimùm ratione error poſteà apud univerſos Græcos introductus fuit; uti Etruſcos indigenam Italiæ gentem, alii Pelaſgorum alii Lydorum progeniem eſſe crediderint. Cæterùm Herodotus loco ſuprà ſcripto ait *Lydos* duce *Tyrrheno* à Smyrnâ, quæ Ioniæ erat urbs, ſolviſſe, atque in Italiam ad Vmbros perveniſſe: ubi conſtructis urbibus, *Tyrrheni* adpellati fuerint. unde etiam prædictus Marcianus Heracleenſis in Περιηγήσει·

Τυῤῥηνίαν δ' ὁ Λυδὸς Ἄτυος ἔκτισεν
Τυῤῥηνὸς, ἐπὶ τῶν Ὀμβρικῶν ἐλθὼν ποτέ.

Id

Id eſt:

Tyrrheniam Lydus, Atyis filius, condidit
Tyrrhenus, ad Vmbros profectus quondam.

Vmbriam heic intelligendam antiquiſſimam illam, cuius fines à mari ſupero ad inferum usque pertinebant; Tyrrhenorumque ad Italiam adpulſum inferi maris litori tribuiſſe veteres iſtos ſcriptores, auctor eſt ſuprà citato loco Dionyſius; ubi eos ait ἐπὶ τοῖς ἑσπερίοις μέρεσι τῆς Ἰταλίας ὁρμίσαι, id eſt, *ad occidentalem Italiæ oram adpuliſſe.* At vetuſtiſſimis rerum ſcriptoribus iſtam Herodoti hiſtoriam de *Pelaſgis* narratam fuiſſe, qui prope eam Vmbriæ partem adpulerunt, quæ mari adluitur ſupero, ex iis, quæ ſuprà è Dionyſio allata ſunt, clarè patet. Ex eodem Dionyſio ſuprà citata ſunt iſta: Ἑλλάνικος δὲ ὁ Λέσβιος τοὺς Τυῤῥηνούς φησι, Πελασγοὺς πρότερον καλουμένους, ἐπειδὴ κατῴκησαν ἐν Ἰταλίᾳ, παραλαβεῖν ἣν ἔχουσι προσηγορίαν. ἔχει δὲ αὐτῷ ἐν Φορωνίδι ὁ λόγος ὧδε· Τοῦ Πελασγοῦ, τοῦ βασιλέως αὐτῶν, καὶ Μενίππης, τῆς Πηνειοῦ, ἐγένετο Φράστωρ· τοῦ δὲ Ἀμύντωρ· τοῦ δὲ Τευταμίδης· τοῦ δὲ Νάνας. ἐπὶ τούτου βασιλεύοντος οἱ Πελασγοὶ ὑφ᾽ Ἑλλήνων ἀνέστησαν· καὶ ἐπὶ Σπινῆτι ποταμῷ ἐν τῷ Ἰονίῳ κόλπῳ τὰς νῆας καταλιπόντες, Κρότωνα πόλιν ἐν μεσογείῳ εἷλον· καὶ ἐντεῦθεν ὁρμώμενοι, τὴν νῦν καλουμένην Τυῤῥηνίαν ἔκτισαν. Hoc eſt: *Hellanicus Leſbius ait, Tyrrhenos, qui primùm Pelaſgi vocabantur, poſtquàm Italiam habitare cœperunt, adſumpſiſſe, quam nunc habent, adpellationem. Eius verba in opere, quod inſcripſit Phoronida, ſunt hæc: Pelaſgi, regis eorum, & Menippes, Penei filiæ, filius fuit Phraſtor: huius verò Amyntor; huius deinceps Teutamides; & huius Nanas. hoc regnante Pelaſgi ab Hellenibus ſunt expulſi. qui, relictis ad Spinetem fluvium in Ionio ſinu navibus; Crotonem ceperunt urbem mediterraneam. eâque belli ſede uſi, conſtituerunt eam, quæ nunc vocatur Tyrrhenia.* Hunc *Teutamiden* Homerus quoque Pelaſgorum facit principem Iliad. lib. II; ubi genteis enumerat Aſiaticæ oræ incolas, quæ in auxilium veniebant Troianis contra Græcos Troiam oppugnanteis. Verba eius hæc ſunt:

Ἱππόθοος δ᾽ ἄγε φῦλα Πελασγῶν ἐγχεσιμώρων;
Τῶν οἳ Λάρισαν ἐριβώλακα ναιετάασκον·
Τῶν ἦρχ᾽ Ἱππόθοός τε Πύλαιός τε ὄζος Ἄρηος,
Υἷε δύω Λήθοιο Πελασγοῦ Τευταμίδαο.

Id eſt:

Hippothous ducebat genteis Pelaſgorum bellicoſorum;
Eorum, qui Lariſſam fertilem habitabant.
His præerat Hippothous, & item Pylæus, ramus Martis;
Filii duo Lithi Pelaſgi Teutamidæ.

Ab his autem Pelaſgis alieni generis facit *Mæonas*; Lydos poſteà dictos. aliquanto enim pòſt, ubi & Thraces & Cicones & Pæonas ac Paphlagonas Halizonasque ac Myſos Phrygasque enarravit, tandem ſic pergit:

Μήοσιν αὖ Μέθλης τε καὶ Ἄντιφος ἡγησάσθην,
Υἷε Πυλαιμένεος, τὼ Γυγαίη τέκε λίμνη·
Οἳ καὶ Μήονας ἦγον ὑπὸ Τμώλῳ γεγαῶτας.

Hoc eſt:

Mæonibus rurſus Methles atque Antiphus præerant,
Filii Pylæmenis, quos Gygæa peperit palus:
Qui & Mæonas ducebant ſub Tmolo natos.

Vterque erat in Lydiâ, *Tmolus* mons juxtà & *Gygæus lacus*. unde etiam Silius ſub finem libri IIII Iunonem introducit, ſub Thraſymeni Etruriæ lacus ſpecie ita Hannibalem adloquentem:

Namque ego ſum, celſis quem cinctum montibus ambit
Tmolo miſſa manus, ſtagnis Thraſymenus opacis.

Et initio libri V:

Quæ vada, Faunigenæ regnata antiquitus Auno,
Nunc, volvente die, Thraſymeni nomina ſervant.
Lydius huic genitor, Tmoli decus, æquore longè
Mæoniam quondam in Latias advexerat oras
Tyrrhenus pubem; dederatque vocabula terris.

Sed ſatis ex hactenus allatis patet, neque Pelaſgicum nec Mæonium ſive Lydium genus quidquam ad Etruſcorum originem ſpectaſſe; nec Tyrrhenicum quidem nomen:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

nomen: quæ Pelaſgorum in Italiâ propria ac peculiaris fuit adpellatio; poſtmodùm perperam, per ſummam ſive ignorantiam ſeu ſimplicitatem, in Etruſcorum gente Græcis uſurpata. Italiæ igitur indigenæ fuêre ETRVSCI; ſuo ſibi vocabulo à duce *Raſenâ* dicti RASENAE. Valeant itaque illi etiam grammatici, qui à Tyrrheni filio *Tuſco* gentem hanc adpellatam tradunt TVSCOS. Servius ad Virgilii Aeneid. lib. I: *Tyrrhenum mare dictum eſt à Tyrrheno quodam qui ſubmerſus erat in mari, quod Tuſciam alluit. cuius filius Tuſcus fuit; à quo Tuſcia. Sorte autem receſſit Tyrrhenus à fratre ſuo Lydo, quærens aliam terram. ſed prævaluit ſubmerſio illius. evaſit verò filius eius & habitavit in Tuſciâ.* Sive, ut alia habent exemplaria; in quibus omnis fabula de Lydo ac Tyrrheno fratribus ex Herodoto repetitur: *Quum Tyrrhenus, ſorte juſſus, diſcederet; in mari, quod Tyrrhenum ab eo vocatur, periit. cuius filius Tuſcus cum populo evaſit in regionem Tuſciam: quæ ab eo nomen accepit.* At Feſtus Pompeius ita refert: *Tuſcos quidam dictos aiunt à Tuſco rege, Herculis filio. alii, quod unicè ſtudii ſi ſint ſacrificiorum, ex Græco, velut* Θυοσκόοι. Hæc ſanè poſterior opinio præter alios, magnum habet auctorem Dionyſium Halicarnaſſenſem: ut ſuprà intelleximus. Nec cuiquam mirari fas ſit, Græcum vocabulum impoſuiſſe genti Romanos; quando & ipſi Græcæ fuerunt originis; ut infra lib. III cap. I demonſtrabitur. Id autem vocabulum poſtmodò tam facilè corrumpi potuit in Τοῦσκοι, quàm omnes ferè aliæ Latinæ lingvæ dictiones, quas ex Græco ſermone retinuerunt Romani. Idem Dionyſius teſtatur, eamdem gentem dictam fuiſſe Romanis *Etruſcos* ἀπὸ τ̃ χώρας ἐν ᾗ ποτε ᾤκησαν, Ἐτρερίας προσαγορευόντες, id eſt, *à regione, quam olim incoluerunt nomine Etruriam*. Auferat igitur hinc etiam nugas ſuas Iſidorus grammaticus; qui Origin. lib. XIIII cap. IIII *Etruriam dictam* ait, *quòd eius fines tendebantur usque ad ripam Tiberis; quaſi* ἕτερος ὅρος, *id eſt, alter finis. Romæ enim finem anteà unam tantùm Tiberis ripam tenuiſſe.* Quorumdam equidem ſcriptorum ea fuit ſententia, antiquiſſimam Etruſcorum ſedem apud Tiberim fuiſſe. unde Livius lib. V, *Tuſcorum*, inquit, *ante Romanum imperium latè terrâ marique opes patuêre. mari ſupero inferoque, quibus Italia inſulæ modo cingitur, quantum potuerint, nomina ſunt argumento; quòd alterum Tuſcum, communi vocabulo gentis, alterum Hadriaticum mare, ab Hadriâ, Tuſcorum coloniâ, vocavêre Italiæ gentes. Græci eadem Tyrrhenum atque Hadriaticum vocant. Ii, in utrumque mare vergentes, incoluêre urbibus duodenis terras, priùs cis Apenninum, ad inferum mare; poſteà trans Apenninum totidem, quot capita originis erant coloniis miſſis: quæ trans Padum omnia loca, excepto Venetorum angulo, qui ſinum circumcolunt mari, usque ad Alpeis tenuêre. Alpinis quoque ea gentibus haud dubiè origo eſt; maximè Rhætis. quos loca ipſa efferarunt, ne quid ex antiquo, præter ſonum lingvæ, nec eum incorruptum, retinerent.* Narrat hinc tranſitum Gallorum è Galliâ in Italiam; qui *Priſco Tarquinio Romæ regnante*, id eſt, anno ante natum Ieſum 19C, factus. *Per Taurinos*, inquit, *ſaltum inviæ Alpis tranſcenderunt: fuſiſque acie Tuſcis haud procul Ticino flumine; quum, in quo conſederant, agrum Inſubrium adpellari audiſſent, cognomine Inſubribus pago Heduorum; ibi, omen ſequentes loci, condidêre urbem; Mediolanum adpellarunt. Alia ſubinde manus, Elitovio duce veſtigia priorum ſecuta, eodem ſaltu, favente Belloveſo, quum tranſcendiſſent Alpeis, ubi nunc Brixia ac Verona urbes ſunt, locos tenuêre. Poſt hos Libicii, ex Salluviis orti, prope antiquam gentem Levos Ligures, incolenteis circa Ticinum amnem, conſidunt. Pennino deinde Boii Lingonesque tranſgreſſi; quum jam inter Padum atque Alpeis omnia tenerentur; Pado ratibus trajecto, non Etruſcos modò, ſed etiam Vmbros agro pellunt. intra Apenninum tamen ſeſe tenuêre. Tum Senones, recentiſſimi advenarum, ab Vtente flumine usque ad Aeſim fineis habuêre.* De eâdem re ſic Diodorus Siculus lib. XIIII: Καθ' ὃν χρόνον μάλιστα Ῥήγιον ἐπολιόρκει Διονύσιος, οἱ κατοικοῦντες τὰ πέραν τ̃ Ἄλπεων Κελτοὶ τὰ στενὰ διελθόντες μεγάλαις δυνάμεσι, κατελάβοντο τὴν μεταξὺ χώραν τ̃ τε Ἀπεννίνου καὶ τ̃ Ἄλπεων ὀρῶν, ἐκβαλόντες τοὺς κατοικοῦντας Τυρρηνούς. Τούτους δ' ἔνιοί φασιν ἀπὸ τ̃ ἐν Τυρρηνίᾳ δώδεκα πόλεων ἀποικισθῆναι. τινὲς δέ φασι Πελασγούς, πρὸ τ̃ Τρωικῶν ἐκ Θετταλίας φυγόντας τὸν ἐπὶ Δευκαλίωνος γενόμενον κατακλυσμόν, ἐν τούτῳ τῷ τόπῳ κατοικῆσαι. Id eſt: *Quo tempore Dionyſius Rhegium arctiſſimâ obſidione premebat, Galli Tranſalpini, validis copiis anguſtias tranſgreſſi, terras inter Apenninum Alpeisque ſitas occuparunt; Tyrrhenis, qui eas incolebant, ejectis. Hos quidem ex duodecim Tyrrheniæ urbibus eò deductos tradunt. alii Pelaſgos aiunt, ante belli Troiani tempora Deucalionis diluvium è Theſſaliâ fugienteis, in his locis conſediſſe.* Plutarchus item in Camillo de iisdem Gallis: οἱ δὲ

ἐμβαλόν-

ἐμβαλόντες, εὐθὺς ἐκράτουν τῆς χώρας, ὅσην τὸ παλαιὸν οἱ Τυῤῥηνοὶ κατεῖχον, ἀπὸ τῶν Ἄλπεων ἐπ' ἀμφοτέρας καθήκουσαν τὰς θαλάσσας· ὡς καὶ τοὔνομα μαρτυρεῖ τῷ λόγῳ· τὴν μὲν γὰρ Βόρειον θάλασσαν Ἀδρίαν καλοῦσιν, ἀπὸ Τυῤῥηνικῆς πόλεως Ἀδρίας· τὴν δὲ πρὸς νότον κεκλιμένην ἄντικρυς Τυῤῥηνικὸν πέλαγος. πᾶσα δ' ἐστὶ δενδρόφυτος αὕτη καὶ θρέμμασιν εὔβοτος, καὶ κατάῤῥυτος ποταμοῖς· καὶ πόλεις εἶχεν ὀκτωκαίδεκα, καλὰς καὶ μεγάλας, καὶ κατεσκευασμένας πρός τε χρηματισμὸν ἐργατικῶς, καὶ πρὸς δίαιταν πανηγυρικῶς· ἃς οἱ Γαλάται, τοὺς Τυῤῥηνοὺς ἐκβαλόντες, αὐτοὶ κατέσχον. Id eſt: *Galli primo ſtatim adventu totam occupant regionem, quam Tuſci, ab Alpibus ad ſuperum inferumque mare pertinentem, quondam tenuerunt. Nomina ſunt argumento: quòd eorum alterum, ad ſeptemtriones vergens, Hadriaticum ab Hadriâ, Tuſcorum coloniâ; alterum, ad meridiem ſpectans, communi vocabulo gentis Tuſcum vocant. Arboribus regio omnis paſcuiſque læta atque irrigua fluminibus, incolebatur urbibus octodecim, inſignibus atque amplis, ad rem induſtriâ parandam, & ad luxum vitæ pariter comparatis. has Galli, ejectis Tuſcis, ipſi occupavêre.* Mendum heic eſſe in voce ὀκτωκαίδεκα, pro qua Plutarchus ſcripſerit δυωκαίδεκα, vel δυοκαίδεκα, id eſt, *duodecim*; certum eſt; quando omnes reliqui auctores hunc urbium principatuumque Tuſcorum numerum referunt. Porrò Plinius lib. III cap. XVIIII: *In mediterraneo, regionis Decimæ coloniæ, Cremona, Brixia, Cenomanorum agro; Venetorum autem Ateſte, & opida, Acelum, Patavium, Opitergium, Belunum, Vicentia, Mantua, Tuſcorum trans Padum ſola reliqua.* Virgilius Aeneid. lib. X:

Ille etiam patriis agmen ciet Ocnus ab oris,
Fatidicæ Mantûs & Tuſci filius amnis;
Qui muros matriſque dedit tibi, Mantua, nomen.
Mantua dives avis. ſed non genus omnibus unum.
Gens illi triplex: populi ſub gente quaterni.
Ipſa caput populis: Tuſco de ſanguine vires.

Ad hæc ita Servius: *Ocnus hic Mantuam dicitur condidiſſe; quam à matris nomine adpellavit. Sed hunc alii Auletis filium, alii fratrem, qui Peruſiam condidit, referunt: &, ne cum fratre contenderet, in agro Gallico Felſinam, quæ nunc Bononia dicitur, condidiſſe: permiſiſſe etiam exercitui ſuo, ut caſtella munirent: in quorum numero Mantua fuit. Alii à Tarchonte, Tyrrheni fratre, conditam dicunt. Mantuam autem ideò nominatam, quòd Etruſcâ linguâ Mantum Ditem patrem adpellant. cui etiam cum cæteris urbibus & hanc conſecravit. Dives avis. maioribus præpotens. & benè dives avis: quia non ab Ocno tantùm, ſed ab aliis quoque condita ſit. primùm namque à Thebanis: deinde à Tuſcis: noviſſimè à Gallis. Gens illi triplex: populi ſub gente quaterni. quia Mantua treis habuit populi tribus: quæ & in quaternas curias dividebantur: & ſingulis ſinguli Lucumones imperabant. quos in totâ Tuſciâ XII fuiſſe, manifeſtum eſt. ex quibus unus omnibus imperabat. Hi autem totius Tuſciæ diviſas habebant quaſi præfecturas. ſed omnium populorum principatum Mantua poſſidebat. unde eſt; Ipſa caput populis. Ergo Virgilius miſcet novam & veterem Etruriam; ut utriuſque principatum patriæ ſuæ adſignet. quum alioquin Mantua ad hæc auxilia pertinere non debeat: quòd Aeneas nulla à Transpadanis auxilia poſtulaverit. & propterea putetur poëta in favorem patriæ ſuæ hoc loquutus.* Plinius dicto lib. III cap. XV: *Intus colonia Bononia, Felſina vocitata, quum princeps Etruriæ eſſet.* Hoc Bononiæ antiquum nomen *Felſina* Livius quoque memoravit lib. XXXIII. Quum igitur de Tuſcorum in Circumpadanâ regione urbibus tam conſtans atque unanimis tradatur fama; miror ego Polybii ſententiam; qui lib. II de iiſdem Gallis loquens, qui Tuſcos hiſce locis expulerunt, ᾤκουν δὲ, inquit, κατὰ κώμας ἀτειχίστους· id eſt; *Habitabant per vicos, ſine muris.* quæ verba haud dubiè ſequutus Strabo lib. V, Ἅπαντες γὰρ, inquit, ᾤκουν κωμηδόν. hoc eſt: *univerſi vicatim habitabant.* Ac ſanè Pompeii Trogi breviator Iuſtinus lib. XX diſertè tradit, *Mediolanum, Comum, Brixiam, Veronam, Bergomum, Tridentum, & Vicentiam, condidiſſe Gallos, qui Tuſcos ſedibus expulerant.* Et merè Gallica ſive Celtica eſſe vocabula, *Mediolanum, Brixiam, Bergomum*, Germaniæ noſtræ lib. I cap. VII certis oſtenſum eſt documentis. Quin ipſe Livius præſcripto loco, à Gallis Inſubribus *Mediolanum* conditum teſtatur. *Brixiam* verò ac *Veronam*, quum Galli Tuſcos iis locis pellerent, nondum exſtitiſſe, ſatis apertè hiſce indicat verbis: *Alia ſubinde manus eodem ſaltu quum transſcendiſſent Alpeis, ubi nunc Brixia ac Verona urbes ſunt, locos tenuêre.* Verùm, ſive duodecim heic ſive pauciores numero, ſeu tandem nullæ per ea tempora in Circumpadanâ Etruriâ fuerint

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

fuerint urbes; hæc certè Etruſcorum antiquiſſima ac prima fuit ſedes; ex qua poſteà in eam migrarunt regionem, quæ inter Apenninum & mare inferum Macramque amnem ac Tiberim dicta eſt *Etruria*. Probatur hoc eo maximè argumento, quòd plurima pars poſterioris huius Etruriæ, antequàm Pelaſgi immigrarent, ab Vmbris habitata fuit: teſtibus luculentiſſimis, qui ſuprà citati, Herodoto, Marciano Heracleenſi, ac Dionyſio Halicarnaſſenſi. quibus adde Plinii auctoritatem, lib. III cap. V ita tradentis: *Etruria eſt ab amne Macrâ; ipſa mutatis ſæpè nominibus. Vmbros inde exegêre antiquitus Pelaſgi: hos Lydi. à quorum rege Tyrrheni, mox à ſacrifico ritu lingvâ Græcorum Thuſci ſunt cognominati*. Et paullo pòſt, loca & amneis recenſens Etruriæ: *Hinc amnes, Prille, mox Vmbro, navigiorum capax; & ab eo tractus Vmbriæ*. Hic amnis *Vmbro*, vulgari nunc vocabulo *Ombrone*, mediam ferè Macram inter Tiberimque ſecat Etruriam. Quum igitur antiquitus heic fuerint Vmbri; Tuſcos, quos non Lydos origine, ſed antiquiſſimam indigenamque Italiæ fuiſſe gentem ſatis ſuperque oſtenſum, aliam tum habuiſſe ſedem, certum eſt. ea verò nulla demonſtrari poteſt, niſi quam inter Apenninum & Alpeis circa Padum incoluerunt. Huc adde, quòd Vmbris ad inferum mare incolentibus Ligures fuêre contermini. Dionyſius Halicarnaſſenſis eodem lib. I; de Aboriginibus loquens: Ἄλλοι δὲ Λιγύων ἀποίκους μυθολογοῦσιν αὐτοὺς γενέσθαι, τῶν ὁμορούντων Ὀμβρικοῖς. Id eſt: *Alii Ligurum colonos eos fuiſſe fabulantur, Vmbris confinium*.

ETRVRIAE Circumpadanæ *fines.*

Fines nunc antiquæ Etruriæ aperiantur. Pelli hinc cœpiſſe Tuſcos à Gallis circa annum ante natum Ieſum Chriſtum IOC, cùm heic paullo antè, tum ſuprà lib. I cap. XXII, compluribus oſtenſum eſt auctorum teſtimoniis. quantum igitur agrorum pulſores occupaverint, tantum pulſos amiſiſſe certum eſt. eiſdem itaque finibus Etruria antiqua incluſa fuit, quibus nos dicto cap. XXII Galliam Circumpadanam circumſcripſimus. Nempe trans Padum ab occaſu Solis fuit Orgus amnis; inter Lebecios Gallos atque Taurinos poſteà terminus. inde ab ſeptemtrionibus fuêre radices Alpium, ad Veronam usque: hinc Atheſis fluvius, ad oſtium usque. ab ortu ſolis mare Hadriaticum & cuncta Padi oſtia adcolebant Ravennam usque. De Atheſi dubitare minimè licet, quia contermina ei urbs *Hadria* Tuſcorum fuit colonia; ut paullo antè ex Livio ac Plutarcho, latiùs verò ſuprà lib. I cap. XVIII ex aliis etiam auctoribus oſtenſum. De Padi oſtiis ita teſtatur Plinius lib. III cap. XV: *Vrgetur Padus aquarum mole, & in profundum agitur, gravis terræ; quamquàm diductus in flumina & foſſas inter Ravennam Altinumque; tamen, quia largiùs vomit, ſeptem maria dictus facere. Auguſtâ foſſâ Ravennam trahitur; ubi Paduſa vocatur; quondam Meſſanicus adpellatus. Proximum inde oſtium magnitudinem portus habet, qui Vatreni dicitur: quo Claudius Cæſar, è Britanniâ triumphans, prægrandi illâ domo veriùs, quàm nave, intravit Hadriam. hoc antè Eridanum oſtium dictum eſt; aliis Spineticum, ab urbe Spinâ, quæ fuit juxtà. auget ibi Padum Vatrenus amnis, ex Forocornelienſi agro. Proximum inde oſtium Capraſiæ. dein Volane: quod antè Olane vocabatur. Omnia ea flumina foſſasque primi à Pado fecêre Thuſci; egeſto amnis impetu per transverſum in Atrianorum paludes, quæ Septem maria adpellantur; nobili portu opidi Thuſcorum Atriæ; à quo Atriaticum mare antè adpellabatur, quod nunc Hadriaticum*. Ait Plinius, *omnia flumina foſſasque primos à Pado feciſſe Thuſcos*. ergo etiam illam ad Ravennam usque fecerunt; quæ anteà, neſcio unde, *Aſconis foſſa*, poſteà verò ab Auguſti Cæſaris nomine dicta fuit *Auguſta*; ut ſuprà lib. I cap. XXXV oſtenſum. Hinc Scylax in Περίπλῳ· Μετὰ δὲ τοὺς Ὀμβρικοὺς Τυρρηνοί εἰσιν ἔθνος, ἀπὸ τοῦ Τυρρηνικοῦ πελάγους ἔξωθεν εἰς τὸν Ἀδρίαν διήκοντες· καὶ πόλις ἐν αὐτοῖς Σπίνη, καὶ ποταμός. Id eſt: *Poſt Vmbros ſunt Tyrrheni, à Tyrrheno mari ad Hadriam usque protenſi. urbsque in iis eſt Græca Spina, cum amne eiusdem nominis*. Sic locum hunc ab immanibus, quibus ſcatebat, mendis purgandum eſſe, ſuprà dicto lib. I cap. XVII docui. Porrò Dionyſius Halicarnaſſenſis lib. VII: Ἐπὶ τῆς ἑξηκοστῆς καὶ τετάρτης Ὀλυμπιάδος, ἄρχοντος Ἀθήνησι Μιλτιάδου, Κύμην, τὴν ἐν Ὀπικοῖς Ἑλληνίδα πόλιν, Τυρρηνῶν τε οἱ περὶ τὸν Ἰόνιον κόλπον κατοικοῦντες, ἐκεῖθεν δ' ὑπὸ τῶν Κελτῶν ἐξελαθέντες σὺν χρόνῳ, καὶ σὺν αὐτοῖς Ὀμβρικοί τε καὶ Δαύνιοι καὶ συχνοὶ τῶν ἄλλων βαρβάρων, ἐπεχείρησαν ἀνελεῖν. Id eſt: *Olympiade* LXIIII, *Athenis ſupremum magiſtratum gerente Miltiade, Cumas, Græcam in Opicis urbem, Etruſcorum qui Ionium ſinum adcolebant, atque inde pòſt à Gallis expulſi fuêre, cumque his Vmbri & Daunii aliique nonnulli barbari, conati ſunt exſcindere*. De cætero à meridie limitem ſtatuimus ſuprà, lib. I cap. VIII & XXVII, inter Ligures & Lebecios Lævosque, utramque Gallicam nationem,

Padum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Padum amnem, ad Tidonem usque fluvium; quo ipſo eoſdem Ligures ab Ananibus
ſive Anamanis Gallis Ciſpadanis ſeparavimus. A fonte igitur eius fluvii Apenninus
porrò Galliam Ciſpadanam à Liguribus Apuanis & à poſteriori Etruriâ ſubmove-
bat, ad Vtentem usque amnem; qui apud Ravennam in mare Hadriaticum influit,
vulgari nunc vocabulo *Montone*. Livii verba ex lib. v paullo antè citavimus iſta: *Pen-*
nino deinde Boii Lingoneſque transgreſſi; quum jam inter Padum atque Alpeis omnia tene-
rentur; Pado ratibus trajecto, non Etruſcos modò, ſed etiam Vmbros agro pellunt. intra
Apenninum tamen ſeſe tenuêre. Tum Senones, recentiſſimi advenarum, ab Vtente flumine
usque ad Aeſim fineis habuêre. Ergo etiam ultra Vtentem Vmbri tunc incoluerunt ver-
ſûs occaſum. Quo autem heic fine ab Etruſcis diſtincti fuerint, haud facile diſpe-
ctu. Bononiam fuiſſe Etruſcorum quondam caput, Felſinam tunc dictam, ſuprà in-
telleximus. & de agro circa Parmam ac Mutinam ita teſtatur Livius lib. XXXVIIII:
Eodem anno Mutina & Parma coloniæ Romanorum civium ſunt deductæ. bina millia ho-
minum in agro, qui proximè Boiorum, antè Tuſcorum fuerat, octona jugera Parmæ, quina
Mutinæ acceperunt. Quapropter Vatrenus, ſive, ut poſteà dictus, Saternus amnis
terminus fortè inter utroſque fuerit. Hinc rectè Scylax, loco præſcripto, Spinam,
Pelaſgorum opidum, in Tyrrhenis poſuit; ſuprà autem dicti auctores Pelaſgos, no-
vas ſedeis quærenteis, ad Vmbros perveniſſe tradiderunt: quia à Spinâ ſtatim in
Vmbriam ingreſſi ſunt verſûs Crotonam urbem. Hi igitur antiquæ illius Etruriæ
Circumpadanæ fuêre fines. Hoc terrarum ſpacio jam inde antiquiſſimis tempo-
ribus *duodecim* eos conſtituiſſe inter ſeſe δυναστείας, ut Polybius lib. II vocat, ſive,
ut Dionyſius Halicarnaſſenſis, ἡγεμονίας, id eſt, *principatus*; quas Servius ad ſuprà
dictum Virgilii lib. x *præfecturas* adpellat; alii verò auctores, ut mox videbimus,
duodecim Etruriæ populos; ex quibus poſteà in novam inter Apenninum & mare in-
ferum Etruriam totidem colonias deduxerint; cùm ſuprà ſcripti auctores Livius
ac Plutarchus, tùm Polybius teſtatur lib. II; ubi poſt deſcriptionem regionis Cir-
cumpadanæ ita ait: Διὸ καὶ τοὺς ἱστοροῦντας τὰς Τυῤῥηνῶν δυναστείας, οὐ χρὴ ποιεῖσθαι τὴν ἀνα-
φορὰν ἐπὶ τὴν νῦν κατεχομένην ὑπ' αὐτῶν χώραν, ἀλλ' ἐπὶ τὰ προειρημένα πεδία καὶ τὰς ἐκ τού-
των τῶν τόπων ἀφορμάς. Id eſt: *Qui in Etruſcorum principatus inquirunt, eos oportet non*
ad illam regionem, quam nunc tenent, oculos referre; ſed ad campos ſuprà dictos, & ad opes,
quas inde colligebant. Quamquàm hunc locum noviſſimus auctoris interpres ita ver-
tit: *Qui hiſtorias legunt de Tyrrhenorum dynaſtiis & variis dominatibus.* Qui ſenſus
eorum verborum uti genuinus ſit, vehementer ego vereor. Duodecim autem iſti
Etruriæ populi ſingulos ſinguli habuiſſe dicuntur principes; qui Etruſcâ lingvâ *Lu-*
cumones dicebantur; ſi Servio credimus. is quidpe ad Virgilii Æneid. lib. II ita ait:
Propter duodecim populos Tuſciæ. duodecim enim lucumones, qui reges ſunt lingvâ Tuſco-
rum, habebant. unde eſt; Gens illi triplex: populi ſub gente quaterni. Et ad lib. VIII:
Nam Tuſcia duodecim lucumones habuit, id eſt reges; quibus unus præerat. Ad lib. x: *Gens*
illi triplex: populi ſub gente quaterni. Singulis ſinguli lucumones imperabant; quos in totâ
Tuſciâ XII *fuiſſe, manifeſtum eſt: ex quibus unus omnibus imperabat. hi autem totius Tuſciæ*
diviſas habebant quaſi præfecturas. ſed omnium populorum principatum Mantua poſſidebat.
unde eſt; Ipſa caput populis. Ergo Virgilius miſcet novam & veterem Etruriam; ut utrius-
que principatum patriæ ſuæ adſignet. Et ad lib. XI: *Quia, ut ſuprà diximus, totius Tuſciæ*
populus in XII *parteis fuit diviſus: unde; Gens illi triplex; populi ſub gente quaterni. qui*
ſingulis lucumonibus parebant. Item anteà, ad lib. V: *Varro dicit, Romulum, dimican-*
tem contra Titum Tatium, à Lucumonibus, id eſt, à Tuſcis auxilia poſtulaſſe. Singuli verò
populi ſingula habuiſſe traduntur capita; quæ eadem & principum fuerint ſedes:
ſive vici ſive urbes fuerint: inter quas principatum tenuit, teſte ſuprà citato Plinio,
Felſina; poſteà, mutatis colonis, *Bononia* dicta. Inter reliquas haud dubiè habitæ
fuêre *Mantua* atque *Hadria*. At longè alia aliis de XII Etruriæ poſterioris urbibus
fuit auctoribus ſententia: qui non à XII Etruſcorum Circumpadanorum coloniis,
ſed, jam ante illorum immigrationem, à Pelaſgis eas conſtitutas tradiderunt. qua
de re Strabo dicto lib. v ſuprà ſcriptis hæc continuò ſubnectit: Ἐλθὼν δ' ὁ Τυῤῥηνὸς, τὴν
χώραν ἀφ' ἑαυτοῦ Τυῤῥηνίαν ἐκάλεσε, καὶ δώδεκα πόλεις ἔκτισεν, οἰκιστὴν ἐπιστήσας Τάρκωνα, ἀφ' οὗ
Ταρκωνία ἡ πόλις· ὃν διὰ τὴν ἐκ παίδων σύνεσιν, πολιὸν γεγεννῆσθαι μυθεύουσι. Id eſt: *Tyrrhenus*
quum in has oras veniſſet, regionem de ſuo nomine nuncupavit Tyrrheniam & XII urbeis
condidit; præfecto ad id conſtituto Tarcone; à quo Tarquinia nomen habet; Hunc, quòd à
puero

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

ETRVRIAE *in* XII *populos atque principatus diviſio.*

puerò ſaperet, canum natum fabulantur. Hinc quidam *Tarconem* fecêre fratrem *Tyrrheni*. Servius ad Virgilii Aeneid. lib. x: *Alii Mantuam à Tarchone, Tyrrheni fratre, conditam dicunt*. Lycophron in Alexandrâ, de Aeneæ ſimul atque Vlyſſis apud Italiam erroribus canens: ——— Ἐκ δ' Ἀλμωνίας

Πάλιν πλανήτην δέξεται Τυρσηνία,
Λυγκεύς τε θερμὸν ῥεῖθρον ἐκβράσσων ποτῶν,
Καὶ Πῖσ' Ἀγύλλης θ' αἱ πολύρρηνοι νάπαι.
Σὺν δέ σφι μίξει φίλιον, ἐχθρὸς ὤν, στρατὸν
Νάνος πλάναισι πάντ' ἐρευνήσας μυχὸν
Ἁλός τε καὶ γῆς· σὺν δ' οἱ δίπτυχοι τόκοι
Μυσῶν ἄνακτος,
Τάρχων τε καὶ Τυρσηνός, αἴθωνες λύκοι,
Τῶν Ἡρακλείων ἐκγεγῶτες αἱμάτων.

Hoc eſt: ——— *Ex Halmoniâ verò*
Rurſus erronem excipiet Tyrſenia,
Lynceusque, calidum ejiciens laticum flumen,
Et Piſa, Agyllæque ſaltus pecoroſi.
Cum illo deinde junget amicum inimicus exercitum
Nanus, erroribus omneis perſcrutans angulos
Maris terræque: ſimul quoque gemini filii
Myſorum regis,
Tarchon & Tyrrhenus, lupi fervidi,
Herculeo prognati ſangvine.

Lydos quosdam ſcriptores vocaſſe *Myſos*, duasque has genteis inter ſe confudiſſe, auctor eſt Strabo lib. xii. At Trogus *Tarquinios*, *Peruſiam*, & *Cære*, urbeis, quas in xii Etruriæ principum urbium numero fuiſſe, infrà patebit, non ab Etruſcis, ſed ab Græcis conditas tradidit. ſic quidpe epitomator eius Iuſtinus lib. xx: *Sed & Piſæ in Liguribus Græcos auctores habent: & in Tuſcis Tarquinii à Theſſalis & Spinambris, Peruſini quoque originem ab Achæis ducunt. Quid Cære urbem dicam? quid Latinos populos, qui ab Aeneâ conditi videntur?* Quin & ipſe Strabo, ut infrà ſuo loco videbimus, *Cære*, ſive, ut anteà vocabatur, *Agyllam* à Pelaſgis, è Theſſaliâ profectis, conditam adfirmat; poſteà verò à Tyrrhenis occupatam. Plutarchus verò in Camillo Ἑλληνίδα πόλιν, id eſt, *Græcam urbem*, eam vocat, quum, Gallis urbem Romam occupantibus, L. Albinus virgines Veſtaleis cum ſacris vehiculo ſuo eò deportaret. Dionyſius prædicto lib. i de Pelaſgis, qui è Theſſaliâ ad Padi oſtia, atque inde in Reatinum agrum ad Aborigines profecti, partem agrorum in ſedem acceperunt, ita tradit: Μοῖρα δέ τις αὐτῶν οὐκ ἐλαχίστη, ὡς ἡ γῆ πᾶσιν οὐκ ἀπέχρη, πείσαντες τοὺς Ἀβοριγῖνας συνάρασθαί σφισι τῆς ἐξόδου, στρατεύουσιν ἐπὶ τοὺς Ὀμβρικούς, καὶ πόλιν αὐτῶν εὐδαίμονα καὶ μεγάλην ἄφνω προσπεσόντες αἱροῦσι Κρότωνα· ταύτῃ φρουρίῳ τε καὶ ἐπιτειχίσματι κατὰ Ὀμβρικῶν χρώμενοι κατεσκεύαστο γὰρ ὡς ἔρυμα εἶναι πολέμου ἀποχρώντως, πολλῶν δὲ καὶ ἄλλων ἐκράτησαν χωρίων. Id eſt: *Eorum deinde bona pars quum agri omnibus non ſufficerent, Aboriginibus in expeditionem adſcitis, bello Vmbros adgrediuntur; urbemque eorum florentem ac magnam Crotonem repentino incurſu capiunt. qua mox pro arce belli contra Vmbros uſi; quòd egregiè eſſet munita; alia quoque loca multa in poteſtatem ſuam redegerunt*. Nihil igitur certius, quàm dictorum *Pelaſgorum Tyrrhenorum*, è Theſſaliâ in Lydiam, è Lydiâ in Italiam ad Aborigines profectorum, partem ducem habuiſſe nomine *Tarconem*, ſive *Tarchonem*; ſeu, ut alii vocabula hæc inflectunt, *Tarcontem*, ſive *Tarchontem*: eumque poſteriorem iſtam inter Apenninum Tiberimque & mare inferum Etruriam, pulſis inde priſcis cultoribus Vmbris, in xii *principatus* ſive *populos* diſtinxiſſe. Miſſus autem is fuit, non à quodam *Tyrrheno*, ut vult Strabo; ſed ab *Euandro*, totius huius *Pelaſgorum Tyrrhenorum* coloniæ ductore; ut infrà lib. iii cap. i & ii oſtendetur. *Crotonem* autem, ſive, ut poſteà ad hæc usque tempora vocata eſt, *Cortonam* urbem in xii principum Etruriæ urbium fuiſſe numero, infrà hoc lib. ii cap. iii monſtrabo. Hinc Silius lib. viii; ubi præcipua Etruriæ recenſet opida:

Lectos Cære viros, lectos Cortona, ſuperbi
Tarcontis domus, & veteres misère Graviſcæ.

Poſteà verò Etruſci è vicinâ Etruriâ Circumpadanâ, ut ſuprà dictum, paullatim

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Pelaſgis ſeſe immiſcentes, mox ſive vi ſive per dolum imperio ſuo eos ſubjecerunt; nomenque hac ratione ſuum à ſupero ad inferum usque mare extenderunt. Plutarchus in dicto Camillo: Οἱ δὲ Γαλάται ἐμβαλόντες, εὐθὺς ἐκράτουν τῆς χώρας, ὅσην τὸ παλαιὸν οἱ Τυρρηνοὶ κατεῖχον, ἀπὸ τῶν Ἄλπεων ἐπ᾽ ἀμφοτέρας καθήκουσαν θαλάσσας. Id eſt: *Galli primo adventu totam protinus occupant regionem, quam Tuſci, ab Alpibus ad utrumque mare pertinentem, antiquitus incoluerunt*. Non omnem, mehercules, quæ tum ad Tiberim usque & mare inferum protendebatur, occuparunt Galli Etruriam; ſed antiquam illam trans Apenninum tantùm. nimioque brevitatis ſtudio Plutarchus hæc confudit; dum & univerſos, quos tum poſſidebant, Tuſcorum fineis oſtendere voluit, ſimulque regionem, ex qua à Gallis pulſi erant. Cæterùm Livius quoque, dicto lib. v, *in utrumque mare vergenteis*, XXIIII *urbibus eas terras incoluiſſe* eos teſtatur. & ſub finem eiusdem libri Camillus concionem populi Romani ſic adfatur: *Non univerſa Etruria, tantum terrâ marique pollens, atque inter duo maria latitudinem obtinens Italiæ, bello vobis par eſt*. Et Scylax in Περίπλῳ· Μετὰ δὲ τοὺς Ὀμβρικοὺς, inquit, Τυρρηνοί εἰσιν ἔθνος, ἀπὸ τοῦ Τυρρηνικοῦ πελάγους ἔξωθεν εἰς τὸν Ἀδρίαν διήκοντες. καὶ Τυρρηνία ἐστὶν διήκουσα ἀπὸ τῆς ἔξωθεν θαλάσσης ἕως εἰς τὸν Ἀδρίαν κόλπον, ἀπὸ πόλεως Πίσης μέχρι Σπίνης πόλεως. Id eſt: *Poſt Vmbros ſunt Tyrrheni, à Tyrrheno mari ad Hadriam usque porrecti. & Tyrrhenia ab extero mari ad ſinum Hadriam pertinet, à Piſâ urbe ad urbem Spinam*. Sed & Virgilius idem terrarum ſpacium ab Atheſi & mari Hadriatico ad Tiberim usque innuere voluit dicto Aeneid. lib. x, his verſibus:

Ille etiam patriis agmen ciet Ocnus ab oris
Fatidicæ Mantûs & Tuſci filius amnis;
Qui muros matrisque dedit tibi, Mantua, nomen.

Mantuam hoc loco cum reliquis Etruſcorum urbibus, quæ auxilia Aeneæ miſerint, *Cluſio, Coſis, Populonio, Piſis, Cære, Pyrgis, Graviſcis*, commemorat. Non autem cum tantummodò agrum cis Apenninum Etruſci occuparunt, qui antè Vmbrorum fuerat, pòſt verò Pelaſgorum Tyrrhenorum; ſed & Liguſtici agri partem, inter Macram Arnumque flumina. unde Lycophron, qui & ipſe Etruſcos putavit eſſe eosdem & Pelaſgos, è Lydiâ à Tmolo monte in Italiam profectos, ita canit in Alexandrâ:

Αὖθις δὲ κίρκοι, Τμῶλον ἐκλελοιπότες,
Ἄγυλλαν Αὐσονῖτιν εἰσεκώμασαν,
Δριμὺν Λιγυστίνοισι
Λόγχης ἐν ὑσμίνῃσι μίξαντες πάλην·
Εἷλον δὲ Πῖσαν, καὶ δορύκτητον χθόνα
Πᾶσαν κατεξεργάσαντο, τὴν Ὀμβρῶν πέλας.

Hoc eſt:

Deinde accipitres, Tmolum linquentes,
In Agyllam Italicam irruerunt;
Grave cum Liguſtinis
Belli conflictu miſcentes certamen:
Ceperunt autem Piſam; captivamque terram
Omnem ſubegerunt Vmbris conterminam.

Hinc Virgilius *Piſas* jam inde Aeneæ tempeſtate Etruſcos tenuiſſe oſtendit; quas Ligures primùm condidiſſe, infrà docebo. hinc Livius lib. XLI: *Lucam colonia eodem anno duo millia civium Romanorum ſunt deducta. De Ligure captus is ager erat. Etruſcorum antè, quàm Ligurum, fuerat*. Strabo lib. v; ubi Etruriam ſui temporis deſcribit: Λοῦνα δὲ πόλις ἐστὶ καὶ λιμήν· ἡ μὲν πόλις οὐ μεγάλη, ὁ δὲ λιμὴν μέγιστός τε καὶ κάλλιστος, ἐν αὑτῷ περιέχων πλείους λιμένας, ἀγχιβαθεῖς πάντας· οἷον ἂν γένοιτο τὸ ὁρμητήριον θαλαττοκρατησάντων ἀνθρώπων, τοσαύτης μὲν θαλάττης, τοσοῦτον δὲ χρόνον. Id eſt: *Luna opidum eſt & portus. opidum quidem non magnum: at portus maximus juxtà ac pulcherrimus, plureis includens portus, omneis prope litus profundos. quale omnino conveniebat eſſe receptaculum hominum, qui tanti maris tanto tempore dominium obtinuerunt*. Hodiè opidum vocari *Lérici*; portum verò *Il Golfo di Spétie*; poſteà docebo. Ex hoc igitur portu profecti, inferi maris, quod à nomine eorum *Etruſcum* & *Tuſcum* adpellatum, dominium acquiſiverunt: quod longo tempore obtinuiſſe eos teſtatur Strabo. Scilicet jam inde ante Troianum bellum novam hanc ſive infernatem Etruriam, ſubjectis ſibi Pelaſgis, ſub imperio ſuo habuerunt. quidpe non tantùm poëta Virgilius in Aeneide ſuâ conterminos

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

minos Etruſcos Aeneæ contra Rutulos bellis immiſcet; ſed graviſſimi etiam rerum ſcriptores, T. Livius, Dionyſius Halicarnaſſenſis, & alii. Livius lib. 1, in rebus Aeneæ: *Tanta opibus Etruria erat, ut jam non terras ſolùm, ſed mare etiam, per totam Italiæ longitudinem, ab Alpibus ad fretum Siculum, famâ nominis ſui impleſſet*. Huc igitur jam rectè congruit illud Dionyſii, quod ſuprà citavimus ex lib. 1 huiusmodi: ὁ δὲ χρόνος, ἐν ᾧ Πελασγικὸν ἔθνος κακοῦσθαι ἤρξατο, δευτέρᾳ γενεᾷ σχεδὸν πρὸ τῶν Τρωϊκῶν ἐγένετο. διέμεινε δὲ σχεδὸν καὶ μετὰ τὰ Τρωϊκά, ἕως εἰς ἐλάχιστον συνεστάλη τὸ ἔθνος. ἔξω γὰρ Κρότωνος, τῆς ἐν Ὀμβρικοῖς πόλεως ἀξιολόγου, καὶ εἰ δή τι ἄλλο Ἀβοριγίνων οἰκισθὲν ἐτύγχανε, τὰ λοιπὰ τῶν Πελασγῶν διεφθάρη πολίσματα. ἡ δὲ Κρότων ἄχρι πολλοῦ διαφυλάξασα τὸ παλαιὸν σχῆμα, χρόνος οὐ πολὺς ἐξ οὗ τήν τε ὀνομασίαν καὶ τοὺς οἰκήτορας ἤλλαξε· καὶ νῦν ἐστι Ῥωμαίων ἀποικία, καλεῖται δὲ Κορθωνία. οἱ δὲ τῶν ἐκλιπόντων τὴν χώραν Πελασγῶν κατασχόντες τὰς πόλεις ἄλλοι τε πολλοὶ ἦσαν, ὡς ἕκαστοί πῃ ἔτυχον ὁμοτέρμονας τὰς οἰκήσεις ἔχοντες, καὶ ἐν τοῖς μάλιστα πλείστας τε καὶ ἀρίστας Τυρρηνοί. Hoc eſt: *Tempus verò, quo res Pelaſgorum cœperunt deficere, incidit in alteram fermè ante bellum Troianum ætatem. duraverunt tamen penè ultra eius belli etiam tempora: donec in minimam gentem contracti ſunt. nam præter Crotonem, Umbriæ urbem eximiam, & ſi quod aliud tenuerunt Aborigines domicilium, perierunt reliqua Pelaſgorum oppida. Croto verò quum diu retinuiſſet veterem formam; non multo ante noſtram ætatem & incolas mutavit & nomen; Cortonia vocata, Romanorumque facta colonia. Derelictas autem à Pelaſgis urbeis occupaverunt cùm alii, ut quique erant finitimi, tum maximè Tyrrheni plurimas juxtà atque optimas*. Scilicet, quum Etruſci à Gallis è Circumpadanâ regione pellerentur; pars eorum, quæ trans Padum incolebat, Alpeis proximas occupavit; novo nomine *Rhæti* à duce ſuo dicti; ut ſuprà lib. 1 cap. XVI oſtenſum: pars altera, quæ, cis Padum colens, Pelaſgis erat contermina, in horum fineis cis Apenninum conceſſit. quo tandem ſpectat illud Marciani Heracleenſis in Περιηγήσει·

Μετὰ τὴν Λιγυστικὴν Πελασγοὶ δ' εἰσίν, οἱ
Πρότερον κατοικήσαντες ἐκ τῆς Ἑλλάδος·
Κοινὴν δὲ Τυρρηνοῖσι χώραν νεμόμενοι.

Id eſt:

Poſt Liguriam ſequuntur Pelaſgi: qui
Olim huc commigraverunt è Græciâ:
Communemque cum Tyrrhenis terram incoluerunt.

Item hoc Dionyſii in Περιηγήσει·

Τυρρηνοὶ μὲν πρῶτ', ἐπὶ δέ σφισι φῦλα Πελασγῶν·
Οἵ ποτε Κυλλήνηθεν ἐφ' ἑσπερίην ἅλα βάντες,
Αὐτόθι νήσαντο σὺν ἀνδράσι Τυρρηνοῖσι.

Hoc eſt:

Tyrrheni heic primi ſunt: poſt hos gentes Pelaſgorum:
Qui quomdam à Cyllene in occiduum mare profecti,
Heic habitarunt cum viris Tyrrhenis.

Non autem in fineis tantùm Pelaſgorum recepti ſunt Etruſci; ſed & in πολιτείαν, id eſt, in reipublicæ in XII principatus populosque ac totidem præcipuas urbeis diſtributæ adminiſtrationem. quam perpetuò deinde duæ hæ gentes κοινῇ, id eſt, conjunctè ſervarunt. ita tamen, uti *Etruſci* Italicis, *Tyrrheni* verò Græcis populis in univerſum vocarentur. Atque hinc factum, quum *Tarchon* ille primus Pelaſgorum è Reatino agro in Etruriam ductor primusque heic legislator ac rex ſeu princeps fuerit; uti eum poſtmodùm Etruſci cum ſuo *Tagete* confuderint. quem & ipſum, ut infrà ad *Tarquiniorum* urbis expoſitionem latiùs docebo, puerili ſpecie, ſed ſenili prudentià, repentè, quum terra araretur, emerſiſſe, omnemque haruſpicinæ diſciplinam ſibi tradidiſſe, fabulati ſunt. Sed Pelaſgorum genus ad poſteriora etiam tempora incoluiſſe hanc Etruriam inter Etruſcos, maximo validiſſimoque hoc documento probatur, quòd, præter *Cortonam*, quam Dionyſius loco præſcripto nominat, *Falerii* quoque, *Faliſcorum* urbs, & *Peruſia* ac *Tarquinii* & *Cære*, alio nomine *Agylla* dicta; quæ omnes Græcæ fuêre urbes; ſemper in numero XII principum urbium computatæ ſunt; ut infrà in ſingularum expoſitione patebit. Manſêre autem Pelaſgi Græci in iis maximè Etruriæ urbibus, quæ Tiberi ac Latio erant proximæ, quia ab alterà ſui generis parte, qui unà cum ipſis è Theſſaliâ ſive Lydiâ in Italiam adpulerant, Aboriginibusque ſeſe junxerant, communi cum his nomine

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Latini dicti (quod infrà lib. III cap. I oſtendetur) contra Etruſcorum injurias deſenſabantur. Quòd igitur Dionyſius loco proximè ſcripto ait, ὅτι οἱ τῶν ἐκλιπόντων τὴν χώραν Πελασγῶν κατασχόντες τὰς πόλεις ἄλλοι τε πολλοὶ ἦσαν, ὡς ἕκαστοί τισιν ἔτυχον ὁμοτέρμονας τὰς οἰκήσεις ἔχοντες, καὶ ἐν τοῖς μάλιστα πλείστας τε καὶ ἀρίστας Τυῤῥηνοί· id eſt, *derelictas à Pelaſgis urbeis occupaſſe cùm alios, ut quique erant finitimi, tum maximè Etruſcos plurimas juxtà atque optimas*: id de iis locis intelligendum, quæ Apennino monte & Etruriæ Circumpadanæ erant proxima. in quæ, excedentibus inde Pelaſgis, ſucceſſerunt Etruſci, à Gallis Circumpadanâ regione pulſi. Minùs rectè itaque Diodorus lib. V (niſi *Pelaſgi Tyrrheni* heic intelligantur, à Tarchone in Italiam deducti) de hac intra Apenninum & mare inferum Tiberimque amnem Etruriâ tradiderit in hæc verba: Οἱ δὲ Τυῤῥηνοὶ τὸ μὲν παλαιὸν ἀνδρείᾳ διενέγκαντες, χώραν πολλὴν κατεκτήσαντο, καὶ πόλεις ἀξιολόγους καὶ πολλὰς ἔκτισαν. ὁμοίως δὲ καὶ ναυτικαῖς δυνάμεσιν ἰσχύσαντες, καὶ πολλοὺς χρόνους θαλαττοκρατήσαντες, τὸ μὲν παρὰ τὴν Ἰταλίαν πέλαγος ἀφ' ἑαυτῶν ἐποίησαν Τυῤῥηνικὸν προσαγορευθῆναι. Id eſt: *Tyrrheni fortitudine quondam præcellentes, magnum terræ tractum occuparunt; multasque ac celebreis condiderunt urbeis. quin & claſſe pollentes, maris imperium diu tenuêre: mareque, quod Italiam alluit, de ſuo nomine Tyrrhenicum adpellari fecerunt.*

Etruscorum potentia.

Verùm iſtis inter Alpeis ac Tiberim interque ſuperum atque inferum mare finibus jam inde ab initio, antequàm à Gallis pellerentur regione Circumpadanâ, non contenti Etruſci; ultrà arma potentiamque ſuam extenderunt; urbibus etiam in Campaniâ & vicinis locis conditis. Mela lib. II cap. IIII: *Capua à Thuſcis condita.* Strabo lib. V; de Campaniâ verba faciens: Ἄλλοι δὲ λέγουσιν, οἰκούντων Ὀπικῶν πρότερον καὶ Αὐσόνων, ἐκείνους κατασχεῖν ὕστερον Ὄσκων τι ἔθνος· τούτους δ' ὑπὸ Κυμαίων, ἐκείνους δ' ὑπὸ Τυῤῥηνῶν ἐκπεσεῖν. δώδεκα δὲ [τούτους] πόλεις ἐγκατοικίσαντας, τὴν οἷον κεφαλὴν ὀνομάσαι Καπύην. διὰ δὲ τὴν τρυφὴν εἰς μαλακίας τραπομένους, καθάπερ τῆς περὶ τὸν Πάδον χώρας ἐξέστησαν, οὕτω καὶ ταύτης παραχωρῆσαι Σαμνίταις. Id eſt: *Alii tradunt, quum ea loca Opici atque Auſones primò tenuiſſent; ab Oſcorum quadam gente poſteà fuiſſe occupata. hanc à Cumanis eſſe pulſam: Cumanos rurſum à Tyrrhenis. Hos, quum XII urbeis condidiſſent; quæ cunctarum veluti caput eſſet, Capuam nuncupaſſe. Vbi autem per luxuriam mollitiei ſeſe transdidiſſent; quemadmodùm regione ad Padum pulſi fuerunt, ita hac quoque Samnitibus ceſſiſſe.* Capuam ad XII urbium numerum minimè pertinuiſſe, omneisque illas fuiſſe in Etruriâ inter Apenninum mareque inferum & Tiberim ſitas, in huius expoſitione infrà patebit. Velleius Paterculus lib. I: *Huius temporis æqualis Heſiodus fuit; circa CXX annos diſtinctus ab Homeri ætate.* Mox: *Quidam, huius temporis tractu, aiunt, à Tuſcis Capuam Nolamque conditam, ante annos ferè IↃCCCXXX: quibus equidem adſenſerim. Sed M. Cato quantum differt? qui dicat, Capuam ab eisdem Tuſcis conditam, ac ſubinde Nolam; ſtetiſſe autem Capuam, antequàm à Romanis caperetur, annis circiter CCLX. Quod ſi ita eſt; quum ſint à Capuâ captâ anni CCXL; ut condita eſt, anni ſunt ferè IↃ.* Ergo Capua XIIII circiter annis ante primam Olympiadem, XLVIII annis ante urbem Romam condita fuit. inſcripſit quidpe Velleius hiſtoriam ſuam M. Vinicio Quartino conſuli; cuius collega fuit C. Caſſius Longinus. Livius lib. IIII: *Creati conſules ſunt C. Sempronius Atratinus, Q. Fabius Vibulanus. Peregrina res, ſed memoriâ digna, traditur eo anno facta. Vulturnum, Etruſcorum urbem, quæ nunc Capua eſt, ab Samnitibus captam; Capuamque ab duce eorum Capye, vel, quod propius vero eſt, à campeſtri agro adpellatam. Cepêre autem, priùs, bello fatigatis Etruſcis, in ſocietatem urbis agrorumque accepti: deinde feſto die gravatos ſomno epulisque incolas veteres novi coloni nocturnâ cæde adorti.* Conſules hi fuêre anno urbis Romæ CCCXXXII. Strabo, dicto lib. V poſteà; de eiusdem Campaniæ opidis: Ἐχόμενον δὲ φρούριόν ἐστιν Ἡράκλειον· Ὄσκοι δ' εἶχον καὶ ταύτην καὶ τὴν ἐφεξῆς Πομπηΐαν· εἶτα Τυῤῥηνοὶ καὶ Πελασγοί· μετὰ ταῦτα δὲ Σαμνῖται. Id eſt: *Sequitur inde Herculanium. Hoc &, quod proximè ſequitur, Pompeiam tenuerunt Oſci: dein Tyrrheni atque Pelaſgi: poſthinc Samnites.* Nempe *Pelaſgi*, ut ſuprà dictum, cum *Tyrrhenis* ſive *Etruſcis* permixti. De eâdem Campaniâ ita in univerſum Plinius lib. III cap. V: *Et hoc quoque certamen humanæ voluptatis tenuêre Oſci, Græci, Vmbri, Tuſci, Campani.* Polybius lib. II; de Etruriâ Circumpadanâ agens: Πλὴν ταῦτά γε τὰ πεδία τὸ παλαιὸν ἐνέμοντο Τυῤῥηνοί· καθ' οὓς χρόνους καὶ τὰ Φλεγραῖά ποτε καλούμενα τὰ περὶ Καπύην καὶ Νῶλαν πεδία .... [deſunt nonnulla] .... καὶ διὰ τὸ πολλοῖς ἐμποδὼν εἶναι καὶ γνωρίζεσθαι, μεγάλην ἐπ' ἀρετῇ δόξαν εἰληφέναι. Id eſt: *Igitur*

Igitur planitiem iſtam tenuêre antiquitus Etruſci. per quæ tempora campos quoque circa Capuam ac Nolam, Phlegræos quondam dictos, poſſederunt. .... quòd multorum pravis conatibus obſtiterent, exteris innotuerunt; magnamque virtutis opinionem apud eos ſunt conſequuti. De Picentinorum agro, inter Surrentinum promontorium & Silarum amnem porrecto, ita tradit præfatus Strabo ſub finem dicti libri v: Μεταξὺ δὲ τῶν Σειρηνουσσῶν καὶ τῆς Ποσειδωνίας Μαρκίνα Τυρρηνῶν ἐστὶ κτίσμα, οἰκούμενον ὑπὸ Σαμνιτῶν. Id eſt: *Inter Sirenuſas & Poſidoniam Marcina eſt, à Tyrrhenis condita, à Samnitibus poſtea habitata.* Et Plinius dicto loco poſteà: *A Surrento ad Silarum amnem triginta millia paſſuum ager Picentinus fuit Tuſcorum, templo Iunonis Argivæ, ab Iaſone condito, inſignis.* Athenis ſupremum magiſtratum gerente Miltiade, id eſt Olympiadis LXIIII anno IIII, ab urbe Româ conditâ anno CCXXXII, id eſt, CC annis antè quàm Capuam amiſiſſent, cum Vmbris ac Dauniis aliisque Italicis gentibus expeditionem contra Græcam in eâdem Campaniâ urbem Cumas ſuſcepiſſe Etruſcos, ſuprà ex Dionyſii lib. VII intelleximus. ea quia tum infeliciter ſucceſſerat, annis XLVII pòſt aliam fecerunt: de qua ita Diodorus lib. XI: Ἐπ' ἄρχοντος Ἀθήνησιν Ἀκεστορίδου, Ἱέρων, ὁ βασιλεὺς τῶν Συρακουσίων, παραγενομένων πρὸς αὐτὸν πρέσβεων ἐκ Κύμης τῆς Ἰταλίας, καὶ δεομένων βοηθῆσαι πολεμουμένοις ὑπὸ Τυρρηνῶν θαλαττοκρατούντων, ἐξέπεμψεν αὐτοῖς συμμαχίαν τριήρεις ἱκανάς. Οἱ δὲ τῶν νεῶν τούτων ἡγεμόνες ἐπειδὴ κατέπλευσαν εἰς τὴν Κύμην, καὶ μετὰ τῶν ἐγχωρίων μὲν ἐναυμάχησαν πρὸς τοὺς Τυρρηνούς, πολλὰς δὲ ναῦς αὐτῶν διαφθείραντες, καὶ μεγάλῃ ναυμαχίᾳ νικήσαντες, τοὺς μὲν Τυρρηνοὺς ἐταπείνωσαν, τοὺς δὲ Κυμαίους ἠλευθέρωσαν τῶν φόβων. Hoc eſt: *Summum magiſtratum Athenis gerente Aceſtoride, Hiero, Syracuſanorum rex, quum legati ad eum à Cumis, Italicâ urbe, auxilia contra Etruſcos maris dominos, à quibus bello premebantur, petitum veniſſent; mediocrem triremium claſſem ſubſidio illis mittit. quarum duces Cumas advecti, conſerto cum Tyrrhenis prælio navali, multas eorum naveis depreſſerunt; & illuſtri victoriâ potiti, Etruſcorum vires fregerunt; Cumanis periculo exemptis.* Pindarus poëta, horum temporum æqualis, vel ſaltem ſcholiaſtes eius, Carthaginienſeis huius expeditionis ſocios ſeſe junxiſſe Etruſcis, teſtatur. Verba poëtæ in Pyth. odâ I hæc ſunt:

Λίσσομαι, νεῦσον Κρονίων, ἅμερον
ὄφρα κατ' οἶκον ὁ Φοί-
νιξ ὁ Τυρσηνῶν τ' ἀλαλατὸς ἔχῃ,
ναυσίστονον ὕβριν ἰδὼν
τὰν πρὸ Κύμας·
οἷα Συρακουσίων ἀρ-
χῷ δαμασθέντες πάθον
ὠκυπόρων ἀπὸ ναῶν·
ὅς σφιν ἐν πόντῳ βάλεθ' ἁλικίαν,
Ἑλλάδ' ἐξέλκων βαρείας
δουλείας. Id eſt:

Supplex oro, adnue Saturnie, pacificam
ut domum Phæ-
nix Tyrſenorumque ſtrepitus obtineat,
navibus lacrymabilem cladem intuitus
apud Cumam acceptam:
qualia, à Syracuſanorum du-
ce domiti, paſſi ſunt
velocibus à navibus.
qui ipſis in mare projecit juventutem;
Græciam eripiens ex gravi
ſervitute.

Ad quæ ita Scholiaſtes: Τυρσηνοὶ καὶ Καρχηδόνιοι, οἵ εἰσι Φοινίκων ἄποικοι, διεμάχοντο πρὸς Κυμαίους. μελλόντων οὖν ἄρδην ἀπόλλυσθαι τῶν Κυμαίων, Ἱέρων συμμαχήσας τοὺς μὲν Κυμαίους διέσωσε, τῶν δὲ Τυρσηνῶν τοὺς πλείστους ἀπώλεσε. Id eſt: *Tyrſeni & Carthaginienſes, qui Phœnicum coloni ſunt, bellum inferebant Cumanis. quum igitur hi in extremo verſarentur interitus ſui periculo; Hiero ipſis auxilium tulit: eosque liberavit, Tyrſenorum plurimâ parte cæſis.* Porrò Stephanus: Πιθηκοῦσαι, νῆσοι περὶ Τυρρηνίαν. Id eſt: *Pithecuſæ, inſulæ circa Tyrrheniam.* Harum maxima alio nomine *Aenaria*, nunc *Iſchia*, Cumis

& Miſeno promontorio objacet. Idem auctor Ποτίολοι, πόλις Τυῤῥηνίας, κτίσμα Σαμίων, ἥτις καὶ Δικαιάρχεια. Id eſt: *Puteoli, urbs Tyrrheniæ, Samiorum opus; quæ & Dicæarchia.* Et: Συέσσα πόλις Τυῤῥηνῶν. *Sueſſa, opidum Tyrrhenorum.* Σύῤῥεντον, πόλις Τυῤῥηνίας. *Surrentum, opidum Tyrrheniæ.* At inter Campaniam & Tiberim amnem an aliquid ſub imperio ſuo habuerint, haud ſatis diſpicio: niſi quòd hoc tractu Latii opidum *Tuſculum* adpellationem de eorum nomine tuliſſe videtur. tum ipſe Tiberis paſſim *Tuſcus* vocatur apud poëtas *amnis*. Ac fortè ea fuit cauſa, cur multi vetuſtiſſimi Græcorum ſcriptores Romam Tyrrhenicam dixerint urbem: quod Dionyſius lib. I, ſuprà citato, teſtatur. Sanè Aeſchylus, antiquiſſimus poëta, & qui eâdem Olympiade ſupremum diem obiit, qua Tuſci ſecundam illam expeditionem in Cumanos moverunt, disertè Latium adpellavit *Tyrrheniam*. Theophraſtus Hiſt. plantar. lib. V cap. VIIII: Ἡ δὲ τῶν Λατίνων ἔφυδρος πᾶσα. καὶ ἡ μὲν πεδινὴ δάφνην ἔχει καὶ μυῤῥίνην καὶ ὀξύην θαυμαστήν. τηλικαῦτα γὰρ μήκη τέμνουσι, ὥστ' εἶναι διὰ ἰσὼς τῶν Τυῤῥηνίδων ὑπὸ τὴν τρόπιν· ἡ δὲ ὀρεινὴ πεύκην καὶ ἐλάτην. Τὸ δὲ Κιρκαῖον καλούμενον εἶναι μὲν ἄκραν ὑψηλὴν, δασεῖαν δὲ σφόδρα, καὶ ἔχειν δρῦν καὶ δάφνην πολλὴν καὶ μυῤῥίνην· λέγειν δὲ τοὺς ἐγχωρίους, ὡς ἐνταῦθα ἡ Κίρκη κατῴκει. Id eſt: *Latinus ager aquis totus irriguus eſt. & plana laurum habent & myrtum, ſciſſimamque mirabilem. tantâ enim longitudine cæditur, ut pro carinâ Etruſcis navibus ſufficiat. montana autem pinum & abietem ferunt. Circæum autem quod vocant, excelſum quoddam promontorium tradunt eſſe, frequentiſſimum arboribus, & robore, lauro, myrtoque maiori ex parte abundans. incolæ Circen in eo habitaſſe ferunt.* Et lib. IX cap. XV: Φαρμακώδεις δὲ δοκοῦσιν εἶναι τόποι μάλιστα μὲν ἔξω τῆς Ἑλλάδος οἱ περὶ Τυῤῥηνίαν καὶ τὴν Λατίνην· ἐν ᾗ καὶ τὴν Κίρκην εἶναι λέγουσι. * . * . Καὶ γὰρ Αἰσχύλος ἐν ταῖς Ἐλεγείαις ὡς πολυφάρμακον λέγει τὴν Τυῤῥηνίαν· Τυῤῥηνὸν γενεὰν φαρμακοποιὸν ἔθνος. Id eſt: *Tractus medicamentorum fertileis potiſſimùm tradunt extra Græciam eſſe Tyrrheniam & Latinum agrum: in quo Circen habitaſſe ferunt.* Et paullo pòſt: *Quin & Aeſchylus in Elegiis copiam medicaminum venenorumque Tyrrheniæ attribuit: Gens Tyrrhena ſuis clara veneficiis.* Theophraſtus, cuius tempeſtate jam notior erat hæc ora Græcis in Græciâ hominibus, rectè interpretatus Aeſchyli *Tyrrheniam* eſſe *Latinum agrum*, in quo Circe, *Circæum* incolens montem, veneficia exercebat. ſic quidpe antiquiſſimus poëtarum Homerus Ulyſséæ lib. X; ubi Ulyſſem ad hæc loca adpuliſſe fingit:

Εὗρον δ' ἐν βήσσῃσι τετυγμένα δώματα Κίρκης
Ξεστοῖσι λάεσσι, περισκέπτῳ ἐνὶ χώρῳ·
Ἀμφὶ δέ μιν λύκοι ἦσαν ὀρέστεροι, ἠδὲ λέοντες,
Τοὺς αὐτὴ κατέθελξεν, ἐπεὶ κακὰ φάρμακ' ἔδωκεν.

Hoc eſt:

Inveniebant autem in convalle ædificatas ædeis Circes
Politis lapidibus, conſpicuo in loco.
Circa ipſam autem lupi erant montani atque leones;
Quos illa dementârat, poſtquàm mala pharmaca dediſſet.

Quem locum ita tranſtulit Virgilius in Aeneid. lib. VII:

Proxima Circææ raduntur litora terræ,
Dives inacceſſos ubi Solis filia lucos
Adſiduo reſonat cantu.
Hinc exaudiri gemitus iræque leonum,
Vincla recuſantum, & ſerâ ſub nocte rudentum;
Setigerique ſues atque in præſepibus urſi
Sævire; ac formæ magnorum ululare luporum:
Quos hominum ex facie dea ſæva potentibus herbis
Induerat Circe in vultus ac terga ferarum.

Strabo lib. V: Φασὶ δὲ, καὶ πολύῤῥιζον εἶναι τὸ Κιρκαῖον ὄρος, τάχα τῷ μύθῳ τῷ περὶ τῆς Κίρκης συνοικειοῦντες. ἔχει δὲ πολίχνιον, καὶ Κίρκης ἱερόν. Id eſt: *Aiunt Circæum montem radicibus abundare: fortaſſis, ut fabulæ id de Circe accommodent. Eſt in eo opidulum cum Circes fano.* Iſacius Tzetza, in commentariis ad Lycophronem: Τῆς νήσου τῆς Σαρδοῦς πλησίον ἐστὶν ἡ Τυρσηνία, ὅπου ἦν ἡ Κίρκη. Id eſt: *Prope inſulam Sardiniam eſt Tyrrhenia; ubi Circe fuit.* Hinc antiquiſſimus ſecundùm Homerum poëta Heſiodus in fine Θεογονίας·

Κίρκη δ' Ἠελίου θυγάτηρ Ὑπεριονίδαο
Γείνατ' Ὀδυσσῆος ταλασίφρονος ἐν φιλότητι

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Ἄγριον ἠδὲ Λατῖνον ἀμύμονά τε κρατερόν τε.
Οἳ δή τοι μάλα τῆλε μυχῷ νήσων ἱεράων
Πᾶσιν Τυρσηνοῖσιν ἀγακλυτοῖσιν ἄνασσον.

Hoc eſt:

Circe verò, Solis filia, filii Hyperionis,
Peperit Vlyſſis ærumnoſi in amore
Agrium atque Latinum inculpatumque fortemque:
Qui ſanè valdè procul in receſſu inſularum ſacrarum
Omnibus Tyrrhenis valdè inclytis imperarunt.

Et poſt Heſiodum Apollonius, perantiquus & ipſe poëta, licèt Iↄ ampliùs annis Heſiodo poſterior, in Ἀργοναυτικῶν lib. III; ubi Aeeta, Solis filius, Colchorum rex, ita adfatur Argonautas:

Ἤδειν γάρ ποτε πατρὸς ἐν ἅρμασιν Ἠελίοιο
Δινεύσας, ὅτ᾽ ἐμεῖο κασιγνήτην ἐκόμιζεν
Κίρκην Ἑσπερίης εἴσω χθονός· ἐκ δ᾽ ἱκόμεσθα
Ἀκτὴν ἠπείρου Τυρσηνίδος· ἔνθ᾽ ἔτι νῦν περ
Ναιετάει μάλα πολλὸν ἀπόπροθι Κολχίδος αἴης.

Hoc eſt:

Didici enim, quondam patris in curru Solis
Profectus; quum meam ſororem ferret
Circen Heſperiam in terram; atque eſcenderemus
In litus terræ Tyrſeniæ. ubi etiam nunc
Habitat, procul admodùm à Colchide terrâ.

Atque hinc Nonnus, poſterioris ævi poëta, antiquiſſimos illos imitans, ita ait Διονυσιακῶν lib. XXXVII:

—— Φιλοσκοπέλοιο δὲ Κίρκης
Φαῦνος ἐρημονόμος Τυρσηνίδος ἀστὸς ἀρούρης.

Id eſt: —— *Filius ſcopulos amantis Circes*
Faunus, in deſerto paſtus, Tyrſenidis civis terræ.

Adde jam & illud, quod ſuprà ex Dionyſii lib. I attulimus huiusmodi: Τυῤῥηνίας μὲν δὴ ὄνομα τὸν χρόνον ἐκεῖνον ἀνὰ τὴν Ἑλλάδα ἦν, καὶ πᾶσα ἡ πρὸς ἑσπέρας Ἰταλία τὰς κατὰ τὸ ἔθνος ὀνομασίας ἀφαιρεθεῖσα, καὶ τὴν ἐπίκλησιν ἐκείνην ἐλάμβανεν. * · — * · Ἦν δὴ γὰρ χρόνος, ὅτε καὶ Λατῖνοι καὶ Ὀμβρικοὶ καὶ Αὔσονες, καὶ συχνοὶ ἄλλοι, Τυῤῥηνοὶ ὑφ᾽ Ἑλλήνων ἐλέγοντο. Hoc eſt: *Erat Tyrrheniæ nomen illo tempore per Græciam celebre; & tota occidentalis Italia, nullo gentium diſcrimine, adpellationem eam habebat.* Et aliquanto pòſt: *Fuit enim tempus, quo etiam Latini Vmbrique & Auſones atque alii aliquot populi Græcis adpellati fuerunt Tyrrheni.* Confirmatur hoc Euripidis auctoritate; qui ad fretum usque Siculum *Tyrrheniæ* nomen protendit. Verſus eius hic eſt in Medeâ:

Καὶ Σκύλλαν, ἣ Τυρσηνὸν ᾤκησεν πέδον.

Et Scyllam, quæ in Tyrrheno ſolo habitavit.

Hinc etiam Euſtathius in Commentariis ad Dionyſii Περιήγησιν, ubi de Locrenſibus Epizephyriis agit, qui ex Græciâ ab Locris Ozolis in extimum Italiæ angulum circa fretum Siculum commigrarunt; Καὶ ᾤκησαν ἐν Τυῤῥηνίᾳ· id eſt; *Habitaruntque in Tyrrheniâ.* Quæ verba Euſtathius haud dubiè ex antiquiſſimo aliquo hauſit Græcorum ſcriptore. Apud Stobæum, in ſermone, qui eſt Vituperatio Veneris, hæc ſunt ex Soſtrati Τυραννικῶν lib. II: Αἴολος, ὁ τῶν κατὰ Τυῤῥηνίαν βασιλεὺς τόπων, ἔσχεν ἐξ Ἀμφιθέας θυγατέρας ἕξ, καὶ τὸν αὐτὸν ἀριθμὸν ἀῤῥένων παίδων. Id eſt: *Aeolus, rex locorum in Tyrrheniâ, ex Amphitheâ* VI *habuit filias, totidemque filios.* Non Τυραννικῶν, ſed Τυῤῥηνικῶν, id eſt, *de Rebus Tyrrhenicis*, libros ſcripſiſſe Soſtratum, ex Plutarchi claret Parallelis; ubi idem hic locus ex Τυῤῥηνικῶν lib. II citatur. Inſularum fuiſſe hunc Aeolum regem, quæ Italiam inter atque Siciliam ab eius nomine *Aeoliæ*, & aliàs *Vulcaniæ* ac *Liparææ* dictæ ſunt, vulgò notum eſt; nosque de eâ re pluribus agimus Siciliæ lib. II cap. XIIII. Filios eius Siciliæ etiam partem, Italiæ proximam, tenuiſſe, eiusdem Siciliæ lib. I cap. II docemus. Proximam item Italiæ oram habuiſſe, teſtis eſt Diodorus lib. V. Ὁ δ᾽ Αἴολος οὗτος, inquit, ἐστὶ, πρὸς ὃν μυθολογοῦσι τὸν Ὀδυσσέα κατὰ τὴν πλάνην ἀφικέσθαι. υἱοὺς δ᾽ αὐτοῦ γενέσθαι τὸν ἀριθμὸν ἕξ· Ἀστύοχον, καὶ Ξοῦθον, καὶ Ἀνδροκλέα, πρὸς δὲ τούτοις Φεραίμωνα, Ἰόκαστον, καὶ Ἀγάθυρνον. τούτων δὲ Ἰοκάστης μὲν τῆς Ἰτα-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

λίας αὐτοχόμενος ἐβασίλευσε τῆς παραλίας, μέχρι τῶν κατὰ τὸ Ῥήγιον τόπων. Hoc eſt: *Aeolus*
iſte eſt, ad quem in oberratione ſuâ Vlyſſem perveniſſe fabulantur. Filios autem eius fuiſſe
VI numero: Aſtyochum, Xuthum, Androclem, Pheræmonem, Iocaſten, & Agathyrnum.
Ex his Iocaſtes maritimam Italiæ oram ad Rhegium usque ſuæ ditionis fecit. Hinc præ-
dictus Tzetza ad Lycophronem: Τὸ δὲ Ῥήγιον Ἰοκάστης ἔκτισεν Αἰόλου, ὥς φησι Καλλίμα-
χος· Ῥήγιον ἄστυ λιπὼν Ἰοκάστου Αἰολίδαο. Hoc eſt: *Rhegium condidit Iocaſtes, Aeoli filius;*
teſte Callimacho: Rhegium opidum relinquens Iocaſtæ Aeolidæ. Sed & ipſis Italicis Græ-
cis, Euripidis Herodotique ætate, qui inter ſe æquales fuerunt, *omnem occidenta-*
lem Italiam, ſine ullo gentium diſcrimine, adpellatum fuiſſe *Tyrrheniam*, ſive, ut apud
antiquiſſimos illos mortaleis vocabulum id obtinuit, *Tyrſeniam*; patet ex Herodoti
hiſtoriis. ſic namque lib. I ſcribit: Οἱ δὲ Φωκαέες οὗτοι ναυτιλίῃσι μακρῇσι πρῶτοι Ἑλλήνων
ἐχρήσαντο, καὶ τόν τε Ἀδρίην καὶ τὴν Τυρσηνίην καὶ τὴν Ἰβηρίην καὶ τὸν Ταρτησσὸν οὗτοί εἰσι οἱ καταδέ-
ξαντες. Id eſt: *Hi Phocæenſes primi longinquis navigationibus uſi ſunt: Hadriamque ſi-*
mul & Tyrſeniam Hiſpaniamque ac Tarteſſum primi in aliorum hominum notitiam per-
duxerunt. Et lib. VI: Ζαγκλαῖοι γάρ, οἱ ἀπὸ Σικελίης, τὸν αὐτὸν χρόνον τοῦτον πέμποντες ἐς τὴν
Ἰωνίην ἀγγέλους, ἐπεκαλέοντο τοὺς Ἴωνας ἐς Καλὴν ἀκτήν, βουλόμενοι αὐτόθι πόλιν κτίσαι Ἰώνων.
ἡ δὲ Καλὴ αὕτη ἀκτὴ καλεομένη, ἔστι μὲν Σικελῶν, πρὸς δὲ Τυρσηνίην τετραμμένη τῆς Σικελίης.
Hoc eſt: *Per idem tempus Zanclæi in Sicilia miſère in Ioniam, qui Iones ad condendam*
in Pulcro litore urbem ſolicitarent. Eſt autem Pulcrum hoc litus Siculorum, in eâ Siciliæ
parte, quæ in Tyrſeniam vergit. Opidum hoc hodiè vocari **Carónia**, in ſeptemtrionali
inſulæ litore, quod rectà versùs ſeptemtriones Latium atque Campaniam ſpectat,
pòſt in Siciliæ deſcriptione lib. II cap. IIII patebit. Herodotum autem diu egiſſe
in Italiâ apud ſinum Tarentinum, in Thuriorum urbe; unde etiam *Thurinus* qui-
busdam dictus; teſtantur, Plutarchus in libello de Exſilio, Svida in voce Ἡρόδοτος,
& Epigramma apud Scholiaſten Ariſtophanis in Nubibus. Idem Herodotus in
libello de Vitâ Homeri, qui anteà *Meleſigenes* vocabatur, ita ſcribit: Ἦν δὲ ἐν αὐτοῖς
τότε καὶ Μέντης ναύκληρος, ἀπὸ τῶν περὶ Λευκάδα τόπων καταπεπλευκὼς ἐπὶ σῖτον ἔχων ναῦν,
πεπαιδευμένος τε ἀνήρ, ὡς ἐν ἐκείνῳ τῷ χρόνῳ, καὶ πολυΐστωρ· ὅς μιν ἔπεισε τὸν Μελησιγένη μεθ'
ἑωυτοῦ πλεῖν καταλύσαντα τὴν διδασκαλίαν, μισθόν τε λαμβάνοντα καὶ τὰ δέοντα πάντα, καὶ ὅτι
χώρας καὶ πόλιας θεήσασθαι ἄξιον εἴη αὐτῷ ἕως νέος ἐστί. Καί μιν οἴομαι μάλιστα τούτοισι προσα-
χθῆναι· ἴσως γὰρ τῇ ποιήσει τότε ἐπενόει ἐπιθήσεσθαι. Καταλύσας δὲ τὴν διδασκαλίαν, ἐναυτίλλετο
μετὰ τοῦ Μέντεω. Καὶ ὅπου ἑκάστοτε ἀφίκοιτο, πάντα τὰ ἐπιχώρια διεωρᾶτο, καὶ ἱστορέων ἐπυνθάνετο.
εἰκὸς δέ μιν ἦν καὶ μνημόσυνα πάντων γράφεσθαι. Ἀνακομιζόμενοι δὲ ἐκ Τυρσηνίης καὶ τῆς Ἰβηρίης,
ἀπικνέονται εἰς Ἰθάκην. καὶ τῷ Μελησιγένεϊ συνέβη, νοσήσαντι τοὺς ὀφθαλμούς, κάρτα δεινῶς ἔχειν.
Id eſt: *Commodùm inter hos Mentes fuit nauclerus; qui è finibus Leucadis ſolvens, na-*
vem meritoriam comparaverat, qua frumenta deveheret: vir, quantum illa ferebant
tempora, & eruditus & multarum rerum uſu exercitatus. Hic Meleſigeni perſvaſit, ut,
relicto ludo, ſecum navigaret; accepturus & mercedem & quæ ad profectionem eſſent ne-
ceſſaria. addens etiam; decere eum, dum juvenis eſſet, regiones & urbeis viſere. Atque
his potiſſimùm adductum eum fuiſſe arbitror. fortaſſis enim poëſin adgredi jam tum cogi-
tabat. Proinde, relicto ludo, cum Mente navigavit Meleſigenes. & quocúmque locorum
adpellebat, ſtudioſè univerſa rimans, contemplabatur, ſi quid eſſet loci alicuius peculiare me-
moratu dignum. ac veri ſimile eſt, eum illarum omnium rerum commentarios confeciſſe.
Porrò quum ex Hiſpaniâ & Tyrheniâ in Ithacam deveherentur, contigit Meleſigenem, ocu-
lis jam antè parum valentem, extremè laborare. Hunc Herodoti locum paucis He-
raclides in opere Περὶ τῶν Πολιτειῶν ita citat: Μαρτυρεῖ δὲ καὶ ἐκ Τυῤῥηνίας Ὅμηρος πα-
ραβαλεῖν εἰς Κεφαλληνίαν καὶ Ἰθάκην, ὅτε τοὺς ὀφθαλμοὺς λέγεται διαφθαρῆναι νοσήσας. Hoc
eſt: *Fertur Homerus etiam ex Tyrrheniâ in Cephaleniam & Ithacam trajeciſſe tunc, quum*
per morbum oculis captus eſſet. Haud obſcurè docet Herodotus, Homerum poëmati
ſuo inſeruiſſe eorum locorum deſcriptionem, quæ in peregrinatione cum Mente
luſtraverat. At Italiæ maximè loca circa *Circæum montem, Cumas & Avernum la-*
*cum, Scyllam*que, in Odyſſeâ graphicè & curatè deſcripſit. Omnem igitur hanc
oram ſub *Tyrheniæ* nomine intellexit Herodotus. Hinc igitur jam illud Servii ad
Virgilii Aeneid. lib. X: *Tuſcos omnem penè Italiam ſubjugaſſe, manifeſtum eſt.* Ad
ſuperum quoque mare, præter Padi oſtia, Piceni etiam litora eos tenuiſſe, patet ex
Strabonis lib. V; ubi ita ſcriptum: Ποτεντία, καὶ Φίρμον Πικηνόν· ἐπίνειον δὲ ταύτης Κασέλ-
λον. ἐφεξῆς δὲ τὸ τῆς Κύπρας ἱερόν, Τυῤῥηνῶν ἵδρυμα καὶ κτίσμα. Id eſt: *Potentia, & Fir-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

mum Picenum; huiusque navale Caſtellum. dein Cupræ fanum, à Tuſcis conditum dedicatumque. Aliis auctoribus vocari *Cupram Maritimam*; hodiè verò dici *Le Grotte*; infrà cap. XI patebit. Denique quum totius Italici maris imperium obtinerent Tuſci; potentiam ſuam etiam extra Italiæ fineis protulerunt; inſulasque maximas, Italiæ objacenteis, Sardiniam Corſicamque claſſibus occuparunt. Strabo lib. v, de Sardiniâ verba faciens: Λέγεται γὰρ Ἰόλαος, ἄγων τινὰς τῶν παίδων τοῦ Ἡρακλέους, ἐλθεῖν δεῦρο, καὶ συνοικῆσαι τοῖς τὴν νῆσον ἔχουσι βαρβάροις· Τυῤῥηνοὶ δ' ἦσαν. Id eſt: *Fertur enim Iolaus eò adduxiſſe quosdam filiorum Herculis; & inter barbaros, qui tum inſulam tenebant, habitaſſe. erant autem Tyrrheni.* Diodorus lib. XI: Ἐπ' ἄρχοντος Ἀθήνησι Λυσικράτους, κατὰ τὴν Σικελίαν Τυῤῥηνῶν λῃζομένων τὴν θάλατταν, οἱ Συρακούσιοι ναύαρχον ἑλόμενοι Φάϋλλον, ἔπεμψαν εἰς τὴν Τυῤῥηνίαν. Οὗτος δ' ἐκπλεύσας, τὸ μὲν πρῶτον νῆσον τὴν ὀνομαζομένην Αἰθαλίαν ἐπόρθησε· παρὰ δὲ τῶν Τυῤῥηνῶν λάθρα χρήματα λαβὼν ἀπέπλευσεν εἰς τὴν Σικελίαν, οὐδὲν ἄξιον μνήμης διαπραξάμενος. Οἱ δὲ Συρακούσιοι τοῦτον μὲν ὡς προδότην καταδικάσαντες ἐφυγάδευσαν· ἕτερον δὲ στρατηγὸν καταστήσαντες Ἀπελλῆν, ἐξαπέστειλαν ἐπὶ Τυῤῥηνοὺς, ἔχοντα τριήρεις ἑξήκοντα. Οὗτος δὲ τὴν παραθαλάσσιον Τυῤῥηνίαν καταδραμὼν, ἀπῆρεν εἰς Κύρνον, κατεχομένην ὑπὸ Τυῤῥηνῶν κατ' ἐκείνους τοὺς χρόνους. πορθήσας δὲ πλεῖστα τῆς νήσου, καὶ τὴν Αἰθαλίαν χειρωσάμενος, ἐπανῆλθεν εἰς τὰς Συρακούσας. Id eſt: *Lyſicrate ſummum Athenis magiſtratum obtinente, in Siciliâ, Tyrrhenis mare latrociniis infeſtum reddentibus, Syracuſani claſſis prætorem deligunt Phaylum quemdam: cumque in Tyrrheniam transire jubent. Is cum inſtructâ claſſe profectus, primo incurſu inſulam Aethaliam depopulatur: ſed clam pecuniâ ab Tyrrhenis acceptâ, in Siciliam, nullâ re memorabili geſtâ, recedit. quem Syracuſani, proditionis damnatum, exſilio mulctant. alium verò claſſis præfectum, nomine Apellem, cum LX triremibus contra Tyrrhenos mittunt. Hic maritima Tyrrheniæ populatus, in Corſicam, illâ tempeſtate Tyrrhenis ſubjectam, transmittit. & plerisque inſulæ locis pervaſtatis ac direptis, Aethaliâ etiam in poteſtatem redactâ, Syracuſas revertitur.* Geſta hæc anno XXI poſt alteram illam Etruſcorum contra Cumanos expeditionem, quam ſuprà memoravimus. Ac tanta quum foret eorum terrâ marique potentia, longinquas etiam navigationes extra Columnas Herculis in mare Oceanum aliquando inſtituerunt. Diodorus lib. v: Οἱ δ' οὖν Φοίνικες διὰ τὰς προειρημένας αἰτίας ἐρευνῶντες τὴν ἐκτὸς τῶν Στηλῶν παραλίαν, καὶ παρὰ τὴν Λιβύην πλέοντες, ὑπ' ἀνέμων μεγάλων ἀπηνέχθησαν ἐπὶ πολὺν πλοῦν δι' Ὠκεανοῦ· χειμασθέντες δ' ἐπὶ πολλὰς ἡμέρας, προσηνέχθησαν τῇ προειρημένῃ νήσῳ· καὶ τὴν εὐδαιμονίαν αὐτῆς καὶ φύσιν κατοπτεύσαντες, ἅπασι γνώριμον ἐποίησαν. διὸ καὶ Τυῤῥηνῶν θαλαττοκρατούντων καὶ πέμπειν εἰς αὐτὴν ἀποικίαν ἐπιβαλομένων, διεκώλυσαν αὐτοὺς Καρχηδόνιοι. Id eſt: *Hac igitur ratione Phœnices, inveſtigando ultra Columnas oram, quum Africæ litora legerent; ingentibus ventorum procellis ad longinquos in Oceano tractus ſunt abrepti. ac per multos dies vi tempeſtatis jactati, tandem ad prædictam inſulam adpulerunt. naturamque eius ac felicitatem, à ſe perſpectam, in aliorum deinde notitiam perduxerunt. Ideò Tyrrheni quoque, quum maris imperio potirentur, coloniam eò deſtinarunt. ſed Carthaginienſes illis obſtiterunt.* Americam heic intelligi, in Siciliæ lib. II cap. XVII à nobis docetur. Sed quàm magnum atque celebre per omnem illum terrarum Orbem, qui in Europam, Aſiam, & Africam diſtingvitur, fuerit Tyrrhenorum nomen, oſtendere voluit Ariſtides in oratione in Bacchum dictâ. Ἰνδοὺς δὲ, inquit, καὶ Τυῤῥηνοὺς λέγουσιν ὡς κατεστρέψατο, αἰνιττόμενοι δοκεῖν ἐμοὶ διὰ μὲν τῶν Τυῤῥηνῶν τὰ πρὸς ἑσπέραν, διὰ δὲ τῶν ἑτέρων, τὸν πρὸς ἕω τόπον τῆς γῆς ὡς ἁπάσης αὐτὸν ἄρχοντα. Id eſt: *Quòd autem Indos dicitur & Tyrrhenos ſubjugaſſe; intelligitur, ut mea fert opinio, toti eum terræ imperare; Tyrrhenis pro occidentalibus, alteris verò pro orientalibus, terræ partibus ſumptis.*

Verùm ſingula iſta extra Etruriam novam loca quo temporum progreſſu occupaverint Tuſci, incertum eſt. Cæterùm avitâ circa Padum ſede pelli à Gallis cœperunt Olympiade XLV; Priſco Tarquinio Romæ regnante; id eſt, circa annum ante natum Ieſum IↃC: ut ſuprà lib. I cap. XXII in deſcriptione Galliæ Circumpadanæ oſtenſum. De pulſis ita tradit Plinius lib. III cap. XX: *Rhætos Thuſcorum prolem arbitrantur, à Gallis pulſos, duce Rhæto.* Et Pompeii Trogi epitomator Iuſtinus lib. XX: *Tuſci, duce Rhæto, avitis ſedibus amiſſis, Alpeis occupavêre; & ex nomine ducis genteis Rhætorum condiderunt.* Eamdem rem ſuprà ex Livii lib. v citavimus. Sed in Alpeis conceſſerunt haud dubiè, ut antè dixi, Transpadani tantùm, ab Inſubribus & Cenomanis pulſi. Non omneis ſimul unâ ſolâ Gallorum expeditione ſive adventu

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

ventu pulſos fuiſſe totâ Etruriâ Circumpadanâ Etruſcos; ſed per multos annos alias
ſubinde atque alias Gallorum genteis ingruiſſe; ſuprà dicto lib. I cap. XXII docui.
Hinc illud Livii dicto lib. V: *Cluſini novo bello exterriti, quum multitudinem tùm*
formas hominum inuſitatas cernerent & genus armorum; audirentque, ſæpè ab iis cis Pa-
dum ultráque legiones Etruſcorum fuſas. Hinc LXXVI annis pòſt, quàm primi Inſu-
bres Galli ſub Tarquinio Priſco huc transgreſſi fuerant, Etruſcorum quidam mare
Hadriaticum adhuc adcoluerunt: qui expeditionem cum finitimis Vmbris Dau-
niiſque & aliis Italicis populis contra Cumanos, Miltiade ſummum Athenis ma-
giſtratum tenente, fecerunt; ut ſuprà ex Dionyſio intelleximus. Hinc item an-
nis CXXVII poſt hanc expeditionem, anno urbis Romæ CCCLVIIII, *gens inuſitata &*
novi adcolæ Galli dicuntur Etruſcis cis Apenninum novam Etruriam incolentibus
apud Livium eodem lib. V anteà, in his verbis: *Concilia Etruriæ ad fanum Voltum-*
næ habita. poſtulantibusque Capenatibus ac Faliſcis, ut Veios communi animo conſilioque
omnes Etruriæ populi ex obſidione eriperent, reſponſum eſt; Anteà ſe id Veientibus negaſſe:
quia, unde conſilium non petiſſent ſuper tantâ re, auxilium petere non deberent. nunc jam
pro ſe fortunam ſuam illis negare. maximè in eâ parte Etruriæ gentem inuſitatam no-
vos adcolas Gallos eſſe, cum quibus nec pax ſatis fida, nec bellum pro certo ſit. Verùm hi
fuêre *Senones* Galli, jam extra Etruriæ Circumpadanæ limitem Vmbrorum quid-
quid agri fuerit inter Apenninum & mare ſuperum ad Aeſim usque amnem tum
primùm occupantes: unde Cluſium, Etruriæ urbem, oppugnatum venêre; ut
ſuprà in Galliâ Circumpadanâ oſtenſum. Inepta itaque ac falſa oratio eſt, quam
Livius eodem libro infrà M. Furio Camillo in concione poſt recuperatam, quam
Galli ceperant, urbem Romam adfingit huiusmodi: *Inter tot veterrimos populos*
tam diu bella geritis: quum intereà, (ne ſingulas loquar urbeis) non conjuncti cum Ae-
quis Volſci, tot tam valida opida, non univerſa Etruria, tantum terrâ marique pollens,
atque inter duo maria latitudinem obtinens Italiæ, bello vobis par eſt. Parum profectò
memorem ſe heic exhibuit Livius eorum, quæ eodem libro anteà de tranſitu
univerſorum Gallorum & totius Italiæ Transapenninæ ad Aeſim usque flumen
occupatione ipſe narravit. Cæterùm Campaniâ quoque à Samnitibus, ut ſuprà è
Strabone intelleximus, ejecti Etruſci, fineis tandem habuêre inter Apenninum,
mare inferum Tiberimque & Arnum flumina. nam Ligures quoque partem a-
grorum ipſis ademerunt, Arnum inter & Macram ſitam. Livius, ſuprà citato lib.
XLI: *Lucam colonia eodem anno duo millia civium Romanorum ſunt deducta. De Ligure*
captus is ager erat. Etruſcorum antè, quàm Ligurum, fuerat. Polybius lib. II: Τὸν δ'
Ἀπέννινον ἀπὸ μὲν τῆς ἀρχῆς, τῆς ὑπὲρ Μασσαλίαν καὶ τῆς πρὸς τὰς Ἄλπεις συμπτώσεως, Λιγυστῖνοι
κατοικοῦσι, καὶ τὴν ἐπὶ τὸ Τυῤῥηνικὸν πέλαγος πλευρὰν αὐτοῦ κεκλιμένην, καὶ τὴν ἐπὶ τὰ πεδία·
παρὰ θάλατταν μὲν μέχρι πόλεως Πίσης, ἣ πρώτη κεῖται τῆς Τυῤῥηνίας ὡς πρὸς τὰς δυσμάς·
κατὰ δὲ τὴν μεσόγαιαν, ἕως τῆς Ἀῤῥητίνων χώρας. ἑξῆς δὲ Τυῤῥηνοί· τούτοις δὲ συνεχεῖς ἑκάτερον τὸ
κλίμα νέμονται τῶν προειρημένων ὀρῶν Ὄμβροι. Id eſt: *Apennini initium, quod eſt ſuper Maſ-*
ſiliam, & quà Alpibus jungitur, Ligures habent ex utroque latere, & quod Etruſcum mare
ſpectat, & quod ſuprà dictam planitiem; juxta mare Piſam usque, primam Etruriæ urbem
ab occaſu; in mediterraneo autem ad Aretinorum usque fineis. ſequuntur inde Etruſci:
quibus porrò continuantur Vmbri, utrumque dictorum montium latus incolentes. Strabo
lib. V de urbe Piſâ loquens: Δοκεῖ δ' ἡ πόλις εὐτυχῆσαί ποτε· καὶ νῦν οὐκ ἀδοξεῖ, διά τε
εὐκαρπίαν καὶ τὰ λιθουργία καὶ τὴν ὕλην ναυπηγήσιμον, ᾗ τὸ μὲν παλαιὸν ἐχρῶντο πρὸς τοὺς κατὰ θάλατ-
ταν κινδύνους· καὶ γὰρ μαχιμώτεροι Τυῤῥηνῶν ὑπῆρξαν καὶ παρώξυναν αὐτοὺς οἱ Λίγυες, πονηροὶ γεί-
τονες παρὰ πλευρὰν ὄντες. Id eſt: *Videtur urbs ea quondam floruiſſe. ac ne nunc quidem*
ignobilis eſt; ob fertilitatem, lapicidinas & materiam navalem, qua olim uſi ſunt ad mari-
timas expeditiones. nam Ligures Tyrrhenis erant bellicoſiores; ac malos ſe vicinos præbe-
bant à latere adcolentes, & provocantes ad certamina. Sed hic auctor disertè Piſas Li-
guribus tribuit. qua in re convênit ei cum Trogo Pompeio: cuius epitomator Iu-
ſtinus lib. XX, *Sed & Piſæ*, inquit, *in Liguribus Græcos auctores habent.* Ariſtoteles,
ducentis annis Polybio prior, in libro Περὶ θαυμασίων ἀκουσμάτων. Θαῦμα δὲ καὶ τοῦτ
τὸ παρὰ τοῖς Λίγυσι· φασὶ γὰρ παρ' αὐτοῖς ποταμὸν εἶναι, οὗ τὸ ῥεῦμα αἴρεται μετέωρον, καὶ ῥεῖ, ὥστε τοὺς
πέραν μὴ ὁρᾶσθαι. Id eſt: *Hoc quoque mirandum eſt apud Ligures. aiunt apud eos amnem*
eſſe, cuius flumen adeò in ſublime attollitur, uti, qui in alterâ ripâ conſiſtant, conſpici ne-
queant. De Arni hoc & Auſeris, qui vulgò nunc eſt *Serchio*, confluentibus narrat
Strabo

Strabo lib. v; intra quos fuit urbs *Piſa*; ut ſequenti hinc capite oſtendetur. Hoc igitur ſitu extra Arnum, rectè urbs Liguribus potiùs, quàm Etruſcis, tribuebatur. Cæterùm Etruſcos cum Vmbris etiam diuturna bella geſſiſſe, donec utrique Romanorum ceſſerint imperio, auctor eſt idem Strabo eodem libro anteà: Τῶν δὲ Βοιῶν, inquit, ἐξελαθέντων, ἀφανισθέντων δὲ καὶ τῶν Γαιζατῶν, λείπεται τὰ Λιγυστικὰ φῦλα, καὶ τῶν Ῥωμαίων αἱ ἀποικίαι. τοῖς δὲ Ῥωμαίοις ἀναμέμικται καὶ τὸ τῶν Ὀμβρικῶν φῦλον· ἔστι δ' ὅπου καὶ Τυρρηνῶν. ταῦτα γὰρ ἄμφω τὰ ἔθνη, πρὸ τῆς τῶν Ῥωμαίων ἐπὶ πλέον αὐξήσεως, εἶχέ τινα πρὸς ἄλληλα περὶ πρωτείων ἅμιλλαν· καὶ μέσον ἔχοντα τὸν Τίβεριν ποταμὸν, ῥᾳδίως ἐπιδιέβαινον ἀλλήλοις. καὶ εἴ πού τινας ἐκστρατείας ἐποιοῦντο ἐπ' ἄλλους οἱ ἕτεροι, καὶ τοῖς ἑτέροις ἔρις ἦν μὴ ἀπολείπεσθαι τῆς εἰς τοὺς αὐτοὺς τόπους ἐξόδου. καὶ δὴ καὶ τῶν Τυρρηνῶν στειλάντων στρατιὰν εἰς τοὺς περὶ τὸν Πάδον βαρβάρους, καὶ πραξάντων εὖ, ταχὺ δὲ πάλιν ἐκπεσόντων διὰ τὴν τρυφὴν, ἐπεστράτευσαν οἱ ἕτεροι τοῖς ἐκβαλοῦσιν· εἶτ' ἐκ διαδοχῆς τῶν τόπων ἀμφισβητοῦντες, πολλὰς τῶν κατοικιῶν τὰς μὲν Τυρρηνικὰς ἐποίησαν, τὰς δ' Ὀμβρικάς· πλείους δ' εἰσὶ τῶν Ὀμβρικῶν· ἐγγυτέρω γὰρ ἦσαν. οἱ δὲ Ῥωμαῖοι παραλαβόντες, καὶ πέμψαντες ἐποίκους πολλαχοῦ, συνεφύλαξαν καὶ τὰ τῶν προεποικησάντων γένη. καὶ νῦν Ῥωμαῖοι μέν εἰσιν ἅπαντες· οὐδὲν δ' ἧττον Ὀμβρικοί τέ τινες λέγονται καὶ Ἴνσουβροι. Hoc eſt: *Pulſis autem Boiis, Senonibuſque ac Gæſatis deletis, ſuperfuerunt Liguſticæ gentes & Romanorum coloniæ. Romanis Vmbrorum quoque gens admiſta eſt: quibuſdam in locis etiam Tyrrhenorum. hæ namque duæ gentes, antequàm Romanorum creviſſet potentia, de principatu inter ſe contenderunt. quumque Tiberi flumine dividerentur; facile ultro citroque bellum intulerunt. Quòd ſi alteri expeditionem in aliam gentem ſuſciperent; curæ erat alteris, uti eodem tempore ipſi quoque eo ducerent. Itaque quum Tyrrheni in Barbaros Padum adcolentes exercitum miſiſſent; remque illic benè geſſiſſent; ob luxuriam verò mox iterum inde ejicerentur: alteri pulſoribus bellum intulerunt. Exhinc ſuper ſucceſſione locorum inter ſe diſceptantes, multas colonias tùm Tyrrhenicas tùm Vmbricas fecerunt. plures tamen fuerunt Vmbricarum: quia propinquiores his locis erant. Romani verò quum rerum potirentur; colonoſque multa in loca emitterent; priorum quoque colonorum genera conſervarunt. Ac nunc Romani quamvis ſint omnes; tamen quidam eorum Vmbri dicuntur & Tyrrheni; quemadmodùm Veneti, Ligures, atque Inſubres.* Sed iſta paullo antè, quàm ſub Romanorum imperium ſubacti fuêre Etruſci, geſta ſunt. Atque de potentiâ eorum hactenus ſatis dictum.

Cæterò *luxum* eorum idem Strabo, eodem libro poſteà, in Campaniæ deſcriptione, ut jam anteà citavimus, ſic iterum perſtringit: Διὰ δὲ τὴν τρυφὴν εἰς μαλακίαν τραπομένους, καθάπερ τῆς περὶ τὸν Πάδον χώρας ἐξέπεσον, οὕτω καὶ ταύτης παραχωρῆσαι Σαμνίταις λέγουσιν. Id eſt: *Vbi verò per luxum mollitiei ſeſe transdidiſſent, quemadmodùm regione Circumpadanâ pulſi fuerint, ſic hac quoque Samnitibus ceſſiſſe aiunt.* Eamdem luxuriam mollitiemque perpetuò ad poſteriora quoque retinuiſſe ſæcula, teſtes ſunt complures auctores. Diodorus Siculus lib. v: Τὰ δὲ κατὰ τὰς πεζικὰς δυνάμεις ἐκπονήσαντες, τήν τε σάλπιγγα λεγομένην ἐξεῦρον, εὐχρηστοτάτην μὲν εἰς τοὺς πολέμους, ἀπ' ἐκείνων δ' ὀνομασθεῖσαν Τυρρηνήν· τό τε περὶ τοὺς ἡγουμένους στρατηγοὺς ἀξίωμα κατεσκεύασαν, περιθέντες τοῖς ἡγουμένοις ῥαβδούχους, καὶ δίφρον ἐλεφάντινον, καὶ περιπόρφυρον τήβενναν· ἔν τε ταῖς οἰκίαις τὰ περίστῳα, πρὸς τὰς τῶν θεραπευόντων ὄχλων ταραχὰς ἐξεῦρον εὐχρηστίαν. ὧν τὰ πλεῖστα Ῥωμαῖοι μιμησάμενοι καὶ πρὸς τὸ κάλλιστον αὐξήσαντες, μετήνεγκαν ἐπὶ τὴν ἰδίαν πολιτείαν. γράμματά τε καὶ φυσιολογίαν ἐξεπόνησαν ἐπὶ πλεῖστον, καὶ τὰ περὶ τὴν κεραυνοσκοπίαν μάλιστα πάντων ἀνθρώπων· οἱ τῆς οἰκουμένης σχεδὸν ὅλης ἡγούμενοι θαυμάζουσί τε τοὺς ἄνδρας, καὶ κατὰ τὰς ἐν τοῖς κεραυνοῖς διοσημείας τούτοις ἐξηγηταῖς χρῶνται. Χώραν δὲ νεμόμενοι πάμφορον, ταύτην ἐξεργαζόμενοι, καρπῶν ἀφθονίαν ἔχουσιν, οὐ μόνον πρὸς τὴν ἀρκοῦσαν διατροφὴν, ἀλλὰ καὶ πρὸς ἀπόλαυσιν δαψιλῆ καὶ τρυφὴν ἀνήκουσαν. παρατίθενται γὰρ δὶς τῆς ἡμέρας τραπέζας πολυτελεῖς, καὶ τἆλλα τὰ πρὸς τὴν ὑπερβάλλουσαν τρυφὴν οἰκεῖα· στρωμνὰς μὲν ἀνθινὰς κατασκευάζοντες, ἐκπωμάτων δ' ἀργυρῶν παντοδαπῶν πλῆθος, καὶ τῶν διακονούντων οἰκετῶν οὐκ ὀλίγον ἀριθμὸν ἡτοιμακότες. καὶ τούτων οἱ μὲν εὐπρεπείᾳ διαφέροντές εἰσιν, οἱ δ' ἐσθῆσι πολυτελεστέραις ἢ κατὰ δουλικὴν ἀξίαν κεκόσμηνται. οἰκήσεις τε παντοδαπὰς ἰδιαζούσας ἔχουσι παρ' αὐτοῖς οὐ μόνον οἱ θεράποντες, ἀλλὰ καὶ τῶν ἐλευθέρων οἱ πλείους. Καθόλου δὲ τὴν μὲν ἐκ παλαιῶν χρόνων παρ' αὐτοῖς ζηλουμένην ἀλκὴν ἀποβεβλήκασιν· ἐν πότοις καὶ ῥᾳθυμίαις ἀνάνδροις βιοῦντες, οὐκ ἀλόγως τὴν τῶν πατέρων δόξαν ἐν τοῖς πολέμοις ἀποβεβλήκασι. Συνεβάλετο δ' αὐτοῖς πρὸς τὴν τρυφὴν οὐκ ἐλάχιστον καὶ ἡ τῆς χώρας ἀρετή· πάμφορον γὰρ καὶ παντελῶς εὔγειον νεμόμενοι χώραν, παντὸς καρποῦ πλῆθος ἀποθησαυρίζουσι. καθόλου γὰρ ἡ Τυρρηνία παντελῶς εὔγειος οὖσα, πεδίοις ἀναπεπταμένοις ἐγκάθηται, καὶ βουνοειδέσιν ἀναστήμασι τόπων διείληπται γεωργησίμοις. ὑγρὰ δὲ μετρίως ἐστὶν, οὐ μόνον κατὰ τὴν χειμερινὴν ὥραν, ἀλλὰ καὶ κατὰ τὸν τοῦ θέρους καιρόν. Id eſt: *Tyrrheni, inter cætera, quibus pedeſtrem militiam*

ETRVSCORVM *luxus.*

excoluêre,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

excoluêre, tubam reperierunt, ad bella utiliſſimam; quæ Tyrrhena inde vocatur. Summis exercituum ducibus hoc ipſo maieſtatem conciliarunt, quòd lictores cum faſcibus & ſellam curulem ex ebore, togamque purpurâ prætextam illis addidère. Domorum quoque porticus, ad avertendum turbæ ſervorum & clientum ſtrepitus & moleſtias, percommodè invenerunt. quorum pleraque imitati Romani, in ſuam translata rempublicam, ad ſummam elegantiam provexère. Literis verò & inprimis naturæ perſcrutationi plurimum ſtudii impenderunt; fulminum conſiderationi præ cunctis mortalibus ſummoperè intenti. quapropter hac etiam ætate totius propè Orbis moderatores hos viros admirantur; & prodigiorum per fulmina oſtentorum interpretibus illis utuntur. Quum autem terram incolant uberrimam: eamque probè excolant; largiſſimos inde fructus percipiunt: qui non modo ad nutricationem ſufficientem, verùm etiam ad prolixas voluptates ac luxum conducant. bis quidpe in die menſas exſtruunt opiparas; cæteraque ad lautitiam & faſtum pertinentia adhibent. Stragula texunt, ceu floribus inſperſa. Argenteorum eis poculorum ingens copia eſt & varietas. familiarium quoque miniſtrorum non exiguus præſtò eſt numerus. quorum alii formæ decore excellunt; alii ſumptuoſiore, quàm pro ſervili condicione, veſtitu exornati ſunt. Secretas ab aliis ædeis habent, omni cultu inſtructas, tùm ſervi, tùm etiam ingenuorum plerique. Ad poſtremum, abjectâ, quam olim exercuerunt, virtute, in compotationibus & ignaviâ degeneres vitam tranſigunt. ideóque haud mirum eſt, quòd maiorum in bellis gloriam ipſi amiſerunt. Haud minimum eis ad luxum conferebat ſoli præſtantia. regionem quidpe tenent fertiliſſimam & opimis glebis lætam: ex qua omnis generis fructus colligunt. Tyrrhenia namque, fœcunditate nulli cedens terræ, in latè patentibus campis recumbit; clivos tamen interim colleisque habet arationi idoneos. humore etiam mediocri, non hiberno tantùm, ſed & æſtivo tempore rigatur. Virgilius quoque, Aeneid. lib. XI, vanum & ſubdolum ingenium Ligurum, Etruſcorum verò luxum ac libidinem perſtricturus, fingit auxilia horum populorum Aeneæ adverſùs Latinos bellanti veniſſe. De Camillâ igitur loquens, Volſcorum manipulos ducente, ita canit:

Incidit huic, ſubitoque adſpectu territus hæſit,
Apenninicolæ bellator filius Auni;
Haud Ligurum extremus, dum fallere fata ſinebant.
Iſque ubi ſe nullo jam curſu evadere pugnâ
Poſſe, neque inſtantem reginam avertere cernit;
Conſilio verſare dolos ingreſſus & aſtu,
Incipit hæc: Quid tam egregium, ſi fœmina forti
Fidis equo? dimitte fugam; & te comminus æquo
Mecum crede ſolo, pugnæque adcinge pedeſtri.
Iam noſces, ventoſa ferat cui gloria laudem.
Dixit. at illa furens acrique incenſa dolore;
Vane Ligus, fruſtraque animis elate ſuperbis,
Nequidquàm patrias tentaſti lubricus arteis;
Nec fraus te incolumem fallaci perferet Auno.

Mox:

At non hæc nullis hominum ſator atque deorum
Obſervans oculis, ſummo ſedet altus olympo:
Tyrrhenum genitor Tarchontem in prælia ſæva
Suscitat, & ſtimulis haud mollibus incitat iras.
Ergo inter cædeis cedentiaque agmina Tarchon
Fertur equo; variiſque inſtigat vocibus alas;
Nomine quemque vocans: reficitque in prælia pulſos.
Quis metus, ô numquàm dolituri, ô ſemper inertes
Tyrrheni? quæ tanta animis ignavia venit?
Fœmina palanteis agit, atque hæc agmina vertit?
Quò ferrum? quidve hæc gerimus tela irrita dextris?
At non in Venerem ſegnes nocturnaque bella;
Aut, ubi curva choros indixit tibia Bacchi,
Exſpectate dapes & plenæ pocula menſæ.

Fœdam eorum nefandamque libidinem pluribus exſequitur Athenæus lib. XII; ubi ita

ita ſcriptum eſt: Παρὰ δὲ τοῖς Τυρρηνοῖς, ἐκτόπως τρυφήσασιν, ἱστορεῖ Τίμαιος ἐν τῇ πρώτῃ, ὅτι αἱ θεράπαιναι γυμναὶ τοῖς ἀνδράσι διακονοῦνται. Θεόπομπος δὲ ἐν τῇ μγʹ τῶν Ἱστοριῶν, καὶ νόμον εἶναί φησι παρὰ τοῖς Τυρρηνοῖς, κοινὰς ὑπάρχειν τὰς γυναῖκας· ταύτας δὲ ἐπιμελεῖσθαι σφόδρα τῶν σωμάτων, καὶ γυμνάζεσθαι πολλάκις μετ᾽ ἀνδρῶν· ἐνίοτε δὲ καὶ πρὸς ἑαυτάς. οὐ γὰρ αἰσχρὸν εἶναι αὐταῖς φαίνεσθαι γυμναῖς. δειπνεῖν δὲ αὐτὰς οὐ παρὰ τοῖς ἀνδράσι τοῖς ἑαυτῶν, ἀλλὰ παρ᾽ οἷς ἂν τύχωσι τῶν παρόντων· καὶ προπίνουσιν οἷς ἂν βουληθῶσιν. εἶναι δὲ καὶ πιεῖν δεινάς· καὶ τὰς ὄψεις πάνυ καλάς. τρέφειν δὲ τοὺς Τυρρηνοὺς πάντα τὰ γινόμενα παιδία, οὐκ εἰδότας ὅτου πατρός ἐστιν ἕκαστον. ζῶσι δὲ καὶ οὗτοι τὸν αὐτὸν τρόπον τοῖς θρεψαμένοις, πότους τὰ πολλὰ ποιούμενοι, καὶ πλησιάζοντες ταῖς γυναιξὶν ἁπάσαις. Οὐδὲν δὲ αἰσχρόν ἐστι Τυρρηνοῖς, οὐ μόνον αὐτοὺς ἐν τῷ μέσῳ τι ποιοῦντας, ἀλλ᾽ οὐδὲ πάσχοντας φαίνεσθαι· ἐπιχώριον γὰρ καὶ τοῦτο παρ᾽ αὐτοῖς· ἐπεὶ καὶ τοσούτου δέουσιν αἰσχρὸν ὑπολαμβάνειν, ὥστε καὶ λέγουσιν, ὅταν ὁ μὲν δεσπότης τῆς οἰκίας ἀφροδισιάζηται, ζητῇ δέ τις αὐτόν, ὅτι πάσχει τὸ καὶ τό, προσαγορεύσαντες αἰσχρῶς τὸ πρᾶγμα. Ἐπειδὰν δὲ συνουσιάζωσι καθ᾽ ἑταιρείας, ποιοῦσιν οὕτως· Πρῶτον μὲν, ὅταν παύσωνται πίνοντες, καὶ μέλλωσι καθεύδειν, εἰσάγουσι παρ᾽ αὐτοὺς οἱ διάκονοι τῶν λύχνων ἐπικαιομένων, ὁτὲ μὲν ἑταίρας, ὁτὲ δὲ παῖδας πάνυ καλούς, ὁτὲ δὲ καὶ γυναῖκας. ὅταν δὲ τούτων ἀπολαύσωσιν, αὖθις αὐτοῖς νεανίσκους ἀκμάζοντας, οἱ πλησιάζουσιν αὐτοῖς ἐκείνοις. Ἀφροδισιάζουσι δὲ καὶ ποιοῦνται τὰς συνουσίας, ὁτὲ μὲν ὁρῶντες ἀλλήλους, ὡς δὲ τὰ πολλὰ καλύβας περιβάλλοντες περὶ τὰς κλίνας, αἳ πεπλεγμέναι εἰσὶν ἐκ ῥάβδων· περιβέβληνται δ᾽ ἄνωθεν ἱμάτια. Καὶ πλησιάζουσι μὲν σφόδρα καὶ ταῖς γυναιξί· πολὺ μέντοι γε χαίρουσι συνόντες τοῖς παισὶ καὶ τοῖς μειρακίοις. καὶ γὰρ γίνονται παρ᾽ αὐτοῖς πάνυ καλοὶ τὰς ὄψεις, ἅτε τρυφερῶς διαιτώμενοι, καὶ λεαινόμενοι τὰ σώματα. πάντες δὲ οἱ πρὸς ἑσπέραν οἰκοῦντες βάρβαροι πιττοῦνται καὶ ξυροῦνται τὰ σώματα· καὶ παρά γε τοῖς Τυρρηνοῖς ἐργαστήρια κατεσκεύασται πολλά, καὶ τεχνῖται τούτου τοῦ πράγματός εἰσιν, ὥσπερ παρ᾽ ἡμῖν οἱ κουρεῖς· παρ᾽ οὓς ὅταν εἰσέλθωσι, παρέχουσιν ἑαυτοὺς πάντα τρόπον, οὐθὲν αἰσχυνόμενοι τοὺς ὁρῶντας, οὐδὲ τοὺς παριόντας. Χρῶνται δὲ καὶ τούτῳ τῷ νόμῳ πολλοὶ καὶ τῶν Ἑλλήνων τῶν τὴν Ἰταλίαν οἰκούντων, μαθόντες παρὰ Σαμνιτῶν καὶ Μεσσαπίων. Ὑπὸ δὲ τῆς τρυφῆς οἱ Τυρρηνοί, ὡς Ἄλκιμος ἱστορεῖ, πρὸς αὐλὸν καὶ μάττουσι καὶ πυκτεύουσι καὶ μαστιγοῦσιν. Id eſt: *Apud Tyrrhenos, ſupra modum luxui deditos, ut Timæus auctor eſt lib. I, viris miniſtrant ancillæ nudæ. Theopompus lib. XLIII tradit, apud Tyrrhenos legem eſſe, communeis uti ſint mulieres. illas verò de ſui corporis formâ eſſe curioſas admodùm. cum viris ſæpiùs exerceri: nonnumquàm inter ſe ipſas. non enim turpe cenſeri, ſi nudæ conſpiciantur. ipſas porrò cum ſuis maritis minimè cœnare: ſed apud quosvis ex illis qui adſunt: & præbibere quibuscumque libitum ſit. impensè eſſe bibaces; & facie mirum in modum formoſas. Alere autem Tyrrhenos omneis, qui naſcuntur, infanteis; ignaros, quis cuiusque pater ſit. adultos eorum, à quibus educati ſunt, mores ac vitam ſequi. compotare crebriùs: coire cum quibusvis mulieribus obviis: non turpe ducere, ſi quid in propatulo fœdum vel faciant vel patiantur. tantumque abeſſe, ut obſcœnum id credant, ut, quum Veneri paterfamilias vacat, & quærit ipſum aliquis, reſpondeant, hoc vel illud pati; inhoneſtis nominibus rem ipſam adpellantes. Quin ad ſodalitia & ſcortationes ſi conveniant, eum morem eſſe, ſtatim ac compotare deſierint, dormituris adducere miniſtros lucernis accenſis nunc meretrices, nunc pueros eximiæ pulcritudinis, nunc uxores. deinde, illorum concubitu ſatiatis, offerri rurſum adoleſcenteis ætate vegetâ; quibus fruantur. Veneri quum operam dent, coire, interdum mutuò ſeſe inſpectanteis; ſæpè cratibus lecto circumpoſitis, quæ ligneis virgultis intexuntur, circumjectis supernè veſtibus. Cum feminis illos ſæpiùs congredi: puerorum tamen & adoleſcentum conſuetudine impensè delectari. qui apud eos egregriè pulcri ſunt: quoniam eos molliter alunt; eorumque lævigant corpora. omneis quidpe qui ad ſeptemtriones habitant barbaros picari, & corpus radere. apud Tyrrhenos verò officinas multas ad eam rem exſtrui; ubi ſint eius artis periti, quemadmodùm ſunt apud nos tonſores. ad illos accedere Tyrrhenos, picandos radendosque ſe præbenteis, nullo prorſus pudore, ſi quis foris tueatur; vel, dum hoc ſit, interveniat. Hunc morem multos quoque ex Græcis, qui in Italiâ conſederunt, obſervare; à Samnitibus ac Meſſapiis edoctos. Alcimus verò Tyrrhenos ad luxum adeò propenſos eſſe ait, uti tibis cantum adhibeant, quum ſonteis flagris cædunt, pugillatu certant, & farinam pinſentes ſubigunt.* Et aliquanto pòſt: Ἠγάπων δὲ οἱ Συβαρῖται τῶν μὲν ἐξ Ἰταλίας Τυρρηνούς, τῶν δ᾽ ἔξωθεν τοὺς Ἴωνας, ὅτι τρυφῇ προσεῖχον. Id eſt: *Amarunt autem Sybaritani ex Italis Tyrrhenos, externorum Ionas; propterea, quòd erant dediti luxui.* En, quum Etruſci, Itali homines, & jam antea diu inter Pelaſgos Græcos & poſteà etiam juxta Latinos, Græcæ originis gentem, colentes, tam barbaris tamque fœdis ac belluinis prorſus vixerint moribus; quid jam adeò mirum ego aut planè incredibile de Germanorum gentis nuditate, ac promiſcuâ in fluminibus ablutione, deque Venere propatulâ, quampluriinis graviſſimorum auctorum teſtimoniis oſtendere viſus ſum, uti ille quidam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

in Originibus ſuis Francicis magno viro de univerſo Germaniæ opere cenſuram extorquere opus habuerit? Tantam fuiſſe homini nos impugnandi libidinem, uti magni amici, cuius ſanè nomen, niſi in graviſſimis rebus ſummâ adactus neceſſitate, interponere haud temerè debuit, auctoritate ac famâ abuti non veritus ſit, mirari ego ſatis nequeo. Diſerta illic adduxi verba auctorum. inter quos Mela ita ſcribit lib. III cap. III: *Maximo frigore nudi agunt, antequàm puberes. & longiſſima apud eos pueritia eſt. viri ſagis velantur, aut libris arborum; quamvis ſævâ hieme.* Seneca in libro de Irâ, cap. XI: *Germanis quid induratius ad omnem patientiam? ut quibus magnâ ex parte non tegumenta corporum proviſa ſunt, non ſuffugia adverſus perpetuum cœli rigorem.* Cæſar Gallici belli comment. IIII: *In eam ſe conſvetudinem adduxerunt, ut locis frigidiſſimis neque veſtitus, præter pelleis, habeant quidquam, (quarum propter exiguitatem magna eſt corporis pars aperta) & laventur in fluminibus.* Et comment. VI: *Qui diutiſſimè impuberes permanſerunt, maximam inter ſuos ferunt laudem. hoc ali ſtaturam, ali hoc vires, nervosque confirmari putant. Intra annum verò vigeſimum feminæ notitiam habuiſſe, in turpiſſimis habent rebus. cuius rei nulla eſt occultatio: quòd & promiſcuè in fluminibus perluuntur, & pellibus, aut parvis rhenonum tegumentis utuntur, magnâ corporis parte nudâ.* Tacitus in libro de Germanis: *Tegumen omnibus ſagum, fibulâ aut, ſi deſit, ſpinâ conſertum. cætera intecti totos dies juxta focum atque ignem agunt. Locupletiſſimi veſte diſtingvuntur. Gerunt & ferarum pelleis. Nec alius feminis, quàm viris, habitus: niſi quòd feminæ ſæpius lineis amictibus velantur: eosque purpurâ variant: partemque veſtitus ſuperiorem in manicas non extendunt; nudæ brachia & lacertos. ſed & proxima pars pectoris patet.* Ad hæc jam quomodò reſpondetur in prædictâ cenſurâ? Verba epiſtolæ Originibus Francicis inſertæ hæc ſunt: *Venerem apud Germanos in propatulo exercitam, mihi non perſvadet Cæſaris locus. nec, quæ de magnâ corporis parte nudâ ait Cæſar, ulteriùs quàm ad lacertos & pectus trahenda ſunt. Quamquàm ergo occultabantur eæ partes, quas ſibi pudor ſecrevit; ea tamen erat veſtitus ratio, ut gravidæ latere non poſſent.* At longè in contrarium modum *rhenones* Cæſaris nobis expoſuit antiquus grammaticus Iſidorus, Originum lib. XVIIII cap. XXIII. *Rhenones,* inquit, *ſunt velamina humerorum & pectoris, usque ad umbilicum.* Ergo partes infra umbilicum, quas pudor ſibi ſecreviſſe debebat, erant nudæ. Nec illa Cæſaris verba, *pellium propter exiguitatem magna eſt corporis pars aperta,* ad brachia & lacertos trahi poteſt. quidpe, ſi eiusmodi tegumen ex pluribus conſtabat inter ſe conſutis pellibus; exiguitas harum obtendi heic non poterat. ſin unam fuiſſe pellem fatearis; nulla tam ampla erat, quæ totum corpus obtegeret: niſi vel urſi vel juvenci intelligas: quæ fortè quotidiano uſui nimis gravis fuerit; utique in feminis. Verùm quis bonus æquusque judex non fateatur, Cæſarem iſthic diſertè diſtinxiſſe inter *rhenones,* opere ſartorio ex pellibus conſutos, quibus ſuperior corporis pars à brachiis ad umbilicum & ilia usque tegebatur, & inter reliquas pelleis, quibus ſingulis tergum & humeri lacertique velabantur, haud ſecus ac ſago? Neque verò Taciti verbis de *brachiorum lacertorumque & proximæ pectoris partis nuditate in feminis* rectè locum Cæſaris interpreteris. quidpe Cæſarem non de feminis tantùm, ſed de utroque agere ſexu, in manifeſto eſt. nempe viros pariter cum mulieribus *promiſcuè in fluminibus perlui;* & utrosque *pellibus* tantùm, *aut parvis rhenonum tegumentis uti, magnâ corporis parte nudâ.* unde etiam Tacitus; *Nec alius feminis, quàm viris, habitus.* Ergo etiam rei Venereæ *occultationem,* poſtquàm pubertatem attigiſſent, *nullam* fuiſſe in utroque ſexu intellexit Cæſar. imò, ſi unum ſolum ſexum innuiſſe eum contendas; de viris maximè, ſive juvenibus, id loquutus eſt: quibus *turpiſſimum* erat, *intra annum vigeſimum feminæ notitiam habuiſſe.* Feminarum verò uterus tumens quomodò occultari poſſit, ſi modò lacerti & pectus tegantur, nondum ego percipio. Verùm hæc ac reliqua omnia eiusdem epiſtolæ, quibus ſingulis refellendis nullus heic idoneus datur locus, virum aliàs acutiſſimi ingenii judiciique ſagaciſſimi, inter graviſſimas reipublicæ ſuæ occupationes præfeſtinanter ac raptim importuno amico reſcripſiſſe, quæ vulgari ipſe minimè voluerit, omnino ego mihi perſvadeo. Quapropter, ut antè dixi, ſummum commiſiſſe nefas cenſeo Francicum iſtum Originatorem, quòd tanti fautoris ac patroni nomine & famâ ad cavillationes ſuas indigniſſimas abuti haud veritus ſit. Mihi verò gratulor, eò tum perductas fuiſſe disceptationes noſtras, uti jam non ampliùs bonis rationibus ac documentis certis, ſed amici judicio & auctoritate ſeſe tutari

adver-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

adverſarius laboraverit. At amicus iſte tuus numquàm ita omnem ſibi cenſuram dictaturamve in totâ republicâ literariâ arrogaverat, vel ab aliis delatam acceperat, uti ſuo unius judicio ac nutu omneis reliquorum literatorum ſententias & opiniones ſtare aut cadere poſtularet. Proinde meminiſſe te decebat, aliud eſſe in privatâ epiſtolâ amico ſubitariam opinionem ſuam aperire; aliud, in publico aliquo ſcripto grave ac præmeditatum judicium in tantâ glorioſiſſimi ſæculi doctorum virorum copiâ ac ſplendore dicere. Verùm hæc ego prolixiùs fortè, quàm in alieno opere par erat, vindicavi. nunc ergo ſermonem in viam, unde longiùs digreſſus eſt, reduco.

De *artificiis* Etruſcorum, præter ſuprà citatum Diodorum, ſic idem Athenæus quoque lib. XV: Ποικίλαι γὰρ ἦσαν αἱ παρὰ τοῖς Τυρρηνοῖς ἐργασίαι, φιλοτέχνων ὄντων τῶν Τυρρηνῶν. Id eſt: *Varia enim apud Etruſcos erant opera: quoniam in artium labore ii ſolertes & ingenioſi ſunt.* Hinc Livius lib. I de Tarquinio Superbo, Romanorum rege: *Gabiis receptis, Tarquinius pacem cum Aequorum gente fecit. fœdus cum Tuſcis renovavit. inde ad negotia urbana animum convertit: quorum erat primum, ut Iovis templum in monte Tarpeio monumentum regni ſui nominisque relinqueret.* Exiguo pòſt: *Intentus perficiendo templo, fabris undique ex Etruriâ accitis, non pecuniâ ſolùm ad id publicâ eſt uſus, ſed operis etiam ex plebe.* Sed omnem opificiorum artem è Græciâ in Etruriam fuiſſe invectam, auctor eſt Strabo lib. V his verbis: Μετὰ δὲ τὴν τῆς Ῥώμης κτίσιν Δημάρατος ἀφικνεῖται, λαὸν ἄγων ἐκ Κορίνθου· καὶ δεξαμένων αὐτὸν Ταρκυνιτῶν, γεννᾷ Λουκούμωνα ἐξ ἐπιχωρίας γυναικός· γενόμενος δὲ Ἄγκῳ Μαρκίῳ, τῷ βασιλεῖ τῶν Ῥωμαίων, φίλος, ἐβασίλευσεν οὗτος, καὶ μετωνομάσθη Λεύκιος Ταρκύνιος Πρίσκος. Ἐκόσμησε δ' οὖν τὴν Τυρρηνίαν καὶ αὐτὸς καὶ ὁ πατὴρ πρότερον· ὁ μὲν εὐπορίᾳ δημιουργῶν, τῶν συνακολουθησάντων οἴκοθεν· ὁ δὲ ταῖς ἐκ τῆς Ῥώμης ἀφορμαῖς. Λέγεται δὲ καὶ ὁ θριαμβικὸς κόσμος καὶ ὑπατικὸς, καὶ ἁπλῶς ὁ τῶν ἀρχόντων, ἐκ Ταρκυνίων δεῦρο μετενεχθῆναι, καὶ ῥάβδοι καὶ πελέκεις καὶ σάλπιγγες καὶ ἱεροποιίαι καὶ μαντικὴ καὶ μουσικὴ, ὅση δημοσίᾳ χρῶνται οἱ Ῥωμαῖοι. Hoc eſt: *Româ jam conditâ Demaratus venit, hominum ſecum multitudinem à Corintho ducens: receptusque à Tarquinienſibus, Lucumonem generat ex muliere eius loci. Hic, factus Anco Marcio, Romanorum regi, familiaris, regnum conſequutus eſt; mutato nomine L. Tarquinius Priſcus adpellatus. Exornarunt autem Etruriam, cùm ipſe, tùm anteà pater. hic, quòd opificibus ſimul domo ſecum profectis abundaret: ille, quòd Roma ad eam rem facultates ſuppeditaret. Traditur, & triumphalem & conſularem omniumque adeò magiſtratuum ornatum à Tarquiniis huc fuiſſe translatum: nec non faſceis, ſecureis, tubas, ſacrificia, divinationem, & muſicam, qua publicè utuntur Romani.* Idem hoc & Florus tradit lib. I cap. V, his verbis: *Tarquinius poſteà Priſcus, quamvìs tranſmarinæ originis, regnum ultro petens, accipit ob induſtriam atque elegantiam: quidpe qui, oriundus Corintho, Græcum ingenium Italicis artibus miſcuiſſet.* Mox: *Neque pace Tarquinius, quàm bello, promptior. duodecim namque Tuſciæ populos frequentibus armis ſubegit. inde faſces, trabeæ, curules, anuli, phaleræ, paludamenta, prætexta: inde, quòd aureo curru quatuor equis triumphatur: togæ pictæ tunicæque palmatæ; omnia denique décora & inſignia, quibus imperii dignitas eminet.* Sed arteis atque opificia ſua à Græcis accepiſſe cum Demarato Etruſcos, unus ſolus tradit Strabo. & magiſtratuum ornatus non Tarquiniis opido, ſed Vetuloniis adſcribit Silius lib. VIII his verſibus:

Mæoniæque decus quondam Vetulonia gentis.
Bis ſenos hæc prima dedit præcedere faſceis,
Et junxit totidem tacito terrore ſecureis.
Hæc altas eboris decoravit honore curuleis;
Et princeps Tyrio veſtem prætexuit oſtro.
Hæc eadem pugnas accendere protulit ære.

Verùm hæc dubiæ ipſis etiam Romanis fuiſſe originis, diſertè teſtatur Dionyſius Halicarnaſſenſis lib. III; ubi devictos bello Etruſcos pacem ab Tarquinio petiiſſe narrat. Ταῦτα, inquit, λαβόντες οἱ πρέσβεις τὰς ἀποκρίσεις, ᾤχοντο· καὶ μετ' ὀλίγας ἡμέρας παρῆσαν, οὐ λόγους αὐτὸ μόνον φέροντες ψιλοὺς, ἀλλὰ καὶ σύμβολα τῆς ἡγεμονίας, οἷς ἐκόσμουν αὐτοὶ τοὺς σφετέρους βασιλεῖς, κομίζοντες στέφανόν τε χρύσεον καὶ θρόνον ἐλεφάντινον, καὶ σκῆπτρον ἀετὸν ἔχον ἐπὶ τῆς κεφαλῆς, χιτῶνά τε πορφυροῦν χρυσόσημον, καὶ περιβόλαιον πορφυροῦν ποικίλον, οἷα Λυδῶν τε καὶ Περσῶν ἐφόρουν οἱ βασιλεῖς, πλὴν οὐ τετράγωνόν γε τῷ σχήματι, καθάπερ ἐκεῖνα ἦν, ἀλλὰ ἡμικύκλιον. τὰ δὲ τοιαῦτα τῶν ἀμφιασμάτων Ῥωμαῖοι μὲν τόγας, Ἕλληνες δὲ τήβεννον καλοῦσιν. ὡς δέ τινες ἱστοροῦσι, καὶ τοὺς δώδεκα πελέκεις ἐκόμισαν αὐτῷ, λαβόντες ἐξ ἑκάστης πόλεως ἕνα. Τυρρηνῶν γὰρ ἔθος ἐδόκει, ἑκάστου τῶν κατὰ πόλιν βασι-

Etruſci ſummi artifices

λέων ἕνα προηγεῖσθαι ῥαβδοφόρον, ἅμα τῇ δέσμῃ τῶν ῥάβδων πέλεκυν φέροντα· εἰ δὲ κοινὴ γίνοιτο τῶν δώδεκα πόλεων στρατιὰ, τοὺς δώδεκα πελέκεις ἑνὶ παραδίδοσθαι, τῷ λαβόντι τὴν αὐτοκράτορα ἀρχήν. οὐ μὴν ἅπαντές γε συμφέρονται τοῖς ταῦτα λέγουσιν· ἀλλὰ παλαίτερον ἔτι τῆς Ταρκυνίου βασιλείας πελέκεις δώδεκα πρὸ τῶν βασιλέων φέρεσθαί φασι· καταστήσασθαι δὲ τὸ ἔθος τοῦτο Ῥωμύλον εὐθὺς ἅμα τῷ παραλαβεῖν τὴν ἀρχήν. οὐθὲν δὲ κωλύει, τὸ μὲν εὕρημα Τυρρηνῶν εἶναι, χρήσασθαι δ' αὐτῷ πρῶτον Ῥωμύλον παρ' ἐκείνων λαβόντα, κομισθῆναι δὲ καὶ Ταρκυνίῳ σὺν τοῖς ἄλλοις κόσμοις βασιλικοῖς καὶ τοὺς δώδεκα πελέκεις· ὥσπερ γε καὶ νῦν Ῥωμαῖοι τὰ σκῆπτρα καὶ τὰ διαδήματα δωροῦνται τοῖς βασιλεῦσι, βεβαιοῦντες αὐτοῖς τὰς ἐξουσίας· ἐπεὶ καὶ μὴ λαβόντες παρ' ἐκείνων, ἔχουσιν αὐτά. Id eſt: *Cum hoc reſponſo legati dimiſſi, poſt paucos dies redeunt; non nuda tantùm verba adferentes, ſed & principatus inſignia, quibus ſuos reges ornare conſueverant; coronam auream, ſellam eburneam, ſceptrumque in ſummitate habens aquilam, & purpuream tunicam auro diſtinctam, purpureumque amiculum varium; qualia Lydorum & Perſarum reges geſtarunt; niſi, quòd non quadrata, ut illa; ſed figura erat ſemicirculi. quod veſtimenti genus Romani togas, Græci tebennum adpellant. Sunt, qui prodant, allatas ei etiam* XII *ſecureis, ſingulas à ſingulis populis miſſas. quidpe Etruſcorum mos fuiſſe putatur, quamque civitatem ſuo regi lictorem unum addere, qui cum virgarum faſce ſecurim illi præferret. quoties verò communis* XII *populorum fieret expeditio;* XII *ſecures traditas fuiſſe ei, cuius eſſet imperium in exercitum. Verùm tamen non omnes ſcriptores his adſentiuntur. ſed jam ante Tarquinii regnum* XII *ſecureis regibus præferri ſolitas aiunt. fuiſſeque hoc inſtitutum Romuli, mox ex quo imperium adeptus ſit. Nihil tamen vetat, quin Etruſcorum id ſit inventum: primusque ab illis mutuatus fuerit Romulus: Tarquinio verò inter cætera inſignia regia allatæ etiam ſint* XII *ſecures: quemadmodùm nunc etiam Romani ſceptra & diademata dono mittunt regibus, quando eis confirmant poſtetatem regiam. quibus utuntur, etiamſi ab illis non accipiant.* Hinc lib. II de Romulo ita tradit: Ἀποτρέπειν δὲ ἀνθρώπους ἀπὸ παντὸς ἔργου πονηροῦ τὸν φόβον μάλιστα δυνάμενον ὁρῶν, πολλὰ εἰς τοῦτο παρεσκευάσατο, χωρίον τε ἐν ᾧ καθεζόμενος ἐδίκαζεν ἐν τῷ φανερωτάτῳ τῆς ἀγορᾶς, καὶ στρατιωτῶν οἳ παρηκολούθουν αὐτῷ τριακόσιοι τὸν ἀριθμὸν ὄντες, καταπληκτικωτάτην πρόσοψιν, ῥάβδους τε καὶ πελέκεις ὑπ' ἀνδρῶν δώδεκα φερομένους, οἳ τοὺς μὲν ἄξια μαστίγων δεδρακότας ἔξαινον ἐν ἀγορᾷ, τῶν δὲ τὰ μέγιστα ἠδικηκότων τοὺς τραχήλους ἀπέκοπτον ἐν τῷ φανερῷ. Hoc eſt: *Quumque homines timore maximè à maleficiis deterreri poſſe cerneret; multa in eum uſum paravit: tribunal ad jus dicendum in loco fori conſpicuo; ſatellitii* CCC *militum terribilem faciem; virgas ac ſecureis prælatas à* XII *lictoribus; qui flagra meritos cædebant in foro; graviumque criminum damnatos capite plectebant in conſpectu omnium.* Et aliquanto pôſt, ubi de triumpho Romuli narravit; Ἡ μὲν οὖν, inquit, ἐπινίκιός τε καὶ τροπαιοφόρος πομπὴ καὶ θυσία, ἣν καλοῦσι Ῥωμαῖοι θρίαμβον, ὑπὸ Ῥωμύλου πρώτη κατασταθεῖσα τοιαύτη τις ἦν. Id eſt: *Atque hæc fuit victorialis cum tropæis ac victimis pompa, quam Romani triumphum nominant, à Romulo tunc primùm inſtituta.* Et Livius de eodem Romulo lib. I: *Rebus divinis ritè perpetratis, vocatâque ad concilium multitudine, quæ coaleſcere in populi unius corpus nullâ re præterquàm legibus poterat; jura dedit. quæ ita ſancta generi hominum agreſti fore ratus, ſi ſe ipſe venerabilem inſignibus imperii feciſſet; cùm cætero habitu ſe auguſtiorem, tùm maximè lictoribus* XII *ſumptis, fecit. Alii ab numero avium, quæ augurio regnum portenderant, eum ſequutum numerum putant. me haud pœnitet eorum ſententiæ eſſe, quibus & adparitores & hoc genus ab Etruſcis finitimis, unde ſella curulis, unde toga prætexta ſumpta eſt, numerum quoque ipſum ductum placet: & ita habuiſſe Etruſcos, quòd ex* XII *populis communiter creato rege, ſingulos ſinguli populi lictores dederint.* Quin Livius nullum planè Tarquinii Priſci cum Etruſcis memorat bellum. Et cui, quæſo, fiet credibile, jam tum tam exiguis, quas tradunt auctores, Romanorum viribus ſubactam fuiſſe ab eo omnem inter Apenninum montem Tiberimque amnem & mare inferum Etruriam. Quin ipſe Florus eodem libro poſteà cap. XVII ita ſcribit: *A latere Etruria infeſta. quatuor agminum ſigna volitabant. Ciminius interim ſaltus in medio, antè invius, planè quaſi Calcdonius vel Hercynius; adeò tunc terrori erat, ut ſenatus conſuli denunciaret, ne tantum periculi ingredi auderet.* Qua de re ita etiam Livius lib. VIIII: *Romanus, multis millibus Etruſcorum cæſis, duodèquadraginta ſignis militaribus captis, caſtris etiam hoſtium cum prædâ ingenti potitur. Tum de perſequendo hoſte agitari cæptum. Silva erat Ciminia, magis tum invia atque horrenda, quàm nuper fuêre Germanici ſaltus: nulli ad eam diem ne mercatorum quidem adita.* Hæc igitur loca, vix bidui ſpacio ab urbe Româ disſita, quum nulli Romanorum, ne mercatorum quidem, ad eam diem adita fuerint; quis credat, jam tre-

centis

centis annis antè omnem Etruriam à Tarquinio Priſco perdomitam fuiſſe; faſceisque XII & cætera imperii inſignia tum primùm urbi Romæ illata? At ſi hæc omnia habuêre jam ante conditam urbem Etruſci; à quibus ea accepiſſe fertur Romulus; certè etiam cùm harum tùm aliarum rerum opifices, qui tantoperè à Græcis pariter atque Romanis laudantur, jam ante Demarati adventum apud illos fuère. De cætero *pugiles* etiam atque *hiſtriones* primùm ex Etruriâ Romam veniſſe, teſtantur auctores. Livius lib. I, in regno prædicti Tarquinii Priſci: *Tum primùm circo, qui nunc Maximus dicitur, deſignatus locus eſt. Loca diviſa patribus equitibusque, ubi ſpectacula ſibi quisque facerent, fori adpellati. ſpectavêre, furcis duodenos ab terrâ ſpectacula alta ſuſtinentibus pedes. Ludicrum fuit pugilesque ex Etruriâ maximè acciti.* Et Lib. VII: *Sine carmine ullo, ſine imitandorum carminum actu, ludiones ex Etruriâ acciti, ad tibicinis modos ſaltantes, haud indecoros motus more Tuſco dabant. vernaculis artificibus quia hiſter Tuſco verbo ludio vocabatur, nomen hiſtrionibus inditum.* Valer. Maximus lib. II cap. IIII: *Ea res ludium ex Etruriâ accerſendi cauſam præbuit. cuius decôra pernicitas vetuſto ex more Curetum Lydorumque, à quibus Etruſci originem traxerunt, novitate gratâ Romanorum oculos permulſit. Et quia ludius apud eos hiſtrio adpellabatur; ſcenico nomen hiſtrionibus inditum eſt.* Tacitus Annal. lib. IIII: *Maiores quoque non abhorruiſſe ſpectaculorum oblectamentis, pro fortunâ, quæ tum erat. eóque à Tuſcis accitos hiſtriones.* Heraclides, in Πολιτειῶν opere, de moribus eorum hoc etiam addit: Οὗτοι τέχνας ἔχουσι πλείστας. πάντες δὲ ὑπὸ τῷ αὐτῷ ἱματίῳ μετὰ τῶν γυναικῶν κατάκεινται. καὶ προσῶσί τινες, καὶ τοὺς καταλύοντας ξένους φιλοῦσιν. Ὅταν δέ τις ὀφείλων χρέος μὴ ἀποδιδῷ, παρακολουθοῦσιν οἱ παῖδες, ἔχοντες κενὸν θυλάκιον εἰς δυσωπίαν. Id eſt: *Hi plurimas callent arteis. Omnes verò ſub eodem ſtragulo cum mulieribus jacent. &, ſi qui præſtò ſint, divertenteis ad ſe peregrinos comiter tractant. Quòd ſi quis æs alienum, quod conflavit, non perſolvat; ſequuntur eum pueri, vacuum geſtantes marſupium, ignominiæ causâ.* Atque hæc ferè ſunt, quæ de huius gentis variis nominibus & origine, item de primâ ſede, potentiâ, moribus conſvetudinibusque apud veteres auctores adnotata reperi.

Nunc poſteriori quoque Etruriæ, inter Apenninum montem, Tiberim flumen ac mare inferum protenſæ, quam deſcriptum poſthinc imus, fines adſerantur. Strabo lib. V; poſtquàm Italiam Gallicam expoſuit: Αὕτη μὲν δὴ πρώτη μερὶς τῆς Ἰταλίας μέχρι δεῦρο περιωδεύσθω. Δευτέρα δὲ λεγέσθω ἡ Λιγυστικὴ, ἡ ἐν αὐτοῖς τοῖς Ἀπεννίνοις ὄρεσι μεταξὺ ἱδρυμένη τῆς νῦν λεχθείσης Κελτικῆς καὶ τῆς Τυῤῥηνίας. * · Τρίτοι δ' εἰσὶ συνεχεῖς τούτοις οἱ Τυῤῥηνοὶ, τὰ πεδία ἔχοντες τὰ μέχρι τοῦ ποταμοῦ τοῦ Τιβέριος, κλυζόμενοι τὰ μὲν πρὸς ἕω μάλιστα μέρη τῷ ποταμῷ, μέχρι τῆς ἐκβολῆς αὐτοῦ· κατὰ δὲ θάτερα, τῷ Τυῤῥηνικῷ καὶ Σαρδῴῳ πελάγει. Id eſt: *Atque hactenus quidem prima nobis deſcripta eſto Italiæ pars. Secunda hinc explicetur Liguria, in ipſis Apenninis montibus inter Galliam modò dictam ſita & Etruriam.* Mox: *Tertii his continuantur Etruſci, campeſtria incolentes usque ad Tiberim amnem; quo ad ortum versùs maximâ ex parte alluuntur usque ad eius oſtium. cætera Etruſcum Sardoumque mare claudit.* Τὰ μὲν πρὸς ἕω μάλιστα μέρη, inquit. quorum verborum rationem continuò ſubnectit his verbis: Ῥεῖ δὲ ἐκ τῶν Ἀπεννίνων ὀρῶν ὁ Τίβερις, μέρος μέν τι (malim τι) δι' αὐτῆς φερόμενος τῆς Τυῤῥηνίας, τὸ δ' ἐφεξῆς διορίζον (lege διορίζων· ad vocem enim Τίβερις referendum, non ad μέρος) ἀπ' αὐτῆς, πρῶτον μὲν τὴν Ὀμβρικὴν, εἶτα τοὺς Σαβίνους, καὶ Λατίνους, τοὺς πρὸς τῇ Ῥώμῃ μέχρι παραλίας. Hoc eſt: *Tiberis ex Apenninis profluit montibus; parte quadam per ipſam delabens Etruriam, mox ab eâ diſtingvens, primò Vmbriam, dein Sabinos, dein Latinos; qui juxta Romam ad litus usque maris incolunt.* Vmbriæ jam opidum fuiſſe ad lævam amnis ripam *Tifernum*, quod nunc vulgò vocatur *Città di Caſtello*, XXV millia paſſuum à fonte Tiberis diſſitum; *Tuſcos* verò, Plinii Iunioris prædium, nomen habuiſſe à ſolo, in quo conditum, idque nunc eſſe opidum, quod vulgò adpellatur *Borgo di S. Sepolcro*, VIII millia infra Tifernum in eâdem ripâ poſitum, infrà ſuo loco oſtendetur. Tifernum igitur usque utramque Tiberis ripam tenuêre Etruſci; montium jugo, quod vallem, quam amnis mediam ſecat, ab oriente claudit, ab Vmbris ſubmoti. A Tiferno ipſo amne ab iisdem Vmbris ad Ocriculum usque opidum, quod nunc vulgò eſt *Otricoli*; mox ad Anienem usque fluvium, qui nunc eſt *Teverone*, à Sabinis, & hinc tandem ad mare usque à Latinis ſeparabantur. Plinius lib. III cap. V: *Tiberis per* CL *millia paſſuum, non procul Tiferno Peruſiâque & Ocriculo, Etruriam ab Vmbris ac Sabinis, mox citra tredecim millia paſſuum Vrbis Veientem agrum à Cruſtumino, dein Fidenatem Latinumque*

ETRVRIAE poſterioris fines.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

à Vaticano dirimit. Sed & *Veiens ager* & *Vaticanus* in câdem fuit Etruriâ; ut *Cruſtuminus* etiam & *Fidenas* in Sabinis: quod infrà ſuo loco patebit. Hinc igitur ipſe Tiberis quàm frequentiſſimè poëtis cognominatur *Tuſcus*, *Etruſcus*, *Tyrrhenus*, ac *Lydius* amnis; ut in deſcriptione eius oſtendetur. De cætero Strabo eodem libro poſteà: Τῆς δὲ Τυῤῥηνίας μῆκος μὲν τὸ μέγιστον εἶναί φασι τὴν παραλίαν ἀπὸ Λούνης μέχρι Ὠστίων δισχιλίων που καὶ πεντακοσίων σταδίων, πλάτος δὲ τοῦ ἡμίσους ἔλαττον, τὸ πρὸς τοῖς ὄρεσιν. Id eſt: *Etruriæ maxima longitudo traditur per litus à Lunâ ad Oſtia eſſe bis mille quingentûm ſtadiorum: latitudo ſemiſſe minor, ad monteis usque*. Monteis intelligit Apenninos: intra quos τὰ πεδία ἔχειν, id eſt, *campeſtria tenere* Etruſcos, anteà dixit. Plinius eodem lib. III cap. XV, quo Gallia Ciſpadana deſcribitur: *Octava regio determinatur Arimino, Pado, Apennino*. Iuxta hunc contermina Galliæ erat Etruria. Hinc Cicero in Catilinariâ I: *Caſtra ſunt in Italiâ contra rempublicam in Etruriæ faucibus collocata*. Apud Fæſulas fuiſſe, quod opidum, III millia à Florentiâ diſſitum, vulgò etiamnunc dicitur *Fieſole*, infrà in huius deſcriptione patebit. Ab ſeptemtrionibus igitur Etruria cingebatur Apennino monte; ab ortu Solis Tiberi flumine; ab meridie mari infero; quod de eius nomine *Tuſcum* & *Etruſcum* Latinis, Græcis autem *Tyrrhenum* adpellatum eſt. Polybius quidem lib. II, ut ſuprà intellectum, ab ſeptemtrionibus Etruriæ obducit Arnum flumen. Τὸν δ' Ἀπέννινον, inquit, ἀπὸ μὲν τῆς ἀρχῆς Λιγυστῖνοι κατοικοῦσι, καὶ τὴν ἐπὶ τὸ Τυῤῥηνικὸν πέλαγος πλευρὰν αὐτοῦ κεκλιμένην, καὶ τὴν ἐπὶ τὰ πεδία· παρὰ θάλατταν μὲν μέχρι πόλεως Πίσης, ἣ πρώτη κεῖται τῆς Τυῤῥηνίας ὡς πρὸς τὰς δυσμάς· κατὰ δὲ τὴν μεσόγαιαν, ἕως τῆς Ἀρρητίνων χώρας· ἑξῆς δὲ Τυῤῥηνοί. Id eſt: *Initium Apennini Ligures tenent ex utroque latere, & quod Etruſcum mare ſpectat, & quod prædictam planitiem: juxta mare, usque ad urbem Piſam, quæ prima eſt Etruriæ ab occaſu; in mediterraneo autem, ad Aretinorum usque fineis. inde ſequuntur Etruſci*. At prædicta tamen urbs *Fæſulæ*, trans Arnum ſita, ſemper Etruſcorum fuit, poſtquàm hac Etruriæ parte Pelaſgi illis ceſſêre. Silius lib. VIII, Etruriæ recenſens populos, qui Cannenſi pugnâ in acie Romanâ ſteterint:

Adfuit & ſacris interpres fulminis alis
Fæſula.

Non tantùm inter reliquas Etruriæ urbeis hanc connumerat; verùm etiam præ cæteris præcipuam ei tribuit divinandi augurandique peritiam. quod non Ligurum, ſed Etruſcorum fuiſſe proprium, ſuprà intelleximus. Quapropter, non omnem Arni dextram tenuiſſe ripam Polybii tempeſtate Ligures, cenſeo: ſed pro limite fuiſſe inter utramque gentem flumen Peſciam, medio tractu inter duo opida Lucam & Piſtoriam in Arnum defluens. namque Luca Ligurum tunc fuit opidum. Livius lib. XLI: *Et Lucam colonia eodem anno duo millia civium Romanorum ſunt deducta. De Ligure captus is ager erat: Etruſcorum antè, quàm Ligurum, fuerat*. Annus is fuit ab urbe Româ conditâ IↃLXXV; quo conſulatum geſſêre C. Claudius Pulcher & Ti. Sempronius Gracchus. Hinc porrò Frontinus Strategemat. lib. III cap. II: *Domitius Calvinus obſidebat Lucam opidum Ligurum*. Et quum C. Iul. Cæſar utramque Galliam, tam Tranſalpinam quàm Ciſalpinam, regendas ab ſenatu provincias accepiſſet; ſub hac verò etiam Ligures & Veneti Carnique cenſerentur; ut ſuprà lib. I cap. II & XXII dictum: Svetonius hinc in vitâ eius cap. XXIIII ſic de ipſo tradit: *Quum L. Domitius, conſulatus candidatus, palàm minaretur, conſulem ſe effecturum, quod prætor nequiſſet; adempturumque ei exercitus: Craſſum Pompeiumque, in urbem provinciæ ſuæ Lucam extractos, compulit, ut, detrudendi Domitii causâ, conſulatum alterum peterent*. Eamdemque rem Plutarchus quoque in Cæſaris ac Pompeii vitis tradit. Salluſtius de Bello Catilinario; *Quum Catilina in agrum Fæſulanum cum exercitu veniſſet*. Et poſteà: *Sed poſtquàm Antonius cum exercitu adventabat; Catilina per monteis iter facere; modò ad Vrbem, modò Galliam verſùs caſtra movere*. Et mox: *Reliquos Catilina per monteis aſperos magnis itineribus in agrum Piſtorienſem abducit; eo conſilio, uti per tramites occultè profugeret in Galliam. At Q. Metellus Celer cum tribus legionibus in agro Piceno præſidebat; ex difficultate rerum eadem illa exiſtimans, quæ ſuprà diximus, Catilinam agitare. igitur, ubi iter eius ex profugis cognovit; caſtra properè movit; ac ſub ipſis radicibus montium conſedit, quà illi deſcenſus erat in Galliam properanti*. Ergo Piſtorienſis ager extra provinciam Galliæ citerioris & partem eius Liguriam fuit. Sed & omnem oram maritimam ultra Arni oſtia urbemque Piſam Etruſci ſemper

habuêre,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

habuêre, poſtquàm Pelaſgi his locis exceſſerunt, ad Lunam usque; quod opidum nunc vocatur *Lérici*. Quamquàm *Piſa* Græcorum jam inde antiquiſſimis temporibus, poſteà verò Romanorum habita fuit colonia; ut proximo hinc capite patebit. De Lunâ ita tradit Strabo lib. v, in expoſitione Etruriæ gentisque Etruſcorum: Λοῦνα πόλις ἐστὶ καὶ λιμήν. * · ἡ μὲν οὖν πόλις οὐ μεγάλη, ὁ δὲ λιμὴν μέγιστός τε καὶ κάλλιστος, ἐν αὑτῷ περιέχων πλείους λιμένας, ἀγχιβαθεῖς πάντας, οἷον ἂν γένοιτο τὸ ὁρμητήριον θαλαττοκρατησάντων ἀνθρώπων τοσαύτης μὲν θαλάττης τοσοῦτον δὲ χρόνον. Id eſt: *Luna opidum eſt cum portu. opidum quidem haud magnum eſt: at portus maximus juxtà ac pulcherrimus; quale omnino conveniebat eſſe receptaculum hominum, qui tanti maris tanto tempore imperium obtinuerunt*. At ſtatim poſt Iul. Cæſarem Auguſtus Octavianus imperator, qui non tantùm Galliarum & aliarum Romani imperii provinciarum, ſed & ipſius Italiæ novam diviſionem fecit; ut ſuprà lib. I cap. VI ex Plinio oſtenſum; terminum Liguriam inter & Etruriam conſtituit Macram flumen. Florus lib. II cap. III: *Ligures imis Alpium jugis adhærent, inter Varum & Macram flumina*. Plinius lib. II cap. V: *Opidum Genua, fluvius Feritor, portus Delphini, Tigulia, flumen Macra, Liguriæ finis*. Et exiguo pòſt: *Patet ora Liguriæ inter amneis Varum & Macram* CCLXI *millia paſſuum. adnectitur Septimæ regioni; in qua Etruria eſt, ab amne Macrâ. Primum Etruriæ opidum Luna, portu nobile*. Ptolemæus: Λιγυρίας παρὰ τὸ Λιγυστικὸν πέλαγος· Ἀλβιντιμίλιον, Ἀλβίγγαυνον, Γένουα, Τιγούλλια, Μάκρα ποταμοῦ ἐκβολαί. Τούσκων δὲ παρὰ τὸ Τυρρηνικὸν πέλαγος, Λοῦνα. Id eſt: *Liguriæ ſunt juxta Liguſticum mare, Albintimilium, Albingaunum, Genua, Tigulia, Macræ fluminis oſtium. Tuſcorum verò, apud Tuſcum mare, Luna*. Mela lib. II cap. IIII, adverſo litore incedens: *Pyrgi, Alſium, Caſtrum novum, Graviſcæ, Coſſa, Telamon, Populonia, Cecina, Piſæ; Etruſca & loca & nomina. deinde Luna Ligurum, & Tigulia, & Genua, Sabata, & Albingaunum*. Rectè equidem Mela, ſecundùm terminum ab Auguſto conſtitutum, Macram amnem, poſt Etruriam primum opidum Liguriæ tribuit *Lunam*, ultra amnem, ut proximo hinc capite liquebit, poſitum. at quia id tamen Etruriæ accenſebatur, ut antè fuerat; quemadmodùm *Sinueſſa* Latio adſcribebatur, licèt ultra huius finem Lirim amnem ſita: error inde natus eſt Plinio ac Ptolemæo, quò id citra Macram referrent. Hæc igitur illa eſt inter Lunam opidum, Apenninum montem, Tiberim amnem & mare inferum poſterior Etruria; quam Etruſcorum gens, unà cum Pelaſgis, antequàm à Romanis ſubacta, duodenis incoluit populis, totidemque principibus urbibus; quarum nomina, *Cære, Tarquinii, Ruſellæ, Vetulonii, Volaterræ, Aretium, Cortona, Peruſia, Cluſium, Volſinii, Falerii, Veii*. De hac Etruriæ univerſæ in XII populos diviſione, præter ſuprà recitata è Dionyſio, Livio, Strabone, Plutarcho, ac Servio, teſtimonia, unum atque alterum adhuç ex eodem Dionyſio ac Livio referre libet. Apud Dionyſium lib. VI L. Iunius, unus ex iis qui cum plebe extra urbem ſeceſſerant, ita apud legatos Senatus Romani loquitur: Ἀλλὰ Τυρρηνίαν ἅπασαν, εἰς δώδεκα νενεμημένην ἡγεμονίας, καὶ πολλὴν μὲν τῇ κατὰ γῆν, πολλὴν δὲ τῇ κατὰ θάλατταν δυναστείᾳ περιουσιάζουσαν, τίνες ἦσαν οἱ συγκατακτησάμενοι καὶ ποιήσαντες αὐτὴν ὑμῖν ὑπήκοον; Id eſt: *Vniverſam Etruriam in* XII *diviſam ducatus, terrâ marique præpotentem, quis vobiscum edomuit, veſtroque ſubjecit imperio?* Et lib. VIIII; ubi bellum Etruſcum narrat auctor: Τυρρηνῶν γὰρ αἱ μὴ μετασχοῦσαι τῆς εἰρήνης ἕνδεκα πόλεις, ἀγορὰν ποιησάμενοι κοινὴν, κατηγόρουν τοῦ Οὐεϊεντανῶν ἔθνους, ὅτι τὸν πρὸς Ῥωμαίους πόλεμον οὐ μετὰ κοινῆς γνώμης κατελύσαντο. Id eſt: *Nam Etruſcorum* XI *populi, qui huius pacis non erant participes, coacto gentis concilio, Veienteis accuſabant, quòd inconſultis cæteris pacem cum Romanis feciſſent*. Livius lib. IIII: *Trepidatum in Etruriâ eſt poſt Fidenas captas; non Veientibus ſolùm exterritis metu ſimilis excidii; ſed etiam Faliſcis, memoriâ initi primò cum iis belli. igitur, quum duæ civitates, legatis circa* XII *populos miſſis, impetraſſent, ut ad Voltumnæ fanum indiceretur omni Etruriæ concilium; velut magno inde tumultu imminente, ſenatus Mamercum Aemilium dictatorem iterum dici juſſit*. Et lib. V: *Veientes, tædio annuæ ambitionis, quæ interdum discordiarum cauſa erat, regem creavêre. Offendit ea res populorum Etruriæ animos, non maiore odio regni, quàm ipſius regis. gravis is jam anteà genti fuerat opibus ſuperbiâque: quia ſolennia ludorum, quos intermitti nefas eſt, violenter diremiſſet: quum ob iram repulſæ, quòd ſuffragio* XII *populorum alius ſacerdos ei prælatus eſſet, artifices, quorum magna pars ipſius ſervi erant, ex medio ludicro repentè abduxit*. Lib. VII: *Terror inde vanus belli Etruſci, quum conjuraſſe* XII *populos fama eſſet, dictatorem dici coëgit*. Fuiſſe autem ſuprà enarratas urbeis in XII prin-

ETRVRIAE in XII *principatus & urbeis diviſio.*

xii principum urbium numero, pòſt in ſingularum expoſitione auctorum teſtimoniis probabitur. Singulas ſingulos habuiſſe principes ſuos, ſive reges, qui Etruſca lingvâ dicebantur *Lucumones*, ſuprà è Servio &, quem ille citat, Varrone intelleximus. Regiâ hos poteſtate, licèt non abſolutâ, præditos fuiſſe, ex Porſenæ Cluſinorum, & Mezentii Cæritum regis, patet exemplis. Servius ibidem docet, xii hiſce *Lucumonibus* unum præfuiſſe. id ego per vices & certo ſingularum urbium ordine factum cenſeo: ita, ut ex ipſo xii urbium numero unus omnibus præfuerit. regemque hunc paullo abſolutiore poteſtate cæteris imperitaſſe arbitror. ac tales haud dubiè fuêre prædicti reges *Porſena* ac *Mezentius*. Dionyſius equidem lib. iii, ſimulque Livius lib. i, *Lucumonis* vocabulum proprium privatumque fecère in altero filiorum Demarati Corinthii, qui Tarquiniis habitaſſe fertur; item Livius lib. v in quodam Cluſino juvene. ſed id per errorem haud dubiè factum ab iis ſcriptoribus, à quibus ſua habuêre Dionyſius Liviusque. Dionyſius lib. ii de primo Romuli bello, quod contra Sabinos geſſit, ita ſcribit: Ἧκε δ' αὐτῷ Τυῤῥηνῶν ἐπικουρίαν ἱκανὴν ἄγων ἐκ Οὐετυλωνίας [malè vulgò Σολωνίας, ut infrà videbimus] πόλεως ἀνὴρ δραστήριος, καὶ τὰ πολέμια ἔργα διαφανής, Λοκόμων ὄνομα. φίλος οὐ πρὸ πολλοῦ γεγονώς. Id eſt: *Auxilium etiam validum adduxit ei à Vetulonio, Etruſcâ urbe, Lucumo, vir ſtrenuus & bello clarus; nuper receptus in amicitiam.* Supremum tunc principatum in xii Etruriæ populos obtinuiſſe Vetulonienſium *Lucumonem*, id eſt, *principem*, ſeu *regem*, omnino ego judico. cur enim ab hac potiùs omnium remotiſſimâ civitate Romulo auxilium veniſſet, quàm à proximis Veiis, Faliſcis, Volſiniis, Cæritibus, Tarquiniis? Quapropter non unum aliquem ab Vetulonio virum, proprio nomine *Lucumonem*, auxilia Romulo contra Sabinos adduxiſſe, ſed omneis ſimul xii populos ea miſiſſe, alii tradiderunt antiqui auctores; ex quorum monimentis id adnotavit M. Terentius Varro. ſic quidpe Servius ad Virgilii Æneid. lib. v: *Varro dicit, Romulum, dimicantem contra Titum Tatium, à Lucumonibus, id eſt, à Tuſcis auxilia poſtulaſſe.* Sabinorum rex erat, ut dicunt, iſte *T. Tatius*; ut infrà lib. iii cap. ii in deſcriptione urbis Romæ videre eſt. Huc ergo intelligendum illud Dionyſii, quod lib. iii in rebus Tarquinii Priſci narrat his verbis: Ὡς δέ τινες ἱστοροῦσι, καὶ τοὺς δώδεκα πελέκεις ἐκόμισαν αὐτῷ οἱ Τυῤῥηνοὶ, λαβόντες ἐξ ἑκάστης πόλεως ἕνα. Τυῤῥηνικὸν γὰρ ἔθος ἐδόκει, ἑκάστου τῶν κατὰ πόλιν βασιλέων ἕνα προηγεῖσθαι ῥαβδοφόρον, ἅμα τῇ δέσμῃ τῶν ῥάβδων πέλεκυν φέροντα· εἰ δὲ κοινὴ γίνοιτο τῶν δώδεκα πόλεων στρατιὰ, τοὺς δώδεκα πελέκεις ἑνὶ παραδίδοσθαι, τῷ λαβόντι τὴν αὐτοκράτορα ἀρχήν. Οὐ μὴν ἅπαντές γε συμφέρονται τοῖς ταῦτα λέγουσιν· ἀλλὰ παλαίτερον ἔτι τῆς Ταρκυνίου βασιλείας πελέκεις δώδεκα πρὸ τῶν βασιλέων φέρεσθαί φασι· καταστήσασθαι δὲ τὸ ἔθος τοῦτο Ῥωμύλον εὐθὺς ἅμα τῷ παραλαβεῖν τὴν ἀρχήν. Id eſt: *Sunt, qui prodant, allatas ei etiam* xii *ſecureis, ſingulas à ſingulis populis miſſas. quidpe Etruſcorum mos fuiſſe putatur, quamque civitatem ſuo regi lictorem unum addere, qui cum virgarum faſce ſecurim illi præferret. quoties verò communis* xii *populorum fieret expeditio;* xii *ſecureis traditas fuiſſe ei, cuius eſſet imperium in exercitum. Verùm tamen non omnes ſcriptores his adſentiuntur. ſed jam ante Tarquinii regnum* xii *ſecureis regibus præferri ſolitas aiunt. fuiſſeque hoc inſtitutum Romuli, mox ex quo imperium adeptus ſit.* Igitur Livius lib. i ita in Romuli rebus: *Me haud pœnitet eorum ſententiæ eſſe, quibus & adparitores & hoc genus ab Etruſcis finitimis, unde ſella curulis, unde toga prætexta ſumpta eſt, numerum quoque ipſum ductum placet: & ita habuiſſe Etruſcos, quòd ex* xii *populis communiter creato rege, ſingulos ſinguli populi lictores dederint.* Sunt, qui eosdem *Lucumones* & *Lartes* dictos volunt. ſcilicet, quia & Cluſinorum rex Porſena & Veientium rex Tolumnius eo nomine adpellati ſunt auctoribus. Livius lib. ii: *Iam Tarquinii ad Lartem Porſenam, Cluſinum regem, perfugerant.* Dionyſius lib. v: Βασιλεὺς ἦν Κλουσίνων, τῶν ἐν Τυῤῥηνίᾳ, Λάρος ὄνομα, Πορσίνας ἐπίκλησιν, ἐφ' ὃν οἱ Ταρκυνίοι κατέφυγον. Id eſt: *Cluſinorum, Etruſcæ civitatis, rex erat Larus nomine, cognomine Porſena; ad quem Tarquinii confugerant.* Plutarchus in Publicolâ: Ἱκέτευσε τὸν Λάρον Πορσίναν· *Supplex adiit Larum Porſenam.* Livius lib. iiii: *Fidenæ, colonia Romana, ad Lartem Tolumnium, Veientium regem, ac Veienteis defecère.* Et eodem libro poſteà: *Veiens bellum motum, ob ſuperbum reſponſum Veientis ſenatus; qui legatis repetentibus res, ni faceſſerent properè urbe finibusque, daturos, quod Lars Tolumnius dediſſet, reſponderi juſſit.* Cicero Philippicâ viiii: *Lars Tolumnius, rex Veientium.* Florus lib. i cap. xii: *Spolia de Larte Tolumnio ad Feretrium reportata.* Sed vocabulum hoc *prænomen* tantùm eſſe, legitur in libello de Nominibus, prænominibus,

minibus, cognominibusque Romanorum, qui C. Titio Probo adſcribitur. *Lar Lartis*, inquit ille, *prænomen eſt, ſumptum à laribus. Tuſcum autem creditum eſt prænomen eſſe. fuitque conſul Lar Herminius, cum Tito Virginio Tricoſto*. Dionyſius lib. XI: Οἱ δὲ τὸν ἑξῆς ὑπατεύσαντες ἐνιαυτὸν, Λάρος Ἑρμίνιος καὶ Τίτος Οὐεργίνιος. Id eſt: *Anno ſequenti conſules fuère Larus Herminius, Titus Virginius*. Apud Diodorum lib. XII ita ſcriptum eſt: Ῥωμαῖοι δὲ κατέστησαν ὑπάτους Λαρῖνον Ἑρμίνιον καὶ Τίτον Στερτίνιον Στρούκτωνα. Id eſt: *Romani conſules fecêre Larinum Herminium & Titum Stertinium Structonem*. Sed hoc jam dudum emendarunt viri docti in Λάρον, & Οὐεργίνιον Τρικοστόν· *Larum*, & *Virginium Tricoſtum*. At Servius non à *laribus*, ut Probus iſte, ſed à neſcio quo loco nomen id dictum docet ad Virgilii Aeneid. lib. VI. *Coſſus*, inquit, *tribunus militum conſulari poteſtate fuit. hic regem Tuſcorum Lartem Tolumnium, à loco dictum, occîdit*. Verùm credo, corruptam eſſe vocem *loco*. pro qua fortè & ipſe ſcripſit Servius *à laribus*. Nec tamen probabile mihi fit, Tuſcos à Latinâ voce prænomen ſibi quæſiviſſe. niſi & ipſum hoc vocabulum Tuſcum eſſe adſeverare libeat; in Latium ex Etruriâ tranſlatum. Atqui Dionyſius prædicto lib. V non prænomen, neque cognomen id Porſenæ regis fuiſſe tradit; ſed ὄνομα ipſum, *nomen*; quum ἐπίκλησις fuerit ei Πορσίνας, id eſt, *cognomen Porſena*. Certè haud de nihilo eſt, quod duarum ex XII principibus Etruriæ urbium, *Cluſii & Veiorum*, regibus *Porſenæ & Tolumnio* id nomen tribuitur. Ego verò conjecerim, non idem equidem id valere, quod *Lucumonum* vocabulum; ſed eius tum fuiſſe quaſi dignitatis nomen, qui univerſis *Lucumonibus* unus præerat. Ac proinde apud Livium uterque rex poſteà ſimpliciter, ſine eius vocabuli adjectione, repetuntur *Porſena & Tolumnius*. Qua ratione id etiam ante hunc Tolumnium Romam ſit tranſlatum, equidem ignoro; nec perinde curo. Cæterùm de univerſæ Etruriæ ſolo ita ſcribit Diodorus ſuprà dicto lib. V: Καθόλου δὲ ἡ Τυρρηνία παντελῶς εὔγειος οὖσα, πεδίοις ἀναπεπταμένοις ἐγκάθηται, καὶ βουνοειδέσιν ἀναστήμασι τόπων διείληπται γεωργησίμοις. ὑγρὰ δὲ μετρίως ἐστὶν, οὐ μόνον κατὰ τὴν χειμερινὴν ὥραν, ἀλλὰ καὶ κατὰ τὸν τοῦ θέρους καιρόν. Hoc eſt: *Etruria, fœcunditate nulli cedens terræ, in latè patentibus campis recumbit; clivos habens colleisque arationi maximè idoneos. humore etiam mediocri, non hiberno ſolùm, ſed & æſtivo tempore rigatur*. Et Strabo prædicto lib. V: Ἡ Λιγυστικὴ ἐν αὐτοῖς τοῖς Ἀπεννίνοις ὄρεσίν ἐστι, μεταξὺ ἱδρυμένη τῆς Κελτικῆς καὶ τῆς Τυρρηνίας. συνεχεῖς δὲ τοῖς Λίγυσίν εἰσιν οἱ Τυρρηνοὶ, τὰ πεδία ἔχοντες τὰ περὶ τοῦ ποταμοῦ τοῦ Τιβέρεως. Id eſt: *Liguria in ipſis Apenninis eſt montibus. Liguribus continuantur Etruſci, campeſtria colentes ad Tiberim usque amnem*.

Cap. II.

De locis fluminibusque Etrvriae *maritimis, inſulisque Etruſco litori objacentibus.*

HActenus igitur de finibus Etruriæ poſterioris. nunc ſingula eius loca fluminaque inſpiciantur. ac primùm maritima. Plinius dicto lib. III cap. V: *Patet ora Liguriæ, inter amneis Varum & Macram, CCLXI millia paſſuum. adnectitur Septimæ regioni; in qua Etruria eſt, ab amne Macrâ. Primum Etruriæ oppidum* Lvna, *portu nobile*. Lvna oppidum cum portu.
Ptolemæus: Λιγουρίας παρὰ τὸ Λιγυστικὸν πέλαγος· Ἀλβίγγαυνον, Γένουα, Τιγουλλία, Μάκρα ποταμοῦ ἐκβολαί. Τούσκων δὲ παρὰ τὸ Τυρρηνικὸν πέλαγος, Λοῦνα. Id eſt: *Liguriæ ſunt, juxta Liguſticum mare, Albingaunum, Genua, Tigulia, Macræ amnis oſtium. Tuſcorum verò, apud Tuſcum mare, Luna*. Sic equidem ambo iſti *Lunam* ab Etruſcâ poſuêre Macræ ripâ. at contrà Mela, lib. II cap. IIII. adverſo incedens litore, *Graviſcæ*, inquit, *Coſſa, Telamon, Populonia, Cecina, Piſæ; Etruſca & loca & nomina. deinde Luna Ligurum, & Tigulia, & Genua, Sabata, & Albingaunum*. Et Strabo lib. V: Τῆς δὲ Τυρρηνίας μῆκος τὸ μέγιστον εἶναί φασι τὴν παραλίαν ἀπὸ Λούνης μέχρι Ὠστίων. * — * . Μεταξὺ δὲ Λούνης καὶ Πίσης ὁ Μάκρης ἐστὶ χωρίον, ᾧ πέρατι τῆς Τυρρηνίας καὶ τῆς Λιγυστικῆς κέχρηνται τῶν συγγραφέων πολλοί. Hoc eſt: *Maximam Etruriæ longitudinem aiunt eſſe juxta oram maritimam, à Lunâ ad Oſtiam usque. Inter Lunam autem & Piſam locus eſt Macra, quem multi ſcriptorum terminum fecerunt Etruriam inter & Liguriam*. Huius *Macræ* quot-

quot

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

quot meminerunt auctores, omneis *amnem*, qui etiam nunc vulgò dicitur *Magra* non *locum* pronunciaſſe, jam anteà in Ligurum deſcriptione dixi. proinde haud immeritò aut errorem ipſius auctoris, aut librarii mendum viri docti heic agnoſcunt. De cætero, ut Mela, ſic & Strabo *Lunam* ultra Macram ab Liguſticâ ponit ripâ. Omnes igitur pariter huius ſæculi geographi, etiam Itali viri, & in his nonnulli horum locorum adcolæ, errarunt, qui Lunam vel in eo opido, quod vulgò nunc dicitur *Sarzana*, oſtendunt, vel in neſcio quibus veſtigiis ad lævam Macræ ripam. Blondus in deſcriptione Italiæ ita tradit de Lunæ portu: *Inſulam, quæ illum ab Auſtro Africoque tutum reddat, natura objecit: ſecus quam vaſtæ ſe pandunt fauces, multis reflexibus tortuoſæ, in longum amplumque ſinum, qui paſſuum quinque milia longitudine ac latitudine ptotenditur. portusque ipſe, omnium capaciſſimus navigiorum, Macrâ augetur:* quod Lucanus in IIII ſic indicat:

——— *Nullasque vado qui Macra moratus*
Alnos, vicinæ percurrit in æquora Lunæ.

In eius intimo eſt Spedia. Et mox: *Ab orientali parte promontorio clauditur, nunc Lunenſi adpellato; quod præterlabitur Macra fluvius.* Statim: *Secus Macram amnem vetuſta interiit Luna.* Ipſum inſpexiſſe hæc loca Blondum jurarem, ni illud de Macrâ addidiſſet: nempe, augeri eo Lunæ portum. At, quæſo, quî hoc fieri poteſt, ſi inter utrumque intercedat *promontorium Lunenſe?* Strabonis deſcriptionem videamus; quæ prædicto loco talis eſt: Ἡ μὲν οὖν πόλις οὐ μεγάλη· ὁ δὲ λιμὴν μέγιστός τε καὶ κάλλιστος, ἐν αὑτῷ περιέχων πλείους λιμένας, ἀγχιβαθεῖς πάντας· οἷον ἂν γένοιτο τὸ ὁρμητήριον θαλαττοκρατησάντων ἀνθρώπων τοσαύτης μὲν θαλάττης τοσοῦτον δὲ χρόνον. περικλείεται δ᾽ ὁ λιμὴν ὄρεσιν ὑψηλοῖς, ἀφ᾽ ὧν τὰ πελάγη κατοπτεύεται, καὶ ἡ Σαρδὼν, καὶ τῆς ἠιόνος ἑκατέρωθεν πολὺ μέρος. Hoc eſt: *Vrbs equidem haud magna eſt: at portus maximus juxtà ac pulcherrimus, compluréis intra ſe includens portus, omneis prope litus profundos: quale omnino conveniebat eſſe receptaculum hominum tanti maris tanto tempore dominium obtinentium. cingitur autem portus altis montibus; unde maria proſpiciuntur, & Sardinia, & litoris utrimque magna pars.* En; dubitare jam minùs licet, quin LVNAE PORTVS ſit is, qui nunc ab opido intimo eius receſſui adpoſito vulgò vocatur *Il Golfo di Spetia*; id eſt, *Sinus Spetienſis.* hic quidpe, quadrangulâ ferè formâ, in ritum Græcæ literæ Π, intimo latere, quod meridiem ſpectat, planum, apertum, & molle habet litus. at duo reliqua latera, quibus utrimque clauditur, montibus cingitur altis, complureis ſinus ſeu portus minores gremio ſuo recipientibus; maximè id, quod ab occaſu in ortum proſpicit. Magnitudinem eius Silius quoque indicavit lib. VIII:

Tunc quos à niveis exegit Luna metallis,
Inſignis portu; quo non ſpacioſior alter
Innumeras cepiſſe rateis, & claudere pontum.

Strabo dicto loco hæc quoque habet: Λοῦνα πόλις ἐστὶ καὶ λιμήν. καλοῦσι δ᾽ οἱ Ἕλληνες Σελήνης λιμένα καὶ πόλιν. Id eſt: *Luna opidum eſt, & portus. Græci vocant Selenes portum & opidum.* Quidpe quod ſidus cæleſte Latinis *Luna*, Græcis dicitur Σελήνη, *Selene.* Hinc Stephani breviator: Σελήνη, πόλις Τυῤῥηνίας. *Selene, opidum Etruriæ.* Et Ptolemæus: Λιγουρίας, Τιγουλία, Μάκρα ποταμοῦ ἐκβολαί· Τούσκων Λοῦνα, Σελήνης ἄκρον, Ἡρακλέους ἱερὸν, Ἄρνου ποταμοῦ ἐκβολαί. Id eſt: *Liguriæ, Tigulia, Macræ amnis oſtium: Tuſcorum, Luna, Selenes promontorium, Herculis fanum, Arni fluminis oſtium.* Hoc ſcilicet illud eſt Σελήνης ἄκρον, id eſt, LVNAE PROMONTORIVM, quod ab orientali portus latere in mare longiùs procurrit; quodque ab oriente *Macra* fluvius præterlabitur. ultra quem omne litus ad Ligurnum usque portum planum eſt, molle, ac paluſtre. Vel hinc igitur jam maximè adparet error Ptolemæi, Lunam opidum & promontorium eius poſt fluvium Macram malè recenſentis. Cæterùm ſuper opidi ſitu probè ei convenit cum Strabone ac Melâ; qui ambo id ad dextram amnis ripam poſuêre. quidpe quum in ipsâ ripâ, quæ alto præruptoque montium jugo ac promontorio prætexitur, conſiſtere non potuerit; ab altero promontorii latere, quod ipſum tangit ſinum, id exſtitiſſe neceſſum eſt. Heic opidum exſtat, quod vulgò nunc *Lérice* & *Lérici* adpellatur. id igitur ex ſitu apud prædictum ſinum, item ex intervallo, quod alia antiqua itineraria hinc Piſas usque faciunt, vetus illud deprehenditur eſſe opidum LVNA. Itineraria ſic habent:

LVNAE promontorium.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Tabulæ;		Antonini;		Antonini;	
Piſis		*Piſæ*		*Luca*	
Foſſis Papirianis	XV.	*Papiriana*	XI.	*Lunæ*	XXXIII.
Ad taberna. frigida.	XII.	|			
Lunę	X.	*Lunę*	XII.		

Millia hodiè numerantur ad Sarzanam à Piſis XXXVI, à Lucâ XXXIIII: eademque intervalla ſunt ab iiſdem urbibus ad Ericis portum: quia hoc in litore ſitum, illud verò IIII millia à mari in mediterraneum recedit. quæ res fortè anſam errori præbuit, uti multi ipſam Sarzanam putaverint eſſa Lunam. Primum Antonini iter eſſe corruptum, præter Tabulam, alterum illud iter à Lucâ Lunam usque convincit. Sed & Livii auctoritate confirmatur, Lunam ad ipſum fuiſſe ſinum: unde etiam promiſcuè ei modò LVNA, modò LVNAE *portus* vocatur. Verba eius ſunt hæc lib. XXXIIII: *M. Porcius conſul* XXV *navibus longis ad Lunæ portum profectus; eòdem exercitu convenire juſſo; &, edicto per oram maritimam miſſo, navibus omnis generis contractis; à Lunâ proficiſcens edixit, ut ad Portum Pyrenæi ſequerentur.* Et lib. XXXIX: *Senatus cenſuit mittendum, qui ad Lunæ portum C. Culpurnium prætorem conſequeretur; nunciaretque, ſenatum æquum cenſere, ne ſine imperio provincia eſſet, maturè eum proficiſci. Quarto die, qui miſſus erat, Lunam venit. paucis antè diebus Calpurnius profectus erat.* En; & M. Porcium cum claſſe & C. Calpurnium *à Lunâ profectos* ait. id ex ore Macræ fieri non potuit. quidpe flumen hoc licèt copioſiſſimis aquis admodùm torrens & impetuoſum ſit, tamen navigiorum nullibi eſt capax. Sed antiquam Lunam non eſſe nunc Sarzanam, præter præſcripta Livii, Strabonis, Melæ, Ptolemæique documenta, teſtatur quoque Chronicon Caſſinenſe lib. I cap. VIII; ubi ſic ſcriptum eſt in vulgatis exemplaribus: *Fecit autem idem inclytus rex Pipinus, unà cum filiis Carolo & Carlomanno conceſſionem beato Petro, eiusque vicario, de civitatibus Italiæ ac territoriis per deſignatos limites Alunis cum inſula Coriſita, inde Inſuranum, inde in montem Bardonem, Vercetum, Parmam, Regium, Mantuam, & Montem Silicis, ſimulque univerſum exarchatum Ravennæ; ſicut antiquitus fuit; cum provinciis Venetiarum & Hiſtriæ.* Omnino legendum; *per deſignatos limites; A Lunis, cum inſulâ Corſicâ, inde in Sarzanum, inde in montem Bardonem, Vercetum, Parmam.* quidpe *Vercetum*, ſive *Bercetum*, id eſt opidum, quod ſupra urbem Parmam, medio ſitu inter Tarum Parmamque flumina poſitum, hodiéque vulgò adpellatur *Berceto*, ſive *Berzeto*; incolarum verò rudiori lingvâ *Berzè*, & *Brezè*. & *Bardo mons* eſt is, per quem, celeberrimo hodiéque itinere, ex Macræ amnis valle ab opidis Sarzanâ, Aulâ, Villâ francâ, & Ponte Tremulo tranſitur ad Bercetum. Ex hoc igitur documento clarè jam ac manifeſtò patet, *Ericem* opidum etiam tum Caroli Magni tempore adpellatum fuiſſe *Lunam*. Quapropter iſtud etiam *Ericis* nomen, ut nonnulla alia ineptè Ptolemæi geographiæ inſeruit interpres quidam antiquior Latinus. Ineptè item fecerunt illi, qui vaniſſimi nugatoris, Annii Viterbienſis, ineptiſſimum illud itinerarium, quo ſex ab urbe Româ in Gallias deſcribuntur itinera, Antonini eſſe crediderunt. Verba illic hæc ſunt: *Ab Vrbe in Gallias itur itineribus* VI; *Maritimo, Litoreo, Aureliano, Caſſiano, Tiberino, Flaminio. Maritimum tenet Pheregenas, Caſtrum novum, Cellas, Herculem, Thelamonem, Caput Ethruriæ, Phaliſcas, Traianum, Populonium, Vada, Lygurnum, Ericis, Eutellam, Delphinum, Genuam, iter Porſenam & Pheritonem, Monechum, Nyceam. Litoreum continet Alſium, Cere, Pyrganum, Forum cellæ, Graviſcas, Coſas, Volaterras, Piſam, Lunam, & ipſum transitum in Gallias Cariaram.* In his, præter immania abſurdi cerebri nugamenta, etiam librariorum fortaſſis fuerint menda, pro genuinis vocibus, *Fregenas, Genuam inter Porciferam & Feritorem, Carariam*. Verùm quodnam heic diſcrimen voluerit ipſe auctor inter *litoreum* & *maritimum* iter, numquàm me ſatis intellecturum credo; quando non minùs *Fregenæ, Caſtrum novum, Centum cellæ, Herculis portus, Telamon, Faleſia, Traianus portus, Populonium, Vada Volaterrana, Ligurnus portus, Ericis portus, Delphini portus, Genua, Herculis Monæci portus*, & *Nicæa*, in ipſo litore fuerunt, & pleraque etiam nunc ſunt; quàm *Alſium, Pyrgi*, & *Graviſcæ*. Quin & *Forum cellæ* idem locus in litore erat, quem anteà ſimpliciter *Cellas* dixit: *Centum cellas* autem eumdem fuiſſe *Traianum portum*, infrà videbimus. & per *Volaterras* niſi præfata *Vada Volaterrana* intellexit, jam longè ineptior fuerit; in litoreo itinere

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

urbem maximè mediterraneam recenſens. *Carariam* autem quomodò ultimo loco nominavit, quum id opidum, vulgò nunc *Carrara* dictum, VI millibus paſſuum Macram flumen præcedat? Tot igitur huius nugatoris in duobus tantùm itineribus erroribus deprehenſis, ne quis jam ſuſpicetur, *Ericis portum* & *Lunam* duo diverſa fuiſſe opida. Barbari ſui ſæculi imperitus tenebrio ex Tabulæ & Antonini ſimul itinerariis ſimulque ex variis auctoribus, quos parum intellexit, itinerarium iſthoc abſurdiſſimum confinxit. quod clariùs etiam infrà in reliquorum itinerum explicatione patebit. Plinio igitur, ut ſuperiori capite dictum, ac Ptolemæo inde error natus, quòd Luna Etruriæ ſemper attributa fuerit; licèt ſine inter hanc & Liguriam Macrâ amne ab Cæſare Auguſto conſtituto. Hinc Silius, loco ſuprà citato, inter alia Etruriæ opida *Lunam* etiam recenſet. Sic & Martialis lib. XIII epigr. XXX:

Caſeus Etruſcæ ſignatus imagine Lunæ
Præſtabit pueris prandia mille tuis.

Plinius lib. XIIII cap. VI; ubi de generoſis agit vinis: *Etruriæ palmam Luna habet; Liguriæ Genua.* At lib. XI cap. XLII, de diverſitate caſeorum: *Duobus Alpeis generibus pabula ſua adprobant. Dalmaticæ Docleatem mittunt, Centronicæ Vatuſicum. Numeroſior Apennino. Cebanum hic è Liguriâ mittit; Aeſinatem ex Vmbriâ: miſtoque Etruriæ atque Liguriæ confinio Lunenſem magnitudine conſpicuum. quidpe & ad ſingula millia pondo premitur.* En, ut rem ipſam aptiſſimo verbo expreſſit, *miſto confinio*. hinc quidpe factum, quòd Mela ſuprà ſcripto loco Liguriæ tribuerit *Lunam*. Sed poſtquàm de ſitu *opidi* ac *portus Lunæ* ſatis ſuperque dictum, de origine nunc eius etiam pauca expediantur. Apud Servium, in commentariis ad Virgilii Aeneid. lib. X, ubi de primordio urbis Piſæ diſſerit, ita ſcriptum eſt: *Alii Piſum, Celtarum regem, fuiſſe Apollinis Hyperborei filium, & cum Samnitibus bellum geſſiſſe, a quorum reginâ, quæ poſt conjugis mortem imperio ſucceſſerat, receptum, in Etruria opidum ſuo nomine condidiſſe. Cato, Originum ...., qui Piſas tenuerunt ante adventum Etruſcorum, negat ſibi compertum: ſed inveniri, Tarchontem, Tyrrheno oriundum, Piſas condidiſſe; quum antè regionem eamdem Teutones quidam, Græcè loquentes, poſſederint. Alii, ubi modo Piſæ ſunt, Phocida opidum fuiſſe aiunt. quod nobis indicio eſt, à Peloponneſo originem id opidum trahere. Alii incolas eius opidi Teutas fuiſſe; & opidum Teutam nominatum: quod poſteà Piſas Lydi linguâ ſuâ Lunarem portum ſignificare dixerunt. quare huic urbi à portu Lunæ nomen impoſitum.* Hæc ſanè verba licèt primùm è variis diverſiſque hiſtoriis ſint collecta ab ipſo Servio; dein ab librariis mirum in modum vitiata, conturbata, ac mutilata; tamen iſta *Celtarum, Teutonum, Tentarumque* vocabula genus Ligurum, qui quondam ad Arnum uſque incoluerunt, apertè ac manifeſtè indicare, jam anteà lib. I cap. VII in Liguribus dixi. Conditas fuiſſe *Piſas* a Græcorum quibusdam, qui ab Ilio capto in hæc loca venerint, auctor eſt Strabo lib. V. Iam anteà à Liguribus conditum opidum Etruſcos occupaſſe; poſtmodùm verò hos expuliſſe prædictos Græcos; ex iis patet, quæ Cato in Originibus diligenter inquiſita adnotavit. Quòd ſi igitur Ligures Piſis nomen indiderunt à *portu Lunæ*; certè *Luna* opidum aliquot ſæculis antiquius fuerit Troiano bello. Strabo dicto lib. V: Ὁ δὲ λιμὴν μέγιστός τε ἐστὶ καὶ κάλλιστος, ἐν αὑτῷ περιέχων πλείους λιμένας, ἀγχιβαθεῖς πάντας, οἷον ἂν γένοιτο τὸ ὁρμητήριον θαλαττοκρατησάντων ἀνθρώπων, τοσαύτης μὲν θαλάττης, τοσοῦτον δὲ χρόνον. Id eſt: *Portus maximus juxtà eſt ac pulcherrimus, complureis intra ſe includens portus, omneis propè litus profundos. quale omnino conveniebat eſſe receptaculum hominum tanti maris tanto tempore dominium obtinentium.* Etruſcos intelligit. quos hæc loca cum reliqua Etruriâ poſteriori occupaſſe ante bellum Troianum, ſuperiori capite ex Dionyſio Halicarnaſſenſi oſtenſum eſt. Hinc ſolum *Populonium*, cuius ruinæ etiam nunc exſtant juxta Plumbinum opidum, in hoc litore inferi maris ab Etruſcis fuiſſe conditum, teſtantur Strabo ac Plinius; ut infrà in eius deſcriptione videbimus. Celebre hinc opidum fuit Romanorum frequentatione; quos inde claſſibus ſolvere ſolitos eſſe, ſuprà è Livio intelleximus. Quo tempore, quo fato, quave calamitate deſtructum poſteà fuerit, nuſquàm reperio. Lucanus tamen poëta, in rebus geſtis Cæſaris ac Pompeii, ita canit lib. I:

Hæc propter placuit Tuſcos de more vetuſto
Acciri vates. quorum qui maximus ævo
Arnus incoluit deſertæ mœnia Lunæ,
Fulminis edoctus motus: & quæ ſequuntur.

Et Stra-

Et Strabonis ævo, ut ſuprà intelleximus, *πόλις* erat *οὐ μεγάλη*, id eſt, *opidum non magnum*. Opidani inde dicuntur Iulio Obſequenti in libro de Prodigiis, ac Plinio lib. XXXVI cap. V, LVNENSES. & *Lunenſem caſeum* ex Plinii lib. XI cap. XLII paullo antè citavimus. Quando opidum & unde novum nomen acceperit, planè incertum eſt. nec vetuſtior eius reperitur memoria, quàm quæ in præſcriptâ Ptolemæi verſione Latinâ exſtat.

Eidem Ptolemæi verſioni memoratur VENERIS *portus*. qui ad eumdem ſinum Lunenſem dextro latere, ex adverſo portus Ericis, vulgò nunc adpellatur *Porto di Venere*, ſive *Porto Venere*. At huius antiquior memoria exſtat in antiquo itinerario maritimo: ubi ita ſcriptum: VENERIS *portus*.

A Piſis Lunæ, fluvius Macra,	XXX.
A Lunæ Segeſte poſitio,	XXX.
A portu Veneris portu Delphini,	XVIII.
A portu Delphini Genua portus,	XVIII.

Vitiatum eſſe iter atque mutilum, ſatis apertè ex eo liquet, quòd intervallum inter *Segeſtam* & *portum Veneris* nullum adpoſitum eſt: & quia nullus hoc litore inter Piſas & Genuam Veneris portus umquàm fuit, niſi qui in prædicto ſinu Lunenſi etiamnunc exſtat; transpoſita eſſe loca in eo itinere, certum eſt. Scriptum igitur ab ipſo auctore fuit haud dubiè hoc modo:

A Piſis Luna, fluvius Macra.	XXXVI.
A Luna portus Veneris.	V.
A portu Veneris Segeſta poſitio.	XXX.
A Segeſta portus Delphini.	XII.
A portu Delphini Genua portus.	XVIII.

Memoratur inde *portus Veneris* Aimoino Francicar. rer. lib. IIII cap. XC. *Iſaac*, inquit, *Iudæus, de Africâ cum elephanto regreſſus, portum Veneris intravit. &, quia propter niveis Alpeis transire non potuit, Vercellis hiemavit.*

De cætero quum totum hoc Liguſticum litus, adeóque omnis Alpium maritimarum tractus vario egregioque marmore ſcateat; præcipuæ eius lapicidinæ in eodem hoc fuêre olim ſinu ſeu portu Lunæ. Strabo eodem loco: Μέταλλα δὲ λίθου λευκοῦ τε καὶ ποικίλου γλαυκίζοντος τοσαῦτ' ἐστὶ καὶ τηλικαῦτα, μονολίθους ἐκδιδόντα πλάκας καὶ στήλας, ὥστε τὰ πλεῖστα τῶν ἐκπρεπῶν ἔργων τῶν ἐν τῇ Ῥώμῃ καὶ ταῖς ἄλλαις πόλεσιν ἐντεῦθεν ἔχειν τὴν χορηγίαν. καὶ γὰρ ἐξάγωγός ἐστιν ὁ λίθος, τῶν μετάλλων ὑπερκειμένων τῆς θαλάττης πλησίον· ἐκ δὲ τῆς θαλάττης διαδεχομένου τοῦ Τύβεριδος. Id eſt: *Cæduntur heic lapides albi & discolores, ad cæruleum vergente ſpecie, magno numero ac mole, ut etiam columnæ ac grandes tabulæ unico conſtent lapide. itaque pleraque egregiorum operum, quæ Romæ & aliis viſuntur in urbibus, materiam habent inde petitam. facilè enim lapis avehi poteſt, quum lapicidinæ mari è propinquo immineant; atque à mari Tiberis ſubvectionem excipiat.* Hinc Plinius lib. XXXVI cap. V: *Omnes tantùm candido marmore uſi ſunt è Paro inſulâ: quem lapidem cœpêre lychnitem adpellare; quoniam ad lucernas in cuniculis cæderetur; ut auctor eſt Varro: multis poſteà candidioribus repertis; nuper etiam in Lunenſium lapicidinis.* Et cap. VI: *Cornelius Nepos tradidit, Mamurram primum totis ædibus nullam niſi è marmore columnam habuiſſe; omneis ſolidas, è Caryſtio, aut Lunenſi.* Virgilii verſus in Aeneid. lib. VIII hi ſunt: Marmor Lunenſe; *quod &* Liguſticum.

Ipſe ſedens niveo candentis limine Phœbi,
Dona recognoſcit populorum, aptaque ſuperbis
Poſtibus.

Ad hos ita Servius: *Candentis limine Phœbi: In templo Apollinis in palatio, de ſolido marmore effecto, quod allatum fuerat de portu Lunæ, qui eſt in confinio Tuſciæ & Liguriæ. ideò ait candentis.* Statius Silvar. lib. IIII carm. II; quo epulum Domitiani celebratur:

——— *Aemulus illic*
Mons Libys Iliacusque nitent, & multa Syene
Et Chios, & glaucâ certantia Doride ſaxa,
Lunaque portandis tantum ſuffecta columnis.

Et carm. III; de ponte Domitiani in Vulturno amne:

Hæc amnis: pariterque ſe levarat
Ingenti plaga marmorata dorſo.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Huius janua proſperumque limen,
Arcus, belligeri ducis trophæis
Et totis Ligurum nitens metallis.

Item carm. IIII:

Anne metalliferæ repetit jam mœnia Lunæ,
Tyrrhenasque domos?

Silius lib. VIII:

Tunc, quos à niveis exegit Luna metallis,
Inſignis portu.

Huc & illud pertinet Iuvenalis Satyrâ III:

Nam ſi procubuit, qui ſaxa Liguſtica portat,
Axis, & everſum fudit ſuper agmina montem,
Quid ſupereſt de corporibus?

Ad eúmdem Lunæ portum Statius & *Tyrrhenas domos* poſuit, & *Ligurum metalla*, quæ Iuvenalis etiam *Liguſtica* adpellavit *ſaxa*; quia locus is in *miſto* erat, ut Plinius ſuprà dicto lib. XI cap. XLII ait, *Etruriæ atque Liguriæ confinio*.

Proximum hinc à *Sarzanâ* opidum memoratur Ptolemæo, LVCVS FERONIAE: quod putatur idem eſſe opidum, quod nunc dicitur vulgò *Pietra Santa*, XVIII millia

LVCVS FERONIAE, opidum. paſſuum ab *Sarzanâ* diſſitum. Sed haud temerè probaverim Ptolemæi huius nominis ſcriptionem, quæ diphthongum οι habet, Λοῦκος Φειρωνίας. quidpe quum alii præter hunc fuerint *Feroniæ luci*; alter in eâdem Etruriâ, apud Tiberim, in Latio & Appiâ viâ alter, prope Tarracinam: ab omnibus pariter auctoribus, Græcis juxtà ac Latinis ſcribitur per ſimplicem vocalem deæ vocabulum Φερωνία, *Feronia*. quamquàm Latini heic ε verterunt in η, quod Dionyſius Halicarnaſſenſis lib. III monet. Hinc Virgilius Aeneid. lib. VIII; de Latii Feroniâ:

Naſcenti cui treis animas Feronia mater
(Horrendum dictu) dederat.

Et Horatius Satyr. lib. I carm. V:

Ora manuſque tuâ lavimus Feronia lymphâ.

Apud Plininm lib. III cap. V ita ſcriptum eſt in deſcriptione Etruriæ: *Intus coloniæ; Faliſca, quæ cognominatur Etruſcorum; Lucus Feroniæ, Ruſellana, Senenſis, Sutrina.* Ex Balbi item libro citatur in libro de Limitibus *Lucoferonia*; barbarè à barbaris poſterioris ſæculi exſcriptoribus formato vocabulo; ut pleraque alia inibi coloniarum opidorumque nomina. Cæterò hoc ad Etruſcum litus intellexerintne Plinius Balbuſque opidum, an alterum illud apud Tiberim, nemo facilè divinaverit. quamquàm Ptolemæo diſertè hoc inter Lunam Piſaſque opidum vocatur Λοῦκος Φειρωνίας κολωνία· id eſt: *Lucus Feroniæ colonia*.

Porrò iter inter Lunam ac Piſas deſcribitur in Itinerariis huiuſmodi:

Tabulæ;		Antonino;	
Piſis		*Piſæ*	
Foſſis Papirianis	XV.	*Papiriana*	XI.
Ad taberna. frigida.	XII.	|	
Lunę	X.	*Lunę*	XII.

TABERNA FRIGIDA, locus. Locus iſte AD TABERNAM FRIGIDAM hodiéque vulgò adpellatur *Frigida*, apud oſtium fluvioli cognominis, qui ab Maſsâ opido defluit. & hinc ad opidum *Lérice* directo meatu X ſunt millia paſſuum.

AVENTIA flumen. A Tabernâ frigidâ IIII millia paſſuum verſùs Macræ os euntibus eſt amnis, à Carrariâ opido defluens, vulgari nunc vocabulo adcolis *Lavenza*, & cum articulo *La Lavenza*. ſed hoc imperitè; quum ab initio fuerit *L' Avenza*. eſt quidpe in Tabulâ itinerariâ, proximus à Macrâ, FL. AVENTIA. Innumeri huiuſmodi errores in omnibus hodiè non modò imperitum vulgus, ſed & docti viri in ſcriptis ſuis committunt: quorum ſuprà quoſdam diximus; plures verò infrà paſſim indicabimus.

VESIDIA fl. Proximè Aventiam, verſùs Piſas, in eâdem Tabulâ memoratur FL. VESIDIA. is hodiè vulgò adpellatur *Verſiglia*, juxta Petram ſanctam delapſus.

FOSSAE PAPIRIANAE, opidum. FOSSAE PAPIRIANAE, Φόσσαι Παπειριαναί, Ptolemæo inter mediterranea opida referuntur, ſuper Lunam & Lucum Feroniæ, XV millia paſſuum à litore, LX ampliùs à Piſis

Piſis remotæ. ſed ex Tabulæ itinerariæ intervallis, hinc ad Tabernam frigidam XII, illinc ad Piſas XV millium paſſuum, adparet, fuiſſe id opidum inter Lucum Feroniæ & Piſas. Prope litus fuiſſe, duobus argumentis colligo. primùm; quòd in hoc itinere, neque Tabulæ neque Antonino Lucus Feroniæ refertur. tum, quòd foſſæ non in altiſſimis montibus, ſed in locis planis atque paluſtribus aguntur: quales fuere, *Foſſa Druſiana* & *Foſſa Corbulonis* ad Rheni amnis oſtia, *Foſſa Mariana* ad Rhodani oſtia, *Foſſa Clodia* ad Padi oſtia. Eſt hodiè XIIII circiter millia paſſuum à Piſis vicus in litore vulgari adpellatione *Viareggio*, & paullo ſuprà hunc caſtellum vetuſtioris operis ſemidirutum. hoc ego ſimul ex eo intervallo ſimulque ex paluſtri ſitu *Foſſas* illas *Papirianas* eſſe omnino judico. Adpoſita fuiſſe eiusmodi foſſis opida, ſuprà lib. I cap. XVIII in Venetis, & cap. XXXV in Padi deſcriptione, docui. ubi etiam oſtenſum, quamvìs ſingulæ tantùm in ſingulis locis modò dictis ductæ fuerint foſſæ, tamen plerumque plurali numero unamquamque adpellatas fuiſſe. Hinc igitur etiam *Foſſæ Papirianæ* dicuntur Tabulæ ac Ptolemæo, quæ *Foſſa Papiriana* Antonino. Acta autem hæc haud dubiè fuit ad excipienda ſtagnantia vada, agrosque circumjectos ſiccandos; qui hodiéque eamdem faciem cuſtodiunt.

Eodem hoc tractu Ptolemæo memoratur Ἡρακλέους ἱερὸν, HERCVLIS FANVM; hoc ordine: Τούσκων παρὰ τὸ Τυῤῥηνικὸν πέλαγος, Λοῦνα, Σελήνης ἄκρον, Ἡρακλέους ἱερὸν, Ἄρνου ποταμοῦ ἐκβολαί. Id eſt: *Tuſcorum juxta Tuſcum mare, Luna, Lunæ promontorium, Herculis fanum, Arni amnis oſtium.* Situm autem ei tribuit inter Lucum Feroniæ & Piſas; ſed prope Lucum: medio ferè itinere inter hunc & Lucam. In ipſo litore non fuiſſe, ex ſuprà ſcriptis itinerariis colligo. Et quid heic dei templum in mediis paludibus? Altiorem ſicerioremque locum ei quæſitum fuiſſe, quemadmodùm & proximæ Feroniæ, haud dubito. Proinde eo loco fuiſſe cenſeo, ubi nunc, medio itinere inter Lucam & Petram ſanctam, viſitur vicus vulgari vocabulo *Mazarosa*. HERCVLIS FANVM, opidum.

ARNVS *fluvius* nomen etiamnunc retinet, vulgò *L' Arno* dictus; Florentiam Piſasque perfluens. Memoratur Straboni, Plinio, Tacito, Ptolemæo, Tabulæ itinerariæ, & aliis. Ptolemæi verba modò citavimus. Tacitus Annal. lib. I: *Auditæ municipiorum & coloniarum legationes; orantibus Florentinis, ne Clanis ſolito alveo demotus in amnem Arnum transferretur; idque ipſis perniciem adferret.* Confluebat autem olim apud Piſas AVSAR ſive AVSER *amnis*; qui, vulgari adpellatione *Serchio*, ſuo ſibi nunc ore VI millia paſſuum ab Arni oſtio in mare effunditur. Plinius lib. III cap. V: *Primum Etruriæ opidum Luna, portu nobile. colonia Luca, à mari recedens; porpiorque Piſa, inter amneis Auſerem & Arnum; orta à Pelope Piſisque, ſive Atintanis, Græcâ gente.* Rutilius Itinerarii lib. I: ARNVS amnis. AVSAR ſive AVSER fluvius.

Puppibus ergo meis fidâ in ſtatione locatis,
Ipſe vehor Piſas, quà ſolet ire pedes.
Alphêæ veterem contemplor originis urbem,
Quam cingunt geminis Arnus & Auſar aquis.
Conum pyramidis coëuntia flumina ducunt.
Intratur modico frons patefacta ſolo.
Sed proprium retinet communi in gurgite nomen;
Et pontum ſolus ſcilicet Arnus adit.
Ante diu, quàm Troiugenas fortuna penateis
Laurentinorum regibus inſereret,
Elide deductas ſuſcepit Etruria Piſas;
Nominis indicio teſtificata genus.

Strabo lib. V: Ἡ δὲ Πίσα κτίσμα ἐστὶ τῶν ἐν τῇ Πελοποννήσῳ Πισατῶν· οἳ μετὰ Νέστορος ἐπὶ Ἴλιον στρατεύσαντες, κατὰ τὸν ἀνάπλουν ἐπλανήθησαν, οἱ μὲν εἰς τὸ Μεταπόντιον, οἱ δὲ εἰς τὴν Πισᾶτιν, ἅπαντες Πύλιοι καλούμενοι. δυοῖν δὲ ποταμῶν κεῖται μεταξὺ, κατ' αὐτὴν τὴν συμβολὴν Ἄρνου τε καὶ Αὔσαρος· ὧν ὁ μὲν ἐκ Ἀρρητίου φέρεται πολὺς, οὐχὶ πᾶς, ἀλλὰ τριχῇ σχισθεὶς, ὁ δ' ἐκ τῶν Ἀπεννίνων ὀρῶν· συμπεσόντες δ' εἰς ἓν ῥεῖθρον, μετεωρίζουσιν ἀλλήλους ταῖς ἀντικοπαῖς ἐπὶ τοσοῦτον, ὥστε τοὺς ἐπὶ τῶν ἠϊόνων ἀμφοτέρων μηδ' ἕτερον ὑπὸ θατέρου καθορᾶσθαι· ὥστ' ἀνάγκη δυσανάπλωτα ἐκ θαλάττης εἶναι. στάδιοι δ' εἰσὶ τοῦ ἀνάπλου περὶ κ'. Μυθεύουσι δὲ, ὅτε πρῶτον ἐκ τῶν ὀρῶν κατεφέροντο οἱ ποταμοὶ οὗτοι, κωλυόμενοι ὑπὸ τῶν ἐπιχωρίων, μὴ συμπεσόντες εἰς ἓν κατακλύζοιεν τὴν χώραν, ὑποσχέσθαι μὴ κατακλύσειν· καὶ φυλάξαι τὴν πίστιν. Id eſt: *Piſa Piſa-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

norum Peloponnenſium eſt opus; qui quum ad Ilium cum Neſtore profecti fuiſſent, in reditu per mare oberrantes, alii ad Metapontum, ad Piſanum agrum alii delati fuerunt, omnes Pylii dicti. Sita eſt urbs inter duorum amnium Arni Auſarisque confluentes; quorum alter ab Aretio copioſior huc delabitur; ſed non omnis; verùm in treis ſciſſus alveos: alter ab montibus Apenninis defertur. ubi in unum confluunt; alter alterius violento incurſu adeò ſe invicem attollunt, ut, qui utrimque in ripis conſiſtant homines, alter alterum conſpicere nequeat. unde ſubvectionem à mari neceſſe eſt difficilem fieri. ea eſt ſtadiorum circiter XX. *Fabula narratur; quo tempore primùm amnes iſti fuerint è montibus delati, incolis obſiſtentibus, ne, in unum confluentes alveum, inundatione agros vaſtarent, pollicitos fuiſſe amneis, ſe eluvionem non facturos: ac fidem ſervaſſe.* Mira ſanè ac planè incredibilis res; in tantum undas fluviatilis alvei fuiſſe in ſublime elatas, uti ex ripis alter alterum conſpicere nequiverit. ipſe tamen Ariſtoteles quoque idem refert in libro Περὶ θαυμασίων ἀκουσμάτων· Θαῦμα δὲ, inquit, καὶ τοῦτο παρὰ τοῖς Λίγυσι· φασὶ γὰρ παρ' αὐτοῖς ποταμὸν εἶναι, οὗ τὸ ῥεῦμα αἴρεται μετέωρον, καὶ ῥεῖ, ὥστε τὸν ἐπὶ πέραν μὴ ὁρᾶσθαι. Id eſt: *Hoc quoque mirandum eſt apud Ligures. aiunt apud eos amnem eſſe, cuius flumen adeò in ſublime attollatur, uti, qui in alterâ ripâ conſiſtant, conſpici nequeant.* Hoc ſi Rutilii tempore verum; miror ſanè eum, accuratiſſimum alioquin rerum in itinere ſuo memorabilium notatorem, ſilentio tranſmiſiſſe. Cæterùm haud conſtat, quo tempore quave ratione novus ille Auſaris alveus ad mare factus; novumque ſimul nomen accepit, quo nunc vocatur *Serchio*. Memoria tamen antiqui nominis manet in amniculo, qui, ſpacio VIII fermè millium paſſuum medio tractu inter Serchium Arnumque per paluſtria loca in mare decurrens, vulgò nunc vocatur *O'ſari*. Antiquum vocabulum variè in variis auctorum exemplaribus ſcribitur. namque unius Plinii exemplaria alia habent *Auxerem*, alia *Auſerem*, quædam *Aeſerem*, & nonnulla *Aeſarem*. & in cunctis Strabonis exemplaribus legitur τοῦ Αἴσαρος. apud Rutilium verò *Auſur*. Fuiſſe in primâ ſyllabâ *Au* diphthongum, in ſecundâ verò vocalem *a*, hodiernum vocabulum *O'ſari* apertè indicat. Apud Strabonem facilè *υ* in *ι*, apud Rutilium *a* in *u*, librariorum incuriâ imperitiâque converti potuit. apud Plinium in ſecundâ ſyllabâ *ſ* in *x*, & *a* in *e* ex poſterioris ſæculi uſu mutatum videtur ab ex ſcriptoribus. quidpe Caſſiodori vulgata exemplaria ſic habent Variar. lib. V epiſt. XVII: *Ne quis in fluminibus navigeris, diverſis territoriis meantibus, id eſt, in Mincio, Ollio, Auxere, Arno, Tiberi, audeat fluminum alveos piſcandi ſtudio ſæpe concludere.* At epiſt. XX ita: *In Mincio, Ollio, Auſere, Tiberi, & Arno, fluminibus comperimus quosdam ſæpibus curſum fluminis incidiſſe.* Et apud Gregorium Magnum, Dialogor. lib. III cap. VIIII, hæc leguntur: *Sed neque hoc ſileam, quod narrante viro venerabili Venantio, Lunenſi epiſcopo, me ante biduum contigit agnoviſſe. Lucanæ namque eccleſiæ, ſibimet propinquæ, fuiſſe miræ virtutis, Frigidianum nomine, narravit epiſcopum: cuius hoc opinatiſſimum à cunctis illis habitantibus teſtatur memorari miraculum; quòd Auſeris fluvius, qui juxta illius urbis muros influebat, ſæpè, inundatione factâ, curſus ſui alveum egreſſus, per agros effundi conſueverat.* De cætero, quòd Strabo ait τὸν Ἄρνον φέρεσθαι μὲν ἐξ Ἀρρητίου πολὺν ἐπὶ τῆς Πίσης, οὐχὶ πάντα, ἀλλὰ τριχῇ σχισθέντα, id eſt, *delabi quidem Arnum ad Piſam copioſum; ſed non omnem; verùm in treis alveos diviſum*; id ſanè neſcio, an ſatis ſine librarii mendo; quum eius rei nullum hodiè exſtet veſtigium. quare etiam ſuſpicer, ſcripſiſſe ipſum Strabonem διχῇ σχισθεὶς, id eſt, *in duas parteis diviſus*. nam pars eius hodiéque apud Caſſinam opidum verſùs Ligurnum portum divergit.

Piſa colonia & municipium.

Ipſa hinc urbs PISA præter præfatos auctores, Strabonem, Plinium, ac Rutilium, memoratur etiam Lycophroni, Virgilio, Livio, Dionyſio Halicarnaſſenſi, Melæ, Lucano, Iuſtino, Servio, Antonino, Tabulæ itinerariæ, Claudiano, & nonnullis aliis. Nomen eius Latinis ferè auctoribus plurali numero, ut pleraque Etruſcorum opidorum, ac ſimplici s ſcribitur PISAE; ut & illius in Peloponneſo urbis, unde hæc originem habere exiſtimata eſt. Lucanus lib. II:

Hinc Tyrrhena vado frangentes æquora Piſæ.

Claudianus, de bello Gildonico:

—— *Nec Alphéæ capiunt navalia Piſæ.*

Rutilius, dicto Itinerarii lib. I:

Elide deductas ſuſcepit Etruria Piſas.

Virgi-

Virgilius Aeneid. lib. x:

Hos parêre jubent Alphêæ ab origine Piſæ.

Livius lib. xxxiii: *P. Porcius Lecca, prætor, Piſas ſortitus; ut ab tergo Liguribus eſſet.* Mox: *P. Porcio Leccæ ad Etruriam circa Piſas ducenti peditum & quinquaginta equitum ex Gallico exercitu decreti.* Lib. xxxiiii: *M. Cincius præfectus Piſis erat.* Lib. xxxv: *Piſas circumſedebant.* Et: *Ad Piſas duxit.* Lib. xli: *De provinciis deinde conſultus ſenatus, Piſas & Ligures provincias conſulibus decrevit. cui Piſæ provincia obveniſſet, quum magiſtratuum creandorum tempus eſſet, ad comitia reverti juſſit.* Mox: *Piſæ C. Cornelio, Ligures Petilio obvenerunt.* Iuſtinus lib. xx: *Sed & Piſæ in Liguribus Græcos auctores habent.* Cicero, ad Quinctum fratrem lib. ii epiſt. vi: *Vt aut Labrone aut Piſis conſcenderet.* At Græcis auctoribus ſingulari refertur numero Πίσα, vel geminato ſæpius σσ, Πίσσα. Strabo dicto lib. v: Ἡ δὲ Πίσα κτίσμα ἐστὶ τῶν ἐν τῇ Πελοποννήσῳ Πισατῶν. Id eſt: *Piſa Piſanorum in Peloponneſo eſt opus.* Dionyſius Halicarnaſſenſis lib. i: Ἄγυλλα, καὶ Πίσα, καὶ Σατορνία, καὶ Ἄλσιον, καὶ ἄλλαι τινὲς, ἃς ἀνὰ χρόνον ὑπὸ Τυῤῥηνῶν ἀφῃρέθησαν. Id eſt: *Agylla, Piſa, Saturnia, Alſium, & quædam aliæ opida, quæ poſtmodum Etruſci occuparunt.* Stephani epitomator: Πίσα, πόλις καὶ κρήνη τῆς Ὀλυμπίας. Hoc eſt: *Piſa, opidum & fons eſt Olympiæ.* In Peloponneſo ſcilicet. Euſtathius in commentariis ad Dionyſium Περιηγητὴν· Ὁ δὲ Ἀλφειὸς ποταμὸς εἰς τὴν Πισάτιν [lege Πισᾶτιν] καταφέρεται γῆν, ἤτοι εἰς τὴν ὑμνουμένην Πίσαν· ἥτις δι᾽ ἑνὸς γράφεται σίγμα, καὶ ἀπὸ κρήνης ἔχει Πίσης τὸ ὄνομα. Id eſt: *Alphêus amnis in Piſanum defertur agrum, ſive ad decantatam illam Piſam. quæ unico ſcribitur ſ; atque nomen Piſæ habet.* Scilicet, quia à verbi πίω futuro πίσω deductum videbatur. qua de re ipſe Euſtathius in commentariis ad Homeri Vlyſſeæ lib. xx: Φασὶ γὰρ, πίω, πίσω, πῖσος. ἐξ αὐτοῦ δὲ καὶ Πίσα πόλις καὶ Πίσα πηγή· ὡς ἂν εἴποι τις πότιστρα. Id eſt: *Dicunt enim πίω, πίσω, πῖσος.* [hoc eſt: *poto, potabo, pratum,* ſive *locus humectus & irriguus, qui potum præbere queat.*] *Hinc etiam & Piſa urbs & Piſa fons dictus eſt. ac ſi dicas canalem, in quo adaquantur pecora.* Et Strabo lib. viii: Τοὔνομα δὲ τῆς Πισάτιδος ἐτυμολογοῦσίν τινες ἀπὸ Πίσης ὁμωνύμου τῇ κρήνῃ πόλεως· τὴν δὲ κρήνην Πίσαν εἰρῆσθαι οἷον πίστραν, ὅπερ ἐστὶ πότιστραν. Id eſt: *Piſatidis regionis nomen quidam deducunt à Piſa urbe, quæ commune hoc nomen habet cum fonte. hunc verò quaſi πίστραν, id eſt ποτίστραν,* [quod ſignificat *potum præbentem*] *dictum volunt.* At quia tamen in hac voce ι eſt longum; unde etiam Homeri exemplaria dicto lib. xx alia πίσεα habent, alia Πείσεα, & ita apud Strabonem dicto lib. v quædam Πισσάτιν pro Πισάτιν· geminarunt heic, ſive ipſi quidam auctores ſive exſcriptores eorum, τὸ σίγμα. unde ita legitur apud Lycophronem:

——— Ἐκ δ᾽ Ἁλμωνίας
Πάλιν πλανήτην δέξεται Τυρσηνία
Λυγκεύς τε θερμὸν ῥεῖθρον ἐκβράσσων ποτῶν,
Καὶ Πίσσ᾽ Ἀγύλλης θ᾽ αἱ πολύῤῥηνοι νάπαι.

Id eſt: ——— *Ex Haimoniâ*
Rurſus erronem excipiet Tyrſenia
Lynceusque calidum ejiciens laticum flumen,
Et Piſſa, ſaltusque Agyllæ pecoroſi.

Ad hæc ita Iſacius Tzetza: Πίσσα καὶ Ἄγυλλα πόλεις Τυρσηνίας. id eſt: *Piſſa & Agylla opida Tyrſeniæ.* Hinc apud Polybium lib. ii & iii modò ſingulari numero legitur Πίσση, modò plurali Πίσσαι. quorum hoc etiam apud Ptolemæum eſt in Italiâ ſimul & Peloponneſo: ut & in Antonini ſupra ſcripto itinere *Piſſæ.* apud utrumque tamen in quibuſdam exemplaribus ſimplici literâ Πίσαι, *Piſæ.* In Plinii equidem pleriſque exemplaribus, dicto lib. iii cap. v, eſt ſingulari numero *Piſa,* hoc modo: *Colonia Luca, à mari recedens; propiorque Piſa, inter amneis Auſerem & Arnum; orta à Pelope Piſiſque.* At quædam eius exemplaria ſic referunt: *Colonia Luca, à mari recedens; propiorque Piſæ, inter amneis Auſarem & Arnum; ortæ à Pelope Piſiſque.* Et hanc germanam Plinii ſcriptionem eſſe puto. quidpe lib. xiiii cap. iii, *Phariâ,* inquit, *vite gaudent Piſæ; Mutina Pruſiniâ.* & lib. xviii cap. viiii, de ſiligine: *Præcellit in Italiâ; ſi Campana Piſis natæ miſceatur.* Iſtud igitur *propior* ad vocem præcedentem *colonia* referendum eſt. fuiſſe enim coloniam, mox infrà videbimus. Ac de nomine quidem ſatis. Ipſius urbis originem quod attinet, à Piſis, Elidis in Peloponneſo urbe, eam deducunt Strabo, Plinius, Rutiliusque. quibus adſentiuntur

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

tiuntur Virgilius quoque & Claudianus. quidpe quum Peloponneſi Piſas præflu-xerit Alphéus amnis; *Alphéas* inde illi cognominarunt *Piſas* Italicas. Plinius, præ-ſcripto loco, *à Pelope Piſiſque ortas* tradit. quod ita apud breviatorem eius Solinum cap. VIII in plerisque exemplaribus legitur: *Quis ignorat, vel dicta vel condita, à Iano Ianiculum, à Saturniâ Latium atque Saturniam, à Danaë Ardeam, ab Hercule in Campaniâ Pompeios, Archippen à Marſyâ, rege Lydorum: ab Iaſone templum Iunonis Ar-givæ, à Pelope Piſas*. Ergo ipſe *Pelops*, qui L ampliùs annis ante Troiæ excidium diem in Peloponneſo obiiſſe, filiisque Atreo ac Thyeſti regnum reliquiſſe fertur, coloniam huc ex Elide deduxit? Haud opinor. negat enim hoc Strabo: nec id vult Plinius: qui *ortam à Pelope* tradit urbem; non *conditam*. Quocircà longè pro-bior eſt lectio, quam doctiſſimus Mart. Anton. Del Rio in commentariis ad So-linum ex veteri exemplari produxit; *à Pelopidis Piſas*. Qui autem hi fuerint *Pelo-pidæ*, docet Servius ad Virgilii Aeneidos prædictum lib. X, his verbis: *Alphéus flu-vius eſt inter Piſas & Elidem, civitates Achaiæ; ubi eſt templum Iovis Olympii. ex qui-bus locis venerunt, qui Piſas in Italiâ condiderunt, adpellatas à civitate priſtinâ. unde nunc addidit, Vrbs Etruſca ſolo: quum præmiſiſſet, Alphéæ ab origine Piſæ. Sanè Piſas antiquitus conditas* [aiunt] *à* [*Piſanis, è*] *Peloponneſo profectis: vel* [fortè, *videlicet*] *ab his, qui cum Pelope in Elidem venerunt*. Ergo *Pelopidæ* adpellabantur, qui cum Pelope, Tantali, regis Phrygiæ, filio, in Peloponneſum venerunt; quemadmo-dùm, qui cum Antenore à Troiâ captâ in Venetiam venerunt, *Antenoridæ* ex ipſius nomine dicti ſunt; teſte eodem Servio ad Aeneid. lib. I. Hi igitur *Pelopi-dæ* ἐκ τῆς Πελοποννήσου, ut inquit dicto lib. V Strabo, μετὰ Νέστορος ἐπὶ Ἴλιον στρατεύσαντες, κατὰ τὸν ἀνάπλουν ἐπλανήθησαν, οἱ μὲν εἰς τὸ Μεταπόντιον, οἱ δ᾽ εἰς τὴν Πισᾶτιν, ἅπαντες Πύλιοι κα-λούμενοι· id eſt; *quum è Peloponneſo in Troianam expeditionem profecti fuiſſent, in redi-tu per mare oberrantes, ad Metapontum alii, alii in Piſanum agrum delati fuerunt*. At-que hæc quidem receptior fuit de origine huius urbis opinio. alii tamen auctores aliter ſenſerunt. unde apud Plinium dicto loco, in vulgatis nunc exemplaribus, *Piſæ ortæ à Pelope Piſis, ſive Atintanis, Græcâ gente*. Verùm hæc κρίσις eſt noſtri ſæculi hominum; quum in plerisque vetuſtis exemplaribus ſcriptum ſit, ſive *à Tenu-canis*: & in quibusdam, *à Tentanis*. Quænam autem hæc Græca gens fuerit ſive *Tantani* ſeu *Tenucani*, minimè agnoverim, niſi lumen præferret prædictus Servius: qui præſcriptis ad Aeneid. lib. X verbis hæc continuò ſubnectit: *Alii Piſum, Cel-tarum regem, fuiſſe Apollinis Hyperborei filium, & cum Samnitibus* [ſuſpecta ſanè vox. an *Liguribus?*] *bellum geſſiſſe: à quorum reginâ, quæ poſt conjugis mortem imperio ſuc-ceſſerat, receptum, in Etruriâ opidum* [de] *ſuo nomine condidiſſe*. *Cato Originum* [*libro* .....] *qui Piſas tenuerunt ante adventum Etruſcorum, negat ſibi compertum. ſed inve-niri, Tarchontem, Tyrrheno oriundum. poſtquàm eorumdem ſermonem cepèrit* [corruptæ profectò voces. an, *regionem occupaverit?*] *Piſas condidiſſe: quum ante regionem eamdem Teutones quidam, Græcè loquentes, poſſederint. Alii, ubi modò Piſæ ſunt, Pho-cida opidum fuiſſe aiunt. quod nobis indicio eſt, è Peloponneſo originem id opidum tra-here. Alii incolas eius opidi Teutas fuiſſe; & ipſum opidum Teutam nominatum: quòd poſteà Piſas Lydi linguâ ſuâ Lunarem portum ſignificare dixerunt. Quare huic urbi à portu Lunæ nomen impoſitum. Alii ab Epéo, Troiani equi fabricatore, conditam tradunt; qui cum aliis Græcis in hanc regionem rejectus eſt. ubi poſtquàm Troianæ capti-væ, metu dominarum, ad quas deducebantur, naveis incenderunt, deſperatione reditus remanſit; urbemque condidit; & ab eâ, quæ eſt in Peloponneſo, cognominavit*. En, ut varia apud varios auctores ac dubia fuit *Piſarum* origo. Epéum hunc Phocenſium coloniam in Italiâ *Lagariam*, inter Thurios & Metapontum condidiſſe, auctor eſt Strabo lib. VI. An verò Plinius ſcripſerit, *à Pelope Piſiſque, ſive à Teutanis, Græcâ gente?* Quamquàm ego, nomina iſta *Celtarum*, *Teutonum*, *Teutarum*, non Græcam aliquam, ſed Liguſticam gentem indicare, ſuprà lib. I cap. VII oſtendi. Ergo primi Piſarum conditores fuerint jam inde multis ante bellum Troianum annis Ligures, Celtica gens; quocumque tandem nomine urbem ipſi adpella-verint. Hinc Lycophron, de Tuſcis loquens:

Αὖθις δὲ κίρκοι, Τμῶλον ἐκλελοιπότες,
Ἄγυλλαν Αὐσονῖτιν εἰσεκώμασαν,
Δῆριν Λιγυστίνοισι

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Λύγκες ἐν ἰταλίῃ [illegible] ·
Εἷλον δὲ Πίσαν, καὶ [illegible]
Πᾶσαν κατεργάσαντο, τὴν Ὀμβρικῶν πέλας.

Hoc eſt:

Deinde accipitres, Tmolo relicto,
In Agyllam Italicam inruerunt;
Grave cum Liguſtinis
Belli conflictu miſcentes certamen:
Ceperuntque Piſam; & captivam terram
Subegerunt omnem Vmbris conterminam.

Pelaſgos eam poſtmodùm habuiſſe, disertè teſtatur lib. I Dionyſius Halicarnaſſenſis, his verbis: Καὶ πόλεις πολλαὶ, τὰς μὲν οἰκουμένας πρότερον ὑπὸ τῶν Σικελῶν, τὰς δ' αὐτοὶ κατασκευάσαντες, ᾤκουν οἱ Πελασγοὶ κοινῇ μετὰ τῶν Ἀβοριγίνων· ὧν ἐστιν ἥ τε Καιρητανῶν πόλις, Ἄγυλλα δὲ τότε καλουμένη, καὶ Πίσα, καὶ Σατουρνία, καὶ Ἄλσιον, καὶ ἄλλαι τινές· ἃς ἀνὰ χρόνον ὑπὸ Τυρρηνῶν ἀφῃρέθησαν. Id eſt: *Multaque opida, partim ante ab Siculis habitata, partim à ſe condita, indiviſa tenuerunt gentes ſociæ Pelaſgi & Aborigines: ex quibus ſunt Cære, dictum tunc Agylla; Piſa, Saturnia, Alſium, & quædam alia. quæ pòſt ab Etruſcis occupata ſunt.* Hinc factum puto, uti quidam primos etiam Piſarum conditores *Teutones* ſive *Teutanos* Græcam gentem exiſtimaverint; duas diverſas genteis, diverſis incolenteis urbem temporibus, in unam confundentes. Et quum fortè Etruſci, ut quidam tradidêre ſcriptores, ſuâ lingvâ eam adpellaſſent *Piſas*: nonnulli à Peloponnenſibus Piſis ortam, ex nomine colligerunt; plerique equidem poſt Troiæ excidium; alii tamen etiam ante Troianum bellum. unde illud Rutilii lib. I:

Ante diu, quàm Troiugenas fortuna penates
Laurentinorum regibus insereret,
Elide deductas ſuscepit Etruria Piſas;
Nominis indicio teſtificante genus.

Iam igitur aliquot ſæculis ante Troianum bellum urbs hæc condita fuit. Quamquàm contra Dionyſii ſententiam Liguribus eam adſcribant etiam poſt Pelaſgos ſuprà memoratis locis Ariſtoteles, Trogus Pompeius, ac Strabo. huius verba lib. v hæc ſunt: Δοκεῖ δ' ἡ πόλις εὐτυχῆσαί ποτε· καὶ νῦν οὐκ ἀδοξεῖ, διά τε εὐκαρπίαν καὶ τὰ λιθουργεῖα, καὶ τὴν ὕλην τὴν ναυπηγήσιμον, ᾗ τὸ μὲν παλαιὸν ἐχρῶντο πρὸς τοὺς κατὰ θάλατταν κινδύνους. καὶ γὰρ μαχιμώτεροι Τυρρηνῶν ὑπῆρξαν, καὶ παρώξυνον αὐτοὺς οἱ Λίγυες, πονηροὶ γείτοσι [forte meliùs γείτονες] περὶ πλευρὰν ὄντες. Id eſt: *Videtur urbs ea quondam floruiſſe. ac ne nunc quidem ignobilis eſt; ob fertilitatem, lapicidinas, & materiam navalem, qua olim uſi ſunt ad maritimas expeditiones. nam Ligures Etruſcis erant bellicoſiores: ac malos ſe vicinos præbebant, à latere adcolentes.* Cum Dionyſio tamen ii conſenſerunt auctores, qui urbi, ut refert loco præſcripto Servius, Etruſcos nomen *Piſarum*, *lunarem portum* ſignificans, *à Lunæ portu* indidiſſe tradiderunt. Poſterioribus temporibus *colonia Latina* à Romanis huc deducta eſt. Livius lib. XL: *Piſanis agrum pollicentibus, quò Latina colonia deduceretur, gratiæ ab ſenatu actæ. Triumviri creati ad eam rem, Q. Fabius Buteo, M. & P. Popilii Lenates.* Factum hoc A. Poſthumio Albino atque C. Calpurnio Piſone conſulibus; anno urbis Romæ IↃLXXII; ante natum Ieſum CLXXXI. Hinc Ptolemæus: Πίσαι κολωνία· *Piſæ colonia.* Et Plinius dicto lib. III cap. v: *Colonia Luca, à mari recedens; propiorque Piſæ.* Denique *municipium* quoque fuiſſe, teſtis eſt Pompeius Feſtus his verbis: *Tertio modo municipium id genus hominum definitur, qui ad civitatem Romanam ita venerunt, uti municipia eſſent ſuæ cuiusque civitatis & coloniæ* [lege, *uti municipes eſſent ſuæ quisque civitatis & coloniæ;*] *ut, Tiburtes, Præneſtini, Piſani, Arpinates, Nolani.*

Cæterùm tria millia paſſuum à Piſis, quà Lucam itur, PISANORVM conſpiciuntur AQVAE CALIDAE, Plinio memoratæ. Lib. II cap. CIII, *Patavinorum*, inquit, *aquis calidis herbæ virentes innaſcuntur, Piſanorum ranæ.* AQVAE PISANAE.

Mare autem, quod inter Populonium promontorium, ſive Plumbinum opidum & Lunæ promontorium Arnum amnem curvo litore recipit, PISANVS adpellatur SINVS Tacito Hiſtoriar. lib. III. *Fabius*, inquit, *Valens è ſinu Piſano Portum Herculis Monœci depellitur.* SINVS PISANVS.

Ad ipſum Arni oſtium PISANVS fuit PORTVS, Claudino, Rutilio, Itinerario maritimo; PISANVS *portus, cum* TRITVRRITA *villâ.*

maritimo, Paullo Diacono, atque Aimoino memoratus; Rutilio etiam EMPORIVM PISARVM dictus. juxta quem in ipſo ſalo fuit TVRRITA ſive TRITVRRITA VILLA, eidem Rutilio ac Tabulæ itinerariæ memorata. Itineraria ſic habent:

Tabulæ;		Itinerarium Maritimum;		Antonini;	
Vadis Volateris		*A Vadis Portu Piſano,*	XVIII.	*Vadis Volaterris*	
Velinis	X.	*A Portu Piſano Piſis, fluvius*	VIII.	Ad Herculem	XVII.
Ad Fines	XIII.				
Piſcinas	VIII.				
Turrita	XVI.			*Piſæ*	XIII.
Piſis	VIII.				

Paullus Diaconus Langobard. rer. lib. VI cap. LXI: *Adelgiſus, Deſiderii filius, in portu Piſano navale iter arripiens, Conſtantinopolim migravit.* Aimoinus Francicar. rer. lib. IIII cap. XC: *Imperator Carolus de Spoleto Ravennam venit; & aliquot dies ibi moratus, Papiam perrexit. ibi nunciatur ei, legatos Aaron, regis Perſarum, portum Piſanum intraſſe.* Rutilius Itinerarii ſui lib. I:

In Volaterranum vero Vada nomine tractum
Ingreſſus, dubii tramitis alta lego.

* · * · *

Lutea protulerat ſudos aurora jugaleis:
Antennas tendi litoris unda jubet.
Inconcuſſa vehit tranquillus apluſtria flatus;
Mollia ſecuro vela rudente tremunt.
Adſurgit ponti medio circumflua Gorgon
Inter Piſanum Cyrnaicumque latus.

* · * · *

Inde Triturritam petimus. ſic villa vocatur,
Quæ latet expulſis inſula penè fretis.
Namque manu junctis procedit in æquora ſaxis.
Quique domum poſuit, condidit antè ſolum.
Contiguum ſtupui portum; quem fama frequentat
Piſarum emporio, divitiisque maris.
Mira loci facies: pelago pulſatur aperto;
Inque omneis ventos litora nuda patent.
Nam nullus tegitur per brachia tuta receſſus,
Aeolias poſſit qui prohibere minas.
Sed procera ſuo prætexitur alga profundo,
Molliter offenſæ non nocitura rati.
Et tamen inſanas cedendo interrigat undas:
Nec ſinit ex alto grande volumen agi.
Tempora navigii clarus reparaverat Eurus:
Sed mihi Protadium viſere cura fuit.
Puppibus ergo meis fidâ in ſtatione locatis.
Ipſe vehor Piſas, quà ſolet ire pedes.
Præbet equos, offert etiam carpenta, tribunus,
Ex commilitio carus & ipſe mihi.

* · * · * · *

Iamque Triturritam Piſæâ ex urbe reverſus
Aptabam nitido pendula vela noto;
Quum ſubitis tectus nimbis inſorduit æther;
Sparſerunt radios nubila rupta vagos.
Subſtitimus. quis enim ſub tempeſtate malignâ
Inſanituris audeat ire fretis?

Et mox lib. II:

Tandem nimboſâ maris obſidione ſolutis,
Piſano portu contigit alta ſequi.

Claudianus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Claudianus de bello Gildonico; ubi exercitus ab Honorio contra Gildonem in Africam mittitur:

Hæc ubi ſederunt genero; notiſſima Marti
Robora, præcipuos electâ pube maniplos,
Diſponit; portu rateis inſtaurat Etruſco.

Aliquanto pòſt:

Vt fluctus tetigêre maris; tunc acrior urſit
Impetus. adripiunt naveis; ipſique rudenteis
Expediunt, & vela legunt, & cornua ſummis
Adſociant malis. quatitur Tyrrhena tumultu
Ora: nec Alphéæ capiunt navalia Piſæ.
* . ——— *Iam claſſis in altum*
Provehitur. dextrâ Ligures, Etruria lævâ
Linquitur, & cæcis vitatur Corſica ſaxis.

Ex hactenus citatis clarè adparet, juxta Arni oſtium fuiſſe *Emporium* ſeu *portum Piſanorum*, lævo amne, apud vicum, qui vulgò dicitur *Capanone* contiguamque illi fuiſſe *Triturritam villam*, in peninſulâ manibus ſtructâ, apertè teſtatur Rutilius. Errant vehementer illi, qui portum hunc unà cum villâ interpretantur eum portum, qui vulgò nunc vocatur *Livorno*. quidpe Rutilius diſertè teſtatur, à *Gorgone* demum inſulâ, quæ nomen id hodiéque ſervat, ad Triturritam ſe adpuliſſe; id eſt, poſtquàm à Vadis Volaterranis, quæ & ipſa etiam nunc adpellantur *Vada*, Gorgonem præternavigaverat. Et quid illi à Piſis ad Liburnum portum per XV millia paſſuum retrogredi opus fuiſſet; quum cymbam inde in Arni oſtium, quod hodiéque triremium aliorumque navigiorum eſt capax, accire potuiſſet? parvâ enim cymbâ, non maiori aliquo navigio, ſe vectum, ipſe teſtatur anteà his verbis:

Progredimur parvis per litora cymbis;
Quarum perfugio crebra pateret humus.
Aeſtivos penetrent oneraria carbaſa fluctus:
Tutior autumnus mobilitate fugæ.

Quin Claudianus quoque ubi *portum Etruſcum* antè nominavit; poſteà ait, *Alphéas Piſas non capere navalia.* quod ſanè de portu Liburno, longiùs disſito, intelligi minimè poteſt; ſed de ipſâ urbe Piſis, Arnoque flumine ac portu juxtà ſito. Nec in Ligurnum portum, ſed in urbem Piſas maximè quadrant hi Rutilii verſus:

Mira loci facies: pelago pulſatur aperto;
Inque omneis ventos litora nuda patent.
Nam nullus tegitur per brachia tuta receſſus,
Aeolias qui poſſit prohibere minas.

Huc jam adde VIII millia paſſuum, quæ Tabula itineraria & Itinerarium maritimum inter Portum Piſanum ſeu Turritam villam & Piſas referunt. quidpe in Tabulâ quum eo intervallo nullus numerus exſtet; ſuper Piſas autem & Foſſas Papirianas VIII millium ſupervacuus ſit: illuc eum transferendum, certum eſt; adſtipulante inſuper dicto Itinerario maritimo. in quo tamen inter Vada & Portum Piſanum M. P. XXIII ſcripta fuêre: quæ corrupta poſtmodùm in XVIII. Verùm *Portum Piſanum* fuiſſe prope ipſas Piſas, id eſt, apud Arni oſtium, ex Polybii etiam & Ciceronis diſertiſſimis patet verbis. Cicero ad Quinctum fratrem lib. II epiſt. VI: *Lucceium convenire non potueram; quòd abfuerat. Videre autem volebam, quòd eram poſtridiè Româ exiturus; & quòd ille in Sardiniam iter habebat. Hominem convêni; & ab eo petivi, ut quàm primùm te nobis redderet. Statim, dixit. Erat autem iturus, ut aiebat, ad III Id. Apr. ut aut Labrone aut Piſis conſcenderet.* Polybius lib. II: Ἐκ Σαρδόνος μετὰ τῶν στρατοπέδων Γάϊος Ἀτίλιος ὕπατος εἰς Πίσας καταπεπλευκώς, προῆγε μετὰ τῆς δυνάμεως εἰς Ῥώμην. Id eſt: *C. Atilius conſul è Sardiniâ cum legionibus Piſas adpulſus, Romam verſùs exercitum ducebat.*

Reliquos eiusdem itineris in Tabulâ numeros omneis pariter eſſe corruptos, nemo dubitet; quando inter Piſas & Vada Volaterrana, per Liburnum meante curſu, XXXII tantùm ſunt millia paſſuum. PISCINAS iſtas fuiſſe puto apud lacum inter Liburnum & Piſas, vulgò *Lo Stagno* dictum. unde VI ſunt millia ad locum ſuprà dicti portus Piſani villæque Turritæ: qui numerus corruptus eſt in XVI. PISCINAE Piſanæ.

At

Hercvlis Labronis ſive Libvrni portus.

At locus ille in Antonini itinerario Ad Hercvlem, ex intervallo xvii millium, quæ à Vadis Volaterranis eò numerantur, deprehenditur eſſe ipſe portus, qui vulgò nunc dicitur *Livorno*, & *Ligorno*. Apud Zoſimum Hiſtoriar. lib. v ita ſcriptum eſt: Ἐπεμελεῖτο δὲ καὶ τοῦ ναυτικοῦ· πλοῖα γὰρ ἦν αὐτῷ πρὸς ναυμαχίαν ἀρκοῦντα. Λιβυρνὰ ταῦτα καλούμενα ἀπό τινος πόλεως ἐν Ἰταλίᾳ κειμένης ὀνομαθέντα, καθ' ἣν ἐξ ἀρχῆς τούτων τῶν πλοίων τὸ εἶδος ἐναυπηγήθη. Id eſt: *Claſſem quoque non negligebat. quidpe navium habebat numerum, qui committendo navali prælio ſufficeret. Eas Liburnas vocant, ab opido quodam in Italiâ ſito ſic nominatas; ubi ad eam formam naves initiò fabricatæ fuerunt.* Aliter ſanè hac de re vetuſtior Zoſimo ſcriptor Appianus teſtatur in Illyricis: Καὶ ναυτικοὶ μετὰ ἐπὶ τοῖς Ἀρδιαίοις ἐγένοντο Λιβυρνοί, οἱ τὸν Ἰόνιον καὶ τὰς νήσους ἐλῄστευον ναυσὶν ὠκείαις τε καὶ κούφαις· ὅθεν ἔτι νῦν Ῥωμαῖοι τὰ κοῦφα καὶ ὀξέα δίκροτα Λιβυρνίδας προσαγορεύουσιν. Hoc eſt: *Poſt Ardiæos Liburni navibus plurimùm inſignes fuiſſe memorantur: qui Ionium ſinum inſulasque deprædabantur navibus citis levitateque præcipuis. unde Romani etiamnum naveis levitate celeritateque præſtanteis Liburnicas adpellant.* Verùm ex Zoſimo tamen patet, jam tum eius ævo *opidum* hoc Etruriæ atque *portum* vocatum fuiſſe Libvrnvm. An verò dictum ſit Fanvm & Portvs Hercvlis Libvrni, haud facilè divinaverim. Minimè tamen dubito, quin idem hic portus ſit, qui Ciceroni, loco proximè citato, Labro dicitur. quod antiquiſſimum eius nomen poſteà in *Liburnum* detortum. Ac fortè fuit initio Portvs Hercvlis Labronis.

Ad Fineis, locus.

Cæterò locum illum Tabulæ Ad Fineis puto in eo promontorio fuiſſe, in quo ſpecula nunc conſpicitur vulgari adpellatione *Torre di Saracone*. quum enim vocabulum *Velinis* cum x millium numero, quæ Finibus & Vadis interponuntur, nullo modo heic ſubſiſtere queant; quod pluribus infrà ad Vetuloniorum urbis expoſitionem docebo: rectè ac probè ſequens numerus xiii millium ſpacio inter Vada & prædictam ſpeculam congruit. à ſpeculâ porrò etiam ad præſcriptum ſtagnum ſive *Piſcinas* rectè numerantur viii millia.

Vada Volaterrana, opidum.

Ipſa Vada Volaterrana hodiéque, ut antè dixi, adpellantur vulgò *Vada*, & *Vadi*. Antiquiſſima horum memoria eſt apud Ciceronem in oratione pro P. Quinctio; ubi hæc leguntur verba: *Quum veniſſent ad Vada Volaterrana, quæ nominantur.* Quid fuerint *vada*, ſuprà lib. i cap. viiii in Liguriæ deſcriptione ad *Vada Sabatia* dictum eſt. Græci ſcilicet adpellabant τὰ τενάγη. quæ Apollonii Scholiaſtes in lib. iiii interpretatur γῆν ἐπιπόλαιον ὕδωρ ἔχουσαν, ἢ πηλῶδες ὕδωρ· id eſt; *terram, quæ aquam ſuperficiariam minúsque altam ſive cænoſam habet.* & Heſychius in Lexico, Τεναγώδεσι τόποις, inquit, ἔνθα ὀλίγον ὕδωρ· id eſt; *vadoſis locis, ubi parum eſt aquæ.* Svida verò, Τενάγη, inquit, διάβροχοι καὶ κάθυδροι τόποι, πηλώδη πελάγη· ἢ ἰλὺς ἐπιπολάζοντος ὕδατος οὐ πολλοῦ, καὶ βοτάνης ἐπιφαινομένης τῷ ὕδατι. hoc eſt: *Vada ſunt irrigua & humida loca; ſive cænoſa maria: vel cænum, cui non multa aqua ſupernatat; & herba ſuper aquam adparet.* Hinc de Sabatiis vadis ita Brutus apud Ciceronem Familiar. lib. xi epiſt. x: *Huc adceſſit manus Ventidii: quæ trans Apenninum, itinere facto difficillimo, ad Vada pervênit.* Et epiſt. xiii: *Antonius conſtitit nusquàm prius, quàm ad Vada venit. quem locum volo tibi eſſe notum. jacet inter Apenninum & Alpeis; impeditiſſimus ad iter faciendum.* Et Lucanus lib. i, de eodem loco:

Quáque jacet litus dubium, quod terra fretumque
Vindicat alternis vicibus, quum funditur ingens
Oceanus: vel, quum refugis ſe fluctibus aufert.

Svida præſcripto loco ita pergit: Πολύβιος· Κατὰ τὴν εἰς θάλατταν ἐκβολὴν τοῦ Βουκάρα ποταμοῦ, συνθεωρήσας κατά τινας ἀνέμων στάσεις ἀποθινούμενον τὸ στόμα, καὶ τεναγώδη γινομένην τὴν παρὰ τὸ στόμα πάροδον, τηρήσας τὸ προειρημένον σύμπτωμα, διεβίβασε τὴν στρατιάν· τὰ δὲ δὴ πλείω τῶν πλοίων, μετέωρα διὰ τὰ τενάγη ἀπεσάλευε. Id eſt: *Polybius; In Bucaræ fluminis oſtio quum animadvertiſſet, certis ac ſtatis temporibus, quibus quidam venti ſpirabant, oſtium ripeſcere, tranſitumque juxta id vadoſum fieri; obſervatâ eâ opportunitate, trajecit exercitum. pleræque verò naves in vadis ſeu locis illis cænoſis ſublimes fluctuabant.* Hinc igitur *Vada* etiam *Volaterrana* ita deſcribit Rutilius in Itinerario:

In Volaterranum vero Vada nomine tractum
Ingreſſus, dubii tramitis alta lego.

Deſpectat

Deſpectat proræ cuſtos: clavumque ſequentem
Dirigit; & puppim voce monente regit.
Incertas geminâ diſcriminat arbore fauceis,
Defixasque offert limes uterque ſudeis.
Illis proceras mos eſt adnectere lauros,
Conſpicuas ramis & fruticante comâ:
Vt præbente algam denſi ſymplegade limi
Servet inoffenſas ſemita clara notas.

Memorantur igitur *Vada Volaterrana* Ciceroni, Plinio, tribus Itinerariis antiquis, & Rutilio. Celebrioris aliquando fuiſſe nominis opidum, ex Tabula itinerariâ perſpicitur, ubi primariæ urbis figurâ depingitur.

Vadis contiguæ fuêre SALINAE; atque his ALBINI, viri conſularis, VILLA. SALINAE VOLATERRANAE, & ALBINI villa.
Rutilius:

In Volaterranum vero Vada nomine tractum
Ingreſſus, dubii tramitis alta lego.

* · * · *

Illic me rapidus conſiſtere Corus adegit;
Qualis ſilvarum frangere luſtra ſolet.
Vix tuti domibus ſævos toleravimus imbreis.
Albini patuit proxima villa mei.
Namque meus, quem Roma meo ſubjunxit honori;
Per quem jura meæ continuata togæ.

* · *

Subjectas villæ vacat adſpectare ſalinas.
Namque hoc cenſetur nomine ſalſa palus;
Quà mare terrenis declive canalibus intrat;
Multifidosque lacus parvula foſſa rigat.
Aſt ubi flagranteis admovit Sirius igneis;
Quum pallent herbæ; quum ſitit omnis ager:
Tum cataractarum clauſtris excluditur æquor;
Vt fixos latices horrida duret humus.
Concipiunt acrem nativa coagula Phœbum;
Et gravis æſtivo cruſta colore coit.

Vadis item contiguum eſt oſtium fluminis, quod antiquum nomen hodiéque integrum retinet, CECINA dictum. Meminêre eius Mela ac Plinius. quorum hic lib. III cap. V, *Primùm*, inquit, *Etruriæ opidum Luna portu nobile. colonia Luca, à mari recedens; propiorque Piſæ, inter amneis Auſarem & Arnum. Vada Volaterrana: fluvius Cecina, Populonium.* Mela lib. II cap. IIII, adverſo litore incedens: *Pyrgi, Anio; Caſtrum novum, Graviſcæ, Coſſa, Telamon, Populonia, Cecina; Piſæ: Etruſca & loca & nomina.* Ergo & *Cecina* non amnis, ſed loci nomen? Haud puto. ſiquidem neque Plinio, qui amnem hoc vocabulo unus refert, neque ulli alii auctori urbs ſeu opidum eo nomine memoratum. nec vicinitas Vadorum tam propè aliam pati potuit urbem. quidpe Cecinæ oſtio adpoſita fuiſſet; à quo nomen traxerit. Error igitur iſte fuerit Melæ, opidum pro flumine accipientis: niſi ſcripſiſſe eum credideris, *Etruſca & loca & flumina.* Et quomodò Etruſca erant nomina, *Pyrgi, Caſtrum novum, Graviſcæ, Telamon, Piſæ?* quæ cuncta vel à Græcis vel à Romanis indita; ut infrà videbimus. *flumina* autem ſcripſit plurali numero, quia præter *Cecinam* memoratus ei etiam fuit *Minio* fluvius; cuius nomen poſteà corruptum eſt in *Anio*; ut infrà pluribus docebo. Cæterò vocabulum hoc in multis Plinii exemplaribus vitioſè ſcriptum eſt geminato *nn Cecinna*. eſt quidpe hodiéque media ſyllaba brevis. CAECINA fluvius.

Proximum hinc in litore ſequebatur POPVLONIVM *opidum*, Ariſtoteli, Straboni, Plinio, Ptolemæo, Tabulæ itinerariæ, Stephani epitomatori, ſic dictum: Virgilio verò, Melæ, Antonino, ac Rutilio, POPVLONIA. ut & ipſi Plinio lib. XIIII cap. I. *Iovis*, inquit, *ſimulacrum in urbe Populoniâ ex unâ vite conſpicimus, tot ævis incorruptum.* At uni Livio plurali numero, ut pleraque Etruriæ opida apud auctores Latinos reperiuntur, dicitur POPVLONII. Verba eius hæc ſunt lib. XXX: *Claudium conſulem, profectum tandem ab Vrbe, inter portus Coſſanum Lauretanumque atrox vis tempeſtatis adorta, in metum ingentem adduxit. Populonios inde quum perveniſſet, ſtetiſſetque ibi, dum* POPVLONIVM opidum.

reliquum tempeſtatis exſæviret; in Ilvam inſulam trajecit. Græcè ſcribitur Ariſtoteli, Straboni, Ptolemæo, atque Stephano, Ποπλώνιον· eâdem ſcilicet ratione, ut Τούσκλον, Ἄσκλον, Κάστλων· quæ Latinis dicebantur *Tuſculum*, *Aſculum*, *Caſtulo*; hoc Hiſpaniæ, illa Italiæ opida. Ptolemæus: Τούσκων, Λοῦνα, Σελήνης ἄκρον, Ἡρακλέους ἱερόν, Ἄρνου ποταμοῦ ἐκβολαί, Ποπλώνιον πόλις, Ποπλώνιον ἄκρον. Id eſt: *Tuſcorum, Luna, Lunæ promontorium, Herculis fanum, Arni fluminis oſtium, Populonium opidum, Populonium promontorium.* Stephani breviator: Ποπλώνιον, πόλις Τυρρηνῶν. τὸ ἐθνικὸν Ποπλώνιος, τῷ τῆς χώρας ἔθει. Hoc eſt: *Populonium, urbs Etruſcorum. gentilitium inde Populonius, more incolarum.* At T. Livio lib. XXVIII dicuntur POPVLONIENSES. *Etruriæ*, inquit, *populi pro ſuis quiſque facultatibus conſulem adjuturos polliciti: Cærites frumentum ſociis navalibus commeatumque omnis generis, Populonienſes ferrum, Tarquinienſes lintea in vela, Volaterrani armamenta navium & frumentum.* Itineraria ſic habent:

Tabulæ;		Antonini;		Itinerar. maritimum;	
Manliana		*Manliana*			
Populonio	XII.	*Populonia*	XII.	*A Faleſia Populonio portus;*	XII.
Vadis Volateris	X.	*Vadis Volaterris*	XXV.	*A Populonio Vadis portus,*	XXX.

Strabo lib. V ſitum eius & antiquam originem indicat his verbis: Ἐνταῦθα [ἐν τοῖς Οὐολατέρραις] συνέστησάν τινες τῶν Τυρρηνῶν καὶ τῶν προγεγραμμένων ὑπὸ Σύλλα. πληρώσαντες δὲ τέτταρα τάγματα στρατείας, διετῆ χρόνον ἐπολιορκήθησαν· εἶθ' ὑπόσπονδοι παρεχώρησαν τοῦ τόπου. Τὸ δὲ Ποπλώνιον ἐπ' ἄκρας ὑψηλῆς ἵδρυται, κατερρωγυίας εἰς τὴν θάλατταν, καὶ χερρονησιζούσης· πολιορκίαν καὶ αὐτὸ δεδεγμένον περὶ τοὺς αὐτοὺς καιρούς. Τὸ μὲν οὖν πολίχνιον πᾶν ἔρημόν ἐστι, πλὴν τῶν ἱερῶν καὶ τῶν κατοικιῶν ὀλίγων· τὸ δ' ἐπίνειον οἰκεῖται βέλτιον, πρὸς τῇ ῥίζῃ τοῦ ὄρους λιμένιον ἔχον καὶ νεωσοίκους. διὸ καὶ δοκεῖ μοι μόνη τῶν Τυρρηνίδων τῶν παλαιῶν αὕτη πόλεων ἐπ' αὐτῇ τῇ θαλάττῃ ἱδρῦσθαι. αἴτιον δ' ἐστὶ τὸ τῆς χώρας ἀλίμενον. διόπερ παντάπασιν ἔφευγον οἱ κτίσται τὴν θάλατταν, ἢ προεβάλλοντο ἐρύματα πρὸς αὐτοὺς, ὥς τε μὴ λάφυρον ἕτοιμον ἐκκεῖσθαι τοῖς ἐπιπλεύσασιν. Ἔστι δὲ καὶ θυννοσκοπεῖον ὑπὸ τῇ ἄκρᾳ. Κατοπτεύεται δ' ἀπὸ τῆς πόλεως πόρρωθεν μὲν καὶ μόλις ἡ Σαρδών, ἐγγυτέρω δ' ἡ Κύρνος· πολὺ δὲ μᾶλλον τούτων ἡ Αἰθαλία· προσεχεστέρα γὰρ τῇ ἠπείρῳ ἐστίν. ἄριστον δ' ἀφετήριον τὸ χωρίον ἐστὶν ἐπὶ τὰς τρεῖς τὰς λεχθείσας νήσους. εἴδομεν δὲ καὶ ταύτας ἡμεῖς, ἀναβάντες ἐπὶ τὸ Ποπλώνιον, καὶ μέταλλά τινα ἐν τῇ χώρᾳ ἐκλελειμμένα. εἴδομεν δὲ καὶ τοὺς ἐργαζομένους τὸν σίδηρον, τὸν ἐκ τῆς Αἰθαλίας κομιζόμενον. οὐ γὰρ δύναται συλλιπαίνεσθαι καμινευόμενος ἐν τῇ νήσῳ· κομίζεται δ' εὐθὺς ἐκ τῶν μετάλλων εἰς τὴν ἤπειρον. Hoc eſt: *Huc [Volaterras] confluxère Etruſcorum & ab Syllâ proſcriptorum quidam. qui, quatuor cohortibus armatorum conſtitutis, per biennium tolerarunt obſidionem. tandem, publicam ſequuti fidem, loco ceſſerunt. At Populonium ſitum eſt in promontorio ſublimi; quod præruptum, in mare excurrit, in ſpeciem peninſulæ. Hoc quoque opidum ſub idem tempus obſidionem pertulit. Atque ipſum quidem opidum deſertum planè, exceptis templis domibusque paucis, nunc jacet. at navale eius meliùs incolitur; portu ad radices montis & domibus recipiendis navibus præditum. Itaque etiam ſola hæc de omnibus Etruſcis urbibus vetuſtis ad ipſum mare condita fuiſſe mihi videtur. cauſa eſt, quia importuoſum eſt litus. quapropter conditores omnino mare fugerunt: aut propugnacula objiciebant; ne adpellentium prædationibus eſſent expoſiti. Eſt & ſpecula in promontorio, ex qua thynni obſervantur. Ex opido procul atque ægrè conſpicitur Sardinia: propiùs Corſica, ac multò magis Aethalia: namque propior continenti eſt. Optimè à Populonio ſolvunt tres dictas inſulas petituri. quas & ipſi vidimus, Populonio conſcenſo; ſimulque ferrifodinas quaſdam ibi deſertas. vidimus etiam, qui ferrum ex Aethaliâ allatum elaborarent. non enim in inſulâ fornacibus liquari poteſt: ſed ſtatim atque effoſſum eſt, in continentem defertur.* Ariſtoteles in Mirandis: Ἐν δὲ τῇ Τυρρηνίᾳ λέγεταί τις νῆσος Αἰθάλη ὀνομαζομένη, ἐν ᾗ ἐκ τοῦ αὐτοῦ μετάλλου πρότερον μὲν χαλκὸς ὠρύσσετο, ἐξ οὗ φασι πάντα κεχαλκευμένα παρ' αὐτοῖς εἶναι· ἔπειτα μηκέτι εὑρίσκεσθαι. χρόνου δὲ διελθόντος πολλοῦ φανῆναι ἐκ τοῦ αὐτοῦ μετάλλου σίδηρον, ᾧ νῦν ἔτι χρῶνται Τυρρηνοὶ οἱ τὸ καλούμενον Ποπλώνιον οἰκοῦντες. Id eſt: *Apud Etruriam inſula eſſe fertur nomine Aethalia; in qua ex iiſdem metalli fodinis anteà æs eruebatur, unde omnia ærea vaſa apud eos conflata eſſe tradunt: poſteà verò defeciſſe: donec longo tempore pòſt ferrum adparuerit; quo etiam nunc utuntur Etruſci, Populonium incolentes.* Straboni conſentiens Plinius, ita de Populonio tradit ſuprà dicto

dicto lib. III lib. V: *Populonium, Etruſcorum quomdam hoc tantùm in litore.* Habuêre equidem Etruſci in hoc inferi maris litore *Lunam* etiam opidum cum inſigni portu. verùm hoc jam inde aliquot ſæculis ante Troianum bellum à Liguribus fuit conditum: poſteà verò à Pelaſgis, pulſis inde Liguribus, occupatum: mox item ab Etruſcis; ut ſuprà oſtenſum. Summam Populonio vetuſtatem Virgilius quoque tribuit, Aeneid. lib. X, his verbis:

Pandite nunc Helicona deæ; cantusque movete,
Quæ manus interea Tuſcis comitetur ab oris
Aenean; armetque rateis, pelagoque vehatur.
Maſſicus ærata princeps ſecat æquora Tigri:
Sub quo mille manus juvenum, qui mœnia Cluſi,
Quique liquêre Coſas: queis tela, ſagittæ,
Corytique leves humeris, & letifer arcus.
Vnà torvus Abas. huic totum inſignibus armis
Agmen, & aurato fulgebat Apolline puppis.
Sexcentos illi dederat Populonia mater
Expertos belli juveneis.

Ad hunc locum ita commentatur Servius: *Quidam, poſt* XII *populos in Etruriâ conſtitutos, populum ex inſulâ Corſicâ in Italiam veniſſe, & Populoniam condidiſſe dicunt. alii Populoniam Volaterranorum coloniam tradunt. alii Volaterranos Corſis eripuiſſe Populoniam dicunt.* Duodecim populos heic in Etruriâ conſtitutos fuiſſe à Pelaſgis Tyrrhenis, multis ſæculis ante bellum Troianum; ſuperiori capite oſtenſum eſt. Ergo paullo poſt Populonia ſive à Corſis ſive ab ipſis Pelaſgis condita fuit. Rudera eius etiam nunc conſpiciuntur III millibus paſſuum à *Plumbino* opido; quod ex ruinis eius originem traxit. NAVALE autem *Populoniæ* hodiè vocatur *Porto Baratto*. Rutilio eadem loca in Itinerario deſcribuntur hiſce verbis: NAVALE Populoniæ.

Proxima ſecurum reſerat Populonia litus,
Quà naturalem ducit in arva ſinum.
Nunc illic poſitas extollit in æthera moleis
Lumine nocturno conſpicienda pharos.
Sed ſpeculam validæ rupis ſortita vetuſtas,
Quà fluctus domitos arduus urget apex,
Caſtellum geminos hominum fundavit in uſus;
Præſidium terris, indiciumque fretis.
Agnoſci nequeunt ævi monimenta prioris:
Grandia conſumpſit mœnia tempus edax.
Sola manent interceptis veſtigia muris.
Ruderibus latis tecta ſepulta jacent.
Non indignemur, mortalia corpora ſolvi:
Cernimus exemplis, opida poſſe mori.

Strabonis ſuprà ſcripta legiſſe verba videtur; adeò ſingula ferè expreſſit. *Sinum* autem adpellavit, quod Straboni dicitur [illegible], id eſt, *navale*. De cætero, quæ huic memoratur ἄκρα ὑψηλὴ, κατερρωγυῖα εἰς τὴν θάλατταν, καὶ χερρονησίζουσα, ἐν ᾗ τὸ Ποπλώνιον ἵδρυται, id eſt, *promontorium excelſum ac præruptum, in mare excurrens peninſulæ in ſpeciem; in quo Populonium eſt ſitum*; id Ptolemæo dicitur Ποπλώνιον ἄκρον, id eſt, POPVLONIVM *promontorium*. à cuius extimo in mare excurſu, quà opidum ei impoſitum Plumbinum, vocaturque nunc vulgò *Capo di Campana*, ad opidum Populonium licèt perperam hic X circiter faciat millia paſſuum; quum haud ampliùs ſint III: tamen inde patet, eam heic intellexiſſe Strabonem χερρόνησον, id eſt, *peninſulam*, quam ſtagnum Campilianum, ſive, ut vulgò vocant, Caldanæ paludes, in quas *Cornia* defluit amnis, cum proximo mari efficit. Quo tempore opidum Populonium habitari planè deſierit, incertum eſt. Circa annum Ieſu Chriſti IↃC Gregorius Magnus Dialogor. lib. III cap. XI non tantùm opidum id memorat, ſed & *epiſcopum* eius *Cerbonium*. & Regino Chronicor. lib. II anno Chriſti IↃCCCVIIII. *In Thaſcia*, inquit, *Populonium, civitas maritima, à Græcis, qui Orobitæ vocantur, deprædata eſt*. Sed hoc crediderim fuiſſe, non ipſum antiquum opidum in excelſo promontorio; ſed navale eius ſub promontorio. In Chronico Caſſinenſi, POPVLONIVM promontorium.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

lib. III cap. LX, circa annum Chriſti CIↃLXXXIII, memoratur adhuc ager eius, his verbis: *Hoc tempore Rolandus, vir nobilis ex civitate Lucenſi, obtulit beato Benedicto partem, quam habebat in monaſterio S. Georgii, infra eamdem civitatem; & quidquid ad ſe pertinebat in comitatu Lucenſi, Piſano, Piſtorienſi, Florentino, Volaterrenſi, Populonienſi, ac Roſelenſi.*

VETVLONII *urbs; & VETVLONIAE aquæ.*

Vltra Populonium promontorium opidumque Plumbinum ſequitur oſtium exigui amnis, cui vulgare vocabulum *Cornia*. is exit in mare per ſuprà dictas paludes, quæ à calidis aquis, quas emittunt, vulgò vocantur *Le Caldane*; optimis piſcibus refertiſſimæ. Ex ſitu AQVAE hæ CALIDAE adparent eſſe eæ, quas Plinius lib. II cap. CIII memorat his verbis: *Patavinorum aquis calidis herbæ virentes innaſcuntur; Piſanorum verò ranæ: ad Vetulonios in Etruriâ, non procul à mari, piſces.* Ergo VETVLONII *urbs* circa has aquas amnemque Corniam fuit: quam Ptolemæus malè, ut plerasque alias, longè interiùs, inter Populonium, Volaterras, Senam, atque Saturniam poſuit. Viſuntur hodiéque inter Populonii ruinas & Turrim S. Vincentii, III millibus paſſuum à mari, inſignes antiquæ urbis reliquiæ, vulgari vocabulo *Vetulia* dictæ; & ſilva juxtà ſeu circùm ſita *Vetletta*. quæ vocabula, ſimulque ſitus prope prædictas aquas Calidas, antiquam urbem *Vetulonios* apertè produnt. In Tabulâ itinerariâ duo ædificia depicta ſunt; quorum alterum adpoſitas habet voces *Aquas Volaternas*, alterum *Aquæ Populaniæ*. in medio autem eſt lacus. Aquas Volaterranas ad Corniæ fontem eſſe ſitas, pòſt ſuo loco docebo. Vnde patet, lacum iſtum deſignare prædictas paludes Caldanas; alterum autem ædificium fonteis calidos inde exorienteis. quæ aquæ calidæ utrùm poſteà, quum jam Vetulonii urbs interiiſſet, à proximo opido Populonio dictæ fuerint AQVAE POPVLONIAE; an verò ſcriptum ſit ab auctore Tabulæ AQVAE VETVLONIAE, quæ aliàs erant VETVLONIENSES; haud facilè dixerim. Apud Lycophronem Alexandra ita de Aeneâ vaticinatur: —— Ἐκ δ' Ἁλμωνίας

Πάλιν πλανήτην δέξεται Τυρσηνία
Λυγκεύς τε, θερμὸν ῥεῖθρον ἐκβράσσων ποτῶν,
Καὶ Πῖσ' Ἀγύλλης θ' αἱ πολύρρηνοι νάπαι.

Id eſt: —— *Ex Halmoniâ*
Rurſus erronem excipiet Tyrſenia
Lynceusque, calidum ejiciens laticum flumen,
Et Piſſa, ſaltusque Agyllæ pec rosi.

Ad quæ verba ita commentatur Iſacius Tzetza: Λυγκεὺς ποταμὸς Ἰταλίας, θερμὰ ὕδατα ἔχων. ἐκλήθη δὲ οὕτως, ἐπειδὴ τὸ ὕδωρ αὐτοῦ πολλοὺς ὠμμάτωσεν· ἢ ὅτι ὁ παλαιὸς ἐκεῖνος Λυγκεὺς ἐν τῷ ῥείθρῳ αὐτοῦ ἐπνίγη. Id eſt: *Linceus Italiæ eſt fluvius; ſic dictus, quòd multos oculatos reddiderit; vel, quòd antiquus ille Lynceus in flumine eius ſubmerſus ſit.* Etruriæ fluvium intellexiſſe Lycophronem, patet ex commemoratione urbium *Piſæ* & *Agyllæ*. & licèt circa Agyllam etiam ſint calidæ aquæ, ut poſteà videbimus: tamen Corniam eum intellexiſſe; ut ad cuius fontem ſint Volaterranæ, ad oſtium verò Vetulonienſes aquæ; minimè dubito. nec ullus in hac orâ Etruriæ alius eſt amnis aquis calidis. Cæterùm de ſtagno hoc Caldano, deque portu eius Faleſio, plura citabimus infrà è Rutilio. Nomen urbis *Vetuloniorum* quod attinet; Plinio id equidem ſic plurali numero formatur, ut pleraque alia Latinis auctoribus Etruriæ opida, & proximè dictum *Populonii* Livio. at Silio ſingulari numero dicitur VETVLONIA; & Ptolemæo neutro genere, Οὐετουλώνιον, VETVLONIVM. quod Dionyſius Halicarnaſſenſis lib. II rectiùs, ut mox ex poëtâ Silio adparebit, per tenue υ ſcripſit Οὐετυλώνιον· unde lib. III ei ſunt opidani Græcâ formatione Οὐετυλωνιᾶται, *Vetuloniatæ*. qui Plinio dicto lib. III cap. V ſunt VETVLONIENSES; ut à *Populoniâ*, *Populonienſes*; à *Statoniâ*, eiusdem Etruriæ opido, infrà dicendo, *Statonienſes*. Verùm apud Dionyſium dicto lib. II vocabulum id corruptum eſt in Σολώνιον. cuius nominis notiſſimum Romanis πεδίον ſive *ager* fuit in Latio, haud ita procul Româ: qui anſam errandi poſteà exſcriptoribus Dionyſii dedit. In Tabulâ itinerariâ iter per hanc oram deſcribitur huiusmodi:

Piſis	
Turrita	....
Piſcinas	XVI.

Ad Fines	VIII.
Velinis .	XIII.
Vadis Volateris	X.
Populonio	X.

Quum inter Piſas atque Vada XXX circiter ſint millia paſſuum; inter hæc autem & Populonium XXV; ut ſuprà dictum: numeros hoc itinere in Tabulâ eſſe corruptos, certum eſt. *Velinis* iſtis pictura inſignioris urbis adpoſita eſt. at inter Vada & Piſas nullum umquàm memoratum fuit opidum, nedum urbs, maioris paullo notæ ac nominis. Quapropter vitiatam conturbatamque hoc loco eſſe Tabulam, ſatis lucidè ex duobus hiſce documentis perſpicitur. Nec dubitandum, quin inter Vada Volaterrana & Populonium ſcripta fuerit vox *Vetulonîs*, hoc modo:

Piſis	
Turrita	VIII.
Piſcinas	VI.
Ad Fines	VIII.
Vadis Volaterranis	XIII.
Vetulonîs	XX.
Populonio	X.

Nam hodiéque inter Vada & Populonium XXX fermè computantur millia; inter Populonii verò & Vetuloniorum veſtigia decem circiter. De cætero *Vetulonios* unam fuiſſe ex XII principibus Etruriæ urbibus, ex Dionyſio Halicarnaſſenſi atque Silio Italico colligere eſt. Dionyſius dicto lib. II, in rebus geſtis Romuli, primi Romanorum regis: Ἧκε δὲ αὐτῷ Τυῤῥηνῶν ἐπικουρίαν ἱκανὴν ἄγων ἐκ Οὐετυλωνίου [vulgata exemplaria habent, ut dixi, Σολωνίου] πόλεως ἀνὴρ δραστήριος, καὶ τὰ πολέμια ἔργα διαφανής, Λοκόμων ὄνομα, φίλος οὐ πρὸ πολλοῦ γεγονώς. Id eſt: *Auxilium etiam validum ei adduxit Etruſcorum à Vetulonio opido vir quidam Lucumo nomine, ſtrenuus & bello clarus, nuper receptus in amicitiam.* Et lib. III; ubi Latini populi à Sabinis atque Etruſcis auxilia petunt contra Tarquinium Priſcum, quintum Romanorum regem: Τυῤῥηνοὶ δὲ συμμαχίαν ἀποστελεῖν ὡμολόγησαν, ἧς ἂν αὐτοὶ δεηθῶσιν· οὐχ ἅπαντες ἐπὶ τῆς αὐτῆς γενόμενοι γνώμης, ἀλλὰ πέντε πόλεις μόναι, Κλουσῖνοί τε καὶ Ἀῤῥητῖνοι, καὶ Οὐολατεῤῥανοί, καὶ Ῥουσελλανοί τε, καὶ ἔτι πρὸς τούτοις Οὐετυλωνιᾶται. Hoc eſt: *Etruſci, ſubmiſſuros ſe auxiliorum quantum opus fuerit, polliciti ſunt. Non tamen reſponſum eſt hoc de communi omnium ſententia: ſed à V tantùm civitatibus. hi fuêre Cluſini, Aretini, Volaterrani, Ruſellani, & Vetulonienſes.* Quum reliquæ urbes, *Cluſium*, *Aretium*, *Volaterræ*, & *Ruſellæ*, ex XII principum urbium fuerint numero; quod pòſt ſuis locis demonſtrabitur; de *Vetulonio* quoque dubitare minimè debemus. Huc adde *Lucumonis* nomen. quod non proprium privorum hominum, ſed ſupremæ dignitatis, ſive ſummi magiſtratus in ſingulis XII urbibus vocabulum fuiſſe, ſuperiori capite è Servii commentariis in Virgilium patuit. Et licèt Dionyſius eodem lib. III, juxtáque cum eo Livius lib. I, proprium id privatumque faciant nomen in altero filiorum Demarati Corinthii, qui Tarquiniis habitabat; item Livius lib. V in quodam Cluſino juvene: tamen pro Varronis ſententiâ, quem citat Servius, facit hoc argumentum, quòd utraque urbs, *Cluſium* ſimul & *Tarquinii*, & ipſæ ex XII illarum urbium numero fuerunt; ut poſteà patebit. Hinc igitur ſic canit Silius Italicus lib. VIII:

Mæoniæque decus quondam Vetulonia gentis.
Bis ſenos hæc prima dedit præcedere faſceis;
Et junxit totidem tacito terrore ſecureis.
Hæc altas eboris decoravit honore curuleis;
Et princeps Tyrio veſtem prætexuit oſtro.
Hæc eadem pugnas adcendere protulit ære.

Adeò ſcilicet hanc inter XII Etruriæ populos connumeratam voluit Silius, uti etiam principem ei tribuerit locum. Ex hac igitur dignitate ſumma urbis vetuſtas adparet. quidpe quæ jam ante Etruſcorum in hanc intra Apenninum regionem immigrationem ab Umbris vel Pelaſgis Tyrrhenis, quum XII Tyrrheniæ ſuæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

capita conſtituerent, condita fuit. *Municipium* poſteà fuiſſe Romanorum, patet ex antiquâ inſcriptione; in qua memoratur VETVLONENSIVM · PLEBS · VRBANA. Quo tempore tandem & quo caſu tota interierit, nuſquàm adnotatum eſt.

Porrò reliquum hinc à Populonio litus deſcribitur in Itinerariis antiquis ad hunc modum:

Tabulæ;		Antonini;		Itinerarium maritimum;	
Coſa		*Coſa*			
Albinia fl.	VIIII.				
Telamone	IIII.				
Haſta	VIII.				
Vmbrone	VIIII.			*A portu Telamonis Vmbronis* [*portus*]	XII.
		Ad lacum Aprilem	XXII.	*A portu Vmbronis lacu Aprilis poſitio,*	XVIII.
Saleborna	XII.	*Salebrone*	XII.		
				A lacu Aprili in Alma flumen habet poſitionem	XVIIII.
				Ab Alma flumen Scapris portus,	VI.
Maniliana	VIIII.	*Manliana*	IX.	*Ab Scapris Faleſia portus,*	XVIII.
Populonio	XII.	*Populoniæ*	XII.	*A Faleſia Populonio portus,*	XII.

Ex his *Coſam* opidum nunc dici *Anſidoniam*, pòſt oſtendetur. VMBRO *amnis* hodiéque nomen antiquum ſervat, vulgò *Ombrone* dictus. Haud ita procul Arno exortus, mediam Etruriam ſecat. Apud Stephani epitomatorem legitur Ὄμβρος· id eſt, ſi Latinè formes, VMBER. nam *Vmbri* etiam populi, qui ab eô nomen acceperunt, Græcis dicuntur Ὄμβροι, & Ὀμβρικοί. Plinius lib. III cap. V: *Vada Volaterrana, fluvius Cecina, Populonium. hinc amnes Prille; mox Vmbro, navigiorum capax; & ab eo tractus Vmbriæ; portusque Telamon, Coſſa.* Stephani breviator: Ὀμβρικοί, ἔθνος Ἰταλικόν. λέγονται καὶ Ὄμβροι. ἔστι καὶ ποταμὸς Ἰταλίας Ὄμβρος. λέγονται Οὔμβροι παρὰ τοῖς Ἰταλικοῖς συγγραφεῦσιν. Id eſt: *Ombrici, Italica gens: qui & Ombri dicuntur. Eſt & amnis Omber. Dicuntur Vmbri Italicis ſcriptoribus.* Plinius ait eſſe *amnem navigiorum capacem.* hinc Itinerarium maritimum ad oſtium eius ponit *portum*: quem Rutilius quoque memorat in Itinerario his verbis:

VMBRO amnis cum portu.

Tangimus Vmbronem. non eſt ignobile flumen:
Quod tuto trepidas excipit ore rateis.
Tam facilis pronis ſemper patet alveus undis,
In portum quoties ſæva procella ruit.

SALEBRO amnis.

SALEBRO quoque *amnis* nomen etiamnunc, quamvìs duabus prioribus ſyllabis mutilatum, ſervat, vulgò *Brone*, *Brune*, & *Bruno* adpellatus. Delabitur in lacum, cui vulgare cognomentum ab opido juxtà ſito *Il lago di Caſtiglione*. Hic eſt, qui Antonino & Itinerario maritimo vocatur APRILIS LACVS. Apud Ciceronem, in oratione pro Annio Milone, ubi de Clodio illi eſt ſermo, ita legitur: *Qui non ſolùm Etruſcos, ſed Cn. Pompeium pellere poſſeſſionibus armis caſtriſque conatus eſt. qui cum architectis & decempedis villas multorum hortoſque peragrabat. qui Ianiculo & Alpibus ſpem poſſeſſionum terminabat ſuarum. qui, quum ab equite Romano, T. Paconio, non impetraſſet, ut inſulam in lacu Prelio venderet; repentè lintribus in eam inſulam maceriam, calcem, cæmenta, atque arenam convexit; dominoque trans ripam inſpectante, non dubitavit ædificium exſtruere in alieno.* Alia heic exemplaria habent, ut modò retulimus, *Prelio*; alia *Pretio*; alia *Perelio*. ſed omnino perſvaſum habeo, ſcripſiſſe Ciceronem *Prelio*. fuitque eius ævo Romanis nomen lacus formatum PRELIVS: quod poſteà Plinii tempeſtate factum PRILLIS, ſive PRILIS. hoc denique alii, qui menſis nomen in eo ſuſpicati ſunt, fecêre APRILIS: niſi fortè imperitorum ineptorumque grammaticorum ſive exſcriptorum poſterioris ſæculi nugamentum habendum ſit. Sed quomodò Plinio *amnis* dicitur, qui Ciceroni & duobus Itinerariis diſertè vocatur *lacus*? Haud temerè crediderim, amnem, qui jam inde Antonini & auctoris Tabulæ itinerariæ ævo dictus fuit *Salebro*, Plinii ætate vocatum fuiſſe communi lacus vocabulo *Prilem*. Et quæ iſta, quæſo, terminatio nominativi caſus *amnis Prile*? Neque verò hoc ſatis Latialiter; *Hinc amnes Prile, mox Vmbro, navigiorum capax.*

PRILIS lacus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

pax. An igitur plures fuère *amnes Prile?* nam vocula *mox*, quæ frequenti optimis auctoribus uſu eſt pro *poſteà*, *deinde*, *hinc*, Vmbronem ab illâ voce congregativâ *amnes* haud obſcurè excludit, ſive ſeponit. Arbitror itaque ego, Plinium amneis inter Populonium & Prilem lacum memôraſſe unum atque altèrum; quibus tandem ſubjecit iſta verba: *Salebro*, *cum lacu Prile: mox Vmbro*. At quia neque in Tabulâ itinerariâ neque apud Antoninum *Salebronis* nomini adpoſitum eſt vocabulum *flumen*, ſive *fluvius*; fortè SALEBRO *opidum* utrique intellectum heic eſt. quod ego interpreter nunc vulgari vocabulo eſſe *Buriano*, apud influxum Salebronis amnis in lacum Prilem. De cætero *inſula* Ciceroni in *Prile* ſive *Prelio* lacu memorata, hodiéque in eo exſtat, prædicto Caſtilioni opido objecta. SALEBRO *opidum*.

ALMA *flumen* inter fauceis lacus Prilis, ſive id ſit oſtium Salebronis, & Plumbinum opidum nomen hodiè integrum ſervat. ſed millia inter dictas lacus fauceis & Almæ oſtium ſunt circiter VII. unde patet vitioſum eſſe in Itinerario maritimo numerum XVIIII millium. ALMA *fluvius*.

Ab oſtio Almæ verſùs Solis occaſum & Plumbinum opidum litus legentibus occurrit inſula exigua, vulgari vocabulo *Troia* dicta, cum aliquot juxtà ſcopulis vulgò *I Porcelli* adpellatis. Troiæ inſulæ à mille paſſibus promontorium in continenti objacet, vulgò *Capo di Troia* vocatum, id eſt, *Promontorium Troianum*. Ad dextrum eius latus, quod occaſum proſpicit, ſtatio quædam parva navium eſt: quæ ex ſitu atque intervallo VI millium deprehenditur eſſe is *portus*, qui Itinerario maritimo vocatur SCAPRIS. quod equidem vocabulum plerique putant eſſe obliqui caſus. verùm hoc planè incertum eſt. poterat quidpe dici *Scapris portus*, ut *Prilis lacus*. At Ptolemæo hoc tractu refertur Τραϊανὸς λιμὴν, id eſt, *Traianus portus*. quem eſſe eumdem iſtum Scaprin portum, dubium nullum eſſe poterat; quando, vel dictam inſulam à portu, vel portum ab inſulâ nomen traxiſſe, certum erat. Ptolemæi verba hæc ſunt: Ἄρνου ποταμοῦ ἐκβολαὶ, Ποπλώνιον πόλις, Ποπλώνιον ἄκρον, Τραϊανὸς λιμὴν, Τελαμὼν ἄκρον. Id eſt: *Arni amnis oſtium*, *Populonium opidum*, *Populonium promontorium*, *Traianus portus*, *Telamon promontorium*. At minimè intelligo, qua ratione à *Traiano portu* nomen *Troiæ*, quod nunc tenet, proxima inſula acceperit; aut unde hæc id nominis jam antiquitus habuerit; à quo poſteà portus adverſus, non Τραϊανὸς, ſed Τροϊανὸς dictus ſit. Proinde *Traiani portus* nomen meritò hinc rejiciendum in genuinum ſuum ad *Centumcellas* (nunc opidum vulgò dicitur *Cività vecchia*) locum cenſeo: ut infrà oſtendam. SCAPRIS *portus*.

A Scapri portu porrò verſùs occaſum navigantibus FALESIA, ut Itinerarium maritimum habet, ſive, ut Rutilius, FALERIA *portus*, ex intervallo XVIII millium paſſuum (nempe ſi ſinus, quem duo promontoria Populonium atque Troianum includunt, circumlegas) deprehenditur fuiſſe apud ſuprà dicti ſtagni Caldani fauceis: ubi hodiéque vocatur *Porto Fereſi*, & *Porto Faleſe*. Stagnum id optimis piſcibus, ut olim, nunc etiam eſſe refertiſſimum, ſuprà dixi. hinc ita Rutilius in Itinerario: FALESIA *portus*.

Tangimus Vmbronem. non eſt ignobile flumen:
Quod tuto trepidas excipit ore rateis.

Mox:

Lux aderat; tonſis progreſſi ſtare videmur:
Sed curſum proræ terra relicta probat.
Occurrit Chalybum memorabilis Ilva metallis;
Qua nihil uberius Norica gleba tulit.

Paullo pòſt:

Laxatum cohibet vicina Faleria curſum;
Quamquàm vix medium Phœbus haberet iter.
Et tum fortè hilares per compita ruſtica pagi
Mulcebant ſacris pectora feſſa jocis.
Illo quidpe die tandem renovatus Oſiris.
Excitat in fruges germina læta novas.
Egreſſi villam petimusque, lutoque vagamur.
Stagna placent ſepto delitioſa vado.
Ludere laſcivos inter vivaria piſceis
Gurgitis incluſi laxior unda ſinit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Tandem poſteà:

Proxima ſecurum reſerat Populonia litus.

Nempe, promontorium Populonium circumlegendo, à Faleſiâ portu ad opidum Populonium XII computabantur millia paſſuum; ut Itinerarium maritimum refert. Cæterùm ex hoc *Faleriæ* ſive *Faleſiæ* nomine leviſſimus homo, Annius Viterbienſis, quem abſurdiſſimum VI ab urbe Româ itinerum in Gallias ex variis, quos non intellexit, auctoribus confinxiſſe itinerarium ſuprà hoc capite, & item lib. I cap. IX ac X, dixi, *Faliſcas* heic commentus eſt; ſed alieno ſitu: ſcilicet, quia veteris geographiæ imperitiſſimus fuit. Verba eius hæc ſunt: *Ab Vrbe in Gallias itur itineribus* VI; *Maritimo, Litoreo, Aureliano, Caſſiano, Tyberino, Flaminio. Maritimum tenet Pheregenas, Caſtrum novum, Cellas, Herculem, Thelamonem, Caput Ethruriæ, Phaliſcas, Traianum, Populonium, Vada.* Scilicet, quum portus nomen apud Rutilium eſſet *Faleria*, in Maritimo autem itinerario *Faleſia*; pro hoc ipſe ſubjecit *Faliſcas*: quia apud auctores invenerat eiuſdem Etruriæ urbem, haud procul Tiberi, *Falerios*; cuius incolæ dicebantur *Faliſci*; & omnis eius ager *Faliſcus*; ut infrà oſtendetur. Illud verò *Caput Etruriæ*, ſive, ut & reliqua contra omnem orthographiam Romanam, *Ethruriæ*, ſi ipſe ita ſcripſit Annius; ſanè omnium imperitorum imperitiſſimum ſeſe prodidit tenebrionem: niſi ſciens volensque falſum loco nomen confinxerit. quidpe promontorium intellexit, quod nunc vulgò ab objectâ inſulâ vocari *Capo di Troia*, ſuprà dixi. En ecce, quàm gnari antiquæ geographiæ deprehenduntur fuiſſe illi, qui hactenus Itinerarium iſtud Antonini eſſe crediderunt. Abominandam verò leviſſimi huius hominis impudentiam, idem hoc *Caput Etruriæ* Catonis etiam fragmentis, quæ & ipſa tota exemplo quàm flagitioſiſſimo confinxit, inſerentis, quis unquàm ſatis miretur: quidpe qui ignorantiâ ac ſimplicitate ſui ſæculi tam immanè abuſus eſt; eamdem perpetuò etiam poſt ſe manſuram toto Orbe barbariam ſperare auſus. Sed pergamus ad noſtra.

LAVRETANVS *portus.*

Apud Livium lib. XXX hæc leguntur verba: *Claudium conſulem, profectum tandem ab Vrbe, inter portus Coſſanum Lauretanumque atrox vis tempeſtatis adorta, in metum ingentem adduxit. Populonios inde quum perveniſſet; ſtetiſſetque ibi, dum reliquum tempeſtatis exſæviret; Ilvam inſulam, & ab Ilvâ Corſicam, à Corſicâ in Sardiniam trajecit.* LAVRETANVS hic, ſive, ut alia exemplaria habent, LORETANVS *portus*, inter Coſſam, quam nunc dici Anſedoniam mox oſtendam, & Populonios, nemini aliorum auctorum memoratus, quo ſitu fuerit, planè incertum eſt. propiùs tamen fuiſſe Populonios, quàm Coſſam, ex eo patere puto, quod eâ tempeſtate conſul ad illos pervênit; non verò hanc tanto in periculo repetiit. Quum nullus alius heic inter Vmbronem amnem & Populonios ſit portus, quàm quos ſuprà enarravimus; aut horum aliquem ſic Hannibalicis temporibus fuiſſe dictum, aut vocabulum id apud Livium eſſe vitiatum, neceſſum eſt. Ac fortè ille ſcripſerit; *inter portus Coſanum Scapritanumque.*

MANLIANA *opidum.*

At MANLIANA *opidum*, Antonino & Tabulæ in ſuprà ſcripto itinere memoratum, ex intervallo VIIII millium paſſuum à Salebrone deprehenditur fuiſſe circa opidum, cui vulgare vocabulum *Scarlino*: Hinc quum XVI circiter ſint millia ad Populoniorum usque locum; in utroque itinerario numerum XVII millium in XII corruptum colligo. De cætero errant, qui Ptolemæi *Manlianam* eamdem hanc eſſe cenſent. quidpe illa in mediterraneis longè interiùs ſita fuit, inter Senam & Cluſium urbeis; ut ſuo loco docebimus.

TELAMON *portus.*

Sequitur tandem poſt Vmbronis oſtium ὁ Τελαμὼν λιμὴν, TELAMON, ſive, ſi Latino ore formare velis, TELAMO PORTVS; vulgò etiamnunc *Talamone* dictus. Memoratur Polybio, Diodoro, Melæ, Plinio, Plutarcho, Tabulæ itinerariæ, Itinerario maritimo, ac Stephani epitomatori. Tabulæ Itinerariique maritimi iter, quo is refertur, ſuprà perſcripſimus. Melæ verba lib. II cap. IIII hæc ſunt: *Caſtrum novum, Graviſcæ, Coſſa, Telamon, Populonia, Cecina, Piſa; Etruſca & loca & flumina.* Stephani breviatoris ſunt iſta: Τελαμὼν, πόλις Τυῤῥηνίας. τὸ ἐθνικὸν Τελαμώνιος. Id eſt: *Telamon, opidum Etruriæ. gentilitium inde Telamonius.* Plinius lib. III cap. V: *Mox Vmbro, navigiorum capax; & ab eo tractus Vmbria, portusque Telamon.* Plutarchus in Mario: Ταῦτα τῷ Μαρίῳ πυνθανομένῳ, πλεῦσαι τὴν ταχίστην ἐφαίνετο. καὶ παραλαβὼν ἐκ τῆς Λιβύης Μαυρουσίων τινὰς ἱππότας, καὶ τῶν ἀπὸ τῆς Ἰταλίας τινὰς καταφερομένων, συναμφοτέρους οὐ πλείο-

οὐ πλείονας χιλίων γενομένους, μεθ' ὧν ἀνήχθη. προσβαλὼν δὲ Τελαμῶνι τῆς Τυρρηνίας, καὶ ἀποβὰς, ἐκήρυττε δούλοις ἐλευθερίαν. Id eſt: *His ad Marium perlatis, viſum ei eſt, quàm celerrimè poſſet, in Italiam navigare. Itaque contractis ex Africâ aliquot equitibus Mauris, & nonnullis qui ex Italiâ eò delati erant; quorum omnium numerus non plus mille erat; cum his conſcendit. cumque iis Telamonem Etruriæ advectus, deſcenſione factâ, ſervos ad pileum vocavit.* Polybius lib. II: Ἤδη δὲ περὶ Τελαμῶνα τῆς Τυρρηνίας τῶν Κελτῶν ὑπαρχόντων οἱ προνομεύοντες ἐξ αὐτῶν, ἐμπεσόντες εἰς τοὺς παρὰ τοῦ Γαΐου προπορευομένους, ἑάλωσαν. Hoc eſt: *Iam circa Telamonem Etruriæ Galli erant, quum eorum pabulatores in Caii præcurſores inciderent, & ab iis caperentur.* Doctiſſimus Polybii interpres vertit heic, *Telamonem Etruriæ promontorium*: haud dubiè, quia Ptolemæo non λιμὴν aut πόλις, id eſt, *portus* aut *opidum*, ut Diodoro, Melæ, Plinio, Stephano, Itinerariisque antiquis; ſed Τελαμὼν ἄκρον refertur, id eſt, TELAMON *promontorium*. Sanè opidum equidem in exiguo promontorio, quod portum ab occidente claudit, conditum eſt. at illud potiùs, quàm ipſum opidum ac portum, intellexiſſe Polybium, haud veri eſt ſimile. & opidum voluiſſe, patet ex Plutarchi exemplo. quidpe qui & ipſe nudè *Telamonem* nominavit; quum tamen portum innueret, in quem Marius ex Africâ cum CIↃ militibus adpulit. Originem opidi nominisque ad Argonautarum usque tempora antiquiſſimi Græcorum ſcriptorum retulerunt; teſte Diodoro lib. IIII. Οὐκ ὀλίγοι, inquit, τῶν τε ἀρχαίων συγγραφέων καὶ τῶν μεταγενεστέρων, ὧν ἐστι καὶ Τίμαιος, φασὶ τοὺς Ἀργοναύτας μετὰ τὴν τοῦ δέρατος ἁρπαγὴν, πυθομένους, ὑπ' Αἰήτου προκατειλῆφθαι ναυσὶ τὸ στόμα τοῦ Πόντου, πρᾶξιν ἐπιτελέσασθαι παράδοξον καὶ μνήμης ἀξίαν. ἀναπλεύσαντας γὰρ αὐτοὺς διὰ τοῦ Τανάιδος ποταμοῦ ἐπὶ τὰς πηγὰς, καὶ τόπον τινὰ τὴν ναῦν διελκύσαντας, καθ' ἑτέρου πάλιν ποταμοῦ, τὴν ῥύσιν ἔχοντος εἰς τὸν Ὠκεανὸν, καταπλεῦσαι πρὸς τὴν θάλασσαν· ἀπὸ δὲ τῶν ἄρκτων ἐπὶ τὴν δύσιν κομισθῆναι, τὴν γῆν ἔχοντας ἐξ εὐωνύμων· καὶ πλησίον γενομένους Γαδείρων, εἰς τὴν καθ' ἡμᾶς θάλασσαν εἰσπλεῦσαι. Ἀποδείξεις δὲ τούτων φέρουσι, ἐπισημαίνοντες τοὺς παρὰ τὸν Ὠκεανὸν κατοικοῦντας Κελτοὺς σεβομένους μάλιστα τῶν θεῶν τοὺς Διοσκόρους. παραδόσιμον γὰρ ἔχειν αὐτοὺς ἐκ παλαιῶν χρόνων τὴν τούτων τῶν θεῶν παρουσίαν ἐκ τοῦ Ὠκεανοῦ γεγενημένην. εἶναι δὲ καὶ τὴν παρὰ τὸν Ὠκεανὸν χώραν οὐκ ὀλίγας ἔχουσαν προσηγορίας ἀπό τε τῶν Ἀργοναυτῶν καὶ τῶν Διοσκούρων. παραπλησίως δὲ καὶ τὴν ἐντὸς Γαδείρων ἤπειρον ἔχειν ἐμφανῆ σημεῖα τῆς τούτων ἀνακομιδῆς. περὶ μὲν γὰρ τὴν Τυρρηνίαν καταπλεύσαντας αὐτοὺς εἰς νῆσον τὴν ὀνομαζομένην Αἰθαλίαν, τὸν ἐν αὐτῇ λιμένα, κάλλιστον ὄντα τῶν ἐν ἐκείνοις τοῖς τόποις, Ἀργῷον ἀπὸ τῆς νεὼς προσαγορεῦσαι, καὶ μέχρι τῶνδε τῶν χρόνων διαμένειν αὐτοῦ τὴν προσηγορίαν. παραπλησίως δὲ τοῖς εἰρημένοις κατὰ μὲν τὴν Τυρρηνίαν ἀπὸ σταδίων ὀκτακοσίων τῆς Ῥώμης ὀνομάσαι λιμένα Τελαμῶνα. Hoc eſt: *Non pauci tam veterum quàm poſteriorum ſcriptorum, inter quos & Timæus eſt, perhibent, Argonautas poſt vellus abreptum, cognito, oſtium Ponti ab Aeetâ navibus præoccupatum eſſe; mirificum ac memoriâ dignum facinus edidiſſe. quidpe Tanaim ingreſſos, ad fonteis eius adſcendiſſe; navique per aliquod loci intervallum protractâ, per aliud flumen in Oceanum ſeſe effundens, ad mare deveniſſe: & tum ab ſeptemtrionibus versùs occaſum ita curſum flexiſſe, ut à ſiniſtrâ continentem haberent; ac tandem juxta Gadeis in mare noſtrum inveherentur. Ad id probandum his utuntur documentis: Primò, quòd Celtæ, Oceani adcolæ, inter deos maximè Caſtores venerentur: apud quos à priſcis inde temporibus traditum, ex Oceano deos hoſce quondam ad ipſos delatos eſſe. tum, quòd in regionibus Oceano conterminis non paucæ ab Argonautis pariter & Caſtoribus adpellationes adhuc ſint reliquæ. dein, quòd continens intra Gadeis manifeſta horum reditus ſigna oſtendat. quidpe quum Etruriam præternavigarent, ad inſulam Aethaliam advecti, pulcherrimum ibi portum Argoum de navi ſuâ nuncupaſſe: quod nomen ad hanc quoque tempeſtatem duret. item, quòd ad eumdem modum in Etruriâ portum, octingentis ab Româ ſtadiis diſſitum, nominaverint Telamonem.* Scilicet ab uno Argonautarum, *Telamone* nomine: quem eodem libro antè inter præcipuos connumerat. Secundùm has igitur μυθολογίας *Telamon opidum* paullo ante bellum Troianum conditum fuit; id eſt annis plus CIↃCC ante natum Ieſum. Verùm licèt res Argonautarum pro fabulis haberi haud immeritò poſſint; tamen vetuſtas huius opidi inde adparet, quòd jam inde ante Timæi tempeſtatem, qui Agathoclis, Siciliæ regis fuit æqualis circa annum ante natum Chriſtum CCC, οἱ ἀρχαῖοι συγγραφεῖς, id eſt, *antiqui rerum ſcriptores eius meminerunt*. Ego id à Pelaſgis Tyrrhenis cum reliquis Etruriæ opidis conditum arbitror.

TELAMON *promontorium*.

Cæterùm inter Telamonem portum & Umbronem amnem quum milliaria ſint hodiè haud ampliùs VIIII, numeros in Tabulâ itinerariâ eo intervallo vehementer eſſe

HASTA *opidum.* eſſe vitiatos, certum eſt. ac proinde HASTA *opidum* certo alicui loco dari nequit; niſi ferè medio itinere fuiſſe concedas.

OSA *amnis.* Poſt Telamonem Ptolemæo continuò ſubjungitur Ὄσας ſive Ὄσας ποταμὸς, OSA *amnis.* Τελαμὼν, inquit, ἄκρον, Ὄσα ποταμοῦ ἐκβολαὶ, Κόσαι. id eſt: *Telamon promontorium, Oſæ fluminis oſtium, Coſſæ.* Hoc flumen hodiéque dicitur vulgò *Oſa*, haud procul Telamone; omnium ferè, qui ex Etruriâ in mare ſuis oſtiis exeunt, minimum. unde miror, Ptolemæum id ex aliis multo nobilioribus amnibus delegiſſe: quum præter id in Etruriâ nullum, niſi unum Arnum, recenſeat.

ALBINIA *fluvius.* Porrò iter in Tabulâ itinerariâ & Itinerario maritimo deſcribitur hujusmodi:

Itinerarium maritimum;		Tabula;	
A portu Herculis Incitaria portus,	VIIII.	*Portu Herculis*	
Ab Incitariâ Domitiana poſitio,	III.	*Coſa*	XX.
A Domitianâ Almiania fluvius habet poſitionem,	....	*Albinia*	VIIII.
Ab Almiania portus Telamonis	....	*Telamone*	IIII.

Ex his ALBINIA *fluvius* proximè Oſam ſequitur: vulgò etiam nunc *Albegna* dictus.

PORTVS HERCVLIS. COSA *colonia.* PORTVS HERCVLIS quoque priſcam adpellationem retinet, vulgò *Porto di Hercole* vocatus. de hoc, ſimulque de COSA *urbe*, quæ nonnullis auctoribus, ut reliqua Etruriæ opida, plurali dicitur numero COSAE, ſeu geminato s s COSSAE, ita tradit Strabo lib. V: Μετὰ δὲ Πιπλώνιον Κόσσαι πόλις, μικρὸν ὑπὲρ τῆς θαλάτης. ἔστι δ' ἐν κόλπῳ βενὸς ὑψηλὸς, ἐφ' οὗ τὸ κτίσμα. ὑπόκειται δ' Ἡρακλέυς λιμὴν, καὶ πλησίον λιμνοθάλαττα, καὶ παρὰ τὴν ἄκραν τὴν ὑπὲρ τοῦ κόλπου θυννοσκοπεῖον. Id eſt: *Poſt Populonium Coſſæ urbs eſt, paullum à mari recedens. eſt autem in ſinu collis ſublimis, in quo urbs condita. Subjacet ei Herculis portus, & huic propinquum ſtagnum marinum: & ad promontorium, quod ſinui imminet, ſpecula ad captandos thynnos erecta.* Omnia hæc ita deſcribit Rutilius:

Roſcida puniceo fulsêre crepuſcula cœlo:
Pandimus obliquo lintea flexa ſinu.
Paullisper litus fugimus Munione vadoſum.
Suſpecto trepidant oſtia parva ſolo.
Inde Graviſcarum faſtigia rara videmus;
Quas premit æſtivæ ſæpe paludis odor.
Sed nemoroſa viret denſis vicinia lucis;
Pineaque extremis fluctuat umbra fretis.
Cernimus antiquas, nullo cuſtode, ruinas
Et deſolatæ mœnia fœda Coſæ.
Ridiculam cladis pudet inter ſeria cauſam
Promere. ſed riſum diſſimulare piget.
Dicuntur cives quondam migrare coacti,
Muribus infeſtos deſeruiſſe Lareis.
Credere maluerim Pygmææ damna cohortis,
Et conjuratas in ſua bella grues.
Haud procul hinc petitur ſignatus ab Hercule portus
Vergentem ſequitur mollior aura diem.
Inter caſtrorum veſtigia ſermo retexit
Sardoam Lepido præcipitante fugam.
Litore namque Coſæ cognatos depulit hoſteis
Virtutem Catuli Roma ſequuta ducis.

Mox poſteà:

Necdum deceſſis pelago permittimur umbris.
Natus vicino vertice ventus adeſt.
Tenditur in medias mons Argentarius undas;
Ancipitique jugo cærula rura premit:
Transverſos colleis bis ternis millibus arctat:
Circuitu ponti ter duodena patet.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Qualis per geminos fluctus Ephyreïus Iſthmus
Ionias bimari litore findit aquas.
Vix circumvehimur ſparſæ diſpendia rupis;
Nec ſinuoſa gravi cura labore caret.
Mutantur totiens vario ſpiramina flexu.
Quæ modo profuerant vela, repentè nocent.

MONS hic ARGENTARIVS, ſive, ut Strabo vult, PROMONTORIVM ARGENTARIVM, etiam nunc vulgò vocatur *Monte Argentaro*, & *Argentauro*, anguſtâ cervice continenti adhærens, peninſulæ in ritum. cervicis ſive iſthmi latera tangunt, hinc ab ortu Solis Portus Herculis, illinc ab occaſu ſtagnum, quod ab opido contermino vulgò vocatur *Stagno d' Orbetello*: eſt verò Λιμνοθάλαττα illa, id eſt, STAGNVM MARINVM, Strabonis. Ex huius igitur ſimulque ex Rutilii verbis manifeſtò patet, vehementer errare eos, qui antiquam *Coſam* ipſum nunc interpretentur *Orbetellum* opidum. quidpe hoc veluti peninſula ipſo ſtagno cingitur, in ſolo exſtructum minimè excelſo. at Strabo dictum promontorium geminis undis cingens, hinc pónit *ſinum* quemdam maris, illinc *ſtagnum*. huic Portum Herculis facit propinquiorem, quàm Coſam. hanc longiùs paullo à ſtagno, in edito colle ſinui eminus imminere tradit. Sinus iſte nullus alius eſſe poteſt, quàm qui Argentario Centumcellenſique (opidum heic nunc vocatur vulgò *Cività vecchia*) promontoriis includitur. Hinc Rutilius, à *Munione* fluvio, qui etiamnunc vulgò eſt *Mignone* prope Centum cellas, versùs promontorium Argentarium navigans, primo loco *Coſam*, dein *Portum Herculis* memorat; *litus* verò *Coſanum* inter duo hæc opida in orientali iſthmi latere ponit. Quapropter omnino recipienda heic eſt eorum ſententia, qui *Coſam* interpretantur id opidum, quod ad initium iſthmi, quà is continenti jungitur, in excelſo colle, haud ita procul à mari, vulgò nunc dicitur *L' Anſedonia*, & nonnullis imperitè *Lancedona*. Cæterùm memoratur *Coſa* antiquis auctoribus, Livio, Virgilio, Paterculo, Straboni, Melæ, Plinio, Sotioni, Ptolemæo, Macrobio, Itinerariis Romanis, Servio, Rutilio. Nomen eius, ut antè dixi, promiſcuè, modò ſingulari, modò plurali numero, & nunc ſimplici, nunc gemino *ſſ*, perſcriptum apud auctores reperitur. Poëtæ tamen Virgilius atque Rutilius primam ſyllabam fecêre brevem. Rutilii verba jam antè citavimus. Virgilius ita canit Aeneid. lib. x:

ARGENTARIVS mons; quod & COSANVM promontorium.

Pandite nunc Helicona deæ, cantusque movete,
Quæ manus intereà Tuſcis comitetur ab oris
Aenean; armetque rateis, pelagoque vehatur.
Maſſicus ærata princeps ſecat æquora Tigri.
Sub quo mille manus juvenum, qui mœnia Cluſi
Quique urbem liquêre Coſas.

Ad hæc ita Servius: *Coſas: Civitas Tuſciæ. quæ numero dicitur ſingulari, ſecundùm Salluſtium. unde adparet, Coſas hunc uſurpativè dixiſſe.* Virgilii locum hunc Macrobius quoque citat Saturnalior. lib. v cap. xv. *Adducit*, inquit, *Cluſio & Coſis Maſſicum*. Plurali numero urbem Strabo quoque adpellavit; ut ſuprà recitatum: & item Ptolemæus; cuius hæc ſunt: Τελαμὼν ἄκρον, Ὄσα ποταμοῦ ἐκβολαὶ, Κόσσαι. id eſt; *Telamon promontorium, Oſſæ amnis oſtium, Coſſæ*. Reliqui omnes ſingulari uſi ſunt numero. Fragmenta Sotionis libri de Fluminum, fontium, ac lacuum mirandis: Ἐγγὺς Κόσης ἐστὶ κρήνη, εἰς ἣν ἐάν τις θῇ κεράμιον οἴνου γέμον, ὥστε ὑπερχεῖν τὸ στόμα, παντὸς ὄξους ἔσται δριμύτερον τὸ ὄχημα, ἱστορεῖ Ἰσίγονος. Id eſt: *Prope Coſam fons eſt; in quem ſi demittas vas vino plenum, ita uti redundet os eius; confeſtim omni aceto vehementiùs aceſcere, tradit Iſigonus*. Quòd autem geminato *ſſ* apud pleroſque auctores vocabulum hoc ſcriptum reperiatur; id puto Græcorum magis more factum, τὸ σίγμα in medio dictionum plerumque geminantium; ut Ptolemæus etiam fecit in *Oſâ* flumine; quàm quòd ita à Romanis auctoribus acceperint: quum huic errori etiam Hirpinorum opidi nomen Κώμψα ſive Κόμψα, *Compſa*, anſam præbere potuerit. quod quum aliis, ut Plutarcho in T. Flaminio, ſcriberetur, emollito veteri jam inde Romanorum conſvetudine μ in ν, Κώνσα, ſeu Κόνσα, *Cònſa*; hoc denique depravatum fuit in Κόσα, *Coſa*. Hinc illud apud Stephani abbreviatorem: Κόσσα, πόλις Οἰνώτρων, ἐν τῷ μεσογείῳ· Ἑκαταῖος Εὐρώπῃ. οἱ πολῖται Κοσσανοί. Id eſt: *Coſſa, opidum Oenotrorum, in mediterraneo: auctore Hecatæo. opidani inde Coſſani.* Quum neque *Coſſa* neque

neque *Coſa* ulla alia fuerit in Italiâ, quàm iſta Etruſcorum prope litus; dubium nullum eſſe poteſt, quin *Compſam* Hirpinorum intellexerit Hecatæus. Ad conſimilem modum apud Livium lib. XXIII legitur in vulgatis exemplaribus Samnitium, quorum pars poſtmodùm Hirpini dicti ſunt, *Coſſa* cum opidanis *Coſſanis*; quo loco vetus exemplar habere *Compſam* & *Compſanos*, teſtatur Sigonius. Sic item apud Cæſarem Belli civilis comment. I, & apud Velleium Paterculum lib. II eamdem *Compſam* Hirpinorum in nonnullis exemplaribus legimus *Coſam*. At ab Etruſcorum etiam *Coſâ* opidani dicti ſunt COSANI. Cicero in Verrem actione V: *Quid ego de P. Gavio, Coſano municipe, dicam*. Et mox: *Gavius hic, quem dico, Coſanus*. Et poſteà: *Producam etiam Coſanos, municipes illius*. Et ad Atticum lib. VIIII epiſt. XI: *De Domitio, ut ſcribis, ita opinor eſſe, ut & in Coſano ſit, & conſilium eius ignoretur*. Iul. Cæſar dicto Belli civilis comment. I: *In ulteriorem Galliam quum Cæſar veniſſet, cognoſcit, miſſum in Hiſpaniam à Pompeio Vibullium Rufum: quem paucis diebus antè Corfinii captum dimiſerat: profectum item Domitium ad occupandam Maſſiliam navibus actuariis VII, quas, Igilli & in Coſano à privatis coactas, ſervis, libertis, colonis ſuis compleverat.* Svetonius in Veſpaſiano, cap. II: *Educatus ſub paternâ aviâ Tertullâ, in prædiis Coſanis*. Antiquitatem urbis Virgilius præſcripto loco innuere voluit; rebus Aeneæ ipſam intermiſcens. *Coloniam* poſteà Romanorum factam, ex Livio, Paterculo, ac Plinio diſco. quorum hic dicto lib. III cap. V: *Coſa Volcientium, à populo Romano deducta*. Credo, ſcriptum fuiſſe ab ipſo Plinio; *Coſa, colonia Volcientium, à populo Romano deducta*. namque Etruriæ urbs fuit *Volci*, & inde incolæ eius agri *Volcientes*; ut infrà oſtendetur. Quando colonia huc deducta fuerit, oſtendit Velleius Paterculus lib. I, his verbis: *Coſſam & Pæſtum miſſi coloni Fabio Dorſone & Claudio Caninâ conſulibus*. Fuit is annus ab urbe Româ conditâ CCCCLXXX; ante natum Ieſum CCLXXIII. Hinc ita epitomator Livii lib. XIIII: *Curius Dentatus Pyrrhum, iterum ex Siciliâ in Italiam reverſum, vicit, & Italiâ expulit. Cum Ptolemæo, Aegypti rege, ſocietas iuncta eſt. Coloniæ deductæ ſunt Poſidonia & Coſſa*. Victus fuit Pyrrhus Italiâque expulſus C. Fabio Dorſone & C. Claudio Caninâ conſulibus. anno præcedenti conſules fuêre M'. Curius Dentatus quartùm & Ser. Cornelius Merenda. In vulgatis equidem exemplaribus heic quoque legitur *Conſa*. quod rectè Sigonius cenſuit corrigendum è Paterculo in *Coſſâ*. At victi fuerant *Volcientes* VII annis antè, P. Valerio Lævino & Ti. Coruncanio Nepote conſulibus. Fragmentum triumphorum Romanorum, quod Romæ etiam nunc in Capitolio viſitur:

......VNCANIVS·TI·F·TI·N.COS···E·VVLSINIENSIBVS·ET·VVLCIENTIBVS·AN.CDLXXIII.

Meminit *Coſanorum colonorum* poſt hæc Livius lib. XXVII, res Q. Fabio Maximo quintùm & Q. Fulvio Flacco quartùm conſulibus contra Hannibalem geſtas referens, his verbis: *Pro duovetginti* [ſcribe *undeviginti*: tot enim enumerantur] *coloniis M. Sextilius Fregellanus reſpondit*. Et paullo pòſt: *Ne nunc quidem poſt tot ſæcula ſileantur, fraudenturve laude ſuâ. Signini fuêre & Nolani & Norbani Satriculanique & Brundiſini & Fregellani & Lucerini & Venuſini & Hadriani & Firmani & Ariminenſes: & ab altero mari, Pontiani & Pæſtani & Coſſani: & mediterranei, Beneventani & Aeſernini & Spoletini & Placentini & Cremonenſes*. Et poſt bellum Punicum lib. XXXII, L. Cornelio Lentulo & P. Villio Tappulo conſulibus: *Quod Narnienſibus datum erat, ut colonorum numerus augeretur, id Coſani petentes non impetraverunt*. Et lib. XXXIII, L. Furio Purpureone, M. Claudio Marcello, conſulibus: *Coſſanis eo die, poſtulantibus ut ſibi colonorum numerus augeretur, mille adſcribi juſſi; dum ne quis in eorum numero eſſet, qui poſt M. Cornelium & Ti. Sempronium conſules hoſtis fuiſſet*. Cæterò ſuprà dictum *Argentarium montem* COSANVM PROMONTORIVM à viciná urbe vocitatum fuiſſe, ex Taciti Annalium lib. II colligo; ubi ſic ſcriptum eſt: *Eodem anno mancipii unius audacia, ni maturè ſubventum foret, diſcordiis armiſque civilibus rempublicam perculiſſet. Poſthumi Agrippæ ſervus, nomine Clemens, comperto fine Auguſti, pergere in inſulam Planaſiam, & fraude aut vi raptum Agrippam ferre ad exercitus Germanicos, non ſervili animo concepit. Auſa eius impedivit tarditas onerariæ navis. Atque interim patratâ cæde, ad maiora & magis præcipitia converſus, furatur cineres: vectus Coram Etruriæ promontorium, ignotis locis ſeſe abdit, donec crinem barbamque promitteret*. Heic equidem doctiſſimus Lipſius, vicinitatem *Planaſiæ* inſulæ, quæ nunc ultra

Elbam

Elbam inſulam vulgò dicitur *Pianoſa*, ſequutus, legendum cenſuit, *Vectusque Coſam Etruriæ promontorium*. at idem fuiſſe promontorio vocabulum, quod coloniæ celeberrimæ, quum nemo veterum adnotaverit; derivativâ potiùs inde adpellatione *Coſanum promontorium* dictum fuiſſe, longè credibilius eſt.

Porrò Livii verba ex lib. XXX ſuprà citavimus iſta: *Claudium conſulem, profectum tandem ab Vrbe, inter portus Coſſanum Lauretanumque atrox vis tempeſtatis adorta, in metum ingentem adduxit. Populonios inde pervênit.* Heic incertum eſt, an COSANVS *portus* Livio dicatur is, qui, ipſi urbi proximus, alio nomine, ut ſuprà memoratum, vocabatur *Portus Herculis*; an verò is, qui ab altero Argentarii promontorii latere vulgò nunc adpellatur *Porto di San Stefano*, triremium capax. Maximè tamen credibile eſt, proximum urbi portum cognomentum inde traxiſſe.

COSANVS *portus*.

Itinerarii maritimi etiam iter ſuprà citavimus huiusmodi:

DOMITIANVS *portus*.

A portu Herculis Incitaria portus,	VIIII.
Ab Incitariâ Domitiana poſitio,	III.
A Domitianâ Almiania fluvius,	....
Ab Almianiâ portus Telamonis,	....

Quum vitiatus mutilatusque hic ſit locus, incertum eſt, quinam hic fuerit INCITARIA *portus*, quæve DOMITIANA *poſitio*, inter Herculis portum fluviumque Albiniam. At verò, quia portus heic nullus alius eſt, præterquàm qui nunc vulgò dicitur *Porto di S. Stefano*; credo ſcriptum fuiſſe DOMITIANVS *portus*, & INCITARIA *poſitio*. Vnde autem portus id cognominis acceperit, planè incertum eſt; niſi ab ſuprà memorato *Domitio* id habuiſſe eum credas: quem prædia heic ſatis ampla & multos colonos habuiſſe, patet ex præſcriptis Iulii Cæſaris verbis. *Incitaria poſitio* fortè fuerit in auſtrino dicti promontorii latere; quà exiguus in mare proximum ſeſe effundit amnis.

INCITARIA *ſtatio*.

Porrò à Coſâ verſùs Tiberis oſtia loca in Itinerariis ſignantur ordine retrogrado iſta:

Itinerarium maritimum;		Tabula;		Antoninus;	
A Centumcellis Algas, poſitio,	III.	*Centum cellis*		*Centum cellis*	
Ab Algis Rapioni, poſitio,	III.	*Mindo fl.*	....		
A Rapionio Graviſcas, poſitio,	VI.	*Graviſca*	....		
		Tabellaria	V.		
A Graviſcis Maltano, poſitio,	III.	*Marta fl.*	II.	*Martha*	X.
A Malcano Quintiana, poſitio,	III.				
A Quintianâ Regas, poſitio,	III.	*Foro Aurelî*	III.	*Forum Aurelî*	XIIII.
A Regas Arninè fluvius habet poſitionem,	III.	*Armenita fl.*	IIII.		
		Ad nonas	III.		
		Succoſa	II.		
Ab Arnine portu Herculis,	XXX.	*Coſa*	...	*Coſam*	XXV.

Huc adde & Rutilii itinerarium; ubi ita tradit:

Ad Centum cellas forti deflexîmus auſtro:
Tranquillâ puppes in ſtatione ſedent.

Et poſteà:

Roſcida puniceo fulsère crepuſcula cœlo:
Pandimus obliquo lintea flexa ſinu.
Paullisper litus fugimus Munione vadoſum.
Suſpecto trepidant oſtia parva ſolo.
Inde Graviſcarum faſtigia rara videmus;
Quas premit æſtivæ ſæpè paludis odor.
Sed nemoroſa viret denſis vicinia lucis:
Pineaque extremis fluctuat umbra fretis.
Cernimus antiquas, nullo cuſtode, ruinas,
Et deſolatæ mœnia fœda Coſæ.

CENTVMCELLAE opidum cum portu; qui & TRAIANI portus.

Ex his locis CENTVM CELLAE opidum cum portu hodiè vulgari vocabulo dicitur *Cincelle*; & uſitatiori nomine *Città vecchia*, id eſt, *Civitas vetus*; nobiliſſimus toto hoc Neapolim inter & Ligurnum portum litore portus. Ipſum opidum Traiano imperatori originem debet. Plinius Iunior lib. VI epiſt. XXXI: *Evocatus in conſilium à Cæſare noſtro ad Centum cellas, (hoc loco nomen) longè maximam cepi voluptatem.* Deinde in fine epiſtolæ: *Sed mihi, ut gravitas cognitionum, conſilii honor, ſvavitas ſimplicitasque convictus, ita locus ipſe perjucundus fuit. Villa pulcherrima cingitur viridiſſimis agris, imminet litori; cuius in ſinu quàm maximus portus, velut amphitheatrum. huius ſiniſtrum brachium firmiſſimo opere munitum eſt; dextrum elaboratur. In ore portus inſula adſurgit, quæ illatum vento mare objacens frangat; tutumque ab utraque latere decurſum navibus præſtet. Adſurgit autem arte viſendâ. ingentia ſaxa latiſſima navis provehit: contra hæc alia dejecta, ipſo pondere manent; ac ſenſim quodam velut aggere conſtruuntur. Eminet jam & adparet ſaxeum dorſum; impactosque fluctus in immenſum edidit & tollit. vaſtus ille fragor, canumque circà mare. Saxis deinde pilæ adjiciuntur; quæ procedenti tempore enatam inſulam imitentur. Habebit hic portus etiam nomen auctoris; eritque vel maximè ſalutaris. nam per longiſſimum ſpacium litus importuoſum hoc receptaculo utetur.* Ergo qui paullo poſt Traiani tempora Ptolemæo, quamquàm malo ordine, toto Etruriæ litore unus memoratur Τραϊανὸς λιμὴν, id eſt, TRAIANVS PORTVS, hic ipſus eſt. Verba eius hæc ſunt: Μάκρα ποταμοῦ ἐκβολαί. Τούσκων, Λοῦνα, Σελήνης ἄκρον, Ἡρακλέους ἱερὸν, Ἄρνου ποταμοῦ ἐκβολαὶ, Ποπλώνιον πόλις, Ποπλώνιον ἄκρον, Τραϊανὸς λιμὴν, Τελαμὼν ἄκρον, Ὄσα ποταμοῦ ἐκβολαὶ, Κόσαι, Γραουίσκαι, Κάστρον νέον, Πύργοι, Ἄλσιον, Τιβέριος ποταμοῦ ἐκβολαὶ. Id eſt: *Macræ fluminis oſtium. Tuſcorum Luna, Lunæ promontorium, Herculis fanum, Arni amnis oſtium, Populonium opidum, Populonium promontorium, Traianus portus, Telamon promontorium, Oſæ fluminis os, Coſæ, Graviſcæ, Caſtrum novum, Pyrgi, Alſium, Tiberis fluvii oſtium.* Innumeros per Orbem terræ alios apud Ptolemæum eſſe errores, nemo geographiæ antiquæ peritus negaverit. & de Italiâ hac noſtrâ ne quid ampliùs hoc loco dicam; fœdè ab ipſo in hoc Etruriæ litore Macram amnem Lunæ opido ac promontorio præpoſitum eſſe, ſuprà oſtenſum eſt. Sed *Centumcellarum* tamen nomen prius in hoc Traiani portu evaluit: quum hanc adpellationem, præter Plinium Iuniorem ac Ptolemæum, nemo memoraverit. illud autem nomen, præter præſcripta itineraria ac Plinium Iuniorem, Lampridius etiam & Servius Procopiusque ac S. Paulinus & Agathia, ac ſecundùm hos Aimoinus, referunt. Lampridius in Commodo: *Auſpicium crudelitatis apud Centum cellas dedit.* S. Eutropius Paulinus de Martiani periculis & liberatione:

Sic iſte, Chriſto blandiente, molliter
Emenſus aſperum mare,
Longinquiorem portum ab Vrbe adlabitur,
Cui Centum cellis nomen eſt.

At Græcis auctoribus, Procopio & Agathiæ, more eius temporis eliſo μ, Κεντουκέλλαι, *Centucellæ*, dicuntur; ut apud eumdem Procopium Vandilicar. rer. lib. II & Goticar. lib. III & IIII, item apud Agathiam lib. I legitur Africæ urbs Ἱππορέγιος, & apud Procopium Goticar. lib. II Italiæ opida Οὐρβιβεντὸς & Οὐρβισαλία; quæ erant antiquis genuiniſque nominibus *Hippo Regius, Vrbs vetus, Vrbs Salvia.* Cæterùm Rutilius eumdem portum his deſcribit verſibus:

Ad Centumcellas forti defleximus auſtro.
Tranquillâ puppes in ſtatione ſedent.
Molibus æquoreum concluditur amphitheatrum:
Anguſtosque aditus inſula facta tegit.
Attollit genuinas turreis, bifidoque meatu
Faucibus arctatis pandit utrumque latus.
Nec poſuiſſe ſatis laxo navalia portu;
Ne vaga vel tutas ventilet aura rateis:
Interior medias ſinus invitatus in ædeis,
Inſtabilem fixis aëra neſcit aquis.

Inſulæ huius, ſeu potiùs duarum turrium in extremis inſulæ hinc inde poſitarum, inſignes exſtant etiamnunc reliquiæ. *Aedeis* autem intelligit Rutilius, quas Græci νεωσοίκους, ut ſuprà ad Populonium etiam Strabo vocavit, & νεώρια adpellarunt. nempe

nempe quibus ſubducebantur in ſtatione naves. Romani ſuâ lingvâ *cellas* dixerunt. unde ipſi portui *Centum cellarum* cognomen. Vrbem magni fuiſſe ſub Iuſtiniano imperatore nominis, teſtis eſt Procopius Goticarum rerum lib. II. Γότθοι, inquit, πόλιν ἐπιθαλασσίαν, λόγου πολλοῦ ἀξίαν, Κεντουκέλλας ὄνομα, ἐξεῖλον. ἔστι δὲ ἡ πόλις μεγάλη καὶ πολυάνθρωπος, ἐς τὰ Ῥώμης πρὸς ἑσπέραν ἐν Τούσκοις κειμένη, σταδίοις αὐτῆς ὀγδοήκοντα καὶ τριακοσίοις ἀπέχουσα. Id eſt: *Gothi urbem maritimam Centumcellas, admodùm ſplendidam, deſeruerunt, magnitudine ſuâ & incolentium numeroſitate maximè conſpicuam,* CCCLXXX *ſtadia ab Româ in occaſum versùs diſſitam.* Opidani inde dicuntur Agathiæ lib. I Κεντουκελλαῖοι· qui Latino ore formantur CEMTVMCELLANI. At, ut à *Vercellis Vercellenſes*, ſic à *Centumcellis* rectè Latinorum formatione feceris CENTVMCELLENSES; ut Aimoinus in Francis rebus *Centumcellenſeis* memorat *epiſcopos*, lib. IIII cap. CXIIII *Leonem*, lib. V cap. XVI *Petrum*.

MINIO hinc fluvius, V ampliùs millia paſſuum à Centumcellis verſùs Coſam & promontorium Argentarium, vulgò etiamnunc adcolis dicitur *Mignone*, & *Mognone*, ac *Mugnone*. unde apud Rutilium quoque præſcripto loco in plerisque exemplaribus legitur MVNIO; quibusdam *Minionem*, ut Virgilius, Servius, Vibius Sequeſter ac Tabula itineraria habent, referentibus. Virgilius Aeneid. lib. X: MINIO *amnis.*

Qui Carête domo, qui ſunt Minionis in arvis:
Et Pyrgi veteres, intempeſtæque Graviſcæ.

Ad quem locum ita Servius: *Minio, fluvius eſt Thuſciæ, ultra Centumcellas.* Et Vibius in Catalogo fluminum: *Minio, Etruriæ.* Vocabulum eius in Itinerario maritimo corruptum eſſe ſuſpicor in *Rapieni* & *Rapiono*. nulla quidpe commodior heic inter Centumcellas & Martam amnem, qui ſequitur, navium poſitio reperitur. huc adde numerum etiam VI millium, quæ eo intervallo in eodem itinerario ſcripta ſunt. Apud Melam lib. II cap. IIII ita legitur: *Vltra Tiberim Pyrgi, Anio, Caſtrum novum, Graviſcæ, Coſſa, Telamon, Populonia, Cecina, Piſæ; Etruſca & loca & nomina.* Quum neque *Cecina* fuerit loci nomen, ſed amnis; neque *Pyrgi* & *Caſtrum* & *Telamon* ac *Piſæ*, Etruſca nomina, ſed Græca ac Latina; ut partim ſuprà intellectum, partim mox infrà videbimus: omnino corrigendum heic cenſeo librarii errorem, *nomina* pro *flumina* ſcribentis. *Flumina* autem heic intellecta fuêre Melæ *Minio* & *Cecina*. pro illo eâdem librarii incuriâ ſeu imperitiâ ſuppoſitus eſt *Anio*, nobiliſſimus Latii amnis, tria millia paſſuum à Româ in Tiberim confluens. Eiusdem autem librarii ſupinâ oſcitantiâ an malè *Minio* inter *Pyrgos* & *Caſtrum novum* poſitus ſit, qui inter hoc & *Graviſcas* ponendus erat, haud temerè dixerim; quando ipſius Melæ non unus hoc ipſo capite, quo Italia deſcribitur, deprehenditur error.

ALGAE igitur iſtæ Itinerarii maritimi medio fuêre itinere inter Centumcellas & Minionem. ALGAE, *locus.*

MARTA *flumen* nomen antiquum totidem literis hodiéque ſervat; ex lacu Vulſinienſi profluens. Ad huius oſtium puto fuiſſe vicum quemdam, ſeu inſigne aliquod ædificium, nomine MARTANVM. qnod in Itinerario maritimo corruptum eſt in *Maltanum* & *Malcanum*. MARTA *flumen.*

Inter Minionem & Martam antiqua in primis fuit urbs, Velleio Paterculo ac Tabulæ itinerariæ ſingulari numero GRAVISCA, Virgilo autem, Livio, Straboni, Melæ, Plinio, Silio, Ptolemæo, Servio, Rutilio, Itinerario maritimo, plurali numero GRAVISCAE dicta. Sed apud Strabonem vocabulum id bifariam corruptum eſt. ſic quidpe in vulgatis hactenus exemplaribus legitur lib. V: Ἀπὸ δὲ Κοσῶν εἰς Ὠστίαν παραπλέουσι πολίχνιά ἐστι Γραουίσκιον καὶ Πύργοι καὶ Ἄλσιον καὶ Φρεγηνία. εἰς μὲν δὴ Γραουίσκους στάδιοι τ΄, ἀπὸ δὲ Γραουίσκων εἰς Πύργους μικρὸν ἐλάττους τῶν ρπ΄, ἀπὸ δὲ τῶν Πύργων εἰς Ὠστίαν σξ΄. Id eſt: *A Coſis navigantibus versùs Oſtiam opidula occurrunt, Graviſcium, Pyrgi, Alſium, Fregenia. Ad Graviſcos ſtadia ſunt* CCC: *à Graviſcis ad Pyrgos, paullò minùs* CLXXX: *à Pyrgis ad Oſtiam* CCLX. Omnino ſcripſerat Strabo Γραουίσκαι, & Γραουίσκας, *Graviſcæ, Graviſcas*; ut reliqui prædicti auctores omnes. Iſta quoque vocabula Ὠστίαν & Φρεγηνία emendanda eſſe in Ὤστια ac Φρεγῆναι, infrà ſuo loco patebit. Ptolemæus: Κόσαι, Γραουίσκαι, Κάστρον νέον, Πύργοι, Ἄλσιον, Τιβέριος ποταμοῦ ἐκβολαί. Id eſt: *Coſæ, Graviſcæ, Caſtrum novum, Pyrgi, Alſium, Tiberis amnis oſtium.* Mela dicto lib. II cap. IIII. *Vltra Tiberim, Pyrgi, Minio, Caſtrum novum, Graviſcæ, Coſa.* Plinius lib. III cap. V: *Portus Telamon, Coſa, Volcien-* GRAVISCAE *colonia.*

tium colonia, à populo Romano deducta: Graviſcæ, Caſtrum novum, Pyrgi. Et lib. XXXII cap. II, de curalio loquens. *Naſcitur & apud Graviſcas.* Opidani inde leguntur in antiquâ inſcriptione GRAVISCANI. unde etiam Plinius lib. XIIII cap. VI, de vinis agens, *Ab infero*, inquit, *mari Latinienſia, Graviſcana, Statonienſia.* Et in Digeſtor. lib. XXX, tit. I paragr. XXX, ex Celſi Digeſt. lib. XXXVI ita ſcriptum: *Reipublicæ Graviſcanorum lego in tutelam viæ reficiendæ, quæ eſt in coloniâ eorum usque ad viam Aureliam.* At ipſum opidum ita funditus interiit, ut veſtigium eius indicari nequeat: plerisque id opidum nunc interpretantibus, quod XX ampliùs millia paſſuum â Centumcellis verſùs occaſum vulgò dicitur *Monte Alto*; quibusdam verò id, quod medio itinere vocatur *Corneto*. Illos præſcripta Itineraria erroris maximè convincunt, inter Minionem & Martam *Graviſcas* referentia: utrosque verò ſitus etiam longiùs à mari, & in editis collibus. quidpe omnes pariter geographi ſuprà memorati, non in mediterraneo, ſed in ipſo maris ponunt litore id opidum. Plinii verba dicto lib. III cap. V hæc ſunt: *Primum Etruriæ opidum Luna, portu nobile. colonia Luca, à mari recedens, propiorque Piſæ.* Et mox: *Graviſcæ, Caſtrum novum, Pyrgi, Cæretanus amnis, & ipſum Cære, intus millia paſſuum* IIII. Tale quia nihil de *Graviſcis* adnotavit; certum eſt, in ipsâ orâ maritimâ eas intellexiſſe eum. unde etiam illud Rutilii:

Paullisper litus fugimus Minione vadoſum.
Suſpecto trepidant oſtia parva ſolo.
Inde Graviſcarum faſtigia rara videmus;
Quas premit æſtivæ ſæpè paludis odor.
Sed nemoroſa viret denſis vicinia lucis:
Pineaque extremis fluctuat umbra fretis.

Certè litus hoc præternavigantibus non modò faſtigia adparent Corneti, ſed totum opidum. Graviſcæ autem tam humili juxta litus ſitæ fuêre loco, uti, præter ſumma ædificiorum faſtigia, præ denſis lucis præternavigantibus nihil adpareret. Sub Cornetanis montibus ampla ac paluſtris eſt planities. in hac fuêre *Graviſcæ*; duo circiter millia paſſuum à lævâ Martæ fluminis ripâ. Itineraria heic cuncta corrupta ſunt. quidpe in Itinerario maritimo à *Minione* ad *Graviſcas* haud dubiè III tantùm conſignata fuêre *millia*; ubi nunc VI leguntur. Hodiéque à Centumcellis ad Martam X numerantur millia; quomodò Antonini præſcriptum iter habet. at dictum Itinerarium maritimum paullo conciſiora minutioraque, quàm alia, ſolet habere milliaria. unde eo intervallo XII ſignata fuêre. Inter Minionis & Martæ oſtia quum V tantùm hodiè numerentur; in Tabulâ itinerariâ incuriâ librarii vel temporis injuriâ non modò inter Centumcellas & Minionem fluvium, & item inter hunc & Graviſcas, numeri interierunt; verùm proximus inde numerus V millium inter Graviſcas & Tabellariam vitiatus eſt. quin imò vocem *Tabellaria* cum eo numero Martæ flumini ac Foro Aurelii interpoſitam, numerumque II millium inter Graviſcas & Martam ac Forum Aurelii, ex Antonini itinerario dilucidè adparet. Cæterùm de nomine *Graviſcarum* ita ad Virgilii proximè citatum locum ſcribit Servius: *Graviſcarum opidum alii intempeſtum dicunt ventis & tempeſtatibus carens. quod nullâ poteſt ratione contingere. Intempeſtas ergo Graviſcas accipiamus peſtilenteis, ſecundùm Plinium in Naturali hiſtoriâ & Catonem in Originibus. ut intempeſtas intelligas ſine temperie, id eſt tranquillitate. nam, ut ait Cato, ideò Graviſcæ dictæ ſunt, quòd gravem aërem ſuſtinent.* Hinc illud Rutilii:

Quas premit æſtivæ ſæpè paludis odor.

Eâdem igitur de cauſâ & Ovidius Μεταμορφώσεων lib. XVI Latii opidum apud Lirim amnem *Minturnas* adpellavit *graveis*: ſcilicet quia & ipſæ apud paludes fuêre ſitæ; ut infrà ſuo loco oſtendetur. Virgilius, dicto loco, Æneæ bellis Graviſcas infert. at hoc jam tempore ſi exſtiterunt; quomodò ante Troianum bellum vel ab Vmbris, vel à Pelaſgis, vel denique ab Etruſcis nomen Latinum acceperunt? Virgilianæ poëſeos fidus perpetuusque imitator Silius, ita canit lib. VIII belli Hannibalici:

Lectos Cære viros, lectos Cortona, ſuperbi
Tarchontis domus, & veteres misêre Graviſcæ.

Non tantùm *Graviſcarum* nomen ex præſcripto Virgilii loco transſcripſit; ſed & epi-

theton

theton *veteres*, quod ille *Pyrgis* tribuerat, hic Graviſcis addidit. Sanè, ſi Latinum eſt *Graviſcarum* vocabulum, à *gravitate ſoli* ſeu *aëris* opido quæſitum; aut ipſum opidum de novo Romani longè poſt Aeneæ tempora condidêre, aut antiquo opido, recèns ab ſe occupato, novum ſuâ lingvâ impoſuerunt. COLONIAM autem huc Romanorum deductam fuiſſe, teſtantur Livius atque Paterculus. quorum hic lib. I, *Cnæo*, inquit, *Manlio Volſone & M. Fulvio Nobiliore conſulibus Bononia deducta colonia: & poſt quadriennium Piſaurum ac Potentia; interjectoque triennio Aquileia & Graviſca*. Conſules eo anno fuêre M. Bæbius Pamphilus & P. Cornelius Cethegus; annusque fuit urbis Romæ conditæ IↃLXXI, ante natum Ieſum CLXXXII. Livius lib. XL: *Comitia conſulibus rogandis fuêre. creati, P. Cornelius Cethegus, M. Bæbius Pamphilus*. Et poſteà: *Colonia Graviſcæ eo anno deducta eſt in agrum Etruſcorum, de Tarquinienſibus quondam captum. quina jugera agri data. triumviri deduxerunt C. Calpurnius Piſo, P. Claudius Pulcher, C. Terentius Hiſtra*. Ex hoc ſanè Livii loco nihil ſuſpiceris, fuiſſe heic Etruſcorum Tarquinienſium opidum antè, quàm Romani coloniam ſuam eò deduxerint. Quod ſi tum primùm conditum; meritò à *gravitate aëris*, quam circumjectæ pepererunt paludes, *Graviſcas* Latinâ lingvâ dictum, credimus Catoni. Cæterùm Strabo loco præſcripto teſtatur, ſuâ tempeſtate fuiſſe πολίχνιον tantùm; id eſt, *exiguum opidum*.

Porrò ARMENIA *fluvius* (ſic enim in Tabulâ itinerariâ legendum colligo ex corrupto itidem Itinerarii maritimi vocabulo *Armine*) nullus alius eſſe poteſt, quàm qui apud opidum *Monte Alto* vulgò nunc dicitur *Fiore*. hic quidpe maximus eſt inter Martam promontoriumque Argentarium. tum inter Martæ & Floris oſtia rectè conveniunt VIIII millia paſſuum, quæ Itinerarium maritimum habet inter Martam & Arminiam. *ARMENIA flumen.*

Hoc igitur VIIII millium inter dictos amneis intervallum ex eodem Itinerario ſi in treis æquas parteis ſeces: ad prima terna millia fuerit QVINTINIANA *locus*; ad altera, REGIAE VILLAE. quem locum ſic intelligendum, ex Strabone diſcimus. Verba eius dicto lib. V hæc ſunt: Ἀπὸ δὲ Κοσῶν εἰς Γραουίσκους στάδιοι τ΄. ἐν δὲ τῷ μεταξὺ τόπος ἐστὶ καλούμενος Ῥηγισουίλλα. ἱστορεῖται δὲ γενέσθαι τοῦτο βασίλειον Μαλαιώτου Πελασγοῦ· ὅν φασι, δυναστεύσαντα ἐν τοῖς τόποις μετὰ τῶν συνοίκων Πελασγῶν, ἀπελθεῖν ἐνθένδε εἰς Ἀθήνας. Id eſt: *A Coſis ad Graviſcas ſtadia ſunt* CCC. *inter hæc eſt locus, qui vocatur* REGIS VILLA. *quam narrant olim fuiſſe regiam Malæoti Pelaſgi: qui quum illic cum reliquis incolis Pelaſgis habitaſſet, tandem Athenas inde migraverit*. *QVINTINIANA, locus.* *REGIS VILLA.*

AT FORVM AVRELII quo ſitu fuerit, paullo difficilius diſpectu eſt; quando Antoninus & Tabula itineraria tam longè inter ſe diſcrepant. Credo tamen, in Tabulâ inter eum locum & Martam fluvium ſcripta fuiſſe millia omni numero XII: quod iter poſtmodùm vitiatum conturbatumque eſt. apud Antoninum, duobus millibus imperitiâ incuriâque librarii adjectis, facta ſunt XIIII. Eſt autem is locus prope lævam Arminiæ ſive Floris amnis ripam vulgari nunc vocabulo *Monte Alto*, opidum ſatis celebre. ubi etiam antiquas Romanorum inſcriptiones conſpexi. Et remotum à maris litore fuiſſe *Forum Aurelii*, ex eo ſatis diſpicitur, quòd Itinerario maritimo non memoratur. Nomen & originem habuit ab *Aurelio* quodam, qui *Aureliam viam* à Româ Piſas usque, ſub initium haud dubiè ſubactæ à Romanis Etruriæ, ſtravit. ſic quidpe in Appiâ viâ fuit *Forum Appii*; in Flaminiâ, *Forum Flaminii*; in Aemiliâ, *Forum Aemilii Lepidi*; in Claudiâ eiusdem Etruriæ, *Forum Claudii*; in Caſſiâ item Etruriæ, *Forum Caſſii*. Quis autem ille fuerit *Aurelius*, incertum eſt. ipſius viæ antiquiſſima memoria exſtat apud Ciceronem in Philippicâ XII. *Tres*, inquit, *viæ ſunt ad Mutinam: à ſupero mari Flaminia; ab infero Aurelia; media Caſſia*. *FORVM AVRELII, opidum.*

Locus ille in Tabulâ itinerariâ SVCCOSA, intelligendus eſt SVB COSA. ſic quidpe in eâdem Tabulâ & apud Antoninum ſunt *Subſabione*, *Subromula*, *Sublupatia*; item apud hunc *Summurano*. & in illa *Sublanubio*. quorum locorum vicina opida dicebantur, *Sabio*, *Romula*, *Lupatia*, *Muranum*, *Lanuvium*. *SVB COSA, locus.*

Alter iſte locus Tabulæ proximus ab Armeniâ flumine *Ad nonas* haud dubiè erat genuino germanoque nomine AD NOVAS; fortè *tabernas*. quidpe hac adpellatione *Ad Novas* duo alia habet Tabula loca in eâdem Etruriâ; & item tertium in Sabinis. Quo autem ſitu hic noſter locus fuerit, incertum eſt; quando toto in eo itinere *AD NOVAS, locus.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

nere à Centumcellis ad Coſam numeri millium corrupti ſunt. nam ab Arminiâ amne ad Coſæ regionem XXV fermè ſunt millia paſſuum; quæ Antoninus inter Forum Aurelii & Coſam habet.

TABELLARIA, *locus.*

Locum autem, qui in eâdem Tabulâ inter Graviſcas & Martam TABELLARIA dicitur, referendum eſſe inter Martam & Forum Aurelii, jam anteà dixi. ſcriptum igitur fuiſſe id iter judico hoc modo:

Graviſca	
Marta fl.	II.
Tabellaria	V.
Foro Aureli	VII.

Cæterùm verba Rutilii ſuprà citavimus iſta:

Inde Graviſcarum faſtigia rara videmus;
Quas premit æſtiva ſæpè paludis odor.
Sed nemoroſa viret denſis vicinia lucis:
Pineaque extremis fluctuat umbra fretis.
Cernimus antiquas, nullo cuſtode, ruinas,
Et deſolatæ mœnia fœda Coſæ.

Hodiéque omne hoc litus lucis conſitum eſt. Atque hactenus dubia loca fluminaque inter Argentarium promontorium portumque Traianum ſive Centumcellenſem aperuimus. Nunc reliquum Etruſci litoris, quod à Centumcellis ad Tiberis oſtia protenditur, explicetur.

AQVAE TAVRI.

Haud ita procul à litore, quà Tolfam itur à Centumcellis, ad ſecundum nunc milliare conſpiciuntur *aquæ calidæ* cum antiquarum ſtructurarum reliquiis. Ex intervallo deprehenduntur eſſe antiquorum AQVAE TAVRI, Plinio, Tabulæ itinerariæ, Rutilio, Martyrologio Romano, & Gregorio Magno memoratæ. Opidani inde dicuntur Plinio lib. III cap. V AQVENSES *cognomine* TAVRINI. *Graviſcæ,* inquit, *Caſtrum novum, Pyrgi, Cæretanus amnis & ipſum Cære, intus millia paſſuum quatuor; Alſium, Fregenæ, Tiberis amnis. Intus coloniæ, Faliſca, Lucus Feroniæ, Ruſellana, Senenſis, Sutrina. de cætero Aretini veteres, Aretini Fidentes, Aretini Iulienſes, Amitinenſes, Aquenſes, cognomine Taurini, Blerani, Cortonenſes, Capenates.* Rutilii verba in Itinerario hæc ſunt:

Ad Centumcellas forti deflexímus auſtro.
Tranquillâ puppes in ſtatione ſedent.

Mox:

Noſſe juvat Tauri dictas de nomine thermas.
Nec mora difficilis millibus ire tribus.
Non illic guſtu latices vitiantur amaro,
Lymphaque fumifico ſulphure tincta calet.
Purus odor mollisque ſapor dubitare lavantem
Cogit, qua meliùs parte petantur aquæ.

Cùm natura aquarum, tùm III millia paſſuum prædictis aquis calidis probè conveniunt. nam longè prolixiora nunc per omnem Etruriam eſſe milliaria, quàm olim habuerint Romani, vulgò notum eſt. In Tabulâ itinerariâ inter Centumcellas & Caſtrum novum IIII ſunt millia: ſuper hoc autem intervallum forma ædificii, qualis aquis calidis paſſim per omnem Orbem in eâdem Tabulâ adponitur, depicta eſt; adjecto titulo, *Aquas Tauri.* inter has & Caſtrum novum VII poſita ſunt millia paſſuum. qui numerus convenit cum Rutilii III millibus: nempe, ſi his IIII illa inter Caſtrum novum & Centumcellas addas. In Martyrologio Romano ita ſcriptum eſt: *Undecimo Calend. Ianuarii Romæ S. Flaviani; qui ſub Iuliano Apoſtatâ pro Chriſto inſcriptione damnatus, & ad Aquas Taurinas in exſilium miſſus, illic orans ſpiritum Deo reddidit.* Apud Gregorium Magnum, Dialogor. lib. IIII cap. LV, hæc leguntur: *Prædictus Felix epiſcopus* [Portuenſis] *à quodam vitæ venerabilis presbytero, qui uſque ante biennium vixit, & in diœceſi Centumcellenſis urbis habitabat, atque eccleſiæ beati Ioannis, quæ in loco, qui dicitur Tauriana, ſita eſt, præerat; cognoviſſe ſe adſerit, quòd idem presbyter in eodem loco, in quo aquæ calidæ vapores nimios faciunt, quoties corporis*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

poris neceſſitas exigebat, lavari conſueverat. Omnino perſvaſum habeo, ſcripſiſſe ipſum Gregorium, *in loco, qui dicitur Tauri aquæ.* De origine harum aquarum ſimulque cognominis vulgatam fabulam recitat Rutilius prædicto loco his verbis:

Credere ſi dignum famæ; flagrantia Tauri
Inveſtigato fonte lavacra dedit:
Vt ſolet excuſſis pugnam præludere glebis,
Stipite quum rigido cornua prona terit.
Sive deus, faciem mentitus & ora juvenci,
Noluit ardentis dona latere ſoli:
Qualis, Agenorei rapturus gaudia furti,
Per freta virgineum ſolicitavit onus.
Ardua non ſolos deceant miracula Graios.
Auctorem pecudem fons Heliconis habet:
Elicitas ſimili credamus origine nymphas.
Muſarum latices ungula fodit equi.
Hæc quoque Pieriis ſpiracula comparat antris
Carmine Meſſallæ nobilitatus ager:
Intrantemque capit, diſcedentemque moratur
Poſtibus adfixum dulce poëma ſacris.
Hic eſt, qui primo ſeriem de conſule ducit;
Vsque ad Publicolas ſi redeamus avos.
Hic & præfecti nutu prætoria rexit.
Sed menti & lingvæ gloria maior ineſt.
Hic docuit, qualem poſcat facundia ſedem;
Vt bonus eſſe velit, quisque diſertus erit.

Ipſum hinc litus inter Centum cellas in Itinerariis deſcribitur hoc modo:

Antonini;		Antonini;		Tabulæ;		Itinerarium maritimum;	
A Româ per Portum Centumcellis M·P· LXIX, *ſic:*		*Viâ Aureliâ à Româ:*		*Româ, viâ Aureliâ:*		*Ab Vrbe Arelato usque:*	
In Portum	XIX.	*Loria*	XII.	*Lorio*	XII.	*Ad portum Auguſti*	....
Fregenas	IX.	|		*Bebiana*	...	|	
Alſio	IX.	|		*Alſium*	VI.	|	
Ad Turres	IIII.	*Ad Turres*	X.	|		|	
Pyrgos	XII.	*Pyrgos*	XII.	*Pyrgos*	X.	*A Portu Auguſti Pyrgos*	XXXVIII.
|		|		*Punicum*	VI.	*A Pyrgis Panapione*	III.
Caſtro novo	VIII.	*Caſtro novo*	VIII.	*Caſtro novo*	VIIII.	*A Panapione Caſtro novo, poſitio,*	VII.
Centum cellis	VIII.	*Centum cellis*	V.	*Centum cellis*	IIII.	*A Caſtro novo Centumcellis, poſitio,*	V.

Idem iter ita notavit Rutilius:

Tum demum ad naveis gradior, quà fronte bicorni
Dividuus Tiberis dexteriora ſecat.

* * *

Solvimus auroræ dubio quo tempore primùm
Agnoſci patitur redditus arva color.
Progredimur parvis per litora proxima cymbis:
Quarum perfugio crebra pateret humus.
Aeſtivos penetrent oneraria carbaſa fluctus:
Tutior autumnus mobilitate fugæ.
Alſia prælegitur tellus; Pyrgique recedunt:
Nunc villæ grandes; opida parva priùs.
Iam Cæretanos demonſtrat navita fineis.
Aevo depoſuit nomen Agylla vetus.
Stringimus abſumptum fluctuque & tempore Caſtrum.
Index ſemiruti porta vetuſta loci.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Ad Centum cellas forti deflexiмus auſtro.

Tranquillâ puppes in ſtatione ſedent.

Ad ſingula hæc loca indicanda adjungantur & geographi. Mela lib. II cap. IIII: *Vltra Tiberim Pyrgi, Minio, Caſtrum novum, Graviſcæ.* Plinius lib. III cap. V: *Graviſcæ, Caſtrum novum, Pyrgi, Cæretanus amnis, & ipſum Cære, intus millia paſſuum quatuor, Agylla à Pelaſgis conditoribus dictum: Alſium, Fregenæ, Tiberis amnis.* Ptolemæus: Γραουίσκαι, Κάστρον νέον, Πύργοι, Ἄλσιον, Τιβέριος ποταμοῦ ἐκβολαί. Id eſt: *Graviſcæ, Caſtrum novum, Pyrgi, Alſium, Tiberis oſtia.* Strabo lib. V: Ἀπὸ δὲ τῶν Κοσσῶν εἰς Ὤστια παραπλέουσι πολίχνιά ἐστι, Γραουίσκοι τε καὶ Πύργοι καὶ Ἄλσιον καὶ Φρεγήνια. εἰς μὲν δὴ Γραουίσκους στάδιοι τ'. ἀπὸ δὲ Γραουισκῶν εἰς Πύργους μικρὸν ἐλάττους τῶν ρπ' σταδίων, ἔστι δ' ἐπίνειον τῶν Καιρετανῶν ἀπὸ ν' σταδίων. *. ἀπὸ δὲ τῶν Πύργων εἰς Ὤστια σξ'. ἐν δὲ τῷ μεταξὺ τὸ Ἄλσιον καὶ ἡ Φρεγήνια. Περὶ μὲν τῆς παραλίας τῆς Τυρρηνικῆς ταῦτα. Hoc eſt: *A Coſis navigantibus ad Oſtiam opida parva occurrunt, Graviſcæ, Pyrgi, Alſium, Fregenia. Ad Graviſcas ſtadia ſunt* CCC. *à Graviſcis ad Pyrgos paullo minùs* CLXXX. *eſt autem Cæretanorum navale, ab* L *ſtadiis.* Mox: *A Pyrgis ad Oſtiam ſtadia ſunt* CCLX. *interjacent Alſium & Fregenia. Atque hæc de litore Etruſco.* His jam adde Livium quoque; qui lib. XXXVI ita tradit: *In comparandâ impigrè claſſe C. Livium prætorem contentio orta cum colonis maritimis paulliſper tenuit. nam quum cogerentur in claſſem, tribunos plebis adpellarunt. ab iis ad ſenatum rejecti ſunt. ſenatus ita, ut ad unum omnes conſentirent, decrevit; Vacationem rei navalis his colonis non eſſe. Oſtia, & Fregena & Caſtrum novum & Pyrgi & Antium & Tarracina & Minturnæ & Sinueſſa fuerunt.* Ex his quatuor poſteriora Latii fuêre opida. illa Etruriæ exponere nunc adgredior.

CASTRVM NOVVM *opidum.*

Millia à Centum cellis IIII versùs Tiberim progreſſis occurrunt ingentia hodiéque antiqui caſtelli veſtigia, fluctibus marinis tota obruta; ita, uti non niſi tranquillo mari conſpiciantur. Ex eo igitur intervallo, ſimulque ex Rutilii deſcriptione locus hic CASTRVM NOVVM eſſe deprehenditur; Livio, Melæ, Plinio, Ptolemæo, & præſcriptis Itinerariis memoratum. Apud Virgilium Aeneid. lib. VI Anchiſes de Albanis regibus ita vaticinatur filio Aeneæ:

Hi tibi Nomentum & Gabios urbemque Fidenam,
Hi Collatinas imponent montibus arceis;
Pometios Caſtrumque Inui Bolamque Coramque.

Ad hæc ita Servius: *Caſtrumque Inui. Vna eſt in Italia civitas: Caſtrum novum dicitur. de hac autem ait, Caſtrum Inui; id eſt, Panos, qui illic colitur. Inuus enim Latinè adpellatur; Græcè* Πάν· *item* Ἐφιάλτης *Græcè, Latinè Incubus. idem Faunus; idem Fatuus, Fatuellus.* Virgilium iſtic priſci Latii tantùm enumerare opida, nemo umquàm dubitare potuerit. nam quid Albanis regibus juris ſive imperii in Etruriâ? Et fuiſſe in Latino litore ſub Romanis etiam imperatoribus opidum nomine *Caſtrum*, inter Ardeam & Antium, poſteà in Latii deſcriptione ex Ovidio, Silio, ac Martiali docebo. Hoc verò cognominatum fuiſſe *Caſtrum novum*, quia nuſquàm alibi reperio apud auctores, nec heic credibile mihi fit. nihilque certius, quàm intellexiſſe Servium id opidum, quod tot ſuprà ſcriptis auctoribus memoratur inter Graviſcas & Pyrgos. quidpe de hoc Rutilius quoque prædicto loco ſic tradit:

Stringimus abſumptum fluctuque & tempore Caſtrum.
Index ſemiruti porta vetuſta loci.
Præſidet exigui formatus imagine ſaxi,
Qui paſtorali nominà fronte gerit.
Multa licèt priſcum nomen deleverit ætas;
Hoc Inui caſtrum fama fuiſſe putat.
Seu Pan Tyrrhenis mutavit Mænala ſilvis;
Sive ſinus patrios incola Faunus init.
Dum renovat largo mortalia ſemina fœtu,
Fingitur in Venerem pronior eſſe deus.

At Virgilius, ut antè dictum, *Caſtrum Inui* Latio haud ambiguis tribuit verbis. & Servius teſtatur, unum ſolum hoc nomine in Italiâ fuiſſe opidum: falſum igitur ex illius ſententiâ erit, quod ipſe juxtà cum Rutilio tradit, *Caſtrum novum* in Etruſco litore id nominis tuliſſe. Convincit hoc ipſum communis atque unanimis tot

auctorum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

auctorum conſenſus: quorum nemo id *Caſtrum Inui*, ſed omnes *Caſtrum novum* adpellaverunt. Servium autem immaneis ſæpè in geographicis commiſiſſe errores, paſſim in hoc Italiæ opere oſtendimus. Vnum ex innumeris hoc loco in medium adducam. Virgilius Aeneid. lib. VII inter alia agri Sabini opida *oliviferas* refert *Mutuſcas*. ſuper his ita commentatur Servius: *Hæc Trebia poſteà dicta eſt; quam modò Tribulam dicunt. apud quam Hannibal delevit populum Romanum. Lucanus: Cannarum fuimus Trebiæque juventus.* O miſerum grammaticum, qui tam imperitè ac turpiter flumen Galliæ Circumpadanæ cum opido Sabinorum confudit? Verùm de *Caſtro novo* non Servii modò fuiſſe errorem; ſed omnium poſterioris illius ſæculi, quo *Caſtrum Inui* in Latio jam nullum fuit, communem opinionem; ex Rutilii exemplo adparet. Servii Rutiliique (quos tamen non citat) auctoritatem an ſequutus ſit noviſſimus Silii ſcholiaſtes Claudius Dauſqueius, ubi *Caſtrum* poëtæ docet idem eſſe, quod Plinio dicitur *Caſtrum novum* in lib. III cap. V, equidem ignoro. at ex ipſo poëtâ ſuo ſimulque ex Plinio facilè deprehendiſſe poterat, hunc *Caſtrum novum* cum ſuprà memoratis auctoribus in Tuſco recenſere litore; illum verò *Caſtrum* ſuum inter Latina opida ac flumina, ad imitationem Virgilii; cuius *Caſtrum Inui* heic citat ipſemet Dauſqueius. Sed errandi anſam Servio & Rutilio aliiſque eiuſdem ſæculi mortalibus præbuit, quòd hoc tractu apud *Cære* opidum, ut mox videbimus, colebatur *Silvanus*; qui idem erat & *Inuus* & *Pan* & *Faunus*; ut infrà lib. III cap. I oſtendetur. *Coloniam* fuiſſe quondam Romanorum hoc *Caſtrum novum* in Etruſco litore, paullo antè ex Livii libro XXXVI intelleximus.

Pyrgorum, qui Caſtrum novum proximè ſequuntur, ſitum uti diſpicere queamus, CAERE *opidum* antè indicandum erit: quod IIII millia paſſuum à mari abeſſe, tradit Plinius. Id antiquum hodiéque retinet ſitum in ſaxeo tumulo; & item nomen, exiguo detortum; quo vulgò vocatur *Cervéteri:* quaſi dicas *Cere véteri*; id eſt *Cære vetus*: ad diſcrimen alterius opidi, quod eodem tractu vulgò dicitur *Ceri*. Memoratur antiquum *Cære* Herodoto, Lycophroni, Virgilio, Livio, Dionyſio Halicarnaſſenſi, Straboni, Valerio Maximo, Plinio, Silio, Ptolemæo, Iuſtino, Servio, Rutilio, Stephani epitomatori. Sed AGYLLA antè fuit *dictum à Pelaſgis conditoribus*; teſte Plinio, loco ſuprà citato. cui conſentiens Dionyſius lib. I, Ὤικουν, inquit, οἱ Πελασγοί· ὧν ἐστιν ἡ Καιρητανῶν πόλις, Ἄγυλλα δὲ τότε καλουμένη. id eſt: *Incolebant Pelaſgi: quorum eſt Cæretanorum urbs; quæ tunc dicta fuit Agylla.* Et lib. III: Ἐπὶ τὴν Καιρητανῶν πόλιν ἦγε τὴν δύναμιν· ἣ πρότερον μὲν Ἄγυλλα ἐκαλεῖτο, Πελασγῶν αὐτὴν κατοικούντων· ὑπὸ δὲ Τυῤῥηνοῖς γενομένη Καίρητα μετωνομάσθη. Id eſt: *Ad Cæretanorum urbem duxit exercitum. quæ olim, quum à Pelaſgis teneretur, Agylla dicta eſt: dein ſub Etruſcis Cæreta nominata.* Et Stephani epitomator: Καιρὴ, πόλις Τυῤῥηνίας. τὸ ἐθνικὸν Καιρητανός. εἴρηται ἐν τῷ περὶ Ἀγύλλης. Hoc eſt: *Cære, urbs Etruriæ. unde gentilitium Cæretanus. Dictum de eâ in vocabulo Agylla.* In hoc vocabulo ita tradit: Ἄγυλλα, πόλις Τυῤῥηνίας. ἔστι δὲ κτίσμα τῶν ἐκ Θετταλίας Πελασγῶν. μετωνομάσθη δὲ Καῖρε. Θετταλῶν γὰρ κρατούντων τῆς πόλεως, προσελθών τις τῶν ἀπὸ Λυδίας μετοικησάντων Τυῤῥηνῶν, ἠρώτα, τί ἂν εἴη τὸ ὄνομα τῆς πόλεως; τὶς δὲ, ἀντὶ τῆς ἀποκρίσεως, τὸ Χαῖρε εἶπεν· ὅθεν Τυῤῥηνοὶ κρατήσαντες, Καῖρε προσηγόρευσαν. Τὸ ἐθνικὸν Καιρετανοί· ὡς Στράβων. Id eſt: *Agylla, urbs Etruriæ, condita à Pelaſgis è Theſſaliâ profectis. poſteà autem Cære dicta. quidpe quum Theſſali eam tenerent, accedens quidam Tyrrhenorum, qui huc ex Lydiâ commigraverant, percunctatus eſt, Quodnam urbi nomen eſſet. quidam vero loco reſponſi dixit,* Χαῖρε. [id eſt, *Salve.*] *hinc Tyrrheni, quum eam cepiſſent, vocaverunt Cære. Gentile eius eſt Cæretani; ut habet Strabo.* Huius verba, lib. V ſunt iſta: Περὶ μὲν τῆς ἐπιφανείας τῶν Τυῤῥηνῶν ταῦτα. καὶ ἔτι τὰ τοῖς Καιρετανοῖς πεπραγμένα. * — *. Ἄγυλλα ἐλέγετο τὸ πρότερον ἡ νῦν Καῖρε. καὶ λέγεται Πελασγῶν κτίσμα, τῶν ἐκ Θετταλίας ἀφιγμένων· τῶν δὲ Λυδῶν οἵπερ Τυῤῥηνοὶ μετωνομάσθησαν, ἐπιστρατευσάντων τοῖς Ἀγυλλαίοις, προσιὼν τῷ τείχει τις ἐπυνθάνετο τοὔνομα τῆς πόλεως· τῶν δ᾽ ἀπὸ τοῦ τείχους Θετταλῶν τινος, ἀντὶ τοῦ ἀποκρίνασθαι, προσαγορεύσαντος αὐτὸν Χαῖρε, δεξάμενοι τὸν οἰωνὸν οἱ Τυῤῥηνοὶ τοῦτον, ἁλοῦσαν τὴν πόλιν μετωνόμασαν. Id eſt: *Hæc igitur de Tyrrhenorum claritudine. quibus adjici poteſt Cæretanorum quoque facinus.* Paullo pòſt: *Agylla priùs vocabatur, quæ nunc Cære eſt. ferturque condita à Pelaſgis è Theſſaliâ profectis. quos Lydorum qui mutato nomine Tyrrheni dicti ſunt, quum bello petiſſent, acceſſiſſe quemdam ad murum, nomen urbis ſciſcitantem. quumque Theſſalorum quidam de muro reſponſi loco eum ſalvere juſſiſſet* [quod Græco vocabulo dicitur Χαῖρε;] *omen accepiſſe Tyrrhenos & urbi*

capta

AGYLLA *opidum; quod &* CAERE, *municipium.*

captæ nomen mutaſſe. At Servius, in Virgilii Aeneid. lib. VIII, non à Tuſcis, ſed à Romanis nomen *Cære* primùm uſurpatum tradit. *Agylla*, inquit, *civitas eſt Tuſciæ, à conditore Agellâ adpellata. cui ex inſcientiâ Romanâ aliud eſt inditum nomen. nam quum Romani, euntes per Tuſciam, interrogarent Agyllinos, quæ diceretur civitas: illi, utpote Græci, quid audirent, ignorantes; & optimum ducentes, ſi priùs eos ſalutarent; dixerunt* Χαῖρε. *quam ſalutationem Romani nomen civitatis eſſe putaverunt; &, detractâ adſpiratione, Cære nominaverunt: ut dicit Hyginus de Vrbibus Italicis.* Sed aliam vocabuli originem attuliſſe videtur idem Servius ad Virgilii Aeneid. lib. X. *Cære*, inquit, *dicitur* ἀπὸ τοῦ χαίρειν· *quod verbum ſalutandi gratiâ apud Græcos dici ſolet. Hanc Pelaſgi condiderunt. qui quum ſitim paſſi, nec uſquàm aquam invenientes, caſu quodam fontem inveniſſent; in eodem loco opidum condiderunt.* Ergo tunc ἀπὸ τοῦ χαίρειν, id eſt, *à gaudendo*, quòd fontem inveniſſent, non verò à *ſalutando*, ſic dictum eſt. Scilicet geminam de opidi nomine intellexerat narrationem; quam in vnam confudit. A Pelaſgis primò conditum opidum, nomine ei impoſito *Agyllæ*, haud equidem dubitaverim; quando in id tot conſentiunt auctores graviſſimi. at unde poſtmodò, Etruſcis tenentibus, novum nomen *Cære* acceperit, incertum eſſe puto. quidpe de verbo χαῖρε grammaticum vereor eſſe figmentum. Vetuſtiſſimis ſanè ſcriptoribus *Agylla* adpellatur; & incolæ eius AGYLLANI, ſive AGYLLINI: etiam Etruſcis jam imperium heic obtinentibus. Herodotus lib. I, de Phocæenſibus Græcis loquens, qui Cyri, Perſarum regis, tyrannidem fugientes, *Alaliam* urbem in Corſicâ condiderunt, C circiter annis ante Herodoti hiſtorias conditas: Στρατεύονται ὦν ἐπ' αὐτοὺς, κοινῷ λόγῳ χρησάμενοι, Τυρσηνοὶ καὶ Καρχηδόνιοι, νηυσὶ ἑκάτεροι ἑξήκοντα. * · Συμμισγόντων δὲ τῇ ναυμαχίῃ, Καδμείη τις νίκη τοῖσι Φωκαιεῦσι ἐγένετο· * — * Τῶν δὲ διαφθαρεισέων νεῶν τοὺς ἄνδρας οἵ τε Καρχηδόνιοι καὶ οἱ Τυρσηνοὶ ἔλαχόν τε αὐτῶν πολλῷ πλείους, καὶ τούτους ἐξαγαγόντες κατέλευσαν. Μετὰ δὲ Ἀγυλλαίοισι πάντα τὰ παριόντα τὸν χῶρον ἐν τῷ οἱ Φωκαιέες καταλευσθέντες ἐκέατο, ἐγίνετο διάστροφα καὶ ὑποζύγια καὶ ἔμπηρα καὶ ἀπόπληκτα, ὁμοίως πρόβατα καὶ ἄνθρωποι. Οἱ δὲ Ἀγυλλαῖοι εἰς Δελφοὺς ἔπεμπον, βουλόμενοι ἀκέσασθαι τὴν ἁμαρτάδα. ἡ δὲ Πυθίη σφέας ἐκέλευσε ποιέειν τὰ καὶ νῦν οἱ Ἀγυλλαῖοι ἔτι ἐπιτελέουσι. καὶ γὰρ ἐναγίζουσί σφι μεγάλως, καὶ ἀγῶνα γυμνικὸν ἐπιστᾶσι. Hoc eſt: *Communi itaque ſententiâ bellum adversùs eos moverunt Etruſci & Carthaginienſes; utrique* LX *navibus inſtructi.* Mox: *Commiſſâ navali pugnâ, Cadméa quædam contigit victoria Phocæenſibus.* Exiguo pòſt: *Verùm è navibus, quæ perierant, quotquot homines in Carthaginienſium Etruſcorumque manus pervenerunt, (capti enim plurimi;) hi omnes protracti lapidibus obruebantur. Poſt hæc verò, quæcumque ex Agyllanorum vel pecoribus vel jumentis, vel etiam homines locum illum accedebant, in quo Phocæenſes lapidati fuerant, continuò mente alienabantur, ac ſtupore ignique corripiebantur ſacro. Quare Agyllani Delphos miſerunt, cupientes crimen illud expiare. Pythia ea juſſit facere, quæ etiam nunc ab Agyllanis obſervantur. nam & juſta illis perſolvunt magnificè, & gymnicum celebrant certamen.* Lycophron in Alexandrâ de Aeneæ in Italiam adventu loquens:

— Ἐκ δ' Ἁλμωνίας
Πάλιν πλανήτην δέξεται Τυρσηνία
Λυγκεύς τε, θερμὸν ῥεῖθρον ἐκβράσσων ποτῶν,
Καὶ Πῖσσ' Ἀγύλλης θ' αἱ πολύρρηνοι νάπαι.

Id eſt: — *Ex Halmoniâ*
Rurſus erronem excipiet Tyrſenia
Lynceusque, calidum ejiciens laticum flumen,
Et Piſſa, ſaltusque Agyllæ pecoroſi.

Et poſteà de ipſis Tyrrhenis; quos, ut plerique alii ſcriptores, ex Lydiâ in Italiam deducit:

Αὖθις δὲ κίρκοι, Τμῶλον ἐκλελοιπότες
Κίμψον τε καὶ χρυσεργὰ Πακτωλοῦ ποτὰ,
Ἄγυλλαν Αὐσονῖτιν εἰσεκώμασαν.

Hoc eſt:

Deinde accipitres, Tmolum relinquentes
Et Cimpſum, atque aurifera Pactoli fluenta,
In Agyllam Italicam inruerunt.

Apud Virgilium Aeneid. lib. VIII Euander ſic adfatur Aeneam:

Haud procul hinc ſaxo incolitur fundata vetuſto
Vrbis Agyllinæ ſedes: ubi Lydia quondam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Gens, bello præclara, jugis inſedit Etruſcis.
Hanc multos florentem annos rex deinde ſuperbo
Imperio & ſævis tenuit Mezentius armis.

Lib. VII, de Mezentii filio Lauſo:

Lauſus equûm domitor, debellatorque ferarum,
Ducit, Agyllinâ nequidquàm ex urbe ſequutos,
Mille viros.

Lib. XII: *Troës Agyllinique & pictis Arcades armis.*

Strabo dicto lib. V: Παρὰ δὲ τοῖς Ἕλλησιν εὐδοκίμησεν ἡ πόλις αὕτη, διά τε ἀνδρίαν καὶ δικαιοσύνην. τῶν τε γὰρ λῃστηρίων ἀπέσχετο, καίπερ δυναμένη πλεῖστον, καὶ Πυθοῖ τὸν Ἀγυλλαίων καλούμενον ἀνέθηκε θησαυρόν. Id eſt: *Apud Græcos urbs ea in magnâ fuit exiſtimatione ob juſtitiam ſimul & fortitudinem. quidpe & abſtinuit latrociniis, quamquàm potentiſſima foret, & apud Delphos theſaurum conſecravit, qui Agyllanorum vocatur.* Ergo verum fuerit, quod Plutarchus in Camillo Ἑλληνίδα πόλιν, id eſt *Græcam urbem* eam vocat, quum, Gallis urbem Romam occupantibus, L. Albinus virgines Veſtaleis cum ſacris vehiculo illuc deportaret. quod tamen contra Herodoti ſuprà memoratam auctoritatem pugnat. quamquàm & ipſe illic Delphici meminit oraculi: quod Græcis magis Pelaſgis, quàm Etruſcis barbaris conveniebat. Nihil igitur certi ex tam variis auctorum traditionibus elici poteſt, quo tempore & à quibus mortalibus nomen antiquum urbis immutatum fuerit. Cæterò poſterius eius nomen CAERE indeclinabile eſt; ut *Tergeſte, Ateſte, Præneſte, Reate, Teate.* Livius lib. I. *Turnus Rutulique diffiſi rebus, ad florenteis Etruſcorum opes Mezentiumque eorum regem confugiunt: qui Cære, opulento tum opido, imperitabat.* Et lib. V: *L. Albinus virgines ſacraque in plauſtrum impoſuit, & Cære pervexit.* Item lib. VIIII: *Cære educatus apud hoſpites.* Plinius lib. XXXV cap. III: *Exſtant certè hodiéque antiquiores urbe picturæ Ardeæ, in ædibus ſacris. ſimiliter Lanuvii. durant & Cære, antiquiores & ipſæ.* Quapropter vereor, ut ſatis probè ac ſine mendo apud Iuſtinum lib. XX accuſativus caſus ſcriptus ſit *Cæren.* credoque, ſcripſiſſe ipſum Iuſtinum, *Quid Cære urbem dicam?* Sed ut *Tergeſte, Præneſte, Ateſte,* in genitivo caſu habebant *Tergeſtis, Præneſtis, Ateſtis;* quòd ſuprà lib. I. cap. XX in Carnis oſtendi: ſic Virgilius, Aeneid. lib. VIII, licèt paullo aliâ formâ, à *Cære* genitivum fecit *Cæritis*, hoc verſu:

Eſt ingens gelidum lucus prope Cæritis amnem.

Dativum etiam caſum in huiusmodi vocabulis formari in *ti* Chariſius Inſtitut. grammat. lib. I docet. Opidani ab *Cære* eodem vocabulo vocabantur CAERITES; ut inſcriptiones antiquæ habent, & item Feſtus in vocibus *municipium* & *oſcillum*: & Livius lib. VII. *Ceritem populum*, & *Cæritum fineis*, ac ipſos *Cærites* refert; & item Val. Maximus lib. I cap. VI, *Cærites aquas ſangvine miſtas fluxiſſe.* quod ille ex Livii lib. XXII transſcripſit; ubi nunc mendosâ ſcripturâ legitur, *Et aquas Cærete ſangvine miſtas fluxiſſe*; pro, *aquas Cærites*, ſive *Cærétes*. nam ut à Καῖρε fiebat *Cærites*, mediâ ſyllabâ brevi; ſic à Καιρὴ formabatur CAERETES, mediâ productâ. unde hoc Virgilii Aeneid. lib. X:

Qui Cærete domo, qui ſunt Minionis in arvis.

Ab eodem Καιρὴ, ſeu potiùs, ut ſuprà citato loco Dionyſius habet, Καίρητα, formati ſunt iidem opidani Καιρητανοὶ CAERETANI; ut ibidem Dionyſius refert; & item Rutilius his verſibus:

Iam Cæretanos demonſtrat navita fineis.
Aevo depoſuit nomen Agylla vetus.

Item Martialis lib. XIII epigr. CXXIIII:

Cæretana Nepos ponat; Setina putabis.

Hinc Columella Ruſticar. rer. lib. III cap. III: *In Cæretanis noſtris.* & cap. VIIII; *In Cæretano tuo.* Alii à prædicto Καῖρε fecêre Καιρετανοί. ut Strabo, & ex eo Stephanus. Et Καῖρε per *e* tenue pleroſque ſcripſiſſe auctores animadverto. ſic quidpe Strabo & Ptolemæus; ſic item Silius lib. VIII his verſibus:

Lectos Cære viros, lectos Cortona, ſuperbi
Tarchontis domus, & veteres miſère Graviſcæ.

De cætero opulentiam & antiquam dignitatem urbis adnotarunt locis ſuprà ſcriptis Livius, Virgilius; Strabo: ſed & Lycophron; ubi Ἀγύλλης memorat πολυῤῥήνους νάπας,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

νάπας, id eſt, *pecoroſos Agyllæ ſaltus*. His adde Dionyſium; qui dicto lib. III, Εὐδαίμων δ' ἦν, inquit, εἰ καί τις ἄλλη τῶν ἐν Τυρρηνίᾳ πόλεων, καὶ πολυάνθρωπος· ἐξ ἧς στρατιὰ μεγάλη ἐξῆλθε. Id eſt: *Vrbs erat viris & opibus florens; ſi qua alia Etruſcarum urbium: ex qua magnus exercitus exibat*. Fuiſſe & ipſam in numero XII principum Etruriæ urbium, teſtis eſt idem Dionyſius lib. IIII, in rebus geſtis Servii Tullii, Romanorum regis. Μετὰ τὴν τοῦ Ταρκυνίου, inquit, τελευτὴν αἱ παραδοῦσαι τὴν ἡγεμονίαν ἐκείνῳ πόλεις οὐκ ἔτι φυλάττειν ἤθελον τὰς ὁμολογίας, Τυλλίῳ τε οὐκ ἀξιοῦσαι, ταπεινῷ κατὰ γένος ὄντι, ὑπακούειν, καὶ τὴν διαφορὰν τῶν πατρικίων, τὴν πρὸς τὸν ἡγεμόνα γινομένην, μεγάλην σφίσιν ὠφέλειαν παρέξειν νομίζουσαι. Ἦρξαν δὲ τῆς ἀποστάσεως οἱ καλούμενοι Οὐϊεντανοί. δεξάντων δὲ τούτων, Καιρητανοί τε ἠκολούθησαν καὶ Ταρκυνῖται· καὶ τελευτῶσα ἐν ὅπλοις ἦν ἅπασα ἡ Τυρρηνία. * . * . Εἰκοστῷ δ' αὖ ἔτει συνελθοῦσαι πάλιν αἱ δώδεκα πόλεις, γνώμην ἔχον παραδοῦναι Ῥωμαίοις τὴν ἡγεμονίαν. * . Τύλλιος οὖν καταλύεται τὸν πρὸς αὐτοὺς πόλεμον, ταῖς μὲν ἄλλαις πόλεσιν ἀπόνως καὶ δίχα ὀργῆς μνησικακίας πολιτεύεσθαί τε ἀποδοὺς, ὡς πρότερον, καὶ τὰ ἴδια καρποῦσθαι. τρεῖς δὲ ἐξ αὐτῶν πόλεις, αἳ προεξανέστησάν τε καὶ τὰς ἄλλας ὑπηγάγοντο κατὰ Ῥωμαίων ἐξενεγκεῖν τὸν πόλεμον, Καιρητανῶν καὶ Ταρκυνιητῶν καὶ Οὐϊεντανῶν, ταύτας ἀφαιρεῖται χώρας τιμωρητικῷ νόμῳ. Hoc eſt: *Defuncto Tarquinio, civitates, quæ ſe illius imperio ſubmiſerant, nolebant ampliùs ſtare fœderis condicionibus, dedignatæ parere Tullio, homini obſcuris orto natalibus; tum ſublatæ ad novas ſpes patriciorum cum rege diſſidio. Initium defectionis à Veientibus ortum eſt. hos auctores ſequuti ſunt Cæretani ac Tarquinienſes. poſtremò univerſa in armis fuit Etruria*. Exiguo pòſt: *Vigeſimo pòſt anno coactæ rurſus in concilium XII urbes, decreverunt Romanis principatum tradere*. Mox: *Tullius itaque pacem eis dat; cæteris quidem impunè, poſitâ irâ & omnium injuriarum memoriâ, ſuo jure vivere ac bonis frui, ut antè permittens: ſed treis urbeis, quæ primæ defecerant, cæteraſque ad bellum Romanis inferendum concitaverant, Cæretanos ſcilicet, Tarquinienſeis, ac Veientanos parte agrorum mulctans*. Hinc etiam rex ei tribuitur ab auctoribus Mezentius, qui auxilia tuliſſe fertur Turno, Rutulorum regi, contra Aeneam & Aborigines. Livius lib. I: *Inde Turnus Rutulique, diffiſi rebus, ad florenteis Etruſcorum opes Mezentiumque, eorum regem, confugiunt: qui Cære opulento tum opido imperitabat*. Apud Virgilium Aeneid. lib. VIII Euander ita Aeneæ dicit:

Haud procul hinc ſaxo incolitur fundata vetuſto
Vrbis Agyllinæ ſedes: ubi Lydia quondam
Gens, bello præclara, jugis inſedit Etruſcis.
Hanc multos florentem annos rex deinde ſuperbo
Imperio & ſævis tenuit Mezentius armis.

Municipium poſteà factum Romanorum, teſtis eſt Pompeius Feſtus. *Municipium*, inquit, *id genus hominum dicitur, qui, quum Romam veniſſent, neque cives Romani eſſent: participes tamen fuerunt omnium rerum ad munus fungendum unà cum Romanis civibus, præterquàm de ſuffragio ferendo, aut magiſtratu capiendo; ſicut fuerunt Fundani, Formiani, Cumani, Acerrani, Lanuvini, Tuſculani. qui poſt aliquot annos cives Romani effecti ſunt. Alio modo; quum id genus hominum definitur, quorum civitas univerſa in civitatem Romanam venit; ut Aricini, Cærites, Anagnini*. Quo merito Cærites in civitatem recepti fuerint, oſtendit Strabo dicto lib. V. Περὶ μὲν, inquit, τῆς ἐπιφανείας τῶν Τυρρηνῶν ταῦτα. καὶ ἔτι τὰ τοῖς Καιρετανοῖς πραχθέντα. καὶ γὰρ τοὺς ἑλόντας τὴν Ῥώμην Γαλάτας κατεπολέμησαν, ἀπιοῦσιν ἐπιθέμενοι κατὰ Σαβίνους· καὶ ἅπερ ἑκόντων ἔλαβον Ῥωμαίων ἐκεῖνοι λάφυρα, ἄκοντας ἀφείλοντο. πρὸς δὲ τούτοις, τοὺς καταφυγόντας παρ' αὐτοὺς ἐκ τῆς Ῥώμης ἔσωσαν, καὶ τὸ ἀθάνατον πῦρ, καὶ τὰς τῆς Ἑστίας ἱερείας. Οἱ μὲν οὖν Ῥωμαῖοι, διὰ τοὺς τότε φαύλως διοικοῦντας τὴν πόλιν, οὐχ ἱκανῶς ἀπομνημονεῦσαι τὴν χάριν αὐτοῖς δοκοῦσι. πολιτείαν γὰρ δόντες, οὐκ ἀνέγραψαν εἰς τοὺς πολίτας· ἀλλὰ καὶ τοὺς ἄλλους, τοὺς μὴ μετέχοντας τῆς ἰσονομίας, εἰς τὰς δέλτους ἐξώριζον τὰς Καιρετανῶν. Hoc eſt: *Hæc de Tyrrhenorum claritate. quibus adjiciantur & Cæretanorum facta. hi enim Gallos, qui Romam ceperant, debellaverunt, adorti eos in Sabinis: invitiſque extorſerunt prædam, quam ipſi volentibus Romanis abſtulerant. præterea Romanos ad ſe confugienteis, æternumque ignem ac Veſtaleis virgines conſervaverunt. Quamobrem Romani, propter eos qui tum urbem malè adminiſtrabant, non ſatis memores accepti beneficii ſeſe exhibuiſſe videntur. quidpe quum eis jus civitatis darent; inter civeis tamen nomina eorum non retulerunt. quin & alios, qui æquali jure cum civibus reliquis non fruerentur, in Cæretanorum tabulas rejiciebant*. Sanè non veriorem huius rei cauſſam retuliſſe videtur Horatii commentator, ad hæc poëta verba in epiſt. VI libri I:

—— *Cærite*

——— *Cærite cerâ*
Digni.

Ad quæ ita commentator: *Cære opidum in Italiâ fuit: quò, captâ à Gallis Vrbe, ſacra Romana cum virginibus* [adde *Veſtalibus*] *tranſlata ſunt. quæ quum ſervaſſent integra; pro eo beneficio Cærites civitate donati ſunt, municipesque facti. At poſteaquàm ſunt auſi Romanis rebellare; eis devictis, iterumque civitate donatis, jus ſuffragiorum ademptum eſt; cenſusque eorum in tabulas relati; & à cæterorum cenſibus remoti ſunt. Hinc factum, ut, qui aliquid flagitii admitteret, in Cæritum tabulas relatus diceretur.* Hinc igitur inter *Præfecturas* etiam idem opidum connumerat prædictus Feſtus. *Præfecturæ*, inquit, *eæ adpellabantur in Italiâ, in quibus & jus dicebatur & nundinæ agebantur; & erat quædam earum reſpublica: neque tamen magiſtratus ſuos habebant. in quas legibus præfecti mittebantur quotannis, qui jus dicerent. quarum genera fuerunt duo: alterum, in quas ibant, quos prætor urbanus quotannis in quæque loca miſerat legibus; ut Fundos, Formias, Cære, Venafrum.* At Strabonis ævo ferè totum exſtinctum fuit Cære. Ἡ δὲ οὕτω λαμπρὰ, inquit prædicto loco, καὶ ἐπιφανὴς πόλις ἴχνη σώζει μόνον. εὐανδρεῖ δ' αὐτῆς μᾶλλον τὰ πλησίον θερμὰ, ἃ καλοῦσι Καιρετανὰ, διὰ τῶν φοιτώντων θεραπείας χάριν. Id eſt: *Hodiè urbis tam ſplendidæ quondam ac præclaræ veſtigia tantùm reſtant. Celebriores ipsâ ſunt vicinæ aquæ calidæ, quas Cæretanas vocant, propter eos, qui valetudinis causâ eò commeant.* Lapides aliquot antiqui; quorum quidam heic etiamnum exſtant, alii vero Romam tranſlati ſunt; hæc habent verba:

1.	2.
MVNICIPES · ET · INCOL	MVNIC · CAER
3.	4.
DECVR. MVNICIP · CAER	S · P · Q · CAERES

Cuius ætatis hæ quidem ſint inſcriptiones, incertum eſt. at Romæ exſtat tabula marmorea, apud Cære opidum anno Chriſti CIↃIↃXLVIII reperta; in qua, inter alia, hæc leguntur verba:

MVNICIPI · CAERITVM · ✻ DECVRIONES
L·PVBLILIO·CELSO· II · C.CLODIO CRISPINO·COS
✻
Q·NINNIO·HASTA · P · MANILIO · VOPISCO·COS

Priores iſti anno Traiani imperii XVI, id eſt, anno Chriſti CXIII, conſulatum geſſêre; poſteriores, anno inſequenti.

CAERETANAE iſtæ Strabonis AQVAE, Livio ac Valerio Maximo locis ſuprà ſcriptis vocantur CAERITES AQVAE. Plerique hoc ſæculo *Stilianas* nunc interpretantur *aquas*, toto hoc Etruriæ tractu nobiliſſimas, VI millia paſſuum ab opido Cære diſſitas. Hæ poſtmodùm AQVAE APOLLINARES dictæ ſunt. Itineraria antiqua Romana:

CAERITES, ſive CAERETANAE aquæ. quæ & AQVAE APOLLINARES.

Tabulæ;		*A Româ Coſam* M·P· LXI, *ſic:*	
Româ			
Lorio	XII.		
Bebiana	....	*Cereias*	XV.
Aquas Apollinaris	VIII.	*Aquis Apollinaris*	XIX.
Tarquinis	XII.	*Tarquinios*	XII.
		Coſam.	XV.

Ducitur hoc iter medium in Tabulâ itinerariâ inter Aureliam Claudiamque vias: quarum illa juxta litus ferebatur; hæc verò in Tabulâ habet *Sabate*, *Bleram*, *Tuſcaniam*: quorum locorum primus apud Bracianenſem fuit lacum; reliqua duo opida nomina etiamnunc retinent, vulgò *Bieda* & *Toſcanella* dicta. Medio igitur inter dictas vias tractu ſitum eſt opidum *Stilianum*. à quo ad *Tarquiniorum* ruinas, quas prope Cornetum eſſe, infrà docebo, XII ſunt millia paſſuum. Nugator ille flagitioſiſſimus, Annius Viterbienſis, qui ſuprà memoratum Itinerarium VI ab Vrbe itinerum in Gallias perquàm imperitè confinxit, tria modò dicta itinera mirificè in unum confudit: inque eo *Tarquinias* memorat & *Stygianas aquas*,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

pro *Stilianis*. Verba eius hæc ſunt: *Aurelianum iter, quod & Claudianum, fertur per ipſam Aureliam, Thermas Stygianas, Forum Novempaganorum Claudii, Tarquinias, Saturniam, Volcen, Tunniatem montem, Roſellas, Roſetum, Turſenam, & tranſitum [in Gallias] Apuam*. Sed *Aquæ Apollinaris* Martiali quoque memorantur, lib. VI epigr. XLII, his verſibus:

Etruſci niſi thermis laveris,
Illotus morieris Oppiane:
Nullæ ſic tibi blandientur undæ.
Nec fontes Aponi, rudes puellis;
Non mollis Sinueſſa; fervidique
Fluctus Paſſeris; aut ſuperbus Anxur;
Non Phœbi vada, principesque Baiæ.

Verùm heic quum *Phœbi vada* adpellentur, id eſt, AQVAE APOLLINIS; ex ſuprà ſcriptis Itinerariis *Aquæ Apollinaris*, non tamquàm à viri cuiusdam nomine, quemadmodùm *Aquæ* ſeu *Thermæ Etruſci* & *Paſſeris*, cognominandæ videntur, ſed AQVAE APOLLINARES. Iam tum igitur inter nobiliſſimas Italiæ aquas hæ quoque computatæ fuerunt.

CAERETANVS *fluvius*.

Cæterùm CAERETANVS *amnis* Plinio, ſeu CERITIS *opidi amnis* Virgilio ſuprà memoratus, nullus alius fuerit, quàm qui, opido proximus, vulgò nunc incolis vocatur *Vacina fiume*, prope Bracianum opidum ex lacu cognomini profluens. Huc confer Virgilii deſcriptionem; quæ dicto Aeneid. lib. VIII eſt talis:

Eſt ingens gelidum lucus prope Cæritis amnem,
Religione patrum latè ſacer: undique colles
Incluſère cavi, & nigrâ nemus abjete cingunt.
Silvano, fama eſt, veteres ſacraſſe Pelaſgos,
Arvorum pecorisque deo, lucumque diemque;
Qui primi fineis aliquando habuère Latinos.
Haud procul hinc Tarcho & Tyrrheni tuta tenebant
Caſtra locis: celſoque omnis de colle videri
Iam poterat legio; & latis tendebat in arvis.
Huc pater Aeneas & bello lecta juventus
Succedunt; feſſique & equos & corpora curant.
At Venus æthereos inter dea candida nimbos
Dona ferens aderat: natumque in valle reductâ
Vt procul egelido ſecretum flumine vidit,
Talibus adfata eſt dictis: ——.

Ad hæc ita Servius: *Amnis aut tacuit nomen; aut, ut quidam volunt, Minio dicitur: quia alibi dixit;* *Qui Cærete domo, qui ſunt Minionis in arvis.* Atqui disertè heic poëta Cæritem agrum deſignat; in quo caſtra erant poſita Tarchontis & Tyrrhenorum; ut paullo antè ipſum opidum *Cære*, circa quod erant caſtra, his verbis:

Haud procul hinc ſaxo incolitur fundata vetuſto
Vrbis Agyllinæ ſedes: ubi Lydia quondam
Gens, bello præclara, jugis inſedit Etruſcis.
Hanc multos florentem annos rex deinde ſuperbo
Imperio & ſævis tenuit Mezentius armis.

* · * · *

At feſſi tandem cives, infanda furentem
Armati circumſiſtunt; ipſumque domumque.
Obtruncant ſocios; ignem ad faſtigia jactant.
Ille inter cædeis, Rutulorum, elapſus, in agros
Confugere, & Turni defendier hoſpitis armis.
Ergò omnis furiis ſurrexit Etruria juſtis.
Regem ad ſupplicium præſenti Marte repoſcunt.
His ego te, Aenea, ductorem millibus addam.
Toto namque fremunt condenſæ litore puppes;
Signaque ferre jubent. retinet longævus haruſpex;

Fata

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Fata canens: O Mæoniæ delecta juventus;
Flos veterum virtusque virûm; quos juſtus in hoſtem
Fert dolor, & meritâ accendit Mezentius irâ:
Nulli fas Italo tantam ſubjungere gentem.
Externos optate duces. Tum Etruſca reſedit
Hoc acies campo.

Nempe prope *litus*, in campo ſubjecto *collibus*, in quibus *lucus Silvani, prope gelidum Cæritis amnem*. ex quibus *collibus omnis* Etruſcorum *legio*, id eſt, *exercitus, latis tendens in arvis*, Aeneæ *jam poterat videri*. Nullum igitur alium heic intellexit poëta *Cæritis amnem*, quàm qui Plinio *Cæretanus* dicitur *amnis*, inter *Pyrgos & Alſium*. apud quem ipſum etiam proximè collocat opidum *Cære*, IIII millia paſſuum à mari. Quin ipſa facies loci exactè Virgilii deſcriptioni hodiéque reſpondet. ſunt quidpe ſupra Cære, ab utrâque Vacinæ fluminis ripâ, excelſi colles, virentibus lucis conſiti. inter Cære autem & mare ſpacioſus ſternitur campus, caſtris locandis aptiſſimus. tum quod *gelidum Cæritis* vocat *amnem*, & *egelidum flumen*; id nulli hoc litore amni magis convenit, quàm *Vacinæ*. Huc jam adde, quòd Strabo ait, Pyrgos fuiſſe navale Cæretanorum à L ſtadiis, id eſt, à VI circiter millibus paſſuum. quò haud dubiè intendit Virgilius hunc verſum:

Tot namque fremunt condenſæ litore puppes.

SILVANI igitur LVCVS in dictis circa Cære opidum fuit collibus: haud dubiè ab dextrâ Cæretani amnis ripâ: à qua ipſum etiam eſt Cære; quæque Pyrgis erat proxima. nam caſtra haud dubiè prope naveis locata intellexit Virgilius. SILVANI LVCVS.

Ipſum *opidum* οἱ Πύργοι PYRGI, memoratur ſuprà ſcriptis auctoribus, Livio, Virgilio, Diodoro, Straboni, Melæ, Plinio, Martiali, Ptolemæo, Itinerariis antiquis, Servio, Rutilio. Martialis lib. XII epigr. II: PYRGI *colonia.*

Quæ modò litoreos ibatis carmina Pyrgos,
Ite Sacrâ, jam non pulverulenta via eſt.

Opidani inde dicti fuêre Latinis PYRGENSES. Cicero de Oratore lib. II: *Cenſor Lepidus M. Antiſtio Pyrgenſi equum ademit*. Livius lib. XXV *publicanum* quemdam memorat *L. Poſthumium Pyrgenſem*. & Lucilius apud Servium, ut mox videbimus, *ſcorta Pyrgenſia*. Situs opidi ex Itinerariis maximè atque è Strabone ac Plinio cognoſcitur. Ex illis iter ſuprà adſcripſimus huiusmodi:

Antonini; *A Româ per Portum Centumcellis* M·P· LXIX, *ſic*:		Antonini; *Viâ Aureliâ à Româ*:		Tabulæ; *Româ, viâ Aureliâ*:		Itinerarium maritimum; *Ab Vrbe Arelato usque*:	
In Portum	XIX.	*Loria*	XII.	*Lorio*	XII.	*Ad portum Augusti*	....
Fregenas	IX.	|		*Bebiana*	...	|	
Alſio	IX.	|		*Alſium*	VI.	|	
Ad Turres	IIII.	*Ad Turres*	X.	|		|	
Pyrgos	XII.	*Pyrgos*	XII.	*Pyrgos*	X.	*A Portu Auguſti Pyrgos*	XXXVIII.
|		|		*Punicum*	VI.	*A Pyrgis Panapione*	III.
Caſtro novo	VIII.	*Caſtro novo*	VIII.	*Caſtro novo*	VIIII.	*A Panapione Caſtro novo, poſitio,*	VII.
Centum cellis	VIII.	*Centum cellis*	V.	*Centum cellis*	IIII.	*A Caſtro novo Centumcellis, poſitio,*	V.

Strabo lib. V ſic tradit: Ἀπὸ δὲ Γρασκίσκων εἰς Πύργους στάδιοι μικρὸν ἐλάττους τῶν ρπ΄. ἔστι δ' ἐπίνειον τῶν Καιρετανῶν ἀπὸ ν΄ σταδίων· ἔχει δὲ Εἰληθυίας ἱερὸν, Πελασγῶν ἵδρυμα, πλούσιόν ποτε γενόμενον· ἐσύλησε δ' αὐτὸ Διονύσιος, ὁ τῶν Σικελιωτῶν τύραννος, κατὰ τὸν πλοῦν τὸν ἐπὶ Κύρνον. Ἀπὸ δὲ τῶν Πύργων εἰς Ὠστίαν σξ΄. Id eſt: *A Graviſcis ad Pyrgos ſtadia ſunt paullo minùs* CLXXX. *eſt autem Cæretanorum navale à* L *ſtadiis. habetque Lucinæ fanum, à Pelaſgis conditum: dives quondam. at ſpoliavit Dionyſius, Siculorum tyrannus; quum in Corſicam navigaret. A Pyrgis ad Oſtiam ſtadia ſunt* CCLX. Ptolemæus: Γραουΐσκαι, Κάστρον νέον, Πύργοι, Ἄλσιον, Τιβέριος ποταμοῦ ἐκβολαί. Id eſt: *Graviſcæ, Caſtrum novum, Pyrgi, Alſium, Tiberis amnis oſtium*. Plinius lib. III cap. V: *Graviſcæ, Caſtrum novum, Pyrgi, Cæretanus amnis, & ipſum Cære, intus millia paſſuum* IIII; *Alſium, Fregenæ, Tiberis amnis*. Mela lib. II cap. IIII: *Vltra Tiberim Pyrgi, Minio, Caſtrum novum, Graviſcæ*. Rutilius:

Alſia prælegitur tellus; Pyrgique recedunt:
Nunc villæ grandes; opida parva priùs.
Stringimus abſumptum fluctuque & tempore Caſtrum.

Omnes igitur pariter *Pyrgos* ponunt à Caſtro novo verſùs ortum Solis & Tiberim flumen. Strabo autem & Plinius clariùs ſitum eorum indicant; ille inter Graviſcas & Cære; hic inter Caſtrum novum & idem Cære amnemque Cæretanum. Strabo etiam inter Cære & Pyrgos L refert ſtadia, id eſt, millia VI cum paſſibus CCL. In Itinerariis Antoninus à Caſtro novo ad Pyrgos in utroque itinere habet millia VIII; Itinerarium maritimum X; Tabula quum toto hoc Liguriæ Etruriæque litore variè conturbata vitiataque ſit; heic quoque XV perperam exhibet millia. quippe à Cæritis opidi litore, ſive à Cæretano amne ad ſuprà indicata veſtigia Caſtri novi tot ſunt hodiè millia cum paſſibus IↃ. At verò ab eodem amne VII millia verſùs Caſtrum novum ſi progrediare; incides in opidum cum exiguo portu IIII vel V triremium capace, cui vulgare vocabulum *Santa Severa:* apud quod veteris opidi etiamnum conſpiciuntur ruinæ haud leves. hinc porrò ad Caſtri novi veſtigia millia ſunt VIII paſſusque IↃ. Ex his igitur intervallis ſimulque veterum ruinarum indicio, manifeſtum fit, *Pyrgorum* has eſſe reliquias. Sed & Strabonis ſtadia CLXXX, id'eſt, millia XXII & paſſus IↃ inter Graviſcas & Pyrgos, huic loco conveniunt. De his igitur Pyrgis ita Servius ad Virgilii Aeneid. lib. X: *Et Pyrgi veteres. Hoc caſtellum nobiliſſimum fuit eo tempore, quo Tuſci piraticam exercuerant. nam illis metropolis fuit. quod poſteà expugnatum à Dionyſio, tyranno Siciliæ, dicitur. de quo Lucilius; Scorta Pyrgenſia.* De Dionyſio pleniùs Diodorus lib. XV. Ἀθήνησι μὲν, inquit, ἦρχε Διοτρέφης, παρὰ δὲ Ἠλείοις Ὀλυμπιὰς ἤχθη ἐνενηκοστὴ ἐνάτη· Διονύσιος δὲ χρημάτων ἀπορούμενος ἐστράτευσεν ἐπὶ Τυρρηνίαν, ἔχων τριήρεις ἑξήκοντα· πρόφασιν μὲν φέρων τὴν τῶν λῃστῶν κατάλυσιν, τῇ δ' ἀληθείᾳ συλήσων ἱερὸν ἅγιον, γέμον μὲν ἀναθημάτων πολλῶν, καθιδρυμένον δ' ἐν ἐπινείῳ πόλεως Ἀγύλλης Τυρρηνίδος· τὸ δ' ἐπίνειον ὠνομάζετο Πύργοι. Καταπλεύσας δὲ νυκτὸς, καὶ τὴν δύναμιν ἐκβιβάσας, ἅμ' ἡμέρᾳ προσπεσὼν, ἐκράτησε τῆς ἐπιβολῆς· ὀλίγων γὰρ ὄντων ἐν τῷ χωρίῳ φυλάκων, βιασάμενος αὐτοὺς, ἐσύλησε τὸ ἱερόν· καὶ συνήθροισεν οὐκ ἔλαττον ταλάντων χιλίων. Τῶν δ' Ἀγυλλαίων ἐκβοηθησάντων, μάχῃ τε ἐκράτησεν αὐτῶν καὶ πολλοὺς αἰχμαλώτους λαβὼν, καὶ τὴν χώραν πορθήσας, ἐπανῆλθεν εἰς τὰς Συρακούσας. Ἀποδόμενος δὲ τὰ λάφυρα συνήγαγεν οὐκ ἐλάττω ταλάντων πεντακοσίων. Εὐπορήσας δὲ χρημάτων, ἐμισθοῦτο στρατιωτῶν παντοδαπῶν πλῆθος· καὶ δύναμιν ἀξιόλογον συστησάμενος, φανερὸς ἦν πολεμήσων Καρχηδονίοις. Hoc eſt: *Athenis ſupremum magiſtratum obtinebat Diotrephes, quum Elis Olympias ageretur* XCVIIII. *Pecuniæ tunc inopiâ laborans Dionyſius, cum* LX *triremibus in Etruriam expeditionem ſuſcepit. prætextus erat, ut piratas everteret. ſed verior cauſa, ut fanum quoddam præcipuæ religionis, multisque donariis refertum, expilaret. Situm hoc erat in Etruſcæ urbis Agyllæ navali, quòd Pyrgi vocabatur. Noctu adpulſus, copiis expoſitis, primâ luce impreſſionem fecit; votoque potitus eſt. nam quia perpauci erant caſtelli eius cuſtodes ac præſidiarii; facilè his oppreſſis, templum exſpoliat: & plus quàm* CIↃ *talenta coacervat. Quumque Agyllani ad vim propulſandam excurrerent; etiam ipſos prælio vincit. multisque captis, & agris eorum devaſtatis, Syracuſas remeavit. ubi ſpoliis diſtractis, non minus* IↃ *talentis coëgit. Tantâ igitur pecuniarum vi locupletatus, milites ex omni genere quàm plurimos ſtipendiis conduxit. numeroſoque jam exercitu inſtructus, manifeſta belli Carthaginienſibus inferendi ſigna præ ſe ferebat.* Ariſtoteles quoque Oeconomicor. lib. II huius rei meminit. ubi, de eodem Dionyſio narrans, Εἰς Τυρρηνίαν τε πλεύσας, inquit, ναυσὶν ἑκατὸν, ἔλαβεν ἐκ τοῦ τῆς Λευκοθέας ἱεροῦ χρυσίον τε καὶ ἀργύριον πολὺ, καὶ τὸν ἄλλον κόσμον οὐκ ὀλίγον. Id eſt: *Quum in Tyrrheniam centum navibus navigaſſet, abſtulit ex fano Leucotheæ auri argentique plurimum, & cæterorum ornamentorum haud parum.* Omnino credo reſcribendum ex ſuprà dicto Strabonis loco τῆς Εἰληθυίας, id eſt, *Lucinæ*. nam *Leucothea* apud Lucaniam, ut ſuo loco oſtendetur, colebatur. Cæterùm de *Pyrgis* ſimul & de *Alſio*, quod poſt Cære ſequitur, Rutilius teſtatur, ſuâ ætate fuiſſe *Tunc villas grandeis; opida parva priùs.*

Hinc Strabo dicto lib. V, Ἀπὸ τῶν Κοσσῶν, inquit, εἰς Ὤστια παραπλέουσι πολίχνιά ἐστι Γραβίσκαι καὶ Πύργοι καὶ Ἄλσιον καὶ Φρεγηνία. id eſt: *A Coſis litus legentibus versùs Oſtia Tiberina occurrunt parva opida, Graviſcæ, Pyrgi, Alſium, Fregenia.* At *coloniam* quomdam fuiſſe Romanorum, ſuprà ex Livii libro XXXVI intelleximus.

Pvnicvm, locum. Porrò à S. Severâ VI millia verſùs Caſtrum novum & Centum cellas ſi progrediaris,

grediaris, excipiunt te aliæ antiqui opidi ruinæ, cum opidulo nunc vulgaris nominis *Santa Marinella*. unde ad Caſtrum novum usque II ſunt millia cum paſſibus IƆ. Ex iſto igitur VI millium intervallo clarè adparet, locum hunc eſſe vetus illud *opidum* Tabulæ itinerariæ PVNICVM. à quo haud dubiè III millia ſcripta fuerunt ad Caſtrum novum. In Itinerario maritimo numeri transpoſiti ſunt: ut & ipſum huius loci vocabulum corruptum in *Panapione*; quod ab initio fuiſſe exiſtimo *Punicum poſitio*. eſt quidpe hodiéque ad Sanctam Marinellam ſtatio ſive poſitio návium.

Vltra Pyrgos, ad oſtia Tiberina euntibus fuit ALSIVM *opidum*; ſuprà citatis auctoribus, Livio, Dionyſio Halicarnaſſenſi, Paterculo, Straboni, Plinio, Silio, Ptolemæo, Itinerariis antiquis, ac Rutilio memoratum. *Opidani* inde dicti fuêre ALSIENSES. Cicero in Oratione pro Annio Milone: *Pompeium ut videret? ſciebat in Alſienſi eſſe*. Familiar. lib. VIIII epiſt. VI: *Se in Alſienſe venturum*. Livium ac lapidis antiquam inſcriptionem mox citabo. Situs opidi ex Antonini maximè itinerario diſpicitur. quidpe à Portu Auguſti (quod opidum nunc, in ruinis jacens apud dextram Tiberis oſtium, vulgò dicitur *Porto*) ſi XVIII millia paſſuum, ſeu, ut nunc computantur paullo prolixiora, XVI milliaria, versùs occaſum Solis & S. Severæ fanum proficiſcare, occurret tibi Farneſianæ gentis villa in litore, vulgari vocabulo *Palo* dicta; ad quam lapidis fragmentum erutum hoc noſtro ævo cum huiusmodi inſcriptione: DECVR · COLON · ALSIENSIS. Hæc igitur duo indicia, lapidis & intervalli XVIII millium paſſuum, *Alſium* antiquum hoc ſitu fuiſſe, apertè docent. Antiquam opidi originem indicare voluit Silius, lib. VIII ita canens: ALSIVM, opidum.

Lectos Cære viros, lectos Cortona, ſuperbi
Tarchontis domus, & veteres misêre Graviſcæ.
Nec non, Argolico dilectum litus Aleſo,
Alſium, & obſeſſæ campo ſqualente Fregenæ.

Quis hic *Argolicus Aleſus* fuerit, ex Virgilio diſcimus. cuius verba Aeneid. lib. VII ſunt iſta:

Hinc Agamemnonius, Troiani nominis hoſtis,
Curru jungit Haleſus equos; Turnoque feroceis
Mille rapit populos.

Ad quæ ita Servius: *Hunc Haleſum Agamemnonis plerique comitem, reliqui nothum filium volunt. qui, quum veniſſet ad Italiam, audito adventu Aeneæ, in bellum ruit: non amore Turni; ſed odio hoſtilitatis antiquæ*. Credo, Græca opidi origo quum conſtaret, ex nominum ſimilitudine confictam fuiſſe fabulam. Summam eius antiquitatem & Pelaſgos conditores indicavit Dionyſius Halicarnaſſenſis lib. I, his verbis: Καὶ πόλεις πολλὰς, τὰς μὲν οἰκουμένας ἤδη πρότερον ὑπὸ τῶν Σικελῶν, τὰς δὲ αὐτοὶ κατασκευάσαντες, ᾤκουν οἱ Πελασγοὶ κοινῇ μετὰ τῶν Ἀβοριγίνων· ὧν ἐστιν ἥ τε Καιρητανῶν πόλις, Ἄγυλλα δὲ τότε καλουμένη, καὶ Πίσα, καὶ Σατορνία, καὶ Ἄλσιον, καὶ ἄλλαι τινὲς, ἃς ἀνὰ χρόνον ὑπὸ Τυῤῥηνῶν ἀφῃρέθησαν. Id eſt: *Multaque opida, partim antè ab Siculis habitata, partim à ſe condita, indiviſa tenuerunt ſociæ gentes Pelaſgi & Aborigines: in quibus ſunt, Cære, Agylla tunc dictum, Piſa, Saturnia, Alſium, & quædam alia; quæ poſtmodùm ab Etruſcis occupata ſunt*. *Coloniam* poſteà Romanorum factam, præter memoratam inſcriptionem antiquam, Livius quoque & Paterculus teſtes ſunt. quorum ille lib. XXVII, *Conſules*, inquit, *colonos etiam maritimos, qui ſacroſanctam vacationem dicebantur habere, dare milites cogebant. quibus recuſantibus, edixêre in diem certam, ut, quo quisque jure vacationem haberet, ad ſenatum deferret. Ea die hi populi ad ſenatum venerunt: Oſtienſis, Alſienſis, Antias, Anxuras, Minturnenſis, Sinueſſanus: & à ſupero mari Senenſis*. Annum deductæ Alſienſis coloniæ oſtendit Paterculus lib. I. *Sempronio*, inquit, *Sopho & Appio Cæci filio conſulibus Ariminum* [&] *Beneventum coloni miſſi; & ſuffragii ferendi jus Sabinis datum. At initio primi belli Punici Firmum & Caſtrum colonis occupata: & poſt annum Aeſernia: poſtque* XXII *annos Aeſulum & Alſium: Fregellæque poſt biennium: proximoque anno, Torquato Sempronioque conſulibus, Brundiſium*. Quum à P. Sempronio Sopho & Ap. Claudio Rufo ad A. Manlium Torquatum Atticum & C. Sempronium Blæſum iterum, anni ſint haud amplius XXIIII; ab initio verò belli Punici primi XX; corruptum eſſe numerum XXII annorum, ex genuino XVI, certum eſt. *Alſium* igitur *colonia* deducta eſt L.

Cæcilio Metello iterum, M. Fabio Buteone, conſulibus; anno urbis Romæ IↃVI, ante natum Chriſtum CCXLVII. Strabo dicto lib. V πολίχνιον, id eſt, *parvum opidum* ſuâ ætate adpellat. Ἀπὸ δὲ Κοσσῶν, inquit, εἰς Ὤστια παραπλέουσι πολίχνιά ἐστι, Γραουίσκαι καὶ Πύργοι καὶ Ἄλσιον καὶ Φρεγήνια. Id eſt: *A Coſis Oſtiam navigantibus opida exigua occurrunt, Graviſcæ, Pyrgi, Alſium, Fregenia.* Iam inde Rutilii tempore *villam* tantùm fuiſſe, ſuprà ad Pyrgos intelleximus.

Ad Tvrres locus.

Iam verò à Pyrgis, id eſt, à S. Severâ XII millia Alſium ſive Palum versùs ubi progreſſus fueris, incides in locum, antiquarum ruinarum plenum; quem incolæ vocant vulgò *La Statua*; II circiter millia paſſuum à Palo diſſitum. is ex intervallo XII millium deprehenditur eſſe idem, qui in Antonini itinerario bis adpellatur, Tvrres. Duo igitur millia in priore eius itinere inter Alſium & Turres abundant.

Fregenae, colonia.

Poſt Alſium tandem ſequitur *opidum* Fregenae, Livo, Velleio Paterculo, Straboni, Plinio, Silio, & Antonino memoratum. Sed huius vocabulum quum ad *Fregellarum* (quod opidum fuit Volſcorum in Novo Latio ad Lirim amnem) nomen quàm proximè accederet; in hoc illud converſum eſt ab exſcriptoribus Velleii pariter ac Silii Breviatoriſque Livii. Ac apud illos quidem quamvis id mendum paullo obſcurius diſpectu eſſet; tamen jam dudum à doctiſſimo Carolo Sigonio adnotatum eſt. apud Silium verò quum id luce meridianâ clarius ſit; miror ſanè, noviſſimum huius poëtæ commentatorem, jam anteà nobis memoratum, Claudium Dauſqueium, id non modò non purgaſſe, ſed & longè fœdiori luto involviſſe. Verba apud Silium lib. VIII hæc leguntur:

Iamque per Etruſcos legio completa maniplos
Rectorem magno ſpectabat nomine Galbam.
Lectos Cære viros, lectos Cortona, ſuperbi
Tarchontis domus, & veteres miſêre Graviſcæ.
Nec non, Argolico dilectum litus Aleſo,
Alſium; & obſeſſæ campo ſqualente Fregellæ.
Adfuit & ſacris interpres flulminis alis
Fæſula; &, antiquus Romanis mœnibus horror,
Cluſinum vulgus.
Tunc quos à niveis exegit Luna metallis,
Inſignis portu:
Mæoniæque decus quondam Vetulonia gentis.
Hos juxta Nepeſina cohors, æquique Faliſci;
Quique tuos Flavina focos, Sabatia quique
Stagna tenent, Ciminique lacum; qui Sutria tecta
Haud procul, & ſacrum Phœbo Soracte frequentant.

Ad hæc ita Dauſqueius in ſcholiis: *Graviſcæ, Alſium, Fregellæ. Strabo lib.* V: Γραουίσκιον καὶ Πύργοι καὶ Ἄλσιον καὶ Φρεγήνια. *Campo ſqualente Fregellæ. Ob ſacrum lucum & vicinas Minturnas paludes. Strabo lib.* V *decurſu Liris hæc*: Φέρεται δ' ἄνωθεν ἐκ τῶν Ἀπεννίνων ὀρῶν καὶ τῆς Οὐηστίνης παρὰ Φρεγέλλας κώμην (πρότερον δ' ἦν πόλις ἔνδοξος) ἐκπίπτει δ' εἰς ἄλσος ἱερὸν, τιμώμενον περιττὸν ὑπὸ τῶν ἐν Μιντούρναις, ὑποκείμενον τῇ πόλει. *Supernè fertur ex Apenninis montibus & Veſtinâ regione ad Fregellas: (Fregellæ olim urbs percelebris) evadit deinde in lucum ſacrum, quem Minturnenſes impensè colunt. eſt autem lucus civitati ſubjectus. Et quia urbs jam diruta jacet in campo ſqualente ruinis. Ibidem* κατεσκάφη δ' ὑπὸ Ῥωμαίων ἀποστᾶσα. *Vide Stephanum, & Livium lib.* VIII. En, quid hoc prodigii? An Strabo *Fregeniam* & *Fregellas* pro uno eodemque prodidit opido? Inter alia Etruſci litoris opida, *Lunam*, *Piſas*, *Populonium*, *Herculis portum*, *Coſas*, *Graviſcas*, *Pyrgos*, *Alſium*, tandem *Fregeniam* etiam computat. poſt Etruriæ explicationem, Vmbros porrò & Sabinos Latiumque exponit; & in huius extremo fine, quà jungebatur Campaniæ, apud Lirim amnem, qui nunc eſt vulgò *Garigliano*, *Fregellas*; urbem quondam celeberrimam, ſuâ verò ætate κώμην tantùm, id eſt, *vicum*: quum antè memorata *Fregenia* πολίχνιον adhuc eſſet, id eſt, *parvum opidum*. Quin ex ipſo uno Silio ſuo Dauſqueius, ſi prædictum lib. VIII vel ſemel paullo attentiùs perlegiſſet, facilè diſpecturus erat, ut reliquis Italiæ gentibus poëta certo ordine ſua cuique tribuit opida ac flumina, ſic præſcripto etiam loco Etruriæ tantùm recenſere eum loca;

loca; *Cære* ſcilicet, *Cortonam*, *Graviſcas*, *Alſium*, *Fregenas*, *Fæſulas*, *Cluſium*, *Lunam*, *Vetuloniam*, *Nepete*, *Faliſcos*, *Flaviniam*, *Sabatinumque* & *Ciminium lacus*; dein *Sutrium opidum*, & *Soraēten montem*. Hæc igitur, Sole meridiano lucidiora, non animadvertiſſe hominem in tantâ ſervati à ſe Silii jactantiâ, ſummè ego miror. hæc enim adeò levia, & cuivis diſpectu facillima, ſi tam infeliciter tractavit Dauſqueius; quid in multo gravioribus credamus, merito ac jure ſuo ſummos eum viros, Scaligerum, Caſaubonum, Heinſium, & alios, *oſcitantiæ*, *vanitatis*, *temeritatis*, & *mendacii* ubique arguere? Sicne præſtiterit Silio ſuo, quod tanto cum verborum tumore ac tumultu illi pollicitus erat? ſcilicet, ſe *per injuriam & licentiorem correctorum temeritatem penè ſub jugum miſſo commentariis hisce ſuis vindicias daturum ſecundum libertatem*. Ad quam rem quum ipſemet opus eſſe fateatur *lectu & intellectu omnis hiſtoriæ veteris*; quis jam non rideat, objectum atque opprobratum illud Heinſii Crepundiis, veluti puero, *Indibilis*; pro quo hic conatus erat reponere *Miſſilibus*. Cui ſanè puerilis penè ætatis ſuæ errori rectè jam heic Heinſius obtenderit iſtud ſenilis ferè cerebri deliramentum, *Fregellas* Latii ſive Volſcorum, pro *Fregenis* Etruriæ. Simile huic paullo antè notavi de *Caſtri novi* in Etruriâ cum *Caſtri Inui* in Latio confuſione. talia item paſſim plura in eodem unò hoc libro VIII (ne reliquos attingam) occurrunt. quorum ſingula aperire ac refellere quum pigeat, nec neceſſarium ſit; tamen denſiores tenebræ, infelici iſthac manu Silio circumfuſæ, nonnumquàm diſcutiendæ erunt. Errare humanum eſt. humanum item eſt, ignoſcere erroribus humanis; &, ubi ratio poſtulat, amicè indicare. At omnem doctiſſimi cætera viri eruditionem ob paucos quoſdam eoſque juvenileis errores velle damnare; id demum iræ, odio, atque invidiæ eſt plus tribuere, quàm rationi ac judicio ſano. Ego equidem alienorum laborum cenſuram mihi, longè alia tractanti, non depoſco. interim tamen ſedulus moneo; ne ipſi Dauſqueio paullo exactiori diligentiâ ſua recognoſcere, corrigere, atque in perfectiorem formam redigere libuerit; æquo patiatur animo, longè maiorem hactenus apud omneis doctos doctæ adoleſcentiæ ſuæ ex illuſtrato Silio aliiſque auctoribus Heinſium reportaſſe laudem, quàm ipſe ſenilium laborum ſuorum pretium. Quapropter huic, qui penè ſolus poſt erepta magna illa reipublicæ literariæ columina, Scaligerum, Lipſium, Caſaubonum, decus atque gloriâ ſæculi ſui ab doctiſſimo quoque habeatur, unum te velle obtrectare atque oppedere, furoris eſſe exiſtimo. Verùm indignitas rei, ſimulque ſummus animi adfectus, quo veterem fidumque amicum proſequor, paullo longiùs in diverticulum ſermonem abripuit. nunc ergo in viam eum revoco. Apud Silium igitur, ut ſuprà demonſtratum, corruptum vocabulum *Fregellæ* emendandum erat in genuinum *Fregenæ*. Paterculum ac Livii epitomatorem mox videbimus. Nunc ſitus *Fregenarum* indicetur. In ſuprà ſcripto Antonini itinere medio ponuntur ſpacio inter *Portum Auguſti* & *Alſium*; utrimque VIIII interjectis millibus paſſuum. In Tabulâ itinerariâ portus ingenti circuitu eoque ſemicirculari apud Tiberis oſtium depictus eſt; at titulo nullo adpoſito: qui temporum injuriâ vel incuriâ librariorum interiit. proximè adpoſitus eſt numerus VIIII millium paſſuum; à quo linea Alſium usque ducta. ſed ad hanc quoque lineam vox interiit *Fregenas*, cum alteris illis VIIII millibus. Ex æquo igitur hoc tot millium hinc inde intervallo opidum id fuiſſe diſpicio circa oſtium fluminis, cui vulgare vocabulum *Arone*. Atque huc jam quadrat illud Silii;

—— *Obſeſſæ campo ſqualente Fregenæ*.

Intellexit quidpe ſilvas, ſtagna, paludes, atque ſalinas, ab Arone fluvio ad Portum Auguſti & Tiberim porrectas. *Coloniam* fuiſſe Romanorum, rectè juxtà atque doctè indicavit Sigonius ex corruptis Livii ſimul & Paterculi locis. Apud hunc lib. I, ut ſuprà citavimus, ita ſcriptum eſt: *Sempronio Sopho & Appio Cæci filio conſulibus Ariminum, Beneventum, coloni miſſi; & ſuffragii ferendi jus Sabinis datum. At initio primi belli Punici Firmum & Caſtrum colonis occupata: & poſt annum Aeſernia: poſtque* XXII *annos Aeſulum & Alſium: Fregellæque poſt biennium: proximoque anno, Torquato Sempronioque conſulibus, Brundiſium: & poſt trienninm Spoletium*. Apud Livii epitomatorem lib. XVIIII hæc leguntur: *Claudius Pulcher conſul, qui, contra auſpicia profectus, juſſit immergi pullos, quia cibari nolebant; infeliciter contra Carthaginienſeis claſſe pugnavit; &, revocatus à ſenatu, juſſuſque dictatorem dicere* C. *Glauciam dixit, ſortis ultimæ hominem. qui, coactus abdicare ſe magiſtratu, poſteà ludos prætextatus*

ſpectavit. Atilius Calatinus primus dictator extra Italiam exercitum duxit. Cum Pœnis captivorum commutatio facta eſt. Coloniæ deductæ ſunt Fregellæ, in agro Salentino Brunduſium. Mox: *Cæcilius Metellus, pontifex maximus, A. Poſthumium conſulem, quoniam idem flamen Martialis erat, quum ille ad bellum gerendum proficiſci vellet, in Vrbe tenuit; nec paſſus eſt, à ſacris recedere. Rebus adversùs Pœnos pluribus ducibus geſtis, ſummam victoriæ C. Lutatius conſul, victâ ad Aegades inſulas claſſe Pœnorum, finem bello impoſuit. petentibus Carthaginienſibus pax data eſt.* Et lib. XX: *Spoletium colonia deducta eſt.* Alſium coloniam deductam fuiſſe L. Cæcilio Metello iterum & M. Fabio Buteone conſulibus, id eſt, anno urbis Romæ IↃVI, ſuprà nobis oſtenſum. biennio pòſt conſules fuêre M. Fabius Buteo iterum & C. Atilius Bulbus: quibus *Fregellæ* ex præſcripto Paterculi loco colonia Romanorum factæ diſpiciuntur. proximoque hinc anno conſulatum tenuêre A. Manlius Torquatus Atticus & C. Sempronius Blæſus: quibus *Brunduſium* colonia deducta eſt. triennio pòſt, A. Manlio Torquato iterum & Q. Lutatio Cercone conſulibus, Carthaginienſes, apud Aegades, inſulas victi, pacem à Romanis acceperunt. & *Spoletium* colonia deducta fuit. Hactenus igitur ſatis probè rectéque Velleio cum Livii epitomatore convenit. At ipſe huic ſententiæ reclamat Livius. cuius verba lib. VIII hæc ſunt: *P. Plautio Proculo, P. Cornelio Scapulâ, conſulibus, Fregellas (Signinorum* [lege, *Sidicinorum*] *is ager, deinde Volſcorum fuerat) colonia deducta.* Et paullo pòſt: *Non poſſe diſſimulare, ægrè pati civitatem Samnitium, quòd Fregellas, ex Volſcis captas dirutasque ab ſe, reſtituerit Romanus populus; coloniamque in Sâmnitium agro impoſuerit, quam coloni eorum Fregellas adpellent.* Conſules fuêre P. Plautius Proculus & P. Cornelius Scapula anno urbis Romæ CCCCXXVI, annis LXXXII ante M. Fabium Buteonem iterum & C. Atilium Bulbum conſules. Nihil igitur certius, quàm in horum conſulatu, id eſt, ante natum Ieſum anno CCXLV, deductam fuiſſe coloniam *Fregenas:* cuius poſtmodò vocabulum à malè curioſis librariis in dictis Velleii Epitomarorisque Livii locis vitiatum eſt in *Fregellas*. Ipſe poſteà Livius coloniæ *Fregenarum* meminit lib. XXXVI, his verbis: *In comparandâ impigrè claſſe C. Livium prætorem contentio orta cum colonis maritimis paullisper tenuit. nam, quum cogerentur in claſſem, tribunos plebis adpellarunt. ab iis ad ſenatum rejecti ſunt. ſenatus ita, ut ad unum omnes conſentirent, decrevit, Vacationem rei navalis his colonis non eſſe: Oſtia & Fregena & Caſtrum novum & Pyrgi & Antium & Tarracina & Minturnæ & Sinueſſa fuerunt, quæ cum prætore de vacatione certaverunt.* Sed heic etiam id vocabulum pluralis numeri *Fregenæ* corruptum eſſe cenſeo ab exſcriptoribus in ſingularem numerum *Fregena:* quandoquidem ſuprà dicto lib. XVIIII, ut apud Epitomatorem nunc eſt *Fregellæ*, ſic haud dubiè ipſe ſcripſerat Livius *Fregenæ:* ut reliqui auctores Latini habent omnes; qui huius opidi meminerunt. At apud Strabonem ſingularis numeri vocabulum, quod bis perſcriptum Φρεγλωία, *Fregenia*, neſcio an rectè in Φρεγλῶαι mutaverim; quando poſteriori loco etiam articulus præpoſitus eſt ἡ Φρεγλωία.

PORTVS AVGVSTI.

Vltimum hinc opidum in Etruſco litore apud Tiberis oſtia fuit PORTVS AVGVSTI: cuius reliquiæ, epiſcopali etiamnunc dignitate nobiles, vulgò dicuntur *Il Pòrto.* Verùm huius expoſitio quia commodè dari nequit, niſi objectum ei opidum *Oſtia* ſimul explicetur; in Latii deſcriptionem eam rejiciemus.

SALINAE.

De reliquo inter Portum Auguſti & proximum verſùs occaſum Solis ſtagnum SALINAE hodiéque conſpiciuntur; à quibus circumjectus ager vulgò dicitur *Campo di Saline.* harum quoque antiquiſſimis jam inde temporibus ſumma fuit celebritas: quidpe quarum memoria Romuli rebus geſtis inſerta eſt. Plurarchus in Romulo, de Veientibus loquens, bello victis: Οἱ δὲ δεηθέντες, ὁμολογίαν ἐποιήσαντο καὶ φιλίαν εἰς ἔτη ἑκατὸν, χώραν τε πολλὴν προέμενοι τῆς ἑαυτῶν, ἣν Σεπτεμπάγιον καλοῦσιν, ὅπερ ἐστὶν ἑπταμόριον, καὶ τῶν παρὰ τὸν ποταμὸν ἐκστάντες ἁλοπηγίων. Id eſt: *Illi ad preces converſi, fœdus & amicitiam in centum annos fecère: mulctatique ſunt magnâ agri portione, quam Septempagium, hoc eſt, ſeptimam portionem, vocant; &, quæ juxta fluvium erant, Salinis.* Dionyſius Halicarnaſſenſis lib. II: Καὶ μετ᾽ οὐ πολὺ Οὐεϊεντανῶν πρεσβείας ἀφικομένης περὶ διαλύσεως τοῦ πολέμου, καὶ συγγνώμην τῶν ἁμαρτημάτων ἀξιούσης λαβεῖν, δίκας ὁ Ῥωμύλος αὐτοῖς ἐπιτίθησι τάσδε· χώραν τε παραδοῦναι Ῥωμαίοις τὴν προσεχῆ τῷ Τιβέρει, τοὺς καλουμένους Ἑπτὰ πάγους, καὶ τῶν ἁλῶν ἀποστῆναι τῶν παρὰ ταῖς ἐμβολαῖς τοῦ ποταμοῦ. Id eſt: *Non multo pòſt legatis Veientium veniam & pacem petentibus has pacis leges Romulus præſcripſit mulctæ nomine: Vt*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

agrum Tiberi contiguum, qui vocantur Septem pagi, Romanis traderent: utque Salinis abſtinerent, quæ ſunt ad fluminis oſtia. Et lib. IIII: Δευτέρῳ δ' ὕστερον ἔτει πάλιν τῶν Οὐεϊεντανῶν καταλυσάντων τὰς ἀνοχὰς, ἃς ἐποιήσαντο πρὸς τὸν Μάρκιον ἀρχὰς, καὶ τὰ ἐρύματα ἀξιούντων ἀπολαβεῖν πάλιν, ὧν ἐπὶ Ῥωμύλου βασιλέως καθ' ὁμολογίας ἀπέστησαν, ἑτέραν τίθεται πρὸς αὐτοὺς μάχην περὶ τὰς Ἁλάς, μείζονα τῆς προτέρας, ἣν ἀπονητὶ ἐνίκησε· καὶ τὰς ἄλλας πόλεις ἐξ ἐκείνου κατεῖχεν ἀναμφιλόγως. Hoc eſt: *Altero poſt hæc anno, Veientibus rurſum violantibus inducias, quas cum Marcio fecerant, & repetentibus caſtella, quibus ſub Romulo ex pacto exceſſerant; maiore, quàm antè, prœlio cum eis ad Salinas conflixit; & victoriam facili negotio adeptus, cætera exinde oppida ſine controverſiâ retinuit.* Livius lib. v; ubi Camillus Romam à Gallis captam libraverat: *Similis in agro Veienti Tuſcorum facta ſtrages eſt. qui urbis, jam prope quadringenteſimum annum vicinæ, oppreſſæ ab hoſte inuſitato inauditoque, adeò nihil miſeriti ſunt, ut in agrum Romanum eo tempore incurſiones facerent.* Mox: *Quin etiam ad aliam manum Tuſcorum ad Salinas profecti, nocte inſequenti ex improviſo maiorem cædem edidêre.* Et lib. VII: *Concitatur deinde omne nomen Etruſcum: & Tarquinienſibus Faliſcisque ducibus ad Salinas perveniunt. Dictator profectus ab Vrbe utrâque parte Tiberis, ratibus exercitu, quocúmque fama hoſtium ducebat, trajecto, multos populatores agrorum vagos palanteis oppreſſit; caſtra quoque necopinatò adgreſſus cepit.* Et aliquanto pòſt: *Inclinavit deinde pars maior auræ in Etruſcum bellum; poſtquàm literis Sulpicii conſulis, cui Tarquinii provincia evenerat, cognitum eſt, depopulatum agrum circa Romanas Salinas; prædæque partem in Cæritum fineis avectam.*

Atque hactenus litus Etruriæ omne expoſitum eſt. Mediterranea eius antequàm ingrediamur, inſulæ litori objacentes dicendæ erunt. De his ita Mela lib. II cap. VII: *Pithecuſa, Leucothea, Aenaria, Sinonia, Capreæ, Prochyta, Pontiæ, Pandataria, Phytonia, Palmaria, Italico litori citra Tiberina oſtia objacent. ultrà aliquot ſunt parvæ, Dianium, Iginium, Carbania, Vrgo, Ilva, Capraria: duæ grandes, fretoque diviſæ Etruſco, Corſica & Sardinia.* Et Solinus cap. VIII: *Aut Pandatariam aut Prochytam dicamus, aut ferri feracem Ilvam, aut Caprariam: quam Græci* Αἰγίλαν *dicunt: aut Planaſiam; de facie ſupinâ freti ſic vocatam: vel Columbariam; avium huius nominis matrem.* Plinius lib. III cap. VI: *In Liguſtico mari eſt Corſica; ſed Thuſco* [adde, *litori*] *propior. abeſt à Vadis Volaterranis* LXII *millia paſſuum. citra eſt Oglaſa. intra verò* LX *millia paſſuum à Corſicâ Planaria, à ſpecie dicta, æqualis freto; ideóque navigiis fallax. amplior Vrgo; & Capraria; quam Græci Aegilon dixêre. item Igilium & Dianium; quam Artemiſiam: ambæ contra Coſanum litus. & parvæ, Menaria, Columbaria, Venaria. Ilva, cum ferri metallis, circuitu centum millia, à Populoniâ* X; *à Græcis Aethalia dicta. ab eâ Planaſiâ* XXXVIIII. *Ab his ultra Tiberina oſtia, in Antiano Aſtura; mox Palmaria, Sinonia; & adversùm Formias Pontiæ.* Plinii epitomator Martianus Capella lib. VI: *In Liguſtico mari eſt Corſica. Habet civitates triginta treis. Citra eſt Oglaſa. intra autem in ſexageſimo Corſicæ Planaria, fallax navigantium mentiensque propinquitas. Vrgo item & Capraria: quam Aegilon Græci dixerunt. item Igilium, Dianium: item Columbaria, Venaria.* Sic locum, miſerè hactenus in vulgatis exemplaribus ac fœdè diſcerptum, ex Plinio reſtituo. Strabo lib. II: Νῆσοι δ' εἰσὶν ἐν μὲν τῇ Ἰταλίᾳ τῇ κατὰ τὸ Τυρρηνικὸν πέλαγος μέχρι τῆς Λιγυστικῆς συχναί, μέγισται δὲ Σαρδὼ καὶ Κύρνος, μετά γε τὴν Σικελίαν· πολὺ δ' ἐλάττων λειπόμεναι, πελάγιαι μὲν, Πανδατερία τε καὶ Ποντία, πρόσγειοι δ' Αἰθαλία τε καὶ Πλανασία, καὶ Πιθηκοῦσαι, καὶ Προχύτη, καὶ Καπρέαι, καὶ Λευκασία, καὶ ἄλλαι τοιαῦται. Hoc eſt: *Inſulæ autem ſunt in orâ Tuſci maris ad Liguriam usque crebra: inter quas Sardinia & Corſica maximæ ſunt poſt Siciliam. his verò multo minores, in alto Pandataria & Pontia; prope continentem Aethalia, Planaſia, Pithecuſæ, Prochyta, Capreæ, Leucaſia, & huiusmodi aliæ.* Ptolemæus: Νῆσοι δὲ παράκεινται τῇ Ἰταλίᾳ, ἐν μὲν τῷ Λιγυστικῷ πελάγει, Αἰθάλη, Καπραρία, Ἴλουα· ἐν δὲ τῷ Τυρρηνικῷ πελάγει Πλανασία, Ποντία, Πανδατερία. Id eſt: *Inſulæ Italiæ adjacent, in Liguſtico mari Aethale, Capraria, Ilva: in Tuſco Planaſia, Pontia, Pandataria.* Scylax in Περίπλῳ· Κατὰ δὲ Τυρρηνίαν κεῖται νῆσος Κύρνος. ἔστι δὲ ἀπὸ Τυρρηνίας ὁ πλοῦς εἰς Κύρνον ἡμέρας καὶ ἡμισέως· καὶ νῆσος ἐν τῷ πλῷ τούτῳ οἰκουμένη, ᾗ ὄνομα Αἰθαλία, καὶ ἄλλαι ἔρημοι νῆσοι. Id eſt: *Etruriæ adjacet inſula Corſica. eſtque navigatio in eam ab Etruriâ ſesqui diei. in medio hoc curſu inſula culta eſt, nomine Aethalia: & aliæ complures incultæ.* Itinerarium antiquum inſularum: *Inter Sardiniam & Italiam inſula Ilba, de Tuſciâ à Populonio ſtadia* IↃC. *inſula Planaſia. inter Ilbam & Planaſiam ſunt ſtadia* XC. *Inſula Igilium, à Coſâ ſtadia* XC.

INSVLAE *Etruſci litoris.*

Ex his

IGILIVM *insula*.

Ex his igitur inſulis IGILIVM, *contra Coſanum*, ut Plinius ait, *litus*, ſive ante Argentarium promontorium, hodiéque vulgò vocatur *Giglio*. Hanc, præter præſcriptos auctores, Iulius Cæſar quoque & Rutilius memorant. Cæſar civilis belli comment. I: *In ulteriorem Galliam quum Cæſar veniſſet, cognoſcit, profectum Domitium ad occupandam Maſſiliam navibus actuariis* VII, *quas, Igili & in Coſano à privatis coactas, ſervis, libertis, colonis ſuis, compleverat*. Rutilius in Itinerario:

Tenditur in medias mons Argentarius undas,
Ancipitique jugo cærula curva premit.
Eminus Igilii ſilvoſa cacumina miror:
Quam fraudare nefas laudis honore ſuæ.
Hæc proprios nuper tutata eſt inſula ſaltus;
Sive loci ingenio, ſeu domini genio:
Gurgite quum modico victricibus obſtitit armis;
Tamquàm longinquo diſſociata mari.
Hæc multos lacerâ ſuſcepit ab Vrbe fugatos.
Heic feſſis, poſito, certa, timore, ſalus.
Plurima terreno populaverat æquora bello,
Contra naturam claſſe timendus, eques.
Vnum, mira fides, vario diſcrimine portum
Tam propè Romanis, tam procul eſſe Getis.

Totilam innuere videtur, Gothorum regem; qui ſub Iuſtiniano imperatore Romam cepit. nam *Gothos* alieno vocabulo iſto ævo adpellatos fuiſſe pleriſque auctoribus, maximè verò poëtis, *Getas*, Germaniæ lib. III cap. XXXIIII docui. De cætero, ut apud Plinium in quibuſdam exemplaribus inſulam hanc vitioſè *Aegilium*, ſic apud Melam etiam mendosè *Iginium* legi, conſenſus tot aliorum auctorum ſimulque hodiernum vocabulum convincunt.

DIANIVM *ſive* ARTEMISIA, *inſula*.

DIANIVM ſive, ut Græcis vocabatur, ARTEMISIA, ſive, ut alii, ARTEMITA *inſula*, ab alterâ promontorii Argentarii parte *contra* idem *Coſanum litus* detortiori vocabulo vulgò nunc dicitur *Gianuti*. Stephani breviator: Ἀρτέμιτα, νῆσος Τυρρηνικὴ παρὰ τὴν Θάλιαν νῆσον· ὡς Φίλων. Id eſt: *Artemita, inſula Tyrrhenica apud Thaliam inſulam; auctore Philone*. Scribe Παρὰ τὴν Αἰθάλιαν, *apud Aethaliam*. Imperito exſcriptori notius erat nomen unius è novem *Muſis*.

AETHALIA *inſula; quæ &* ILVA.

ILVA *inſula*, quæ Græcis, teſte ſuprà dicto Plinio, AETHALIA adpellabatur, vulgò nunc vocatur *Elba*. quod vocabulum jam inde Gregorii Magni tempeſtate obtinuit. hic quidpe Dialogor. lib. III cap. XI *Populonium* opidum memorat, XII *millibus diſtans ab Elbâ inſulâ*. Quæ igitur antè erat *Ilva*, poſteà *Ilba* dicta eſt; ut Itinerarium habet inſulare; ac tandem *Elba*. Memoratur, præter ſuprà ſcriptos auctores, Virgilio quoque & Livio ac Silio Rutilioque ac Servio. Livius lib. XXX: *Populonios quum perveniſſet, Ilvam inſulam, & ab Ilvâ Corſicam, à Corſicâ in Sardiniam trajecit*. Virgilius Aeneid. lib. X; populos Etruriæ recenſens, qui Aeneam ſequuti ſunt in bello contra Turnum:

Sexcentos illi dederat Populonia mater
Expertos belli juvenes. aſt Ilva trecentos,
Inſula inexhauſtis chalybum generoſa metallis.

Ad quæ ita in Servii commentariis legitur: *Quidam Ilvam Ithacen dictam volunt. eſt autem inſula adjacens Tuſciæ, in conſpectu Populoniæ*. Minimè credibile, quoſdam *Ilvam* adpellaſſe *Ithacen*. nam una ſola hoc nomine fuit inſula apud Græciam, Vlyſſis patria. Proinde ſcripſiſſe Servium cenſeo, *Quidam Ilvam Aethalen dictam volunt*. quidpe quæ Diodoro Siculo ac Straboni Plinioque dicitur Αἰθαλία, *Aethalia*; Ptolemæo, præſcripto loco, vocatur Αἰθάλη, *Aethale*. & ita Stephani epitomator: Αἰθάλη, νῆσος Τυρσηνῶν. Ἑκαταῖος Εὐρώπῃ. Ἔοικε ἢ κεκλῆσθαι διὰ τὸν σίδηρον ἔχειν, πρῶτον ἐν Αἰθάλῃ τὴν ἐργασίαν ἔχοντα. Φίλιστος δὲ ἐν ε΄ Σικελικῶν Αἰθαλίαν αὐτὴν καλεῖ, καὶ Ἡροδιανὸς, καὶ Ὧρος. Id eſt: *Aethale, inſula Tyrſenorum; auctore Hecatæo in Europâ. Videtur autem ita adpellata à ferro, quod in hac inſulâ conficitur. Philiſtus verò Sicular. rer. lib.* V *Aethaliam ipſam vocat; ut & Herodianus, & Horus*. Malè igitur & per ſummum errorem Ptolemæus aliam fecit *Aethalen* ſuam ab *Ilvâ*. At ne ſuſpiceris, Plinium heic potiùs erraſſe, duas diverſas diſcretaſque inter ſe inſulas in unam confundentem,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

tem, deſcriptionem ipſius inſulæ ex Græcis pariter ac Latinis auctoribus adferam. Virgilii verſum jam anteà citavimus iſtum:

Inſula inexhauſtis chalybum generoſa metallis.

Virgilium, ut ſemper aliàs, heic quoque imitaus Silius, lib. VIII ita canit:

Non totidem Ilva viros, ſed lectos cingere ferrum,
Armarat patrio, quo nutrit bella, metallo.

Et Rutilius in Itinerario:

Occurrit chalybum memorabilis Ilva metallis;
Quà nihil uberius Norica gleba tulit:
Non Biturix largo potior ſtrictura camino:
Nec quæ Sardonio ceſpite maſſa fluit.
Plus confert populis ferri fœcunda creatrix,
Quàm Tarteſſiaci glarea fulva Tagi.

Plinius lib. XXXIIII cap. XIIII: *Ferri metalla ubique propemodùm reperiuntur; quidpe inſulâ etiam Italiæ Ilvâ gignente.* Ariſtoteles in Mirandis: Ἐν δὲ τῇ Τυῤῥηνίᾳ λέγεταί τις νῆσος Αἰθάλεια ὀνομαζομένη, ἐν ᾗ ἐκ τοῦ αὐτοῦ μετάλλου πρότερον μὲν χαλκὸς ὠρύσσετο, ἐξ οὗ φασι πάντα κεχαλκευμένα παρ' αὐτοῖς εἶναι· ἔπειτα μηκέτι εὑρίσκεσθαι· χρόνου δὲ διελθόντος πολλοῦ, φανῆναι ἐκ τοῦ αὐτοῦ μετάλλου σίδηρον, ᾧ νῦν ἔτι χρῶνται Τυῤῥηνοὶ οἱ τὸ καλούμενον Ποπλώνιον οἰκοῦντες. Hoc eſt: *Apud Etruriam inſula fertur eſſe nomine Aethalia; in qua ex iiſdem metallis anteà æs erutum fuerit, unde omnia ænea vaſa apud illos conflata eſſe tradunt: poſteà verò defeciſſe: donec longo tempore pòſt in iiſdem adparuerit ferrum; quo etiam nunc utuntur Etruſci Populonium incolentes.* Servius prædicto loco: *Inexhauſtis chalybum generoſa metallis. Quanto* [adde *magis*] *exhauſta fuerit, tanto generoſior, hoc eſt,* πολύγονος. *Ergo inexhauſtis* [dele *non*, quod heic ſequitur] *eſt una pars orationis. namque dicit Plinius Secundus; quum in aliis regionibus effoſſis metallis terræ ſint vacuæ; apud Ilvam hoc eſſe mirum, quòd ſublata renaſcuntur; & rurſus de iiſdem locis effodiuntur. Varro & aliud dicit. naſci quidem illic ferrum: ſed in ſtricturam non poſſe cogi, niſi transvectum in Populoniam, Tuſciæ civitatem, ipſi inſulæ vicinam.* Strabo lib. V: Κατοπτεύεται δ' ἀπὸ τῆς Ποπλωνίου, πόῤῥωθεν μὲν καὶ μόλις ἡ Σαρδὼν, ἐγγυτέρω δ' ἡ Κύρνος· πολὺ δὲ μᾶλλον τούτων ἡ Αἰθαλία· προσεχεστέρα γὰρ τῇ ἠπείρῳ ἐστὶν, ὅσον τ΄ διέχουσα σταδίους· ὅσους καὶ τῆς Κύρνου διέχει. ἄριστον δ' ἀφετήριον τοῦτο τὸ χωρίον ἐστὶν ἐπὶ τὰς τρεῖς τὰς λεχθείσας νήσους. εἴδομεν δὲ καὶ ταύτας ἡμεῖς, ἀναβάντες ἐπὶ τὸ Ποπλώνιον, καὶ μέταλλά τινα ἐν τῇ χώρᾳ ἐκλελειμμένα. εἴδομεν δὲ καὶ τοὺς ἐργαζομένους τὸν σίδηρον τὸν ἐκ τῆς Αἰθαλίας κομιζόμενον. οὐ γὰρ δύναται συλλιπαίνεσθαι καμινευόμενος ἐν τῇ νήσῳ· κομίζεται δ' εὐθὺς ἐκ τῶν μετάλλων εἰς τὴν ἤπειρον. Τοῦτο δὲ δὴ παράδοξον ἡ νῆσος ἔχει, καὶ τὸ τὰ ὀρύγματα ἀναπληροῦσθαι πάλιν τῷ χρόνῳ, τὰ μεταλλευθέντα. * . * . Ἔστι δὲ καὶ τὴν Αἰθαλίαν λιμὴν Ἀργῷος, ἀπὸ τῆς Ἀργοῦς, ὥς φασιν. ἐκεῖσε γὰρ πλεῦσαι τὴν τῆς Κίρκης οἴκησιν ζητοῦντα τὸν Ἰάσονα, τῆς Μηδείας ἐθελούσης ἰδεῖν τὴν θεάν. καὶ δὴ καὶ ἀπὸ τῶν ἀποστελεγγισμάτων παγέντων, ἃ ἐποίουν οἱ Ἀργοναῦται, διαμένειν ἔτι καὶ νῦν διαποικίλους τὰς ἐπὶ τῆς ἠϊόνος ψήφους. Hoc eſt: *A Populonio conſpiciuntur, procul quidem ac ægrè Sardinia, propiùs verò Corſica, & his multo magis Aethalia: quidpe quæ propinquior continenti eſt; ad* CCC *ſtadia inde, totidemque à Corſicâ diſtans. Optimè igitur à Populonio ſolvunt treis dictas inſulas petituri. quas & nos conſpeximus, Populonio conſcenſo; & metalla quædam ibi locorum deſerta. vidimus item, qui ferrum ex Aethaliâ adlatum elaborarent. non enim in ipſâ inſulâ fornacibus liquari poteſt: ſed ſtatim atque effoſſum eſt, in continentem perfertur. Hoc ſcilicet mirandum habet Aethalia; ſimulque quòd foſſe, unde metalla ſunt eruta, rurſum tractu temporis implentur.* Paullo pòſt: *Ad Aethaliam portus eſt Argous; ab Argo navi ſic dictus; ut aiunt. eò quidpe tradunt Iaſonem adpuliſſe, Circes domicilium quærentem; quam Medéa cupiebat viſere. & à ſtigmentis concretis, quæ Argonautæ ibi fecerint, ad hoc tempus durare variegatos in litore ſcrupulos.* PORTVS ARGOVS. Eamdem hanc Argonautarum fabuloſam navigationem Diodorus quoque refert lib. IIII. cuius verba ſuprà ad *Telamonem portum* recitavimus. De eâdem ita Ariſtoteles in prædictis Mirandis: Καὶ ἐν τῇ Αἰθαλείᾳ δὲ νήσῳ ἄλλα τε δεικνύουσι μνημεῖα τῶν ἀριστέων, καὶ τὸ ἐπὶ τῶν ψήφων δὲ λεγόμενον. Παρὰ γὰρ τὸν αἰγιαλὸν ψήφους φασὶν εἶναι ποικίλας. ταύτας δὲ οἱ Ἕλληνες οἱ τὴν νῆσον οἰκοῦντες λέγουσι τὴν χρόαν λαβεῖν ἀπὸ τῶν στελεγγισμάτων, ὧν ἐποιοῦντο ἀλειφόμενοι. ἀπὸ γὰρ ἐκείνων τῶν χρόνων οὔτε πρότερον ἑωρᾶσθαι μυθολογοῦσι τοιαύτας ψήφους, οὔτε ὕστερον ἐπιγεγενημένας. Id eſt: *In Aethaliâ quoque inſulâ cùm alia illorum expeditionis monimenta monſtrantur, tùm & illud de calculis. quidpe ad litus inveniri aiunt calculos coloris varii: quos Græci, inſulæ incolæ, ita ex deſtilla-*

deſtillationibus liquorum, quibus illi ungebantur, coloratos tradunt: quum tales nec antè nec poſt ea tempora repertos fabulentur. Ex hac igitur *ferri metallorum* deſcriptione, item ex poſitu contra Populonium opidum, ſatis clarè jam ac manifeſtò adparet, unam eamdemque eſſe inſulam, quam Græci *Aethaliam*, Latini *Ilvam* dixêre: vehementerque erraſſe Ptolemæum, *Ilvam* quidem Populonio adponentem, at *Aethalen* inde ad CXXV millia paſſuum removentem: ſitu illi tributo contra Liguriæ opidum Tiguliam fluminisque Entellæ oſtium. Apud Strabonem equidem ſuprà ſcripto lib. II in plerisque vulgatis exemplaribus legitur, Αἰθαλία τε καὶ Πλανασία, καὶ Ἴλουα, καὶ Πιθηκοῦσαι· at rectiùs duæ iſtæ voces, καὶ Ἴλουα, in compluribus manu ſcriptis abſunt. nihilque certius, quàm quòd doctiſſimus huius auctoris commentator Iſaacus Caſaubonus monet; ex Ptolemæo aliquem Strabonis geographiam hoc etiam loco, ut alibi haud ſemel, amplificaſſe. quidpe quî errare in hoc tam turpiter Strabo potuit; quum, tam propè in Populonio conſtitutus, in cuncta accuratè inquiſiverit? Quamquàm ob hoc ipſum etiam illius errorem ſatis mirari nequeo, medio curſu inter Italiam Corſicamque ponentis Aethaliam, utrimque CCC ſtadiis, id eſt millibus XXXVII ac paſſibus IƆ interjectis. quod equidem intervallum millium LXXV inter Corſicam & Italiam haud ita multum abhorret à ſuprà ſcriptis Plinii millibus LXII. quidpe Plinius eodem lib. III cap. V *Italiam à Corſicâ abeſſe* ſcripſit *minùs* LXX *millia*: ut ſuperiori volumine cap. III oſtendi. In itinerario inſulari ſcripta fuiſſe puto ab ipſo auctore inter Populonium & Ilvam ſtadia XC: quæ poſtmodùm corrupta in DC. namque XC ſtadia illo ſæculo millia conficiebant XII; quæ habet hoc intervallo præſcripto loco Gregorius Magnus. De cætero ARGOVS PORTVS, hodiéque clarus, vulgò vocatur *Porto Ferrato*.

PLANASIA *inſula*; quæ & PLANARIA.

PLANASIA *inſula* inter Ilvam & Corſicam jacet; vulgò nunc *Pianoſa* dicta. quo ſitu etiam in Ptolemæi tabulâ conſpicitur. Præter ſuprà citatos auctores, Strabonem, Plinium, Ptolemæum, Solinum, Itinerariumque inſulare, memoratur etiam Varroni, Tacito ac Dioni. Varro Ruſticar. lib. III cap. VI: *Pavonum agreſtes eſſe dicuntur in Planaſiâ inſulâ.* Tacitus in Annal. lib. I; de Tiberio loquens: *Senem Auguſtum devinxerat adeò, uti nepotem unicum, Agrippam Poſthumum, in inſulam Planaſiam projiceret: rudem ſanè bonarum artium, & robore corporis ſtolidè ferocem; nullius tamen flagitii compertum.* Et paullo pòſt: *Rumor inceſſerat, paucos ante menſeis Auguſtum, electis conſciis, & comite uno Fabio Maximo, Planaſiam vectum, ad viſendum.* Et item lib. II: *Eodem anno mancipii unius audacia, ni maturè ſubventum foret, discordiis armisque civilibus rempublicam perculiſſet. Poſthumi Agrippæ ſervus, nomine Clemens, comperto fine Auguſti, pergere in inſulam Planaſiam, & fraude aut vi raptum Agrippam ferre ad exercitus Germanicos, non ſervili animo concepit. Auſa eius impedivit tarditas onerariæ navis. Atque interim patratâ cæde, ad maiora & magis præcipitia converſus, furatur cineres; vectusque Coſam Etruriæ promontorium, ignotis locis ſeſe abdit, donec crinem barbamque promitteret.* Dio lib. LV: Τὸν δὲ δὴ Γερμανικὸν, ἀλλ' οὐ τὸν Ἀγρίππαν, ἐπὶ τὸν πόλεμον ἐξέπεμψεν ὁ Αὔγουστος, ὅτι δουλοπρεπής τε ἐκεῖνος ἦν, καὶ τὰ πλεῖστα ἡλίευε· ὅθενπερ καὶ Ποσειδῶνα ἑαυτὸν ἐπωνόμαζε· τῇ τε ὀργῇ προπετεῖ ἐχρῆτο· καὶ τὴν Ἰουλίαν ὡς μητρυιὰν διέβαλλεν· αὐτῷ τε τῷ Αὐγούστῳ πολλάκις ὑπὲρ τῶν πατρῴων ἐπεκάλει· καὶ (οὐ γὰρ ἐσωφρονίζετο) ἀπεκηρύχθη, καὶ ἥ τε οὐσία αὐτοῦ τῷ στρατιωτικῷ ταμιείῳ ἐδόθη, καὶ αὐτὸς ἐς Πλανασίαν τὴν πρὸς Κύρνῳ νῆσον ἐνεβλήθη. Hoc eſt: *Quòd autem Germanicum, non Agrippam, ad bellum miſit, ſerviles Agrippæ mores in causâ fuerunt, ſoliti ferè piſcari: unde ſibi ipſe Neptuni nomen ſumpſerat: irâque utebatur præcipiti: Iuliamque, quaſi novercam, convitiis proſcindere: ipſumque ſæpiùs Auguſtum propter paterna bona inſimulare. Itaque, quum finem nequitiæ non faceret; proſcriptus ab Auguſto, facultatibus eius in ærarium militare relatis, ipſe in Planaſiam, Corſicæ propinquam inſulam, eſt rejectus.* Hanc, ut ſuprà relatum, Solinus *de facie ſupinâ frèti ſic vocatam* adfirmat. ideò ego miror aliam ab eâ referri Plinio *inſulam Planariam*; & ipſam *à ſpecie dictam, æqualem freto; ideóque navigiis fallacem*: utique, quum nulla alia heic circa Corſicam proximumque Italiæ litus eâ facie vel nomine reperiatur. Atqui Plinius ait, ipſam *Corſicam ab Tuſco litore, ſive à Vadis Volaterranis* LXII tantùm *millia paſſuum abeſſe.* quomodo igitur *citra Corſicam erat Oglaſa; intra verò ſexaginta millia paſſuum à Corſicâ Planaria*; niſi à duobus millibus ipſi Italiæ litori propinqua fuerit. Verùm heic nulla eo nomine ac ſpecie. Quapropter ſcripſiſſe Plinium ſuſpicer; *Citra* [ſcilicet *Corſicam*] *eſt Oglaſa: ultrà*

ultrà verò, ſexaginta millia paſſuum à Corſicâ Planaria: ni apud Martianum etiam Capellam, Plinii epitomatorem, in vulgatis exemplaribus exſtaret, *infrà in ſexageſimo Corſicæ Planaria, fallax navigantium mentiensque propinquitas.* quæ ſanè vox *infra* ex genuinâ Plinii *intrà* vitiata eſt ab exſcriptoribus. At quum heic eâ adpellatione ac facie nulla inſula exſtet; deceptum fuiſſe conjecerim Plinium exiguâ illâ diverſitate vocabulorum: quum eadem inſula vocitata fuerit ſive *à planitie* ſeu ἀπὸ τῶ πλανᾷν, id eſt *à fallendo* & *Planaſia*, & *Planaria*. namque lib. VI cap. XXXII unam quoque ex Fortunatis inſulis *Planariam à facie* dictam teſtatur. *Planaſiam* verò inter Corſicam & Ilvam, planâ ac *ſupinâ* & *freto æquali* eſſe *facie*, ſatis notum eſt. Atque hinc eſſe puto, quòd in quibuſdam Martiani exemplaribus *Planaria* Plinii legitur *Planaſia*. Sed & apud Varronem, ut mox videbimus, *Capraſia* eſt, quæ aliis dicitur *Capraria*.

OGLASA *inſula*, ex Plinii locatione nulla alia fuerit, quàm, qui ſcopulus excelſus, vulgò nunc vocatur *Monte Chriſto*.

OGLASA *inſula.*

Vltra Ilvam, Oglaſâ & Planaſiâ *amplior*, ut inquit Plinius, CAPRARIA *inſula* vulgò hodiéque dicitur *Caprara*, & *Capraia*. Græcorum lingvâ vocabatur Αἰγίλα, AEGILA; ſive Αἴγιλον, AEGILVM: teſtibus Plinio ac Solino: ſcilicet ἀπὸ τῶν αἰγῶν, id eſt, à magno numero *caprarum* ſilveſtrium, quæ in eâ gignebantur; ut ab eodem argumento ad Lilybæum Siciliæ promontorium tres celeberrimæ inſulæ dictæ fuerunt Αἰγάδες, *Aegades*; & una earum, in quibus erant capræ ſilveſtres, teſte Homero Odyſſ. lib. VIIII, Αἰγοῦσα, *Aeguſa*: ut Siciliæ lib. II cap. XV à nobis docetur. M. Varro Ruſticar. rer. lib. II cap. III: *Capræ, quas alimus, à capris feris ſunt ortæ: à queis propter Italiam* CAPRASIA *inſula eſt nominata*. Noſtra hæc inter Corſicam Italiamque *Capraſia* ſive *Capraria*, præter ſuprà dictos ſcriptores, Melam, Plinium, Solinum, ac Martianum Capellam, Rutilio quoque memoratur in Itinerario, his verbis:

CAPRARIA *ſive* CAPRASIA *inſula.*

Proceſſu pelagi jam ſe Capraria tollit.
Squallet lucifugis inſula plena viris.
Ipſi ſe monachos Graio cognomine dicunt;
Quòd ſoli nullo vivere teſte volunt.
Munera fortunæ metuunt, dum damna verentur.
Quiſquam ſponte miſer, ne miſer eſſe queat?
Quænam perverſi rabies tam ſtulta cerebri;
Dum mala formides, nec bona poſſe pati?
Sive ſuas repetunt ex fato ergaſtula pœnas;
Triſtia ſeu nigro viſcera felle tument.
Sic nimiæ bilis morbum adſignavit Homerus
Bellerophontæis ſollicitudinibus.
Nam juveni offenſo ſævi poſt tela doloris
Dicitur humanum diſplicuiſſe genus.

Inter Caprariam & Macræ fluminis oſtium eſt VRGO *inſula*, Melæ, Plinio, ac Martiano Capellæ memorata; vulgò nunc *Gorgona* dicta. quod equidem vocabulum jam multis abhinc ſæculis obtinuit; GORGON vocitata. ſic quidpe Rutilius in Itinerario:

VRGO *inſula; quæ poſteà* GORGON.

Adſurgit ponti medio circumflua Gorgon
Inter Piſanum Cyrnaicumque latus.

At in quibuſdam Plinii exemplaribus manu ſcriptis ORGON legitur. id neſcio an ex Stephano exſcriptor ſumpſerit. apud hunc quidpe ita eſt: Ὀργών, νῆσος πλησίον Τυῤῥηνίας. τὸ ἐθνικὸν Ὀργώνιος, ὡς Ἀντρώνιος. Hoc eſt: *Orgon, inſula prope Etruriam. unde gentilitium dicitur Orgonius; quemadmodùm Antronius.*

Hinc MAENARIA Plinii, ſive, ut pleraque habent exemplaria, MENARIA, vulgò nunc vocatur *Meloria*, Liburno portui objecta.

MAENARIA *inſula.*

Inter Ilvam & Populonium promontorium, ſed Ilvæ propinquior, eſt nunc *Palmaiola*, ſive *Palmarola*; & contra Almæ fluminis oſtium *Troia*. utra harum COLVMBARIA, utra verò VENARIA dicta fuerit, quæ nomina refert cum epitomatore ſuo Martiano Plinius, planè incertum habeo. Apud Melam *Columbaria*, haud dubito, quin in *Carbaniam* corrupta ſit.

COLVMBARIA *&* VENARIA, *inſulæ.*

Porrò apud Plinium eodem loco noſtri quidem ævi commentatores repoſuerunt, ut nos ſuprà recitavimus, *Item Igilium & Dianium; quam Artemiſiam: ambæ contra*

Coſanum litus: & parvæ, Menaria, Columbaria, Venaria, Ilva, cum ferri metallis. ubi antiqua exemplaria habent, alia, *& harponæ, Menaria;* alia, *barpona, Menaria;* alia, *vaponæ, Menaria.* quæ ſanè voces longè aliud ſignificarunt, quàm quod illi volunt: utique, quum *Ilva*, quæ heic inter reliquas iſtas eâdem oratione ſine diſtinctione numeratur, parva minimè dici poſſit. Inſulæ alicuius & ipſum id fuiſſe proprium vocabulum, quamvìs, cuius vel quod, ignorem, nullus dubito. Atque hæ ferè ſunt inſulæ ante Etruſcum litus, veteribus memoratæ. Nunc mediterranea ipſius Etruriæ introſpiciamus.

CAP. III.

De locis ETRVRIAE *mediterraneis.*

LVCA, colonia & municipium.

PRimum in Etruriæ mediterraneis (ut, quo modo anteà maritima, ſic nunc mediterranea ab Lunæ portu & amne Macrâ ordiar) eſt *opidum* LVCA: quod, prope Auſarem, ſive, ut nunc vocatur, Serchium fluvium, nomen hodiéque retinet. Memoratur, Ciceroni, Livio, Velleio, Straboni, Plinio, Svetonio, Frontino, Plutarcho, Ptolemæo, & Itinerariis Antonini ac Tabulæ. Apud Strabonem lib. V ita ſcriptum: Πρὸς δὲ τοῖς ὄρεσιν ἐστι πόλις τοῖς ὑπερκειμένοις τῆς Λούνης Λοῦκα. Hæc ſanè oratio, ut imperfecta, mutila, & longè alieno loco poſita, ſic etiam conturbata eſt. Quo loco ponenda, licèt nondum ſatis diſpiciam, verba tamen eius hoc modo ordinanda cenſeo: Πρὸς δὲ ὄρεσι τοῖς ὑπερκειμένοις τῆς Λούνης ἐστὶ πόλις Λοῦκα. Id eſt: *Ad monteis, qui ſuper Lunam ſunt, eſt opidum Luca.* Deſcriptionem aliquam opidi adjeciſſe Strabonem, haud dubium eſt. ſed ea pars orationis interiit. Plinius lib. III cap. V: *Primum Etruriæ opidum Luna, portu nobile. colonia Luca, à mari recedens: propiorque Piſæ.* Quando *colonia* deducta fuerit, oſtendit Velleius Paterculus, ſub finem libri I. *Cnæo*, inquit, *Manlio Volſone & M. Fulvio Nobiliore conſulibus Bononia deducta colonia; & poſt quadriennium Piſaurum ac Potentia: interjectoque triennio, Aquileia & Gravíſca; & poſt quadriennium Luca.* Ergo XII annis poſt Bononiam deducta fuit *Luca*: quum conſules forent C. Claudius Pulcher & Ti. Sempronius Gracchus; id eſt, anno à Româ conditâ IↃLXXV, ante natum Ieſum CLXXVIII: ſub quibus conſulibus etiam Livius lib. XLI id refert his verbis: *Lucam colonia eodem anno* CIↃ CIↃ *civium Romanorum ſunt deducta. Triumviri deduxerunt, P. Aelius, L. Egilius, Cn. Sicinius. Quinquagena & ſingula iugera & ſemiſſes agri in ſingulos dati ſunt. De Ligure captus is ager erat: Etruſcorum antè, quàm Ligurum, fuerat.* De eâdem ſic poſteà ſcribit lib. XLV; in conſulatu L. Aemilii Paulli & C. Licinii Craſſi, anno Vrbis IↃLXXXIII: *Diſceptatum inter Piſanos Lucenſeiſque legatos: Piſanis querentibus, agro ſe à colonis Romanis pelli; Lucenſibus adfirmantibus, eum, de quo agatur, à triumviris agrum ſibi adſignatum eſſe.* Poſthinc *municipium* quoque factum, teſtis eſt Pompeius Feſtus in voce *Municipium. Tertio*, inquit, *modo municipium dicitur, quum id genus hominum definitur, qui ad civitatem Romanam ita venerunt, uti municipia eſſent ſua cuiuſque civitatis* [lego, *uti municipes eſſent ſuæ quiſque civitatis*] *& coloniæ: ut Tiburtes, Prænestini, Piſani, Arpinates, Nolani, Bononienſes, Placentini, Nepeſini, Sutrini, Lucenſes.* Ergo opidani à *Lucâ* dicebantur, teſtibus Livio ac Feſto, LVCENSES. Apud Agathiam, Græcum auctorem, lib. I leguntur bis Λουκανοί· quod vocabulum corruptum eſſe omnino ego cenſeo, ex genuinâ auctoris ſcriptione Λουκαῖοι. ſic quidpe eodem libro anteà ei dicuntur Κεντουκελλαῖοι, Βολατῤῥαῖοι, Πισαῖοι, & Φαισουλαῖοι. ut infrà ad *Fæſularum* expoſitionem videbimus. Meminit opidi Cicero Familiar. lib. I epiſt. VIIII, his verbis: *Pompeius, quum nihil mihi oſtendiſſet, ſe eſſe offenſum, in Sardiniam & in Africam profectus eſt; eoque itinere Lucam ad Cæſarem venit. Ibi multa de meâ ſententiâ queſtus eſt Cæſar. Sanè moleſtè id ferre Cæſarem, conſtabat. quod ego maximè ex meo fratre cognovi: quem in Sardiniâ Pompeius paucis pòſt diebus, quàm Lucâ diſceſſerat, convènit.* Factum hoc Cn. Gornelio Lentulo Marcellino & L. Marcio Philippo conſulibus: quos in eâdem epiſtolâ Cicero nominat. Accitus autem eò à Cæſare erat Pompeius; teſte Svetonio in vitâ Cæſaris, cap. XXIIII, his verbis: *Quum L. Domitius, conſulatus candidatus, palàm minaretur, conſulem ſe effecturum, quod prætor nequiſſet; ademptu-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

ademturumque ei exercitus: Craſſum Pompeiumque, in urbem provinciæ ſuæ Lucam extractos, compulit, ut, detrudendi Domitii causâ, conſulatum alterum peterent; & ut in quinquennium ſibi imperium prorogaretur. perfecitque utrumque. Idem ſcribit Plutarchus in Cæſare atque Pompeio. Quomodò autem *Luca* fuerit opidum provinciæ Cæſaris, qui tum utramque Galliam regendam obtinebat, ſuprà hoc lib. II cap. I & lib. I cap. VIII docui. Hinc Frontinus etiam Strategemat. lib. III cap. II: *Domitius Calvinus obſidebat Lucam, opidum Ligurum, ſitu non tantùm & operibus, verùm etiam propugnatorum præſtantiâ tutum.*

Cæterò iter in Tabulâ itinerariâ deſcriptum eſt à *Lunâ* opido per *Tabernam Frigidam* & *Foſſas Papirianas* usque *Piſas*. quod iter locaque in eo in ipſo fuiſſe litore, ſuperiori capite oſtenſum. Aliud igitur in eâdem Tabulâ ſuper hoc conſpicitur iter, per interiora loca ductum, huiusmodi:

Lunę	
Foro Clodî	XVI.
Luca	....

Ex intervallo XVI millium paſſuum FORVM hoc CLODII deprehenditur fuiſſe ſupra opidum, cui vulgaris nunc adpellatio *Pietra Santa*; ab eo latere, quod Lucam verſùs ſpectat. FORVM CLODII, *opidum.*

Ptolemæo medio itinere inter Lucam & Foſſas Papirianas locatur Βονδελία, BONDELIA *opidum*: quod ipſum cum *Fano Herculis* & *Feroniæ luco* triangulum, æquis ferè lateribus, conſtituit, ſupernè imminens. ex hac poſitione eodem tractu cum *Foro Clodii* fuiſſe colligitur, circa opidum vulgò nunc *Camaiore* dictum. Verùm mirum dictu, quàm mendax in plerisque locorum ſitibus ſit Ptolemæus. nam *Foſſas* quoque *Papirianas* quàm alieniſſimo poſuiſſe ſitu, ſuprà patuit. BONDELIA *opidum.*

A Lucâ porrò iter in Tabulâ itinerariâ & in Antonini itinerario protenditur hoc modo:

Tabulæ;		Antonino;		Antonino;	
Luca		*Luca*		*Luca*	
Ad Martis	XII.	|		|	
Piſtoris	VIII.	*Piſtores*	XXV.	*Piſtores*	XXV.

Plinio lib. III cap. V, Etruriæ hoc *opidum* dicitur PISTORIVM; Ptolemæo verò Πιςωρία. unde etiam nunc vulgò vocatur incolis *Piſtoia*. Antonino videtur fuiſſe AD PISTORES. In Tabulâ neſcio an *e* corruptum ſit in *i*: an verò pluralis numerus intelligendus ſit *Piſtorîs*, pro *Piſtoriis*; à recto caſu generis neutri *Piſtoria*. Opidani inde dicuntur Plauto in Captivis PISTORIENSES. unde Salluſtius in libro de bello Catilinario, & Iul. Obſequens in libro de Prodigiis, in agro *Piſtorienſi Catilinam victum* narrant. PISTORIA *opidum.*

De cætero quum inter Lucam & Piſtoriam XXV millia paſſuum hodiéque noſcantur; numerum in Tabulâ XIII millium corruptum eſſe in VIII, haud dubium eſt. Locus igitur iſte AD MARTIS, ſive FANVM MARTIS, ex itineris ductu & intervallis deprehenditur eſſe nunc opidum, cui vulgare vocabulum *Peſcia*. FANVM MARTIS *opidum.*

Porrò iter à Piſtoriâ Florentiam usque in iisdem Itinerariis continuatur hoc modo:

Tabulæ:		Antonino;		Antonino;	
Piſtori.		*Piſtores*		*Piſtores*	
Hellana	VI.	|		|	
Ad Solaria	VIIII.	|		|	
Florentia Tuſcorum	VIIII.	*Florentia*	XXV.	*Florentia*	XXV.

Ex his FLORENTIA hodiéque nomen retinet; vulgò *Fiorenza* & *Firenze* dicta. Memoratur eo nomine Tacito, Frontino, Inſcriptioni antiquæ, quæ eſt apud opidum *Monte Pulciano* vulgò dictum, Hadriani imperatoris tempore compoſitæ; tum FLORENTIA *municipium.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Ptolemæo, Tabulæ itinerariæ, Antonino, Procopio, Agathiæ, & aliis: ſcribiturque Græcis literis Φλωρεντία. Opidani inde dicebantur FLORENTINI. At eadem urbs alio nomine *Fluentia* olim dicta putatur ex his Plinii verbis lib. III cap. V: *Cluſini novi, Cluſini veteres, Fluentini, præfluenti Arno adpoſiti, Fæſulæ.* Et diſertè *Fluentia* opidum nominatur Floro, lib. III cap. XXI; quod eſt de bello civili Mariano: ubi hæc leguntur verba: *Poſitis ſingulorum hominum fere pœnis, municipia Italiæ ſplendidiſſima ſub haſtâ venierunt; Spoletium, Interamnium, Præneſte, Fluentia.* Tacitus equidem Annal. lib. I ſive inter municipia ſive inter colonias connumerat *Florentiam* ſub Tiberio imperatore, his verbis: *Auditæ municipiorum & coloniarum legationes: orantibus Florentinis, ne Clanis, ſolito alveo demotus, in amnem Arnum transferretur; idque ipſis perniciem adferret.* At tempore belli civilis inter Marium ac Sullam *ſplendidiſſimum municipium* fuiſſe Florentiam, haud credibile eſt; quando multis annis pòſt tandem *colonia* huc fuit deducta; ſi Frontino credimus: cuius verba in libro de Coloniis hæc ſunt: *Colonia Florentia deducta per tresviros. adſignata lege Iuliâ centuriis Cæſarianis eſt in jugera* CC. Quapropter, aut nimio brevitatis ſtudio, ut quàm frequentiſſimè aliàs, haud perinde vera retuliſſe Florum, aut aliam ab *Florentiâ* urbem fuiſſe *Fluentiam*, oportet. Verùm enimverò, quia jàm inde ab Auguſti Cæſaris tempeſtate celebris fuit urbs *Florentia*; haud ſimile eſt veri, Plinium hanc ſub Veſpaſiano imperatore inter alia Etruriæ clara opida voluiſſe ſilentio præterire. nec alia heic *Fluentia, Arno amni adpoſita*, ulli veterum auctorum memorata, nec veſtigia eius ulla uſpiam conſpecta. Quin & ipſi Plinio, lib. XXXIIII cap. III, diſertè *Florentia* memoratur, in his verbis: *Et hactenus publica ſunt vitium genera. cætera regionum locorumque; aut ex his inter ſe inſitu miſta. ſiquidem Thuſcis peculiaris eſt, Tudernis: atque etiam eius nominis Florentiâ. eſt optima Aretio Talpana & Eteſiaca & Conſeminia.* Ex hoc igitur loco ingens mihi oritur ſuſpicio, dicto lib. III cap. V ſcriptum fuiſſe ab ipſo Plinio *Florentini*; & à Floro item *Florentia*. quæ vocabula poſtmodùm facillimo librariorum lapſu vitiari potuerint in *Fluentini* & *Fluentia*. errorque haud dubiè in Plinio primùm natus librario eſt ex ſubſequenti voce *præfluenti*. Et cur hoc magis opidum dici debuerit *Fluentia*, ceu peculiari ac privato vocabulo, quàm innumera alia præfluentibus amnibus adpoſita, minimè ego diſpicio. Plinium verò dicto lib. III cap. V *Florentiam* inter colonias Etruriæ non recenſuiſſe; in quibus *Lucam, Piſas, Falerios, Lucum Feroniæ, Ruſellas, Senam*, & *Sutrium*, refert tantùm; nihil mirum ſit: quando nimiâ incuriâ alias quoque omiſit. Verùm, uti tandem huic diſputationi ſeu dubitationi finem faciamus; pleraque ferè manu ſcripta Plinii exemplaria habent diſertiſſimis literis *Florentini*. Perantiqua igitur urbs *Florentia*; & jam Sullæ Mariique temporibus, id eſt, circa annum ante natum Ieſum Chriſtum LXXX, inter ſplendidiſſimas Italiæ urbeis computata. Apud Agathiam lib. I hæc leguntur verba: Ὁ δὲ Ναρσῆς, ἐπεὶ πολέμῳ τε καὶ ἐπιδρομαῖς ἑλεῖν δή που τὸ χωρίον ἀδύνατον ἦν, ἔγνω, μὴ ἁπάσῃ τῇ στρατιᾷ ἐν τοῖσδε διαπονεῖσθαι, ἀλλ' ἐς Φλωρεντίαν καὶ Κεντουκέλλας, καὶ ἄλλα ἄττα πολίσματα τῆς Τουσκίας χώρας αὐτὸς ἀφικέσθαι. Id eſt: *Narſes, quum neque bello neque vi ullâ opidum capi poſſet; ſtatuit, non univerſum exercitum in laborioſâ hac obſidione diſtinere: ſed Florentiam & Centumcellas & ad alia quædam Tuſciæ opida ſtatim ſe conferre.* Ex hac voce πολίσματα, quæ minora quædam opida propriè denotat, quidam colligunt, parvam exiguamque tum temporis fuiſſe Florentiam. quos ego haud modicè errare cenſeo. quidpe hoc ſi ita de Florentiâ accipiendum; certè idem & de Centumcellis ex eodem vocabulo intelligendum foret. at hoc perquàm eſſe falſum, teſtatur Procopius, eorum temporum auctor; & qui cum Veliſario, Iuſtiniani imperatoris duce, ipſe Italiam intravit, multamque eius partem obivit. is quidpe Goticar. rer. lib. II ita tradit: Διὸ δὴ Γότθοι καὶ πόλιν ἐπιθαλασσίαν, λόγου πολλοῦ ἀξίαν, Κεντουκέλλας ὄνομα, τῶν ἐπιτηδείων σπανίζοντες, ὑπὸ τὸν αὐτὸν χρόνον ἐξέλιπον. ἔστι δὲ ἡ πόλις μεγάλη καὶ πολυάνθρωπος. Id eſt: *Quapropter etiam Gothi urbem maritimam, admodùm celebrem, nomine Centumcellas, quum neceſſaria victui deficerent, ſub idem tempus deſeruerunt. Eſt autem urbs magna, incolisque frequentiſſima.* Itaque non magis de Florentiâ, quàm de Centumcellis, vox iſta πόλισμα accipi debet: ſed de aliis quibuſdam minoribus Tuſciæ opidis, quæ Narſes, unà cum illis magnis urbibus, cepit: De cætero Tabulæ itinerariæ, ut ſuprà citatum, cognominatur *Florentia Tuſcorum*; ſcilicet ad diſcrimen

alterius *Florentiæ*, quam eadem Tabula cum Antonini itinerario refert inter Placentiam & Parmam; vocaturque hodiè diminutivo vocabulo *Fiorenzuola*.

HELLANA, & AD SOLARIA, *loca*.

At ille locus Tabulæ HELLANA, inter Piſtoriam & Florentiam, ex itineris ductu locorumque intervallis, fuerit eo ſitu, ubi nunc conſpicitur vicus vulgò *Monte Murlo* dictus: alter autem locus AD SOLARIA, ubi nunc eſt caſtellum *Campi*, apud confluentem Biſentii Marinæque amnium.

FAESVLAE *colonia & municipium*.

Florentiæ à tribus paullo ampliùs millibus paſſuum imminent in Apennini collibus reliquiæ, cum epiſcopali etiamnunc ſede, antiquæ inter primas Etruriæ urbis, cui nomen plurali numero à plerisque auctoribus tribuitur Φαισοῦλαι, FAESVLAE; & à nonnullis ſingulari numero Φαισοῦλα, FAESVLA. Id nomen poſteà imperiti transſcriptores in primâ ſyllabâ fecêre ſimplici vocali *Feſulæ*; ut in plerisque auctorum exemplaribus legitur. Diphthongum ſanè omnes habent Græci. & inde ea ſyllaba producitur à Silio lib. VIII:

Adfuit & ſacris interpres fulminis alis
Fæſula.

Apud Procopium tamen Goticarum rerum lib. II frequenti repetitione in vulgatis exemplaribus eſt Φισοῦλα, *Fiſula*; neſcio, utrùm ipſius auctoris ſcriptione, an librariorum corruptione. Secunda verò ſyllaba quum foret brevis; Polybius lib. II rectè ſcripſit Græco more Φαίσολαι. Dioni lib. XXXVII, & Appiano Civil. bellor. lib. II, ac Ptolemæo, è Latino tum uſu ſcribitur Φαισοῦλαι. Hodiè vulgò dicitur *Fieſole*. Opidani inde dicebantur FAESVLANI; ut mox videbimus. Antiquiſſima opidi memoria exſtabat apud Diodorum lib. XX, in conſulatu Q. Fabii Maximi Rulliani & C. Marcii Rutilii Cenſorini, anno urbis Romæ CCCCXLIIII. ſed nomen eius Φαίσολαν librarii corruperunt in Καζόλαν: ut infrà ad *Arretii* expoſitionem latiùs monſtrabitur. Proxima hinc eius memoria exſtat apud Polybium, dicto lib. II; ubi res refert geſtas anno urbis Romæ IↃXXVIII, L. Aemilio Papo & C. Atilio Regulo conſulibus; ante Chriſtum natum anno CCXXV. Poſt hunc Livius lib. XXII; ubi de Hannibalis ex Galliâ Togatâ per Apenninum in Etruriam tranſitu narrat. *Regio*, inquit, *erat in primis Italiæ fertilis, Etruſci campi, qui Fæſulas inter Aretiumque jacent.* Et ſtatim: *Quóque pronior eſſet in vitia ſua* [Flaminius conſul,] *agitare eum atque irritare Pœnus parat. & Fæſulis profectus, à lævâ relicto hoſte, Etruriæ agros prædatum petens; quantum maximam vaſtitatem poteſt, cædibus incendiisque conſuli procul oſtendit.* Sic legendum hunc locum, qui in vulgatis hactenus exemplaribus fœdè corruptus eſt, infrà docebo. *Coloniam* poſteà factam Romanorum, auctor eſt Cicero in Catilinariis. Oratione III: *P. Furius eſt ex his colonis, quos Fæſulas L. Sylla deduxit.* Et oratione II: *Tertium genus eſt, ætate jam confectum, ſed tamen exercitatione robuſtum. quo ex genere eſt ipſe Manlius: cui nunc Catilina ſucceſſit. Hi ſunt homines ex iis colonis, quos Fæſulis Sylla conſtituit. quos ego univerſos civium eſſe optimorum & fortiſſimorum virorum ſentio. ſed tamen hi ſunt coloni, qui ſe inſperatis repentinisque pecuniis ſumptuoſiùs inſolentiúsque jactarunt. Hi, dum ædificant tamquàm beati; dum prædiis, lecticis, familiis magnis, conviviis, adparatibus, delectantur: in tantum æs alienum inciderunt, ut, ſi ſalvi eſſe velint, Sylla ſit iis ab inferis excitandus. qui etiam nonnullos agreſteis, homines tenueis atque egenteis, in eamdem illam ſpem rapinarum veterum impulerunt.* Magnifica igitur tum atque ſplendida fuit colonia Fæſulana: in cuius agro tunc caſtra poſuit Catilina; teſte ipſo Cicerone in eâdem oratione anteà, his verbis: *Etenim credo: Manlius iſte centurio, qui in agro Fæſulano caſtra poſuit, bellum populo Romano ſuo nomine indixit: & illa caſtra nunc non Catilinam ducem exſpectant.* Sic & Salluſtius in libro de bello Catilinario: *Neque tamen Catilinæ furor minuebatur: ſed in dies plura agitare: arma per Italiam locis opportunis parare; pecuniam, ſuâ aut amicorum fide ſumptam, Fæſulas ad Mallium quemdam portare; qui poſteà princeps fuit belli faciundi.* Et poſteà: *Quum Catilina in agrum Fæſulanum cum exercitu veniſſet.* Memorant hinc *Fæſulas* Plinius atque Ptolemæus. quorum hic, Τούσκων, inquit, μεσόγειοι πόλεις, Πιστωρία, Φλωρεντία, Πίσαι κολώνια, Οὐολατέρραι, Ῥουσέλλαι, Φαισόλαι. Id eſt: *Tuſcorum mediterranea opida, Piſtoria, Florentia, Piſæ colonia, Volaterræ, Ruſellæ, Fæſulæ.* Plinius lib. III cap. V: *Aretini, Cluſini, Florentini, profluenti Arno adpoſiti, Fæſulæ, Ferentinum, Feſcennia.* Huius auctoris tempeſtate fuiſſe *municipium*, ex lib. VII cap. XIII colligo; ubi *ingenuam* eius nominat *plebem*. *In actis*, inquit, *temporum divi Auguſti invenitur, XII conſulatu eius, quem cum Lucio Syllâ col-*

legâ geſſit, ad III *Idus Aprilis C. Criſpinum Hilarium, ex ingenuâ plebe Fæſulanâ, cum liberis* VIIII *(in quo numero filiæ duæ fuerunt) nepotibus* XXVII, *pronepotibus* XXVIIII, *neptibus* VIIII, *prælatâ pompâ, cum omnibus his in Capitolio immolaſſe.* De cætero apud Agathiam, dicto lib. I paullo pòſt, ita in vulgatis exemplaribus ſcriptum eſt: Ναρσῆς δὲ ταῖς πόλεσι προσβαλὼν, ἀκονιτὶ τὰς πλείστας προσηγάγετο. Φλωρεντῖνοι μὲν γὰρ ὑπαντιάσαντες, καὶ τὰ πιστὰ κομισάμενοι, ὡς οὐδὲν ἄχαρι πείσονται, σφᾶς τε αὐτοὺς ἐθελονταὶ καὶ τὰ οἰκεῖα παρέδοσαν. Κεντουκελλαῖοι δὲ ὁμοῖα ἔπραξαν. Βουλοτεραῖοι δὲ οὐκ ἄλλως· οὕτω δὲ καὶ Ἁλιαῖοι· καὶ μὲν δὴ καὶ Πισαῖοι. Quæ ita vertit interpres Latinus: *Narſes opida adorſus, pleraque citra laborem in ſuam poteſtatem redegit. Florentini enim, obviam progreſſi, fideque acceptâ, nihil ſeſe hoſtile paſſuros; ſponte ſeſe ſuaque omnia dediderunt. idem fecerunt Centumcellæ. neque aliter Volaterræ. ita verò etiam maritimi. quin & ipſi Piſani.* Rectè quidem heic interpres ex corrupto vocabulo Βουλοτερραῖοι opidum *Volaterras* conjecit. at ponendi erant ex mente auctoris ipſi opidani Βολατερραῖοι, *Volaterrani*; ut Φλωρεντῖνοι (ſic enim & hoc corrigendum) *Florentini*. dein Κεντουκελλαῖοί τε erat ſcribendum; ut ſuperiori capite ad expoſitionem huius opidi docui: vertendumque Latinè *Centumcellani*. Iſtos verò ἁλιαίους, *maritimos*, quos intellexerit interpres, ego miror; quando *Piſani* etiam inter maritimos cenſebantur; & maximè *Centumcellani*. Proinde hoc quoque vocabulum fœdè vitiatum exiſtimo. quod in proximam literarum ſimilitudinem reponere coner Φαισουλαῖοι, *Fæſulani*. Apud Florum lib. I cap. XI hæc leguntur verba: *Hactenus pro libertate; mox de finibus cum eisdem Latinis adſiduè & ſine intermiſſione pugnatum eſt. Sora (quis credat?) & Algidum terrori fuerunt. Satricum atque Corniculum provinciæ* [fuerunt.] *de Verulis & Bovillis, pudet, ſed triumphavimus. Tibur nunc ſuburbanum, & æſtivæ Præneſte deliciæ, nuncupatis in Capitolio votis petebantur. idem nunc Fæſulæ, quod Carræ nuper; idem nemus Aricinum, quod Hercynius ſaltus; Fregellæ, quod Geſoriacum; Tiberis, quod Euphrates.* Sanè, aut aliæ iſtæ præter Etruſcas Fæſulas fuère Fæſulæ in Latio; aut abſurdiſſimâ & temporum & locorum ratione Etruriæ Fæſulas Latinis rebus immiſcuit. namque eo tempore, quum hoc bellum Latinum, poſt pacem cum Porſenâ, Cluſinorum rege, factam, gerebatur, ne Veios quidem adhuc Romani ſuperaverant; nec CCCVI Fabiorum agmen ad Cremeram flumen fuit cæſum: ut ipſe teſtis eſt unà cum Livio Florus. Quid igitur ille *Fæſulas* Etruriæ cum *Carris* Meſopotamiæ contulerit? quam urbem Romani poſt quartum demum ſæculum tenuerunt: quo tempore Craſſus illic à Parthis fuſus & occiſus eſt. Nec tamen dubito, quin Etruſcas intellexerit Fæſulas: quando in Latio nullum umquàm hoc nomine memoratum fuit opidum: tum verò, ut ultra Euphratem, Romani tunc imperii terminum, nominavit *Carras* in Meſopotamiâ; ſic trans Tiberim, itidem finem Romani imperii tempore iſtius belli Latini, nominare voluit in Etruriæ extimis partibus *Fæſulas*. ſed hoc ipſum ſatis ineptè; ut innumera alia in breviario ſuo nimio ineptoque brevitatis ſtudio inductus. Neque verò ſuſpicari tutò licet, corruptum id eſſe in exemplaribus eius vocabulum, ex genuino *Aeſulum*; quod Latii fuit opidum; quidpe jam inde Iornandes in libro de Succeſſione regnorum, ut pleraque illic alia, ſic totum hunc iiſdem verbis ex Floro tranſcripſit locum. Quamquàm apud Iornandem pariter & Florum lib. I cap. VII mendoſè ſcriptum eſt *in Latio Ocriculum*; quod erat Vmbriæ opidum: pro quo infrà ſuo loco reponam *Olliculum*. & cap. XVIII idem Florus cum Iornande habet *apud Heracleam Campaniæ fluvium Lirim*; pro, *Lucaniæ fluvium Sirim*: & mox, *ſub Aruſinis campis*; pro *Tauraſinis campis*: ut in Hirpinis ac Lucaniâ docebo. Nec novum eſt, uti à malè feriatis criticis ſeu imperitis grammaticis ſana probaque vocabula apud veterum auctorum ſive breviatores ſive tranſſcriptores ex corruptis ipſorum auctorum exemplaribus vitientur abalienenturque.

MVGIELLA *vallis.*

Porrò apud Procopium Gothicar. rer. lib. III ita ſcriptum eſt: Χρόνῳ δὲ Τουτίλας οὐ πολλῷ ὕστερον στράτευμα ἐπί τε Ἰουστῖνον καὶ Φλωρεντίαν ἔπεμψεν. Ἰουστῖνος δὲ ἔπεμψεν ἐς Ῥάβενναν παρὰ τοὺς Ῥωμαίων στρατοῦ ἄρχοντας, βοηθεῖν σφίσι κατὰ τάχος δεόμενος. Διὸ δὴ στράτευμα Ῥωμαίων λόγου ἄξιον αὐτίκα ἐς Φλωρεντίαν ᾔει. ὅπερ ἐπεὶ Γότθοι πρὸς τῶν κατασκόπων ἐπύθοντο, λύσαντες τὴν προσεδρείαν, ἀνεχώρησαν εἰς χωρίον Μουκιάλλην ὄνομα, Φλωρεντίας διέχον ἡμέρας ὁδόν. * . * . Οἱ δὲ Βάρβαροι τὴν ἐναντίων ἔφοδον γνόντες, τὸ μὲν πεδίον, οὗ δὴ ἐστρατοπεδευσάμενοι ἐτύγχανον, δέει πολλῷ ἀπολιπεῖν ἔγνωσαν· ἐς λόφον τινὰ δὲ μέγαν, ὃς ταύτῃ ἀνέχει, ξὺν θορύβῳ ἀνέδραμον. Hoc eſt: *Haud multo pòſt Totilas adverſus Iuſtinum & Florentiam copias*

pias miſit. Itaque Iuſtinus Ravennam ad Romani exercitus duces miſit, periclitanti ſibi uti quantocyùs opitulatum venirent, petens. Confeſtim igitur haud modicus Romanorum exercitus Florentiam ivit. Quo per exploratores cognito, Gothi, ſolutâ obſidione, in locum, cui Mucialla nomen, diei iter à Florentiâ diſſitum, regrediuntur. Exiguo pòſt: *Barbari hoſtium adventu cognito; campum, in quo tunc fortè caſtra habebant, præ formidine relinquentes, in vaſtum collem, qui eâ regione prominet, effugium tumultuoſiùs arripuêre.* Hic *locus* ſive *campus* MVCIALLA haud malè, meo judicio, doctis quibusdam viris putatur hodiè eſſe vallis, quam Sevis fluvius ſecat, ſuprà Fæſulas in Arnum confluens; vulgari nunc adpellatione *Val di Mugello* dicta. quidpe Totila tunc à Faventiâ, quam obſidebat, partem exercitus ad Florentiam obſidendam miſerat; ut ipſe teſtatur Procopius paullo antè. Nec refert, quòd ad Muciallam ἡμέρας ὁδὸν, id eſt, *diei iter*, à Florentiâ faciat ille; quum ἡμέρας ἡμισείας ὁδὸς, id eſt, *dimidii diei iter* tantùm ſit in extimam vallis Mugellanæ partem. quidpe aliàs etiam haud ſemel parum adcuratus itinerum dimenſor deprehenditur Procopius: & heic vox ἡμισείας incuriâ librarii facilè interire potuit. De cætero exemplaria quidem Procopii nuperrimè vulgata hunc locum habent vocabulo Μυκάλλω. at interpres eius Perſona in ſuo habuit Μουκιάλλω· quod longè magis hodierno loci nomini convenit. Id quum imperiti exſcriptores parum intelligerent; transmutarunt in longè clarius vocabulum Μυκάλλω· quo nomine & opidum & mons & promontorium & inſula fuit in Aſiâ minori; omnia auctoribus celebratiſſima.

Porrò iter in Tabulâ deſcriptum eſt huiusmodi:

Florentia	
Arnum fl.	....
In Portu	IIII.
Valuata	XVII.
Piſis	VIIII.

Quum inter Florentiam & Piſas plùs XL ſint millia paſſuum; X ampliùs millia in Tabulâ hoc itinere inter Florentiam & Arni trajectum interiſſe, certum eſt. A Florentiâ ad opidum, cui vulgare vocabulum *Empoli*, XVI circiter ſunt millia. unde hoc idem eſſe puto, quod olim dictum PORTVS, ſive IN PORTV. quod fortè poſteà *Emporium* adpellatum fuit; ac tandem corrupto vocabulo *Empoli*. Ad eumdem modum apud Padum amnem duo fuiſſe Placentinorum *emporia* ſive *caſtella*, ſuperiori volumine, cap. XXVII oſtenſum eſt. *Portus* autem dictos fuiſſe etiam in mediterraneo, apud huiusmodi fluminum emporia, documento eſt Panegyricus Eumenii, Conſtantino Auguſto dictus: ubi hæc leguntur: *Tum quidem tua, imperator, cura, qua refovendis eorum viribus à Cabillonenſi portu navigia provideras, feſtinantibus penè non placuit.* Hoc opidum *Cabillonem* vulgò hodiè in Burgundiâ Galliæ ducatu vocant *Chalon*, ad Ararem amnem, qui vulgò nunc dicitur *La Saone*. PORTVS *ad Arnum.*

Quatuor igitur millia ſupra hoc opidum *Empoli* trajectus ſive pons Arni fuit cum vico haud dubiè adpoſito, qui inde nomen AD ARNVM habuit. AD ARNVM; *locus.*

At ab alterâ parte VALVATA *opidum* ex intervallis utrimque adpoſitis diſpicitur eſſe id, quod, VIII hodiè millibus Etruſcis à Piſanorum urbe diſſitum, vulgò adpellatur *Caſcina*. VALVATA; *opidum.*

Ultra Arnum & Piſas, ad triceſimum circiter lapidem, haud procul dextrâ Cecinæ ripâ *urbs* antiquiſſima juxtà ac nobiliſſima eſt VOLATERRAE; Ciceroni, Livio, Dionyſio Halicarnaſſenſi, Straboni, Plinio, Frontino, Ptolemæo, Antonino, Agathiæ, & aliis memorata; vulgò nunc dicta *Volterra*. Opidani inde ſunt Ciceroni, Dionyſio, Straboni, ac Plinio, VOLATERRANI. Plinius lib. III cap. V; in enumeratione populorum Etruriæ: *Tarquinienſes, Tuſcanienſes, Vetulonienſes, Veſentini, Volaterrani, cognomine Etruſci, Volſinienſes.* Ex duodecim principum Etruriæ urbium numero & hanc fuiſſe, patet è Dionyſii lib. III: ubi Latini Etruſcorum ſocietatem expetunt contra Tarquinium Romanorum regem. Τυῤῥηνοὶ, inquit Dionyſius, συμμαχίαν ἀποστελεῖν ὡμολόγησαν, ἧς ἂν αὐτοὶ δεηθῶσιν· οὐχ ἅπαντες ἐπὶ τῆς αὐτῆς γενόμενοι γνώμης, ἀλλ᾽ αἱ πέντε πόλεις μόναι, Κλουσῖνοί τε καὶ Ἀῤῥητῖνοι καὶ Οὐολατεῤῥανοὶ, οἱ Ῥουσελανοί τε καὶ ἔτι πρὸς τούτοις Οὐετουλωνιᾶται. Id eſt: *Etruſci, miſſuros ſe auxiliorum quantum opus fuerit, polliciti ſunt. non tamen reſponſum eſt hoc de communi omnium ſententiâ; ſed* VOLATERRAE, *colonia & municipium.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

à v tantùm civitatibus. Cluſini fuère, Aretini, Volaterrani, Ruſelani, & Vetulonienſes. Vetuſtiſſima inde memoria eius exſtat apud Livium lib. x. *Scipioni*, inquit, *hoſtes ad Volaterras inſtructo agmine occurrerunt*. Factum hoc ipſo L. Cornelio Scipione & Cn. Fulvio Max. Centumalo conſulibus; anno urbis Romæ CCCCLV; ante natum Chriſtum anno CCXCVIII. De ſitu Volaterrarum atque ſpacioſiſſimis eius agris ita tradit Strabo lib. v: Τῶν δὲ Οὐολατερρανῶν ἡ μὲν χώρα κλύζεται τῇ θαλάττῃ, τὸ δὲ κτίσμα ἐν φάραγγι βαθείᾳ λόφος ἐστὶν ὑψηλός, περίκρημνος πάντη, τὴν κορυφὴν ἐπίπεδος, ἐφ' ᾗ ἵδρυται τὸ τεῖχος τῆς πόλεως. ἡ δ' ἐπ' αὐτὴν ἀνάβασις πεντεκαίδεκα σταδίων ἐστὶν ἀπὸ τῆς βάσεως, ὀξεῖα πᾶσα καὶ χαλεπή. Id eſt: *Volaterranorum ager mari adluitur. Vrbs ipſa ſita eſt in valle profundâ ſupra collem excelſum & undiquaque præcipitem, plano vertice, in quo urbis condita ſunt mœnia. adſcenſus ad eam eſt xv ſtadiorum* [id eſt, millia paſſuum fermè duo] *ab imo usque arduus omnino atque difficilis.* Ad mare usque pertinuiſſe agrum eius, præter hoc Strabonis teſtimonium, indicio ſunt *Vada Volaterrana*, ſuperiori capite in litore nobis dicta. Hinc etiam illud apud Servium in commentariis ad Virgilii Aeneid. lib. x: *Quidam, poſt XII populos in Etruriâ conſtitutos, populum ex inſulâ Corſicâ in Italiam veniſſe, & Populoniam condidiſſe dicunt. alii Populoniam Volaterranorum coloniam tradunt. alii Volaterranos Corſis eripuiſſe dicunt.* Ergo etiam Populonia olim ſub Volaterranorum ditione fuit. *Coloniam* poſteà factam Romanorum *Volaterras*, auctor eſt Iul. Frontinus in libro de Coloniis. *Colonia*, inquit, *Volaterrana lege Triumvirali eſt adſignata. Municipium* quoque Romanorum fuiſſe, teſtem mox audiemus Ciceronem; ubi antè ex Strabone etiam intellexerimus, quo caſu Syllanis temporibus conflictati ſint incolæ eius. Is ſuprà dictis continuò ſubjicit iſta: Ἐνταῦθα συνέστησάν τινες τῶν Τυρρηνῶν καὶ τῶν προγεγραμμένων ὑπὸ Σύλλα. πληρώσαντες δὲ τέτταρα τάγματα στρατείας, διετῆ χρόνον ἐπολιορκήθησαν. εἶθ' ὑπόσπονδοι παρεχώρησαν τοῦ τόπου. Hoc eſt: *Huc confluxerunt Etruſcorum & item à Syllâ proſcriptorum quidam: qui, IIII cohortibus armatorum conſtitutis, per biennium toleratâ oppugnatione, tandem, publicam ſequuti fidem, loco ceſſerunt.* Hinc Cicero in oratione pro Sex. Roſcio Amerino: *Res ad Chryſogonum in caſtra L. Syllæ Volaterras defertur.* Et in oratione pro Domo ſuâ ad pontifices: *Populus Romanus, L. Syllâ dictatore ferente, comitiis centuriatis municipiis civitatem ademit. ademit iiſdem agros. De agris ratum eſt: fuit enim populi poteſtas. de civitate ne tam diu quidem valuit, quàm diu illa Syllani temporis arma valuerunt. Hanc verò Volaterranis, quum etiamtum eſſent in armis, L. Sylla victor, republicâ recuperatâ, comitiis centuriatis civitatem eripere non potuit. hodiéque Volaterrani non modò cives, ſed etiam optimi cives, fruuntur nobiſcum ſimul hac civitate.* Et in oratione pro A. Cæcinâ: *Iam principio auſus eſt dicere, non poſſe heredem eſſe Ceſenniæ Cæcinam: quòd is deteriore jure eſſet, quàm cæteri cives, propter incommodum Volaterranorum calamitatemque civilem.* Sed eâ de re epiſtola Ciceronis plurimâ ſui parte in medium producatur; quæ eſt Familiar. lib. XIII huiusmodi: *M. T. C. Q. Valerio, Q. F. Orcæ Leg. Proprær. S. D. Cum municipibus Volaterranis mihi ſumma neceſſitudo eſt. magno enim meo beneficio adfecti cumulatiſſimè mihi gratiam retulerunt. nam nec in honoribus meis nec in laboribus umquàm defuerunt. Cum quibus ſi mihi nulla cauſſa intercederet; tamen, quòd te vehementer diligo, quódque me à te plurimi fieri ſentio; & monerem te & hortarer, ut eorum fortunis conſuleres: præſertim, quum propè præcipuam cauſam haberent ad jus ſuum obtinendum. primùm, quòd Syllani temporis acerbitatem deorum immortalium benignitate ſubterfugerunt. deinde, quòd ſummo ſtudio populi Romani à me in conſulatu meo defenſi ſunt. Quum enim tribuni plebis legem iniquiſſimam de eorum agris promulgaſſent: facile ſenatui populoque Romano perſvaſi, ut eos civeis, quibus fortuna pepercisſet, ſalvos eſſe vellent. Hanc actionem meam C. Cæſar primo ſuo conſulatu in lege Agrariâ comprobavit: agrumque Volaterranorum & opidum omni periculo in perpetuum liberavit. ut mihi dubium non ſit, quin is, qui novas neceſſitudines adjungat, vetera ſua beneficia conſervari velit. Quamobrem eſt tuæ prudentiæ, aut ſequi eius auctoritatem, cuius ſectam atque imperium ſummâ cum tuâ dignitate ſequutus es: aut certè illi integram omnem cauſam reſervare. Illud verò dubitare non debes; quin tam grave, tam firmum, tam honeſtum municipium tibi tuo ſummo beneficio in perpetuum obligare velis.* Et mox: *Gratiſſimum igitur mihi feceris, ſi Volaterranos omnibus rebus integros incolumeiſque eſſe volueris. Eorum ego domicilia, ſedeis, rem, fortunas, quæ à diis immortalibus & à præſtantiſſimis*

in repu-

in republicâ noſtrâ civibus, ſummo ſenatus populique Romani ſtudio, conſervatæ ſunt, tuæ fidei, juſtitiæ, bonitatique commendo. Tanta igitur dignitate tantoque ſplendore fuerunt olim res Volaterranorum. Hodiéque urbs antiquitatum monumentis clara eſt. Apud Ariſtotelem in libro de Mirandis ita ſcriptum eſt: Ἔστι δέ τις ἐν Τυῤῥηνίᾳ πόλις Οἰναρέα καλουμένη, ἣν καθ' ὑπερβολὴν φασὶν ὀχυρὰν εἶναι. ἐν γὰρ μέσῃ αὐτῇ λόφος ἐστὶν ὑψηλὸς, τριάκοντα σταδίους ἀνέχων ἄνω, καὶ κάτω ὕλην ἔχων παντοδαπὴν καὶ ὕδατα. Id eſt: *In Etruriâ urbs eſt Oenarea: quam ſupra modum munitam atque validam eſſe tradunt: quidpe in cuius medio collis ad* XXX *ſtadia adſurgit; imâ ſui parte omnigenâ materiâ & aquis abundans*. Idem ex dicto Ariſtotelis libro citat & Stephani epitomator; niſi, quòd apud hunc urbis nomen ſit Οἴνα, *Oena*. Viri docti non dubitant, quin aut falſum nomen Ariſtoteles acceperit pro vero Οὐολατέῤῥα, *Volaterra*: aut verum hoc ab exſcriptoribus eius poſteà corruptum ſit. Hanc eorum ſententiam confirmare videtur altitudo clivi ad XXX ſtadia elati. quidpe ab eâ parte, quæ meridiem & flumen Cæcinam ſpectat, hodiéque via ex imâ planitie ad mœnia usque urbis per IIII fermè millia paſſuum adſcendit. ab ſeptemtrionali parte abruptior eſt deſcenſus per duo circiter millia, id eſt, σταδίους, ut inquit Strabo, πεντεκαίδεκα, *ſtadia* XV. Quòd autem Ariſtoteles ſcripſerit ἐν μέσῃ τῇ πόλει εἶναι λόφον, *in medio urbis eſſe tumulum*: quum re vera ipſa fuerit ἐν μέσῃ κορυφῇ τοῦ λόφου, *in medio tumuli vertice*; nihil mirum ſit: quando & alia in iisdem Mirandis memorata loca, longiùs diſſita, parum exactè comperta habuiſſe deprehenditur.

Cæterùm in Tabulâ itinerariâ iter ſuper Populonium opidum conſignatum eſt huiusmodi: AQVAE VOLATERRANAE.

Vadis Volateris .
Aquas Volaternas . . . .

Aedificiique figura ad hoc loci nomen depicta eſt, qualis paſſim aquis calidis in eâdem Tabulâ adpoſita conſpicitur. Numerus millium licèt heic interierit; tamen ex ductu itineris ſatis claret, AQVAS hasce VOLATERRANAS eſſe eas, quæ apud opidum *Monte Cerberi*, XVI millia paſſuum ab ipsâ urbe Volaterris, vulgò vocantur nunc incolis *I Bagni al morbo*. prope quas lacus quidam ſunt exigui, in immenſum profundi, vulgò *Lagoni* dicti, aquarum ſcaturigine ſemper ebullientes. unde odor ſulphuris tam pravus exit, uti nonnumquàm volucres ſupervolitantes illicò mortuæ decidant. Aquæ, voraginibus veluti ſubjecto igni perpetuò æſtuantibus, ad VIIII pedes, cum ſtrepitu ingenti ac fragore horrendo, in altum egeruntur; rurſumque in ſeſe recidunt. Fervor tantus eſt, uti injecta animalia ſtatim decoquantur; oſſaque carnibus nudata emergant. Similis his eſt Amſancti lacus in Hirpinis; ſimiles item ſunt Palicorum lacus duo in Siciliâ: quos omneis infrà ſuis locis exponemus.

Ab iisdem Aquis Volaterranis versùs auſtrum opidum eſt *Maſſa*, epiſcopali dignitate, qua jam à multis fruitur ſæculis, maximè nobile. Ex hoc argumento colligitur eſſe Am. Marcellini MASSA VETERNENSIS, lib. XIIII memorata. *Gallus, Cæſar*, inquit, *natus apud Thuſcos in Maſſâ Veternenſi, patre Conſtantio, Conſtantini fratre imperatoris, matreque Gallâ, ſorore Rufini & Cerealis; quos trabeæ conſulares nobilitarunt, & præfecturæ provinciarum*. MASSA VETERNENSIS, *opidum*.

Vltra Maſſam & Prilem lacum, prope dextram Vmbronis fluvii ripam eſt celebre opidum vulgari vocabulo *Groſeto*, ſive *Großéto*. quod impudentiſſimus ille nugator Annius Viterbienſis in fictitiis ſuis Catonis fragmentis, item in Itinerario VI ab urbe Româ in Gallias itinerum adpellavit *Roſetum*. *Aurelianum iter*, inquit in Itinerario, *quod & Claudianum, fertur per ipſam Aureliam, Thermas Stygianas, Forum Novempagiorum Claudii, Tarquinias, Saturniam, Volcen, Tunniatem montem, Roſellas, Roſetum, Turſenam, & tranſitum Apuam*. Quàm imperitè viam Claudiam cum Aureliâ confuderit; item per quàm mirificas ridiculasque ambages iter hoc circumduxerit; in præſens non diſputo. In commentariis ſanè ad commentitia ſua fragmenta Catonis, *Roſellas*, ait, adpellari opidum dirutum juxta thermas ſancti Philippi: quod opidum mediterraneum haud procul Radacoſano ſitum eſt. at in hoc itinerario easdem Vmbroni flumini ac Groſſeto opido propiùs admovet. Sunt hodiè aquæ calidæ, III millia paſſuum à Groſeto, quà Senam itur, RVSELLAE *colonia*.

vulgari

vulgari adpellatione *Bagni di Roſelle*, id eſt, *Aquæ Roſellarum*. juxta has in colle conſpiciuntur inſignes ruinæ præclari quondam opidi: quod, paſtoribus nunc ac pecudibus habitatum, vulgò dicitur *Moſcona*. muri etiamnunc exſtant ſemiruti, lapide quadrato prægrandi exſtructi; variorum marmorum ac columnarum egregia fragmenta. tum ſimulacra ænea numiſmataque antiqua ſuperioribus annis heic eruta fuêre. quæ cuncta loci vetuſtatem juxtà dignitatemque ac ſplendorem apertè indicant. Dubium nemini dictarum aquarum cognomen reſpicienti eſſe poteſt, quin antiquæ illius ſint rudera *urbis*, quæ Ptolemæo plurali numero, ut pleræque Etruriæ urbes, dicitur Ῥουσέλλαι, RVSELLAE: unde Dionyſio etiam Halicarnaſſenſi ac Livio Plinioque *opidani* ſunt Ῥουσελλανοὶ, RVSELLANI. Poſterioris ævi ſimplicitate, *roſarum* flores in eo vocabulo reſpiciente, dicta fuit urbs ROSELLAE. unde ea ſcriptio non modò apud Gregorium Magnum, ſed & in Livii plerisque exemplaribus reperitur. Vocalem v Romanos heic uſurpaſſe, patet ex Græcorum auctorum, Dionyſii ac Ptolemæi, ſcriptione per *ου*. Ptolemæus, ut pleraque alia, minùs genuino ſitu id opidum inter Volaterras & Populonium collocavit, versùs occidentem à Vetulonio. quo ſitu nulla urbs eſſe potuit, niſi in ipſo mari. Apud Gregorium Magnum, Epiſtolar. ex Regeſtro lib. I epiſt. XV, hæc leguntur: *Gregorius Balbino, epiſcopo Roſellano. Pervênit ad nos, quòd Populonienſis eccleſia ita ſit ſacerdotis officio deſtituta, ut nec pænitentia decedentibus ibidem nec baptiſma poſſit præſtari infantibus. Huic igitur tam piæ rei tamque neceſſariæ mole permoti, jubemus dilectioni tuæ, ut huius præceptionis auctoritate commonitus, memoratæ eccleſiæ viſitator accedas: ut unum cardinalem illic presbyterum & duos debeas diaconos ordinare*. Et Epiſtolar. lib. IIII cap. LXXXVIII, inter epiſcopos, qui ſynodo Romanæ, ab hoc Gregorio papâ tempore Mauricii imperatoris habitæ, ſubſcripſerunt, *Baldinius* etiam recenſetur *epiſcopus civitatis Roſellarum*. Et hodiéque cathedrale heic exſtat templum. In Chronico Caſſinenſi, lib. III cap. LX ſic ſcriptum eſt: *Hoc tempore Rolandus, vir nobilis ex civitate Lucenſi, obtulit beato Benedicto partem, quam habebat in monaſterio S. Georgii, infra eamdem civitatem; & quidquid ad ſe pertinebat in comitatu Lucenſi, Lunenſi, Piſano, Piſtorienſi, Florentino, Volaterrenſi, Populonienſi, ac Roſelenſi*. Vterque, unà cum Ptolemæo, hoc tractu circa Volatèrras & Populonium *Ruſellas* ponit. Hinc etiam apud Livium lib. X Romanis bellum adverſùm univerſos Etruriæ populos circa Volaterras Ruſellasque geritur. Verba eius in conſulatu M. Livii Dentris & C. Aemilii Paulli, anno urbis Romæ CCCCLI, ante natum Chriſtum CCCII, hæc ſunt: *Etruriam rebellare, ab Aretinorum ſeditionibus motu orto, nunciabatur*. Mox: *Tum in Etruſcos verſum bellum*. Paullo pòſt: *Itaque dictator confeſtim caſtra in agrum Ruſellanum promovit*. Et triennio pòſt; L. Cornelio Scipione & Cn. Fulvio Centumalo conſulibus: *Scipioni Etruria, Fulvio Samnites obvenerunt. Scipioni hoſtes ad Volaterras inſtructo agmine occurrunt*. Et poſt quadriennium; L. Poſthumio Megillo ac M. Atilio Regulo conſulibus: *Poſthumius, quia in Samnitibus materia belli deerat, in Etruriam traducto exercitu, primùm pervaſtaverat Volſinienſium agrum: deinde cum egreſſis ad tuendos fineis haud procul mœnibus ipſorum depugnat. duo millia CC Etruſcorum cæſi. cæteros propinquitas muri tuta eſt. In Ruſellanum agrum exercitus traductus. Ibi non agri tantùm vaſtati; ſed opidum etiam expugnatum. capta ampliùs duo millia hominum: minùs duo millia circa muros cæſa. Pax tamen clarior maiorque, quàm bellum in Etruriâ fuerat, parta eſt. tres validiſſimæ urbes, Etruriæ capita, Volſinii, Peruſia, Aretium, pacem petiêre*. Scilicet tres hæ urbes tria fuêre capita ex numero XII univerſæ Etruriæ capitibus. in quibus *Volaterras* etiam & *Ruſellas* & *Vetulonios* & *Cære* & *Cluſium* fuiſſe, ſuprà in expoſitione *Vetuloniorum*, *Cæritis*, ac *Volaterrarum* ex Dionyſio atque Silio oſtenſum eſt. Sed τῶν Ῥουσελλανῶν, *Ruſellanorum* mentio ex Dionyſio ad Volaterras à nobis adducta eſt. *Coloniam* poſteà huc deductam à Romanis, auctor eſt Plinius, lib. III cap. V. ubi poſt expoſitum Etruriæ litus, ita pergit: *Intus coloniæ, Faliſca, Lucus Feroniæ, Ruſellana, Senenſis, Sutrina*.

VOLCI opidum.

Vltra Ruſellas amnemque Vmbronem Ptolemæo locatur *urbs* plurali itidem numero Οὐόλκοι, VOLCI, inter Senam & Coſas; ſed huic propinquior; & infra Saturniam Suanamque, quæ hodiéque nomina ſervant. Haud dubiè hæc eadem eſt, à quo *opidani* Plinio VOLCIENTES, Fragmento autem triumphorum Romanorum,

manorum, quod etiamnunc Romæ in Capitolio viſitur, VVLCIENTES dicuntur. Fragmentum ſic habet:

......VNCANIVS·TI·F·TI·N.COS...E·VVLSINIENSIBVS·ET·VVLCIENTIBVS·AN·CDLXXIII.

Plinii verba lib. III cap. V hæc ſunt: *Coſa, colonia Volcientium, à populo Romano deducta.* Deductam fuiſſe hanc coloniam C. Fabio Dorſone & C. Claudio Caninâ conſulibus, anno urbis Romæ CCCCLXXX, id eſt, VII annis pòſt, quàm *Volcientes* devicti erant, ſuperiori capite docui. *Coſa* igitur in *Volcientium* fuit agro. ex quo argumento ſimulque ex Ptolemæi poſitione colligo, fuiſſe ipſum opidum *Volcos* medio ſitu inter Coſam, Saturniam, & Suanam. Apud Stephani epitomatorem hæc leguntur: Ὄλκιον, πόλις Τυῤῥηνίας· Πολύβιος ἕκτῳ. τὸ ἐθνικὸν Ὀλκιῆται, καὶ Ὀλκιεῖς. Hoc eſt: *Olcium, opidum Etruriæ; auctore Polybio lib.* VI. *gentilitium Olcietæ, & Olcienſes.* Latino ore formaveris VOLCIVM *opidum*; & VOLCIENTES ac VOLCIENSES *opidanos*.

Eidem Ptolemæo ponitur inter Volcos, Senam, atque Saturniam Ἤβα, EBA *opidum*. Id ego ex ſitu conjecerim nunc vulgò vocari *Monte Ipo*; à Saturniâ versùs occidentem recedens. Nemini alii memoratum eſt: niſi idem ſit, quod Stephano plurali numero Ἄβαι, ABAE dicitur. Ἄβαι, inquit, πόλις Φωκική. ἔστι δὲ καὶ πόλις Ἰταλίας. τὸ ἐθνικὸν Ἀβαῖος. ἔστι δὲ καὶ ἄλλη Ἄβα πόλις Καρίας. δύναται δὲ Ἀβεὺς τὸ ἐθνικόν. Id eſt: *Abæ, opidum Phocicum. Eſt & Italiæ opidum. Gentilitium inde Abæus.* [id eſt, Latino ore *Abanus*.] *Eſt & aliud Aba opidum Cariæ. Gentilitium poteſt etiam dici Abeus.* Id eſt Latinè *Abenſis*. Nullius ſanè Italici opidi nomen propiùs ad illud Ptolemæi Ἤβα accedit, quàm hoc ipſum Ἄβα, exiguâ vocalium commutatione; in qua α longum Ionicâ dialecto vertitur in η. ABAE *ſive* EBA *opidum.*

Ipſa hinc *urbs* in primis antiqua SATVRNIA, quæ nomen integrum hodiéque retinet in ruinis, memoratur Livio, Dionyſio Halicarnaſſenſi, Iulio Obſequenti, Ptolemæo, Feſto ac Tabulæ itinerariæ. *Opidani* inde ſunt Plinio SATVRNINI, lib. III cap. V. Apud Stephani breviatorem hæc leguntur: Σατορνία ἡ Ἰταλία πρότερον ἐκαλεῖτο. τὸ ἐθνικὸν Σατορνῖνος. Id eſt: *Saturnia anteà dicebatur Italia. unde gentilitium Saturninus.* Sanè à regionis vocabulo *Saturnia* incolas dictos fuiſſe, non *Saturninos*, ſed *Saturnios*, ſuprà primo huius operis capite didicimus. Quocircà è duobus diverſis hæc hauſiſſe Stephanum credo auctoribus; quorum alter de ipsâ regione, alter de opido loquutus eſt. Vni Ptolemæo dicitur opidum Σατουρνιανὰ κολωνία, *Saturniana colonia*. id verò neſcio, incurioſi librarii vitio ne factum, ſyllabam *na* vero genuinoque nomini addentis; an Ptolemæi errore. qui tamen non ſolet vocabulis gentilitiis colonias referre. *Coloniam* autem huc fuiſſe deductam, teſtis item eſt Livius ſub finem libri XXXVIIII, his verbis: *Saturnia colonia civium Romanorum in agrum Caletranum eſt deducta. deduxerunt triumviri, Q. Fabius Labeo, C. Afranius Stellio, Ti. Sempronius Gracchus. jugera in ſingulos data decem.* Factum hoc Q. Fabio Labeone & M. Claudio Marcello conſulibus; quos ipſe citat ibidem Livius; id eſt, anno urbis Romæ IↃLXVIIII, ante natum Ieſum CLXXXIIII. Ne quis autem dubitet, hanc Etruriæ intellexiſſe Livium *Saturniam*; en diſerta ſunt verba Plinii dicto lib. III cap. V: *Suanenſes, Saturnini; qui antè Aurinini vocabantur: Sudertani, Statonienſes, Tarquinienſes, Tuſcanienſes, Vetulonienſes, Verentani, Veſentini, Volaterrani, Volſinienſes. In eâdem parte opidorum veterum nomina retinent agri Cruſtuminus* [&] *Caletranus*. CALETRA itaque *opidum* fuit hoc tractu circa *Saturniam*. An etiam tunc exſtiterit, quum colonia Saturniam deduceretur, planè incertum eſt. At eadem *Saturnia* quando & unde dicta fuerit AVRINIA, equidem miror: quidpe *Saturniæ* nomen habuiſſe id opidum jam antè Troianum bellum, quum à Pelaſgis adhuc teneretur, auctor eſt Dionyſius lib. I. Οἱ μὲν οὖν Πελασγοὶ, inquit, τοῖς Ἀβοριγῖσι τὸν πρὸς τοὺς Σικελοὺς πόλεμον ἐπὶ συνεστῶτα πολλῇ προθυμίᾳ συνδιέφερον, ἕως ἐξήλασαν αὐτοὺς ἐκ τῆς σφετέρας. καὶ πόλεις πολλὰς, τὰς μὲν οἰκουμένας καὶ πρότερον ὑπὸ τῶν Σικελῶν, τὰς δὲ αὐτοὶ κατασκευάσαντες, ᾤκουν οἱ Πελασγοὶ κοινῇ μετὰ τῶν Ἀβοριγίνων· ὧν ἐστιν ἥ τε Καιρητανῶν πόλις, ἡ ... τότε καλουμένη, καὶ Πίσαι, καὶ Σατορνία, καὶ Ἄλσιον, καὶ ἄλλαι τινές· αἳ χρόνῳ ὑπὸ Τυῤῥηνῶν ἀφῃρέθησαν. Hoc eſt: *Aboriginibus itaque Pelaſgi contra Siculos promptam ac fidelem præſtiterunt operam: donec eos ejecerunt ſuis ſedibus. In his multa opida, partim antè ab hoſtibus habitata, partim recèns ab ſe exſtructa, indiviſa tenuerunt*

SATVRNIA *colonia; quod anteà* AVRINIA *opidum.*

CALETRA *opidum.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

nuerunt gentes ſociæ Pelaſgi & Aborigines. ex quibus ſunt Cære, Agylla tum temporis vocitata; Piſa, Saturnia, Alſium; & quædam alia: quæ poſtmodùm ab Etruſcis occupata fuêre.

SVANA opidum.

Σȣάνα, SVANA *opidum*, Ptolemæo memoratum, vulgò nunc dicitur *Soana*. *Opidani* inde ſunt Plinio, loco proximè perſcripto, SVANENSES.

VISENTIVM opidum.

Vltra Suanam in edito colle apud Volſinienſis lacus ripam eſt opidum vulgari vocabulo *Biſentio*. id haud dubiè olím adpellatum fuit VESENTIVM. nam hinc *opidani* Plinio dicto loco ſunt VESENTINI. At in lapide antiquo, qui heic repertus, verba hæc leguntur: VIRTVTI · VISENT · SACR · Opidi igitur nomen etiam fuit VISENTIVM: unde *opidani* formabantur VISENTINI. Apud Gregorium Magnum Dialogor. lib. III cap. XVII ita ſcriptum eſt: *Noſtris modò temporibus quidam vir, Quadrageſimus nomine, Buxentinæ eccleſiæ ſubdiaconus fuit; qui ovium ſuarum gregem paſcere in eiusdem Aureliæ partibus ſolebat. is dum gregis ſui in Aureliâ curam gereret; in diebus eiusdem vir fuit è monte qui Argentarius vocatur, venerabilis vitæ, hic ad eccleſiam beati Petri ab eodem monte Argentario annis ſingulis venire conſueverat: atque ad hunc Quadrageſimum ſubdiaconum hoſpitalitatis gratiâ declinabat.* *Biſentium* heic intelligi, in diverticulo ſiniſtrorſum inter Argentarium montem & Romam poſitum, nemo dubitaverit. at *Buxentum* erat opidum in Lucanis; Plinio eo nomine memoratum, Græcis Πυξȣ͂ς, *Pyxûs*, dictum. cuius mentionem ipſe etiam facit Gregorius Epiſtolar. ex Regeſtro lib. II epiſt. XXVIIII, his verbis: *Gregorius Felici, epiſcopo de Acropoli. Viſitationem Velinæ, Vixentinæ, & Blandanæ injungit eccleſiarum. Quoniam Velina, Vixentina & Blandana, eccleſiæ, quæ tibi in vicina ſunt conſtitutæ, ſacerdotis noſcuntur vacare regimine; propterea fraternitati tuæ earum ſolenniter operam viſitationis injunximus.* *Omnino* heic ſcripſerat ipſe Gregorius *Buxentina eccleſia*: ſuprà verò in Dialogis *Viſentina*.

VERENTVM opidum.

Porrò apud Plinium Veſentinos præcedunt *opidani* in noviſſimè vulgatis exemplaribus *Veientani*. qui ita dici poterant à nobiliſſimo quomdam opido *Veiis*, haud procul à Româ diſſito. nam Livius inde dixit lib. V *Veientanam arcem, agrum Veientanum, prædam Veientanam*; Plinius, lib. XXXVII cap. X., *Veientanam gemmam*; Valerius Maximus lib. I cap. V: *Veientanam urbem*, lib. IIII cap. I *Veientanum triumphum*. atque ſic Græcorum plerique, ut infrà videbimus, opidanos etiam ipſos dixêre Οὐηϊεντανȣ̀ς, *Veientanos*. At Latini tamen auctores hos *Veientes* vocant. & ipſe Plinius eodem lib. III cap. V paullo pòſt, *Veientem* dicit *agrum*. unde mihi opinio, κρίσιν illam eſſe ſciolorum grammaticorum; qui vocem, quæ in pleriſque Plinii exemplaribus eſt *Veretani*, ut & *Veſetini*, in nonnullis verò *Verentani*, corrigere conati ſunt in *Veientani*. Quin *Veiorum* urbs Plinii tempore jam ita exciſa fuit, uti neque à Strabone, neque à Ptolemæo inter alias Etruriæ urbeis relata ſit; & his paullo poſterior Florus, lib. I cap. XII, ſcripſerit; *Hoc tunc Veientes fuêre. nunc, fuiſſe, quis meminit? quæ reliquiæ? quodve veſtigium? Laborat annalium fides, ut Veios fuiſſe credamus.* Quapropter omnino cenſeo, fuiſſe *opidum* quondam nomine VERENTVM; unde iſti Plinio dicti ſunt *opidani* VERENTANI. Id opidum haud ita procul à Viſentio, in meridiem versùs, vulgò nunc gentilitio vocabulo dicitur *Varentano*, & frequentiùs, emollitâ caninâ literâ, *Valentano*.

TVSCANIA opidum.

De cætero iter per eumdem hunc Etruriæ tractum in Tabulâ itinerariâ conſignatum eſt huiusmodi:

Saturnia	
Materno	XVIII.
Tuſcana. Marta.	XII.

Plinio dicto lib. III cap. V TVSCANIENSES recenſentur *opidani*: haud dubiè ab *opido* TVSCANIA: quod in Tabulâ corruptum legitur *Tuſcana*. Hodiè id in Martæ fluminis ripâ vulgò vocatur *Toſcanella*, XXX circiter millia paſſuum à Saturniâ diſſitum.

SVDERNVM opidum.

Ptolemæo hoc tractu ponitur Σȣ́δερνον SVDERNVM *opidum*. id neſcio an Viterbienſis Annius in aliquo ſuo exemplari legerit Τȣ́δερνον, TVDERNVM. nam in ſuprà memorato Itinerario ſuo ita ſcribit: *Caſſiano itinere itur per Politorum, Arcenum, Minionem,*

Minionem, *Forum Caſſii*, *Aruntes Cumillarios*, *Tudernum*, *Varentanum*, *Ambronem montem*, *Senam*. Viam Caſſiam, non per hæc loca, ſed per Cluſium, Montem Pulcianum & Florentiam duxiſſe, infrà videbimus. Apud Plinium autem lib. XXXIIII cap. III ita legitur: *Et hactenus publica ſunt vitium genera. cætera regionum locorumque; aut ex his inter ſe inſitu miſta. ſiquidem Tuſcis peculiaris eſt Tudernis: atque etiam eius nominis Florentiâ. eſt optima Aretio Talpana, & Eteſiaca, & Conſeminia.* Heic ut ablativus caſus eſt in *Aretio* ac *Florentiâ*, ſic haud dubiè idem intelligendus in *Tudernis*. à quo fortè rectus TVDERNI. In Tabulâ igitur etiam itinerariâ an ſcriptum fuerit *Tudernum*; quod poſteà corruptum in *Maternum*; an verò MATERNVM alius hoc tractu inter Saturniam Tuſcaniamque fuerit locus; haud facilè ego divinaverim. Quin illud Σούδερνον Ptolemæi videtur ſcribendum eſſe potiùs Σούδερτον, SVDERTVM: unde Livio ac Plinio *opidani* ſunt SVDERTANI. Plinius prædicto lib. III cap. V: *Suanenſes, Saturnini, Sudertani, Statonienſes, Tarquinienſes, Tuſcanienſes, Vetulonienſes*. Livius lib. XXVI: *In foro Sudertano ſangvinis rivos per diem totum fluxiſſe, nunciatum*. Atque hoc quidem *Sudertum* plerique volunt eſſe id opidum, quod ſuprà Vetulonienſem lacum apud Corniam amnem vulgò nunc dicitur *Suvereto*. Verùm ab hoc ſitu longè Ptolemæus opidum ſuum removit. Sanè certi de quatuor diverſis hiſce vocabulis *Sudernum*, *Tudernum*, *Sudertum*, *Maternum*, quod ſtatuam, planè nihil habeo. Ex Tabulæ intervallo XII millium *Maternum* hoc colligere datur fuiſſe id opidum, quod vulgò nunc dicitur *Farneſe*.

MATERNVM *opidum*.

Eodem hoc tractu fuit STATONIA *opidum*, Straboni memoratum: unde *opidani* Plinio præſcripto loco STATONIENSES. quo gentilitio Varro quoque & Vitruvius ac Seneca utuntur. Strabo lib. V; in deſcriptione Etruriæ: Ἐν δὲ τῇ μεσογαίᾳ πόλεις πρὸς ταῖς εἰρημέναις Ἀρρήτιόν τε καὶ Περουσία καὶ Οὐολσίνιον καὶ Σούτριον· πρὸς δὲ ταύταις πολίχναι συχναί, Βλῆρα τε καὶ Φερεντῖνον, καὶ Φαλέριον καὶ Φαλίσκον καὶ Νέπιτα καὶ Στατωνία. Id eſt: *In mediterraneo urbes ſunt, præter jam dictas, Aretium, Peruſia, Volſinium, Sutrium. tum crebra opidula, Blera, Ferentinum, Falerium, Faliſcum, Nepeta, & Statonia.* Apud Plinium equidem, prædicto lib. III cap. V, in cunctis, quæ ego inſpexerim, exemplaribus opidani ſcripti ſunt *Statones*. at ex hoc Strabonis loco diſertè adparet, ſcripſiſſe ipſum Plinium *Statonienſes*; ut eſt lib. XXXVI cap. XXII, in his verbis: *Nigri ſilices optimi: quibusdam in locis & rubentes. nonnusquàm verò & albi; ſicut in Tarquinienſi, Anicianis lapicidinis, circa lacum Volſinienſem. & in Statonienſi ſunt, quibus ne ignis quidem nocet. iidem & in monumenta ſcalpti, contra vetuſtatem quoque incorrupti permanent. ex iis formæ fiunt, in quibus æra funduntur.* De eâdem re Vitruvius lib. II cap. VII: *Sunt etiam lapicidinæ complures in finibus Tarquinienſium, quæ dicuntur Anicianæ; colore quidem quemadmodùm Albanæ: quarum officinæ maximæ ſunt circa lacum Vulſinienſem; item præfecturâ Statonienſi. Eæ autem habent infinitas virtutes. neque enim his gelicidiorum tempeſtas, neque tactus ignis poteſt nocere.* Varro Ruſticar. rer. lib. III cap. XII: *Q. Fulvius Lippinus dicitur habere in Tarquinienſi ſepta jugera XL; in quo ſunt incluſa non ſolùm ea animalia, quæ dixi; ſed etiam feræ: etiam hoc maius hic in Statonienſi.* Plinius lib. XIIII cap. VI: *Ab infero mari laudantur vina Graviſcana, Statonienſia.* Et lib. II cap. XCV: *Quædam inſulæ ſemper fluctuant: ſicut in agro Cæcubo, & eodem Reatino, Mutinenſi, Statonienſi, in Vadimonis lacu.* Seneca Natural. quæſtion. lib. III cap. XXV: *Ipſe ad Cutylias natantem inſulam vidi. Alia in Vadimonis lacu vehitur; alia in lacu Statonienſi.* Heic etiam, ut & apud Plinium, & Varronem, alià exemplaria habent *Statonenſi*, alia *Stationenſi*. At indicio huius LACVS STATONIENSIS, ſimulque argumento contermini Tarquinienſis agri lacusque Vulſinienſis, ſitus Statoniæ inveſtigari poterit. *Tarquinios* urbem fuiſſe paullo ſupra Cornetum opidum, Volſinienſemque lacum nunc vulgò vocari *Lago di Bolſena*, ab opido eius nominis juxtà ſito, quod antiquum eſt *Volſinium*; mox infra pluribus docebo. Hoc autem tractu quum nullus alius ſit lacus, quàm qui, inter Iſtiam & Pitilianum opida, vulgò nunc dicitur *Lago MezZano*; hunc ipſum eſſe *Satonienſem lacum*, haud dubium eſt. Ex huius igitur vicinitate colligo, antiquam illam *Statoniam* celebre nunc eſſe opidum vulgari vocabulo *Caſtro*; principatus titulo inſigne. apud quod antiquæ etiam repertæ ſunt inſcriptiones: quæ loci vetuſtatem non dubiè teſtantur. Huc accedit & ipſa

STATONIA *opidum*.

ANICIANAE *lapicidinæ*.

LACVS STATONIENSIS.

natura loci; in quo opidum undiquaque rupibus cavernisque ita cinctum eſt, uti in obſcuro antro ſitum eſſe videatur. Similesque ſpecus ac montium mirandæ fiſſuræ paſſim non modò heic, ſed ad proximum etiam opidum Farneſium conſpiciuntur. in quibus haud dubiè illæ fuêre lapicidinæ *alborum ſilicum*, Vitruvio ac Plinio memoratæ. nam eius coloris hodiéque lapides heic exciduntur. Non recto itinere inter Tarquinios & lacum Vulſinienſem apud Martam flumen fuiſſe *Statoniam*, patet ex eo, quòd Tarquinienſis ager ad lacum usque pertinuit: ubi etiam ANICIANAE iſtæ fuerunt LAPICIDINAE, neſcio unde ſic dictæ.

TARQVINII *urbs.*

TARQVINII hinc *urbs* pluralis numeri Livio ſic ac Frontino & Iuſtino, Itinerariisque antiquis vocatur; pariterque Dionyſio Halicarnaſſenſi Græcè ſcribitur οἱ Ταρκυνιοι. at Straboni ac Stephano eſt ſingulari numero feminini generis ἡ Ταρκυνία, TARQVINIA. unde etiam apud Ptolemæum haud ſatis ſine mendo ſcriptum puto Ταρκούϊναι· pro quo reſtituerim Ταρκουϊνία. quamquàm Ptolemæus Romanorum plerumque ſequitur formationes. unde etiam ſuſpicari poſſis, ſcripſiſſe eum Ταρκουΐνιοι. Et apud Strabonem licèt primo loco ſit Ταρκυνία ἡ πόλις, tamen exiguo pòſt ſequitur obliquus pluralis ἐκ τῶν Ταρκυνίων. Apud Antoninum vocalis *i* interiit in obliquo caſu *Tarquinos*. In Tabulâ itinerariâ *Tarquinis* eſt, pro *Tarquinîs*; more antiquo; quo vocalis *i* raró geminabatur. cuius rei complura alia exempla etiam in ipsâ hac Tabulâ. *Opidani* inde dicuntur Varroni, Vitruvio, Plinio, perſcriptis modò locis, præterque Ciceroni, Livio, ac Frontino, TARQVINIENSES: qui Dionyſio lib. V & VI ſunt Ταρκυνῖται, & Straboni lib. V Ταρκυνῆται. Sed de his ita Stephani epitomator: Ταρκυνία, πόλις Τυῤῥηνίδος, [lege Τυῤῥηνὶς, aut Τυῤῥηνίας] ἀπὸ Τάρκωνος. τὸ ἐθνικὸν Ταρκύνιος, ἢ Ταρκυνιοὺς, [lege Ταρκυνιεὺς] ὡς Δουλιχιεὺς καὶ Βουπρασιεύς. πολῖται καὶ Ταρκυνῖται εἰσί. Id eſt: *Tarquinia, urbs Etruriæ, à Tarcone ſic dicta. Gentilitium inde Tarquinienſis; ut Dulichienſis ac Buprasienſis. Interdum etiam Tarquinitæ dicuntur.* Haud dubitem, quin à Strabone quoque ſcriptum ſit, ut heic & apud Dionyſium eſt, Ταρκυνῖται. Frontinus Strategemat. lib. II cap. IIII: *Faliſci & Tarquinienſes, compluribus ſuorum habitu ſacerdotum ſubornatis, faces & angveis furiali habitu præferentibus, aciem Romanorum turbaverunt.* Opidum quo ſitu fuerit, ex Livio & Itinerariis maximè perſpicitur. Livius lib. V: *Eo anno Tarquinienſes, novi hoſtes exorti, prædatum in agrum Romanum cohorteis expeditas mittunt.* Mox: *A. Poſthumius & L. Iulius, per agrum Cæritem obliquis tramitibus egreſſi, redeunteis à populationibus graveisque prædâ Tarquinienſeis oppreſſère.* Et lib. VII: *Cæritem populum miſericordiâ conſangvinitatis Tarquinienſibus adjunctum, fama ferebat.* Mox: *Literis Sulpicii conſulis, cui Tarquinii provincia evenerat, cognitum eſt, depopulatum agrum circa Romanas ſalinas; prædæque partem in Cæritum fineis avectam & haud dubiè juventutem eius populi inter prædatores fuiſſe.* Paullo pòſt ipſi Cæritum oratores Romæ ad ſenatum ita loquuntur: *Transeunteis agmine infeſto per agrum ſuum Tarquinienſeis, quum præter viam nihil petiſſent, traxiſſe quosdam agreſtium populationis eius, quæ ſibi crimini detur, comites.* Ergo à Româ proficiſcentibus ultra Cæritum fineis erat urbs *Tarquinii*. Idem auctor lib. XL: *Colonia Graviſcæ eo anno deducta eſt in agrum Etruſcorum, de Tarquinienſibus quondam captum.* Graviſcas, maritimum opidum, infra Cornetum opidum fuiſſe ſitum, haud procul Martæ fluminis ripâ, ſuperiori capite oſtenſum eſt. Ptolemæus Tarquinios à Graviſcis ponit ad ſextum circiter lapidem versùs ſeptemtriones. A litore ad Cornetum V fermè ſunt millia paſſuum. ſupra Cornetum ad mille paſſus ruinæ conſpiciuntur inſignes antiquæ urbis, quas incolæ hodiè *Tarquene* vulgò adpellant. Atque huc etiam rectè congruunt Itineraria Tabulæ & Antonini: in quibus ab *Aquis Apollinaris*, quas nunc vulgò vocari *Bagni di Stigliano*, ſuperiori capite docui, XII ſunt millia paſſuum *Tarquinios* usque. Originem urbis conditoremque oſtendit Strabo lib. V; ubi de gentis Etruſcorum origine è Lydiâ agit. Ἀπὸ γὰρ λιμοῦ, inquit, καὶ ἀφορίας ὁ Ἄτυς, εἷς τῶν ἀπογόνων Ἡρακλέους καὶ Ὀμφάλης, δυοῖν παίδων ὄντων, κλήρῳ Λυδὸν μὲν κατέσχε, τὸν δὲ Τυῤῥηνὸν, τὸν πλείω συστείλας λαὸν, ἐξέστειλεν. Ἐλθὼν δὲ, τὴν χώραν ἀφ' ἑαυτοῦ Τυῤῥηνίαν ἐκάλεσε, καὶ δώδεκα πόλεις ἔκτισεν, οἰκιστὴν ἐπιστήσας Τάρκωνα· ἀφ' οὗ Ταρκυνία ἡ πόλις· ὃν διὰ τὴν ἐκ παίδων σύνεσιν, πολιὸν γεγεννῆσθαι μυθεύουσιν. Hoc eſt: *Fame & ſterilitate agrorum coactus Atys, unus ex Hercule atque Omphale prognatis, de duobus filiis alterum Lydum ſortitò apud ſe retinuit; alterum*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Tyrrhenum cum maiore populi parte amandavit. Is quum in has oras perveniſſet; regionem de ſuo nomine nuncupavit Tyrrheniam; & XII *inibi urbeis condidit; præfecto ad id conſtituto Tarcone; à quo Tarquinia urbs nomen habet. Hunc, quòd à puero ſaperet, canum natum fabulantur.* Non ab Etruſcis ſive Tuſcis, qui, ex Circumpadanâ regione à Gallis pulſi, huc immigrarunt; ſed à Pelaſgis Tyrrhenis, Græcâ gente, è Theſſaliâ profectis, conditam fuiſſe urbem, auctor fuit Pompeius Trogus; ex cuius hiſtoriis ita refert breviator eius Iuſtinus lib. XX: *Denique multæ urbes adhuc, poſt tantam vetuſtatem, veſtigia Græci moris oſtentant.* Mox: *Sed & Piſæ in Liguribus Græcos auctores habent: & in Tuſcis Tarquinii à Theſſalis & Spinambris, Peruſini quoque originem ab Achæis ducunt.* At *Tarcon* iſte idem eſſe videtur, qui *Tages* Etruſcis dictus eſt. de quo ita tradit Cicero Divinationum lib. II: *Tages quidam dicitur in agro Tarquinienſi, quum terra araretur, & ſulcus altiùs eſſet impreſſus, exſtitiſſe repentè, & eum adfatum eſſe, qui arabat. Is autem Tages, ut in libris eſt Etruſcorum, puerili ſpecie dicitur viſus; ſed ſenili fuiſſe prudentiâ. Eius adſpectu quum obſtupuiſſet bubulcus; clamoremque maiorem cum admiratione edidiſſet; concurſum eſſe factum: totamque brevi tempore in eum locum Etruriam conveniſſe. tum illum plura loquutum multis audientibus; qui omnia eius verba exceperint, literisque mandaverint. Omnem autem orationem fuiſſe eam, qua haruſpicinæ diſciplina contineretur. eam poſteà creviſſe rebus nobis cognoſcendis, & ad eadem illa principia referendis. Hæc accepimus ab ipſis: hæc ſcripta conſervant: hunc fontem habent diſciplinæ. Num ergo opus eſt ad hæc refellenda Carneade? num Epicuro? Eſt ne quiſquam ita deſipiens, qui credat, exaratum eſſe, deum dicam, an hominem? Si deum; cur ſe contra naturam in terram abdiderit, ut patefactus aratro lucem adſpiceret? Quid? idem nonne poterat deus hominibus diſciplinam ſuperiore ex loco tradere? Si autem homo ille Tages fuit; quonam modo potuit terrâ oppreſſus vivere? Vnde porrò illa potuit, quæ docebat alios, ipſe didiciſſe? Sed ego inſipientior, quàm illi ipſi, qui iſta credunt: qui quidem contra eos tam diu diſputem.* Et Martianus Capella lib. VI: *Etruria regio, tam Indigetis Aeneæ fœdere, quàm remediorum origine, atque ipſius Tagetis exaratione, celebrata.* Item Ovidius Μεταμορφ. lib. XV:

Haud aliter ſtupuit, quàm quum Tyrrhenus arator
Fatalem glebam motis adſpexit in arvis
Sponte ſuâ primùm nulloque agitante moveri:
Sumere mox hominis terræque amittere formam;
Oraque venturis aperire recentia fatis.
Indigenæ dixêre Tagen: qui primus Etruſcam
Edocuit gentem caſus aperire futuros.

Cenſorinus in libro de Die natali: *In agro Tarquinienſi puer dicitur divinitus exaratus, nomine Tages; qui diſciplinam cecinerit extiſpicii; quam Lucumones tum, Etruriæ potentes, exſcripſerunt.* Nil niſi fabulam eſſe, Ammianus Marcellinus quoque credidit. qui lib. XXI, *Eius*, inquit, *diſciplinæ Tages nomine quidam monſtrator, ut fabulantur, in Etruriæ partibus emerſiſſe ſubitò viſus eſt è terrâ.* Lucanus lib. I:

——— *Dii viſa ſecundent:*
Et fibris ſit nulla fides. ſed conditor artis
Finxerit iſta Tages.

Apud Solinum cap. II ſic ſcriptum: *Cacus habitavit locum, cui Salinæ nomen eſt: ubi Trigemina nunc porta. Hic, ut Cælius tradit, quum à Tarchone Tyrrheno, ad quem legatus venerat miſſu Marſyæ regis, ſocio Megale Phryge, cuſtodiæ foret datus; fruſtratus vincula, unde venerat, redux; & præſidiis amplioribus occupato circa Vulturnum & Campaniam regno; dum etiam ea attrectare auderet, quæ conceſſerant in Arcadum jura; duce Hercule, qui tunc fortè aderat, oppreſſus eſt. Megalen Sabini receperunt; diſciplinam augurandi ab eo docti.* Atqui omnis augurandi ſacrorumque rituum ac cæremoniarum diſciplina & præcipua divini cultus peritia unis maximè tribuebatur Etruſcis: eóque ad hos unos, non verò ad Sabinos, procerum Romanorum liberi addiſcendæ eius ſcientiæ gratiâ mittebantur. ipſique Etruſci inde nomen alterum apud Romanos invenêre, quo ab initio Θυόσκοι, *Thuoſci*, pòſt autem *Thuſci* atque *Tuſci* adpellabantur; ut ſuprà cap. I huius libri II oſtenſum. Quapropter, aut corruptum iſtud vocabulum *Megales* apud Solinum ab exſcriptoribus, cenſeo, à vero genuinoque *Tages*; aut hoc ab ipſis iſtius Sabinæ fabulæ auctoribus in illud mutatum; ne eo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

dem Sabinis, quæ Etruſcis, origo eſſe videretur. nam Sabinos quoque nonnulli ἀπὸ τοῦ σέβεσθαι, id eſt, *à deorum cultu* nomen accepiſſe finxerunt; ut infrà cap. VIII videbimus. Cæterùm *Tages* iſte nullus alius fuit, quàm primus à vero æternoque Deo è terrâ juvenili ſpecie conditus homo *Adamus*: qui non haruſpicinæ, ſed omnis divini cultus & ſacrorum rituum diſciplinam, quam ab ipſo acceperat Deo, primus inter mortaleis docuit filios nepotesque ſuos. Hunc verò in ſuo quæque gens ſolo terrâ editum crediderunt; aliæque aliis eum adpellarunt nominibus. qua de re inſpiciatur caput XXIII primi libri Germaniæ noſtræ. Hinc etiam Feſtus Pompeius Genii filium nepotemque Iovis eum tradit his verbis: *Tages nomine, Genii filius, nepos Iovis, puer dicitur diſciplinam haruſpicii dediſſe* XII *populis Etruriæ*. Pater autem ex hac fabula, urbem *Tarquinios*, à *Tarcone* conditam, inter XII illas Etruriæ urbeis fuiſſe omnium primam. unde etiam ipſa præ aliis vocabulum id è conditoris nomine adepta eſt. Sed fuiſſe in eo numero, apertè teſtatur Dionyſius lib. IIII his verbis: Μετὰ δὲ τὴν Ταρκυνίου τελευτὴν αἱ παραδοῦσαι τὴν ἡγεμονίαν ἐκείνῳ πόλεις οὐκ ἔτι φυλάττειν ἐβούλοντο τὰς ὁμολογίας, Τυλλίῳ τε οὐκ ἀξιοῦσαι, ταπεινῷ κατὰ γένος ὄντι, ὑπακούειν. ἦρξαντο δὲ τῆς ἀποστάσεως οἱ καλούμενοι Οὐεϊεντανοί. * . ἐξ αὐτῶν δὲ τούτων, Καιρητανοί τε ἠκολούθησαν καὶ Ταρκυνῖται, καὶ τελευτῶσα ἐν ὅπλοις ἦν ἅπασα ἡ Τυρρηνία. * . * . Εἰκοστῷ δ' αὖ ἔτει συνελθοῦσαι πάλιν αἱ δώδεκα πόλεις, ἐξανηλωμέναι τῷ πολέμῳ τά τε σώματα καὶ τὰ χρήματα, γνώμην ἔσχον παραδοῦναι Ῥωμαίοις τὴν ἡγεμονίαν. * — * . Τύλλιος δὲ καταλύεται τὸν πρὸς αὐτοὺς πόλεμον, ταῖς μὲν ἄλλαις πόλεσιν πολιτεύεσθαι ἀποδοὺς, ὡς πρότερον· τρεῖς δὲ ἐξ αὐτῶν πόλεις, αἳ προεξανέστησάν τε καὶ τὰς ἄλλας ὑπηγάγοντο κατὰ Ῥωμαίων ἐξενεγκεῖν τὸν πόλεμον, Καιρητανῶν καὶ Ταρκυνιτῶν καὶ Οὐεϊεντανῶν, ταύτας ἀφαιρέσει χώρας ἐτιμωρησάμενος. Id eſt: *Defuncto Tarquinio, civitates, quæ ſe illius imperio ſubmiſerant, nolebant ampliùs ſtare fœderis condicionibus; dedignatæ parêre Tullio, homini obſcuris orto natalibus. Initium verò defectionis ab Veientanis ortum eſt. hos auctores ſequuti ſunt Cæretani ac Tarquinienſes. poſtremò in armis fuit tota Etruria.* Mox: *Vigeſimo demum anno coactæ rurſus in concilium* XII *urbes; conſumptis bello tùm viris tùm pecuniis, decreverunt Romanis principatum tradere.* Paullo pòſt: *Tullius pacem eis dat; cæteris quidem permittens, uti ſuo jure vivant; at treis urbeis, quæ primi defecerant, cæterasque ad bellum Romanum concitaverant, Cæretanos ſcilicet ac Tarquinienſeis & Veientanos; parte agrorum mulctans.* Hinc igitur etiam eſt, quòd Demarati cuiusdam Corinthii, qui Tarquiniis habitaſſe fertur, filius fingitur nomine *Lucumo*; qui quum Romam ſe contulerit, *L. Tarquinius Priſcus* ibi dictus ſit. Antiquiſſima igitur fuit urbs *Tarquinii*: quidpe quæ multis annis ante Troianum bellum condita. nam circa annum à condito Orbe CIƆCIƆCCCCXXXVII, ante natum Ieſum CIƆIƆXIII, Pelaſgos in has Italiæ oras fuiſſe delatos, infrà lib. III cap. I demonſtrabimus. Virgilius quòd Aeneæ rebus poſt exciſam etiam Troiam Tarconem admiſcuerit, id poëticâ fecit licentiâ. Cæterùm ab hoc primo conditore *Tarcone*, ſive *Tarchone*, opidum ab initio græcis hominibus dictum fuit ταρκωνία, TARCONIA; & ταρχωνία, TARCHONIA: ſive Ταρκώνιον, TARCONIVM; & Ταρχώνιον, TARCHONIVM. Stephani epitomator: Ταρχώνιον, πόλις Τυρρηνίας, ἀπὸ Τηλέφου, παιδὸς Τάρχωνος. ὁ πολίτης, Ταρχωνῖνος, ἢ Ταρχωνιεύς. Id eſt: *Tarchonium, opidum Tyrrheniæ, à Telepho, Tarchonis filio. Opidanus, Tarchoninus; ſive Tarchonienſis.* En, quid hoc *Tarchonium* dictum eſt à *Telepho, Tarchonis filio*. Omnino ſcribendum, ἀπὸ Τάρχωνος, Τηλέφου παιδός· *à Tarchone, Telephi filio*. quidpe ſuprà, cap. I huius libri II, è Lycophrone atque Servio intelleximus, *Tarchonem* fuiſſe *Tyrrheni fratrem*: hunc autem quosdam *Telephi* tradidiſſe *filium*, ibidem Dionyſius teſtatur. unde idem Servius ad Virgilii Aeneid. lib. VIII: *Sanè hanc Agyllam quidam à Pelaſgis conditam dicunt: alii à Telegono; alii à Tyrrheno, Telephi filio.* Euſtathius ad Dionyſii Περιήγησιν, citatis primùm Strabonis ſuprà ſcriptis verbis de *Tarcone*; Ἀφ' οὗ, inquit, καὶ πόλις Ταρκωνία· id eſt; *A quo etiam opidum dictum Tarconia.* Μεγάλην καὶ εὐδαίμονα, id eſt, *magnam atque opulentam* fuiſſe urbem, quum inde L. Tarquinius Priſcus Romam migraret; ubi poſteà quintus Romanorum factus eſt rex; Dionyſius tradit lib. IIII. Ad Vulſinienſem usque lacum pertinuiſſe *agrum Tarquinienſem*, ſuprà è Vitruvio ac Plinio intelleximus. Hinc etiam ipſe *lacus* TARQVINIENSIS cognominatus eſt. Plinius

TARQVINIENSIS *lacus*.

lib. II cap. XCV: *In Tarquinienſi lacu magno inſulæ duæ nemora circumferunt, nunc triquetram figuram edentes, nunc rotundam complexu, ventis impellentibus; quadratam numquàm.*

numquàm. Errant vehementer, qui hunc Plinii *lacum Tarquinienſem* interpretantur eſſe eum, qui vulgò ſuprà Cære vetus vulgò dicitur *Lago di Bracciano*. quidpe Cæritum huc pertingebant fines; non Tarquinienſium. cuius rei certum argumentum eſt in *Cæretanis aquis:* quas nunc vulgò dici *Bagni di Stigliano*, ſuperiori capite intellectum. De cætero *coloniam* à Romanis poſtea Tarquinios fuiſſe deductam, auctor eſt Frontinus in libro de Coloniis. *Colonia*, inquit, *Tarquinii lege Sempronianâ eſt adſignata*. *Municipium* etiam deinde factum, teſtis eſt Cicero in Oratione pro A. Cæcinâ. *M. Fulcinius*, inquit, *fuit è municipio Tarquinienſi. is habuit in matrimonio Cæſenniam, eodem è municipio. huic Cæſenniæ fundum in agro Tarquinienſi vendidit*. Poſteà: *Cæcina cum amicis ad diem venit in caſtellum Axiam: à quo loco fundus is, de quo agitur, non longè abeſt*. *Caſtellum* hoc Axia quo ſitu fuerit, minimè liquet. Haud dubito, quin idem fuerit opidulum, quod Stephani epitomatori memoratur his verbis: Ἀξία, πόλις Ἰταλίας. τὸ ἐθνικὸν Ἀξιάτης. Id eſt: *Axia, opidum Italiæ: unde gentilitium Axiates*. Haud dubiè ipſis Italis erat Axiensis.

Axia *caſtellum*.

Fuêre præterea duo alia in Tarquinienſi agro *opida*, Cortvosa & Contenebra; uni Livio memorata lib. vi. *Exercitum*, inquit, *alterum in agrum Tarquinienſem duxêre. ibi opida Etruſcorum Cortuoſa & Contenebra vi capta dirutaque*. Tantum ſcilicet abeſt, uti ſitum eorum indicare poſſimus; quum nihil ampliùs de iis memoretur.

Cortvosa & Contenebra *opida*.

De reliquo ſaltuoſum fuiſſe agrum Tarquinienſem, patet ex Statii loco, qui Silvar. lib. v carm. i talis eſt:

Rura meus Tyrrhena petit ſaltusque Tagetis
Criſpinus. nec longa mora eſt, aut avia tellus.

Hinc etiam illa Vivaria *Fulvii Lippini*. Varro lib. iii cap. xii: *Q. Fulvius Lippinus dicitur habere in Tarquinienſi ſepta jugera* xl; *in quo ſunt incluſa non ſolùm ea animalia, quæ dixi; ſed etiam oves* [lego, *omnis generis*] *feræ*. Plinius lib. viii cap. lii: *Vivaria agrorum cæterorumque ſilveſtrium primus togati generis invênit Fulvius Lippinus: qui in Tarquinienſi feras paſcere inſtituit*. Et lib. viiii cap. lvi: *Cochlearum vivaria inſtituit Fulvius Lippinus in Tarquinienſi, paullo ante civile bellum, quod cum Pompeio Magno geſtum eſt*. Sed de urbe agroque Tarquinienſi hactenus ſatis.

Vivaria *Fulvii Lippini*.

Iter huc ab urbe Româ deſcribitur in Itinerariis hoc modo:

Anotinini;		Tabulæ;		Antonini;		Tabulæ;	
Viâ Aureliâ à Româ:		*A Româ, viâ Aureliâ:*		*Roma*		*A Româ viâ Clodiâ*	
						Ad Sextum	...
Loria	xii.	*Lorio*	xii.	*Cereias*	xv.	*Careias*	viiii.
Ad Turres	x.	*Bebiana*	....			*Ad Novas*	viiii.
Pyrgos	xii.	*Aquas Apollinaris*	viii.	*Aquis Apollinaris*	xix.	*Sabate*	....
		Tarquinis	xii.	*Tarquinos*	xii.	*Foro clodo*	....
						Olera	xvi.
						Marta. Tuſcana.	viiii.

Viæ Aureliæ magnæ hodiéque à Româ ad Centumcellas usque paſſim exſtant reliquiæ, aggere ſilicibus nigris ſtrato. In eâ viâ *Turres* atque *Pyrgos*, maritima loca, ſuperiori capite expoſui. *Aquas Apollinares*, medio itinere inter Aureliam Clodiamque vias, hodiéque adpellari vulgò *Bagni di Stigliano*, ibidem oſtendi. Ex reliquis locis Lorivm Tabulæ, ſive plurali numero Antonini Loria, *villa Antonini Pii imperatoris*, aliis auctoribus etiam Lorii dicta eſt. Iulius Capitolinus in vitâ huius imperatoris: *Educatus Lauri, in Aureliâ. ubi poſteà palatium exſtruxit: cuius hodiéque reliquiæ manent*. Omnino ſcripſerat ipſe Capitolinus *Lorii*. ſic quidpe poſteà ſequitur: *Spiritum reddidit apud Lorium*. Divus Hieronymus in Chronici Euſebiani utroque libro hæc de ſuo addidit: *Antoninus Pius apud Lorium villam ſuam, duodecimo ab Vrbe milliario moritur*. Eadem Caſſiodorus in Chronicum ſuum transſcripſit. Eutropius lib. viii: *Obiit apud Lorium, villam ſuam, milliario ab Vrbe* xii. Freculfus tomo i lib. ii cap. xiii: *Antoninus ad duodecimum ab Vrbe lapidem morbo correptus interiit*. Sex. Aurel. Victor in libro de Cæſaribus in M.

Lorivm, *villa*.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Aurelio Antonino: *Aurelius, ſocero apud Lorios mortuo, confeſtim fratrem L. Verum in ſocietatem potentiæ accepit.* Paul. Diaconus Hiſtoriæ miſcellæ lib x, & compilator eius in Epitomâ de Cæſaribus, quam vulgò Sex. Aurelio Victori adſcribunt: *Antoninus apud Lorios, villâ propriâ, millibus paſſuum* XII *ab Vrbe, febri conſumptus eſt.* Iornandes in libro de Sucesſione regnorum: *Antoninus, cognomento Pius, defunctus eſt duodecimo Vrbis milliario, in villâ ſuâ, Loris nuncupatâ.* Vocabulum obliqui caſus *Lorîs* uno *î* circumflexo illius ſæculi more uſurpavit pro *Loriis.* Cæterùm quum hodiè per Romanæ eccleſiæ ditiones perque omnem Etruriam milliaria uſurpentur prolixiora; x computantur ab Vrbe viâ Aureliâ ad locum in agris ingentis villæ ſeu potiùs integri vici reliquias ſuſtinentem. muri quidpe in lætiſſimâ planitie diſperſa rudera, marmorumque & columnarum egregia fragmenta viſuntur. quæ cuncta villam Antonini *Lorium* non dubiè indicant. Ado in Martyrologio: *Sexto Idus Iulii, Romæ, milliario* x, *natale ſanctarum Rufinæ & Secundæ, ſororum, ſub perſequutione Valeriani & Gallieni.* Sacellum *S. Rufinæ* hodiéque apud viam Aureliam conſpicitur, duobus millibus paſſuum à prædictis ruinis.

In Tabulâ iter Alſium versùs ita ſignatum eſt:

A Româ, viâ Aureliâ:	
Lorio	XII.
Bebiana	....
Alſium.	VI.

BEBIANA *villa.* Quum inter locum *Lorii* & *Alſium*, quod nunc vulgò *Palo* dici ſuperiori capite monſtravi, VIII haud ampliùs intercedant millia paſſuum, duo tantùm millia vacuo iſto loco interiiſſe, haud dubium eſt. BEBIANA igitur, ſive *villa* ſive aliud quid hoc loco, circa Aronem flumen fuit; quà nunc divi Antonii fanum & villa vulgari vocabulo *Teſta di lepre* conſpicitur.

ARTENA *opidum.* Cæterò apud Livium lib. IIII ſic ſcriptum eſt: *Artena inde, Volſcorum opidum, ab tribunis obſideri cœpta.* Mox: *Dirutâ & arce & urbe Artenâ, reductæ legiones ex Volſcis; omnisque vis Romana Veios converſa eſt. Sunt, qui Artenam Veientium, non Volſcorum, fuiſſe credant. Præbet errorem, quòd eiusdem nominis urbs inter Cære atque Veios fuit. ſed eam reges Romani delevêre: cæterúmque non Veientium fuerat.* Lego; *Cæretumque, non Veientium, fuerat.* In ipſo Veientium Cæretumque fuiſſe confinio, ex iſto errore patet. *Veios* urbem fuiſſe eo tractu, ubi nunc opidum vulgari vocabulo *Scrofano* conſpicitur; Veientanumque agrum ad Aronem usque amnem pertinuiſſe; mox infrà oſtendetur. circa huius igitur dextram ripam haud dubiè fuit ARTENA *opidum*, in Cæretano agro. Annius Viterbienſis in aliquo Livii exemplari legeritne *Arcenum*; an verò *Artenæ* vocabulum ex libidine ſuâ in illud corruperit, uti inde faceret *Barcenum*, ac tandem *Bracianum*; quo nomine nunc opidum nobile apud lacum cognominem, ex quo profluit Aro amnis, viſitur; incertum eſt. At Livius diſertè teſtatur, id opidum jam dudum ante ſuam ætatem à regibus fuiſſe deletum. tum *Bracianum* opidum propiùs ad ipſum Cære accedit, longiúsque à Veiis abeſt, quàm quod per errorem pro Veientium urbe accipi potuerit.

BLERA *opidum.* At prædictæ Tabulæ itinerariæ in viâ Clodiâ vocabulum *Olera* vitiatum eſſe ex genuino BLERA, quod fuit opido nomen, intervallum VIIII millium, quæ hinc ponuntur ad Martam amnem & opidum Tuſcaniam, tum ipſe ductus itineris, teſtantur. eſt quidpe *Blera* id opidum, quod vulgò nunc incolis vocatur *Bieda.* Solent Itali, ut ſæpè jam anteà dixi, literam *l* in multis dictionibus Latinis vertere ſuâ lingvâ in *i*. ut à *claro, plano, pleno, flore, cludere,* fiunt, *chiaro, piano, pieno, fiore, chiudere.* literam verò *r* nonnumquàm mutant in *d*. ut ex *raro* fit *rado.* Meminêre prætereà opidi huius Strabo ac Ptolemæus. quorum hic in Etruriæ mediterraneis ſic: Οὐολσίνιον, Σούδερνον, Φερεντία, Σούτριον, Ταρκυῖναι, Βλῆρα, Φόρος Κλαυδίου, Νέπιτα, Φαλέριον. Strabo ita lib. v: Περὶ μὲν τῆς παραλίας τῆς Τυῤῥηνικῆς ταῦτα. ἐν δὲ τῇ μεσογαίᾳ πόλεις πρὸς ταῖς εἰρημέναις, Ἀρρήτιόν τε καὶ Περουσία καὶ Οὐολσίνιοι καὶ Σούτριον· πρὸς δὲ ταύταις πολίχναι συχναί, Βλῆρά τε [malè in vulgatis exemplaribus Βλήερά τε]

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Βλήρατοι] καὶ Φερεντῖνον καὶ Φαλέριον καὶ Νέπιτα καὶ Στατωνία, καὶ ἄλλαι πλείους. Id eſt: *Atque hæc de litore Etruſco. In mediterraneo, præter jam dictas, urbes ſunt, Aretium, Peruſia, Volſinium, Sutrium. tum crebra opidula, Blera, Ferentinum, Falerium, Nepita, Statonia, & complura alia.* Haud magni igitur momenti fuit *Blera*. Memoratur hinc Anaſtaſio Bibliothecario, in vitis Sabiniani & Zachariæ paparum. ſed quum in Sabiniani vitâ more poſterioris ævi *V* pro *B* ſcriptum eſſet *Vlera*; Baronius hoc corrigendum cenſuit in *Volaterra*: licèt apud Liutprandum & Albonem diſertis literis perſcriptum foret *Blera* in eiusdem Sabiniani vitâ. Apud eumdem Anaſtaſium in vitâ Gregorii II ſunt Tuſciæ populi *Bledani*; qui in Conciliorum libro & Plinio lib. III cap. V ſunt BLERANI.

In eodem igitur Tabulæ itinere SABATE eſt nomen *lacus*, qui vulgò adcolis vocatur *Lago di Bracciano*. Pompeius Feſtus: *Sabatina tribus dicta à lacu Sabate*. In Digeſtorum juris civilis libro XVIII, tit. I, paragr. LXVIIII, ex Proculi Epiſtolar. lib. XI, leguntur iſta verba: *Rutilia Polla emit lacum Sabatenem angularium, & circa eum lacum pedes* X. Sic equidem vulgata habent exemplaria. at ego voces *Sabatenem angularium* corruptas eſſe cenſeo ex genuinis, *lacum Sabaten, id eſt Angvillarium*. namque Feſti & auctoris Tabulæ ac Proculi temporibus lacui nomen dicebatur *Sabate*. gloſſator deinde in margine Digeſtorum interpretationis loco adpoſuit, *id eſt Angvillarius*. nam ſic poſteà cognominatus eſt ab opido, quod, in ripâ eius ſitum, vulgò etiam nunc vocatur *Angvillaria*. Id gloſſematium poſtmodò ab imperito librario textui inſertum eſt. Cæterùm Straboni dicto lib. V vocatur lacus, neſcio, utrùm plurali numero, Σάβατα, an ſingulari Σαβάτα SABATA. Προσλαμβάνουσι δὲ, inquit, πρὸς τὴν εὐδαιμονίαν τῆς χώρας καὶ λίμναι, μεγάλαι τε καὶ πολλαὶ οὖσαι. καὶ γὰρ πλέονται, καὶ τρέφουσιν ὄψον πολὺ, καὶ τῶν πτηνῶν τὰ λιμναῖα· τύφη τε καὶ πάπυρος, αἰθήλη τε πολλὴ κατακομίζεται ποταμοῖς εἰς τὴν Ῥώμην, οὓς ἐκδιδόασιν αἱ λίμναι μέχρι τοῦ Τιβέρεως· ὧν ἐστιν, ἥ τε Κιμινία, καὶ ἡ περὶ Οὐολσινίους, καὶ ἡ περὶ Κλούσιον, καὶ ἡ ἐγγυτάτω τῆς Ῥώμης καὶ τῆς θαλάττης Σαβάτα, ἀπωτάτω δὲ ἡ πρὸς Ἀρρητίῳ ἤδη Τρασουμένα. Id eſt: *Ad ubertatem ſoli conducunt etiam lacus, magni ac multi. quidpe & navigantur & multum piſcium aviumque paluſtrium producunt. tum typhæ ac papyri & paniculæ magna copia fluminibus Romam devehitur, quæ lacus iſti emittunt ad Tiberim usque. Ex his ſunt, Ciminius, & qui apud Volſinios eſt, item qui apud Cluſium, & proximus Romæ ac mari Sabata; tum remotiſſimus omnium & Aretio propinquus Traſymenus.* Hæc neſcio ignorantiâ quadam an nimio brevitatis ſtudio parum rectè de ſingulis lacubus Straboni pronunciata. nam neque *Ciminius*, ut poſt videbimus, neque *Traſymenus* ullum flumen emittit: & qui amnes *Sabatis Vulſinienſi*que effluunt, non in Tiberim, ſed in mare ſeſe exonerant. Cæterùm *Sabate* ſive *Sabata* lacus Silio lib. VIII dicitur derivativo vocabulo SABATIVS *lacus*, ſive, ut ille metri cauſa dixit, SABATIA *ſtagna*, in his verſibus:

Hos juxta Nepeſina cohors æquique Faliſci,
Quique tuos Flavina focos, Sabatia quique
Stagna tenent, Ciminique lacum, qui Sutria tecta
Haud procul & ſacris Phœbo Soracte frequentant.

Et Columellæ Frontinoque & Anaſtaſio Bibliothecario eſt SABATINVS *lacus*. Columella lib. VIII cap. XVI: *Magni æſtimabat vetus illa Romuli & Numæ ruſtica progenies, ſi urbanæ vitæ comparetur villatica, nulla parte copiarum defici. Quamobrem non ſolùm piſcinas, quas ipſi conſtruxerunt, frequentabant; ſed etiam quos rerum natura lacus fecerat, convectis marinis ſeminibus replebant. inde Velinus, inde etiam Sabatinus, & item Vulſinienſis & Ciminus, lupos aurataſque procreaverunt.* Frontinus in libro de Aquæductibus: *Alſietinæ conceptionis modus nec in Commentariis adſcriptus eſt, nec in re præſenti certius inveniri poteſt: quum ex lacu Alſietino & deinde circa Caréas ex Sabatino, quantum aquarii temperaverunt, habet non plus quinariis* II *millibus*. Anaſtaſius Bibliothecarius in vitâ Honorii papæ: *Conſtituit formam, quæ deducit aquam ex lacu Sabatino*. Et in vitâ Hadriani: *Aqua Sabatina*. Hæc igitur derivativa vocabula *Sabatius & Sabatinus*, quæ lacui ab his auctoribus tribuuntur, haud dubiè indicant, fuiſſe quondam heic aliud quiddam nomine *Sabate* ſive *Sabata*, unde id cognominis lacui quæſitum. Sotionis fragmenta de Mirandis lacuum, fontium, ac fluminum, ſic habent: Ἐν Ἰταλίᾳ λίμνη Σάβατος [malè vulgò Σάκατος] καλουμένη ἐστὶν, ἧς ὅταν τὸ ὕδωρ διαυγὲς γένηται, καταφαίνονται ἐν τῷ βυθῷ θεμέλιον πολλοὶ καὶ ναοὶ καὶ πλῆθος ἀνδριάντων.

SABATE *opidum & lacus qui & SABATINVS.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

φασὶ δὲ οἱ ἐπιχώριοι, πόλιν ποτὲ εἶναι καταποθῆναι. Hoc eſt: *In Italia lacus eſt nomine Sabatus: cuius aqua quoties pellucida ſit, conſpiciuntur in imo fundo ædificiorum multa fundamenta ac templa ſtatuarumque numerus. Incolæ aiunt opidum heic quondam fuiſſe; quod poſteà abſorptum ſit.* Hoc haud dubiè dictum fuit SVBATE *opidum*, indeclinabili ferè vocabulo, ut *Cære*, *Tridente*, *Tergeſte*, *Ateſte*, *Apeneſte*, *Præneſte*, *Arelate*, *Condate*, *Reate*, *Teate*, & montis, quem modò memoravit Silius, nomen *Soracte*: niſi quòd, ut hæc omnia, genitivo inflectebatur *Sabatis*, dativo *Sabati*; quemadmodùm ſuprà lib. I cap. XVI, XVIII, & XX, item lib. II cap. II, docui. Græcis mons *Soracte*, & opida *Præneſte* ac *Reate*, formata ſunt Σώρακτος, Πραίνεστος, Ῥέατος, ut infrà ſuis locis videbimus. hinc etiam *Sabate* Sotioni dicitur Σάβατος. Ab hoc igitur opidi vocabulo *Sabate*, ſive, ut Strabo habet plurali numero SABATA, lacui, cui opidum adpoſitum, nomen deductum fuit *Sabatino*, & *Sabatio*: quemadmodùm à Liguriæ maritimo opido eiuſdem nominis *Sabatis* proxima denominata ſunt *Vada Sabatia*. quæ, mirum dictu, quî confundi potuerint cum Silii *Stagnis Sabatiis* à noviſſimo huius poëtæ commentatore Dauſqueio. At opidum hoc Etruriæ poſtquàm vel terræ motu vel novâ quadam lacus inundatione abſorptum eſt, ipſe lacus poſteriori ſæculo eius nomine nucupari cœpit. Qua parte adpoſitum ei fuerit opidum, incertum eſt; quando illa etiam Sotioni memorata monumenta jam interierunt. In Tabulâ tamen itinerariâ quia vocabulo *Sabate* non adpoſita eſt vox *lacus*, ambigi poteſt, lacum, an ipſa antiqui opidi intellexerit veſtigia auctor Tabulæ. Opidum ſi intellexit; in ſeptemtrione lacus parte id ſitum fuit; quà iter erat à Româ Bleram verſùs & Tuſcaniam: quo tractu hodiè conſpicitur opidum vulgari vocabulo *Trivignano*, ſive *Triviliano*.

CAREIAE *opidum*.

Tuſcaniâ igitur & *Blerâ* opidis lacuque *Sabatino* hactenus diſpectis, faciliùs jam ad ſitum penetrare poterimus *opidi*, quod Frontino proximè citato loco CAREAE, & Itinerariis CAREIAE vocatur. Tabula toto hoc Etruriæ tractu mirum in modum corrupta eſt. *Lacus & mons Ciminius* infra *Sabate* & *Forum Clodii* poſiti ſunt: quos ſupra ea loca verſùs ſeptemtriones fuiſſe, mox infrà patebit. Inter *Centumcellas* & *Graviſcas*, item inter *Tarquinios* ac *Bleram*, nulli millium exſtant numeri. Ab *Aquis Tauri* ad *lacum & montem Ciminium* XII tantùm ſcripta ſunt millia; quum re verâ ſint ampliùs XX. A *Româ* ad *Bleram* uſque millia ſunt omni numero XLIII; quamvìs inter *Romam* & *Sextum lapidem*, item inter *Novas* & *Sabate*, & item inter *Sabate* ac *Forum Clodii*, numeri nulli adpoſiti ſint. at toto hoc intervallo ab Româ ad Bleram millia ſunt haud ampliùs XXXV. Sed & ſignum in eodem itinere primarii loci ſeu opidi conſpicitur ſine nomine inter *Careias* & *Novas*. Verùm tamen ſuper intervallo inter *Romam* & *Careias* probè convenit Tabulæ cum Antonini itinerario. quidpe Antoninus habet hoc itinere millia XV. Tabula verò à *Careiis* ad *Sextum* millia VIIII. quibus ſi VI addas, quæ ab Vrbe ad ſextum uſque lapidem erant; erunt & ipſa omni numero XV. Ex hoc igitur intervallo *opidum Careiæ* deprehenditur fuiſſe prope ipſum lacum Sabatinum, apud Aronem flumen; quà ſiniſtræ eius ripæ adpoſitum eſt molendinum, in adverſâ ripâ fontem habens acidulum. Hinc ita Frontinus eodem libro antè: *Concipitur Alſietina aqua, quæ vocatur Auguſta, ex lacu Alſietino, viâ Claudiâ, milliario* XIV, *diverticulo dextrorſus paſſuum* VI *millium* IↃ. Et poſteà; ut ſuprà citavi: *Alſietinæ conceptio ex lacu Alſietino, & deinde circa Caréas ex Sabatino*. Omnino ſcripſerat ipſe Frontinus, *milliario* XVIII, *diverticulo dextrorſus millium* II *paſſuum* IↃ. nam

LACVS ALSIETINVS.

ALSIETINVS LACVS is eſt, qui, à dextra Claudiæ viæ parte, vulgò nunc dicitur *Lago di Stracciacapo*. Patet igitur ex his Frontini verbis, *Caréas* fuiſſe dicto loco prope Sabatinum lacum. Hinc veteris Alſietinæ aquæ ductus reliquiæ hodiéque conſpiciuntur tendentes Romam verſùs; haud procul opido *Ceſano* in meridiem ſitæ. Locus autem iſte AD SEXTVM MILLIARE ſive LAPIDEM hodiè dicitur *Il Borghetto*.

AD SEXTVM LAPIDEM, *locus*.

AD NOVAS, *locus*.

Iam verò quum à dicto Carearum loco vix V ſint ad Trivinianum opidum millia; ſive ab Româ ad idem opidum haud ampliùs XX; vitioſos eſſe millium VIIII & millium VIII numeros, certum eſt, à Careiis AD NOVAS in Tabulâ. ideóque certus ei loco ſitus adſignari nequit.

FORVM CLODII Antonino quoque memorarur; & item Ptolemæo. Apud utrum-

utrumque exemplaria alia habent φόρος κλωδίου, FORVM CLODII; alia φόρος κλαυδίου, FORVM CLAVDII. Scilicet *Claudius* & *Clodius* unum idemque erat nomen, rectè utroque modo dictum: ut etiam in nonnullis aliis vocibus *αυ* in *ω* verſum reperitur. cuius rei exemplum habuimus ſuprà lib. I cap. XV in opido, quod nunc Ἀγαώνιον, nunc Ἀγώνιον in diverſis Ptolemæi exemplaribus ſcriptum eſt. ſic locus Romæ in Aventino monte dicebatur *Loretum*; ubi ſilva *lauri* fuerat; teſte Plinio lib. XV cap. XXX. ſic *Laurentum* Latii maritimum opidum Græcis dictum eſt Λώρεντον, ut infrà lib. III cap. III videbimus. Hinc igitur etiam *Claudia* dicitnr *via* Frontino ſuprà ſcripto loco, & Ovidio Ponticor. lib. I eleg. VIIII. Tabulæ verò & Antonino eſt *Clodia*. Hinc item apud Plinium lib. III cap. V, in recenſione opidorum Etruriæ ſic legitur: *Novem pagi præfecturæ Claudiæ Foro Clodii*. Antoninus ſic habet: *A Roma Forum Clodii* XXXII. Omnino corruptum hunc numerum eſſe cenſeo; quando ab Româ ad Bleram usque, ut dixi, XXXV circiter ſunt millia paſſuum: nec credibile eſt, tam prope inter ſe, intervallo III millium, ſita fuiſſe hæc duo opida. Quapropter ſcriptum fuiſſe judico ab Antonino XXVII. ita, uti *Forum Clodii* XII millia à Careiis, à Blerâ verò VIII abfuerit. Atque ita teſtatur (ſi modò is teſtis admittendus) Annius Viterbienſis ſcriptum eſſe in vitâ ſancti Protogenis martyris, (quam mihi, licèt ſedulò anquirenti, videre non licuit) *eductum* eum *ad thermas Stygianas; inde ad Forum Claudii; quod diſtet ab urbe Româ* XXVIII *milliaria*. Itaque in Tabulâ millia XVI, quæ ſunt inter Forum Clodii & Bleram, inferiori lineæ adſcribenda ſunt, quæ à Tarquiniis Bleram ducta. tot quidpe hoc itinere ſunt millia. Vehementer hactenus errarunt illi, qui *Forum Claudii* interpretati ſunt opidum *Tolfam*, inter Stilianas aquas & Centumcellas ſitum. ſed omnibus his impoſuit modò præfatus non ſatis ingenioſus nec doctus falſarius Annius Viterbienſis. qui etiam iter inter ſex ab urbe Româ in Gallias vias confinxit huiusmodi: *Aurelianum, quod & Claudianum, fertur per ipſam Aureliam, Thermas Stygianas, Forum Novem pagorum Claudii, Tarquinias, Saturniam, Voleen, Roſellas*. Egregium ſanè iter; quod tantillo ſpacii per tantas ambages ſurſum deorſum circumducat. At quis, vel mediocriter hiſtoriâ ac geographiâ antiquâ inſtructus, neſciat, longè aliam fuiſſe *viam Aureliam*, aliam *Claudiam*? Totus igitur ager *præfecturæ Claudiæ*, circa *Forum Claudii*, in novem portiones diſtributus fuit, qui NOVEM PAGI dicebantur; quemadmodùm ager apud Tiberim amnem *Septem pagi*; de quibus mox infrà agemus.

FORVM CLODII, ſive CLAVDII, *opidum*.

NOVEM PAGI Præfecturæ Claudiæ.

Cæterùm prope Tiberim & urbem Rômam, ad initium viæ Claudiæ OVIDII poëtæ fuêre HORTI. de quibus ita ipſe Ponticorum lib. I eleg. VIIII:

HORTI Ovidii.

Non meus amiſſos animus deſiderat agros,
Ruraque Peligno conſpicienda ſolo:
Nec quos pomiferis poſitos in montibus hortos
Spectat Flaminiæ Claudia juncta viæ.
Quos ego neſcio cui colui. quibus ipſe ſolebam
Ad ſata fontanas (nec pudet) addere aquas.
Sunt ibi, ſi vivunt, noſtrâ quoque conſita quædam,
Sed non & noſtrâ poma legenda manu.

In Tabulâ itinerariâ ab urbe *Româ viâ Flaminiâ ad pontem Mulvium* (quod vocabulum corruptum illic eſt in *Iulii*) II ſunt millia. inde verò *ad Rubras* VI. A lineâ viæ Flaminiæ inter Mulvium pontem & Rubras diducitur linea alia, cui primùm III millia adpoſita, dein hæ voces, *Via Clodia*; *Ad Sextum*. VIIII. *Careias*. Vnde patet, ad tertium ab Vrbe lapidem, id eſt, mille paſſus ultra pontem Mulvium incepiſſe viam Claudiam à Flaminiâ, quæ juxta ripam Tiberis in Vmbriam verſùs tendebat. PONS MVLVIVS, ſive, ut alii vocant, MILVIVS, hodiè detorto vocabulo dicitur *Ponte Mollo*; & deteriùs, quaſi à *mollitie* nomine quæſito, *Ponte Molle*. ad quem ex medio ferè urbis Romæ, ubi quomdam columna milliaria, teſte Plinio lib. III cap. V, *in capite Romani fori ſtatuta* fuit, III exigua ſunt millia paſſuum. Transgreſſis pontem divergium duarum occurrit viarum; quarum altera ad dextram, juxta Tiberim, *Flaminia* eſt; altera ad ſiniſtram, *Claudia*, verſùs ſuprà dictas *Careias* ducit & *Sabatinum lacum*, propter loca, quibus vulgaria vocabula, *Caſtel Lombardo*, *Ponte Covero*, & *Borghetto*. In proximo igitur colle, qui etiam *aquas fontanas* habet, inter divergia dictarum viarum, fuêre *Horti* iſti *pomiferi P. Ovidii Naſonis*. Sed divergium

MILVIVS pons.

Flaminiæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Flaminiæ Clodiæque viarum ac hortorum Ovidii ſitus propemodùm in ipſam Vrbem nos attraxit; quæ tamen non, niſi ſuo loco trans Tiberim in Latio, dicenda erat. proinde etiam ea loca, quæ in Tuſcâ amnis ripâ ſub mœnibus Vrbis jacent, commodè eò reſervabimus.

VILLA L. Veri imperatoris.

De cætero eâdem viâ Clodiâ VILLA fuit L. *Veri imperatoris*. Iulius Capitolinus in vitâ eius: *Villam præterea exſtruxit in viâ Clodiâ formoſiſſimam. in qua per multos dies & ipſe ingenti luxuriâ debacchatus eſt cum libertis ſuis & amicis paribus; quorum præſentiæ nihil inerat reverentiæ: & Marcum rogavit. qui venit, ut fratri venerabilem morum ſuorum & imitandam oſtenderet ſanctitudinem: & quinque diebus in eâdem villâ reſidens, cognitionibus continuis operam dedit; aut convivante fratre, aut convivia comparante*. Prope Vrbem fuiſſe hanc villam, ex *cognitionum* maximè argumento colligere datur. ſed certus eius locus monſtrari nequit.

Porrò per Flaminiam viam iter in Itinerariis antiquis deſcribitur tale:

Tabulæ;		Hieroſolymitano;	
Româ, viâ Flaminiâ;		*Vrbe Româ*	
Ad Pontem Iulii	II.		
Ad Rubras	VI.	*Rubras*	IX.
Ad Viceſimum	III.	*Ad Viceſimum*	XI.
Aquâ viva	....	*Aqua viva*	XII.
....	....	*Vtriculo*	XII.
....	VII.	*Narniæ*	XII.
Interamnio	VI.	*Interamna*	IX.

AD SAXA RVBRA, *ſive* AD PETRAS RVBRAS, *opidulum*.

Ex his locis *Interàmnium*, ſive *Interamna*, trans Tiberim Vmbriæ fuit opidum, Nare amne circumfluum; vulgò nunc *Térani* & *Terni* dictum. Locum verò illum AD PETRAS RVBRAS, ſive, ut plerique vocant, AD SAXA RVBRA, ſeu etiam ſimpliciter AD RVBRA, & AD RVBRAS, pluribus memoratur auctoribus. Martialis verſum ex epigrammate LXIIII libri IIII exiguo antè citavimus iſtum:

Fidenas veteres, breveisque Rubras.

Vitruvius lib. II cap. VII; quod eſt de lapicidinis: *Sunt aliæ molles: uti ſunt circa Vrbem Rubræ, Pallienſes, Fidenates, Albanæ. aliæ temperatæ: uti Tiburtinæ, Amiterninæ, Soractinæ*. Spartianus in Severo: *Egreſſus ab Vrbe ad Saxa rubra, ſeditionem ingentem ob locum caſtrorum metandorum ab exercitu paſſus eſt*. Cicero in Philippicâ II: *Quum horâ diei decimâ ferè ad Saxa rubra veniſſet; delituit in quadam cauponulâ. atque ibi ſe occultans, perpotavit ad veſperum. inde ciſio celeriter ad Vrbem advectus*. Livius lib. II, cladem CCCVI Fabiorum narrans, qui ad Cremeram flumen, quod mox indicabimus, occubuerunt: *Itaque fuſi retro ad Saxa rubra, (ibi caſtra habebant) pacem ſupplices petunt*. Tacitus Hiſtoriar. lib. III: *Ne Petilius quidem Cerealis, cum mille equitibus præmiſſus, ut transverſis itineribus per agrum Sabinum Salariâ viâ Vrbem introiret, ſatis maturaverat. Antonius per Flaminiam ad Saxa rubra, multo jam noctis, ſerum auxilium venit*. Hiſtoria martyrii ſanctorum Abundii & Abundantii: *Tunc Diocletianus juſſit eos ſtatim duci in viam Flaminiam, decimo ab Vrbe milliario; ut ibi capite truncarentur. Dum autem ducerentur ſancti Dei Abundius & Abundantius vincti catenis, venerunt juxta civitatem Lubras. tunc obvius occurrit eis Marcianus*. Mox: *Qui quidem Marcianus quum abiiſſet, ut filium ſuum adferret; miniſtri diaboli noluerunt ſuſtinere, usque dum rediiſſet de civitate Lubris*. Sic equidem in exemplaribus huius hiſtoriæ antiquis ſcriptum eſt, pro *Rubras* & *Rubris*. Martyrologium Romanum: *Decimoſexto Kal. Octobris Romæ viâ Flaminiâ ſanctorum martyrum Abundii presbyteri & Abundantii diaconi, quos Diocletianus imperator decimo ab Vrbe lapide gladio feriri juſſit*. Iter hodiè ab Vrbe viâ Flaminiâ hoc modo computatur:

Roma,	*milliaria;*
Ponte Mollo	II.
Grotta Roſſa	IIII.
Prima Porta	I.
Borghetto	III.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Quæ milliaria ſunt in univerſum x. At præterquàm quòd prima duo milliaria, ab Vrbe ad pontem Mulvium, perexigua ſint; IIII proxima etiam inter pontem & Cryptam rubram juſta ſunt tantùm III. rurſus verò III illa inter Primam portam & Borghettum ſatis ſunt prolixa. Hac igitur ratione ſingula in unum numerum computata, conficient juſta millia paſſuum VIIII. Ex utrâque computatione jam liquidò adparet, *Rubras* illas *petras* ſive *lapicidinas*, ſeu *Saxa rubra*, fuiſſe circa *Borghettum*. quod ædificium nunc eſt magnum, cum turri, caſtelli in ſpeciem muro ſatis amplo cinctum. Et viſuntur heic in ipsâ turri conſpicua antiqui marmoris fragmenta. Haud magni olim fuiſſe momenti locum, teſtatur Martialis, dum *breveis* adpellat *Rubras*, id eſt, *exiguas*.

Cæterùm juxta has *Rubras*, in ipsâ Tiberis ripâ, CAESARVM fuit VILLA, cui nomen AD GALLINAS. Plinius lib. XV cap. XXX; quod eſt de lauro: *Sunt & circa divum Auguſtum eventu eius digna memoratu. namque Liviæ Druſillæ, quæ poſteà Auguſta matrimonii nomen accepit, quum pacta eſſet illa Cæſari, gallinam conſpicui candoris ſedenti aquila ex alto abjecit in gremium illæſam. intrepidéque miranti acceſſit miraculum; quoniam teneret roſtro laureum ramum, onuſtum ſuis baccis. Conſervari alitem & ſobolem juſsêre aruſpices; ramumque eum ſeri, ac ritè cuſtodiri. quod factum eſt in villâ Cæſarum, fluvio Tiberi impoſitâ, juxta nonum lapidem, Flaminiâ viâ: quæ ob id vocatur Ad Gallinas. miréque ſilva provenit. Ex eâ triumphans poſteà Cæſar, laurum in manu tenuit; coronamque capite geſſit: ac deinde imperatores Cæſares cuncti. traditusque mos eſt, ramos, quos tenuerunt, ſerendi. & durant ſilvæ, nominibus ſuis diſcretæ: fortaſſis ideò mutatis triumphalibus.* Hæc ſanè Plinio ante Neronis exceſſum ſcripta ſunt. quæ poſteà ſub Veſpaſiano imperatore, opus hoc ſuum Hiſtoriæ naturalis edens, non recognovit immutavitque. ſic quidpe Dio fine lib. LXIII, de interitu Neronis loquens: Καθάπερ που σαφῶς καὶ αἱ δάφναι αἱ ὑπὸ τῆς Λιβίας φυτευθεῖσαι, τό τε γένος τῶν λευκῶν ὀρνίθων, προδιαφθαρέντα αὐτοῦ, ἐσήμαινεν. Id eſt: *Vt & lauri, quæ à Liviâ plantatæ fuerunt, & genus albarum gallinarum, quæ utraque ante eum exſtincta erant, haud obſcurè denunciaverunt.* Et Svetonius in Galbâ cap. I: *Progenies Cæſarum in Nerone defecit. quod futurum, compluribus quidem ſignis, ſed evidentiſſimis duobus adparuit. Liviæ olim, poſt Auguſti ſtatim nuptias Veientanum ſuum reviſenti, prætervolans aquila, gallinam albam, ramulum lauri roſtro tenentem, ita, ut rapuerat, demiſit in gremium. quumque nutriri alitem pangique ramum placuiſſet; tanta pullorum ſoboles provênit, ut hodiè quoque ea villa Ad Gallinas vocetur; tale verò lauretum, ut triumphaturi Cæſares inde laureas decerperent. fuitque mos triumphantibus, alias confeſtim eodem loco pangere. & obſervatum eſt, ſub cuiusque obitum arborem ab ipſo inſtitutam elangviſſe. Ergo noviſſimo Neronis anno & ſilva omnis exaruit radicitus; & quidquid ibi gallinarum erat, interiit.* Eamdem de Liviâ hiſtoriam refert & Zonara Annal. lib. II in Cæſare Auguſto: ſed prodigium ad ſolam Liviam vult ſpectaſſe. Οἱ δὲ ἐν τῇ Ῥώμῃ, inquit, ἐταράττοντο μὲν καὶ τῶν ἀρχόντων πρὸς ἀλλήλους στάσεσιν, ἐθορύβουν δὲ αὐτοὺς καὶ σημεῖα ἄλλα τε, καὶ ὅτι λευκὴν ὄρνιν, κλωνίον δάφνης ἐγκάρπου φέρουσαν, ἀετὸς ἁρπάσας, εἰς τὸν κόλπον τῆς Λιβίας ἐνέβαλεν. ὃ οὐ μικρὸν σημεῖον ἐδόκει. Ἡ δὲ τῆς ὄρνιθος ἐπεμελήθη, καὶ τὴν δάφνην ἐφύτευσε. ἡ δὲ μὲν ῥιζωθεῖσα ηὔξησεν· ἡ δὲ Λιβία ἐγκολπώσασθαι τὴν τοῦ Καίσαρος ἰσχὺν καὶ ἐν πᾶσιν αὐτοῦ κρατήσειν ἔμελλεν. Id eſt. *Romani verò principum diſcordiis ſimul & prodigiis terrebantur. eo potiſſimùm, quòd albam gallinam, ramulum lauri cum baccis ſuis ferentem, aquila correptam in Liviæ gremium abjecit. id quod ſignum haud exiguum videbatur. Livia verò gallinam curavit, laurumque ſevit. quæ, radicibus actis, crevit. At Livia Cæſaris potentiam gremio complectebatur; omnibus in rebus domina eius futura.* Fuit ergo villa hæc *Liviæ ac Cæſarum Ad Gallinas*, ſi Plinii exemplaribus credimus, *juxta nonum ab Vrbe lapidem, fluvio Tiberi impoſita*, circa locum, qui nunc vocatur *Fraxinetum*, vulgò *Fraſineto*.

AD GALLINAS, villa.

At locus ille AD VICESIMVM, item alter ille AQVA VIVA, quibus ſitibus fuerint, paullo obſcurius inventu eſt: ſiquidem in Tabulâ itinera hac etiam Etruriæ parte, ut ſuprà circa Clodiam viam, vehementer corrupta ſunt & conturbata: in Hieroſolymitano autem itinerario numeri millium inter *Rubras* & *Interamnam* longè abundant. *Saxa Rubra* & *Cæſarum villam Ad Gallinas* ad Flaminiam fuiſſe viam, hactenus intelleximus. in eâdem etiam fuiſſe *Falerios* urbem, (quam nunc *Civitatem Caſtellanam* dici, mox oſtendam) Strabo auctor eſt. Et ſunt hodiè quoque heic ſimulque circa *Arinianum* opidum reliquiæ eius viæ. At Tabula viam à Clodiâ

AD VICESIMVM, & AQVA VIVA, loci.

viâ

viâ deductam habet poſt *Sextum lapidem*, in qua ſunt opida, *Veii*, *Nepe*, *Falerii*, *Caſtellum Amerinum*; & hinc jam Vmbriæ opida, *Ameria*, *Tuder*, *Vettona*; dein Etruriæ rurſus urbs *Perusia*. Illud verò iter quod per *Rubras* & *Viceſimum* & *Aquam vivam* ducitur, ad Vmbriæ opidum fert *Interamnium*; & hinc porrò ad *Fanum Fugitivi* ac *Spoletium*; Vmbriæ & ipſa opida: ad quorum hoc abrumpitur. Inter *Aquam vivam* & *Interamnium* figura primariæ urbis depicta eſt, utrimque adpoſitis intervallorum millibus; ſed ſine loci nomine; ut ſuprà adſcripſi: quam tamen ego *Narniam* intelligendam cenſeo. à qua millia ſunt paullo ampliùs VI ad *Interamnam*: quem numerum incurioſus Hieroſolymitani itinerarii exſcriptor corrupit in IX. A dictâ Tabulæ figurâ linea itineraria perperam ducta eſt ſuper *Interamnium* & *Fanum Fugitivi* ac *Spoletium*, ad *Mevaniam*; quæ nunc eſt vulgò *Bevagna*: quum illa loca à dextrâ eius lineæ parte ponenda forent. In Antonini itinerario iter Flaminiæ viæ ſtatim à Româ ad *Ocriculos* uſque transſilitur; adſignatis ei intervallo haud malè XLII millibus paſſuum. In ſuprà dictâ hiſtoriâ martyrii ſanctorum Abundii & Abundantii, qui apud Rubras paſſi ſunt, ita poſteà ſcriptum eſt: *Eâdem verò nocte venit Theodora matrona cum pueris ſuis; & poſuit eos in vehiculo ſuo; & deportavit eos in prædium ſuum milliario ab urbe Româ vigeſimo octavo.* Ad quæ verba ita Collegium Ieſuitarum Romæ ante XL ferè annos commentatum eſt: *In hoc beatæ Theodoræ prædio, quod ad viam Flaminiam erat, tempore procedenti beatiſſimorum martyrum Abundii & Abundantii nomine ædem exſtructam conſtat, quæ etiam nunc cernitur. & opidum Arinianum, quod ibidem eſt, beati Gregorii Magni, Romani pontificis, ætate ædificatum, legiſſe ſe Blondus adfirmat, & à proximâ arâ Iani adpellatum. Milliario ab urbe Româ* XXVIII. *Hodiè* XX *tantùm numerantur: hac, ut putamus, de causâ, quòd olim & juſta erant milliaria, hoc eſt, breviora, quàm hodiè ſunt, ſingulaque columnis lapideis diſtincta; & via Flaminia agrum Veientem ſecans, & per ſummos colleis ducta, multos flexus atque amfractus habebat. poſteris verò temporibus ea ob vetuſtatem incuriamque corrupta & interrupta: dum diverticula & compendia quæruntur; brevitatis magis, quàm facilitatis, eſt habita ratio. Atque hoc modo factum eſt, ut iter ab urbe Româ ad opidum Arinianum brevius quidem ſit; ſed ipſa milliaria, quæ* XX *eſſe dicuntur, aliquanto longiora ſint, quàm mille paſſus. Eâdem ratione Ameria abeſt Româ, teſte Cicerone in oratione pro Roſcio Amerino, ſex & quinquaginta millia paſſuum. quæ tamen nunc* XLIV *ſunt.* Pace doctiſſimorum virorum, qui hæc ſcripſerunt, dixerim: quum Antoninus in Itinerario, ut ſuprà dictum, inter Romam & Ocriculos viâ Flaminiâ XLII ponat millia; hodiè verò, ut ipſe pedibus meis emenſus ſum, eo itinere XL colligantur juſta milliaria; tantum heic inter Romam & Arinianum temporum variatione diſcrimen milliarium factum eſſe nequit. Et Ameriam uſque ab Româ juſta ſunt milliaria L. pro quibus Tabula itineraria habet LII: nempe ſi alterum numerum inter *Veios* & *Nepe* demas; quem imperitus exſcriptor perperam geminavit: inter *Nepe* autem & *Falerios* V vertas in X. In dictâ igitur etiam ſanctorum martyrum hiſtoriâ vocem *octavo* abundare exiſtimo: niſi fortè XVIII ab initio ſcripta heic fuiſſe ſuſpiceris. Et quum inter ſuprà dictum *Borghettum* & *Arinianum* opidum juſta ſint hodiéque millia XI; quot Itineraria antiqua habent inter *Rubras* & *Viceſimum lapidem*; omnino opidum id cenſeo eſſe locum AD VICESIMVM. At alter ille locus AQVA VIVA, citra an ultra Tiberim fuerit, incertum manet ex dictis Itinerariis; quando inter eum & Viceſimum numerus millium in Tabulâ interiit, unà cum alio numero & ipſo opido *Ocriculis*: à quo tamen VII millia: quæ hodiéque ad Narniam numerantur, in eâdem Tabulâ ſuperſunt. in Hieroſolymitano autem itinerario perperam inter *Viceſimum* & Narniam XXXVI ſcripta ſunt millia paſſuum; quum eo intervallo XXI haud ampliùs ſint milliaria: ab *Ariniano* ſcilicet ad Tiberim & *Folliam* opidum, quà amnis olim trajiciebatur VII; hinc ad *Ocriculos* totidem; ac totidem rurſus ad *Narniam* uſque. Quapropter tribus hiſce intervallis eumdem ſeptenarium numerum ab ipſo auctore Hieroſolymitani itinerarii perſcriptum fuiſſe cenſeo: qui poſtmodùm ab incurioſo exſcriptore corruptus facili lapſu in XII. Cæterùm, ex intervallo VII millium, locus iſte *Aqua via* apud ipſum Tiberim fuiſſe diſpicitur.

Alterum Tabulæ iter, quod per Falerios Ameriam verſùs fert, ita habet:

Roma		
Ad ſextum	[VI.]	*Veios*

Veios	VI.
.....	VIIII.
Nepe	VIIII.
Faleros	V.
Caſtello Amerino	XII.
Ameria	VIIII.

Ex his NEPE *opidum* hodiéque idem nomen retinet; interdum etiam NEPI dictum. Procopio Gothicar. rer. lib. IIII eſt Νέπα, NEPA. Apud Frontinum, in libro de Coloniis, variis exemplaribus legitur *Colonia* modò *Nepis* modò *Nepet*, & aliàs *Nepenſis*. quorum hoc equidem rectum gentilitium eſt ab opidi nomine *Nepe*. Sed ut pleraque apud Frontinum à barbaris librariis mirificè detorta ſunt; ſic dubium heic etiam erat, quo modo ipſe ſcripſerit Frontinus; ni apud Vellium quoque lib. I, ut Tabula habet, eſſet *Nepe*. Apud Plinium lib. III cap. V alia exemplaria habent *Nepe*, alia *Nepet*, quædam *Nepeta*. Sed hoc fortaſſis malè curioſi grammatici ita correxerunt è Ptolemæo; cui eſt Νέπετα, NEPETA; ut Straboni lib. V Νέπιτα, NEPITA. Genuina denique formatio eſt apud Livium & in antiquo lapide NEPETE; ut *Tergeſte*, *Tridente*, *Ateſte*, *Cære*, *Præneſte*, *Apeneſte*, *Arelate*, *Condate*, *Reate*, *Teate*, *Soracte*, *Sabate*. quæ omnia genitivo tantùm caſu flectebantur in *tis*, & dativo in *ti*; ut *Nepete*, *Nepetis*, *Nepeti*: ut ſuprà ad *Sabatinum lacum* dixi. Inſcriptio antiqua ſic habet: NEPETE, *colonia & municipium.*

HERENNIAE · C · F · IVSTAE
M · AFISTIVS · M · F · PAL · SABINVS DVVMVIR
VEIOS · IIII · VIR · NEPETE

Græci, ut ad Sabatinum lacum dixi, ultimam in his ſyllabam *te* formarunt plerumque in τος· unde apud Dionyſium Halicarnaſſenſem lib. XIII, qui interiit, ſcriptum fuit Νέπετος. apud Stephani enim epitomatorem ſic legitur: Νέσπετος, πόλις Ἰταλίας· Διονύσιος τρεισκαιδεκάτῳ Ῥωμαϊκῆς ἀρχαιολογίας. τὸ ἐθνικὸν Νεσπεσῖνος. Id eſt: *Neſpetus, opidum Italiæ; auctore Dionyſio Romanar. antiquitat. lib.* XIII. *Gentilitium inde Neſpeſinus*. Sic equidem vocabulum hoc Νέσπετος inter alia à Νεσ incipientia poſitum, uti dubitare non liceat, quin ipſe ita id ſcripſerit auctor. at ſicuti & Δαυνούιον πόλις in literâ Δ ſcriptum huic epitomatori eſt pro Λανούιον, & Τάβιοι in literâ Τ, pro Γάβιοι· & conſimili modo innumerabilia alia: ſic iſthic etiam Νέσπετος per ſummam imperitiam ſcripſiſſe eum cenſeo pro Dionyſii vocabulo Νέπετος. Cæterùm ut à ſingulari Σάβατος, quod ſuprà dictum, Straboni factus pluralis τὰ Σάβατα, ſic à Νέπετος quoque apud Ptolemæum eſſe judico pluralem τὰ Νέπετα, & apud Strabonem τὰ Νέπιτα. *Opidani* à *Nepete* Livio, Feſto, & aliquot antiquis inſcriptionibus, quæ in hoc opido exſtant, ſunt, ut Stephano, NEPESINI; eâdem ſcilicet analogiâ, ut à *Mileto*, Græciæ Aſiaticæ opido, dicebantur *Mileſii*. Livius lib. VI: *Legati ab Nepete ac Sutrio, auxilium adversùs Etruſcos petentes, veniunt*. Paullo pòſt: *Sutrio recepto, reſtitutoque ſociis, Nepete exercitus ductus: quod, per deditionem acceptum jam totum Etruſci habebant. Videbatur plus in eâ urbe recipiendâ laboris fore; non in eo ſolùm, quòd tota hoſtium erat; ſed etiam, quòd, parte Nepeſinorum prodente civitatem, facta erat deditio*. Mox: *Nepeſinis inde edictum, ut arma ponant*. Et: *Nepeſinorum quoque auctores deditionis ſecuri percuſſi*. Silius lib. VIII: *Hos juxta Nepeſina cohors æquique Faliſci.*

Coloniam Romanorum huc deductam, præter ſuprà memoratum Frontinum, teſtantur Livius quoque ac Velleius. quorum hic lib. I; *Poſt* VII, inquit, *annos, quàm Galli Vrbem ceperunt, Sutrium deducta colonia eſt; & poſt annum Setia; novemque interjectis annis Nepete*. At Livius dicto lib. VI poſteà, anno V ab Vrbe captâ *Satricum*, anno VII *Nepete* deductam coloniam tradit. *Triumviros*, inquit, *Nepete coloniæ deducendæ creaverunt*. Et lib. XXVII: *Triginta tum coloniæ populi Romani erant. ex iis duodecim, quum omnium legationes Romæ eſſent, negaverunt conſulibus eſſe, unde milites pecuniamque darent. eæ fuère, Ardea, Nepete, Sutrium, Circeii, Alba, Carſeoli, Sueſſa, Sora, Setia, Cales, Narnia, Interamna*. Easdem repetit poſteà lib. XXVIII. Poſthinc *Municipium* quoque Romanorum factum, teſtatur Pompeius Feſtus, his verbis: *Tertio modo municipium dicitur, quum id genus hominum definitur, qui ad civitatem Romanam ita venerunt, uti municipes eſſent ſuæ quisque civitatis & coloniæ; ut Tiburtes, Præneſtini, Piſani, Arpinates, Nolani, Bononienſes, Placentini, Nepeſini, Sutrini, Lucenſes*. Hinc in antiquis inſcriptionibus, quæ heic exſtant MVNICIPES memorantur NEPESINI; & PLEBS NEPESINA.

Hinc VEII, *urbs* antiquiſſima, quo ſitu fuerit, ingens hoc ſæculo inter doctos viros VEII, *colonia.*

eſt certamen: quum diſertis tamen certisque documentis facilè oſtendi potuerit.
Tabula quidpe eam in ipsâ viâ inter Romam & Nepete ponit. tum XII etiam ab
Româ eò usque numerat millia paſſuum: & hinc porrò VIII Nepete usque. etenim,
quum ab Româ ad Nepete hodiéque XX omnino numerentur millia; altera illa
VIIII millia eo itinere redundare, atque haud dubiè ex ſuperiori itinere, quod à Ru-
bris & Viceſimo Interamnium verſùs ducit, à malè diligenti exſcriptore perperam
huc transſcripta, certum eſt. Fuit igitur urbs *Veii* circa ea loca, ubi nunç opidum
Scrofano conſpicitur. Huc adde, quòd in eâdem Tabulâ itinerariâ à Veiis ad Sutrium
viâ Caſſiâ XII poſita ſunt millia. quod juſtum eſt intervallum hodiéque inter Sutrium
& Scrofanum. Huc item accedit & Plinii teſtimonium: qui lib. III cap. V ita ſcri-
bit: *Tiberis, non procul Tiferno Peruſiâque & Ocriculo, Etruriam ab Vmbris ac Sabinis,*
mox citra XIII *millia paſſuum Vrbis Veientem agrum à Cruſtumino, dein Fidenatem Lati-*
numque à Vaticano dirimit. Et Livius lib. V: *Ad undecimum lapidem occurſum Gallis eſt,*
quà flumen Allia, Cruſtuminis montibus prealto defluens alveo, haud multum infra viam Ti-
berino amni miſcetur. Hi Alliæ Tiberisque confluentes ex adverſo ſunt *Scrofani*, à VII
paſſuum millibus; ad undecimum milliare ab urbe Româ. Ipſe *Allia* juxta opida vul-
garibus vocabulis *Palombara*, *Monticelli*, *S. Angelo*, *Lamentano*, inter nemoroſos col-
leis defluens, vulgò nunc adpellatur *Rio Moſſo*. Heic quum Romani à Gallis fuſi fu-
gatique eſſent, maxima eorum pars *Veios*, ut in proximum opidum, fugêre. Livius
haud multo pòſt: *Pavor fugaque occupaverat animos & tanta hominum oblivio, ut multo*
maior pars Veios, in hoſtium urbem, quum Tiberis arceret, quàm recto itinere Romam ad
conjuges ac liberos fugerent. Et mox: *Maxima tamen pars incolumis Veios perfugit*. Paullo
antè ex Plinio ac Svetonio oſtendimus, *Ad nonum ab Vrbe lapidem, viâ Flaminiâ, Li-*
viæ Druſillæ ac poſteà *Cæſarum* fuiſſe *villam*, haud procul *Saxis rubris*, cui nomen *Ad*
Gallinas. id prædium Svetonius in Galbâ cap. I *Veientanum Liviæ* adpellat. hoc igi-
tur etiam in *Scrofanum* opidum quàm optimè congruit. quidpe à *Borghetto*, quod *Sa-*
xa rubra eſſe ſuprà dixi, ad *Scrofanum* V haud ampliùs ſunt millia paſſuum. Sed &
Livii Dionyſiique hiſtoriam de trecentûm ſex Fabiorum apud Cremeram flumen
clade, à Veientibus illatâ, in opidum *Scrofanum* & vicinum amnem, cui vulgare
nunc vocabulum *Varca*, quàm exactiſſimè quadrare, mox infrà videbimus. Deni-
que, inſcriptiones quoque antiquæ apud hoc opidum repertæ: quarum aliæ in ipſo
etiamnunc opido adſervantur, aliæ in proximo caſtello, cui vulgaris adpellatio *Caſtel*
Nuovo. Nihilo minus tamen apud eumdem Livium lib. V, ubi de obſidione agitur
Veiorum, ita Romani loquuntur milites: *Nos intra viceſimum lapidem, in conſpectu pro-*
pe urbis noſtræ, annuam oppugnationem perferre pigebit? Et apud Eutropium ita ſcriptum
eſt lib. I: *Veienteis & Fidenates, quorum alii ſexto milliario abſunt ab urbe Româ, alii octa-*
vodecimo, bello ſuperavit. Et eodem libro poſteà: *Ambæ civitates tam vicinæ Vrbi ſunt,*
ut Fidenæ VII, *Veientes* XVIII *milliaria abſint*. Hinc, puto, quosdam id opidum eſſe *Veios*
exiſtimaſſe, quod, ad XXVIII ab Vrbe lapidem, apud Tiberim amnem vulgò nunc di-
citur *Ponzano*; alios verò ipſam *Civitatem Caſtellanam*, in viâ Flaminiâ, ad XXVIII ab
Vrbe milliarium: amnemque hanc adlabentem *Treiam* eſſe *Cremeram*. quod ipſum
adeò ipſi huius urbis incolæ pro certo credunt, uti etiam lapidi portæ impoſito incidi
curaverint. Huc quoque haud dubiè acceſſit eis & illud argumentum, quòd apud
Livium eodem V libro poſteà, in expeditione M. Furii Camilli, *Veii* poſtponantur
Faliſcis & *Capenatibus*; ceu illi forent omnium remotiſſimi ab Româ. *Profectus*, in-
quit, *ab Vrbe dictator, in agro primùm Nepeſino cum Faliſcis & Capenatibus ſigna confert.*
Non prælio tantùm fudit hoſteis; ſed caſtris quoque exuit; ingentique prædâ eſt potitus.
Inde ad Veios exercitus eſt ductus. At illi, miror, quomodò, vel *Pontianum* vel *Civita-*
tem Caſtellanam Veios eſſe, intelligere potuerint; quando apud Livium *vigeſimus*
tantùm nominatur *lapis*; apud Eutropium verò *octavum decimum milliarium*. Vtrius-
que auctoris exemplaria his locis eſſe corrupta, ſi neque Tabulæ itinerariæ, neque
Plinio, nec ipſi regionis ſitui credimus; en Dionyſius quoque lib. II, πόλις, inquit, ἡ
καλεῖται μὲν Οὐήιοι, ἀπέχει δ᾽ ἀπὸ τῆς Ῥώμης ἀμφὶ τοὺς ἑκατὸν σταδίους. id eſt: *Vrbs, quæ vocatur Veii,*
ab Româ centum circiter ſtadia diſtans. Tot ſtadia millia efficiunt XII cum paſſibus 10.
Apud Livium igitur, ut dixi, vox *duodecimum* corrupta eſt in *viceſimum*. apud Eutro-
pium *duodecimo* in *octavodecimo*. quod poſteriori loco redactum in notas XVIII. Quàm
bonâ fide ac diligentiâ in hoc auctore uſi ſint librarii, patet ſatis ex eo, quòd priore
loco

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

loco *Fidenæ* à Româ abeſſe dicuntur *ſexto milliario*; poſteriori verò *ſeptimo*. In edito etiam colle, ut nunc eſt *Strofanum*, ſitos olim fuiſſe *Veios*, teſtes ſunt Dionyſius atque Livius. quorum hic lib. I, *Vrbe*, inquit, *validâ, muris ac ſitu ipſo munitâ, abstinuit*. Et lib. V: *Veienteis hiemem ſub tectis ſuis agere; egregiè muris ſituque naturali urbem tutanteis*. Dionyſius dicto lib. II etiam magnitudinem indicat. Τρίτος τῷ Ῥωμύλῳ συνέστη πόλεμος πρὸς ἔθνους Τυῤῥηνικοῦ τὴν μέγιστον ἰσχύουσαν τότε πόλιν, ἣ καλεῖται μὲν Οὐήϊοι, ἀπέχει δὲ τῆς Ῥώμης ἀμφὶ τοὺς ἑκατὸν σταδίους· κεῖται δ' ἐφ' ὑψηλοῦ σκοπέλου καὶ περιῤῥῶγος, μέγεθος ἔχουσα ὅσον Ἀθῆναι. Id eſt: *Tertium bellum Romulus geſſit cum Veiis Etruſcorum urbe, tum temporis potentiſſimâ, ab Româ centum circiter ſtadia diſtante. ſita hæc in excelſo & undique abrupto ſaxo, magnitudine exæquat Athenas*. Sic equidem vulgata hactenus exemplaria habent vocabulum Ἀθῆναι. at quis non cum doctiſſimo Glareano miretur, comparationem heic factum *Veiorum* cum *Athenis*: utique, quum poſteà lib. IIII & lib. VIIII veterem Romam ſub Servio Tullio rege cum Athenis comparet Dionyſius: quarum ambitum millia paſſuum XXIII circiter collegiſſe, infrà lib. III cap. II in deſcriptione urbis Romæ patebit. Quis igitur temerè credat, tantæ magnitudinis fuiſſe *Veios*? Et quis ille hoc tractu ὑψηλὸς σκόπελος, id eſt, *excelſus ſcopulus*, ſive *ſublime ſaxum*, ſuper quo uno ſolo tanti ambitus urbs conſiſtere potuerit? Nugæ ſunt. Ego omnino cenſeo, legendum heic eſſe apud Dionyſium, μέγεθος ἔχουσα ὅσον Φιδῆναι. id eſt, *magnitudinem habens quantam Fidenæ*. nam de hac urbe exiguo antè ita ſcripſerat: Ταῦτα διαπραξάμενος ὁ Ῥωμύλος, ἐπὶ τὴν Φιδηναίων ἐστράτευσε πόλιν, ἀπὸ τετταράκοντα σταδίων τῆς Ῥώμης κειμένην, μεγάλην τε καὶ πολυάνθρωπον οὖσαν τότε. Id eſt: *Romulus, his peractis, exercitum contra Fidenas duxit, urbem XL ſtadia à Româ diſſitam; magnam tunc ac populoſam*. Et poſteà lib. III: Οὐεϊεντανοὶ καὶ Φιδηναῖοι, μεγάλας ἔχοντες πόλεις, ἐπὶ μὲν τῆς Ῥωμύλου βασιλείας εἰς πόλεμον ὑπὲρ ἀρχῆς καὶ δυναστείας Ῥωμαίοις κατέστησαν. ἐν ᾧ πολλὰς ἀπολέσαντες δυνάμεις ἀμφότεροι, καὶ χώρας ἀποδασμῷ ζημιωθέντες, ὑπήκοοι τοῖς κεκρατηκόσιν ἠναγκάσθησαν γενέσθαι· περὶ ὧν ἐν τῇ πρὸ ταύτης δεδήλωκα γραφῇ τὸ ἀκριβές. Id eſt: *Veientani & Fidenates, quum magnas haberent urbeis, temporibus Romuli de principatu & poteſtate bello cum Romanis contenderant; victique multis ſuorum deſideratis, & parte agrorum mulctati, coacti fuerant ſe victoribus ſubmittere; ut ſuperiori libro adcuratiùs expoſui*. Cum *Fidenis* igitur comparavit *Veios* Dionyſius; non cum *Athenis*. At de *Veiis* ita tradit Livius lib. II: *Rurſus cum Fabiis erat Veienti populo, ſine ullo maioris belli adparatu, certamen. nec erant incurſiones modò in agros, aut ſubiti impetus incurſantium; ſed aliquoties æquo campo collatisque ſignis certatum. gensque una populi Romani ſæpè ex opulentiſſimâ, ut tum res erant, Etruſcâ civitate victoriam tulit*. Et lib. IIII; de Veiente bello loquens: *Novum bellum cum finitimo populo & potentiſſimo parari, qui omnem Etruriam ſit concitaturus*. Summam tamen eius *opulentiam* indicat poſteà lib. V; quum à M. Furio Camillo dictatore caperetur. *Dictator*, inquit, *quum jam in manibus videret victoriam eſſe; urbem opulentiſſimam capi: tantumque prædæ fore, quantum non omnibus in unum collatis antè bellis fuiſſet; literas ad ſenatum miſit*. Et aliquanto pòſt: *Atque ille dies cæde hoſtium ac direptione urbis opulentiſſimæ eſt conſumptus*. Et iterum: *Hic Veiorum occaſus fuit, urbis opulentiſſimæ Etruſci nominis; magnitudinem ſuam vel ultimâ clade indicantis: quòd decem æſtates hyemesque continuas circumſeſſa, quum plus aliquanto cladium intuliſſet, quàm accepiſſet; poſtremò jam fato quoque urgente: operibus tamen, non vi, expugnata eſt*. Et haud multo pòſt: *Quum pulcherrima urbs Veii agerque Veientanus in conſpectu ſit: uberior ampliorque Romano agro. urbem quoque urbi Romæ vel ſitu vel magnificentiâ publicorum privatorumque tectorum ac locorum præponebant*. Hinc Plutarchus in Romulo: Οὐήϊοι χώραν κεκτημένοι πολλὴν, καὶ μεγάλην πόλιν οἰκοῦντες· id eſt: *Veii, qui latum agrum & amplam incolebant urbem*. Agrum usque ad mare & oſtia Tiberina pertinuiſſe, ex iisdem Dionyſio, Livio, ac Plutarcho diſco. Dionyſius lib. II: Καὶ μετ' οὐ πολὺ Οὐεϊεντανῶν πρεσβείας ἀφικομένης περὶ διαλύσεως τοῦ πολέμου, καὶ συγγνώμην τῶν ἁμαρτημάτων ἀξιούσης λαβεῖν, δίκας ὁ Ῥωμύλος αὐτοῖς ἐπιτίθησι τάσδε· χώραν τε παραδοῦναι Ῥωμαίοις τὴν προσεχῆ τῷ Τιβέρει, τοὺς καλουμένους Ἑπτὰ πάγους, καὶ τῶν ἁλῶν ἀποστῆναι τῶν παρὰ ταῖς ἐμβολαῖς τοῦ ποταμοῦ. Id eſt: *Non multo pòſt legatis Veientanorum veniam & pacem petentibus has pacis leges Romulus præſcripſit mulctæ nomine: Vt agrum Tiberi contiguum, qui Septem pagi vocantur, Romanis traderent; utque Salinis, quæ ſunt ad fluminis oſtia, abſtinerent*. Plutarchus in Romulo; de iisdem Veientibus, bello victis: Οἱ δὲ δεηθέντες, ὁμολογίαν ἐποιήσαντο καὶ φιλίαν εἰς ἔτη ἑκατὸν, χώραν τε πολλὴν προέμενοι τὴν ἑαυτῶν, ἣν Σεπτημάγιον [lege, Σεπτεμπάγιον] καλοῦσιν, ὅπερ ἐστὶν ἑπταμόριον, καὶ τῶν παρὰ τὸν ποταμὸν ἐκστάντες ἀλοπηγέων. Id eſt: *Illi ad preces converſi, fœdus & pacem*

SEPTEM PAGI, *regionis tractus*.

in centum annos fecère. mulctatique ſunt magnâ agri portione, quod Septempagium, id eſt, regionem in VII *portiones diviſam, vocant, & , quæ juxta fluvium ſunt, Salinis.* De iisdem agris ita Livius lib. II; ubi pax componitur inter Romanos & Porſenam, Cluſinorum regem, qui Tarquinios Romam reducere armis tentaverat: *De agro Veientibus reſtituendo impetratum: expreſſaque neceſſitas obſides dandi Romanis, ſi Ianiculo præſidium deduci vellent.* Dionyſius lib. V: Ἐκέλευσε δ' αἰτεῖσθαι τὸν βασιλέα διαλυομένῳ τὴν ἔχθραν τοὺς καλουμένους Ἑπτὰ πάγους. (αὕτη Τυῤῥηνῶν ἡ χώρα τὸ ἀρχαῖον ἦν· Ῥωμαῖοι δ' αὐτὴν κατέσχον πολέμῳ, τοὺς ἔχοντας ἀφελόμενοι·) καὶ ἵνα μένωσι Ῥωμαῖοι Τυῤῥηνοῖς βέβαιοι φίλοι, παῖδας ἐκ τῶν ἐπιφανεστάτων οἴκων τοὺς ὁμηρεύσοντας ὑπὲρ τῆς πόλεως αἰτεῖν παρ' αὐτῶν. Id eſt: *Sibi verò pro pace reddi poſtulare regem Septem pagos, quos vocant: quem agrum olim populus Romanus Etruſcis belli jure ademerat. & , ut Romani in Etruſcorum amicitiâ firmiter permanerent; liberos ſibi è clariſſimis familiis pro republicâ dari obſides.* Paullo pòſt, quum Romani Etruſcos, qui cum Arunte, Porſenæ filio, Ariciam oppugnaverant, & à Cumanis inde fugati fuerant, benignè Romæ excepiſſent, accidit, quod ita refert Dionyſius eodem libro: Ἀνθ' ὧν εὕροντο παρὰ τοῦ βασιλέως αὐτοῦ δωρεὰν οὐ τὴν ἐλαχίστου ἀξίαν, ἀλλ' ἐφ' ᾗ μάλιστα ἥσθησαν, τὴν πέραν τοῦ ποταμοῦ χώραν, ἧς ἀπέστησαν, ὅτε διελύοντο τὸν πόλεμον· καὶ θυσίας ἀπέδωκαν τοῖς θεοῖς ἀπὸ χρημάτων πολλῶν, ἃς εὔξαντο γενόμενοι πάλιν τῶν Ἑπτὰ πάγων κύριοι, συντελέσειν. Id eſt: *Eam benignitatem rependit rex munificentiâ populo longè gratiſſimâ, largitus Transtiberinum agrum, quo ceſſerant, quum pacem cum rege facerent. quamobrem diis magno impendio perſoluta ſunt ſacrificia; quæ voverant, ſi Septem pagos recuperarent.* Eadem hæc Livius eodem libro poſteà, de Porſenâ loquens: *Dictis facta amiciora adjecit: obſidum quod reliquum erat, reddidit. agrum Veientem, fœdere ad Ianiculum icto ademptum, reſtituit.* Fuêre igitur SEPTEM hi PAGI, ſive, ut Plutarchus compoſito vocabulo vocavit, SEPTEMPAGIVM, inter Veios & mare Tiberimque & Aronem flumen, quod è Sabatino lacu profluit. ultra id flumen jam Cæritum erant fines. *Opida* ſive *caſtella* complura in his Veientium agris fuiſſe, auctor eſt Dionyſius lib. III, in rebus geſtis regis Anci Marcii. Δευτέρῳ δ' ὕστερον ἔτει, inquit, πάλιν τῶν Οὐιεντανῶν καταλυσάντων ἃς ἐποιήσαντο πρὸς αὐτὸν ἀνοχάς, καὶ τὰς ἄλλας ἀξιούντων ἀπολαβεῖν πόλεις, ὧν ἐπὶ Ῥωμύλου βασιλέως καθ' ὁμολογίας ἀπέστησαν, ἑτέραν τίθεται πρὸς αὐτοὺς μάχην περὶ τὰς Ἅλας, μείζονα τῆς προτέρας, ἣν εὐπετῶς ἐνίκησε· καὶ τὰς ἄλλας πόλεις ἐξ ἐκείνου κατεῖχεν ἀναμφιλόγως. Hoc eſt: *Poſt biennium Veientanis rurſum violantibus inducias, & repetentibus opida, quibus ſub Rumulo ex pacto exceſſerant; maiore, quàm anteà, prælio cum eis ad Salinas conflixit: & , victoriam facili negotio adeptus, cætera exinde opida ſine controverſiâ retinuit.* Tanta igitur quum fuerit Veientium potentia; haud dubiè & ipſi inter XII principes Etruriæ populos connumerati fuêre. Patet hoc haud obſcurè ex eorumdem Dionyſii ac Livii hiſtoriis. Livius lib. II: *Tarquinius, poſtquàm dolo viam obſeptam vidit, bellum apertè moliendum ratus; circuire ſupplex Etruriæ urbeis; orare maximè Veienteis Tarquinienſisque, ne ſe, ortum eiusdem ſanguinis, extorrem, egentem ex tanto modò regno, cum liberis adoleſcentibus ante oculos ſuos perire ſinerent.* Mox: *Ita duo duarum civitatum exercitus ad repetendum regnum belloque perſequendos Romanos ſequuti Tarquinium.* Et clariùs lib. IIII: *Trepidatum in Etruriâ eſt poſt Fidenas captas; non Veientibus ſolùm exterritis, metu ſimilis excidii; ſed etiam Faliſcis, memoriâ initi primò cum iis belli: quamquàm rebellantibus non adfuerant. Igitur quum duæ civitates, legatis circa* XII *populos miſſis, impetraſſent, ut ad Voltumnæ fanum indiceretur omni Etruriæ concilium; velut magno inde tumultu imminente, ſenatus Mamercum Aemilium dictatorem iterum dici juſſit. ab eo A. Poſthumius Tubertus magiſter equitum eſt dictus. bellumque tanto maiore, quàm proximo, conatu adparatum eſt, quanto plus erat ab omni Etruriâ periculi, quàm ab duobus populis fuerat.* Et initio lib. V: *Pace alibi partâ, Romani Veiique in armis erant.* Mox: *Veientes, tædio annuæ ambitionis, quæ interdum discordiarum cauſa erat, regem creavêre. Offendit ea res populorum Etruriæ animos, non maiore odio regni, quàm ipſius regis. gravis jam is anteà genti fuerat opibus ſuperbiâque; quia ſolennia ludorum, quos intermitti nefas eſt, violenter diremiſſet: quum ob iram repulſæ, quòd ſuffragio* XII *populorum alius ſacerdos ei prælatus eſſet, artifices, quorum magna pars ipſius ſervi erant, ex medio ludicro repentè abduxit. Gens itaque ante omneis alias eò magis dedita religionibus, quòd excelleret arte colendi eas, auxilium Veientibus negandum, donec ſub rege eſſent, decrevit.* Sic & Dionyſius lib. IIII: Μετὰ δὲ τὴν Ταρκυνίου τελευτὴν αἱ παραδοῦσαι τὴν ἡγεμονίαν ἐκείνῳ πόλεις οὐκέτι φυλάττειν ἐβούλοντο τὰς ὁμολογίας, Τυλλίῳ τε οὐκ ἠξίουν, [illegible] ὑπακούειν. ἦρξαν δὲ τῆς ἀποστάσεως οἱ καλούμενοι Οὐιεντανοί. * . ἀρξάντων δὲ τούτων, Καιρητανοί

Ἐκεί τε ἠχθέσθησαν τῷ Ταρκυνίῳ· καὶ τελευτῶσαι ἐν ὅπλοις ἦν ἅπασα ἡ Τυῤῥηνία. * . * . Εἰκοστῷ δ' αὖ ἔτει συνελθοῦσαι πάλιν αἱ δώδεκα πόλεις, ἐξανηλωμέναι τῷ πολέμῳ τά τε σώματα καὶ τὰ χρήματα, γνώμην ἔσχον παραδοῦναι Ῥωμαίοις τὴν ἡγεμονίαν. * . * . Τύλλιος δὲ καταλύεται τὸν πρὸς αὐτοὺς πόλεμον, ταῖς μὲν ἄλλαις πόλεσι πολιτεύεσθαι ἀποδοὺς, ὡς πρότερον· τρεῖς δὲ ἐξ αὐτῶν πόλεις, αἳ πρῶται ἐξανέστησαν τε καὶ τὰς ἄλλας ὑπηγάγοντο κατὰ Ῥωμαίων ἐξενεγκεῖν τὸν πόλεμον, ταύτας ἀφαιρέσει χώρας τιμωρησάμενος. Hoc eſt: *Defuncto Tarquinio, civitates, quæ ſe illius imperio ſubmiſerant, nolebant ampliùs ſtare fœderis condicionibus; dedignatæ parère Tullio, homini obſcuris orto natalibus. Initium autem defectionis à Veientanis ortum eſt. hos auctores ſequuti ſunt Cæretani ac Tarquinienſes. poſtremò in armis fuit tota Etruria.* Paullo pòſt: *Vigeſimo denique anno coactæ rurſus in concilium* XII *urbes, conſumptis bello viris pariter ac pecuniis, decreverunt Romanis principatum tradere.* Mox: *Tullius pacem eis dat; cæteris quidem permittens, ut ſuo jure vivant; at treis urbeis, quæ primæ defecerant, cæteraſque ad bellum Romanum concitaverant; Cæretanos ſcilicet, Tarquinienſeis, ac Veientanos, parte agrorum mulctans.* Et lib. VIIII: Τυῤῥηνῶν γὰρ αἱ μὴ μετασχοῦσαι τῆς εἰρήνης ἕνδεκα πόλεις, ἀγορὰν ποιησάμεναι κοινὴν, κατηγόρουν τοῦ Οὐιεντανῶν ἔθνους, ὅτι τὸν πρὸς Ῥωμαίους πόλεμον οὐ μετὰ κοινῆς γνώμης καταλύσαιντο. Hoc eſt: *Nam Etruſcorum* XI *populi, qui pacis huius non erant participes, coacto gentis concilio, Veienteis accuſabant, quòd inconſultis cæteris pacem cum Romanis feciſſent.* Ex hac igitur dignitate antiquiſſima *Veiorum* origo colligi poteſt: ut quæ & ipſa cum reliquis principibus Etruriæ urbibus CCC circiter ante bellum Troianum annis, quum Pelaſgi Tyrrheni hac regionem occupaſſent, conſtituta eſt. Quum Romani ad Alliam flumen, ut ſuprà ex Livii lib. V citatum, à Gallis fuſi fugatique eſſent, plurima pars eorum huc incolumis, trajecto Tiberi, confugit. quumque urbs Roma ab iiſdem Gallis capta atque incenſa eſſet; *agitarunt*, ut inquit ibidem Livius, *tribuni plebem adſiduis concionibus, ut; relictis ruinis, in urbem paratam Veios transmigrarent. Sed rem dubiam decrevit opportunè vox emiſſa; quòd, quum ſenatus pòſt paullo de his rebus in curiâ Hoſtiliâ haberetur, cohorteſque ex præſidiis revertentes fortè agmine forum transirent, centurio in comitio exclamavit; Signifer, ſtatue ſignum: heic manebimus optimè. Qua voce auditâ; & ſenatus, accipere ſe omen, ex curiâ egreſſus, conclamavit; & plebs circumfuſâ adprobavit.* Memoratur hinc eidem Livio lib. XXXII, in conſulatu Sex. Aelii Pæti Cati & T. Quinctii Flaminini, anno Vrbis IↃLIIII. *De cælo*, inquit, *tacta erat via publica Veiis. Coloniam* huc aliquando Romanorum fuiſſe deductum, patet ex Frontini libro de Coloniis. *Colonia*, inquit, *Veiens, priusquàm oppugnaretur, ager eius militibus eſt adſignatus ex lege Iuliâ. poſteà deficientibus his, ad Vrbanam civitatem adſociandum cenſuerat divus Auguſtus.* Defecerunt coloni poſtquàm ipſum defecerat opidum, bellis civilibus exhauſtum. qua de re ita Lucanus lib. VII, pugnam Pharſalicam inter Pompeium Cæſaremque canere occipiens:

Ergo utrimque pari concurrunt agmina motu
Irarum. metus hos, regni ſpes excitat illos.
Hæ facient dextræ, quidquid non expleat ætas
Vlla; nec humanum reparet genus omnibus annis,
Vt vacet à ferro. genteis Mars iſte futuras
Obruet; & populos ævi venientis in orbem,
Erepto natale, feret. tunc omne Latinum
Fabula nomen erit. Gabios Veioſque Coramque
Pulvere vix tectæ poterunt monſtrare ruinæ:
Albanoſque lareis Laurentinoſque penateis,
Rus vacuum; quod non habitet, niſi nocte coactâ
Invitus, queſtuſque Numam juſſiſſe, ſenator.
Non ætas hæc carpſit edax, monumentaque rerum
Putria. deſtituit crimen civile. Videmus
Tot vacuas urbeis. generis quò turba redacta eſt
Humani? toto populi qui naſcimur Orbe,
Nec muros implere viris, nec poſſumus agros.
Vrbs nos una capit. vincto foſſore coluntur
Heſperiæ ſegetes. ſtat tectis putris avitis
In nullos ruitura domus. nulloque frequentem
Cive ſuo Romam, ſed Mundi fece repletam,

Cladis eò dedimus, ne tanto in tempore bellum
Iam poſſet civile geri. Pharſalia tanti
Cauſa mali. cedant feralia nomina, Cannæ,
Et damnata diu Romanis Allia faſtis.

Inter *vacuas viris urbeis Veios* quoque recenſet. hinc & Propertius lib. IIII eleg. XI:

Coſſus at inſequitur Veientis cæde Tolumnî;
Vincere quum Veios poſſe laboris erat;
Necdum ultra Tiberim belli ſonus; ultima præda
Nomentum & captæ jugera terna Coræ.
Et Veii veteres & Volſcum regna fuiſtis;
Et veſtro poſita eſt aurea ſella foro.
Nunc intra muros paſtoris buccina lenti
Cantat: & in veſtris oſſibus arva metunt.

Hinc tandem Florus lib. I cap. XII: *Veïentium quanta res fuerit, indicat decennis obſidio. ſpolia de Larte Tolumnio rege ad Feretrium reportata. denique non ſcalis, nec irruptione, ſed cuniculo & ſubterraneis dolis peractum urbis excidium. ea denique viſa eſt prædæ magnitudo, ut eius decimæ Apòllini Pythio mitterentur: univerſusque populus Romanus ad direptionem urbis vocaretur. Hoc tunc Veientes fuère. nunc, fuiſſe, quis meminit? quæ reliquiæ? quodve veſtigium? Laborat annalium fides, ut Veios fuiſſe credamus.* Fuiſſe tamen circa Flori tempora quasdam *reliquias* atque *veſtigium*, patet ex prædicti Frontini libro de Coloniis; ubi ita ſcriptum eſt: *Colonia Veiens priusquàm oppugnaretur, ager eius militibus eſt adſignatus ex lege Iuliâ. poſteà deficientibus his, ad Vrbanam civitatem adſociandum cenſuerat divus Auguſtus. nam variis temporibus & à divis imperatoribus agri ſunt adſignati. cuius ratio ſic oſtenditur: Circa opidum Veios ſunt naturæ locorum, quæ vicem limitum ſervant.* Hinc etiam poſt & Frontinum & Florum auctor Tabulæ itinerariæ *Veios* ſuprà ſcripto itineri, inter *Romam* & *Nepe*, inſeruit. Fuit igitur etiam tum opidi eius nomen in tenui licèt veſtigio. Atque hæc quidem de ipſo opido hactenus dicta ſunto. Vocabulum eius apud omneis equidem Latinos auctores rectè ſcriptum legitur plurali numero VEII. in quo E eſſe longum, modò è Propertio ac Lucano intelleximus. quorum heic etiam lib. V ita canit:

—— *Tarpeiâ ſede peruſtâ*
Gallorum facibus, Veiosque habitante Camillo,
Illic Roma fuit.

At apud Græcos auctores variè id corruptum eſt. Apud Diodorum lib. XIIII legitur primò bis Βοΐους, mox Οὐεξίων, atque iterum quater Βοΐους, pro Βηΐους & Βηΐων, ſive Οὐηΐων· quamquàm variationem hanc literæ B in ΟΥ non auctoris, ſed exſcriptorum eſſe judicaverim. Sic apud Plutarchum in Camillo aliquoties eſt vocabulum Βηΐων· ſed ibidem tandem ſequitur Οὐηΐοι, ut ſæpius occurrit in Romulo, & item in quæſtionibus Romanis. *Opidani* inde Latinis auctoribus, præter ſuprà citatos, Livium, Propertium, & Florum, aliis etiam ſunt VEIENTES: ut Ciceroni Tuſcalanar. quæſtion. lib. III, Velleio Paterculo lib. I, Valerio Maximo lib. I cap. VI. At Plutarcho in Romulo ac Poplicolâ promiſcuè modò *opidum* dicitur Οὐήϊοι, *Veii*, modò ipſi *opidani*: qui Dionyſio Halicarnaſſenſi frequentiſſimi ſunt Οὐεϊεντανοὶ, VEIENTANI. quod equidem vocabulum Plutarcho etiam ſcriptum erat in Camillo; ubi nunc legimus corruptum Οὐεντανούς. Sed Latinis quoque auctoribus poſſeſſivum vocabulum eſt *Veientanus*. ſic quidpe Valerio Maximo lib. I cap. V *Veientana* dicitur *urbs*, & lib. IIII cap. I. *Veientanus triumphus*; Plinio lib. XXXVII cap. X *Veientana Italica gemma, Veiis reperta*; Martiali lib. II epigram. LIII *Veientana uva*; Livio lib. V, *Veientana arx*, *Veientana præda*, & *Veientanus ager*: qui Ciceroni in oratione pro Sex. Roſcio Amerino, & Horatio lib. II epiſt. II, Plinioque lib. II cap. XCVI & lib. III cap. V, ſed & ipſi Livio lib. VI, dicitur *Veiens ager*: ut eidem quoque auctori paſſim *Veiens bellum*. Propertio autem ſuprà dicto lib. IIII eleg. XI eſt *Veius dux*, hoc verſu: *Fortè ſuper portæ dux Veïus adſtitit arcem.*

CREMERA *flumen.*

Sed quæ ad opidum *Veios* derivataque vocabula pertinebant, ſatis hactenus explicata ſunt. Nunc reliqua etiam agri Veientani loca explicentur.

CREMERA *fluvius*, agrum Veientem perfluens, memoratur Livio, Dionyſio Halicarnaſſenſi, atque Ovidio: omnibus in hiſtoriâ trecentûm ſex Fabiorum à Veien-

Veientibus ad eum cæſis. Ovidius Faſtor. lib. II memoriam huius cladis Idibus Februariis cultam fuiſſe narrat his verbis:

Idibus agreſtis fumant altaria Fauni,
Heic, ubi diſcretas inſula rumpit aquas.
Hæc fuit illa dies, in qua Veientibus armis
Ter centum Fabii ter cecidère duo.
Vna domus vireis & onus ſusceperat urbis:
Sumunt gentiles arma profeſſa manus.
Egreditur caſtris miles generoſus ab iſdem,
E quîs dux fieri quilibet aptus erat.
Carmentis portæ dextrâ eſt via proxima Iano:
Ire per hanc noli, quisquis es: omen habet.
Illâ, fama refert, Fabios exiſſe trecentos.
Porta vacat culpâ; ſed tamen omen habet.
Vt celeri paſſu Cremeram tetigère rapacem;
(Turbidus hibernis ille fluebat aquis)
Caſtra loco ponunt. diſtrictis enſibus ipſi
Tyrrhenum valido Marte per agmen eunt:
Non aliter, quàm, quum Libycâ de gente leones
Invadunt ſparſos lata per arva greges,
Diffugiunt hoſtes; inhoneſtaque vulnera tergo
Accipiunt: Tuſco ſangvine terra rubet.
Sic iterum, ſic ſæpè cadunt. Vbi vincere apertè
Non datur; inſidias armaque tecta parant.
Campus erat: campi claudebant ultima colles;
Silvaque montanas occulere apta feras.
In medio paucos armentaque rara relinquunt.
Cætera virgultis abdita turba latet.
Ecce; velut torrens, undis pluvialibus auctus,
Aut nive, quæ Zephyro victa repentè fluit,
Per ſata perque vias fertur; nec, ut antè ſolebat,
Riparum clauſas margine finit aquas:
Sic Fabii vallem latis diſcurſibus implent:
Quodque vident, ſternunt. nec metus alter ineſt.
Quò ruis, generoſa domus? malè creditur hoſti.
Simplex nobilitas perfida tela cave.
Fraude perit virtus. In apertos undique campos
Proſiliunt hoſtes: & latus omne tenent.
Quid faciant pauci contra tot millia fortes?
Quidve, quod in miſero tempore reſtet, adeſt?
Sicut aper, longè ſilvis latrantibus actus,
Fulmineo celeres diſſipat ore canês:
Mox tamen ipſe: ſic non moriuntur inulti:
Vulneraque alternâ dantque feruntque manu.
Vna dies Fabios ad bellum miſerat omneis.
Ad bellum miſſos perdidit una dies.

Eamdem hiſtoriam recenſet Livius lib. II his verbis: *Infelici viâ dextro Iano portæ Carmentalis profecti, ad Cremeram flumen perveniunt: is opportunus viſus locus communiendo præſidio. Et donec nihil aliud, quàm in populationibus, res fuit, non ad præſidium modò tutandum Fabii ſatis erant; ſed totâ regione, quà Tuſcus ager Romano adjacet, ſua tuta omnia, infeſta hoſtium, vagantesque per utrumque finem, fecêre. Intervallum deinde haud magnum populationibus fuit; dum & Veientes, adcito ex Etruriâ exercitu, præſidium Cremeræ oppugnant; & legiones, ab L. Aemilio conſule adductæ, comminus cum Etruſcis dimicant acie. quamquàm vix dirigendi aciem ſpacium Veientibus fuit: adeò inter primam trepidationem, dum poſt ſigna ordines introeunt, ſubſidiaque locant; invecta ſubitò ab latere Romana equitum ala, non pugnæ modò incipiendæ, ſed conſiſtendi ademit locum. Ita fuſi retro ad Saxa rubra, (ibi caſtra habebant) pacem*

ſupplices petunt. cuius impetratæ ab inſitâ animis lenitate, ante deductum Cremerâ Romanum præſidium pœnituit. Rurſus cum Fabiis erat Veienti populo, ſine ullo maioris belli adparatu, certamen. Nec erant incurſiones modò in agros, aut ſubiti impetus incurſantium; ſed aliquoties æquo campo collatisque ſignis certatum. gensque una populi Romani ſæpe ex opulentiſſimâ, ut tum res erant, Etruſcâ civitate victoriam tulit. Id primò acerbum indignumque Veientibus viſum. inde conſilium ex re natum, inſidiis ferocem hoſtem captandi. gaudere etiam, multo ſucceſſu Fabiis audaciam creſcere. Itaque & pecora prædantibus aliquoties, velut caſu incidiſſent, obviam acta; & agreſtium fugâ vaſti relicti agri; & ſubſidia armatorum, ad arcendas populationes miſſa, ſæpius ſimulato, quàm vero, pavore refugerunt. Iamque Fabii adeò contempſerant hoſtem, ut ſua invicta arma neque loco neque tempore ullo crederent ſuſtineri poſſe. Hæc ſpes adeò provexit, ut ad conſpecta procul à Cremerâ, magno campi intervallo, pecora, quamquàm rara hoſtium adparebant arma, decurrerent. Et quum improvidi effuſo curſu inſidias, circa ipſum iter locatas, superaſſent; palatique paſſim vagâ, ut fit, pavore injecto raperent pecora; ſubitò ex inſidiis conſurgitur. & adverſi & undique hoſtes erant. Primò clamor circumlatus exterruit. dein tela ab omni parte accidebant. coëuntibusque Etruſcis, jam continenti agmine armatorum ſepti, quo ſe hoſtis inferebat, cogebantur breviore ſpacio & ipſi orbem colligere. quæ res & paucitatem eorum inſignem & multitudinem Etruſcorum, multiplicatis in arcto ordinibus, faciebat. Tum omiſſâ pugnâ, quam in omneis parteis parem intenderant, in unum ſe locum omnes inclinant. eò nixi corporibus armisque, rupêre cuneo viam. duxit via in editum leniter collem. inde primò reſtitêre. mox, ut reſpirandi ſuperior locus ſpacium dedit, recipiendique à pavore tanto animum; pepulêre etiam ſubeunteis. vincebatque auxilio loci paucitas; ni jugo circummiſſus Veiens, in verticem collis evaſiſſet. ita ſuperior rurſus hoſtis factus: Fabii cæſi ad unum omnes; præſidiumque expugnatum. trecentos ſex periſſe, ſatis convenit. Ad ipſum flumen *Cremeram* atque præſidium cladem hanc factam eſſe, oſtendit idem Livius lib. VIIII, his verbis: *Clade, quæ ad Cremeram accepta eſt.* Idem teſtatur & lib. VI; die etiam cladis expreſſo. *Tum de diebus*, inquit, *religioſis agitari cœptum. diemque ad* XV *Calendas Sextileis, duplici clade inſignem, (quo die ad Cremeram Fabii cæſi; quo deinde ad Alliam cum exitio Vrbis fœdè pugnatum) à poſteriore clade Allienſem adpellaverunt; inſignemque rei nulli publicè privatimque agendæ fecerunt.* Miror igitur, cur Ovidius, eiusdem ævi cum Livio auctor, Idibus Februarii eam cladem factam tradit; ut ſuprà intelleximus. Eamdem cladis hiſtoriam Dionyſius quoque lib. VIIII copioſiore narrat oratione. ex qua hæc tantùm ad ſitum *Cremeræ* indicandum attuliſſe, ſufficiet: Γενόμενοι δὲ ἐπὶ ποταμοῦ Κρεμέρα πλησίον, ὃς οὐ μακρὰν ἀπέχει τῆς Οὐεϊεντανῶν πόλεως, ὑπὲρ ὄχθου τινὸς ἀποτόμου καὶ περιρρῶγος ἀπετείχιζον αὐτοῖς φρούριον, ἱκανὸν φυλάττεσθαι τοσαύτην στρατιάν, τάφρους τε ὀρυξάμενοι περὶ αὐτὸ διπλᾶς, καὶ πύργους ἐγείραντες συχνούς. καὶ ὠνομάσθη τὸ φρούριον ἐπὶ τοῦ ποταμοῦ Κρεμέρα. Id eſt: *Quum perveniſſent prope flumen Cremeram, quod non longè à Veientanorum urbe abeſt; caſtellum pro copiarum numero in tumulo quodam prærupto communierunt, duplicique foſſâ & crebris turribus incinxerunt. cui de flumine nomen inditum Cremera.* Patet ex hac Dionyſii juxtà ac Livii oratione, CREMERAM *amnem*, inter Romam & Veios, nullum alium fuiſſe, quàm qui, ex Baccanenſi lacu profluens, vulgari nunc vocabulo *La Varca*, ſive *La Valca*, V millia paſſuum à Româ in Tiberim ſeſe effundit. nam qui infra hunc paullo ſupra Anienis (hic nunc eſt *Teverone*) confluentem in Tiberim confluit, propiùs Romam eſt, longiúsque à Veiis ſive Scrofano abeſt, quàm uti in eum illud Dionyſii οὐ μακρὰν congruere poſſit. ſupra autem Varcam alter amnis, VI millia paſſuum à Româ in Tiberim apud vicum Primam portam influens, vulgari adpellatione *La Foſſa*, tam propinquus eſt Scrofano, uti in eum minimè coveniat illud Livii, *Ad conſpecta procul à Cremerâ, magno campi intervallo, pecora decurrerunt.* At *Varca* tria paſſuum millia à Scrofano abeſt. tum interjecti ſunt inter utrumque ſpacioſi *campi*, in quos *pecora* Veientes abegerunt. CREMERAM verò *caſtellum* citra flumen id fuiſſe; non in ripâ; ſed prope; ex eâdem liquet Dionyſii narratione. ex Livio autem manifeſtum fit, fuiſſe id circa ipſam viam, qua ab urbe Româ ibatur Veios: nempe circa confluentem Varcæ & amniculi, qui ab opido Formello defluit. quidpe diſertè tradit Livius, à Cremeræ caſtelli oppugnatione retroceſſiſſe Veienteis in caſtra ſua *ad Saxa rubra*. De cætero apud eumdem Livium lib. XIII ita ſcriptum eſt: *Lanuvii claſſis magna*

ſpecies

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

ſpecies in cœlo viſæ dicebantur; & Priverni lana pulla terrâ enata; & in Veienti apud Rementem lapidatum. Locus ne fuerit in Veienti agro nomine *Remens*, an Livius ſcripſerit *apud Cremeram*, nemo facilè dixerit.

At in eodem Veienti agro MAESIA fuit SILVA, eidem Livio ac Plinio memerata. quorum ille lib. I, de Anco Marcio loquens; *Nec urbs tantùm hoc rege crevit: ſed etiam ager ſineſque. ſilva Mæſia Veientibus adempta. usque ad mare imperium prolatum: & in ore Tiberis Oſtia urbs condita: ſalinæ circà factæ.* Plinius lib. VIII cap. LVIII: *In Mæſiâ ſilvâ Italiæ non niſi in parte reperiuntur hi glires.* Hæc ſilva quamquàm nullo certo documento oſtendi poſſit; tamen plerisque putatur fuiſſe eodem tractu, ubi apud Baccanum caſtellum & Baccanellum vicum Cremeramque amnem nunc eſt ſilva vulgari adpellatione *Il Boſco di Baccano*. MAESIA *ſilva.*

Porrò reliquum iter à Nepete opido ad Ameriam, opidum Vmbriæ, ita in ſuprà dictâ Tabulâ itinerariâ conſignatum eſt:

Nepe	
Faleros	V.
Caſtello. amerino	XII.
Ameria	VIIII.

Quamvis apud Pompeium Feſtum quoque legatur FALERI *opidum*, tribus ſyllabis; unde heic obliquus caſus in Tabulâ fuerit *Faleros*: tamen incertum eſt, ſcripſerintne ita ipſi hi auctores; an verò quatuor ſyllabis, ut reliqui habent omnes, οἱ Φαλέριοι, FALERII; & nonnulli Græci ſingulari numero τὸ Φαλέριον, FALERIVM. unde *opidani* iisdem Græcis Φαλέριοι, FALERII: quemadmodùm à *Veiis* etiam opidani fuêre Οὐήϊοι, *Veii*, & in Brutio agro, ut ſuo loco videbimus, à *Locris* Λόκροι, *Locri*; à *Thuriis* item Θούριοι, *Thurii*. At Latinis auctoribus *Faleriorum* opidi totiusque huius agri *incolæ* dicuntur FALISCI: & ipſe item *ager Faliſcus*. quo vocabulo etiam Græci interdum in opidanis utuntur. aliis verò inde ipſum etiam opidum dictum eſt Φάλισκον, FALISCVM. Hinc Stephani epitomator: Φαλέριον, ὡς Βυζάντιον, πόλις Τυῤῥηνίας. τὸ ἐθνικὸν Φαλέριος. Id eſt: *Falerium, ut Byzantium, opidum Etruriæ. gentilitium inde Falerius.* Nam à *Byzantio* etiam opidani dicebantur Βυζάντιοι, *Byzantii*; teſtimonio cùm ipſius Stephani, tum aliorum paſſim auctorum. Idem Stephani epitomator paullo pòſt: Φαλίσκος, πόλις Ἰταλίας, ἄποικος Ἀργείων· καὶ Φαλίσκοι οἱ οἰκήτορες. Id eſt: *Faliſcus, opidum Italiæ, Argivorum colonia: & Faliſci incolæ.* Hinc Diodorus lib. XIIII: Κατὰ δὲ τὴν Ἰταλίαν Ῥωμαῖοι Φαλίσκον πόλιν ἐκ τοῦ Φαλίσκων ἔθνους ἐξεπόρθησαν. Id eſt: *In Italiâ Romani Faliſcum, gentis Faliſcæ urbem, expugnarunt.* Vbi tamen in vulgatis hactenus exemplaribus legitur, Φιλίσκον πόλιν ἐκ τοῦ Φαλαικῶν ἔθνους· *Filiſcum urbem, gentis Falæcorum.* quorum hoc maximè vocabulum corruptum eſſe, ex paullo pòſt ſubſequentibus patet; ubi ita ſcriptum: Ῥωμαῖοι πρὸς Φαλίσκους εἰρήνην ἐποίησαν· *Romani cum Faliſcis pacem firmarunt.* Et lib. XVI: Ῥωμαίοις πρὸς Φαλίσκους συνέστη πόλεμος· *Romanis cum Faliſcis bellum exortum.* Et mox: Καταδρομαὶ δὲ καὶ πορθήσεις τῆς χώρας τῶν Φαλίσκων ἐγένοντο· id eſt: *Incurſionibus ager Faliſcorum devaſtatus eſt.* Sed Stephanus haud dubiè duo diverſa intellexit opida *Falerium* atque *Faliſcum*; quemadmodùm Strabo etiam ac Solinus. quorum hic cap. VIII, *Quis ignorat*, inquit, *condita eſſe, Agyllam à Pelaſgis; ab Haleſo Argivo, Phaliſcam; à Phalerio Argivo, Phalerios; Feſcennium quoque ab Argivis.* Apud Strabonem lib. V ita ſcriptum eſt: Ἐν δὲ τῇ μεσογαίᾳ πόλεις, Ἀῤῥήτιον καὶ Περουσία καὶ Οὐολσίνιοι καὶ Σούτριον· πρὸς δὲ ταύταις πολίχναι συχναί, Βλήρα τε καὶ Φερεντῖνον καὶ Φαλέριον καὶ Φαλίσκον καὶ Νεπῆτα καὶ Στατωνία, καὶ ἄλλαι πλείους. Ἔνιοι δ᾽ οὐ Τυῤῥηνούς φασι τοὺς Φαλερίους, ἀλλὰ Φαλίσκους ἴδιον ἔθνος τινές, καὶ τὴν Φαλίσκους πόλιν ἰδιόγλωσσον· οἱ δ᾽ οἰακοῦ συμβαλίσκον λέγουσιν, ἐπὶ τῇ Φλαμινίᾳ ὁδῷ κείμενον, μεταξὺ Ὀχηκλῶν καὶ Ῥώμης. Huius loci poſteriorem partem miſerum in modum vitiatam, jam ante me viri doctiſſimi reſtituere conati, iſtud quidem Ὀχηκλῶν in Ὀκρικλῶν rectè correxerunt: quidpe Flaminia via, ut ſuprà dictum, per Saxa rubra atque Ocriculos ferebat ad Narniam & Interamnam, aliaque hinc Vmbriæ opida, ad Arimiuum verſùs. illud verò, οἱ δ᾽ οἰακοῦ συμβαλίσκον, in οἱ δ᾽ Αἴκυον Φαλίσκον verti, minùs placet. Virgilio atque Silio AEQVI cognominantur FALISCI. quorum ille Aeneid. lib. VII ita ait: FALERII, *colonia; cuius incolæ* FALISCI.

Hi

Hi Feſcenninas acies æquosque Faliſcos,
Hi Soractis habent arceis Flavinaque arva,
Et Cimini cum monte lacum, lucosque Capenos.

Et Silius lib. VIII:

Hos juxta Nepeſina cohors æquique Faliſci,
Quique tuos Flavina focos, Sabatia quique
Stagna tenent, Ciminique lacum, qui Sutria tecta
Haud procul, & ſacrum Phœbo Soracte frequentant.

Ad Virgilii locum ita Servius: *Aequos dicit, id eſt juſtos, quia populus Romanus, miſſis decemviris, ab ipſis jura fecialia & nonnulla ſupplementa* XII *tabularum accepit; quas ab Athenienſibus habuerant.* Hinc, quum *Aequi* populi, Latinis Hernicisque contermini, alio vocabulo etiam *Aequani* dicerentur; Silius lib. V ductorem in acie Romanâ ad Traſumenum lacum fingit à monte Faliſci agri Soracte, in quo colebatur Apollo, nomine *Aequanum*, in his verſibus:

Tum Soracte ſatum, præſtantem corpore & armis,
Aequanum noſcens, (patrio cui ritus in arvo,
Quum pius arcitenens adcenſis gaudet acervis,
Exſta ter innocuos latè portare per igneis)
Sic in Apollineâ ſemper veſtigia prunâ
Inviolata teras; victorque vaporis ad aras
Dona ſerenato referas ſolennia Phœbo;
Concipe, ait, dignum factis, Aequane, furorem
Vulneribusque tuis.

Sed idem Servius poſteà ad Aeneid. lib. X, & item Livius lib. I, auctorque de Viris illuſtribus, ab ipsâ *Aequanorum*, ſive, ut aliàs vocabantur, *Aequiculorum* ſeu *Aequorum* gente Ancum Marcium jus fecialium accepiſſe tradunt. quod Dionyſius Halicarnaſſenſis lib. II dubitat, ab *Aequiculis*, an ab *Ardeatibus*, ut nonnulli tradiderant, habuerint Romani: quamquàm & ipſe lib. I, ut mox infrà videbimus, Faliſcis id tribuat pro peculiari ac maximo inter alia documento, ab Argivis eos eſſe ortos. Nec veri eſt ſimile, gentem *Aequorum* nullum aliud habuiſſe inter Italiæ populos nomen, niſi quòd à Romanis, poſt acceptum inde jus feciale, eis inditum. Vt igitur opidanos à *Faleriis* opido omneisque eius agri incolas adpellarunt *Aequos Faliſcos*; ſic etiam ipſum opidum dixêre AEQVVM FALISCVM. quod Strabo præſcripto loco haud dubiè Latinâ formatione ſcripſit Αἰκουμφαλίσκουμ. quemadmodùm eodem libro anteà, in deſcriptione regionis Circumpadanæ, opidum *Novum Comum* Græcis characteribus expreſſit Νοβουμκώμουμ. Reliqua verba ita reſtituere coner: Ἔνιοι δ᾽ οὐ Τυῤῥηνούς φασι τοὺς Φαλερίους, ἀλλὰ Φαλίσκους ἴδιον ἔθνος εἶναι καὶ ἰδιόγλωσσον, καὶ τοὺς Φαλερίους πόλιν αὐτῶν. οἱ δ᾽ Αἰκουμφαλίσκουμ λέγουσιν, ἐπὶ τῇ Φλαμινίᾳ ὁδῷ κείμενον, μεταξὺ Ὀκρικλῶν καὶ Ῥώμης. Totum hinc locum ſic verto: *In mediterraneo urbes ſunt, Aretium, Peruſia, Vulſinium, & Sutrium: præterque has crebra opidula, Blera, Ferentinum, Faleriumque & Faliſcum, Nepita, ac Statonia, aliaque complura. Quidam verò negant Falerios eſſe Etruſcos: ſed Faliſcos peculiarem eſſe gentem, peculiari utentem linguâ; urbemque eorum Falerios: quam nonnulli Aequum Faliſcum vocant, in viâ Flaminiâ ſitam, inter Ocriculos & Romam.* Patet igitur ex his ſimul atque ex præſcriptis Solini Stephanique verbis, variam ac dubiam inter geographos de iſtis nominibus fuiſſe famam; aliis duo diverſa ſtatuentibus opida; aliis gentem *Faliſcos*, urbem verò eorum *Falerios*. Verùm Romanis, XXX circiter inde diſtantibus millia paſſuum, urbem ſemper adpellatam fuiſſe *Falerios*, gentem autem atque agros *Faliſcos*; vel unius Livii frequentiſſimo teſtimonio conſtabit. Lib. IIII, de Fidenati bello narrans; *Cùm poteſtas*, inquit, *maior, tùm vis quoque poteſtati par, hoſteis ex agro Romano trans Anienem ſubmovêre: colleisque inter Fidenas & Anienem ceperunt, referenteis caſtra. nec antè in campos digreſſi ſunt, quàm legiones auxilio Faliſcorum venerunt. tum demum caſtra Etruſcorum pro mœnibus Fidenarum poſita.* Mox: *Faliſcus, procul ab domo militiam ægrè patiens, ſatisque fidens ſibi, poſcere pugnam: Veienti Fidenatique plus ſpei in trahendo bello eſſe. Tolumnius, quamquàm ſuorum magis placebant conſilia; ne longinquam militiam paterentur Faliſci, poſtero die ſe pugnaturum, edicit.* Statim: *Trium populorum exercitus ita ſtetit*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

ſtetit inſtructus, ut dextrum cornu Veientes, ſiniſtrum Faliſci tenerent; medii Fidenates eſſent. Dictator dextro cornu adverſùs Faliſcos intulit ſigna. Et poſteà: M. Cornelio Maluginenſe, L. Papirio Craſſo, conſulibus, exercitus in agrum Veientem ac Faliſcum ducti. Paullo pòſt: Faliſci perpelli ad inſtaurandum bellum neque clade Romanorum neque ſociorum precibus potuêre. Et iterum: Trepidatum in Etruriâ eſt poſt Fidenas captas; non Veientibus ſolùm exterritis metu ſimilis excidii; ſed etiam Faliſcis, memoriâ initi primò cum iis belli. Item lib. v: Nec Veiis meliùs geſta res. auctum eſt bellum adventu repentino Capenatium atque Faliſcorum. hi duo Etruriæ populi, quia proximi regione erant, devictis Veiis bello quoque Romano ſe proximos fore credentes; Faliſci propriâ etiam causâ infeſti, quòd Fidenati bello ſe jam anteà immiſcuerant: per legatos ultro citroque miſſos jurejurando inter ſe obligati, cum exercitibus necopinatò ad Veios acceſſêre. Paullo pòſt: Vt diverſæ legiones, aliæ adverſùs Capenatem ac Faliſcum, aliæ contra eruptionem opidanorum pugnarent. Et poſteà: Bellum multiplex fuit eo tempore, & ad Veios, & ad Capenam, & ad Falerios. Iterum: Ab his & priùs datum locum Veientibus ad incendenda opera, belli trahendi causâ; & nunc proditum exercitum, tradita Faliſcis Romana caſtra. Iterumque: A M. Furio in Faliſcis & Cn. Cornelio in Capenate agro hoſtes nulli extra mœnia inventi. Et poſteà: Interim ad Veios terror multiplex fuit, tribus in unum bellis collatis. namque eodem, quo anteà, modo circa munimenta, quum repentè Capenates Faliſcique ſubſidio veniſſent, adverſùs treis exercitus ancipiti prœlio pugnatum eſt. Mox: Inde pugna cœpta Faliſcis intulit terrorem. Et: Nec ita multo pòſt jam palantes, veluti fortè oblati, populatores Capenatis agri, reliquias pugnæ, abſumpsêre. & Veientium refugientes in urbem multi ante portas cæſi. Deinde: His tribunis ad Veios nihil admodùm memorabile actum eſt. tota vis in populationibus fuit. duo ſummi imperatores, Potitus à Faleriis, Camillus à Capenâ prædas ingenteis egêre. Atque iterum: Quæ dum aguntur, concilia Etruriæ ad Fanum Voltumnæ habita, poſtulantibus Capenatibus ac Faliſcis, ut Veios communi animo conſilioque omnes Etruriæ populi ex obſidione eriperent. Item: Titinius Genuciusque, tribuni militum, profecti adverſùs Faliſcos Capenateisque. Pòſt paullo: Tantum inde terroris non Romæ modò, ſed in caſtris quoque fuit ad Veios. ægrè ibi miles retentus à fugâ eſt; quum pervaſiſſet caſtra rumor, ducibus exercituque cæſo victorem Capenatem ac Faliſcum Etruriæque omnem juventutem haud procul inde abeſſe. Deinde: profectus cum exercitu ab Vrbe, exſpectatione hominum maiore quàm ſpe, in agro primùm Nepeſino cum Faliſcis & Capenatibus ſigna confert. Mox: Inde ad Veios exercitus ductus. Poſteà: Veiis captis, Corneliis Faliſcum bellum, Valerio ac Servilio Capenas ſorte evênit. ab iis non urbes vi aut operibus tentatæ; ſed ager eſt depopulatus, prædæque rerum agreſtium actæ. nulla felix arbor, nihil frugiferum in agro relictum. Ea clades Capenatem populum ſubegit. pax petentibus data. In Faliſcis bellum reſtabat. Et aliquanto pòſt: Principio anni tribuni plebis nihil moverunt; donec M. Furius Camillus in Faliſcos proficiſceretur. Et: Camillo gloria in Faliſcis crevit. Mox: Tantum inde pavoris Faliſcis injectum eſt, ut effusâ fugâ caſtra ſua, quæ propiora erant, prælati, urbem peterent. multi cæſi vulneratique priùs, quàm paventes portis inciderent. Obſidia inde urbis & munitiones, & interdum per occaſionem impetu opidanorum in Romanas ſtationes, prœliaque parva fieri; & teri tempus, neutrò inclinatâ ſpe; quum frumentum copiæque aliæ ex antè convecto largiùs obſeſſis, quàm obſidentibus, ſuppeterent. videbaturque æquè diuturnus futurus labor, ac Veiis fuiſſet; ni fortuna imperatori Romano ſimul & cognitæ rebus bellicis virtutis ſpecimen & maturam victoriam dediſſet. Mos erat Faliſcis, eodem magiſtro liberorum & comite uti. ſimulque plures pueri, quod hodiè quoque in Græciâ manet, unius curæ demandabantur. Principum liberos, ſicut ferè fit, qui ſcientiâ videbatur præcellere, erudiebat. is quum inſtituiſſet, pueros ante urbem luſus exercendique causâ producere; nihil eo more per belli tempus intermiſſo, dum modò brevioribus, modò longioribus ſpaciis trahendo eos à portâ, luſu ſermonibusque variatis, longiùs ſolito, ubi res dedit, progreſſus, inter ſtationes eos hoſtium, caſtraque inde Romana in prætorium ad Camillum perduxit. Ibi ſceleſto facinori ſceleſtiorem ſermonem addidit: Falerios ſe in manus Romanis tradidiſſe, quando eos pueros, quorum parentes capita ibi rerum ſint, in poteſtatem dediderit. Quæ ubi Camillus audivit; Non ad ſimilem, inquit, tui nec populum nec imperatorem ſceleſtus ipſe cum ſceleſto munere veniſti. nobis cum Faliſcis, quæ pacto ſit humano, ſocietas non eſt. quam ingeneravit natura utriſque, eſt eritque. Sunt & belli, ſicut pacis, jura. juſtéque ea non minùs, quàm fortiter,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

fortiter, *didicimus gerere*. *Arma habemus*, *non adversùm ætatem eam*, *cui etiam captis urbibus parcitur*; *ſed adversùs armatos*, *& ipſos*, *qui*, *nec læſi nec laceſſiti à nobis*, *caſtra Romana ad Veios oppugnarunt*. *eos tu*, *quantum in te fuit*, *novo ſcelere viciſti*. *ego Romanis artibus*, *virtute*, *opere*, *armis*, *ſicut Veios*, *vincam*. *Denudatum deinde eum*, *manibus poſt tergum illigatis*, *reducendum Falerios pueris tradidit*: *virgasque eis*, *quibus proditorem agerent in urbem verberantes*, *dedit*. *Ad quod ſpectaculum concurſu populi facto*; *deinde à magiſtratibus de re novâ vocato ſenatu*; *tanta mutatio animis eſt injecta*, *ut*, *qui modò*, *efferati odio irâque*, *Veientium exitium penè*, *quàm Capenatium pacem*, *mallent*, *apud eos pacem univerſa poſceret civitas*. *fides Romana*, *juſtitia imperatoris*, *in foro & curiâ celebrabantur*. *conſenſuque omnium legati ad Camillum in caſtra atque inde*, *permiſſu Camilli*, *Romam ad ſenatum*, *qui dederent Falerios*, *proficiſcuntur*. Exiguo pòſt: *Faliſcis in ſtipendium militum eius anni*, *ut populus Romanus tributo vacaret*, *pecunia imperata*. Eodem libro poſteà *Camillus indignatur miraturque*, *ubi illi viri eſſent*, *qui ſecum Veios Faleriosque cepiſſent*. Et lib. VI, *Vt Falerios*, inquit idem Camillus, *Veiosque captos*, *& in captâ patriâ Gallorum legiones cæſas taceam*. Libro verò VII, *Ad bella nova*, *priore anno deſtinata*, *Faliſci quoque novi hoſtes exorti*; *duplici crimine*; *quòd & cum Tarquinienſibus juventus eorum militaverat*; *& eos*, *qui Falerios profugerant*, *quum malè pugnatum eſt*, *repetentibus fecialibus Romanis non reddiderant*. Mox: *Faliſci Tarquinienſesque alterum conſulem primâ pugnâ fuderunt*. Et: *Tarquinienſibus Faliſcisque ducibus ad Salinas perveniunt*. Et item lib. X: *Scipio*, *in Faliſcum agrum copiis reductis*, *quum impedimenta Faleriis cum modico præſidio reliquiſſet*, *expedito agmine ad populandos hoſtium fineis incedit*. Haud multo pòſt: *Ab Sutrio & Nepete & Faleriis legati*, *auctores*, *concilia Etruriæ populorum de petendâ pace haberi*, *totam belli molem in Samnium averterunt*. Ac deinde: *Alii duo exercitus haud procul Vrbe Etruriæ oppoſiti*; *unus in Faliſco*, *alter in Vaticano agro*. Et ſub finem eiusdem libri: *Segniùs tamen*, *quod ad Etruriam attinebat*, *acta res eſſet*, *ni*, *Faliſcos quoque*, *allatum foret*, *arma Etruſcis junxiſſe*. Statim: *Bellum Faliſcis indictum eſt*. Tandem: *Carvilius conſul Faliſcis*, *pacem petentibus annuas inducias dedit*. Hinc Breviator etiam Livii lib. XVIIII; *Faliſci*, inquit, *quum rebellaſſent*, *ſexto die domiti in deditionem venerunt*. Factum id eſſe anno tertio poſt primum bellum Punicum, auctores ſunt Oroſius & Paul. Diaconus. quorum ille lib. IIII cap. XI: *Ti*. *Sempronio Graccho & C*. *Valerio conſulibus*, *cum Faliſcis bellavêre Romani*: *eoque prælio* XV *millia Faliſcorum interfecta ſunt*. Paullus Hiſtoriæ miſcellæ lib. II: *Ti*. *Sempronio Graccho*, *C*. *Valerio Falcone*, *conſulibus*, *bellum Faliſcis intulerunt? quæ civitas Italiæ opulenta quomdam fuit*. *quam ambo conſules intra ſex dies*, *quàm venerant*, *transierunt*; XV *millibus hoſtium cæſis*; *pace conceſſâ*; *agro tamen ex medietate ſublato*. Verba hæc à librariis vitiata lege, ut apud Eutropium perſcripta ſunt. is lib. II ea eodem anno refert, quo primum bellum Punicum finitum. *Quintus*, inquit, *Lutatius*, *Aulus Manlius*, *conſules creati*, *bellum Faliſcis intulerunt*: (*quæ civitas Italiæ opulenta quondam fuit*) *quod ambo conſules intra* VI *dies*, *quàm venerant*, *transegerunt*; XV *millibus hominum cæſis*; *cæteris pace conceſſâ*: *agro tamen ex medietate ſublato*. Huic adſentiuntur Valer. Maximus & Zonara. quorum hic Annal. lib. II, Τότε δὲ οἱ Ῥωμαῖοι, inquit, Φαλίσκοις ἐπολέμησαν· καὶ Μάλλιος Τορκουάτος τὴν χώραν αὐτῶν ἐδῄωσε· καὶ συμμίξας αὐτοῖς, ἐσφάλη μὲν τῷ ὁπλιτικῷ, τοῖς δ᾽ ἱππεῦσιν ἐκράτησε· καὶ αὖθις αὐτοῖς μαχεσάμενος ἐνίκησε· καὶ τά τε ὅπλα αὐτῶν καὶ τὴν ἵππον καὶ τὰ ἔπιπλα καὶ τὸ δουλεῦον, καὶ τὸ ἥμισυ τῆς χώρας ἀφείλετο. Ὕστερον δὲ ἡ μὲν ἀρχαία πόλις, εἰς ὄρος ἐρυμνὸν ἱδρυμένη κατεσκάφη· ἑτέρα δ᾽ ᾠκοδομήθη εὐέφοδος. Id eſt: *Tum Romani Faliſcis bellum intulerunt*; *Manlio Torquato agrum eorum urente*. *qui cum eis congreſſus*, *peditatu ſuccubuit*, *equitatu victor*. *deinde*, *iteratâ pugnâ*, *eos domuit*; *armis*, *equis*, *ſupellectilibus*, *ſervitiis*, *& agri dimidiâ parte mulctatos*. *poſtremò etiam antiqua urbs*, *in arduo ſita monte*, *deſtructa*: *aliaque in planitie condita*, *oppugnatu facilis*. Livii epitomator narrationi iſti de Faliſco bello continuò ſubjicit initio libri XX iſta: *Spoletium colonia deducta eſt*. Id factum eſſe C. Claudio Centone & M. Sempronio Tuditano conſulibus, qui conſulatum A. Manlii Torquati ſubſequuti ſunt, auctor eſt Velleius Paterculus. Valerium mox videbimus. Porrò Livius lib. XXII, *Augebant*, inquit, *metum prodigia ex pluribus ſimul locis nunciata*: *Præneſte ardenteis lapides cœlo cecidiſſe*; *& Arpis parmas in cœlo viſas*, *pugnantemque cum Lunâ Solem*: *& Capenæ duas interdiu Lunas ortas*: *Antii metentibus cruentas in corbem ſpicas cecidiſſe*:

cecidiſſe: Faleriis cœlum ſindi viſum velut magno hiatu. Qua de re ita Plutarchus in Q. Fabio Maximo: Τοῦ ὑπὲρ Φαλερίους οὐρανοῦ ῥαγῆναι δόξαντος. id eſt; *Quum cœlum ſupra Falerios ſiſſum videretur.* Cæterum Zonara prædicto Annal. lib. II: Εἰ δὲ καὶ ὁ δῆμος ἐμίσει τὸν Κάμιλλον, ἀλλ' ὁ πρὸς Φαλίσκους πόλεμος ἠνάγκασε χιλίαρχον ψηφίσασθαι αὐτόν. καὶ αὐτοὺς μὲν ἐνίκησαν μαχεσάμενοι· πολιορκοῦντες δὲ πόλιν αὐτῶν ἐρυμνὴν, Φαλερίους ὀνομαζομένην, οὐδὲν ἤνυον. Hoc eſt: *Etſi plebs Camillum oderat; tamen ob bellum, quod tum gerebatur adversùs Faliſcos, tribunum militum deſignare eum coacti ſunt. Atque ipſos quidem prælio vincebant. quum autem urbem eorum naturâ munitam, Falerios nomine, obſiderent, nihil proficiebant.* Sic alii etiam claſſici Romanorum auctores *populum* atque *agrum* adpellant *Faliſcum*. Virgilium ac Silium jam antè audivimus. Ovidius Faſtor. lib. III ita canit:

Quòd ſi fortè vacas; peregrinos inſpice faſtos.
Menſis in his etiam nomine Martis erit.
Tertius Albanis, quintus fuit ille Faliſcis.
Sextus apud populos, Hernica terra, tuos.

Et ſub finem eiusdem libri; de cognomine *Minervæ Captæ:*

An, quia perdomitis ad nos captiva Faliſcis
Venit?

Reliqua Ovidii loca infrà videbimus. Valer. Maximus lib. VI cap. V: *Camillo conſule Faliſcos circumſedente, magiſter ludi plurimos & nobiliſſimos inde pueros, velut ambulandi gratiâ eductos, in caſtra Romanorum perduxit. quibus interceptis, non erat dubium, quin Faliſci, depoſitâ belli gerendi pertinaciâ, tradituri ſe noſtro imperatori eſſent. De eâ re ſenatus cenſuit, ut pueri vinctum magiſtrum virgis cædentes in patriam remitterentur. qua juſtitiâ animi eorum ſunt capti, quorum mœnia expugnari non poterant. namque Faliſci beneficio magis, quàm armis, victi, portas Romanis aperuerunt. Eadem civitas aliquoties rebellando, ſemperque adverſis contuſa præliis; tandem ſe Q. Lutatio conſuli dedere coacta eſt. adversùs quam ſævire cupiens populus Romanus; poſtquam à Papirio (cuius manu, jubente conſule, verba deditionis ſcripta erant) doctus eſt, Faliſcos non poteſtati, ſed fidei ſe Romanorum commiſiſſe: omnem iram placidâ mente depoſuit.* Plinius lib. II cap. CIII: *In Faliſco omnis aqua pota candidos boves facit.* Et lib. VII cap. II: *Haud procul urbe Româ, in Faliſcorum agro familiæ ſunt paucæ, quæ vocantur Hirpiæ.* Horatii vetus ſcholiaſtes in oden VIIII libri primi: *Soracte mons eſt in Faliſcis, Flaminiæ vicinus.* Vitruvius lib. VIII cap. III: *Agro Faliſco viâ Flaminiâ fons oritur.* Feſtus in voce *Stroppus: Apud Faliſcos dies feſtus eſt, qui vocatur Struppearia.* Sic iidem *Faliſci* populi memorantur Frontino quoque in Strategematibus ſæpiùs; ut lib. II cap. IIII, V. & VIII. Librò verò IIII cap. IIII, *Camillo*, inquit, *Faliſcos obſidenti, ludi magiſter liberos Faliſcorum, tamquàm ambulandi causâ extra murum eductos, tradidit.* Mox: *Faliſci ob hanc juſtitiam ſponte ei ſe dediderunt.* Et in libro de Coloniis: *Colonia Nepenſis eâdem lege ſervatur, qua & ager Faliſcorum.* At, ut priùs Græci auctores, Diodorus atque Strabo, quos ſuprà citavimus, ſic poſteriori ævo Latini etiam, Solinus, Oroſius, Paullus Diaconus, ac Freculfus, opidum quoque adpellaverunt *Faliſcum*, & plurali numero *Faliſcos*. Solinum jam ante citavimus. Oroſius lib. IIII cap. XV eadem, quæ ſuprà Livius, recenſens prodigia, *Apud Arpos*, inquit, *parmæ in cœlo viſæ: Sol quoque pugnaſſe cum Lunâ: apud Carpenas* [ſcribe *Capenas*] *interdiu duas Lunas ortas: Faliſcis cœlum ſcindi velut magno hiatu. apud Antium metentibus cruentas ſpicas in corbem decidiſſe.* Freculfus tomo I lib. V cap. VII: *Apud Arpos parmæ in cœlo viſæ: Sol quoque pugnaſſe cum Lunâ. apud Capemenas* [ſcribe *Capenas*] *interdiu duas Lunas ortas. apud Falices* [ſcribe *Faliſcos*] *cœlum ſcindi velut magno hiatu.* Paullus Diaconus lib. I Hiſt. miſcellæ, de Camillo: *Poſteà cepit & Faliſcos, non minùs nobilem civitatem.* At Plutarchus promiſcuè opidanos, modò *Falerios*, modò *Faliſcos* adpellat. Verba eius in Camillo hæc ſunt: Κάμιλλος δὲ ἔλαχε Φαλερίους καὶ Καπηνάτας πολεμεῖν. * — *. Μετὰ δὲ τὰς εὐχὰς Κάμιλλος εἰς τὴν Φαλίσκων ἐνέβαλε, καὶ μάχῃ μεγάλῃ τούτους τε καὶ Καπηνάτας προσβοηθήσαντας αὐτοῖς ἐνίκησεν. * — *. Τῶν δὲ δημάρχων αὖθις ἀνεγειρόντων τὸν περὶ τοῦ διοικισμοῦ νόμον, ὁ πρὸς Φαλίσκους πόλεμος ἐν καιρῷ παραφανεὶς, ἔδωκε τοῖς πρώτοις ἀνδράσιν ἀρχαιρεσιάσαι κατὰ γνώμην. * · *. Ψηφισαμένου δὲ τοῦ δήμου, λαβὼν δύναμιν ὁ Κάμιλλος, εἰς τὴν Φαλίσκων ἐνέβαλε· καὶ πόλιν ἐρυμνὴν καὶ κατεσκευασμένην πᾶσιν εἰς πόλεμον καλῶς, Φαλερίους, ἐπολιόρκει. * — *. Οὕτως δὲ τῆς πολιορκίας κατεφρόνουν οἱ Φαλέ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

οἱ Φαλέριοι, ὥστε πολλοὺς τῶν τὰ τείχη φυλαττόντων, σὺν ἄλλοις ἐν ἱματίοις κατὰ τὴν πόλιν ἀναστρέφεσθαι, σὺν δὲ παῖδας αὐτῶν εἴς τε τὰ διδασκαλεῖα φοιτᾶν, καὶ περὶ τὰ τείχη περιπατήσοντας καὶ γυμνασομένους ὑπὸ τοῦ διδασκάλου καταβιβάζεσθαι· κοινῷ γὰρ ἐχρῶντο τῷ διδασκάλῳ, ὥσπερ Ἕλληνες, οἱ Φαλέριοι. * · * · Ἀρχὴ δὲ τῶν Φαλερίων ἐθελούσιον τὴν τοῦ διδασκάλου προδοσίαν. Hoc eſt: *Camillus bellum ſortitus erat adverſum Falerios atque Capenates.* Et poſteà: *Votis ſuſceptis, in Faliſcorum fineis expeditionem fecit Camillus: eosque & auxiliareis eorum Capenateis magno fudit prælio.* Iterum: *Tribunis plebis rogationem de transmigratione renovantibus, quòd in tempore adverſum Faliſcos exortum bellum eſſet, comitia in principum fuêre poteſtate.* Mox: *Poſtquàm ſuffragia dedit populus, Camillus, exercitu conſcripto, movit in Faliſcorum agrum: urbemque munitam atque omnibus ad bellum neceſſariis inſtructam, Falerios, circumſedit.* Et poſteà: *Falerii usque adeo contemnebant obſidionem, ut, præter ſtationes in muris diſpoſitas, togati per urbem reliqui obverſarentur; liberique eorum circa ludos literarios frequentes eſſent; & circa muros ambulationis exercitationisque gratiâ producerentur à magiſtro. communi enim magiſtro demandabant, Græcorum more, Falerii liberos.* Ac deinde: *Et primum Falerii proditionem magiſtri ſenſerunt.* At omnibus iſtis locis ne ſuſpiceris corruptum vocabulum eſſe τῶν Φαλίσκων in nomen τῶν Φαλερίων. en ita tandem finit: Κάμιλλος, χρήματα λαβὼν παρὰ τῶν Φαλερίων, καὶ φιλίαν πρὸς ἅπαντας Φαλίσκους θέμενος, ἀνεχώρησεν. Οἱ δὲ στρατιῶται διαρπαγὴν προσδοκήσαντες τῶν Φαλερίων, ὡς ἐπανῆλθον εἰς Ῥώμην κεναῖς χερσί, κατηγόρουν τοῦ Καμίλλου πρὸς τοὺς ἄλλους πολίτας, ὡς μισοδήμου, καὶ φθονήσαντος ὠφεληθῆναι τοὺς πένητας. Id eſt: *Camillus, ſtipendio à Faleriis accepto, ac fœdere cum omnibus Faliſcis icto, exercitum reduxit. At milites, qui Faleriorum direptionem exſpectaverant, ut Romam reverſi inanes ſunt, apud reliquos civeis, velut hoſti plebis, detraxerunt Camillo; quippe qui egenis conſultum nollet.* Polyænus verò lib. VIII, eamdem de Camillo ac Faliſcorum pueris referens hiſtoriam, *Falerios* opidanos adpellat. Κάμιλλος, inquit, Φαλερίοις ἐπολέμει. τῶν Φαλερίων παίδων ὁ διδάσκαλος, προαγαγὼν αὐτοὺς ἔξω τειχῶν, ὡς γυμνασομένους, παρέδωκε Ῥωμαίοις. * · Φαλέριοι τὸν διδάσκαλον αἰκισάμενοι κατέφθειραν. Hoc eſt: *Camillus Faleriis bellum intulit. Qui Faleriorum pueros inſtituebat, eductos extra urbem, quaſi exercitandi gratiâ, Romanis tradidit.* Mox: *Falerii ludi magiſtrum verberibus confectum necarunt.* Atque hæc ferè ſunt auctorum loca, quibus memorantur vocabula *Faleriorum* ac *Faliſcorum*. quæ ideò omnia huc adſcripſimus, quò dilucidiùs cùm veterum geographorum, Strabonis & Solini ac Stephani, tum hoc ſæculo illorum ſententiam ſequentium error adpareat, qui duo diverſa inde fecerunt opida. Solini verba è cap. VIII ſuprà citavimus iſta: *Quis ignorat, ab Haleſo Argivo conditam Faliſcam; à Falerio Argivo Falerios.* At apud Feſtum ita ſcriptum eſt: *Faleri opidum à ſale dictum.* Credo, quum Græci auctores ſcripſiſſent, ἀπὸ τοῦ Ἁλήσου, id eſt, *ab Haleſo*, conditum dictumque eſſe id opidum; grammaticos poſteà, ut ineptè innumera alia, ἀπὸ τοῦ ἁλὸς, id eſt, *à ſale* dictum tradidiſſe. Servius ad Virgilii Aeneid. lib. VII: *Faliſcos Haleſus condidit. Hi autem, immutato* H *in* F, *Faliſci dicti ſunt; ſicut febris dicitur, quæ antè hebris dicebatur; Formiæ, quæ Hormiæ fuerunt,* ἀπὸ τῆς ὁρμῆς. *nam poſteritas in multis nominibus* F *pro* H *poſuit.* Ovidius Faſtor. lib. IIII; ubi duces recenſet, qui Græcas colonias in Italiam deduxerunt:

Venerat, Atridæ fatis agitatus, Haleſus:
A quo ſe dictam terra Faliſca putat.

Et Amorum lib. III eleg. XIII:

Quum mihi pomiferis conjux foret orta Faliſcis;
Mœnia contigimus victa, Camille, tibi.
Caſta ſacerdotes Iunoni feſta parabant
Per celebreis ludos indigenamque bovem.
Grande moræ pretium ritus cognoſcere; qu[illegible]vìs
Difficilis clivis huc via præbet iter.
Stat vetus & denſâ prænubilus arbore lucus.
Adſpice; concedes, numinis eſſe locum.
Accipit ara preces votivaque thura piorum:
Ara per antiquas facta ſine arte manus.
Heic ubi perſonuit ſolenni tibia cantu;
It per velatas annua pompa vias.

Ducuntur

Ducuntur niveæ, populo plaudente, juvencæ,
Quas aluit campis herba Faliſca ſuis.

Mox:

Quà ventura dea eſt, juvenes timidæque puellæ
Præbuerant latas veſte jacente vias.
Virginei crines auro gemmâque premuntur:
Et tegit auratos palla ſuperba pedes.
More patrum ſanctæ velatæ veſtibus albis
Tradita ſuppoſito vertice ſacra ferunt.
Ore favent populi tunc quum venit aurea pompa.
Ipſa ſacerdotes ſubſequiturque ſuas.
Argiva eſt pompæ facies; Agamemnone cæſo,
Et ſcelus & patrias fugit Haleſus opes.
Iamque pererratis profugus terrâque marique,
Mœnia felici condidit alta manu.
Ille ſuos docuit Iunonia ſacra Faliſcos.
Sint mihi, ſint populo ſemper amica ſuo.

Hinc & Faſtor. lib. VI:

Adde ſenem Tatium Iunonicolasque Faliſcos.

Eumdem *Haleſum* Virgilius quoque memorat ſuprà dicto Aeneid. lib. VII, his verbis.

Hinc Agamemnonius, Troiani nominis hoſtis,
Curru jungit Haleſus equos; Turnoque feroceis
Mille rapit populos.

Ad quæ ita Servius: *Hunc Haleſum Agamemnonis plerique comitem, reliqui nothum filium volunt. qui, quum veniſſet ad Italiam, audito adventu Aeneæ, in bellum ruit; non amore Turni; ſed odio hoſtilitatis antiquæ.* In cædem patris cum Clytemneſtrâ conſenſiſſe dictus eſt. Hinc illud Ovidii;

Venerat, Atridæ fatis agitatus, Haleſus.

Et item iſtud:

——— *Agemnone cæſo,*
Et ſcelus & patrias fugit Haleſus opes.

At ab hac communi poëtarum de *Haleſo* ſententiâ longè recedens Dionyſius Halicarnaſſenſis, jam inde ante Troiana tempora non modò à Pelaſgis, ſed & ante hos ab Siculis, antiquiſſimis horum locorum circa Tiberim incolis, habitatam tradit urbem *Falerios*. Verba eius lib. I hæc ſunt: Καὶ πόλεις πολλὰς, τὰς μὲν οἰκουμένας καὶ πρότερον ὑπὸ τῶν Σικελῶν, τὰς δὲ αὐτοὶ κατασκευάσαντες, ᾤκουν οἱ Πελασγοὶ κοινῇ μετὰ τῶν Ἀβοριγίνων· ὧν ἐστιν ἥ τε Καιρητανῶν πόλις, Ἄγυλλα δὲ τότε καλουμένη, καὶ Πίσα καὶ Σατορνία καὶ Ἄλσιον, καὶ ἄλλαι τινές· αἳ ἀνὰ χρόνον ὑπὸ Τυρρηνῶν ἀφῃρέθησαν. Φαλέριον δὲ καὶ Φασκένιον ἔτι καὶ εἰς ἐμὲ ἦσαν οἰκούμεναι ὑπὸ Ῥωμαίων, μικρὰ ἄττα διασώζουσαι ζώπυρα τοῦ Πελασγικοῦ γένους, Σικελῶν ὑπάρχουσαι πρότερον. ἐν ταύταις διέμεινε πολλὰ τῶν ἀρχαίων διαιτημάτων, οἷς τὸ Ἑλληνικόν ποτ᾽ ἐχρήσατο, ἐπὶ μήκιστον χρόνον· οἷον ὅ τε τῶν ὅπλων τῶν πολεμιστηρίων κόσμος, ἀσπίδες Ἀργολικαὶ καὶ δόρατα· καὶ ὁπότε πολέμου ἄρχοντες, ἢ τοὺς ἐπιόντας ἀμυνόμενοι, στρατὸν ὑπὲρ τῶν ὅρων ἀποστέλλοιεν, ἱεροί τινες ἄνδρες ἄνοπλοι πρὸ τῶν ἄλλων ἰόντες σπονδοφόροι· τῶν τε ἱερῶν αἱ κατασκευαὶ, καὶ τὰ ἕδη τῶν θεῶν, ἁγιασμοί τε καὶ θυσίαι· καὶ πολλὰ τοιαῦτα ἕτερα. πάντων δὲ περιφανέστατον μνημεῖον ἐν Ἄργει ποτὲ οἰκήσεως τῶν ἀνθρώπων ἐκείνων, οἳ τοὺς Σικελοὺς ἐξήλασαν, ὁ τῆς Ἥρας νεὼς ἐν Φαλερίῳ κατεσκευασμένος, ὡς ἐν Ἄργει· ἔνθα καὶ τῶν θυηπολιῶν ὁ τρόπος ὅμοιος ἦν, καὶ γυναῖκες ἱεραὶ θεραπεύουσαι τὸ τέμενος, ἥ τε λεγομένη θεοφόρος, ἁγνὴ γάμων παῖς καταρχομένη τῶν θυμάτων, χοροί τε παρθένων ὑμνουσῶν τὴν θεὸν ᾠδαῖς πατρίοις. Hoc eſt: *Et multa opida, partim jam antè ab Siculis habitata, partim ab ſe condita, indiviſa tenuerunt gentes ſociæ Pelaſgi & Aborigines: ex quibus ſunt, Cære, dictum tunc Agylla, Piſa, Saturnia, Alſium, & quædam alia: quæ poſteà à Tuſcis occupata ſunt. Falerium verò & Faſcenium, meo etiam tempore à Romanis habitata, parvas quasdam ſcintillas ſervant Pelaſgici generis; quum olim Siculorum fuerint. In his multa antiqui moris Græcanici longiſſimo tempore perdurarunt: ut armorum ornatus; Argolici clypei & haſtæ. & quoties, illaturi bellum aut excepturi, ultra fineis exercitum emitterent; ſacri viri abſque armis cum libaminibus & fœderum oblatione præeuntes cæteris. templorum quoque ſtructuræ; delubra deorum; expiationes & ſacrificia; & multa alia his ſimilia. Sed om-*

nium clariſſimum monumentum, hos, qui Siculos ejecerunt, apud Argos olim habitaſſe, templum eſt Falerii Iunonis, Argivo illi ſimile: ubi & ſacrorum ritus erant iidem; & curatrices templi ſacrificulæ; & puella innupta, quam vocant canophoron; ſacrificium auſpicari ſolita: ad hæc chori virginum, patrios hymnos in laudem deæ canentium. Servius verò ad Aeneid. lib. VIII, neſcio quibus auctoribus edoctus, *Neptuni filium* facit *Haleſum* in his verbis: *Quidam dicunt, Salios à Morrio, rege Veientanorum, inſtitutos; ut Haleſus, Neptuni filius, eorum carmine laudaretur: qui eiusdem regis familiæ auctæ ultimus fuit.* Ergo *Haleſus* ad Veios etiam pertinuit. At quiscumque demum huius urbis conditor iſte *Haleſus* fuerit, ſive ante bellum Troianum, ſeu poſt Troiæ excidium; convenit inter omneis, ab Argivis eſſe conditam. Præter ſuprà memoratos auctores, ſic etiam Plinius lib. III cap. V: *Intus coloniæ, Faliſca, Argis orta, ut auctor eſt Cato; quæ cognominatur Etruſcorum, Lucus Feroniæ, Ruſellana, Senenſis, Sutrina.* Et Græci generis fuiſſe, quum Camillus eam obſideret, ſuprà è Livio & Plutarcho intelleximus. Vnus tamen Iuſtinus ex Trogo ſuo Chalcidenſium, quæ urbs fuit Eubœæ inſulæ, colonos pronunciat lib. XX. *Iam Faliſci,* inquit, *Nolani, Abellani, non ne Chalcidenſium coloni ſunt?* Scilicet *Pelaſgi*, è Peloponneſo ab *Argo Achaico*, ut ſuprà cap. I huius libri II è Dionyſio oſtenſum, profecti, ac, peragratis variis Orbis partibus, in has tandem oras delati, inter alias Tyrrheniæ ſuæ urbeis *Falerios* quoque ac *Veios* & *Alſium* condiderunt; præfecto huic operi *Haleſo* quodam conſtituto. Sed hactenus ex tot graviſſimorum auctorum teſtimoniis ſatis clarè adparuit, unam eamdemque ac ſolam fuiſſe urbem, quæ, ab Argivis condita, Iunoniſque Argivæ ſacris nobilitata, variis nominibus adpellata fuit, nunc *Falerii* & *Falerium*, nunc *Faliſci* & *Faliſcum*; & nonnumquàm cum cognomento *Aequum Faliſcum*. cuius incolæ conſimiliter dicti modò *Falerii*, modò *Faliſci*: & interdum cognominati *Aequi Faliſci*. Nunc igitur ſitum etiam eius urbis inveſtigemus. Vſuardi Martyrologium ita habet: *Pridiè Idus Auguſti urbe Falari paſſio Graciliani & Feliciſſimæ virginis.* Ad quæ verba in Martyrologio Romano ita commentatur doctiſſimus Baronius: *Non Falari, ſed Faleriæ eſſe legendum, vetera monumenta eccleſiæ Civitatis Caſtellanæ, ubi horum ſanctorum corpora adſervantur in eccleſiâ cathedrali, nos certiores reddiderunt.* Volaterranus in Commentariis ita tradit: *Falerii & Falerium, opidum Faliſcorum; cuius adhuc ſtant parva mœnia ſimul cum priſco nomine.* Nempe, ut habet Vſuardus, ſic nunc etiam vulgò reliquiæ iſtæ antiqui opidi vocantur *Falari*. Antonius Maſſa, in libello, quem de Origine & rebus Faliſcorum compoſuit, ita ſcribit: *Huius autem novi nominis Civitatis Caſtellanæ antiquiorem memoriam non invêni eâ, quæ eſt apud Platinam in vitâ Quarti Adriani pontificis, circa annum Domini* CIↃCLV. *Quamobrem veri ſimile eſt, everſâ Falari, ex illius reliquiis conſtructam & habitatam eſſe Civitatem Caſtellanam, locum naturâ munitiorem & illi admodùm propinquum.* Scilicet Maſſa patriam ſuam, opidum *Galeſium*, Tiberi adpoſitum, vult eſſe antiquorum illud *Faliſcum* opidum, nomine etiam huc detorto; *Falarienſes* autem ruinas *Faleriorum* opidi veſtigia. *Galeſium*, inquit, *ſitum eſt inter Tiberim fluvium, Ortam civitatem, & ipſas Faleriæ ruinas. diſtat à viâ Flaminiâ, quæ per agrum Galeſium ad orientem prope Tiberim jacet, ubi vicinior eſt, paſſibus* CIↃIↃ. *Septemtrionem versùs diſtat Orta civitas* V *millibus paſſuum, & totidem ad meridiem ipſa Faleria.* Atqui Strabo ſuprà dicto lib. V τὸ Αἴκουμ Φαλίσκουμ ἐπὶ τῇ Φλαμινίᾳ ὁδῷ κείμενον μεταξὺ Ὀκρικλῶν καὶ Ῥώμης, id eſt, *Aequum Faliſcum in viâ Flaminiâ ſitum inter Ocriculos & Romam* refert: nec ait πρὸς τῇ Φλαμινίᾳ ὁδῷ, nec παρὰ τὴν Φλαμινίαν ὁδὸν, id eſt, *apud, juxta,* ſeu *propter Flaminiam viam.* Quapropter nec ipſæ quidem *Falarienſes* ruinæ antiqui *Faleriorum* opidi veſtigia referre poſſunt. Cui argumento accedit & illud, quòd Plutarchus ac Zonara in hiſtoriâ Camilli *Falerios* πόλιν ἐρυμνὴν, id eſt, *urbem naturâ munitam*, vocant; & hic etiam poſteà, in hiſtoriâ Manlii Torquati, εἰς ὄρος ἐρυμνὸν ἱδρυμένην; id eſt, *in arduo ſitam monte.* quod ſanè in prædictas Falarienſeis ruinas minimè convenit. At ait Zonara; Ὕστερον δὲ ἡ μὲν ἀρχαία πόλις, εἰς ὄρος ἐρυμνὸν ἱδρυμένη, κατεσκάφη· ἑτέρα δ᾽ ᾠκοδομήθη εὐέφοδος. id eſt: *Poſtremò etiam antiqua urbs, in arduo ſita monte, everſa eſt: aliaque in planitie condita, oppugnatu facilis.* Hæc igitur nova illa *Faleriorum* urbs fuit, cuius rudera etiam nunc vocantur *Falari*. Quando antiqua in arduo illo monte, & à quibus mortalibus deſtructa ſit, Zonara non addit. longè poſt Manlii Torquati tempora id factum, veri ſimile eſt.

nihil

nihil quidpe reliqui auctores eâ de re in Manlii hiſtoriâ memorarunt. Fuiſſe autem eodem ſitu, quo nunc *Civitas Caſtellana* in viâ Flaminiâ, cuius inſignes heic hodiè quoque viſuntur reliquiæ, in altâ admodùm & inſuperabili rupe poſita eſt, Tabulæ itinerariæ maximè teſtatur iter; ubi XII millia paſſuum ſcripta ſunt inter *Falerios* & *Caſtellum Amerinum*; quod nunc *Baſſano* vulgò dici, mox infrà oſtendam. Poſtquàm igitur *Faliſci* novum opidum *Falerios* aliquamdiu in dictâ planitie incoluerunt; tandem, hoc vel ſuâ ſponte relicto, vel externâ aliquâ vi expugnato atque exciſo, in antiquam ſedem lareis ſuos retulerunt; opido illic inſtaurato. Hinc etiam poſteà cathedralis eccleſia & in eâ corpora ſanctorum Graciliani & Feliciſſimæ virginis poſita ſunt. In Tabulâ autem itinerariâ inter *Nepe* & *Falerios* numerus X millium corruptus eſt in V. De cætero inter XII principes Etruriæ populos connumerat & *Faliſcos* Livius lib. IIII his verbis: *Trepidatum in Etruriâ eſt poſt Fidenas captas; non Veientibus ſolùm exterritis, metu ſimilis excidii: ſed etiam Faliſcis, memoriâ initi primò cum iis belli. Igitur, quum duæ civitates legatis circa* XII *populos miſſis impetraſſent, ut ad Voltumnæ fanum indiceretur omni Etruriæ concilium; velut magno inde tumultu imminente, ſenatus Mamercum Aemilium dictatorem iterum dici juſſit.* *Veios* in numero XII urbium fuiſſe, ſuprà oſtenſum eſt. de reliquis etiam decem, *Vetuloniis*, *Volaterris*, *Ruſellis*, *Tarquiniis*, *Cære*, *Volſiniis*, *Cluſio*, *Peruſiâ*, *Cortonâ*, *Aretio*, vel ſuprà ſatis comprobatum eſt, vel infrà adhuc comprobabitur. Opes atque potentia *Faliſcorum* cùm ex ſuprà ſcripto Eutropii teſtimonio, tùm ex crebris bellis, quæ cum Romanis geſſerunt, cognoſcuntur. *Coloniam* poſteà factam Romanorum, præter ſuprà citatum Plinium, Frontinus quoque teſtatur in libro de Coloniis. *Colonia*, inquit, *Iunonia, quæ adpellatur Faliſca, à* III *viris eſt adſignata.* In lapidibus antiquis, qui complures in Civitate Caſtellanâ exſtant, *municipium* quoque vocatur. De cætero IVNONIS LVCVS, Ovidio ſuprà dicto Amor. lib. III eleg. XII memoratus, in difficilibus ſeu arduis clivis poſitus, haud dubiè prope ipſam Faliſcorum urbem ſitus fuit: ſed incertum, qua parte. FANVM IVNONIS juxta fuiſſe, ut omnibus aliis ſacris nemoribus, haud dubium eſt.

LVCVS & TEMPLVM IVNONIS FALISCAE.

Porrò in Faliſco agro apud Tiberis ripam ingens atque vaſtus mons vulgò nunc incolis dicitur *Monte di San Silveſtro*, à cœnobio in eo ſito. antiquum eius nomen Græco auctori Straboni eſt Σώρακτος· at Latinis ſcriptoribus formatur SORACTES *mons*, & genere neutro SORACTE *mons*: quemadmodùm opida Ῥέατος & Πραίνεστος, Latinis dicebantur *Reate*, & *Præneſte*; ut alia complura, *Teate*, *Apeneſte*, *Cære*, *Ateſte*, *Tridente*, *Tergeſte*: qua de re ſuprà ad opidum *Nepete* nobis actum. Catoni apud Varronem eſt SAVRACTES: ut *Sora*, opidum Volſcorum, etiam *Saura* vocabatur; & in Euganeis *Anonium* opidum *Anaunium*; in hac noſtrâ Etruriâ *Forum Clodii* etiam *Claudii*; & his ſimilia paſſim alia. Memoratur præterea Virgilio, Horatio, Plinio, Silio, Solino, Servio, Aimoino, atque Reginoni. quorum hic in Chronicis anno Chriſti IↃCCXLVI: *Carolomannus Romam perrexit; ibique ſe tetendit; & in Soracte monte monaſterium ædificavit, in honorem S. Silveſtri.* Aimoinus Francicar. rer. lib. IIII cap. LX: *Carlomannus, Romam profectus, dimiſsâ ſeculari gloriâ, habitum mutavit; & in monte Soracte monaſterium in honorem S. Silveſtri ædificavit.* Varro Ruſticar. rer. lib. II cap. IIII: *De caprarum velocitate in Originum libro Cato ſcribit hæc: In Sauracti* [adde, quod interiit, *&*] *Fiſcello capræ feræ ſunt, quæ ſaliunt è ſaxo pedes plus ſexagenos.* Horatius Carmin. lib. I odâ VIIII:

SORACTE mons, *cum* APOLLINIS luco *ac* templo.

Vide, ut altâ ſtet nive candidum
Soracte.

Ad quæ ita vetus eius commentator: *Soracte mons eſt in Faliſcis, Flaminiæ vicinus; in quo Apollo colebatur.* Plinius lib. XXXI cap. II: *Varro tradit, ad Soracten eſſe fontem, cuius ſit latitudo quatuor pedum: Sole oriente eum exundare, ferventi ſimilem. àveisque, quæ guſtaverint, juxtà mortuas jacere.* Et lib. II cap. XCIII: *Spiritus lethales alibi, aut ſcrobibus emiſſi, aut ipſo loci ſitu mortiferi: alibi volucribus tantùm; ut Soracte, vicino urbi tractu.* Apud Vitruvium lib. VIII cap. III ita ſcriptum eſt: *Alpibus in Cotti regno eſt aqua, quam qui guſtant, ſtatim concidunt. Agro autem Faliſco viâ Campaniâ in campo Corneto eſt lucus in quo fons oritur, ubi anguium & lacertarum reliquarumque ſerpentium oſſa jacentia adparent.* Sanè ſi pro hoc nimiùm obſcuro & nuſquàm alibi lecto *campo Corneto* non ſcriptum fuit ab ipſo Vitruvio, *monte Soracte*; ſal-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

cte; ſaltem vox *Campaniâ* corrigenda eſt in *Flaminiâ*. FONS autem hic tam mirandæ naturæ eſſe dudum deſiit. De cætero Strabo lib. V: Ὑπὸ δὲ τῷ Σωράκτῳ ὄρει Φερωνία πόλις ἐστίν, ὁμώνυμος ἐπιχωρίᾳ τινὶ δαίμονι, τιμωμένῃ σφόδρα ὑπὸ τῶν περιοίκων, ἧς τέμενός ἐστιν ἐν τῷ τόπῳ θαυμαστὴν ἱεροποιΐαν ἔχον. γυμνοῖς γὰρ ποσὶ διεξίασιν ἀνθρακιὰν καὶ σποδιὰν μεγάλην οἱ κατεχόμενοι ὑπὸ τῆς δαίμονος ταύτης ἀπαθεῖς· καὶ συνέρχεται πλῆθος ἀνθρώπων, ἅμα τῆς τε πανηγύρεως χάριν, ἣ συντελεῖται κατ᾽ ἔτος, καὶ τῆς λεχθείσης θέας. Hoc eſt: *Sub Soracto monte opidum eſt Feronia, communi indigenæ cuiusdam deæ vocabulo; quam incolæ impensè venerantur. eſtque illic fanum eius, in quo ſacrificium perpetratur mirabile. correpti quidpe eius numinis adflatu, nudis pedibus prunarum ardentium ſtruem inlæſi perambulant. turbaque eò hominum confluit, cùm conventus causâ, qui quotannis illic agitur; tum dicti ſpectaculi gratiâ.* Id, miror, Strabonem *Feroniæ* deæ adſcribere; quum omnes reliqui auctores *Apollini* tribuant. Plinius lib. VII cap. II: *Haud procul urbe Româ, in Faliſcorum agro, familiæ ſunt paucæ, quæ vocantur Hirpiæ: quæ ſacrificio annuo, quod fit ad montem Soractem Apollini, ſuper ambuſtam ligni ſtruem ambulantes non aduruntur. & ob id perpetuo ſenatus conſulto militiæ aliorumque munerum vacationem habent.* Et in eadem penè verba epitomator Plinii Solinus cap. VIII: *Eſt è memorabilibus inclitum, & inſigniter per omnium ora vulgatum, quòd perpaucæ familiæ ſunt in agro Faliſcorum, quos Hirpos vocant. hi ſacrificium annuum ad montem Soractem Apollini faciunt. idque operantes geſticulationibus religioſis, impunè inſultant ardentibus lignorum ſtruibus, in honorem divinæ rei flammis parcentibus. cuius devotionis myſterium, munificentiâ ſenatus honoratum, Hirpis perpetuò omnium munerum vacationem dedit.* Virgilius Aeneid. lib. VII:

At Meſſapus, equûm domitor, Neptunia proles,
Quem neque fas igni cuiquam nec ſternere ferro,
Iam pridem reſides populos deſvetaque bello
Agmina in arma vocat ſubitò, ferrumque retractat.
Hi Feſcenninas acies æquosque Faliſcos,
Hi Soractis habent arceis Flaviniaque arva
Et Cimini cum monte lacum lucosque Capenos.

Et Virgilii imitator Silius lib. VIII:

Hos juxta Nepeſina cohors æquique Faliſci,
Quique tuos Flavina focos, Sabatia quique
Stagna tenent Ciminique lacum, qui Sutria tecta
Haud procul, & ſacrum Phœbo Soracte frequentant.

Virgilius lib. XI:

Summe deûm, ſancti cuſtos Soractis, Apollo;
Quem primi colimus; cui pineus ardor acervo
Paſcitur; & medium, freti pietate, per ignem
Cultores multâ premimus veſtigia prunâ:
Da, pater, hoc noſtris aboleri dedecus armis.

Quæ & ipſa ſic imitatus Silius lib. V:

Tum Soracte ſatum, præſtantem corpore & armis,
Aequanum noſcens; (patrio cui ritus in arvo,
Quum pius Arcitenens adcenſis gaudet acervis,
Exſta ter innocuos latè portare per igneis)
Sic in Apollineâ ſemper veſtigia prunâ
Inviolata teras, victorque vaporis ad aras
Dona ſerenato referas ſolennia Phœbo;
Concipe, ait, dignum factis, Aequane, furorem
Vulneribusque tuis.

Ad poſteriorem Virgilii locum ita commentatur Servius: *Soracte mons eſt Hirpinorum, in Flaminiâ collocatus. In hoc autem monte quum aliquando Diti patri ſacrum perſolveretur; (nam diis Manibus conſecratus eſt) ſubitò venientes lupi exſta de igni rapuerunt. quos quum diu paſtores ſequerentur; delati ſunt ad quamdam ſpeluncam, halitum ex ſe peſtiferum emittentem; adeò, ut juxtà ſtanteis necaret. & exinde eſt orta peſtilentia; quia fuerant lupos ſequuti. de qua reſponſum eſt; Poſſe eam ſedari, ſi lupos imitarentur; id eſt, rapto viverent. quod poſtquàm factum eſt, dicti ſunt ipſi populi Hirpini Sorani. nam*

lupi

FONS *miranda natura.*

HIRPII *populi.*

lupi Sabinorum linguâ hirpi vocantur: Sorani verò à Dite: nam Ditis pater Soranus vocatur. quaſi lupi Ditis patris. unde memor rei Virgilius, Auruntem paullo pòſt comparat lupo: quaſi Hirpinum Soranum. Freti pietate. Iſte quidem hoc dixit. ſed Varro, ubique expugnator religionis, ait, quum quoddam medicamentum deſcriberet; Et ut ſolent Hirpini; qui, ambulaturi per ignem, medicamento plantas tingunt. Ergo à *Sorano*, Ditis patris cognomento, *Soractes* etiam mons denominatus fuerit. In vulgatiſſimis equidem Servii exemplaribus *Hirpini* ſcriptum eſt: pro quo alia habent *Hirpi*. at fabula hæc de *lupo* conficta videtur à grammaticis, occaſione *Hirpinorum* ſive *Irpinorum* gentis vocabuli, qui pars quondam fuêre Samnitium; teſte Strabone lib. VI. unde etiam Pompeius Feſtus: *Irpini adpellati nomine lupi, quem irpum dicunt Samnites. eum enim ducem ſequuti, agros occupavêre.* Et Samnites à Sabinis erant orti; ut ſuo loco docebitur. Occaſionem item erroris præbuit *Amſancti lacus* in iiſdem Hirpinis; ſpiritum lethalem & ipſe exhalans. HIRPII igitur dicti fuêre, non *Hirpini*, populi hi in Faliſco agro. unde etiam Plinius feminino genere dixit *Hirpias familias*. ex quo ſuos Solinus non dubiè *Hirpios* deſcripſit. Cæterùm duo hi auctores ſacra iſta Apollini facta tradunt *ad montem Soracten*. quod fortè Plinius idem valere voluit, quod Strabo ὑπὸ τῷ Σωράκτῳ ὄρει, *ſub Soracte monte*. At Servius & Horatii commentator dixêre, *in monte Soracte*. ex quorum ſententiâ LVCVS atque TEMPLVM APOLLINIS, quod heic haud dubiè fuit, eo ſitu fuiſſe cenſuerim, ubi nunc ipſum cœnobium S. Silveſtri conſpicitur.

Cæterùm *aqua* Faliſci agri pota, ut hodiéque, ſic olim etiam candidos boves efficiebat. Plinius lib. II cap. CIII: *In Faliſco omnis aqua pota candidos boves facit*. In pleriſque equidem exemplaribus legitur: *In Faliſco Clitumni amnis aqua pota*. Scilicet ſciolus quidam, omnis antiquioris geographiæ ignarus, Servii legerat ſcholia ad iſtos Virgilii verſus Γεωργικῶν lib. II:

Hinc albi, Clitumne, greges, & maxima taurus
Victima, ſæpè, tuo perfuſi flumine ſacro,
Romanis ad templa deûm duxêre triumphos.

Ad quæ ita commentatur Servius: *Clitumnus fluvius eſt in Mevaniâ, quæ pars eſt Vmbriæ. de quo fluvio, ut dicit Plinius in Hiſtoriâ naturali, animalia quæ potaverint, albos fœtus creant.* Certè Plinius nullibi meminit aquæ, quæ, ab animalibus pota, albos fœtus creat, niſi eius, quam loco præſcripto in Faliſco agro eſſe teſtatur. Hinc prædictus ſciolus, quum apud alios quoque complureis auctores, quos infrà cap. X citabimus, de *Clitumno* legiſſet, eius quoque aquas potatas candidos efficere boves; vocem *omnis* apud Plinium corrigere adgreſſus eſt in *Clitumni amnis*. quis enim tam ignarum regionum Latio confinium fuiſſe Plinium credat, uti neſciverit, *Clitumnum* amnem eſſe in Vmbriâ, *Faliſcum* verò agrum in Etruriâ? Atqui ipſe ſuprà dicto lib. III cap. V *Faliſcam coloniam* in Etruriâ, libro verò VII cap. II *Faliſcum agrum haud procul urbe Româ ad montem Soractem memorat*. Omnino igitur iſtic lib. II cap. CIII legendum, *In Faliſco omnis aqua pota candidos boves facit*. nam hodiéque totus hic tractus circa Soracten montem albos boves habet. De iiſdem ſic Ovidius ſuprà dicto Amor. lib. III eleg. XII:

Ducuntur niveæ, populo plaudente, juvencæ,
Quas aluit campis herba Faliſca ſuis.

Et Faſtor. lib. I:

Colla rudes operum præbent ferienda juvenci,
Quos aluit campis herba Faliſca ſuis.

Et Ponticor. lib. IIII eleg. VIII:

Agnaque tam lactens, quàm gramine paſta Faliſco,
Victima Tarpeios inficit icta focos.

LVCVS FERONIAE & CAPENA, *opida*. Cæterò, quia ſacrum illud ſuprà dictum Strabo tradit ad *Feroniam* opidum, alii verò auctores in Faliſci agri monte Soracte; haud dubiè FERONIA *opidum*, ſeu, ut aliis dicitur auctoribus, FERONIAE LVCVS ET TEMPLVM, conterminum fuit Faliſco agro & monti Soracti. Livius lib. XXVII: *In agro Capenate ad lucum Feroniæ IIII ſigna ſanguine multo diem ac noctem ſudaſſe, nunciatum*. Et poſteà: *Alterum in Capenate agro ad Feroniæ lucum*. Lib. XXXIII: *Aedes Feroniæ in Capenate de cælo tacta erat*. Ergo CAPENA quoque *opidum* agro Faliſcorum Soractique monti fuit con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

terminum. Hinc incolæ etiam eius CAPENATES plerumque Faliſcis conjungun-
tur in bellis Romanis apud Livium; ut ſuprà ad expoſitionem opidi Faleriorum vi-
dere eſt. Sed ab alterâ parte Veienti quoque agro Capenatem fuiſſe finitimum,
patet ex his Livii verbis lib. v: *Nec Veiis meliùs geſta res. auctum eſt bellum adventu re-
pentino Capenatium atque Faliſcorum. hi duo Etruriæ populi, quia proximi regione erant,
devictis Veiis, bello quoque Romano ſe proximos fore credebant*. Virgilius Aeneid. lib. vii:

Hi Feſcenninas acies æquosque Faliſcos,
Hi Soracti habent arceis Flaviniaque arva
Et Cimini cum monte lacum, lucosque Capenos.

Ad hæc ita legitur in Servii commentariis: *Lucosque Capenos. Hos, dicit Cato, Veien-
tum condidiſſe auxilio regis Propertii: qui eos Capenam, quum adoleviſſent, miſerat. unde
& porta Capena, quæ juxta Capenos eſt, nomen accepit*. Præter ingens librarii mendum,
quo ſenſus orationis planè exſtinctûs eſt, ipſius etiam Servii miro errore ea fœdata
eſt. Quis tam imperitus Romanæ urbis eſſe umquàm potuerit, uti neſciret, viam
Appiam per portam Capenam tuliſſe in Campaniam verſùs? Mendum autem eſt in
voce *auxilio*: pro qua ſic legendum cenſeo; *Hos, dicit Cato, filios condidiſſe Veientum
regis Propertii*. ſi modò hoc quoque nomen ſine vitio ſit. Cæterùm Cicero Fami-
liar. lib. VIIII epiſt. XVII: *Veientem agrum & Capenatem metiuntur*. Livius lib. XXVI:
His motus Hannibal, ad Turiam fluvium caſtra retulit, VI *millia paſſuum ab Vrbe. inde
ad lucum Feroniæ pergit ire; templum eâ tempeſtate inclytum divitiis. Capenates aliqui ad-
colæ eius erant, primitias frugum eò donaque alia pro copiâ portantes, multo auro argento-
que id exornatum habebant*. Locus hic cùm malè diſtinctus, tùm etiam mendo reſper-
ſus eſt. Ego ſic lego: *Inde ad lucum Feroniæ pergit ire. Templum, eâ tempeſtate incly-
tum divitiis, Capenates, qui adcolæ eius erant, primitias frugum eò donaque alia pro copiâ
portantes, multo auro argentoque exornatum habebant*. Non enim Livius dicere voluit,
lucum Feroniæ eſſe templum divitiis inclytum: ſed in luco Capenates adcolas, in
quorum agro id erat, templum habuiſſe inclytum divitiis; id eſt, multo auro argen-
tóque exornatum. Pergit Livius: *His omnibus donis tum ſpoliatum templum. Huius po-
pulatio templi haud dubia inter ſcriptores eſt. Cœlius, Romam euntem ab Ereto divertiſſe eò
Hannibalem tradit*. Eamdem hiſtoriam ex Livio ſic carmine reddidit Silius initio li-
bri XIII:

Segne iter emenſo vixdum Tarpeia videri
Culmina deſierant, torvos quum verſus ad Vrbem
Ductor Agenoreus vultus, remeare parabat.
Caſtra locat, nullâ lædens ubi gramina ripâ,
Turia deducit tenuem ſine nomine rivum,
Et tacitè Tuſcis inglorius adfluit undis.

Et poſt conſultationem:

His fractus ductor, convelli ſigna maniplis
Optato lætis abitu jubet. Itur in agros,
Dives ubi ante omneis colitur Feronia luco;
Et ſacer humectat fluvialia rura Capenas.
Fama eſt, intactas longævi ab origine Fauni
Creviſſe, in medium congeſtis undique donis,
Immenſum per tempus opes, luſtrisque relictum
Innumeris aurum; ſolo ſervante pavore.
Hæc avidas menteis & barbara corda rapina
Polluit; atque armat contemptu pectora divûm.

Patet ex hac Livii Siliique deſcriptione, *Capenam* opidum cum *Luco Feroniæ* fuiſſe
prope & Faliſcorum & Veientium fineis, & Soracten montem, & Sabini agri opi-
dum Eretum, quod nunc vulgò dici *Monte Ritondo*, pòſt in Sabinis docebo. Infe-
rioris ævi Virgilii commentator Pomponius Sabinus ita ad ſuprà ſcripta poëtæ ver-
ba commentatur: *Capenates dicuntur, qui poſt Vaccanas ad ſiniſtram partem habitant
ab Româ eunti*. Opidum intelligit, quod, haud procul Viterbio, vulgò dicitur in-
colis *Canapina*. ſicque omnium noſtri ævi geographorum habet ſententia. At quo-
modò hinc *ager Capenas* longo anguſtoque tractu trans Treiam flumen ad loca uſ-
que Soracti vicina & Veientium Sabinorumque fineis deducetur; quum tam exi-
guo x millium ſpacio Falerii ac Nepete inter ſe disſita ſint ad Treiam amnem, uti

agros

agros horum opidorum junctos inter ſe fuiſſe, dubitare nequeas? Inter Treiæ dextram ripam Tiberimque fuiſſe *Lucum Feroniæ*, certum eſt. Silius inquit;

Dives ubi ante omneis colitur Feronia luco;
Et ſacer humectat fluvialia rura Capenas.

Opidulum hodiè eſt, VI millia paſſuum ſuprà Eretum, ad Etruſcam Tiberis ripam, vulgari vocabulo *Fiano*; apud quod amnis limpidiſſimæ aquæ in Tiberim confluit, fontem è Soractis radicibus ambitioſo alveo deducens. haud procul hinc aliud eſt opidulum vulgò *La Civitella* dictum. Id vocabulum quum, unà cum voce *Cività* ſive *Città*, in plerisque Italiæ opidis antiquæ originis indicium ſit; haud equidem dubitaverim, quin heic vetus illa *Capena* fuerit. in propinquo autem alterum iſtud opidulum *Fiano* antiqui *Feroniæ fani* memoriam referre puto. & erutæ heic fuére ſuperioribus annis antiquæ inſcriptiones. Livius lib. I, de Tullo Hoſtilio, Romanorum rege, ita narrat: *Hac fiduciâ virium Tullus Sabinis bellum indicit; genti eâ tempeſtate ſecundùm Etruſcos opulentiſſimæ viris armisque. Vtrimque injuriæ factæ: ac res nequidquàm erant repetitæ. Tullus ad Feroniæ fanum mercatu frequenti negociatores Romanos comprehenſos querebatur: Sabini ſuos priùs in lucum confugiſſe, ac Romæ retentos. hæ cauſæ belli ferebantur. Sabini haud parum memores & ſuarum virium partem Romæ ab Tatio locatam, & Romanam rem nuper etiam adjectione populi Albani auctam; circumſpicere & ipſi externa auxilia. Etruria erat vicina. proximi Etruſcorum Veientes.* Eamdem rem ita refert Dionyſius Halicarnaſſenſis lib. III: Μετὰ δὲ τοῦτον τὸν πόλεμον ἕτερος αὐτοῖς ἀνέστη Ῥωμαίοις ἐκ τοῦ Σαβίνων ἔθνους. ἀρχὴ δὲ αὐτοῦ καὶ πρόφασις ἐγένετο τοιάδε· ἱερόν ἐστι κοινῇ τιμώμενον ὑπὸ Σαβίνων τε καὶ Λατίνων, ἅγιον ἐν τοῖς πάνυ, θεᾶς Φερωνείας ὀνομαζομένης· ἣν οἱ μεταφράζοντες εἰς τὴν Ἑλλάδα γλῶσσαν οἱ μὲν Ἀνθηφόρον, οἱ δὲ Φιλοστέφανον, οἱ δὲ Φερσεφόνην καλοῦσιν. εἰς δὲ τὸ ἱερὸν τοῦτο συνῄεσαν ἐκ τῶν περιοικίδων πόλεων κατὰ τὰς ἀποδεδειγμένας ἑορτὰς, πολλοὶ μὲν εὐχὰς ἀποδιδόντες καὶ θυσίας τῇ θεῷ, πολλοὶ δὲ χρηματιούμενοι διὰ τὴν πανήγυριν ἔμποροί τε καὶ χειροτέχναι καὶ γεωργοί· ἀγοραί τε αὐτόθι λαμπρόταται τῶν ἐν ἄλλοις τισὶ τόποις τῆς Ἰταλίας ἀγομένων ἐγίνοντο. Εἰς ταύτην δὲ τὴν πανήγυριν ἐλθόντας ποτὲ Ῥωμαίων ἄνδρας οὐκ ἀφανεῖς Σαβῖνοί τινες ἄνδρες συναρπάσαντες ἔδησαν, καὶ τὰ χρήματα ἀφείλοντο. πρεσβείας τε ἀφικομένης περὶ αὐτῶν, οὐδὲν ἐβούλοντο τῶν δικαίων ποιεῖν. ἀλλὰ καὶ τὰ σώματα καὶ τὰ χρήματα τῶν συλληφθέντων κατεῖχον, ἐγκαλοῦντες καὶ αὐτοὶ Ῥωμαίοις, ὅτι τοὺς Σαβίνων φυγάδας ὑπεδέχοντο, κατασκευάσαντες ἄσυλον ἱερόν. *. *. Καὶ διαλιπόντες τὸν ἐνιαυτὸν ἐκεῖνον, πάλιν ἐξῆγον ἐπ' ἀλλήλους. γίνεταί τε αὐτῶν περὶ πόλιν Ἠρητὸν ἀπὸ σταδίων ἑπτὰ καὶ ἑκατὸν τῆς Ῥώμης ἀγών. Hoc eſt: *Poſt hoc bellum aliud à Sabinis exortum eſt. cuius hæc fertur fama: Fanum eſt, quod Sabinis æquè ac Latinis ſummâ religione colitur, ſacrum deæ Feroniæ: quam Græci in ſuam linguam vertentes, modò* Ἀνθηφόρον, *modò* Φιλοστέφανον, *modò* Φερσεφόνην *vocant.* [id eſt, *Florigeram, Sertis gaudentem, Proſerpinam.*] *eò ſtatis diebus conveniebant è circumvicinis urbibus, alii votiva deæ redituri ſacrificia, alii negociaturi propter celebrem conventum, mercatores opificesque & agricolæ: quòd forum ibi eſſet totius Italiæ ſplendidiſſimum. Ad eam celebritatem profectos aliquando Romanos civeis non obſcuros Sabinorum quidam correptos & pecuniâ ſpoliatos in vincula conjecerant. legatisque eò miſſis, nihil æqui impetrari poterat. ſed tam viros retinebant, quàm pecunias: objicientes viciſſim Romanis, quòd, aperto aſylo, profugos Sabinos exciperent.* Exiguo pòſt: *Anno inſequente inſtauratum eſt bellum: pugnatumque ad Eretum centeſimo ſeptimo ab Vrbe ſtadio.* Patet ex his, in Sabinorum fine, id eſt, apud Tiberis ripam fuiſſe *Feroniæ fanum*: unde Sabini Romanorum quosdam per vim in alieno comprehenſos, protinus in ſuum agrum, trajecto amne, abripere potuerint. namque in Sabinorum, quod vult Antonius Sabellicus, non magis, quàm in Romanorum poteſtate tum fuiſſe id fanum cum opido & agro Capenate, ego crediderim. Cæterùm opidum *Capena* Stephani epitomatori dicitur Καπίννα, *Capinna*. Καπίννα, inquit, Τυῤῥηνικὴ πόλις. λέγεται καὶ πληθυντικῶς. τὸ ἐθνικὸν Καπιννάτης· τὸ κτητικὸν Καπινάτιος. Id eſt: *Capinna. Etruſcum opidum. quod plurali etiam numero dicitur. gentilitium inde Capinnates: poſſeſſivum Capinatius.* Adparet ex hac voce poſtremâ, ubique ſcriptum fuiſſe unicum ν. & quum eo ſæculo η pronunciaretur ut ι, ex Καπήνα factum eſt Καπίνα.

Cæterùm quum totus hic tractus circa Falerios, Nepete, & Capenam montemque Soracten ſit admodùm felix atque lætus; Cicero hinc in Oratione pro L. Flacco, *Si te agri,* inquit, *agri delectabant; heic alicubi in Cruſtumino aut Capenati paraviſſes.* At *Cruſtuminum* quem heic intellexerit *agrum*, incertum eſt; quando eo nomine bini

ne bini fuerint; alter ad lævam Tiberis ripam in Sabinis apud *Cruſtumium* opidum: quod nunc eſſe vulgari vocabulo *Marcigliana vecchia*, VI circiter millia paſſuum ab urbe Româ, pòſt in Sabinis docebo: alter in Etruriâ, ab eiusdem nominis opido CRVSTVMIO, ſeu CRVSTVMIA. unde etiam *Cruſtumina tribus* Romæ dicta eſt, Ciceroni in Oratione pro L. Cornelio Balbo memorata. Feſtus Pompeius: *Cruſtumina tribus, à Tuſcorum urbe Cruſtumenâ dicta*. Fortaſſis ſcripſerat ipſe Feſtus, *urbe Cruſtumeriâ*. nam ſic illud etiam in Sabinis opidum plerisque dicitur auctoribus. Plinius lib. III cap. V, poſt enumerata ſecundùm ordinem alphabeticum Etruriæ opida, tandem ita finit: *In eâdem parte opidorum veterum nomina retinent agri Cruſtuminus* [*&*] *Caletranus*. In *Caletranum agrum* deductam fuiſſe *Saturniam* coloniam, quæ nomen hodiéque retinet, ſuprà è Livii lib. XXXVIIII oſtenſum eſt. Itaque nec ex Plinio magis, quàm è Feſto, ſitus huius *Cruſtumini* in Etruriâ *agri opidi*que liquet. Verùm *Cruſtuminam tribum* à prædicto Sabinorum opido dictam fuiſſe, apertis verbis teſtatur Livius lib. XLII. *Permiſſu*, inquit, *omnium ita loquutus fertur: Sp. Liguſtinus tribus Cruſtuminæ ex Sabinis ſum oriundus, Quirites.*

STELLATINVS *ager.*

At STELLATINVM *agrum*, neſcio unde ſic dictum, à quo poſteà Romæ *Stellatina* adpellata eſt *tribus*, inter Capenam & Veios ac Falerios fuiſſe, ſatis liquidò ex Livio Feſtoque adparet. quorum hic, *Stellatina*, inquit, *tribus dicta, non à campo eo, qui in Campaniâ eſt; ſed eo, qui parum abeſt ab urbe Capenâ: ex quo Tuſci profecti Stellatinum eum campum adpellaverunt.* Livius lib. VI, in rebus anni Vrbis conditæ CCCLXVI: *Eo anno in civitatem accepti, qui Veientium Capenatiumque ac Faliſcorum per ea bella transfugerant ad Romanos: agerque iis novis civibus adſignatus.* Et anno ſequenti: *Iam & tribuni plebis, civitate ædificando occupatâ, conciones ſuas frequentare legibus agrariis conabantur. oſtentabatur in ſpem Pomptinus ager; tunc primùm, poſt acciſas à Camillo Volſcorum res, poſſeſſionis haud ambiguæ.* Et item proximo hinc anno: *Tribus* IIII *ex novis civibus additæ; Stellatina, Pomptina, Sabatina, Arnienſis.* Ex his *Sabatinam* dictam deductamque fuiſſe *à lacu Sabate*, ſuprà è Feſto didicimus. *Pomptinus ager* extra Etruriam fuit in Volſcis; ut ſuo loco pluribus oſtendetur. ARNIENSIS *tribus* utrùm ex Etruriâ an aliâ circa Vrbem regione deducta fuerit, nemini umquàm ſatis conſtabit; quando nulla eius præterea exſtat mentio. & parum certum, incorruptum id eſſe vocabulum. Qui ab *Arno* fluvio deducunt; parum attentè Livii hiſtorias legiſſe videntur. quidpe nulla ad ea tempora Romanis ad Arnum usque perlata fuêre arma, nullum imperium.

FESCENNIVM *opidum.*

Porrò eodem circa Falerios terrarum tractu fuit FESCENNIA ſive FESCENNIVM *opidum*, Dionyſio, Plinio, Solino, Feſto, ac Servio memoratum. ſed Dionyſio dicitur φασκένιον, FASCENIVM: niſi fortè alterum *ν* interciderit librariorum incuriâ. quidpe ea ſyllaba longa eſt apud Virgilium ſuprà dicto Aeneid. lib. VII, in his verſibus:

Hi Feſcenninas acies æquosque Faliſcos,
Hi Soractis habent arceis Flaviniaque arva,
Et Cimini cum monte lacum, lucosque Capenos.

Plinius lib. III cap. V, in alphabeticâ recenſione opidorum Etruriæ: *Ferentinum, Feſcennia, Hortanum, Herbanum, Nepete.* Solinus cap. VIII: *Feſcennium ab Argivis conditum.* Opidani igitur inde dicebantur FESCENNINI. quod tamen vocabulum apud Feſtum quoque legitur ſimplici *n*. *Feſcenini*, inquit, *verſus, qui canebantur in nuptiis, ex urbe Feſceninâ* [fortè rectiùs *Feſceniâ*] *dicuntur allati. ſive ideò dicti, quia faſcinum putabantur arcere.* Apud Plinium igitur lib. XV cap. XXII vox corrupta *Feſcenniorum* corrigenda eſt in *Feſcenninorum*, in his verbis: *Quamquàm & ipſæ nuces juglandes, nuptialium Feſcenninorum comites, multum pineis minores univerſitate, eædemque portione ampliores nucleo.* Servius ad præſcriptum Virgilii locum ita commentatur: *Feſcennium opidum eſt Campaniæ; ubi nuptialia inventa ſunt carmina. Hi autem populi ducunt originem ab Athenienſibus.* Vt ſuprà hic grammaticus, ſimilitudine nominum ac rerum deceptus, *Hirpios* in Etruriâ ad Soracten montem cum *Hirpinis* Samnitium parte, item peſtiferum fontem apud Hirpios cum lethali lacu Ampſancti in Hirpinis confudit; ſic heic ſimilitudine inductus laſcivorum carminum, quæ ab origine, quòd in opido Campaniæ *Atellâ* inventa erant, dicebantur *Atellana*, *Feſcennium* Campaniæ pronunciavit opidum; licèt quàm diſertiſſimè inter Etruriæ loca id referat poëta Virgilius. De cætero, quòd ab *Athenienſibus Feſcen-*

ninos

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

ninos ducere originem tradit, id haud perinde falſum fuerit. ſic quidpe ſcribit Dionyſius lib. I: Καὶ πόλεις πολλαί, τὰς μὲν οἰκουμένας ἔτι πρότερον ὑπὸ τῶν Σικελῶν, τὰς δὲ αὐτοὶ κατασκευάσαντες, ἃς κοινῇ μετὰ τῶν Ἀβοριγίνων· ὧν ἐστιν ἥ τε Καιρητανῶν πόλις, καὶ Πῖσα καὶ Σατορνία καὶ Ἄλσιον, καὶ ἄλλαι τινές· αἳ ἀνὰ χρόνον ὑπὸ Τυῤῥηνῶν ἀφῃρέθησαν. Φαλέριον δὲ καὶ Φασκέννιον ἔτι καὶ εἰς ἐμὲ ἦσαν οἰκούμεναι ὑπὸ Ῥωμαίων, μικρὰ ἄττα διασώζουσαι ζώπυρα τοῦ Πελασγικοῦ γένους, Σικελῶν ὑπάρχουσαι πρότερον. Id eſt: *Multaque opida partim antè ab Siculis habitata, partim ab ſe condita, indiviſa tenuerunt gentes ſociæ Pelaſgi & Aborigines. ex quibus ſunt Cære, Piſa, Saturnia, [illegible]lſium, & quædam alia: quæ poſtmodum à Tuſcis occupata fuerunt. Falerium verò ac Faſcennium, meo etiam tempore à Romanis habitata, parvas quaſdam ſcintillas ſervant Pelaſgici generis; quum anteà Siculorum fuerint.* ſic autem Thucydides tradit lib. IIII: Καὶ ἔνι καὶ Χαλκιδικὸν ἔνι [illegible] βραχύ, τὸ δὲ πλεῖστον Πελασγικὸν, τῶν καὶ Λῆμνόν ποτε καὶ Ἀθήνας Τυρσηνῶν οἰκησάντων. Id eſt: *Sunt ibi & Chalcidici generis homines, non ita multi; ſed maxima pars eſt Pelaſgicæ gentis, ex Tyrrhenis, qui aliquando Lemnum & Athenas inhabitaverant.* Idem ex Polyæno quoque & Porphyrio ſuprà cap. I huius libri II citavimus. ubi expoſitum, Pelaſgos hos in Italiâ proprio peculiarique vocabulo adpellatos fuiſſe *Tyrrhenos*. quod nomen poſteà Græci *Etruſcis*, Pelaſgorum Tyrrhenorum inquilinis, abuſivè tribuerunt. Tam igitur antiqua huius opidi fuit origo: ut quod diu ante Troianum bellum à Siculis, vel, quod propius vero, ab Vmbris conditum habitatumque; poſteà verò ante idem etiamdum bellum à Pelaſgis occupatum. quorum generis μικρὰ ἄττα ζώπυρα, id eſt, *ſcintillæ quædam exiguæ* ad Dionyſii uſque tempora perdurarunt in hoc ſimul & in Faleriorum opido. Atque ex hoc indicio, ſimulque quòd à Virgilio conjunguntur ſuprà ſcripto verſu, contermina inter ſe fuiſſe conjecerim. Suprà dictus Antonius Maſſa, in libro de Origine & rebus Faliſcorum; ubi, antiquorum Faliſcorum urbem *Faliſcum* nunc eſſe *Galeſium* opidum apud Tiberim amnem, contendit; CIƆCCC paſſibus ab eo antiquiſſima ait ruinarum veſtigia exſtare, ſæpiùs ab aratoribus effoſſa. quæ ſane ego *Faſcenni* ruinas eſſe dixerim; quando nullum fuiſſe *Faliſcum* opidum, niſi quod *Falerium* dictum fuit, abundè ſuprà demonſtratum eſt.

Cæterùm FLAVINIA iſta Virgilii Silio dicitur FLAVINA lib. VIII, his verſibus: FLAVINIVM *opidum*.

> *Hos juxta Nepeſina cohors æquique Faliſci,*
> *Quique tuos Flavina focos, Sabatia quique*
> *Stagna tenent, Ciminique lacum, qui Sutria tecta,*
> *Haud procul & ſacrum Phœbo Soracte frequentant.*

Servius ad eumdem Virgilii locum: *Locus eſt in Italiâ, Flavinium nomine.* Adeò ſcilicet vel jam tum non exſtitit hoc opidum, vel obſcurum fuit, uti nihil ampliùs de eo innotuerit Servio, quàm quod quivis etiam puer perſpicere potuerit. Sed & hoc incertum, utrùm loci nomen fuerit *Flavina*; unde gentilitium Virgilio formatum *Flavinius*; an verò ipſe locus *Flavinia* fuerit: unde Silius fecerit *Flavina*, ad imitationem Virgilii; qui initio mox Aeneid. libri primi *Lavina* dixit *litora*, à *Lavinio* opido.

Porrò iter in Tabulâ itinerariâ, ut ſuprà allatum, huiuſmodi eſt:

Faleros	
Caſtello Amerino	XII.
Ameria	VIIII,

Ex his *Ameria* Vmbriæ eſt opidum, vulgò nunc *Amelia* dictum. CASTELLVM igitur iſtud AMERINVM ex numeris milliarium utrimque adpoſitis id diſpicitur eſſe opidum, quod, haud perinde procul Tiberis dextrâ ripâ, in editâ rupe ex adverſo atque in conſpectu Ameriæ poſitum, vulgò nunc vocatur incolis *Baſſano*. Idem caſtellum Plinius Junior lib. VIII epiſt. XX, quæ eſt ad Gallum, *Amerinum* adpellat *prædium proſoceri ſui*; cui ſubjectus erat mirabilis naturæ LACVS VADIMONIS: quem exactè illic deſcribit. Verba epiſtolæ hæc ſunt: *Ad quæ noſcenda iter ingredi, transmittere mare ſolemus; ea ſub oculis poſita negligimus: ſeu, quia ita naturâ comparatum, ut, proximorum incurioſi, longinqua ſectemur; ſeu, quòd omnium rerum cupido langueſcit, quum facilis occaſio eſt: ſeu, quòd differimus, tamquàm ſæpè viſuri, quod datur videre, quoties velis cernere. Quacumque de causâ; permulta in Vrbe noſtrâ juxtaque* *Vrbem*

CASTELLVM AMERINVM.

LACVS VADIMONIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Vrbem, non oculis modò, ſed ne auribus quidem novimus. quæ ſi tuliſſet Achaia, Aegyptus, Aſia, aliave quælibet miraculorum ferax commendatrixque terra; audita, perlecta, luſtrataque haberemus. Ipſe certè nuper, quod nec audieram, nec videram, audii pariter & vidi. Exegerat proſocer meus, ut Amerina prædia ſua inſpicerem. hæc perambulanti mihi oſtenditur ſubjacens lacus, nomine Vadimonis; ſimul quædam incredibilia narrantur. perveni ad ipſum. Lacus eſt in ſimilitudinem rotæ circumſcriptus, & undique æqualis: nullus ſinus; obliquitas nulla. omnia dimenſa, paria, & quaſi artificis manu cavata & excifa. Color cæruleo albidior, viridior, & preſſior. ſulphuris odor; ſaporque medicatus. vis, qua fracta ſolidantur. Spacium modicum: quod tamen ſentiat ventos, & fluctibus intumeſcat. Nulla in hoc navis; ſacer enim eſt: ſed innatant inſulæ herbidæ, omnes arundine & junco tectæ; quæque alia fœcundior palus ipſaque illa extremitas lacus effert. ſua cuique figura, ut modus: cunctis margo deraſus; quia frequenter vel litori vel ſibi illiſæ terunt teruntùrque. par omnibus altitudo; par levitas. quidpe in ſpeciem carinæ humili radice deſcendunt. hæc ab omni latere perſpicitur: eâdem aquâ pariter ſuspenſa & merſa. interdum junctæ copulatæque & continenti ſimiles ſunt: interdum diſcordantibus ventis digeruntur: nonnumquàm deſtitutæ tranquillitate ſingulæ fluitant. ſæpè minores maioribus, velut cymbulæ onerariis, adhæreſcunt: ſæpè inter ſe maiores minoresque quaſi curſum certamenque deſumunt. rurſum omnes in eumdem locum adpulſæ, quà ſteterunt, promovent terram: & modò huc modò illuc lacum reddunt auferuntque: ac tum demum, quum medium tenuêre, non contrahunt. Conſtat pecora herbas ſequuta, ſic in illas, ut in extremam ripam, procedere ſolere: nec priùs intelligere mobile ſolum, quàm litore abrepta, quaſi illata & impoſita, circumfuſum undique lacum pavent. mox, quo tulerit ventus, egreſſa, non magis, ſe deſcendiſſe, ſentire, quàm ſenſerint adſcendiſſe. Idem lacus in flumen egeritur: quod ubi ſe paullisper oculis dedit, ſpecu mergitur; altèque conditum meat: ac, ſi quid antè, quàm ſubduceretur, accepit; ſervat & profert. Hæc tibi ſcripſi; quia nec minùs ignota, quàm mihi, nec minùs grata credebam. nam te quoque, ut me, nihil æquè ac naturæ opera delectant. Vale. Memoratur hic *Vadimonis lacus* Polybio quoque ac Livio, Senecæ, Plinio, Sotioni, & Floro. Polybius lib. II: Οἱ δὲ Βοιοὶ θεωροῦντες ἐκπεπτωκότας τοὺς Σήνωνας, καὶ δείσαντες περὶ σφῶν καὶ τῆς χώρας, μὴ πάθωσι τὸ παραπλήσιον, ἐξεστράτευσαν πανδημεί, παρακαλέσαντες Τυρρηνούς. Ἀθροισθέντες δὲ περὶ τὴν Ὀάδμονα προσαγορευομένην λίμνην, παρετάξαντο Ῥωμαίοις. Id eſt: *Boii, ut excidiſſe ſedibus ſuis Senones vident; metu ſimilis fortunæ, omnibus ſuis, qui arma ferre poterant, excitis, Etruſcis etiam advocatis, cum Romanis apud lacum Vadimonis acie inſtructâ certamen inierunt.* Vt paſſim alia propria nomina apud Polybium, ſic hoc etiam fortè corruptum eſt ab genuino Οὐαδίμονα. In fragmentis Sotionis de Miraculis fontium fluminumque & lacuum ſic ſcriptum eſt: Ἔστι δὲ καὶ Λάκος ἡ Ἄμμωνος καλουμένη λίμνη οὐ μεγάλη ἐν Ἰταλίᾳ, ὁμοίως ἔχουσα νησία τινὰ [illegible]. Heic etiam viri docti rectè correxerunt Λάκος Οὐαδίμωνος. unde totus locus ſic vertitur: *Eſt & Lacus Vadimonis haud magnus in Italiâ, conſimiliter habens exiguas quasdam inſulas, quas venti huc illuc impellunt.* Seneca Natural. quæſtion. lib. III cap. XXV: *Ipſe ad Cutylias natantem inſulam vidi. alia in Vadimonis lacu vehitur; alia in lacu Statonienſi.* Plinius lib. II cap. XCV: *Quædam inſulæ ſemper fluctuant; ſicut in agro Cæcubo, & eodem Reatino, Mutinenſi, Statonienſi, in Vadimonis lacu.* Livius lib. VIIII: *Ad Vadimonis lacum Etruſci, lege ſacratâ coacto exercitu, quum vir virum legiſſet, quantis numquàm aliàs antè ſimul copiis ſimul animis dimicarunt.* Florus lib. I cap. XII: *Tandem omneis reliquias Gallorum in Etruriâ ad lacum Vadimonis Dolabella delevit.* Vocatur hodiè lacus vulgò ab opido proximo *Il lago di Baſſano*; juncis ac vepribus cinctus; *in ſimilitudinem rotæ* etiam nunc *circumſcriptus, & undique æqualis; nullo ſinu, obliquitate nullâ; colore cæruleo albidiore & viridiore; odore ſulphureo, ſaporeque medicato*: ſed ſpacio longè, quàm olim, breviore: quod neque *navim*, neque *inſulas pecora ingreſſa* portanteis in medio ferre poſſit. altitudinis tamen eſt immenſæ. undæque eius nonnumquàm flatibus per ſubterraneos cuniculos repentè erumpentibus mirandum in modum commoventur: interdum ſubſidunt; nec effluunt: idque aliquando per integrum annum. mox iterum in tantum exundant, uti brevi in Tiberim decurſu plureis ſimul convolvant molas. piſceis nec gignit lacus nec alit: ſed luridos ſerpenteis teſtundinesque. interdum carbones ejectat. De cætero ſubjacet Baſſano opido circùm lacum hunc apud Tiberim amnem ſpacioſiſſimus ſimul & æquiſſimus campus; in quo Romani anno urbis Romæ CCCCLXIII, Q. Fabio Maximo Rulliano

liano iterum & Q. Marcio Rulio conſulibus, teſte Livio dicto lib. VIIII, cum Etruſcis, anno verò XXVII pòſt, P. Cornelio Dolabellâ Maximo & Cn. Domitio Calvino conſulibus, teſte Floro ſuprà memorato, cum Senonibus Gallis dimicarunt. quamquàm Polybius lib. II poſt Senonum excidium cum Etruſcis & Boiis Gallis heic pugnatum tradit. quod à Q. Aemilio Papo conſule, qui collegam habuit C. Fabricium Luſcinum anno poſt P. Cornelium Dolabellam, factum eſſe, infra ad Cortonæ urbis expoſitionem patebit.

Porrò opida Etruriæ Plinio dicto lib. III cap. V recenſentur inter alia *Herbanum* & *Hortanum*, his verbis: *Ferentinum, Feſcennia, Hortanum, Herbanum, Nepete, Novempagi præfecturæ Claudiæ Foro Clodii*. Sed ex his nullus certus iis colligi poteſt ſitus: ſiquidem ordinem literarum, non ſitum ſingulorum locorum, ſequitur in mediterraneis Plinius. HORTANVM tamen haud dubiè id eſt opidum, quod apud Tiberis Narisque amnium confluenteis hodiè dicitur vulgò *Orti* & *Orta*, ſine adſpiratione; quam Itali prorſus nullam in lingvâ ſuâ habent ſive pronunciant, quamvis ſæpe adſcriptam: Paullo verò Diacono Langobardicarum rerum lib. III: cap. VIII HORTA, in his verbis: *Huc etiam tempeſtate Romanus, patricius & exarchus Ravennæ, Romam properavit. Qui, dum Ravennam revertitur, recepit civitates, quæ à Langobardis tenebantur; quarum iſta ſunt nomina: Sutrium, Polimartium, Horta, Tudertum, Peruſia*. Omnes circa Tiberim ſitæ ſunt; *Sutrium*, *Polimartium*, *Horta* atque *Peruſia*, à dextrâ eius ripâ, in Etruriâ. nam & POLIMARTIVM hodiéque haud procul Hortâ verſùs occaſum Solis hiberni dicitur vulgò corrupto vocabulo *Bomarzo* & nonnumquàm *Bonmarzo*. Haud dubiè antiquiſſimum atque primum illius opidi nomen fuit *Horta*. unde Plinio derivativum vocabulum *Hortanum*. Anaſtaſius in vitâ Gregorii Magni eadem penè refert verba, quæ modò ex Diacono citavi. in vitâ autem Leonis Quarti meminit *Hortanæ & Ameriæ valdè antiquarum civitatum*.

HORTANVM opidum.

HERBANVM verò interpretantur plerique id opidum, quòd ad Clanis Paliæque confluenteis vulgò hodiè dicitur *Orvieto*. Id Procopio Gothicar. rer. lib. II ſæpiùs vocatur Οὐρβιβεντὸς, VRBIVENTVS. Οὐίττιγις μὲν οὖν, inquit, τῷ καταλοίπῳ ἐπὶ Ῥάβεννης ἰὼν, τῶν χωρίων τὰ ὀχυρώματα πλήθει φρουρῶν ἐκρατύνατο. ἐν Κλουσίῳ μὲν τῇ πόλει χιλίους τε ἄνδρας καὶ ἄρχοντα Γιλίμερα ἀπολιπών· ἔν τε Οὐρβιβεντῷ τοσούτους· οἷς δὴ ἄρχοντα Ἄλβιλαν ἄνδρα Γότθον ἐπέστησε. Id eſt: *Vitigis cum reliquis copiis Ravennam verſus tendens, munitiones opidorum validis præſidiis firmavit: Cluſii mille viris cum duce Gilimere relictis; Vrbiventi totidem; quibus Albilam Gothum præfecit*. Et poſteà: Ἄλλα τε χωρία πολλὰ πρὸς ἀξιομάχων ἡμῖν φρουρεῖται βαρβάρων, μέχρι ἐς Οὐρβιβεντὸν, ἣ Ῥώμης ἐγγιτόνων τυγχάνει οὖσα. Hoc eſt: *Alia item loca compluria fortiſſimorum barbarorum præſidiis tenentur, usque ad Vrbiventum; quæ Romæ eſt vicina*. Sed & ſitum eius poſthæc quàm adcuratiſſimè deſcribit, his verbis: Βελισάριος γὰρ, ἐπειδὴ τάχιστα ἐς Οὐρβιβεντὸν ἀφίκετο, ἅπαντας μὲν στρατοπεδεύσασθαι ἐν χώρῳ ἐπιτηδείως κειμένῳ ἐκέλευεν. αὐτὸς δὲ κύκλῳ περιιὼν, διεσκοπεῖτο, εἴ πως αὐτὴν βιάζεσθαι δυνατὰ εἴη. καὶ οἱ μηχανὴ μὲν οὐδεμία ἔδοξεν εἶναι, ὥστε βίᾳ τινὶ τὸ χωρίον ἑλεῖν. λάθρα δὲ αὐτὸ ἐξ ἐπιβουλῆς οὐ παντάπασιν ἐδόκει ἀμήχανός οἱ ἡ ἐπικράτησις ἔσεσθαι. λόφος γάρ τις ἐκ κοίλης γῆς ἀνέχει μόνος· τὰ μὲν ὕπερθεν ὕπτιός τε καὶ ὁμαλὸς· τὰ δὲ κάτω κρημνώδης. ἀμφὶ δὲ τὸν λόφον ἰσομήκεις πέτραι, κύκλον ἐν αὐτῷ ποιοῦσαι, οὐκ ἀγχιστά πη οὖσαι, ἀλλ' ὅσον βολὴν ἔχουσαι λίθου. ἐπὶ τούτου δὲ τοῦ λόφου οἱ πάλαι ἄνθρωποι τὴν πόλιν ἐδείμαντο, οὐδὲ τείχη περιβαλόντες οὐδ' ἄλλο τι ὀχύρωμα ποιησάμενοι· ἐπεὶ φύσει αὐτοῖς τὸ χωρίον ἀνάλωτον ἔδοξεν εἶναι. μία γὰρ ἐς αὐτὴν ἐκ τῶν πετρῶν εἴσοδος τυγχάνει οὖσα· ἧς φυλασσομένης, τοῖς ταύτῃ οἰκημένοις οὐδεμίαν ἑτέρωθι πολεμίων προσβολὴν δεδιέναι ξυμβαίνει. χωρὶς γὰρ τοῦ χωρίου, ᾗ τὴν εἴσοδον ἡ φύσις ἐς τὴν πόλιν ἐπετεχνήσατο, ὥσπερ ἐρρήθη, ποταμός τε ἀεὶ μέγας τε καὶ ἀπόρευτος τὸ μεταξὺ ἔχει τοῦ τε λόφου καὶ τῶν πετρῶν, ὧν ἄρτι ἐμνήσθην. διὸ δὴ καὶ βραχεῖάν τινα οἰκοδομίαν ἐν ταύτῃ τῇ εἰσόδῳ πεποίηνται παλαιοὶ Ῥωμαῖοι. Hoc eſt: *Veliſarius ſimul atque Vrbiventum pervènit; univerſos loco opportuno caſtra ponere juſſit. ipſe verò omnem urbem circumiens, ſpeculabatur, num aliquâ ex parte impetum in eam facere poſſet. Ac nullâ quidem machinâ, nullâ vi expugnari poſſe videbatur. per inſidias verò eâ ſe potiri poſſe, haud deſperabat. quidpe tumulus ex cavâ terrâ erigitur unicus: ſuperiore ſui parte planus atque æqualis; inferiore autem præruptus. circùm eum rupes pari altitudine, non ita propè, ſed ad lapidis fermè jactum, urbem undique cingunt. ſuper hunc tumulum priſci mortales urbem ædificarunt, nullis muris clauſam aliove opere munitam. ſiquidem locus ipſe naturâ ſuâ inexpugnabilis videbatur eſſe.*

POLIMARTIVM opidum.

HERBANVM opidum: quod posteà VRBS VETVS.

quidpe ûnicus ad urbem à petris patet acceſſus. quo cuſtodito, incolæ nullum aliunde ho-
ſtium impetum metuebant. etenim eo loco, quo natura aditum ad urbem ſtruxit, ut di-
ctum eſt, amnis ſemper magnus atque impervius ſpacium, quod medium eſt inter tumulum
& prædicta ſaxa, occupat. proinde etiam exiguam quamdam fabricam in hoc aditu ſtru-
xerunt priſci Romani. Sanè cuncta hæc probè in dictum opidum *Orvieto* congruunt.
Amnem autem intelligit *Clanem*; vulgò adcolis nunc *Chiana* dictum. de quo plu-
ra infrà cap. x dicemus. Idem opidum apud Paullum Diaconum Langobardicar.
rer. lib. IIII cap. XXXIII VRBS VETVS adpellatur. *Civitates quoque*, inquit, *Tu-*

BALNEVM REGIS, opidum.

ſciæ; hoc eſt, Balneum regis & Vrbs vetus, à Langobardis invaſæ ſunt. Hoc igitur verum
ac proprium fuit *Orvieti* nomen: à quo detortum fecit vocabulum Procopii ſæcu-
lum οὐβιβεντὸς, *Vrbiventus*; quaſi οὐρβιβετὸς, *Vrbivetus*: quemadmodùm Piceni opi-
dum, quod Plinio Antoninoque & Tabulæ itinerariæ eſt *Vrbs Salvia*, Ptolemæo
verò Οὔρβα Σαλουία, eidem Procopio eodem libro dicitur οὐρβισαλία, *Vrbiſalia*:
quod nomen hodiéque retinet. Cæterò *opidum* BALNEVM REGIS hodiéque de-
torto vocabulo vulgò vocatur *Bagnaréa*.

Porrò iter in Itinerariis Romanis deſcribitur per Etruriam tale:

Tabulæ:		Antonini:	
Roma		*Roma*	
Ad Sextum	....		
Veios	VI.	*Baccanas*	XXI.
Sutrio	XII.	*Sutrio*	XII.
Vico Matrini	....		
Foro Caſsî	IIII.	*Foro Caſsî*	XI.
Aquas Paſſaris	XI.		
Volſinîs	VIIII.	*Vulſinîs*	XXVIII.

BACCANAE opidulum.

Alia heic exemplaria habent *Daccanas*, alia *Tacanas*, alia *Pacanas*. ſed BACA-
NAE ſive BACCANAE fuit nomen eius opiduli, quod hodiéque XV circiter millia
paſſuum à Româ vocatur vulgò *Baccano*. Apud Antoninum igitur ſcripta fuiſſe pu-
to XVI millia.

SVTRIVM colonia & municipium.

Atque hinc ad XII millia eſt antiquum in primis *opidum* SVTRIVM, vulgò
nunc *Sutri* dictum. Memoratur Plauto, Livio, Diodoro, Straboni, Paterculo,
Plutarcho, Appiano, Ptolemæo, ac præſcriptis Itinerariis, Stephanique epitoma-
tori. Plautus eius meminit in Captivis; Plutarchus in Camillo; Appianus Civil.
bellor. lib. V. Sed apud hunc corruptum vocabulum legitur Σούβριον. quod imperi-
tus geographiæ interpres, unà cum ſequenti voce χωρίον, malè vertit *Inſubrum re-*
gionem: quum heic de locis atque opidis agatur Romæ vicinis. De L. Antonio lo-
quens Appianus qui paullo antè cum quibusdam copiis Romam venerat; ὁ δὲ Λεύ-
κιος, inquit, ἀπήντα Σαλβιδιήνῳ μετὰ στρατοῦ πολλοῦ πρὸς Καίσαρα ἐκ Κελτῶν ἐπανιόντι· καὶ εἵ-
ποντο τῷ Σαλβιδιήνῳ Ἀσίνιός τε καὶ Οὐεντίδιος, Ἀντωνίου στρατηγοὶ καὶ οἵδε, κωλύοντες αὐτὸν ἐς τὸ
πρόσθεν ἰέναι. Ἀγρίππας δὲ φίλτατος Καίσαρι, δείσας ἐπὶ τῷ Σαλβιδιήνῳ μὴ κυκλωθείη, περι-
Σούτριον κατέλαβε, χωρίον τι χρήσιμον τῷ Λευκίῳ, νομίσας τὸν Λεύκιον ἀπὸ τοῦ Σαλβιδιήνου πρὸς
σπάσειν ἐφ' ἑαυτὸν, καὶ οἱ τὸν Σαλβιδιήνον βοηθήσειν κατόπιν τοῦ Λευκίου γιγνόμενον. καὶ τάδε μὲν, ὡς προσ-
εδόκησεν ὁ Ἀγρίππας, ἐγίγνετο ἅπαντα. ὁ δὲ Λεύκιος ἀποτυχὼν ὧν ἐπενόει, πρὸς Ἀσίνιον καὶ Οὐεν-
τίδιον ᾔει, ἐνοχλούντων αὐτὸν ἑκατέρωθεν Σαλβιδιήνου τε καὶ Ἀγρίππου, καὶ φυλασσόντων ὅτε μάλιστα
ἐπιλάβοιεν ἐν τοῖς στενοῖς· ἐκφανείσης δὲ παρ' αὐτὰ τῆς ἐπιβουλῆς, ὁ Λεύκιος οὐ θαρρῶν ἀμφοτέροις ἑ-
κατέρωθεν οὖσιν ἐς χεῖρας ἰέναι, ἐς Περυσίαν παρῆλθεν ὀχυρὰν πόλιν, καὶ παρ' αὐτὴν ἐστρατοπέδευσε, τοὺς
περὶ τὸν Οὐεντίδιον περιμένων. Id eſt: *Lucius Salvidieno profectus eſt obviam, cum magnis copiis*
revertenti ad Cæſarem è Galliâ: quem à tergo ſequebantur Aſinius Ventidiusque, & ipſi du-
ces Antoniani; impedientes ne ulteriùs procederet. Tum Agrippa, Cæſari amiciſſimus, ve-
ritus ne Salvidienus circumveniretur, Sutrium occupavit, opidum Lucio opportunum; pu-
tans fore, ut ille à Salvidieno in ſe averteretur, & à tergo infeſtaretur ab eo. nec feſellit A-
grippam ſua opinio. Lucius, cœpto fruſtratus, ad Aſinium Ventidiumque contendit; Salvi-
dieno Agrippâque utrimque occaſionem invadendi eum captantibus, atque itinerum angu-
ſtias maximè cuſtodientibus. Quapropter ille, ubi inſidias ſibi parari cognovit; non auſus cum

utrimque

utrimque imminente hoſte manus conſerere; Peruſiam petiit; urbem validam munitamque: & ibi caſtra poſuit; Ventidium exſpectaturus. Octavius Cæſar tum in Latio erat apud *Setiam* opidum; in quo Furnium, Lucii Antonii legatum, oppugnabat; ut continuò antè tradit Appianus. huc igitur quum Salvidienus, ex Hiſpaniâ & Galliâ adveniens, contenderet, inſequentibus eum à tergo Aſinio Ventidioque; Lucius ab urbe Româ profectus, ultra *Sutrium* progreſſus eſt. hunc Agrippa inſequutus ab Vrbe, ipſum opidum Sutrium in itinere viæ Caſſiæ occupavit; ut hac ratione unà cum Salvidieno Lucium in medio concluſum armis adgrederetur. id metuens Lucius, è Caſſiâ viâ ſeceſſit Peruſiam, urbem munitam. Vehementer igitur heic erravit interpres Latinus, *Inſubrium* ſubjiciens *regionem*; cuius caput *Mediolanum*. Cæterùm opidani ab *Sutrio* ſunt Livio, Plinio, Frontino, ac Stephani epitomatori SVTRINI. Epitomator Stephani: Σούτριον πόλις, ἡ πρότερον Τυῤῥηνῶν, ὕστερον δὲ Ῥωμαίων. τὸ ἐθνικὸν Σουτρηνός. Id eſt: *Sutrium opidum, quod antè Etruſcorum fuit, poſteà verò Romanorum. Gentilitium inde Sutrinus.* Poſteriori quippe ſæculo η pronunciabatur ut *i*. unde etiam vocabulum Σουτρῖνος factum Σουτρηνός. Apud Diodorum fine lib. XIIII ita de Camillo ſcriptum eſt: Ἐκεῖθεν δ' ἀνέζευξεν εἰς Σουτριανὴν, οὖσαν ἀποικίαν, ἣν οἱ Τυῤῥηνοὶ βίᾳ κατειλήφεισαν. προσπεσὼν δ' ἄφνω τοῖς Τυῤῥηνοῖς, πολλοὺς μὲν αὐτῶν ἀνεῖλε, τὴν δὲ πόλιν ἀνέσωσε τοῖς Σουτριανοῖς. Omnino Dionyſius ſcripſerat εἰς Σούτριον, Ῥωμαίων οὖσαν ἀποικίαν· & poſteà Σουτρίνοις. Itaque ſic integer locus vertendus: *Hinc Sutrium, Romanorum coloniam, quam Etruſci occupaverant, cum exercitu pergit. ſubitâque irruptione Etruſcos adortus, magnâ hoſtium ſtrage factâ, Sutrinis opidum reſtituit.* Idem auctor poſteà lib. XX, in conſulatu Q. Fabii Maximi Rulliani & C. Marcii Rutilii Cenſorini; anno urbis Romæ CCCCXLIIII: Τῶν δὲ Τυῤῥηνῶν στρατευσάντων ἐπὶ πόλιν Σούτριον, ἄποικον Ῥωμαίων, οἱ ὕπατοι δυνάμεσιν ἁδραῖς ἐκβοηθήσαντες, ἐνίκησαν μάχῃ τοὺς Τυῤῥηνούς. * · * · Ὁ δὲ Φάβιος, Τυῤῥηνῶν πολλοῖς πλήθεσιν ἐπὶ τὸ Σούτριον συνδεδραμηκότων, ἔλαθε τοὺς πολεμίους διὰ τῆς τῶν ὁμόρων χώρας συνεμβαλὼν εἰς τὴν ἀνωτέρω Τυῤῥηνίαν. * · * · Συνηνάγκασε τοὺς Τυῤῥηνοὺς λῦσαι τὴν τοῦ Σουτρίου πολιορκίαν. Id eſt: *Quum Sutrium, Romanorum coloniam, infeſto exercitu peterent Etruſci; ad defenſionem eius validis cum copiis profecti conſules, Etruſcos prælio vicerunt.* Mox: *At Fabius, quum Etruſci ingenti cum multitudine ad oppugnandum Sutrium confluxiſſent, inſciis hoſtibus per finitimorum agros in Etruriam ſuperiorem irruptionem fecit.* Statim: *Ad omittendam Etruriæ obſidionem Etruſcos adegit.* Plinius etiam lib. III cap. V *coloniam* adpellat. *Intus*, inquit, *coloniæ, Faliſca, Lucus Feroniæ, Ruſellana, Senenſis, Sutrina.* Et apud Velleium Paterculum lib. I ita ſcriptum eſt: *Poſt VII annos, quàm Galli Vrbem ceperunt, Sutrium deducta colonia eſt; & poſt annum Setia; novemque interjectis annis Nepete.* At Diodorus iſta narrat geſta anno poſt captam Vrbem; ut & Livius lib. VI. qui tamen non *coloniam*, ſed *ſociam* Romanorum vocat *urbem* Sutrium. *Quum in eâ parte*, inquit, *in qua caput rei Romanæ Camillus erat, ea fortuna eſſet, aliam in partem terror ingens ingruerat. Etruria propè omnis armata Sutrium, ſocios populi Romani, obſidebat. quorum legati, opem rebus adfectis orantes, quum ſenatum adiſſent, decretum tulêre, ut dictator primo quoque tempore auxilium Sutrinis ferret.* Et lib. VIIII, annis LXXVII pòſt, C. Iunio Bubulco III & Q. Aemilio Barbulâ II conſulibus: *Dum hæc geruntur in Samnio, jam omnes Etruriæ populi, præter Aretinos, ad arma ierant; ab oppugnando Sutrio, quæ urbs ſocia Romanis, velut clauſtra Etruriæ erat, ingens orſi bellum.* Vehementer igitur hi tres inter ſe diſſentiunt, Livius, Diodorus, Velleius. Ac verendum ſanè, ne apud hunc eo loco legendum ſit *Satricum*. namque Livius dicto lib. VI, in rebus geſtis anni poſt Vrbem à Gallis captam V, ſic tradit: *Dictator de Volſcis triumphavit, invidiæque magis triumphus, quàm gloriæ fuit. quippe domi, non militiæ, partum eum; actumque de cive, non de hoſte, fremebant. unum defuiſſe tantùm ſuperbiæ, quòd non M. Manlius ante currum ſit ductus. Iamque haud procul ſeditione res erat. cuius leniendæ causâ, poſtulante nullo, largitor voluntarius, repentè ſenatus factus, Satricum coloniam duo millia civium Romanorum deduci juſſit.* Opidum hoc erat antè Volſcorum. unde ita etiam poſteà: *Bellum Præneſtinis indictum. qui conjuncti Volſcis anno inſequente Satricum, coloniam populi Romani, pertinaciter à colonis defenſam, vi expugnarunt. Volſcum bellum M. Furio extra ordinem decretum.* Mox: *Quatuor legionibus quaternûm millium ſcriptis, exercitu indicto ad portam Eſquilinam in poſterum diem, ad Satricum profectus. ibi eum expugnatores coloniæ, haud-*

quaquam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

quaquam perculſi, fidentes militum numero, operiebantur. Et paullo antè, duobus annis poſt deductam Satricum coloniam, *Triumviros*, inquit, *Nepete coloniæ deducendæ creaverunt.* quod anno XVII poſt Vrbem captam factum tradit Velleius. *Setiæ* autem *coloniæ* meminit Livius fine libri VII, ut jam deductæ. *Privernates*, inquit, *Norbam atque Setiam, finitimas colonias Romanas, incurſione ſubitâ depopulati ſunt.* Maximè igitur probabile ſit, non *Sutrium*, ſed *Satricum coloniam* ſcripſiſſe Velleium; licèt biennio integro à Livio diſcrepet. *Sutrium* tamen *coloniam* etiam ipſe agnoſcit Livius lib. XXVII. *Triginta*, inquit, *tum coloniæ populi Romani erant. ex iis XII, quum omnium legationes Romæ eſſent, negaverunt conſulibus, eſſe, unde milites pecuniamque darent. eæ fuère, Ardea, Nepete, Sutrium, Circeii, Alba, Carſeoli, Sueſſa, Sora, Setia, Cales, Narnia, Interamna.* Idem poſteà lib. VIIII repetitur. Hinc etiam Frontinus in libro de Coloniis: *Colonia Sutrium ab opidanis eſt deducta.* Poſtmodò etiam *municipium* factum; teſte Feſto. *Tertio*, inquit, *modo municipium dicitur, quum id genus hominum definitur, qui ad civitatem Romanam ita venerunt, uti municipes eſſent ſuæ quisque civitatis & coloniæ; ut Tiburtes, Præneſtini, Piſani, Arpinates, Nolani, Bononienſes, Placentini, Nepeſini, Sutrini.*

VOLSINII *urbs.*

Porrò ex reliquis ſuprà ſcripti itineris locis VVLSINII ſive VOLSINII (utrumque enim ſcribitur) *urbs* vulgò hodiè adpellatur *Bolſena* & *Bolſeno*, apud magnum lacum, qui inde cognomen habet. Memoratur præterea Livio, Straboni, Valer. Maximo, Plinio, Iuvenali, Tacito, Ptolemæo, Floro, auctori de Viris illuſtribus, Zonaræ. Sed Straboni ac Ptolemæo ſingulari numero vocatur Οὐολσίνιον, VOLSINIVM. Strabo lib. V: Ἐν δὲ τῇ μεσογαίᾳ πόλεις Ἀῤῥήτιον τε καὶ Περουσία, καὶ Οὐολσίνιον, καὶ Σύτριον. Id eſt: *In mediterraneo ſunt urbes, Aretium, Peruſia, Volſinium, & Sutrium.* At paullo pòſt obliquum habet caſum περὶ Οὐολσινίους· unde ego conjecerim, ſuperiori etiam loco ſcripſiſſe eum, ἢ Οὐολσίνιοι. nam variaſſe in tam paucis verbis, haud facilè crediderim. Iuvenalis Satyrâ III:

Quis timet aut timuit gelidâ Præneſte ruinam,
Aut poſitis nemoroſa intèr juga Volſiniis, aut
Simplicibus Gabiis, aut proni Tiburis arce?

Plinius lib. II cap. LII; ubi de obſervationibus fulminum agit: *Qualiter, quum Volſinii, opidum Thuſcorum opulentiſſimum, totum concrematum eſt fulmine.* Et cap. LIII: *Exſtat annalium memoria, ſacris quibusdam & precationibus vel cogi fulmina vel impetrari. Vetus fama Etruriæ eſt, impetratum Volſinios urbem agris depopulatis, ſubeunte monſtro, quod vocavère Voltam.* Alia exemplaria habent; *impetratum Volſiniis & urbe & agris depopulatis.* at ne ſic quidem certus verborum ſenſus conſtat. Lego igitur ego ad hunc modum: *Vetus fama Etruriæ eſt, impetratum Volſinios urbem cum agris depopulatum eſſe, ſubeunte monſtro, quod vocavère Voltam.* Idem Plinius lib. XXXVI cap. XVIII, *Molas*, ait, *verſatileis Volſiniis inventas.* Tacitus Annal. lib. IIII: *Ælius Seianus, genitus Vulſiniis.* Reliquos auctores pòſt videbimus. Opidani inde ſunt VOLSINIENSES, & VVLSINIENSES. unde Tacitus Annal. lib. VI *Seianum* adpellat *Vulſinienſem.* Antiquiſſima urbis memoria exſtat apud Livium lib. V, in conſulatu L. Valerii Potiti & M. Manlii Capitolini, anno urbis Romæ CCCLXIIII; anno antè, quàm urbs à Gallis capta fuit. *Eodem anno*, inquit, *novum bellum cum Volſinienſibus exortum. quo, propter famem peſtilentiamque in agro Romano ex ſiccitate caloribusque nimiis ortam, exercitus duci nequivit. ob quæ Volſinienſes, Salpinatibus adjunctis, ſuperbiâ elati, ultro agros Romanos incurſavère. Bellum inde duobus populis indictum.* Paullo pòſt, inſequenti anno: *Creati V tribuni militum conſulari poteſtate.* Mox: *Calendis Quintilibus magiſtratum occepère, L. Lucretius, Sergius Sulpicius, M. Aemilius, L. Furius Medullinus ſeptimùm, Agrippa Furius, C. Aemilius iterum. Ex his L. Lucretio & C. Aemilio Volſinienſes provincia evenit; Salpinates Agrippæ Furio & Sergio Sulpicio. Priùs cum Volſinienſibus pugnatum eſt. bellum numero hoſtium ingens, certamine haud ſanè aſperum fuit. millia VIII armatorum, ab equitibus intercluſa, poſitis armis in deditionem venerunt. Eius belli fama effecit, ne ſe pugnæ committerent Salpinates. mœnibus armati ſe tutabantur. Romani prædas paſſim & ex Salpinati agro & ex Volſinienſi, nullo eam vim arcente, egerunt: donec Volſinienſibus feſſis bello, eâ condicione, ut res populo Romano redderent, ſtipendiumque eius anni exercitui præſtarent, in XX annos induciæ datæ.* Apud Dionyſium lib. XIIII eodem anno ſub

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

ſub iiſdem tribunis militum ita ſcriptum eſt: Ῥωμαῖοι δὲ πρὸς Οὐαλσωνίτας περὶ Γυράσιον παραταξάμενοι, πολλοὺς τῶν πολεμίων ἀνεῖλον. Id eſt: *Romani cum Valſanitis apud Guraſium congreſſi, magnam hoſtium ſtragem ediderunt*. Mirum ſanè dictu, quàm multa apud Diodorum, adeóque pleraque, corrupta ſint nomina in rebus Romanis. quæ quum tam breviter ac ſtrictim ab eo traderentur; minùs intellecta ſunt ab Græcis exſcriptoribus. Alia heic exemplaria habent Οὐλσωνίτας. nec dubium eſt, quin Οὐολσινίτας ſcripſerit ipſe Diodorus. At Γυράσιον, *Guraſium* hoc cui aliàs memoratum? aut cur ipſe tam ſimpliciter memoraverit, tamquàm locum notiſſimum? Planè corruptum eſſe cenſeo vocabulum à celebris alicuius opidi nomine. Livius lib. VIIII, in conſulatu Q. Fabii Maximi Rulliani III & P. Decii Muris II, anno urbis Romæ CCCCXLV: *Cum Samnitibus acie dimicatum. Haud magno certamine hoſtes victi. neque eius pugnæ memoria tradita foret, ni Marſi eo primùm prælio cum Romanis bellaſſent. Decio quoque, alteri conſuli, ſecunda belli fortuna erat. Tarquinienſeis metu ſubegerat frumentum exercitui præbere, atque inducias in* XL *annos petere. Volſinienſium caſtella aliquot vi cepit. quædam ex iis diruit; ne receptacula hoſtibus eſſent. circumferendoque paſſim bello, tantum terrorem ſui fecit, ut nomen omne Etruſcum fœdus à conſule peteret. Ac de eo quidem nihil impetratum. induciæ annuæ datæ.* Longè aliter hæc traduntur à Diodoro lib. XX. Ἐπ' ἄρχοντος, inquit, Ἀθήνησι Χαρίνου, Ῥωμαῖοι τὴν ὕπατον ἀρχὴν παρέδοσαν Ποπλίῳ Δεκίῳ καὶ Κοΐντῳ Φαβίῳ. * — *. Κατὰ δὲ τὴν Ἰταλίαν οἱ τῶν Ῥωμαίων ὕπατοι Μαρσοῖς, πολεμουμένοις ὑπὸ Σαμνιτῶν, βοηθήσαντες, τῇ τε μάχῃ περιεγένοντο, καὶ συχνοὺς τῶν πολεμίων ἀνεῖλον. εἶτα διὰ τῆς Ὀμβρικῶν χώρας διελθόντες, ἐνέβαλον εἰς τὴν Τυρρηνίαν, πολεμίαν οὖσαν, καὶ τὸ καλούμενον Κάπριον φρούριον ἐξεπολιόρκησαν. διαπρεσβευσαμένων δὲ τῶν ἐγχωρίων ὑπὲρ αὐτῶν, πρὸς μὲν Ταρκυνίτας εἰς ἔτη τετταράκοντα, πρὸς δὲ τοὺς ἄλλους Τυρρηνοὺς ἅπαντας εἰς ἐνιαυτὸν ἀνοχὰς ἐποιήσαντο. Hoc eſt: *Athenis ſummum gerente magiſtratum Charino, Romani conſulare imperium tradidêre P. Decio & Q. Fabio.* Poſteà: *In Italiâ conſules Romani Marſis, quos Samnites bello vexabant, auxiliati, pugnâ ſuperiores erant; magnâ hoſtium clade factâ. deinde per agros Vmbrorum profecti, Etruriam, hoſtiliter animatam, invadunt; & caſtellum, quod Caprium vocatur, expugnant. Quum verò incolæ regionis ſuper induciis legatos mitterent; cum Tarquinienſibus in annos* XL, *cum cæteris Etruſcis omnibus annuas inducias fecerunt*. An idem iſtud ſit caſtellum, quod ſuprà lib XIIII legitur Γυράσιον, haud temerè dixerim. cæterùm alia exemplaria lib. XX habent Καίριον. At Livius à *Decio* tradit *Volſinienſium caſtella aliquot* SALPINVM opidum.
vi capta eo bello. Quin SALPINVM quoque Livii quo ſitu fuerit, incertum eſt. Vltra Volſinios fuiſſe poſitum, quia hos primùm Romani adgreſſi ſunt, conjicere licet. Opibus etiam fuiſſe clarum, ex ſocietate Volſinienſis belli colligere datur. De cætero fuiſſe *Volſinios* ex numero XII Etruriæ principum urbium, ex Livii lib. X patet. *Poſthumius*, inquit, *quia in Samnitibus materia belli deerat, in Etruriam traducto exercitu, primùm pervaſtaverat Volſinienſium agrum: deinde cum egreſſis ad tuendos fineis haud procul mœnibus ipſorum depugnat. duo millia ducenti Etruſcorum cæſi. cæteros propinquitas urbis tuta eſt. In Ruſellanum agrum exercitus traductus. Ibi non agri tantùm vaſtati; ſed opidum etiam expugnatum. capta ampliùs duo millia hominum: minùs duo millia circa muros cæſa. Pax tamen clarior maiorque, quàm bellum in Etruriâ eo anno fuerat, parta eſt. tres validiſſimæ urbes, Etruriæ capita, Volſinii, Peruſia, Aretium, pacem petiêre.* Accidit hoc anno urbis Romæ CCCCLVIIII, L. Poſthumio Megello & M. Atilio Regulo conſulibus. Hinc Zonara Annal. lib. II, omnium Etruſcorum vetuſtiſſimam vocat, in his verbis: Ἐπὶ δὲ Κοΐντου Φαβίου καὶ Αἰμιλίου ὑπάτων πρὸς Οὐολσινίους ἐστράτευσαν οἱ Ῥωμαῖοι, ἐπ' ἐλευθερίᾳ αὐτῶν. ἔνσπονδοι γὰρ ἦσαν αὐτῶν, οἱ ἀρχαιότατοι τῶν Τυρρηνῶν ὄντες, ἰσχύν τε περιεποιήσαντο καὶ τεῖχος κατεσκεύασαν ὀχυρώτατον, πολιτείᾳ τε εὐνομουμένῃ ἐκέχρηντο, καὶ διὰ ταῦτα πολεμήσαντές ποτε τοῖς Ῥωμαίοις ἐπὶ πλεῖστον ἀντέσχον. ὡς δ' ἐχειρώθησαν, αὐτοὶ μὲν ἐξώκειλαν εἰς ῥᾳθυμίαν, τὴν δὲ διοίκησιν τῆς πόλεως τοῖς οἰκέταις ἐπέτρεψαν, καὶ τὰς στρατείας δι' ἐκείνων ὡς τὸ πολὺ ἐποιοῦντο. Id eſt: *Q. Fabio & Aemilio conſulibus pro libertate Volſiniorum, qui fœderati ipſis erant, bellum geſſerunt Romani. qui quum Etruſcorum forent antiquiſſimi, potentiam ſibi & mœnia validiſſima paraverant; republicâque legibus bonis ornatâ utebantur. quibus rebus freti, olim bello ſuſcepto, Romanis quàm diutiſſime reſtiterunt. ſed ſubacti, atque in luxuriam delapſi, reipublicæ adminiſtrationem & bella ferè gerenda ſervis commiſerunt*. Hinc Valer. Maximus lib. VIIII cap. I; quod eſt de luxuriâ & libidine: *Quæ vitia etiam Volſinienſium urbem gravibus & erubeſcendis cla-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

dis cladibus implicarunt. Erat opulenta; erat moribus & legibus ornata: Etruriæ caput habebatur. ſed poſtquàm luxuriâ prolapſa eſt; in profundum injuriarum & turpitudinis decidit; ut ſervorum ſe inſolentiſſimæ dominationi ſubjiceret. Qui primùm admodùm pauci ſenatorium ordinem intrare auſi; mox univerſam rempublicam occupaverunt. Teſtamenta ad arbitrium ſuum ſcribi jubebant. convivia cœtusque ingenuorum fieri vetabant. filias dominorum in matrimonium ducebant. poſtremò lege ſanxerunt, ut ſtupra ſua in viduis pariter ac nuptis impunita eſſent: ac, ne qua virgo ingenuo nuberet, cuius caſtitatem non antè ex numero ipſorum aliquis delibaſſet. Florus lib. I cap. XXI: *Poſtremi Italicorum in fide mansêre Volſinii, opulentiſſimi Etruſcorum, implorantes opem adversùs ſervos quondam ſuos: qui libertatem à dominis datam, in ipſos exercuerant. Sed hi quoque, duce Fabio Gurgite, pœnas dederunt.* At de tempore ac duce huius belli variare inter ſe videntur auctores. Auctor de Viris illuſtribus, poſt Fabricium & bellum Tarentinum, quod Romani contra Pyrrhum regem geſſerunt, in Decio Mure: *Volſinii, Etruriæ nobile opidum, luxuriâ pænè perierunt. nam quum temerè ſervos manumitterent; dein in curiam legerent; conſenſu eorum oppreſſi. Quum multa indigna paterentur; clam Româ auxilium petierunt. miſſusque Decius Mus, mox libertinos omneis ſuperavit; in carcere necavit, aut dominis in ſervitutem reſtituit.* Et mox in Claudio Caudice: *Ap. Claudius, victis Vulſinienſibus, cognomento Caudex dictus, frater Cæci fuit. conſul ad Mamertinos liberandos miſſus eſt; quorum arcem Carthaginienſes & Hiero, rex Syracuſanus, obſidebant.* Oroſius lib. IIII cap. V, & ex eo Paul. Diaconus in Hiſtor. miſcellâ lib. II: *Eo tempore Carthaginienſes, dato adversùm Romanos auxilio Tarentinis, quum per legatos à ſenatu arguerentur, turpiſſimam rupti fœderis labem præſumptam adcumulavêre perjurio. Tunc etiam Vulſinienſes, Etruſcorum florentiſſimi, luxuriâ pænè perierunt. nam quum, licentiâ in conſvetudinem prorogatâ, ſervos ſuos paſſim liberos facerent, conviviis adlegarent, conjugiis honeſtarent; libertini, in partem poteſtatis recepti, plenitudinem per ſcelus uſurpare meditati ſunt; &, liberati ſervitutis jugo, ambitu dominationis arſerunt: & quos dominos ſubditi æquanimiter dilexerunt; eos liberi, quòd dominos fuiſſe meminerant, exſecrati ſunt. Itaque conſpirantes in facinus libertini, correptam urbem ſuo tantùm generi vindicant: patrimonia conjugiaque dominorum ſibi per ſcelus uſurpant; extorres dominos procul abigunt. qui miſeri, exſules, egentesque Romam deferuntur. ubi oſtentatâ miſeriâ, querelâque defletâ, per Romanorum ſeveritatem & vindicati ſunt & reſtituti.* Florus etiam poſt Tarentinum bellum narrat bellum Volſinienſe. & ſexto anno Tarentini belli conſul fuit iterum Q. Fabius Maximus Gurges cum C. Genucio Clepſinâ. Tertio eiusdem belli anno P. Decius Mus cum collegâ P. Sulpicio Saverrione conſulatum geſſit. primo verò anno primi belli Punici Ap. Claudius Caudex cum M. Fulvio Flacco: id eſt, XV annis poſt Decium. Aemilium conſulem, quem refert Zonara, circa hæc tempora nec antè nec pòſt reperio ullum cum Q. Fabio. At in Faſtis triumphorum Romanorum, qui etiamnunc Romæ in Capitolio marmori inciſi viſuntur, ita ſcriptum eſt: *Ti. Coruncanius Ti. F. Ti. N. Cos. de Vulſinienſibus & Vulcientibus, an.* CDLXIII. *K. Febr.* Hic autem conſul fuit cum P. Valerio Lævino anno antè; qui ſecundus erat belli Tarentini. quo anno cenſor fuit cum Cn. Domitio Calvino prædictus Q. Fabius Maximus Gurges. unde haud dubiè error natus Floro, vel iis, à quibus eum Florus habuit. At Livii epitomator lib. XI ſub finem, *Res prætereà*, inquit, *contra Volſinienſeis geſtas continet.* libro autem XII tandem Tarentini belli initium refert. Sanè Faſtis Capitolinis quàm tutiſſimè creditur. Mirum igitur eſt, Volſinienſeis intra ſpacium XIIII annorum, à quo ab Romanis ſubacti ſunt, id eſt à conſulatu L. Poſthumii Megelli & M. Atilii Reguli ad conſulatum usque P. Valerii Lævini ac Ti. Coruncanii Nepotis, in tantam potuiſſe prolabi luxuriam, tantamque ſocordiam. Exemplar luxus eorum exſtat apud Plinium lib. XXXIIII cap. VII. *Fuiſſe autem*, inquit, *ſtatuariam artem familiarem Italiæ quoque & vetuſtam, indicant ſigna Thuſcanica per terras diſperſa: quæ in Etruriâ factitata, non eſt dubium. Deorum tantùm putarem ea fuiſſe; ni Metrodorus Scepſius, cui cognomen à Romani nominis odio inditum eſt, propter duo millia ſtatuarum Volſinios expugnatos objiceret.* Tanta igitur claritudo, tanta potentia, tantaque vetuſtas fuit huius urbis: quidpe quæ & ipſa unà cum reliquis principibus Etruriæ urbibus ante bellum Troianum condita.

Cæterùm *lacus*, cui *Volſinii* opidum adpoſitum, cognominatus inde eſt VOL-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

SINIENSIS, ſive VVLSINIENSIS: ut hodiéque vulgò dicitur *Lago di Bolſena.* Columella Ruſticar. rer. lib. VIII cap. XVI: *Magni æſtimabat vetus illa Romuli & Numæ ruſtica progenies, ſi urbanæ vitæ comparetur villatica, nullâ parte copiarum deſici. Quamobrem non ſolùm piſcinas, quas ipſi conſtruxerant, frequentabant; ſed etiam quos rerum natura lacus fecerat, convectis marinis ſeminibus replebant. inde Velinus, inde etiam Sabatinus, & item Vulſinienſis, & Ciminus lupos auratasque procreaverunt.* Vitruvius lib. II cap. VII: *Sunt etiam lapicidinæ complures in finibus Tarquinienſium, quæ dicuntur Anicianæ; colore quidem quemadmodùm Albanæ: quarum officinæ maximæ ſunt circa lacum Vulſinienſem; item præfecturâ Statonienſi.* Plinius lib. XXXVI cap. XXII: *Nigri ſilices optimi: quibusdam in locis & rubentes. nonnusquàm verò & albi; ſicut in Tarquinienſi, Anicianis lapicidinis, circa lacum Volſinienſem; & in Statonienſi.* Memoratur prætereà Livio quoque ac Straboni. quorum ille lib. XXVII, *Vulſiniis*, inquit *ſangvine lacum manaſſe, nunciatum eſt.* Strabo lib. V: Προσλαμβάνουσι δὲ πρὸς τὴν εὐδαιμονίαν τῆς Τυρρηνίας καὶ λίμναι, μεγάλαι τε καὶ πολλαὶ οὖσαι. καὶ γὰρ πλέονται, καὶ τρέφουσιν ὄψον πολὺ, καὶ τῶν πτηνῶν τὰ λιμναῖα· τύφη τε καὶ πάπυρος ἀνθήλη τε πολλὴ κομίζεται ποταμοῖς εἰς τὴν Ῥώμην, οὓς ἐκδιδόασιν αἱ λίμναι μέχρι τοῦ Τιβέρεως· ὧν ἐστιν ἥ τε Κιμίνια καὶ ἡ περὶ Οὐολσινίους, καὶ ἡ περὶ Κλούσιον, καὶ ἡ ἐγγυτάτω τῆς Ῥώμης καὶ τῆς θαλάττης Σαβάτα, ἀπωτάτω δὲ, καὶ πρὸς Ἀρρητίῳ ἤδη, ἡ Τρασυμέννα. Id eſt: *Ad ubertatem ſoli Etruſci conducunt etiam lacus, magni ac multi. namque & navigantur, & multum piſcium aviumque paluſtrium producunt. tum typhæ ac papyri paniculæque magna copia Romam devehitur amnibus, quos emittunt iſti lacus ad Tiberim usque. Ex his ſunt, Ciminus, & qui apud Volſinios eſt, item qui apud Cluſium, & proximus Romæ & mari Sabata; tum remotiſſimus omnium, & Aretio propinquus, Traſymenus.* Neque *Cimino* neque *Traſymeno* ullum emitti flumen; & qui Sabatino Vulſinienſique effluunt amnes, non in Tiberim, ſed in mare ſeſe exonerare, ſuprà monui. Effluit autem è Vulſinienſi MARTA *fluvius*; ſuperiori capite in litore nobis dictus. Poſteriori ſæculo ſemibarbaro VVLSINVS dictus eſt *lacus*: qui haud dubiè antè dicebatur VVLSINIVS. Vetus Martyrologium Romanum: *Nono Calendas Auguſti circa lacum Vulſinum in Italiâ Chriſtinæ virginis.* Ado in Martyrologio: *Nono Calendas Auguſti apud Italiam in Tyro, quæ eſt circa lacum Vulſinum, natale ſanctæ Chriſtinæ virginis.* Procopius Gothicar. rer. lib. I: Ἔστι δέ τις λίμνη ἐν Τούσκοις Βουλσίνη καλουμένη, ἧς δὴ ἐντὸς νῆσός ἐστι, βραχεῖα μὲν κομιδῆ οὖσα, φρούριον δὲ ὀχυρὸν ἔχουσα· ἐνταῦθα Θευδάτος τὴν Ἀμαλασοῦνθαν καθείρξας ἐτήρει. Hoc eſt: *Eſt lacus in Tuſcis Vulſinus dictus; in quo inſula exigua caſtellum habet munitiſſimum. huc Theudatus rex Amalaſuntham compulſam adſervabat.* Et quia Tarquinienſium fines huc usque pertinebant; ut ſuprà è Vitruvio ac Plinio intellectum; ipſe etiam *lacus* TARQVINIENSIS inde adpellatus eſt Plinio lib. II cap. XCV. *In Tarquinienſi*, inquit, *lacu magno inſulæ duæ nemora circumferunt, nunc triquetram figuram edentes, nunc rotundam complexu, ventis impellentibus: quadratam numquàm.* Inſulæ equidem heic etiamnunc conſpiciuntur duæ: at duro eminentique altiùs ex undis fundatæ ſaxo. Erraveritne ergo Plinius, an fuerint eius tempeſtate aliæ fluctuantes, incertum eſt. De cætero quum *S. Chriſtinæ* corpus hodiè Volſinienſes apud ſe venerentur; nec usquàm alibi TYRVS *urbs* monſtrari poſſit; facilè ego ſuſpicer, ipſos Volſinios aliquando ſic adpellatos fuiſſe. Huc tamen nihil facit, quòd in Deſiderii, Langobardorum regis, decreto, quod Viterbienſes in curiâ ſuâ Langobardicis literis marmori candido inciſum oſtentant, Volſinienſium lacus cognominatur *Tirenſium.* eam enim tabulam falſam atque commentitiam eſſe, mox infrà oſtendam. Nugas item exiſtimo & anileis fabulas, quòd Volſinienſes nobis perſvadere cupiunt; urbem *Tyrum*, ſibi quondam conterminam atque vicinam, lacus exundatione poſteà fuiſſe abſorptam.

VOLSINIENSIS lacus; *qui* & TARQVINIENSIS.

Porrò VICVS MATRINI, Tabulæ itinerariæ in ſuprà ſcripto itinere memoratus, hodiéque vulgò vocatur *Vico*, pauciſſimis nunc conſtans ædificiis, opido, cui vulgare vocabulum *Ronciglione*, ſuppoſitus apud lacum, qui inde adpellatur vulgò *Lago di Vico.* de quo ita Pomponius Sabinus ad Virgilii Aeneid. lib. VII: *Lacus & mons Cimini poſt Sutrium eſt. tempore noſtro lacus Vici adpellatur. nam illic opidulum, nuper dirutum, adpellabatur Vicus Cimini.* Hoc neſcio an ſatis tutâ fide crediderimus; quando aliter teſtatur Tabula itineraria.

VICVS MATRINI

Eſt autem in eâdem Tabulâ quoque LACVS ET MONS CIMINVS: unde SILVA

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

CIMINVS mons & lacus; & CIMINIA ſilva.

CIMINIA ſive SALTVS CIMINIVS memoratur Livio, Plinio, ac Frontino. *Lacus & montis Cimini* Virgilius quoque meminit, & ſolîus item lacus Columella, Strabo, Silius. Columellæ ac Strabonis verba paullo antè citavi. Apud hunc in vulgatis exemplaribus legitur ἡ Κιμινία λίμνη· corrupto haud dubiè vocabulo, à vero ἡ Κιμίνα λίμνη. ſic quidpe canit Virgilius prædicto Aeneid. lib. VII:

Hi Feſcenninas acies æquosque Faliſcos,
Hi Soractis habent arceis Flaviniaque arva,
Et Cimini cum monte lacum, lucosque Capenos.

Et item Virgilii imitator Silius ita lib. VIII:

Hos juxta Nepeſina cohors æquique Faliſci,
Quique tuos Flavina focos, Sabatia quique
Stagna tenent, Ciminique lacum; qui Sutria tecta
Haud procul & ſacrum Phœbo Soracte frequentant.

Sic item apud Columellam & Servium legitur *Ciminus*, & Græcè apud Sotionem Κίμινος λάκκος. Quapropter apud Livium quoque non *Ciminius*, ſed *Ciminus mons* legendus. cuius *ſilva* ſeu *ſaltus* rectè derivativo vocabulo dictus fuerit *Ciminius*. Verba Livii lib. VIIII ſunt hæc: *Dum ea Romæ geruntur, jam Sutrium ab Etruſcis obſidebatur: conſulique Fabio, imis montibus ducenti ad ferendam opem ſociis, tentandasque munitiones, ſi quà poſſet, acies hoſtium inſtructa occurrit.* Et paullo pòſt: *Eum impetum non tulerunt Etruſci. verſisque ſignis, fugâ effusâ caſtra repetunt. Sed equites Romani, profecti per obliqua campi, quum ſe fugientibus obtuliſſent, omiſſo ad caſtra itinere, monteis petunt. Inde, inermi penè agmine ac vexato vulneribus, in ſilvam Ciminiam penetratum. Romanus, multis millibus cæſis, duodequadraginta ſignis militaribus captis, caſtris etiam hoſtium cum prædâ ingenti potitur. Tum de perſequendo hoſte agitari cœptum. Silva erat Ciminia magis tum invia atque horrenda, quàm nuper fuêre Germanici ſaltus; nulli ad eam diem ne mercatorum quidem adita. eam intrare haud ferè quisquam, præter ducem ipſum, audebat. Tum ex iis, qui aderant, conſulis frater, ſpeculatum ſe iturum, profeſſus, brevique omnia certa allaturum. Cære educatus apud hoſpites, Etruſcis inde literis eruditus erat; lingvamque Etruſcam probè noverat. ſervus ei dicitur comes unus fuiſſe, nutritus unà: eòque haud ignarus lingvæ eiusdem. Iêre paſtorali habitu, agreſtibus telis falcibus geſisque binis armati. Sed nec commercium lingvæ, nec veſtis armorumve habitus ſic eos texit, quàm quòd abhorrebat à fide, quemquam externum Ciminios ſaltus intraturum. Vsque ad Camerteis Vmbros penetraſſe dicuntur.* Mox: *Hæc quum relata conſuli eſſent; impedimentis primâ vigiliâ præmiſſis, legionibus poſt impedimenta ire juſſis; ipſe ſubſiſtit cum equitatu. & luce obortâ poſtero die, obequitavit ſtationibus hoſtium, quæ extra ſaltum diſpoſitæ erant. &, quum ſatis diu tenuiſſet hoſtem; in caſtra ſeſe recepit. portâque alterâ egreſſus, ante noctem agmen adſequitur. Poſtero die luce primâ juga Cimini montis tenebat. inde contemplatus opulenta Etruriæ arva, milites emittit. Ingenti jam abactâ prædâ, tumultuariæ agreſtium Etruſcorum cohortes, repentè à principibus regionis eius concitatæ, Romanis occurrunt; adeò incompoſitæ, ut vindices prædarum propè ipſi prædæ fuerint. Cæſis fugatisque eis, latè depopulato agro, victor Romanus opulentusque rerum omnium copiâ in caſtra rediit. Eò fortè V legati cum duobus tribunis plebis venerant, denunciatum Fabio ſenatus verbis, ne ſaltum Ciminium tranſiret. Lætati, ſeriùs ſe, quàm ut impedire bellum poſſent, veniſſe; nuncii victoriæ Romam revertuntur. Hac expeditione conſulis motum latiùs erat, quàm profligatum, bellum. vaſtationem namque ſub Cimini montis radicibus jacens ora ſenſerat. conciveratque indignatione non Etruriæ modò populos, ſed Vmbriæ finitima. Itaque, quantus non umquàm anteà, exercitus ad Sutrium vênit.* Narrat hinc, quæ apud Sutrium vel haud procul inde geſta. quibus hæc ſubnectit: *Tam claram pugnam trans Ciminiam ſilvam ad Peruſiam pugnatam, quidam auctores ſunt: metuque in magno civitatem fuiſſe, ne interclusus exercitus tam infeſto ſaltu, coortis undique Tuſcis Vmbrisque, opprimeretur.* Patet ex his Livii verbis, montem *Ciminum ſilvam*que in eo *Ciminiam* fuiſſe protinus ultra Sutrium. At heic montis jugum nullum eſt, niſi quod admodùm excelſum ac longè latéque conſpicuum, vulgò nunc à proximâ urbe cognominatur *Monte di Viterbo*: ultra quod versùs ſeptemtriones lati ſternuntur campi. Nec ullus hoc tractu trans Sutrium alius conſpicitur lacus, quàm qui ad dicti montis radices vulgò nunc dicitur *Lago di Vico*;

Vico; ſive etiam nonnullis *Lago di Ronciglione*. Eamdem Livii hiſtoriam ita refert Frontinus Strategem. lib. I cap. II: *Q. Fabius Maximus bello Etruſco, quum adhuc incognita forent Romanis ducibus ſagaciores explorandi viæ, fratrem Fabium Cæſonem, peritum linguæ Etruſcæ, juſſit Etruſco habitu penetrare Ciminiam ſilvam, antè militi noſtro intentatam. quod is adeò prudenter atque induſtriè fecit, ut, transgreſſus ſilvam, Vmbros Camerteis, quum animadvertiſſet non alienos nomini Romano, ad ſocietatem compulerit.* Meminit Plinius *ſilvæ* lib. II cap. XCVI. *In ſilvâ Ciminiâ*, inquit, *loca ſunt, in quibus in terram impacta non extrahuntur.* At Servius in ſuprà ſcriptum Virgilii locum ita commentatur: *Et Cimini cum monte lacum. Et lacus & mons hoc nomine adpellantur. Sanè hoc fabula habet: Aliquando Hercules ad hos populos venit. qui, quum à ſingulis provocaretur, ad oſtendendam virtutem defixiſſe dicitur vectem ferreum, quo exercebatur. qui quum terræ eſſet adfixus, & à nullo potuiſſet auferri; eum rogatus ſuſtulit. unde immenſa vis aquæ ſequuta eſt, quæ Ciminum lacum fecit.* Fragmenta Sotionis de Mirandis fontium & fluminum lacuumque: Ἐν Ἰταλίᾳ λίμνη ἐστὶ Σάβατος καλουμένη, ἧς ὅταν τὸ ὕδωρ διαυγὲς γένηται, καταφαίνονται ἐν τῷ βυθῷ θεμέλιοι πολλοὶ καὶ ναοὶ καὶ πλῆθος ἀνδριάντων. Φασὶ δὲ οἱ ἐγχώριοι πόλιν ποτὲ ἐκεῖ καταποθῆναι. τὸ δ᾽ αὐτὸ λέγεται καὶ περὶ τῆς Κιμίνης λίμνης ἐν Ἰταλίᾳ, ὡς πόλεως πρότερον οὔσης, ἢ ἀφνιδίως καταποθείσης. Id eſt: *In Italiâ lacus eſt nomine Sabatus: cuius aqua quoties pellucida fit, conſpiciuntur in imo fundo permulta ædificiorum fundamenta templaque ac ſtatuarum numerus. Incolæ aiunt opidum heic quondam fuiſſe; quod poſteà abſorptum ſit. Idem fertur de Cimino quoque lacu in Italiâ; opidum ibi priùs fuiſſe, quod repentè abſorptum ſit.* Ammianus Marcellinus lib. XVII: *Fiunt autem terrarum motus modis quatuor. aut enim braſmatiæ ſunt; qui, humum intus ſuſcitantes, ſurſum propellunt immaniſſimas moleis: ut in Aſiâ Delos emerſit, & Hiera & Anaphe & Rhodus, Ophiuſa & Pelagia; & Eleuſis in Bœotiâ; & apud Tyrrhenos Vulcaniæ inſulæ, aliæque plures. aut climatiæ; qui, limes ruentes & obliqui, urbeis, ædificia, monteisque complanant. aut chaſmatiæ; qui grandiori motu patefactis ſubitò voratrinis, terrarum parteis abſorbent: ut in Atlantico mari Europæo Orbe potior inſula, & in Criſſæo ſinu Helice & Bura, & in Ciminiâ Italiæ parte opidum Succinienſe; ad profundos hiatus Erebi abacta æternis tenebris occultantur.* Ergo hoc in Cimino lacu SVCCINIVM opidum tranquillis pellucidiſque undis non adparebat. Fabula deinde prædicta de Hercule ei rei adſtructa eſt. SVCCINIVM *opidum.*

A Vico Matrini porrò verſùs Volſinios ad FORVM CASSII uſque IIII habet millia paſſuum Tabula itineraria: Antoninùs verò ab Sutrio ad idem *Forum* millia XI. Noſtri ſæculi plerique auctores id docent eſſe opidum, quod vulgò vocatur *Vetralla*, quaſi à Latinâ adpellatione *Veteri aulâ*, antiquam loci memoriam referente. cui rei aliud prætereà argumentum producunt; quòd templum iſti opido contiguum etiam vulgò adpelletur *Santa Maria di Forcaſſi*. quod ſanè documentum haud vanum videri poterat: utique, quum etiam IIII illa millia paſſuum à Vico Matrini huc reſpondeant. Verùm enimverò quum univerſum iter à Sutrio ad Volſinios ex ortu brumali in occaſum æſtivum tendat; via autem ab Sutrio ad Vetrallam ex ortu æſtivo in occaſum brumalem ferat: neque nunc ab Sutrio ad Viterbum Volſiniosque commeantes eà transeunt; neque priſci mortales, cur eò uſque ab recto itinere deflecterent, quidquam cauſæ, nedum neceſſitatis, habuerunt. Quapropter hoc templum in agro quidem poterat eſſe Forocaſſienſi: ipſum verò Forum rectâ viâ inter Vicum atque Viterbum, medio ferè itinere inter utrumque, haud dubiè fuit in Cimino monte; ubi etiam veſtigia antiqui opidi rectè quidem illi, qui ante nos Italiam deſcripſerunt, obſervarunt; at parum ſcitè *Coritum* opidum in monte *Corito* interpretati ſunt; ut infrà ad finem huius capitis docebo. FORVM CASSII, *opidum.*

At AQVAE PASSARIS ſive PASSERIS, quarum Martialis etiam meminit, nullæ aliæ eſſe potuerunt, quàm quæ millia paſſuum IIII ultra Viterbum, ab lævo Caſſiæ viæ, cuius heic reliquiæ etiam nunc viſuntur, latere, vulgò nunc dicuntur *Il Bagno della Serpa*, & aliàs *Il Bagno de i Palazzi*. ubi inſignia vetuſti balnei ac templi conſpiciuntur veſtigia. A vulgari adpellatione balnei *la Serpa*, templum viri literati interpretantur *Serapidis*. Hinc quum hodiè XIII fermè numerentur milliaria Volſinios uſque ſcripta fuiſſe in Tabulâ itinerariâ millia paſſuum XIIII, haud dubium eſt; quæ poſteà vitiata in VIII. Martialis verba lib. VI epigr. XLII hæc ſunt: AQVAE PASSERIS.

Etruſci

Etruſci niſi thermulis lavêris,
Illotus morieris Oppiane.
Nullæ ſic tibi blandientur undæ:
Nec fontes Aponi, rudes puellis;
Non mollis Sinueſſa; fervidique
Fluctus Paſſeris; aut ſuperbus Anxur;
Non Phœbi vada, principesque Baiæ.

Inter præſtantiſſimas igitur Italiæ aquas calidas hæ quoque *Paſſeris aquæ* jam tum computatæ fuerunt.

TROSSVLVM *opidum.*

Cæterò apud Plinium lib. XXXIII cap. II ita ſcriptum eſt: *Celeres ſub Romulo regibusque adpellati ſunt. deinde flexumines. poſteà troſſuli; quum opidum in Tuſcis citra Volſinios hoc nomine paſſuum* IX *millia ſine ullo adjumento peditum cepiſſent. Eius vocabuli vis duravit ultra C. Gracchum. Iunius certè, qui ab amicitiâ eius Gracchanus adpellatus eſt, ſcriptum reliquit his verbis: Quod ad equeſtrem ordinem attinet; anteà troſſulos vocabant; nunc equites vocant: ideò, quia non intelligunt, troſſulus nomen quid valeat, multos pudet eo nomine adpellari. Et cauſam, quæ ſuprà indicata eſt, exponit: invitosque etiamtum tamen troſſulos vocari.* Sic & Pompeius Feſtus: *Troſſuli equites dicti, quòd opidum Tuſcorum Troſſulum ſine operâ peditum ceperint.* Ex intervallo VIIII millium paſſuum id colligo eſſe opidum, quod in dictâ viâ Caſſiâ vulgò nunc adpellatur *Monte Fiaſcone*: licèt hinc ad Volſinios hodiè VIII tantùm numerentur millia; quæ ipſa re verâ haud plus VII eſſe, egomet deprehendi. nam potuit Plinius ſcripſiſſe VIII: quæ poſteà à liberariis corrupta in VIIII, & aliâ ſignaturâ IX. Et erutæ heic ſunt aliquot inſcriptiones antiquæ: quæ vetuſtatem loci indicant. Apud Livium lib. X, in conſulatu L. Poſthumii Megelli & M. Atilii Reguli, anno urbis Romæ CCCCLVIIII, ſic ſcriptum: *Poſthumius, in Etruriam traducto exercitu, primùm pervaſtaverat Volſinienſem agrum: deinde cum egreſſis ad tuendos fineis haud procul mœnibus ipſorum depugnat. duo millia ducenti Etruſcorum cæſi: cæteros propinquitas urbis tuta eſt. In Ruſellanum agrum exercitus traductus. Ibi non agri tantùm vaſtati; ſed opidum etiam expugnatum. capta ampliùs* II *millia hominum: minùs* II *millia circa muros cæſa. Pax tamen clarior maiorque, quàm bellum in Etruriâ eo anno fuerat, parta eſt. tres validiſſimæ urbes, Etruriæ capita, Volſinii, Peruſia, Aretium, pacem petière. &, veſtimentis militum frumentoque pacti cum conſule, ut mitti Romam oratores liceret, inducias in* XL *annos impetraverunt.* Et inſequenti anno, L. Papirio Curſore ac Sp. Carvilio Maximo conſulibus: *Nec populo Romano magna ſolùm, ſed peropportuna etiam ea victoria fuit; quia per idem fortè tempus rebellaſſe Etruſcos allatum eſt.* Pòſt paullo: *Sortientibus provincias conſulibus, Etruria Carvilio evênit.* Deinde: *Inter hæc Carvilius conſul in Etruriâ Troilium primùm oppugnare adortus, quadringentos ſeptuaginta ditiſſimos, pecuniâ grandi pactos ut abire inde liceret, dimiſit. cæteram multitudinem opidumque ipſum vi cepit. inde* V *caſtella, locis ſita munitis, expugnavit. & Faliſcis pacem petentibus, annuas inducias dedit.* Sic equidem vocabulum hoc opidi cuncta habent Livii exemplaria. at maximè placet doctiſſimi Sigonii correctio; qui, TROSSILVM legendum, è præſcripto Plinii loco docet. Fortè apud Diodorum quoque lib. XIIII Τρέοσιλον reſcribendum, ubi nunc legitur Γυρέσιον, ut ſuprà in Volſiniorum expoſitione oſtenſum.

FERENTINVM *municipium.*

Cæterùm eodem tractu inter Viterbum Flaſconemque montem & Vitorchianum opida antiqui opidi ruinæ jacent cum cathedrali templo, quibus vulgare nunc vocabulum eſt *Férenti*, primâ ſyllabâ allevatâ. id Ptolemæo dicitur φερεντία, FERENTIA: reliquis auctoribus, neſcio an ſatis ſine librariorum mendo, FERENTINVM: quod fortè aliàs FERENTIVM. nam *Ferentinum* Hernicorum celebre fuit opidum; unde opidani *Ferentinates*. Martyrologium Romanum: *Pridiè Idus Maii, Ferenti in Tuſciâ S. Bonifacii epiſcopi.* Gregorius Magnus Dialogor. lib. I cap. VIIII: *Vis, tibi aliquid de Tuſciæ partibus narrem? Fuit vir vitæ venerabilis, Bonifacius nomine; qui in eâ civitate, quæ Ferentis dicitur, epiſcopatus officium tenuit.* Sic equidem apud Vitruvium etiam idem vocabulum pro accuſativo caſu legitur. ſed fortè non ita ab ipſo Vitruvio, verùm à barbari ſæculi exſcriptore ſeu librario barbarè uſurpatum; quum more eius ævi plurali numero, ut infinita alia, diceretur FERENTII. Verba Vitruvii lib. II cap. VII, ubi de lapicidinis agit, hæc ſunt: *Sunt etiam lapicidinæ*

dinæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

dinæ complures in finibus Tarquinienſium, quæ dicuntur Anicianæ; colore quidem quemadmodùm Albanæ: quarum officinæ maximè ſunt circa lacum Vulſinienſem; item præfecturâ Statonienſi. Eæ autem habent infinitas virtutes. neque enim his gelicidiorum tempeſtas, neque tactus ignis poteſt nocere: ſed ſunt firmæ; & ad vetuſtatem ideò permanentes, quòd parum habent è naturâ mixtionis aëris & ignis, humoris autem temperati plurimum atque terreni. ita ſpiſſis compactionibus ſolidatæ, neque ab tempeſtatibus neque ab ignis vehementiâ nocentur. Id autem maximè judicare licet è monumentis, quæ ſunt circa municipium Ferentis, ex his facta lapicidinis. quæ quum ſint vetuſta; ſic adparent recentia, uti ſi ſint modò facta. Quæ ſi prope Vrbem eſſent; dignum eſſet, ut ex his omnia opera perficerentur. Reliquis auctoribus dicitur *Ferentinum*. Svetonius in Othone, cap. I: *Maiores Othonis orti ſunt opido Ferentino, familiâ vetere & honoratâ atque ex principibus Etruriæ.* Sex. Aurelius Victor, in eodem Othone: *Otho ſplendidis ortus maioribus, ex opido Ferentino.* Malè igitur apud Paul. Diaconum in Hiſtoriâ miſcellâ lib. VIII legitur, in iiſdem verbis, *opido Ferentano*: ut etiam apud Tacitum Annal. lib. XV in his: *Scævinus pugionem templo Salutis in Etruriâ, ſive, ut alii tradidêre, Fortunæ, Ferentano in opido detraxerat.* Horatius lib. I epiſt. XVII:

Si te grata quies & primam ſomnus in horam
Delectat; ſi te pulvis ſtrepitusque rotarum,
Si lædit caupona; Ferentinum ire jubebo.
Nam neque divitibus contingunt gaudia ſolis;
Nec vixit malè, qui natus moriensque fefellit.

Ad hæc ita vetus ſcholiaſtes: *Ferentinum. Alii municipium volunt viæ Labicanæ ad* XLVIII *lapidem; alii Ferentinum, quod eſt in Tuſcis.* Haud dubiè hoc intellexit. nam in viâ Labicanâ haud ſatis quietè extra pulverem ac ſtrepitum rotarum cauponarumque natus moriensque fallere poterat; ob frequentiſſimos celeberrimæ viæ commeatus. Vel ex hoc igitur Horatii verſu ſatis liquidò adparet, opidum id Etruriæ dictum fuiſſe *Ferentinum*. unde etiam Frontino in libro de Coloniis gentilitium eſt Ferentinensis. Inter provinciæ Tuſciæ colonias ſic refert: *Colonia Ferentinenſis lege Semproniâ eſt adſignata.* Sanè, quia heic à Frontino *colonia*, ſuprà verò ſcripto loco à Vitruvio etiam *municipium* adpellatur; eò magis miror, à Strabone lib. V inter minora cenſeri Etruriæ opida. Ἐν δὲ τῇ μεσογαίᾳ, inquit, πόλεις πρὸς ταῖς εἰρημέναις, Ἀρρήτιόν τε καὶ Περουσία καὶ Οὐολσίνιοι καὶ Σούτριον· πρὸς δὲ ταύταις πολίχναι συχναί, Βλήρα τε καὶ Φερεντῖνον καὶ Φαλίσκοι καὶ Νέπιτα καὶ Στατωνία. Id eſt: *In mediterraneo Etruriæ urbes, præter jam dictas, ſunt, Aretium, Peruſia, Volſinii, Sutrium. tum crebra opidula; Blera, Ferentinum, Falerium, Faliſcum, Nepita, Statonia.*

De reliquo Fanvm Voltvmnae memoratur Livio, locus ſive opidum publicis univerſæ Etruriæ conventibus celebratiſſimum. Lib. IIII: *Trepidatum in Etruriâ eſt poſt Fidenas captas; non Veientibus ſolùm exterritis metu ſimilis excidii; ſed etiam Faliſcis, memoriâ initi primò cum iis belli. Igitur duæ civitates, legatis circa* XII *populos miſſis, impetrarunt, ut ad Voltumnæ fanum indiceretur omni Etruriæ concilium.* Et poſteà: *Conſilia ad movenda bella in Volſcorum Aequorumque conciliis, & in Etruriâ ad fanum Voltumnæ agitata. Ibi prolatæ in annum res; decretoque cautum, ne quod antè concilium fieret: nequidquàm Veiente populo querente, eamdem, qua Fidenæ deletæ ſint, imminere Veiis fortunam.* Et ſub finem libri: *Ab his primùm circumſeſſi Veii ſunt. ſub cuius initium obſidionis, quum Etruſcorum concilium ad fanum Voltumnæ frequenter habitum eſſet; parum conſtitit, bellone publico gentis univerſæ tuendi Veientes eſſent.* Item lib. V: *Concilia Etruriæ ad fanum Voltumnæ habita; poſtulantibus Capenatibus ac Faliſcis, ut Veios communi animo conſilioque omnes Etruriæ populi ex obſidione eriperent.* Tandem lib. VI: *Etruriæ principum ex omnibus populis conjurationem de bello, ad fanum Voltumnæ factam, mercatores adferebant.* Edictum regis Langobardorum Deſiderii, ut ſuprà dixi, Langobardicis literis inciſum marmori candido, oſtentant Viterbienſes in curiâ ſuâ, cuius initium tale: *Revocamus ſtatuta regis Aſtulfi, contra Vetulonos edita; ut lacus non Tirenſium, ſed Vetulonum ſit. qz. Lacus magnus ideò Italiæ, qz. eorum ager priùs eſt Italia dicta, ab ibi ſede Itali: & ut ſuam Longulam non Longubardulam, ſed cognomine ſui ampliatoris Tirreni, Terbum vocent: & ut ſub uno muro cingant* IIII *opida, Longulam, Vetuloniam, Tirrenam, Volturnam dictam Etruriam: totamque urbem noſtrâ adjeczone Viterbum pronuncient.* Illi viri docti, qui marmor

Fanvm Voltvmnae, *opidum.*

hoc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

hoc ſuſpectum habent tamquàm adulterinum, haud vanis ſententiam ſuam tueri poſſint documentis. quidpe & *Vetulonia* urbs longè remotiſſimo hinc fuit ſitu apud Populonium opidum: ut ſuperiori capite ſatis abundéque demonſtratum: & prima *Italia*, ab Italo Siculorum rege dicta non in Etruriâ, ſed in Latio Sabinoque agro conſtitit; ut ſuprà lib. I cap. I oſtenſum. & quænam heic IIII *opida* fuerint, quæ in unius urbis muros coiverint, haud facilè diſpicio: niſi permultorum milliarium ambitum urbis fingas. cuius magnitudinis nulla umquàm memorata eſt urbs in Etruriâ. Sed τετράπολιν fuiſſe Viterbium, alia etiam tabula marmorea teſtatur; cuius inſcriptionem illuſtriſſimus juxtà & Latinis Græcisque literis inſtructiſſimus S. Suſannæ Cardinalis, Scipio Cobelutius Viterbienſis, antiquitatum Italicarum ſummus indagator, ad illuſtrandam patriam, ſuper cuius origine doctiſſimam mihi Romæ in Vaticanâ bibliothecâ, cui erat præfectus, moverat diſputationem, transmitti curavit per nobiliſſimum virum, Guilelmum Setonium Scotum, utriusque juris doctorem conſultiſſimum, & omnis abſtruſioris philologiæ, ſi quis alius hoc ævo in Italiâ, peritiſſimum virum. Ea verò tabula, V fermè digitos lata, duos palmos longa, humo apud aquas Viterbienſeis, quibus vulgaris adpellatio *Bagnò d'Aſinello*, nuper eruta, hæc verba exhibet: QATTERNO·POPVLO·ETRVSCO· Beroſi, Manethonis, Xenophontis, Fabii Pictoris, M. Catonis, aliorumque veterum ſcriptorum quæ uno volumine comprehenſa circumferuntur fragmenta, ab Annio Viterbienſi eſſe omnia flagitioſum in modum conficta, jam vulgò pueris in ſcholis notum eſt. ab eodem Itinerarium quoque VI ab urbe Româ in Gallias itinerum eſſe commentum, nos ſuprà oſtendimus. Eiusdem igitur viri manus ne quid in iſtis etiam inſcriptionibus marmoreis operata ſit, meritò ſuſpiceris: eóque magis, quòd magnus ſæculi noſtri vir Antonius Auguſtinus, ita de eo teſtetur in Antiquitat. Romanar. dialogo XI: *Mihi Latinus Latinius Viterbienſis, vir doctus bonæque fidei, de Ioanne Annio, Viterbienſi monacho, narrare jucundè ſolebat; lapidi inſculpendas curaſſe literas; quem vineæ infodi juſſerat, non procul à Viterbio. quumque fodienda eſſet vinea; ad lapidem usque ut fodiendo pervenirent, juſſit; narrans, in libris ſe reperiſſe, templum ibi Orbis terrarum antiquiſſimum latere. Terrâ jam effoſſâ, primus, qui invênit, vinitor accurrit. paulatim detegi ſarcophagum imperat. heic ſtupens, lapidis antiquitatem & literas à ſe confictas admiratur: ac deſcribens, ad urbis ſenatores lætus confugit; & civitatis honori fore perſvadet, in ampliſſimo publicè ſpectari loco: Viterbii enim urbis originem contineri: quæ bis mille annis Romanâ eſſet urbe, à Romulo conditâ, longè antiquior; utpote ab Iſide & Oſiride condita. Fabulas heic ſuas, quibus abundabat, venditavit. factumque, ut ille juſſerat.* O ſacroſancta ſæculi ignorantia atque ſimplicitas! ô levitas hominis exſecranda! qui non tantùm ſuis civibus tam flagitioſè imponere, ſed eamdem æternùm poſt ſe etiam manſuram toto Orbe barbariem ſperare impudenter auſus eſt. Eodem ad aquas Aſinelli loco & aliam repertam eſſe, tabulam, perſcribit ad me in literis ſuis præfatus Setonius, figurâ quadratâ, cuius ſingula latera binos fermè contineant palmos. in qua duo humana capita inſculpta, alterum viri ſenis, alterum mulieris juvenculæ, hæc verba ſubſcripta habent: PIPINVS·ETRVSCORVM·LARTES·AC·CONIVX·AN·LXXII·DYNASTIAE· Hanc quoque inſcriptionem ab nebulone, ſive Annio ſive alio quopiam, confictam eſſe, vel ipſum nomen *Pipini* apertè prodit: quod non ex Etruſcorum literis, ſed ex Francorum regis, Caroli Magni patris, *Pipini* rebus geſtis deſumptum. Annius in Commentariis ſuis ad Xenophontis Aequivoca, ubi de XII principibus Etruriæ urbibus agit, ita ſcribit: *Quarta hanc ſequitur Volturna. quam omnes concedunt fuiſſe regiam: ad cuius fanum indicebantur concilia publica imperii. quod etiam Livius ſignificat pluribus locis. Hanc tetrapolim fuiſſe, absque mœnibus, uti Hieroſolyma & multæ aliæ tetrapoles, conſtat, cùm, quia Deſiderius, ultimus Langobardorum rex, illam mœnibus munivit; tum præcipuè, quia, licèt uno communi nomine vocaretur, diſtinctè tamen ſingulæ enumerabantur.* Reliquas, quæ ſequuntur, putidiſsimas nugas recitare pudet pigetque. id tamen obiter indicandum; impertiſſimum omnis abſtruſioris antiquitatis animal iſtud Arcadicum *Vetulonienſeis aquas calidas*, quibus Plinius lib. II cap. CIII *piſceis innaſci* tradit, interpretari Viterbienſeis. unde mihi præcipua ſuſpicio, hunc hominem prædicti quoque edicti Deſiderii regis ineptum fuiſſe atque abſurdum auctorem conditoremque. Clariùs hoc cuivis adparebit, commentarios eius

in dicta

in dicta Xenophontis, Catonis, Myrſili, ac Fabii fragmenta ſedulò excutienti. Quapropter ampliſſimum inclytæ huius urbis populum fidus monuerim; ne fidem iſtiusmodi inſcriptionibus, quibus hactenus plurimum gaudent, temerè habeant. credantque, maximâ patres avosque ſuos ab nefario impoſtore Annio adfectos eſſe injuriâ. De cætero quum celeberrimæ huius urbis tanta ſit antiquitas, uti nulla eius alia certiorve oſtendi poſſit origo; lubens ipſe conceſſerim, vetuſtum illud heic fuiſſe *Fanum Voltumnæ*; ſitus maximè argumento inductus; quum media ſit inter *Tarquinios*, *Cære*, *Veios*, *Faliſcos*, atque *Volſinios*, opulentiſſimas potentiſſimasque omnium XII Etruriæ populorum urbeis. Eodem autem documento, quo Annius probat, *Fanum* hoc *Voltumnæ* regiam fuiſſe inter reliquas totius Etruriæ, quia heic concilia publica habita ſunt; alius quis omnium rerum imperitus homo evincere queat, Aquas Helvetias hodiè, quæ vulgò vocantur incolis *Reichs baden*, regiam eſſe atque principem omnium XIII Helvetiæ pagorum ſive, ut vulgò vocantur, Cantonum; quia heic etiam publici totius gentis habentur conventus. In Fragmento ſuo itinerarii Antonini, quàm imperitè *Aureliam viam* cum *Claudiâ* confuderit Annius, quámque ridiculis flexibus circumduxerit *Caſſianum iter*, jam anteà oſtendi. Pergit inde in hæc verba: *Tiberinum, quod & Ciminium iter, fertur Gallorâ, Lartheniano ſive Veiente, Roſulo, Sutrio, Lacu Elbii & jugis Ciminiis, Fano Volturnæ: cuius claris geſtis invidit Livius, Saleumbrone, Volturnæ, Larthe amni, Volſinis, Cluſio veteri, olim Comerſolo, Cluſio novo; à quo nunc dictus Cluſentinus tranſitus*. Quomodò hoc iter magis dicere potuerit *Tiberinum*, quàm quod continuò huic ſubjicit, *Flaminium*, inter Tiberim amnem & iſtud ſuum Tiberinum in Vmbriam verſùs ductum, haud equidem video. Sed ſit potius *Ciminium*; quia per Ciminum ferebat montem: an non & *Roſulum* iſtud & *Sutrium* & *lacus Ciminus*, quem ille *Elbii* cognominat, & *Volſinii*, & *Cluſium vetus*, unà cum *Foro Caſſii* in Caſſiâ fuêre viâ? quæ à Cluſio per opidum *Montis Pulciani*, ut mox infrà oſtendam, ad Florentiam ducebat. Imperitè igitur ille *Forum Caſſii* in Aureliano ſive, ut idem alio nomine dictum vult, Claudiano poſuit itinere. imperitè *Galeram* opidum in Ciminio retulit: quum id inter Claudiam Aureliamque vias ſitum. imperitè opido, quod vulgò nunc dicitur *Monte Roſi*, nomen *Roſuli* finxit ex ſuprà memorato Livii, Plinii, Feſtique *Troſſulo*. imperitè *Saleumbronem* in eodem Ciminio itinere inter Fanum Voltumnæ & Volſinios commentus eſt ex Tabulæ itinerariæ & Antonini *Salebrone fluvio*, qui inter Vmbronem amnem & Populonium opidum in Prilem lacum effunditur. imperitè item & *Larthenianum* ſuum & *Larthem amnem* inter Fanum Voltumnæ poſuit & Volſinios; quando ea nomina à Martâ flumine confinxit. Apud Livium verò lib. X quum ſit ſcriptum, *Cluſium, quod Camers olim adpellabant*; ille, neſcio an corrupti exemplaris pravâ lectione deceptus, an verò malè feriato ingenio ſuo impulſus, inde fecit iſtud *olim Camerſolum*. Quam autem aliam *Volturnam* iſto itinere ſuo præter *Fanum Volturnæ*, citra Volſinios voluerit; item, quæ *clara geſta* patriæ ſuæ intellexerit, *quibus Livius inviderit*; quis tandem divinaverit? Verùm omnem Annii imperitiam, omneis ineptias nugasque ſi velim perſequi, anno opus habeam. proinde hactenus ſufficiat oſtendiſſe, hoc quoque itinerarium, ut reliqua fragmenta auctorum ſuprà dicta omnia, non minus indoctè ac pueriliter, quàm improbè, eſſe ab eo confictum. VITERBIVM hinc *caſtrum* vocatur Anaſtaſio, qui circa annum Domini IↃCCCLX vixit ſub Ludovico II imperatore, in vitâ Zachariæ papæ; & item *Viterbienſis civitas*, in vitâ Hadriani papæ.

Iter porrò in Itinerariis Romanis ita ſcriptum eſt:

Tabulæ.		Antonini;	
Volſinis		*Vulſinis*	
Pallia fl.	....	|	
Cluſio	VIII.	*Cluſio*	XXX.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Vtrumque itinerarium haud modicè hoc itinere corruptum eſt. quidpe CLVSIVM *opidum* hodiéque vulgò vocatur *Chiuſi* & *Chiuci*: unde ad Volſinios XXV ſunt millia paſſuum. eo autem itinere tranſitur poſt VI millia *Pallia fluvius*; qui etiam nunc eodem vocabulo vulgò dicitur *Paglia*. Memoratur *Cluſium* Polybio, Virgilio, Livio, Diodoro, Straboni, Velleio, Plinio, Plutarcho, Appiano, Floro, Ptolemæo, præſcriptis Itinerariis, Servio, Procopio, & aliis. Opidani inde dicuntur CLVSINI. Plinius lib. III cap. V: *Cluſini novi*; *Cluſini veteres*. Ergo *Cluſium* alterum fuit *novum*, alterum *vetus*. *Novum*, inter Tiberim, ut poſteà oſtendetur, & Arnum ad radices Apennini ſitum, veteribus Romanorum hiſtoriis planè eſt ignobile; nec ulli, præter Plinium, memoratum. contrà *vetus* celebratiſſimum: eóque ſemper ſine cognomento citatum. Appianus Civil. bellor. lib. I: Ἐξώρμησεν ἐς Κλούσιον. *Cluſium profectus*. Mox: Περὶ Κλούσιον γίνεται μάχη καρτερά. *Apud Cluſium acris pugna commiſſa eſt*. Sic paullo pòſt iterum, περὶ τὸ Κλούσιον, & ἀμφὶ τὸ Κλούσιον· id eſt, *circa Cluſium*. Velleius lib. II: *Hoſtium exercitum fuderant duo Servilii apud Cluſium*. De ſitu eius ita Strabo lib. V: Ἀπέχει γοῦν τὸ Ἀῤῥήτιον τῆς Ῥώμης χιλίους σταδίους· τὸ δὲ Κλούσιον ω´. ἐγγὺς δὲ τούτων ἐστὶ καὶ Περουσία. id eſt: *Abeſt Arretium ab Româ ſtadia* CIↃ: *Cluſium verò* IↃCCC. *prope has urbeis Peruſia etiam eſt*. Vtrumque intervallum ſatis probè notatum. CIↃ quidpe ſtadia ſunt paſſuum millia CXXV: ſtadia autem IↃCCC ſunt paſſuum millia C. quæ juſta ſunt intervalla inter Romam & dictas urbeis. De *Cluſio* etiam hæc Polybius lib. II: Ἤδη δὲ περὶ πόλιν ἦσαν, ἣ καλεῖται μὲν Κλούσιον, ἀπέχει δ᾽ ἡμερῶν τριῶν ὁδὸν ἀπὸ τῆς Ῥώμης. id eſt: *Iam circa urbem erant, quæ Cluſium vocatur; abeſtque ab Româ iter tridui*. At apud Diodorum lib. XIIII vocabulum eius variis miriſque modis corruptum legitur in paucis verbis iſtis: Εἰσβαλόντες οὖν οἱ Κελτοὶ εἰς Τυῤῥηνίαν, τὴν τῶν Καυλωνίων χώραν ἐπόρθουν· καθ᾽ ὃν δὴ χρόνον ὁ τῶν Ῥωμαίων δῆμος πρέσβεις ἀπέστειλεν εἰς Τυῤῥηνίαν, τοὺς κατασκεψομένους τὴν στρατιὰν τῶν Κελτῶν. Παραγενόμενοι δὲ οἱ πρέσβεις εἰς Καλούσιον, καὶ θεωρήσαντες παράταξιν γινομένην, ἀνδρειότεροι μᾶλλον ἢ φρονιμώτεροι γενηθέντες, παρετάξαντο Καλουσίοις πρὸς τοὺς πολιορκοῦντας. Heic jam alii equidem τὸ Καλούσιον emendaverunt in Κλούσιον, & Καλουσίοις in Κλουσίνοις· at illam vocem Καυλωνίων, veluti probam, Latinè verterunt in vocabulum *Cauloniorum*: qui nulli umquàm fuêre in Etruriâ. Ego audacter hoc quoque à mendo purgo in Κλουσίνων. & tota oratio Latinè verſa ſic conſtabit: *Galli igitur, inruptione in Etruriam factâ, Cluſinorum agros populabantur. Sub hoc tempus populus Romanus legatos ad ſpeculandum, quinam Gallorum eſſet exercitus, in Etruriam miſit. qui, Cluſium profecti, quum inſtructas utrimque ad prælium acies cernerent, fortes magis quàm prudentes, unà cum Cluſinis adversùs oppugnantem eos hoſtem in pugnam deſcendunt*. Hi fuêre Galli, qui, ſtatim ab Cluſio profecti, ipſam Romam ceperunt, anno eius CCCLXV; teſte Livio lib. V; & item Floro lib. I cap. XIII; ubi inter alia hæc: *Tum Cluſium obſidebant*. quæ ita transſcripſit Iornandes in librum de Regnorum ſucceſſione: *Tum Cluſium Tuſciæ urbem obſidebant*. Et auctor de Viris illuſtribus, in Camillo: *Quum Cluſium Etruriæ opidum obſiderent*. At eadem apud Oroſium lib. II cap. XVIIII vitiata ſic leguntur: *Quum urbem Cluſini, quæ nunc Tuſcia dicitur, obſiderent*. Quod ſanè antiquum in exemplaribus eius videtur eſſe mendum; quando apud Freculfum quoque Chronicor. tomo I lib. IIII cap. XIII ita ſcriptum eſt: *Quum urbem Eluſim, quæ nunc Tuſcia dicitur, obſiderent*. Haud dubiè ſcripſerat Oroſius; *Quum urbem Tuſciæ, quæ Cluſium dicitur, obſiderent*. At antiquior *Cluſii* memoria exſtat apud Livium lib. II, in rebus geſtis anni urbis Romæ CCXLVI. *Inde P. Valerius*, inquit, *iterum, T. Lucretius conſules facti. Iam Tarquinii ad Lartem Porſenam, Cluſinum regem, perfugerant*. Et mox: *Parſena tùm regem eſſe Romæ, tùm Etruſcæ gentis regem, amplum Tuſcis ratus, Romam infeſto exercitu venit. Non umquàm aliàs antè tantus terror ſenatum invaſit: adeò valida res tum Cluſina erat, magnumque Porſenæ nomen*. De eâdem re Plutarchus in P. Valerio Poplicolâ: Ὁ δὲ Ταρκύνιος καταφυγὼν εἰς τὸ Κλούσιον, ἱκέτευσε τὸν Λάρταν Πορσίναν, ἄνδρα δύναμιν μεγίστην ἔχοντα τῶν Ἰταλικῶν βασιλέων. Id eſt: *Tarquinius Cluſium ſupplex ad Lartem Parſenam perfugit; virum maximâ potentiâ inter Italicos reges ſubnixum*. Ergo *Cluſium* pervetuſta urbs. unde etiam Virgilius Aeneæ rebus eam infert. Verba eius Aeneid. lib. X hæc ſunt:

Pandite

Pandite nunc Helicona deæ, cantusque movete,
Quæ manus intereà Tuſcis comitetur ab oris
Aenean; armetque rateis, pelagoque vehatur.
Maſſicus ærata princeps ſecat æquora tigri.
Sub quo mille manus juvenum, qui mœnia Cluſî,
Quique urbem liquêre Coſas.

Et eodem libro poſteà:

Qua rex Cluſinis advectus Oſinius oris.

Ad priora verba ita commentatur Servius: *Sciendum, amare Virgilium ducibus Italis dare nomina vel fluviorum vel montium. Vt ergo ſuprà Almonem & Aventinum commemoravit; ſic nunc Maſſicum dicit. nam Maſſicus mons; unde & Maſſicum vinum dicitur.* Mox: *Cluſium autem eſt opidum juxta Maſſicum; quod in Etruriâ condidit Cluſius, Tyrrheni, ſive Telemachus, Vlyxis filius.* En tibi iterum grammaticum nugamentum. Ecquis tam imperitus Italiæ antiquæ eſſe poſſit, qui neſciat, *Maſſicum montem*, vino nobilem olim, eſſe trans Lirim amnem in Campaniâ? De conditore tamen, ſeu potiùs denominatione urbis *Cluſii*, haud omninò vanum falſumque fuerit. Livius lib. x: *Provincia Etruria extra ſortem Fabio decreta eſt.* Et poſteà: *Vere inde primo, relictâ Secundâ legione ad Cluſium, quod Camers olim adpellabant, Romam ipſe, ad conſultandum de bello rediit.* Ergo CAMERS antiquiſſimum primumque *Cluſinæ urbis* nomen. Pleraque equidem exemplaria habent *Camars*. at rectius eſſe in aliis *Camers*, cùm Vmbrorum *Camertium* nomen, tum Polybii teſtatur auctoritas; apud quem lib. II, in eâdem hiſtoriâ, *Cluſini* dicuntur ſimpliciter Καμέρτιοι, *Camertii*, hisce verbis: Μετὰ δὲ ταῦτα πάλιν ἔτει τετάρτῳ συμφρονήσαντες ἅμα Σαυνῖται καὶ Γαλάται, παρετάξαντο Ῥωμαίοις ἐν τῇ Καμερτίων χώρᾳ. Hoc eſt: *Quarto deinde anno conſpirant inter ſe Samnites atque Galli, & cum Romanis in Camertiorum agro acie dimicant.* Vmbros, antequàm pellerentur à Tyrrhenis Pelaſgis, hæc loca tenuiſſe, ſuprà cap. I huius libri II oſtenſum eſt. argumento itaque haud vano hinc colligas, ipſos Vmbros ante Pelaſgorum adventum, id eſt, ſæculis aliquot ante Troianum bellum, *Cluſium* condidiſſe; nomine ei tunc impoſito CAMERS: unde ipſi incolæ dicti fuêre CAMERTES: qui poſteà, à Pelaſgis pulſi, nomen id, trans Tiberim atque Apenninum translatum, perpetuò poſterioribus quoque temporibus retinuerunt; ut infrà in deſcriptione Vmbriæ patebit. Pelaſgos mox ab initio, poſtquàm Vmbros inde exegiſſent, adpellaſſe *Cluſium*, inde maximè colligas, quòd Servius, antiquiſſimorum aliquem haud dubiè ſequutus auctorum, *à Tyrrheni filio Cluſio* id *conditum* tradit. Et in XII id principum urbium fuiſſe numero, cùm ex ſuprà ſcriptis Livii ac Plutarchi colligitur verbis, ubi ſumma eius memoratur potentia magnusque *rex Porſena*; tùm ex Dionyſii Halicarnaſſenſis hiſtoriâ libri III; ubi Latini ab Sabinis atque Etruſcis contra Tarquinium, Romanorum regem, auxilium petunt. Τυῤῥηνοὶ δὲ, inquit, *συμμαχίαν* ἀποστελεῖν ὡμολόγησαν, ἧς ἂν αὐτοὶ δεηθῶσιν· οὐχ ἅπαντες ἐπὶ τῆς αὐτῆς γενόμενοι γνώμης, ἀλλὰ πέντε πόλεις μόναι, Κλουσῖνοί τε καὶ Ἀῤῥητῖνοι καὶ Οὐολατερανοὶ, οἱ Ῥουσελανοί τε, καὶ ἔτι πρὸς τούτοις Οὐετυλωνιᾶται. Id eſt: *Etruſci, ſubmiſſuros ſe auxiliorum quantum opus fuerit, polliciti ſunt. non tamen reſponſum eſt hoc de communi omnium ſententiâ; ſed à V tantùm civitatibus. Cluſini erant & Arretini ac Volaterrani Ruſellanique & Vetulonienſes.* Cæterùm, quantæ fuerint Cluſinæ urbis regumque eius opes & magnificentia, vel ex uno exemplo colligere licet, quod Plinius lib. XXXVI cap. XIII refert his verbis: *Exſtant adhuc reliquiæ Lemnii labyrinthi; quum Cretici Italicique nulla veſtigia exſtent. namque & Italicum dici convenit: quem fecit ſibi Porſena, rex Etruriæ, ſepulcri causâ, ſimul ut externorum regum vanitas quoque ab Italis ſuperaretur. Sed quum excedat omnia fabuloſitas, utemur ipſius M. Varronis, in expoſitione eius verbis. Sepultus eſt, inquit, ſub urbe Cluſio. in quo loco monumentum reliquit lapide quadrato ſingula latera pedum lata tricenûm, alta quinquagenûm; inque baſi quadratâ intus labyrinthum inextricabilem. quò ſi quis improperet ſine glomere lini; exitum invenire nequeat. Supra id quadratum pyramides ſtant* V: *quatuor in angulis; in medio una: in imo latæ pedum ſeptuagenûm quinûm, altæ centum quinquagenûm; ita faſtigiatæ, ut in ſummo orbis æneus & petaſus unus omnibus ſit impoſitus; ex quo pendeant excepta catenis tintinnabula; quæ, vento agitata, longè ſonitus referant; ut Dodonæ olim factum. ſupra quem orbem* IIII *pyramides inſuper ſingulæ exſtant, altæ pedum centenûm. ſupra quas uno ſolo* V *pyramides; quarum altitudinem Varronem puduit adjicere.*

LABYRINTHVS *Porſenæ regis apud Cluſium.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

jicere. fabulæ Etruſcæ tradunt, eamdem fuiſſe, quam totius operis: adeò veſanâ dementiâ quæſiſſe gloriam impendio nulli profuturo. præterea fatigaſſe regni vires; ut tamen laus major artificis eſſet. M. Terentius Varro Ciceronis fuit æqualis. hæc autem eius de Cluſino labyrintho oratio præſens Varronis ſonat tempus, ideò haud immeritò quis miretur, opus id tam ſtupendæ molis adeò intra ſpacium CL annorum interiſſe, uti nullæ eius Plinii ætate exſtiterint *reliquiæ*, nullum *veſtigium*. quamquàm Gyraldus in opere de Sepulcris veſtigia eius ſuâ ætate conſpecta fuiſſe teſtatur. quo ſuo teſtimonio Plinium aperti mendacii arguit. Atqui ipſe Varro non tam ſibi conſpecta, quàm ab aliis tradita retuliſſe videtur. quidpe ſi eius ætate exſtitiſſet integrum hoc monimentum, quale ipſe deſcripſit; adeò Romanis omnibus notum vulgóque inſpectum fuiſſe poterat, uti jam pudere illum minimè oportuerit, ſi vera tradidiſſet. De cætero haud exiguam poſterioribus etiam ſæculis Cluſio dignitatem ſplendoremque manſiſſe ſub Romano imperio, teſtatur Tabula itineraria; in qua primariæ urbis ſigno depictum conſpicitur. Sed vocabulum eius apud Frontinum corruptum legebatur *Sitium:* quod ſcitè doctéque doctiſſimus Modius reſtituit in integrum. Verba Frontini Strategem. lib. I cap. VIII hæc ſunt: *Q. Fabius Maximus, quintò conſul, quum Gallorum, Vmbrorum, Etruſcorum, Samnitiumque, adversùs populum Romanum exercitus coiſſent; contra quos & ipſe trans Apenninum montem caſtra communiebat; ſcripſit Fulvio & Poſthumio, qui in præſidio Vrbis erant, copias ad Cluſium moverent. quibus adſequutis, ad ſua defendenda Etruſci Vmbrique deſcenderunt.* [omnino legendum *diſceſſerunt.*] *relictos Samniteis Galloſque Fabius & collega Decius adgreſſi, vicerunt.* De eâdem re ita Livius ſuprà dicto lib. X: *Alii duo exercitus haud procul urbe Etruriæ oppoſiti; unus in Faliſco, alter in Vaticano agro. Cn. Fulvius & L. Poſthumius Megillus, proprætores ambo, ſtativa in iis locis habere juſſi. Conſules ad hoſteis transgreſſo Apennino in agrum Sentinatem pervenerunt. ibi quatuor millium fermè intervallo caſtra poſita. Inter hoſteis deinde conſultationes habitæ. atque ita convênit, ut ne unis caſtris miſcerentur omnes; neve in aciem deſcenderent ſimul. Samnitibus Galli, Etruſcis Vmbri adjecti.* Mox: *Conſules Fulvio, ut ex Faliſco, Poſthumio, ut ex Vaticano exercitum ad Cluſium admoveant, ſummâque vi fineis hoſtium depopulentur, ſcribunt.* Fuiſſe aliquando *municipium*, lapis antiquus teſtatur, cuius talis inſcriptio:

IMP · CAESARI
L · SEPTIMIO · SEVERO
ORDO · CLVS

Clvsina palus.

Situm autem eſt *Cluſium* apud paludem in longitudinem ſpacioſam, in latitudinem anguſtam; per quam *Clanis* flumen, vulgò nunc *la Chiana*, ad Tiberim fertur. ea nunc communi fluminis adcolis adpellatur vocabulo. at olim haud dubiè dicta fuit Clvsina palvs, ſeu Clvsinvs lacvs: quod Strabo lib. V innuere videtur; ita de maximis Etruriæ lacubus loquens: Ὧν ἐστιν ἥ τε Κιμίνα λίμνη, καὶ ἡ περὶ Οὐολσινίους, καὶ ἡ περὶ Κλούσιον, καὶ ἡ ἐγγυτάτω τῆς Ῥώμης καὶ τῆς θαλάττης, Σάβατα, ἀπωτάτω δὲ ἡ πρὸς Ἀῤῥητίῳ ἤδη Τρασουμένα. Id eſt: *Inter quos eſt Ciminus lacus, & qui apud Volſinios eſt, & item qui apud Cluſium; quique proximè Romam & mare, Sabata; longiſſimè autem diſſitus apud Arretium Traſymenus.* Propiùs hic eſt *Peruſium* urbem: unde etiam *Peruſinus* dicitur Appiano; ut mox infrà videbimus; & hodiéque id nominis retinet, vulgò *Lago di Perugia* dictus.

Porrò à Cluſio tria itinera in Tabulâ itinerariâ conſignata ſunt, quorum unum Antonini quoque refert Itinerarium hoc modo:

Tabulæ;		Tabulæ:		Tabulæ;		Antonini:	
Cluſio		*Cluſio*		*Cluſio*		*Cluſio*	
Ad Novas	VIIII.	*Ad Novas*	VIIII.	*Ad Novas*	VIIII.	*Ad Statuas*	XII.
Manliana	VIII.	*Ad Grecos*	VIIII.	*Adretio*	XXIIII.	*Arretio*	XXV.
Ad Menſulas	XVIII.	*Ad Ioglandem*	XII.	|		|	
Vmbro fl.	XVI.	*Vmbro fl.*	X.	*Vmbro fl.*	....		
Sena Iulia	VI.	*Bituriha*	....	*Bituriha*	....	*A Fineis, ſive Caſas Cæſarianas,*	XXV.
		Ad Aquileia	XIIII.	*Ad Aquileia*	XIIII.		
		Florentia Tuſcorum,	...	*Florentia Tuſcorum,*	....	*Florentia*	XXV.

Ex

Ex his SENA *opidum* nomen hodiéque ſervat, vulgò *Siena* dictum. Antiquiſſimam ſui memoriam non ultra *Iulium* in Cæſaribus nomen oſtenderit. quidpe quia IVLIA cognominatur in Tabulâ itinerariâ, Octavii Cæſaris Auguſti juſſu haud dubiè deducta fuit *colonia*, cum compluribus aliis per Italiam, quæ *Iuliæ* cognominatæ fuêre. unde Plinius lib. III cap. V: *Intus coloniæ, Faliſca, Lucus Feroniæ, Ruſellana, Senenſis, Sutrina.* Et item Tacitus Hiſtoriar. lib. IIII: *Manlius Patricius, ordinis ſenatorii, pulſatum ſe in coloniâ Senenſi cœtu multitudinis & juſſu magiſtratuum, querebatur.* Mox: *Additumque Senatusconſultum, quo Senenſium plebes modeſtiæ admoneretur.* At heic è Vaticano exemplari legere maluit Lipſius, *in coloniâ Senienſi*; &, *Senienſium plebes*. Verùm ego vereor, uti ſatis hoc correctum ac ſine mendâ. namque apud nullum alium auctorem reperio nomen huius urbis *Senia*; ſed ubique *Sena*: ut & illa vocatur Senonam Gallorum *Sena* ad Hadriaticum ſinum; quam Polybii exemplaria in lib. II obliquo caſu modò Σῆναν, modò Σήνην referunt. unde ibidem & apud Stephani epitomatorem rectus Σήνη. Apud Ptolemæum equidem Etruſcorum *Sena* Græcis literis legitur Σαίνα, *Sæna*, per diphthongum. at eidem tamen altera illa apud Hadriaticum ſinum dicitur Σῆνα Γάλλικα, *Sena Gallica*. Illam Etruſcam Tabula itineraria figurâ primariæ urbis exhibet.

SENA IVLIA, *colonia*.

Cæterùm locus iſte Cluſio proximus AD NOVAS STATVAS, ex VIIII millibus paſſuum, quæ eo intervallo habet Tabulâ, item ex XXV millibus, quæ hinc porrò ſunt apud Antoninum ad *Arretium* usque; pro quibus Tabula habet XXIIII; colligitur eſſe opidum nunc epiſcopale vulgari vocabulo *Monte Pulciano*. Et exſtat heic columna antiqua cum huiusmodi inſcriptione:

AD NOVAS STATVAS, *locus*.

IMP · CAESAR
DIVI · TRAIANI
PARTHICI · FIL
DIVI · NERVAE · NEP
TRAIANVS · HADRIANVS
AVG · PONT · MAX
TRIB · POT · VII · COS · III
VIAM · CASSIAM
VETVSTATE · COLLABSAM
A · CLVSINORVM · FINIBVS
FLORENTIAM · PERDVXIT
MILLIA · PASSVVM
XXCI

Inter Montem Pulcianum & Senam quum hodiè ægrè XXVI milliaria colligi poſſint; omneis numeros hoc itinere in Tabulâ itinerariâ vehementer eſſe corruptos, certum eſt. neque enim per tantas ambages iter tam breve circumagi potuit: utique quum inter Senam & proximam Vmbronis fluvii ripam, quâ ad Montem Pulcianum itur, XII ſint millia. MANLIANA *opidum* Ptolemæo etiam memoratur inter Arretium & Senam. Quum inter Montem Pulcianum & prædictam Vmbronis ripam XV ferè ſint millia paſſuum; hoc ſpacio in treis æquas parteis diviſo, *Manliana* fuerit ad V lapidem ab eo opido; locus autem AD MENSVLAS ad X. quamquàm, auctorem Tabulæ ita ſcripſiſſe, numquàm ipſe crediderim.

MANLIANA *opidum*.

AD MENSVLAS, *locus*.

In eâdem Tabulâ iter tale deſcriptum eſt:

Sena Iulia	
Ad Sextum	XVI.
Aaquę Populanię	XXXIII:
Manliana	VII.
Populonio	XII.

Ex his locis *Populonium* & *Manliana* atque *Aquæ Populoniæ* ſuperiori capite in litore nobis expoſita ſunt. ubi oſtenſum, itinera circa hoc litus in Tabulâ eſſe tur-

AD SEXTVM, *locus*.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

bata, locaque in iis à vero ordine tranſpoſita. Huiusmodi autem loca, *Ad Quintum*, *Ad Octavum*, *Ad Decimum*, *Ad Duodecimum*, id eſt, *lapidem*, ſemper ab illuſtrioribus urbibus numerum duxiſſe, plurimis exemplis conſtat. Proinde hic etiam locus AD SEXTVM LAPIDEM haud dubiè ab Senâ urbe abfuit VI millia paſſuum; quæ poſtmodùm ab incurioſo exſcriptore corrupta ſunt in XVI. Ex intervallo autem & itineris ductu, locus is hodiè fuerit *Roſia* vulgò dictus.

BITVRGIA *opidum.*

Altero illo Tabulæ itinere inter *Florentiam* & *Novas*, ſive *Montem Pulcianum*, milliaria hodiè numerantur L: quæ ſatis ſunt prolixa. unde patet, numerorum notas nonnullas in Tabulâ periſſe. Sed quum à Monte Pulciano ad Vmbronem usque amnem, quà is, haud procul fonte, recto meatu Florentiam tendentibus tranſitur, XX haud ampliùs computentur milliaria; hoc intervallo quædam millia paſſuum in Tabulâ etiam abundare, certum eſt. Apud Ptolemæum inter reliquas Etruriæ urbeis ordine enumerantur iſtæ: Περουσία, Ἀῤῥήτιον, Κορτῶνα, Ἄκουλα, Βιτουργία, Μανλιανά· id eſt: *Peruſia*, *Arretium*, *Cortona*, *Acula*, *Biturgia*, *Manliana*. Atque ita componuntur inter ſe in tabulâ, uti *Manliana* media ſit inter *Senam* & *Arretium*: ab *Arretio* autem versùs ortum Solis prima ſit *Cortona*; dein *Acula*; dein *Biturgia*: & ſuper has duas *Peruſia*. unde quidam noſtri ſæculi geographi *Biturgiam* interpretati ſunt id opidum, quod in ſiniſtrâ Tiberis ripâ haud ita procul fontibus vulgò dicitur *Borgo di San Sepolcro*. Verùm quum in reliquis, quas modò enumeravi, urbibus à vero germanoque ſitu longè aberraverit Ptolemæus; hæc quoque BITVRGIA haud dubiè alienâ ſede locata eſt. quidpe nulla alia hæc fuit urbs, quàm quæ in Tabulâ itinerariâ inter Vmbronem & Florentiam corrupto vocabulo legitur *Bituriha*; ſigno primariæ urbis adpoſito. nam proximum illud quoque Ptolemæi opidum *Acula* ſine controverſiâ idem eſt, quòd in Tabulâ itinerariâ dicitur *Ad Aquileia*. Fuiſſe aliquam in Italiâ *Aquileiam* præter celeberrimum illud Carnorum caput apud Natiſonem amnem, haud temerè crediderim. heic autem in Tabulâ aliud quoddam ab ipſo auctore ſcriptum fuiſſe nomen, apertè indicat præpoſitio *Ad*. Noſtri ſæculi homines Ptolemæi *Aculam* interpretantur opidum nunc celebre ad Palliam flumen, VIIII milliaria à Volſiniis, cui vulgaris adpellatio *Acqua Pendente*. at mihi ex ſitu, quem Ptolemæus ei tribuit in ſeptemtrionaliori Etruriæ parte apud Biturgiam, tùm ex Tabulæ vitiato vocabulo *Aquileia*, vero genuinoque nomine fuerit AQVILA. unde in Tabulæ archetypo fuit *Ad Aquilam*. Facit huc Vaticanorum exemplarium unum, in quo ſcriptum eſt Ἀκουλία, haud dubiè & ipſum corruptum à vero Ἀκυίλα, *Aquila*. Certum tamen ſitum neque *Aquilæ* huic neque *Biturgiæ* tribuere ſciverim; niſi quòd hæc ſupra fontem Vmbronis fuerit, haud ita procul ab Arno amne; quà alterum illud iter ab Arretio junctum fuit huic itineri à *Novis* Florentiam ferenti. Haud procul hinc fuit locus iſte Antonini, medius inter Arretium & Florentiam, AD FINEIS, ſive, alio nomine, AD CASAS CAESARIANAS; fortè in ipſâ Arni ripâ ſitus. quem qui tranſierunt, Biturgiam ab ſiniſtris relinquebant. Verùm ſuſpicio animum ſubit, ſcriptum fuiſſe ab auctore Tabulæ hoc itinere AMBRA FL. qui inter Arretium & Florentiam in ſiniſtram Arni confluit ripam. Exſcriptor Tabulæ parum curioſus id vocabulum vertit in *Vmbro fl.* quia hoc nomen quater in eâdem Tabulâ perſcriptum viderat: bis apud oſtium amnis; ſemel ad fontem; atque iterum in ſuprà ſcripto itinere inter *Novas* & *Senam*. Certè ſaltem tertium illud iter ab Arretio versùs Florentiam numquàm in tantum versùs meridiem à recto curſû deflexiſſe potuit, uti Vmbronem attigerit. In Tabulâ igitur quia nullus millium numerus Ambræ fluvio & Biturgiæ interpoſitus eſt; in ipſâ lævâ Ambræ ripâ fuiſſe id opidum, conjicio. ſic quidpe in eâdem Etruriâ, ut ſuprà ſuo loco citatum, duo vocabula *Tuſcania Marta* conjuncta ſunt; quia *Tuſcania* opidum in ripâ erat *Martæ* amnis. ſic item in Calabriâ *Pactium flumen* cum *Valentio* opido conjunctum legitur; de quibus ſuo loco diſſeretur. Sed & ruinæ veteris opidi in prædictâ lævâ Ambræ ripâ, haud procul à confluente amnis, viſuntur apud vicum, qui vulgò vocatur *Levana*: quà iter hodiéque agitur à Peruſiâ, Cortonâ & Arretio Florentiam verſùs. Hinc porrò ad XIIII millia paſſuum apud ripam Arni eſt opidum vulgari vocabulo *Inciſa* & *Anciſa* dictum. cui ab rei argumento nomen quæſitum putant viri docti; quòd ibi ſaxeus fluminis alveus ferro ſit inciſus atque dilatatus.

AQVILA *opidum.*

AD FINEIS, *ſive* AD CASAS CAESARIANAS, *locus.*

AMBRA *flumen.*

Id

Id opidum ex intervallo atque itineris ductu ſuprà dictam exiſtimo eſſe *Aquilam*. locum autem *Ad Fineis*, ſive *Ad Caſas Cæſarianas* fuiſſe arbitror, ubi nunc conſpicitur opidum vulgari vocabulo *S. Giovanni*. At reliquis iſtis duobus locis, quibus nomina AD GRAECOS, & AD IVGLANDEM, certus ſitus tribui nequit; quando hodiè inter Montem Pulcianum & Levanam ſive Ambræ confluentem xxv tantùm numerantur millia; Tabula verò eo ſpacio habet xxxi.

AD GRAECOS, & AD IVGLANDEM, loca.

Ipſum hinc Ἀῤῥήτιον, ARRETIVM, nomen hodiè retinet, vulgò incolis *Arezzo* dictum. In pleriſque Latinorum auctorum exemplaribus vocabulum id unico *r* ſcriptum reperitur *Aretium*. verùm omnes antiquæ inſcriptiones geminum habent *rr*. Memoratur Polybio, Cæſari, Ciceroni, Livio, Straboni, Silio, Ptolemæo, Stephani epitomatori, & Itinerariis Romanis. Opidani inde ſunt Ciceroni, Dionyſio Halicarnaſſenſi, Livio, Diodoro, Plinio, ac Stephani breviatori, Ἀῤῥητῖνοι, ARRETINI. Cæſar Belli civil. lib. I: *Ab Arimino M. Antonium cum cohortibus* V *Arretium mittit*. Cicero Familiar. lib. XVI epiſt. XII: *Ariminum, Piſaurum, Anconam, Arretium occupavit*. Breviator Stephani: Ἀῤῥήτιον, πόλις Τυῤῥηνίας. τὸ ἐθνικὸν Ἀῤῥητῖνος. Id eſt: *Arretium, urbs Etruriæ. gentilitium inde Arretinus*. Strabo lib. V: Ἐν δὲ τῇ μεσογαίᾳ πόλεις, Ἀῤῥήτιόν τε καὶ Περουσία καὶ Οὐολσίνιοι καὶ Σούτριον. * — *. Μάλιστα δ' ἐστὶ μεσογαία τὸ Ἀῤῥήτιον πρὸς τοῖς ὄρεσιν· ἀπέχει γοῦν τῆς Ῥώμης χιλίους σταδίους. Id eſt: *In mediterraneo urbes ſunt, Arretium, Peruſia, Volſinii, Sutrium*. Paullo pòſt: *Maximè in mediterraneum recedit Arretium, montibus vicinum; à Româ mille ſtadia diſſitum*. Monteis intelligit Apenninos, quibus ſubjacet. Primam vocabuli ſyllabam Latinus etiam poëta Silius longam habuit lib. V; ubi conſul Flaminius ita loquitur apud Traſymenum lacum:

ARRETIVM, colonia & municipium.

An, Corvine, ſedet, clauſum ſe conſul inerti
Vt teneat vallo; Pœnus nunc occupet altas
Arretî muros, Coriti nunc diruat arcem;
Hinc Cluſina petat, poſtremò ad mœnia Romæ
Illæſus contendat iter?

At Plinio lib. III cap. V tria eodem nomine recenſentur opida. *Aretini*, inquit, *Veteres; Aretîni Fidentes; Aretini Iulienſes*. Duo poſteriora quæ & quibus locis fuerint, minimè liquet. Haud magni fuiſſe momenti, ſatis inde patet, quod *Vetus* iſtud *Arretium* cunctis aliis auctoribus ſine cognomine aliquo, quo ab cæteris duobus diſcernatur, refertur. Hoc autem eſſe idem, quod nunc vulgò vocari *Arezzo* dixi, præter ea, quæ ſuprà ex Itinerariis ac Ptolemæo, modóque è Strabone adduxi; præterque ea, quæ mox infrà è Polybio ac Livio de Hannibalis tranſitu per hanc oram adferentur; diſerta hæc quoque Strabonis paullo pòſt ſunt verba: ὁ Ἄρνος ποταμὸς ἐξ Ἀῤῥητίου φέρεται. id eſt: *Arnus amnis ab Arretio defertur*. Millia quidpe paſſuum inter hodiernum Arretium & proximam eius amnis ripam interſunt haud ampliùs IIII. Verùm enimverò quia *colonia* Romanorum fuit deducta *Arretium*, ut mox videbimus; ſuſpicari libet, auctam eam coloniam poſteà ſemel atque iterum fuiſſe novis colonis: qui, ad diſcrimen veterum, cognominati fuerint *Fidentes* atque *Iulienſes*. nam ipſe certè Plinius eodem capite poſteà *Aretinorum* ſic meminit, quaſi unici fuerint, unicam urbem habitantes. *Tiberis*, inquit, *è mediâ ferè longitudine Apennini finibus Aretinorum profluit*. Et lib. XXXV cap. XIIII: *In Italiâ quoque lateritius murus Aretii & Mevaniæ*. Vnam fuiſſe ex XII principibus Etruriæ urbibus, ex Dionyſio, Livio, ac Diodoro perſpicitur. Dionyſius lib. III; ubi Latini contra Tarquinium, Romanorum regem, auxilia petunt ab Sabinis atque Etruſcis: Τυῤῥηνοὶ δὲ συμμαχίαν ἀποστελεῖν ὡμολόγησαν, ἧς ἂν αὐτοὶ δέωνται· οὐχ ἅπαντες ἐπὶ τῆς αὐτῆς γενόμενοι γνώμης, ἀλλὰ πέντε πόλεις μόναι, Κλουσῖνοί τε καὶ Ἀῤῥητῖνοι καὶ Οὐολατερανοὶ, οἱ Ῥουσελανοί τε, καὶ ἔτι πρὸς τούτοις Οὐετουλωνιᾶται. Hoc eſt: *Tuſci, ſubmiſſuros ſe auxiliorum quantum opus fuerit, polliciti ſunt. Non tamen reſponſum eſt hoc de communi omnium ſententiâ: ſed à* V *tantùm civitatibus. Cluſini erant, Arretini, Volaterrani, Ruſellani, Vetulonienſes*. Livius lib. VIIII; in conſulatu Q. Fabii Maximi Rulliani & C. Marcii Rutilii Cenſorini, anno urbis Romæ CCCCXLIII: *Iam omnes Etruriæ populi, præter Arretinos, ad arma iverant, ab oppugnando Sutrio, quæ urbs, ſocia Romanis, velut clauſtra Etruriæ erat, ingens orſi bellum*. Et eodem libro infrà, poſtquàm Fabius Ciminiam ſilvam cum exercitu Romano tranſierat: *Eam tam claram pugnam trans Ciminiam ſilvam ad Peruſiam*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

pugnatam, quidam auctores ſunt: metu in magno civitatem fuiſſe, ne intercluſus exercitus tam infeſto ſaltu, coortis undique Tuſcis Vmbrisque, occideretur. Sed ubicumque pugnatum eſt; res Romana ſuperior fuit. itaque à Peruſiâ & Cortonâ & Arretio, quæ fermè capita Etruriæ populorum eâ tempeſtate erant, legati, pacem fœdusque ab Romanis petentes, inducias in XXX *annos impetraverunt. Dum hæc in Etruriâ geruntur, conſul alter C. Marcius Rutilius Allifas de Samnitibus vi cepit.* Eamdem hiſtoriam refert Diodorus lib. XX. Τῶν Τυρρηνῶν, inquit, στρατευσάντων ἐπὶ πόλιν Σούτριον, ἄποικον Ῥωμαίων, οἱ μὲν ὕπατοι δυνάμεσιν ἀδραῖς ἐκβοηθήσαντες, ἐνίκησαν μάχῃ τοὺς Τυρρηνούς. * . * . Καὶ Φάβιος μὲν ἐν τῇ Τυρρηνίᾳ κατέμενε· ὁ δὲ Μάρκιος ἐπὶ τοὺς Σαμνίτας ἀναζεύξας, Ἀλλίφας πόλιν εἷλε κατὰ κράτος. ὁ δὲ Φάβιος Τυρρηνῶν πολλοῖς πλήθεσιν ἐπὶ τὸ Σούτριον συνδραμόντων, ἔλαθε τοὺς πολεμίους διὰ τῆς ὁμόρου χώρας συνεμβαλὼν εἰς τὴν ἀνωτέρω Τυρρηνίαν, ἀπόρθητον γεγενημένην πολλῶν χρόνων. ἐπιπεσὼν δ᾽ ἀνελπίστως, τῆς τε χώρας πολλὴν ἐδῄωσε, καὶ τοὺς ἐπελθόντας τῶν ἐγχωρίων νικήσας, πολλοὺς μὲν ἀνεῖλεν, οὐκ ὀλίγους δὲ καὶ ζῶντας ὑποχειρίους ἔλαβε. μετὰ δὲ ταῦτα περὶ τὴν καλουμένην Περουσίαν δευτέρᾳ μάχῃ τῶν Τυρρηνῶν κρατήσας, πολλοὺς ἀνελὼν, κατεπλήξατο τὸ ἔθνος, πρῶτος Ῥωμαίων μετὰ δυνάμεως ἐμβεβληκὼς εἰς τοὺς τόπους τούτους. καὶ πρὸς μὲν Ἀρρητίνους καὶ Κορτωνιάτας, ἔτι δὲ Περουσίνους, ἀνοχὰς ἐποιήσατο· πόλιν δὲ τὴν ὀνομαζομένην Καστόλαν ἐκπολιορκήσας, συνηνάγκασε τοὺς Τυρρηνοὺς λῦσαι τὴν τοῦ Σουτρίου πολιορκίαν. Hoc eſt: *Quum Etruſci Sutrium, Romanorum coloniam, infeſto cum exercitu adgreſſi eſſent; ad defenſionem eius validis cum copiis profecti conſules, Etruſcos prælio vicerunt.* Mox: *Ac Fabius quidem in Etruriâ reſtitit. at Marcius adverſùm Samnitas profectus, Allifas urbem vi cepit. Fabius autem, poſtquàm Etruſci ingenti cum multitudine ad oppugnationem Sutrii confluxerant; inſciis hoſtibus per finitimorum agros in Etruriam ſuperiorem, jam longo tempore nullas incurſiones expertam, irruptionem facit. & improviſo eos adgreſſus, longè latéque regionem populatur; incolas, qui occurrerant, fundit; multosque interficit: nec exiguus virorum numerus in manus eius pervênit. Poſt hæc altero ad Peruſiam prælio Etruſcis ſuperatis, multisque cæſis; gentem perterrefecit; primus Romanorum cum exercitu has oras ingreſſus. Et Arretinis quidem ac Cortonenſibus Peruſinisque inducias conceſſit: Caſtulam verò urbem dum expugnat; ad omittendam Sutrii obſidionem Etruſcos adegit.* Quum Καστόλα urbs nulla umquàm fuerit in Italiâ; audacter hoc vocabulum vitiatum corrigo in Φαισόλαν, *Fæſulam*. Cæterùm Livius lib. x, annis XV pòſt, ſub conſulibus L. Poſthumio Megillo iterum & M. Atilio Regulo; *Tres*, inquit, *validiſſimæ urbes, Etruriæ captita, Volſinii, Peruſia, Arretium, pacem petière.* Igitur *Arretium* quoque ante Troiana bella cum reliquis principibus Etruriæ urbibus condita fuit; ſive à primis huius regionis cultoribus Vmbris, ſive poſteà à Pelaſgis. *Coloniam* poſtmodùm Romanorum huc deductam, patet ex Ciceronis oratione pro L. Murænâ; ubi *Catilinam* narrat, *circumfluentem colonorum Arretinorum & Fæſulanorum exercitu.* Hinc Frontinus in libro de Coloniis: *Arretium muro ducta colonia, lege triumvirali deducta.* Et alio loco: *Colonia Arretium lege Auguſtéa cenſita limitibus Gracchanis.* Malè heic quædam exemplaria, *Grumentium*. Apud eumdem Frontinum ita legitur: *Arretium municipium coloniæ* [rectiùs fortè *coloni*] *vel familiæ imperatoris Veſpaſiani juſſu acceperunt.* Pompeius Feſtus: *Tertio modo municipium dicitur, quum id genus hominum definitur, qui ad civitatem Romanam ita venerunt, uti municipes eſſent ſuæ quisque civitatis & coloniæ; ut Tiburtes, Præneſtini, Piſani, Arpinates, Nolani, Bononienſes, Placentini, Nepeſini, Sutrini, Lucenſes.* Ex eodem genere fuiſſe arbitror *Arretinos* quoque. Cicero in oratione pro A. Cæcinâ: *Si ſemel civitas adimi poteſt, retineri libertas non poteſt. quî enim poteſt jure Quiritium liber eſſe is, qui in numero Quiritium non eſt? Atque ego hanc adoleſcentulus cauſam quum agerem contra hominem diſertiſſimum noſtræ civitatis Cottam, probavi; quum Arretinæ mulieris libertatem defenderem; & Cotta decemviris religionem injeciſſet, non poſſe ſacramentum noſtrum judicari; quòd Arretinis redempta civitas eſſet: & ego vehementiùs contendiſſem, civitatem adimi non potuiſſe: decemviri primâ actione non judicaverunt; poſteà, re quæſitâ & deliberatâ, ſacramentum noſtrum juſtum judicaverunt.* Ad Atticum lib. I epiſt. XVI: *Ex hac ego lege, ſecundâ concionis voluntate, omnia illa tollebam, quæ ad privatorum incommodum pertinebant: liberabam agrum eum, qui P. Mucio, L. Calpurnio, conſulibus publicus fuiſſet: Syllanorum hominum poſſeſſiones confirmabam: Volaterranos & Arretinos, quorum agrum Sylla publicarat, neque diviſerat, in ſuâ poſſeſſione retinebam.* In oratione pro domo ſuâ ad pontifices: *Populus Romanus, L. Syllâ dictatore ferente, comitiis cen-*

turiatis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

turiatis municipiis civitatem ademit. ademit iisdem agros. De agris ratum eſt: fuit enim populi poteſtas. de civitate ne tam diu quidem valuit, quàm diu illa Syllani temporis arma valuerunt. Hinc igitur in antiquo lapide memoratur PLEBS ARRET.

Porrò ab Arretio ad XIIII millia paſſuum verſùs meridiem proficiſcentibus eſt Κορτῶνα, CORTONA *urbs*; antiquum nomen eiſdem literis in hanc uſque diem retinens. Memoratur Herodoto, Dionyſio Halicarnaſſenſi, Livio, Silio, Ptolemæo, ac Stephani epitomatori. Opidani inde dicuntur Livio lib. XXII atque Plinio lib. III cap. V CORTONENSES; ut à *Dertonâ, Veronâ, Cremonâ*, dicebantur, *Dertonenſes, Veronenſes, Cremonenſes*. Ipſius opidi nomen Ptolemæo quidem, qui Latinas formationes in Italiæ locis plurimùm ſequitur, diſertè dicitur Κορτῶνα· at vetuſtioribus Græcis dictum fuit Κρότων, CROTO: ſcilicet, quia hoc vocabulum celebratiſſimum eſſet in Græciæ Magnæ ſive agri Brutii urbe, Græcorum antiquiſſimâ coloniâ, quæ hodiè vulgò vocatur *Cotrone*. Hinc illud apud Stephani epitomatorem: Κρότων, πόλις Τυῤῥηνίας μητρόπολις. οἱ πολῖται Κροτωνιᾶται καὶ Κροτώνιοι. Id eſt: *Croto, Etruriæ urbs metropolis. opidani Crotoniatæ & Crotonii*. At idem vocabulum alii quoque fecêre Κυρτώνιον, CYRTONIVM: nempe, quia Κυρτώνη, *Cyrtone*, etiam nobile erat Græcis opidum in Bœotiâ. Polybius lib. III: Ὅ γε μὴν Ἀννίβας εἰς τοὔμπροσθεν ὡς πρὸς τὴν Ῥώμην προῄει διὰ τῆς Τυῤῥηνίας, εὐώνυμον μὲν πόλιν ἔχων τὴν προσαγορευομένην Κυρτώνιον καὶ τὰ ταύτης ὄρη, δεξιὰν δὲ τὴν Θρασυμένην καλουμένην λίμνην. Id eſt: *Hannibal intereà Romam versùs per Etruriam ſuos ducebat; ad lævam habens urbem Cyrtonium & adjacenteis illi monteis, ad dextram Thraſymenum lacum*. Lacus hic inter Cortonam & Peruſiam ſitus eſt; ut pluribus pòſt exponam. Ac ne ſuſpiceris, ſcriptum fuiſſe ab ipſo Polybio Κορτώνιον, *Cortonium*; quia hoc longè propiùs ad *Cortonæ* nomen accedit: en ita apud Stephani eſt breviatorem, recto literarum ordine: Κυρτώνιος, πόλις Ἰταλίας· Πολύβιος τρίτῳ. τὸ ἐθνικὸν τῷ τῆς χώρας ἔθει Κυρτωνῖνος, ὡς Σατορνῖνος. Id eſt: *Cyrtonius, opidum Italiæ; auctore Polybio in lib.* III. *gentilitium more eius regionis Cyrtoninus, ut Saturninus*. Polybius igitur etiam opidi vocabulum ſic ſcripſit: niſi mendum in eo ſuſpiceris Stephani ætate antiquius. De cætero tanta huius urbis eſt vetuſtas, uti non ſolùm origo eius, ſed ſumma etiam dignitas, ſplendor, atque opulentia, longè ante bellum Troianum ponantur. Dionyſius lib. I, de Pelaſgis loquens, qui claſſe ad unum Padi oſtiorum adpulerant, quod poſteà *Spineticum* dictum eſt: Ἔπειτα μοῖρά τις τῶν Πελασγῶν οὐκ ἐλαχίστη, ὡς ἡ γῆ πᾶσιν οὐκ ἀπέχρη, πείσαντες τοὺς Ἀβοριγῖνας συνάρασθαι σφίσι τῆς διεξόδου, στρατεύουσιν ἐπὶ τοὺς Ὀμβρικούς, καὶ πόλιν αὐτῶν εὐδαίμονα καὶ μεγάλην, ἄφνω προσπεσόντες, αἱροῦσι Κρότωνα· ταύτῃ φρουρίῳ καὶ ἐπιτειχίσματι κατὰ τῶν Ὀμβρικῶν χρώμενοι, κατεσκευασμένῃ τε ὡς ἔρυμα εἶναι πολέμου ἀποχρώντως, καὶ χώραν ἐχούσῃ τὴν πέριξ εὔβοτον. Hoc eſt: *Pelaſgorum deinde bona pars, quum agri omnibus non ſufficerent, Aboriginibus in expeditionem adſcitis, bello Vmbros adgrediuntur, & urbem eorum florentem atque magnam Crotonem repentino incurſu capiunt. qua mox pro arce belli contra Vmbros uſi ſunt; quòd & ſatis munita eſſet, & agrum circumquaque haberet aptum paſcuis*. Et eodem libro poſteà: Ἑλλάνικος δὲ ὁ Λέσβιος τοὺς Τυῤῥηνούς φησι, Πελασγοὺς πρότερον καλουμένους, ἐπειδὴ κατῴκησαν ἐν Ἰταλίᾳ, παραλαβεῖν ἣν ἔχουσι προσηγορίαν. Ἔχει δὲ αὐτῷ ἐν Φορωνίδι ὁ λόγος ὧδε. Τοῦ Πελασγοῦ, τοῦ βασιλέως αὐτῶν, καὶ Μενίππης, τῆς Πηνειοῦ, ἐγένετο Φράστωρ· τοῦ δὲ Ἀμύντωρ· τοῦ δὲ Τευταμίδης· τοῦ δὲ Νάνας. ἐπὶ τούτου βασιλεύοντος οἱ Πελασγοὶ ὑφ᾽ Ἑλλήνων ἀνέστησαν· καὶ ἐπὶ Σπινῆτι ποταμῷ ἐν τῷ Ἰονίῳ κόλπῳ τὰς νῆας καταλιπόντες, Κρότωνα πόλιν ἐν μεσογείῳ εἷλον· καὶ ἐντεῦθεν ὁρμώμενοι, τὴν νῦν καλουμένην Τυῤῥηνίαν ἔκτισαν. Id eſt: *Hellanicus verò Lesbius ait, Tyrrhenos, qui antè Pelaſgi vocabantur, poſtquàm Italiam habitare cœperunt, adſumpſiſſe, quam nunc habent, adpellationem. Verba eius in opere, quod Phoronida inſcripſit, hæc ſunt: Pelaſgi, qui rex eorum fuit, & Menippes, Penéi filiæ, filius fuit Phraſtor: huius verò Amyntor; huius deinceps Teutamides; & huius Nanas. hoc regnante Pelaſgi ab Hellenibus ſunt pulſi. relictisque ad Spinetem fluvium in Ionio ſinu navibus, Crotonam ceperunt urbem mediterraneam. eâque belli ſede uſi, conſtituerunt, quam nunc vocant Tyrrheniam:* Hinc illud Stephani, ex antiquiſſimo haud dubiè aliquo Græcorum auctore deſumptum: Κρότων, πόλις Τυῤῥηνίας μητρόπολις. Id eſt: *Croton urbs Tyrrheniæ metropolis*. Hinc item iſtud Silii lib. VIII, in recenſione populorum Etruriæ:

> *Lectos Cære viros, lectos Cortona, ſuperbi*
> *Tarcontis domus, & veteres misêre Graviſcæ.*

CORTONA colonia.

Scilicet

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Scilicet *Tarcon*, ut ſuprà in expoſitione Tarquiniorum urbis oſtenſum, dux erat Tyrrhenorum Pelaſgorum, qui, à Padi oſtiis in mediterranea profecti, Vmbrorum urbem *Cortonam* occuparunt, eâque pro arce belli uſi ſunt. Idem Dionyſius, ante ea, quæ proximè dicta ſunt: Ὁ δὲ χρόνος, ἐν ᾧ τὸ Πελασγικὸν κακοῦσθαι ἤρξατο, δευτέρα γενεᾷ σχεδὸν πρὸ τῶν Τρωϊκῶν ἐγένετο· διέτεινε δὲ σχεδὸν καὶ μετὰ τὰ Τρωϊκά, ἕως εἰς ἐλάχιστον συνεστάλη τὸ ἔθνος. ἔξω γὰρ Κρότωνος, τῆς ἐν Ὀμβρικοῖς πόλεως ἀξιολόγου, καὶ εἰ δή τι ἄλλο Ἀβοριγίνων οἰκισθὲν ἐτύγχανε, τὰ λοιπὰ τῶν Πελασγῶν διεφθάρη πολίσματα. ἡ δὲ Κρότων ἄχρι πολλοῦ διαφυλάξασα τὸ παλαιὸν σχῆμα, χρόνος οὐ πολύς, ἐξ οὗ τήν τε ὀνομασίαν καὶ τοὺς οἰκήτορας ἤλλαξε· καὶ νῦν ἐστι Ῥωμαίων ἀποικία· καλεῖται δὲ Κοθωρνία. Id eſt: *Tempus, quo Pelaſgorum res cœperunt deficere, incidit in alteram fermè ante bellum Troianum ætatem. duraverunt tamen etiam penè ultra eius belli tempora: donec contracti ſunt in gentem minimam. nam, præter Crotonem, Vmbriæ civitatem inclytam, & ſi quod aliud Aborigines tenuerunt domicilium, interierunt reliqua Pelaſgorum opida. Croton verò, quum diu retinuiſſet veterem reipublicæ formam; haud multo ante noſtram ætatem & civeis mutavit, & nomen; Cothornia vocitata, & facta Romanorum colonia.* Sanè ſi non Κορτῶνα, ſaltem Κορθωνία ſcripſit ipſe Dionyſius. A *Corithi*, Iovis filii, nomine id vocabuli Silium deduxiſſe videri, ad finem huius capitis oſtendetur. Cæterùm Herodotus, qui CCCCL fermè annis ante natum Ieſum in Græciâ Italicâ Thuriis vixit, ſuâ adhuc ætate Pelaſgicâ uſos fuiſſe linguâ Cortonenſeis, teſtatur lib. 1, his verbis: Ἥντινα δὲ γλῶσσαν ἵεσαν οἱ Πελασγοί, οὐκ ἔχω ἀτρεκέως εἰπεῖν· εἰ δὲ χρεών ἐστι τεκμαιρόμενον λέγειν τοῖσι νῦν ἔτι ἐοῦσι Πελασγῶν τῶν ὑπὲρ Τυρσηνῶν Κρότωνα πόλιν οἰκεόντων, οἳ ὅμουροί κοτε ἦσαν τοῖσι νῦν Δωριεῦσι καλεομένοισι· οἴκεον δὲ τηνικαῦτα γῆν τὴν νῦν Θεσσαλιῶτιν καλεομένην, καὶ τοῖσι τὴν Πλακίην τε καὶ Σκυλάκην Πελασγῶν οἰκησάντων ἐν Ἑλλησπόντῳ, οἳ σύνοικοι ἐγένοντο Ἀθηναίοισι· εἰ τούτοισι τεκμαιρόμενον δεῖ λέγειν, ἦσαν οἱ Πελασγοὶ βάρβαρον γλῶσσαν ἱέντες· καὶ γὰρ δὴ οὔτε Κροτωνιῆται οὐδαμοῖσι τῶν νῦν σφέας περιοικεόντων εἰσὶν ὁμόγλωσσοι, οὔτε οἱ Πλακιηνοί· σφίσι δὲ ὁμόγλωσσοι. δηλοῦσί τε, ὅτι τὸν εἰνείκαντο γλώσσης χαρακτῆρα μεταβαίνοντες ἐς ταῦτα τὰ χωρία, τοῦτον ἔχουσιν ἐν φυλακῇ. Hoc eſt: *Qui linguâ Pelaſgi ſint uſi, pro certo adſirmare non poſſum. ſed ex conjecturâ licet dicere, eius linguæ fuiſſe, cuius ſunt hodiè ii ex Pelaſgis, qui ſupra Tyrrhenos Crotonem urbem incolunt, & olim finitimi erant iis, quos nunc Dores vocant; tum videlicet, quum eam, quam nunc Theſſaliotin regionem adpellant, incolebant: item cuius ſunt ii quoque Pelaſgi, qui Placiam atque Scylacen condiderunt apud Helleſpontum; & Athenienſium contubernales fuerunt. Ex his, inquam, conjecturâ factâ, dicere licet, Pelaſgos olim barbarè fuiſſe loquutos. nam & Crotoniatæ ſimul & Placiani linguâ quidem diſſident à ſuis quique vicinis: at inter ſe conveniunt. quo argumento ſatis oſtendunt, ſe eam ipſam ſermonis formam conſervaſſe, quam habebant, quum in eas regiones migrarent.* Herodoti equidem exemplaria urbis nomen ferunt Κρηστῶνα, & incolarum Κρηστωνιήτας: verùm Dionyſius, qui prædicto lib. 1 magnam partem huius loci ex Herodoto citat, diſertè habet Κρότωνα & Κροτωνιάτας. Κρηστώνη erat Thraciæ urbs; non tantùm in aliis auctoribus, ſed & ipſi Herodoto lib. VII & VIII memorata. Fuiſſe *Cortonam* in numero XII populorum Etruriæ, haud obſcurè innuit Livius, ſuprà dicto lib. VIIII, in conſulatu Q. Fabii Maximi Rulliani & C. Marcii Rutilii Cenſorini, anno urbis Romæ CCCCXLIIII, CXXX circiter annis poſt hiſtorias ab Herodoto conditas, ſic ſcribens: *Itaque à Peruſiâ & Cortonâ & Arretio, quæ fermè capita Etruriæ populorum eâ tempeſtate erant, legati, pacem fœduſque ab Romanis petentes, inducias in* XXX *annos impetraverunt*. Poſteà *coloniam* eò deductam Romanorum, paullo ante Dionyſii hiſtorias conſcriptas, ipſe loco ſuprà citato teſtatur. Cæterùm apud Frontinum Strategemat. lib. 1 cap. 11 ſic ſcriptum eſt: *Aemilius Paulus conſul bello Etruſco apud opidum Coloniam demiſſurus exercitum in planitiem, contemplatus, procul avium multitudinem citatiore volatu è ſilvâ ſurrexiſſe; intellexit, illic aliquid inſidiarum latere; quòd & turbatæ aves & ſimul plures evolaverunt. præmiſſis igitur exploratoribus, comperit,* X *millia Boiorum excipiendo ibi Romanorum agmini imminere: eaque alio, quàm exſpectabatur, latere miſſis legionibus, circumfudit.* Quiſnam hic *conſul Aemilius* fuerit, qui bellum Etruſcum, cui etiam *Boii* interfuerint, geſſit, nuſquàm diſpicio: niſi quòd hæc in Excerptis legationum ex Dionyſii hiſtoriis, quæ interierunt, exſtant: Πύρρου, τοῦ Ἠπειρωτῶν βασιλέως, ἐπὶ τὴν Ῥώμην στρατιὰν ἐξάγοντος, ἐβουλεύσατο [ἡ Ῥωμαίων βουλὴ καὶ ὁ δῆμος] πρεσβευτὰς ἀποστεῖλαι τοὺς ἀξιώσοντας Πύρρον ἀπολυτρῶσαι σφίσι τοὺς αἰχμαλώτους· καὶ ἀποδείκνυσι πρέσβεις Γάϊον Φαβρίκιον, ὃς ἐνιαυτῷ τρίτῳ πρότερον ὑπατεύων, Σαυνίτας καὶ Λευκανοὺς

καὶ Βρετ-

καὶ Βρεττίους ἐνίκησε μεγάλαις μάχαις, καὶ τὴν Θουρίων πολιορκίαν ἔλυσε, καὶ Κόϊντον Αἰμίλιον, τὸν συνάρξαντα τῷ Φαβρικίῳ, καὶ τὴν ἡγεμονίαν τοῦ Τυῤῥηνικοῦ πολέμου ἔχοντα, καὶ Πόπλιον Κορνήλιον, ὃς ἐνιαυτῷ τετάρτῳ πρότερον ὑπατεύων, Κελτῶν ἔθνος ὅλον, τοὺς καλουμένους Σένωνας, ἐχθίστους Ῥωμαίων ὄντας, πολεμῶν ἅπαντας ἡβηδὸν κατέσφαξεν. Hoc eſt: *Quum Pyrrhus, Epirotarum rex, exercitum verſus Romam eduxiſſet, ſenatus populusque Romanus legationem decrevit, quæ à Pyrrho peteret, uti captivos redimi pateretur: deſignavitque legatos, C. Fabricium; qui tertio anno antè conſul Samniteis & Lucanos Brutiosque magnis prœliis ſuperaverat; ac Thurios obſidione exemerat: & Q. Aemilium, qui Fabricii collega fuerat, Etruſcoque bello dux copiis præfuerat: & P. Cornelium, qui quarto anno antè conſul, totam Gallorum nationem, qui Senones dicebantur, acerrimos Romanorum hoſteis, bello devictos, omneis, quotquot juvenili ætate eſſent, contrucidaverat.* De hoc Senonum excidio ita tradit Florus lib. I cap. XIII: *Ac primùm omnium illam ipſam Gallicam gentem ſic perſequutus eſt duce Camillo populus Romanus, ut hodiè nulla Senonum veſtigia ſuperſint. Semel apud Anienem trucidati. iterum in Pomptino agro. tandem poſt aliquot annos omneis reliquias eorum in Etruriâ ad lacum Vadimonis Dolabella delevit.* Apud epitomatorem Livii lib. XII ita ſcriptum: *Samnites defecerunt. adverſùs eos & Lucanos & Brutios & Etruſcos aliquot prœliis à compluribus ducibus benè pugnatum eſt. Pyrrhus, Epirotarum rex, ut auxilium ferret Tarentinis, in Italiam venit.* Et mox lib. XIII: *Valerius Lævinus conſul parùm proſperè adverſùs Pyrrhum pugnavit.* P. Cornelius Dolabella cum Cn. Domitio Calvino conſulatum geſſit anno urbis Romæ CCCCLXXI. proximo autem anno C. Fabricius & Q. Aemilius; teſte præſcripto Dionyſio & Caſſiodoro. hos Faſti Siculi vocant Luſcinum & Papum: Cicero verò ſic memorat in Lælio: *Videmus Papum Aemilium C. Luſcino familiarem fuiſſe. ſic à patribus accepimus, bis unà conſules & collegas in cenſu.* Et Valerius quoque Maximus lib. III cap. IIII ita eorum meminit: *In C. verò Fabricii & Q. Aemilii Papi, principum ſui ſæculi, domibus argentum fuiſſe, confitear oportet. uterque enim patellam deorum & ſalinum habuit.* At hic *Q. Aemilius Papus* falſo ſeu mendoſo nomine vocatur apud Plutarchum in Parallelis *Paulus*; quemadmodùm & *L. Aemilius Papus*, qui anno Vrbis IↃXXVIII, initio belli Gallici Ciſalpini, conſulatum geſſit cum C. Atilio Regulo, teſtibus Faſtis Capitolinis Siculisque, apud Plinium lib. III cap. XX vitioſo itidem vocabulo legitur *Paulus*. Apud Frontinum igitur etiam præſcripto loco legendum eſt; *Aemilius Papus conſul bello Etruſco apud opidum Cortonam demiſſurus exercitum in planitiem*. nam neque *Aemilius Paulus* ullus Etruſco bello præfuit; neque opidum aliquod *Colonia* ceu proprio ac peculiari nomine in Italiâ exſtitit. & Boios Q. Aemilii Papi bello Etruſco interfuiſſe, teſtis eſt Polybius lib. II: ubi bella refert, quæ Romani cum Gallis geſſerunt; primò apud Cluſium opidum; mox poſt X annos apud Arretium; ubi L. Poſthumius Megellus, collega C. Iunii Bruti Bubulci anno Vrbis CCCCLXII, interfectus eſt. poſt cuius mortem Gallos Senones tradit victos à Romanis, ſedibusque ſuis expulſos. cui narrationi hæc ſtatim verba ſubjungit: Οἱ δὲ Βοιοὶ, θεωροῦντες ἐκπεπτωκότας τοὺς Σήνωνας, καὶ δείσαντες περὶ σφῶν καὶ τῆς χώρας, μὴ πάθωσι τὸ παραπλήσιον, ἐξεστράτευσαν πανδημεὶ, παρακαλέσαντες Τυῤῥηνούς. ἀθροισθέντες δὲ περὶ τὴν Οὐαδίμονα προσαγορευομένην λίμνην, παρετάξαντο Ῥωμαίοις. ἐν δὲ τῇ μάχῃ ταύτῃ Τυῤῥηνῶν μὲν οἱ πλεῖστοι κατεκόπησαν, τῶν δὲ Βοιῶν τελέως ὀλίγοι διέφυγον. Id eſt: *Boii, ut excidiſſe ſedibus ſuis Senones vident; metu ſimilis fortunæ, omnibus ſuis, qui arma ferre poterant, excitis, Etruſcis etiam advocatis, cum Romanis apud lacum Vadimonis acie inſtructâ certamen ineunt. cæſi ibi plerique Etruſcorum: Boiorum admodùm pauci evaſerunt.* In eo Florus atque Polybius inter ſe differunt, quòd hic cum *Etruſcis* atque *Boiis* apud Vadimonis lacum pugnatum fuiſſe ſcribit, poſt Senonum excidium: ille verò anno antè à P. Cornelio Dolabellâ ipſos heic *Senones* deletos tradit. cui conſenſiſſe videtur Frontinus, apud *Cortonam* Etruſcorum cum Boiis cæſos narrans. Sed hactenus Frontinum ab inſignibus mendis purgaſſe, ſufficiat. De reliquo apud Vſuardum quoque in Martyrologio ſic ſcriptum eſt: *Quinto Idus Auguſti apud Coloniam Tuſciæ natalis ſanctorum martyrum, Secundiani, Marcelliani, & Variani; qui temporè Decii triumphalem martyrii palmam capite cæſi meruerunt.* Heic quoque legendum eſſe cenſeo apud *Cortonam Tuſciæ*.

Porrò à Cortonâ XX millia paſſuum in orientem Solem verſùs eſt antiquiſſima & ipſa *urbs* PERVSIA; Livio, Straboni, Velleio, Plinio, Svetonio, Appiano, Ptolemæo, *PERVSIA colonia & municipium.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

lemæo, Floro, Dioni, Tabulæ itinerariæ, Servio, Procopio, Eutropio, Stephani epitomatori, Paullo Diacono, & aliis memorata. Straboni ac Ptolemæo & Dioni Latinâ formatione Græcis literis eſt Περουσία· at Diodoro, Appiano, ac Procopio, ſimplici vocali υ ſcribitur Περυσία. Hinc ita Stephani breviator: Περουσία, πόλις Τυῤῥηνῶν. τὸ ἐθνικὸν Περουσιάτης· ἔστι δὲ καὶ Περουσῖνος. γράφεται διχῶς· καὶ διὰ τοῦ ο, καὶ δίχα αὐτοῦ. Id eſt: *Peruſia, urbs Tuſcorum. gentile Peruſiates: item Peruſinus. ſcribitur duplici modo; per o, & ſine eo.* Sed apud eumdem Stephani breviatorem Πεῤῥαίσιον quoque dici, mox infrà videbimus. Et dictum fuiſſe poſteriori ſæculo neutro genere PERVSIVM, ex Tabulæ itinerariæ Eutropiique & Paulli Diaconi ac Priſciani conſenſu patet. Diaconus Langobard. rer. lib. II cap. XVI: *In Vmbriâ, quæ Thuſciæ in parte, Peruſium & lacus Clitorius Spoletumque conſiſtunt.* Eutropius lib. VII, de L. Antonio loquens: *Is apud Peruſium, Tuſciæ civitatem victus & captus eſt.* In Tabulâ itinerariâ vocabulum id vitiatum legitur obliquo caſu *Piruſio*. Priſcianus lib. II: *Peruſium, Peruſinus*. Hodiè urbs vulgò incolis vocatur *Perugia*. Opidani inde olim omnibus pariter Latinis auctoribus dicuntur PERVSINI. Primam atque ſecundam vocabuli ſyllabas fuiſſe breveis; quare hanc etiam Græci per υ expreſſerunt; patet ex Lucani lib. I, in his verbis:

His, Cæſar, Peruſina fames Mutinæque labores
Accedant fatis.

De origine eius ita tradit Trogi epitomator Iuſtinus lib. XX; ubi oſtendit, quæ Italiæ civitates à quibus Græciæ populis oriundæ fuerint. *Peruſini*, inquit, *originem ab Achæis ducunt*. Quos heic intellexerit *Achæos* Pompeius Trogus, equidem neſcio. at à Pelaſgis *Peruſiam* quoque, cum reliquis ſuprà commemoratis Græcis Etruriæ urbibus, fuiſſe conditam, haud dubium eſt. hinc etiam in XII principum Etruriæ urbium numero poſita fuit. Stephani epitomator: Πεῤῥαίσιον, πόλις μία τῶν δυοκαίδεκα τῶν παρὰ τοῖς Τυῤῥηνοῖς ἀρχηγείδων καλουμένων. τὸ ἐθνικὸν Πεῤῥαισῆνος. Id eſt: *Perræſium, una ex XII Etruſcorum urbibus, quæ principes dictæ ſunt. gentilitium inde Perræſinus.* Multa locorum vocabula apud hunc epitomatorem eſſe corrupta; ſæpè etiam unum idemque opidum compluribus nominis ſui formationibus eſſe relatum; jam vulgò notum eſſe poſſit. Heic igitur etiam vocabulum hoc vel ex antiquiſſimo aliquo Græcorum ſcriptore ſumpſit Stephanus; cui genuina urbis adpellatio nondum exactè comperta: aut ab ipſo Stephano ſcriptum fuit Πεῤῥούσιον. nam geminari ρ in medio dictionum, jam nihil novum. *De Peruſiâ* iſta fuiſſe ſcripta, patet ex antiquiſſimâ huius urbis potentiâ; de qua Livius ſuprà dicto lib. VIIII, ſub Q. Fabio Maximo Rulliano & C. Marcio Rutilio conſulibus, anno urbis Romæ CCCCXLIIII, ita tradit: *Eam tam claram pugnam trans Ciminiam ſilvam, ad Peruſiam pugnatam, quidam auctores ſunt: metuque in magno civitatem fuiſſe, ne interclusus exercitus tam infeſto ſaltu, coortis undique Tuſcis Vmbrisque, opprimeretur. Sed ubicumque pugnatum eſt; res Romana ſuperior fuit. Itaque à Peruſiâ & Cortonâ & Arretio, quæ fermè capita Etruriæ populorum eâ tempeſtate erant, legati, pacem fœdusque ab Romanis petentes, inducias in XXX annos impetraverunt.* Et lib. X, annis XV pòſt, ſub L. Poſthumio Megello iterum & M. Atilio Regulo conſulibus: *Pax tamen clarior maiorque, quàm bellum in Etruriâ eo anno fuerat, parta eſt. tres validiſſimæ urbes, Etruriæ capita, Volſinii, Peruſia, Arretium, pacem petière.* Et Diodorus lib. XX, de prædicto Fabio conſule loquens: Μετὰ δὲ ταῦτα περὶ τὴν καλουμένην Περυσίαν δευτέρᾳ μάχῃ τῶν Τυῤῥηνῶν κρατήσας, πολλοὺς ἀνελὼν, κατεπλήξατο τὸ ἔθνος, πρῶτος Ῥωμαίων μετὰ δυνάμεως ἐμβεβληκὼς εἰς τοὺς τόπους τούτους. καὶ πρὸς Ἀῤῥητίνους καὶ Κροτωνιάτας, ἔτι δὲ Περυσίνους, ἀνοχὰς ἐποιήσατο. Id eſt: *Poſt hæc altero ad Peruſiam prælio Tuſcis ſuperatis, multisque cæſis, gentem illam perterrefecit; primus Romanorum cum exercitu hæc loca ingreſſus. Arretinis hinc & Crotonienſibus ac Peruſinis inducias conceſſit.* Sed diſertis verbis *Peruſiam* Appianus in XII principibus Etruriæ urbibus fuiſſe teſtatur Civil. bellor. lib. V; ubi L. Antonium ab Cæſare Octaviano apud eam obſeſſum narrat. Τὴν δὲ, inquit, Περυσίαν αὐτὴν ἐγνώκει μὲν ὁ Καῖσαρ ἐς διαρπαγὴν ἐπιτρέψαι τῷ στρατῷ· Κέστιος δέ τις αὐτῶν ὑπομαργότερος ἐνέπρησε τὴν οἰκίαν, καὶ ἑαυτὸν ἐς τὸ πῦρ ἐνέβαλε· καὶ ἄνεμοι τὴν φλόγα ὑπολαβόντες, περιήνεγκαν ἐς ὅλην Περυσίαν· καὶ ἐνεπρήσθη, χωρὶς τοῦ Ἡφαιστείου μόνου. Τόδε μὲν δὴ τῇ Περυσίᾳ τέλος ἦν, δόξαν ἀρχαιότητος ἐχούσῃ καὶ ἀξιώσεως. ὑπὸ γὰρ Τυῤῥηνῶν πάλαι φασὶν αὐτὴν ἐν ταῖς πρώταις δυόδεκα πόλεσι ἐν Ἰταλίᾳ γενέσθαι· διὸ καὶ τὴν Ἥραν ἔσεβον, οἷα Τυῤῥηνοί. τότε ὅσοι τὰ λείψανα τῆς πόλεως διέλαχον,

τὸν Ἥφαι-

τὸν Ἥφαιστον σφίσιν ἔθεντο θεὸν εἶναι πατρῷον, ἀντὶ τῆς Ἥρας. Id eſt: *Peruſiam ipſam militi diripiendam dare Cæſar ſtatuerat. ſed quidam opidanorum, nomine Ceſtius, non ſatis mentis compos, incendit domum ſuam; ſeque in ignem conjecit. tum ventis flammam difflantibus per totam urbem, cremata ſunt omnia, excepto uno Vulcani templo. Hic finis fuit Peruſiæ; urbis antiquâ origine atque dignitate inclytæ. aiunt quidpe, unam è* XII *principibus Etruſcorum urbibus fuiſſe in Italiâ. quapropter etiam Iunonem ex Etruſcorum more colebant. tunc verò, qui ſortiti ſunt urbis reliquias, Vulcanum in Iunonis locum tutelare ſibi numen optaverunt.* Huc jam adde, quæ de origine huius urbis Servius quoque adnotavit ad hunc Virgilii Aeneid. lib. x locum:

Ille etiam patriis agmen ciet Ocnus ab oris:
Fatidicæ Mantûs & Tuſci filius amnis:
Qui muros matrisque dedit tibi, Mantua, nomen:
Mantua dives avis. ſed non genus omnibus unum.
Gens illi triplex: populi ſub gente quaterni.
Ipſa caput populis: Tuſco de ſangvine vires.

Ad quæ verba ita commentatur Servius: *Iste eſt Ocnus, quem in Bucolicis Bianorem dicit. Hic Mantuam dicitur condidiſſe; quam à matris nomine adpellavit. nam fuit filius Tiberis & Mantûs, Tyreſiæ, Thebani vatis, filiæ: quæ ad Italiam poſt parentis venit interitum. Hunc Ocnum alii Auletis filium, alii fratrem, qui Peruſiam condidit, ferunt: &, ne cum fratre contenderet; in agro Gallico Felſinam, quæ nunc Bononia dicitur, condidiſſe. permiſiſſe etiam exercitui ſuo, ut caſtella munirent. in quorum numero Mantua fuit. Alii à Tarchone, Tyrrheni fratre, conditam dicunt. Mantuam autem ideò nominatam, quòd Etruſcâ lingvâ Mantum Ditem patrem adpellant. Dives avis. Maioribus præpotens. & benè, dives avis. quia non ab Ocno, ſed ab aliis quoque condita ſit. primùm namque à Thebanis; deinde à Tuſcis; noviſſimè à Gallis; vel, ut alii dicunt, à Sarſinatibas, qui Peruſiæ conſederant. Gens illi triplex: populi ſub gente quaterni. Quia Mantua treis habuit populi tribus; quæ & in quaternas curias dividebantur; & ſingulis ſinguli Lucumones imperabant; quos in totâ Tuſciâ* XII *fuiſſe, manifeſtum eſt: ex quibus unus omnibus imperabat. hi autem totius Tuſciæ diviſæ habebant quaſi præfecturas. ſed omnium populorum principatum Mantua poſſidebat.* Mantuæ hoc ſuæ falſò tribuiſſe Virgilium, ſuprà lib. I cap. XXVI, in eius urbis deſcriptione, & item lib. II cap. I oſtenſum eſt. Cæterò *Auleten* iſtum alii Aegiſthi, alii Icarii faciunt filium, Penelopis fratrem. adeò Græcorum fabulæ variæ ſunt atque incertæ. Scripſiſſe autem puto Servium ita; *Hunc Ocnum alii Auletis, qui Peruſiam condidit, filium, alii fratrem ferunt.* Hinc reor illud Trogi apud Iuſtinum, dicto lib. XX, natum; *Peruſini originem ab Achæis ducunt.* Verùm patet ex obſcurâ iſtâ Servii narratione, *Peruſiam* & origine antiquiſſimam & in numero XII principum Etruriæ urbium ab vetuſtioribus Græcorum auctoribus fuiſſe relatam. *Sarſinatium* autem heic facta mentio; quia primi urbis Peruſinæ cultores Vmbri, à Pelaſgis pulſi, *Sarſinam* trans Apenninum condiderunt. Tanta itaque *Peruſiæ* eſt antiquitas, longè ante Troianum bellum ab Vmbris conditæ; mox à Pelaſgis, ac tandem ab Tuſcis habitatæ. tantusque eius antiquiſſimis etiam temporibus fuit ſplendor, dignitas, ac potentia. Nobilitata poſtmodùm maximè fuit, quum ab Octavio Auguſto obſideretur, calamitate ſuâ ſuprà memoratâ: quam ita refert Velleius Paterculus lib. II: *Antonius; pulſus undique viribus Cæſaris, Peruſiam ſe contulerat. Vſus Cæſar virtute & fortunâ ſuâ, Peruſiam expugnavit; Antonium inviolatum dimiſit. in Peruſinos magis irâ militum, quàm voluntate ſævitum ducis. urbs incenſa. cuius initium incendii princeps eius loci fecit Macedonicus. qui, ſubjecto rebus ac penatibus ſuis igni, transfixum ſe gladio flammæ intulit.* Florus lib. IIII cap. V: *Heic jam non privatis, ſed totius ſenatus ſuffragiis judicatum hoſtem L. Antonium Cæſar adgreſſus, intra Peruſiæ muros redegit: compulitque ad extrema deditionis turpi & nihil non expertâ fame.* Svetonius, in vitâ Octavii Cæſaris, cap. XCVI: *Circa Peruſiam, ſacrificio non litante, quum augeri hoſtias imperaſſet; ac ſubitâ eruptione hoſtes omnem rei divinæ adparatum abſtuliſſent: conſtitit inter haruſpices, quæ periculoſa & adverſa ſacrificanti denunciata eſſent, cuncta in illos recaſura, qui exſta haberent. neque aliter evênit.* Sed reſurrexiſſe ſtatim urbem poſt tantam calamitatem, ſatis aperte ex præſcriptis Appiani verbis patet. clariùs tamen eâ de re agit Dio lib. XLVIII, his verbis: Ὁ δ' οὖν Λούκιος, ὡς πῃ ἐκ τῆς Ῥώμης ἀπῆρεν, ὥρμησε μὲν ἐς τὴν Γαλατίαν· εἰρχθεὶς δὲ τῆς ὁδοῦ, πρὸς

Περουσίαν, Τυρρηνίδα πόλιν, ἀπετράπετο. καὶ αὐτὸν ἐνταῦθα πρότερον μὲν οἱ ὕπαρχοι τοῦ Καίσαρος, ἔπειτα δὲ καὶ αὐτὸς ἐκεῖνος, ἀπολαβόντες ἐπολιόρκουν. Χρονίου δὲ τῆς προσεδρείας σφίσι γιγνομένης (τό τε γὰρ χωρίον τῇ τε φύσει καρτερόν ἐστι, καὶ τοῖς ἐπιτηδείοις ἱκανῶς παρεσκεύαστο) πολλὰ μὲν πρὸς τούτοις ὡς ἑκάτερος, πολλὰ δὲ καὶ πρὸς τοῖς τείχεσιν ἐπράχθη· μέχρις οὗ καίτοι πλεονεκτοῦντες τὰ πλείω οἱ περὶ τὸν Λούκιον, ὅμως ὑπὸ λιμοῦ ἑάλωσαν. Καὶ αὐτὸς μὲν ἄλλοι τέ τινες ἄδειαν εὕροντο· οἱ δὲ δὴ πλείους τῶν τε βουλευτῶν καὶ τῶν ἱππέων ἐφθάρησαν. * · τῶν δὲ Περουσίνων καὶ τῶν ἄλλων τῶν ἐκεῖ ἁλόντων, οἱ πλείους ἀπώλοντο. Καὶ ἡ πόλις αὐτή, πλὴν τοῦ Ἡφαιστείου τοῦ τε τῆς Ἥρας ἕδους, πᾶσα κατεκαύθη. τοῦτο δὲ (ἐσώθη γάρ πως κατὰ τύχην) ἀνήχθη τε ἐς τὴν Ῥώμην ἐξ ὄψεως ὀνείρου, ἣν ὁ Καῖσαρ εἶδε, καὶ παρέσχε καὶ τῇ πόλει πρὸς τῶν βουλομένων συνοικισθῆναι· πλὴν ἐπὶ τῆς χώρας οὐδὲν ὑπὲρ ἑπτὰ καὶ ἥμισυ σταδίους ἐκτήσαντο. Ἐκείνης δ' οὖν ἐπί τε Γναίου Καλουίνου δεύτερον καὶ ἐπὶ Ἀσινίου Πωλίωνος ὑπάτων ἁλούσης, καὶ τἆλλα τὰ ἐν τῇ Ἰταλίᾳ τῷ Καίσαρι προσεχώρησε. Id eſt: *L. Antonius Româ tunc profectus, in Galliam ire intendit. ſed itinere prohibitus, Peruſiam, Etruriæ urbem, ſe convertit. Ibi deprehenſum, primò legati Cæſaris, mox ipſe Cæſar, oppugnaverunt. Durante diu obſidione (nam & naturâ munitus eſt locus, & ſatis inſtructus erat omnibus rebus ad defendendum neceſſariis) multa mutuis prœliis, multa item ad urbis mœnia ſunt acta. in quibus quum plerumque Antonius priores tuliſſet; tamen fames ei tandem deditionem extorſit. Venia ipſi aliisque nonnullis data. plerique ſenatores & equeſtris ordinis viri necati ſunt.* Mox: *Peruſini, aliique ibi tum capti, plerique trucidati ſunt. Vrbs ipſa tota combuſta; fano ſolùm Vulcani ſervato, unà cum ſimulacro Iunonis. quod, caſu ab incendio ſuperſtes, Romam advectum eſt, propter ſomnium Cæſaris quoddam. conceſſumque ab eo, ut, qui vellent, eam urbem reficerent & habitarent. agri tamen ultra mille paſſus non poſſederunt. Peruſiâ Cn. Calvino iterum & Aſinio Pollione conſulibus captâ, reliqua etiam Italiæ opida Cæſari ſeſe adplicuerunt.* In duabus huius urbis portis antiquis leguntur hæc verba; COLONIA · VIBIA · unde patet, triennio antè, quàm caperetur, coloniam à C. Vibio Panſâ conſule, cuius collega erat A. Hirtius, huc deductam fuiſſe. Ibidem in aliâ portâ antiquâ legitur, AVGVSTA · PERVSIA · id cognominis à prædictâ inſtauratione adſumpſit. Alii hinc lapides MVNICIPES memorant, & ORDINEM PERVSINORVM, & PLEBEM VRBANAM cum DECVRIONIBVS. Hinc igitur à Strabone inter præcipuas Etruriæ urbeis computatur lib. v. Ἐν δὲ τῇ μεσογαίᾳ, inquit, πόλεις, Ἀρρήτιόν τε καὶ Περουσία καὶ Οὐολσίνιοι καὶ Σούτριον· πρὸς δὲ ταύταις πολίχναι συχναί, Βλήρα τε καὶ Φερεντῖνον, καὶ Φαλέριον καὶ Φαλίσκον καὶ Νέπιτα καὶ Στατωνία, καὶ ἄλλαι πλείους. Hoc eſt: *In mediterraneo urbes ſunt, Arretium, Peruſia, Volſinii, Sutrium. tum crebra opidula, Blera, Ferentinum, Falerium, Faliſcum, Nepita, Statonia; & alia compluria.* Et quingentis ampliùs annis poſt Strabonem, ſub Iuſtiniano imperatore ſic ſcripſit Procopius Gothicar. rer. lib. I: Αὐτὸς ξὺν τῷ ἄλλῳ στρατῷ ἐν Περουσίᾳ, τῇ Τούσκων πρώτῃ, ἡσύχαζεν. Id eſt: *Ipſe cum reliquo exercitu Peruſiæ, quæ princeps eſt Etruſcorum urbs, quietè ſe continuit.* Et item lib. III: Τότε δὲ καὶ Περουσίαν πόλιν, ἣ πρώτη ἐν Τούσκοις οὖσα ἐτύγχανε, πικρότατα πολιορκουμένην, ἀπέλιπεν. Hoc eſt: *Tunc etiam Peruſiam, principem Tuſciæ urbem, acerrimè oppugnatam, deſeruit.*

LACVS TRASYMENVS; *qui* & PERVSINVS.

Cæterùm inter Peruſiam atque Cortonam magnus conſpicitur lacus, qui vulgò nunc *Lago di Perúgia* adcolis dicitur, id eſt, *Peruſinus lacus:* at olim Græcis Θρασυμένη λίμνη, Latinis THRASYMENVS *lacus* vocitabatur. quamquàm apud Strabonem lib. v, ubi de maximis ei ſermo eſt Etruriæ lacubus, per ſimplex T legitur Τρασουμένα λίμνη, *Traſymenus lacus.* Ὧν ἐστιν, inquit, ἥ τε Κιμίνα καὶ ἡ περὶ Οὐολσινίους, καὶ ἡ περὶ Κλούσιον, καὶ ἡ ἐγγυτάτω τῆς Ῥώμης καὶ τῆς θαλάττης, Σαβάτα, ἀπωτάτω δὲ καὶ πρὸς Ἀρρητίῳ ἤδη ἡ Τρασουμένα. Hoc eſt: *Inter quos eſt Ciminus, & qui apud Volſinios eſt, & item qui apud Cluſium; quique proximè Romam ac mare, Sabata; longiſſimè autem diſſitus apud Arretium Traſymenus.* Propiùs equidem hic erat *Peruſiam* urbem. unde etiam Περουσίνη λίμνη, PERVSINVS *lacus* dictus eſt Appiano, ut infrà videbimus. Inſignitus eſt ingenti illâ clade, quam heic ſecundo bello Punico ab Hannibale acceperunt Romani: eoque nomine Græcis juxtà ac Latinis monimentis maximè celebratur. Strabo præſcriptis hæc ſubnectit: Ἡ Τρασουμένα λίμνη, καθ' ἣν αἱ ἐκ τῆς Κελτικῆς εἰς τὴν Τυρρηνίαν ἐμβολαὶ στρατοπέδοις· αἷς περ καὶ Ἀννίβας ἐχρήσατο, δυεῖν οὐσῶν· ταύτης τε καὶ τῆς ἐπ' Ἀριμίνου διὰ τῆς Ὀμβρικῆς· βελτίων μὲν οὖν ἡ ἐπ' Ἀριμίνου· ταπεινοῦται γὰρ ἐνταῦθα ἱκανῶς τὰ ὄρη. Φρουρουμένων δὲ τῶν παρόδων τούτων ἐπιμελῶς, ἠναγκάσθη τὴν χαλεπωτέραν ἑλέσθαι· καὶ ἐκράτησεν ὅμως, νικήσας μάχαις μεγάλαις Φλαμίνιον. Id eſt: *Traſymenus lacus: propter quem exercitibus è Galliâ in Etruriam tendentibus tranſitus patet:*

quo

quo & Hannibal uſus eſt: quum alioquin ſint duo: hic ipſe, & alter per Vmbriam ac Ariminum. commodior tamen hoc per Ariminum; montibus illà ſatis humilibus. Sed quum is adcuratâ cuſtodiâ teneretur; difficiliorem coactus eſt petere: atque obtinuit; victo ingenti prælio Flaminio. Falſus igitur eſt Cornelii Nepotis breviator Aemilius Probus, ita in vitâ Hannibalis tradens: *Idem Scipio cum collegâ Ti. Longo ad Trebiam adversùs eum venit. cum his manum conſeruit: utrumque profligavit. Inde per Ligures Apenninum tranſiit, petens Etruriam. Hoc itinere adeò gravi morbo adficitur oculorum, ut poſteà numquam dextro æquè benè uſus ſit.* Eum haud dubiè intellexit tranſitum Apennini, qui eſt inter Macræ Tarique amnium fonteis; de quo ſuprà lib. I cap. XXVIII in Boiis egi. Verùm ſupra Fæſulas urbem tranſiſſe Hannibalem Apenninum, atque inde ſtatim ad Arnum flumen, hinc verò ad Traſymenum lacum perveniſſe, convenit inter reliquos auctores omneis. Oroſius lib. IIII cap. XIIII: *Pugnatum deinde eſt eodem conſule ad flumen Trebiam: iterumque Romani pari clade ſuperati ſunt. in eo tamen prælio etiam Hannibal ſauciatus eſt. qui poſteà, quum in Etruriam primo vere tranſiret, in ſummo Apennino tempeſtate correptus, biduo continuo immobiliter cum exercitu nivibus concluſus & onuſtus obriguit. ubi magnus hominum numerus, jumenta quàm plurima, elephanti autem penè omnes, frigoris acerbitate perierunt.* Et cap. XV: *Igitur Hannibal ſciens, Flaminium conſulem ſolum in caſtris eſſe; quo celeriùs imparatum obrueret; primo vere progreſſus, adripuit propiorem, ſed paluſtrem viam. & tum fortè Sarnus, latè redundans, pendulos & diſſolutos campos reliquerat: de quibus dictum eſt; Et quæ rigat æquora Sarnus. in quos cum exercitu Hannibal progreſſus; nebulis maximè, quæ de palude exhalabant, proſpectum auferentibus; magnam partem ſociorum jumentorumque perdidit. ipſe autem uni elephanto, qui ſolus ſuperfuerat, ſuperſedens, vix difficultatem itineris evaſit. ſed oculum, quo jamdudum ægrotaverat, violentiâ frigoris vigiliarumque ac laboris amiſit. Vbi verò proximus caſtris Flaminii conſulis fuit; vaſtatione circumjacentium locorum Flaminium in bellum excitavit. Hæc pugna apud Traſumenum lacum facta eſt. ubi exercitus Romanus, infeliciſſimè arte circumventus Hannibalis, funditus trucidatus eſt; ipſe quoque conſul occiſus. Viginti quinque millia Romanorum in eo prælio cæſa, VI millia capta referuntur. De exercitu verò Hannibalis duo millia capta referunt. Famoſum hoc apud Traſumenum lacum certamen fuit tantâ clade Romanâ; maximè, quum ita intentus pugnantium ardor exſtiterit, ut graviſſimum terræ motum, qui tunc fortè tam vehemens factus eſt, ut urbeis diruiſſe, monteis tranſtuliſſe, diſcidiſſe rupeis, & flumina retrorſum coëgiſſe, referatur, pugnantes omnino non ſenſerint.* Eadem hæc verba ex Oroſio Paullus quoque Diaconus refert in Hiſtor. miſcellæ lib. III, & item Freculfus Chronicor. tomo II lib. V cap. VII. *Sarnum* autem, Campaniæ apud Nuceriam flumen, cuius meminit Virgilius Aeneid. lib. VII, per ſummum heic errorem atque imperitiam nominavit Oroſius pro *Arno*, Florentiam Piſasque perfluente. Iuvat igitur Livii hoc loco uti auctoritate. quamquàm & ipſe haud minùs intricatè obſcuréque hunc tranſitum Hannibalis per Apenninum verſùs Thraſymenum lacum narrare videtur, quàm illum per Alpeis; quem ſuperiori volumine cap. XXXIII excuſſimus. Verba eius lib. XXII, poſtquàm de pugnâ ad Trebiam egit, hæc ſunt: *Iam ver adpetebat, quum Hannibal ex hibernis movit; nequidquàm antè conatus tranſcendere Apenninum, intolerandis frigoribus.* Et poſteà: *Dum conſul placandis Romæ diis habendoque delectu dat operam, Hannibal profectus ex hibernis, quia jam Flaminium conſulem Arretium perveniſſe fama erat; quum aliud longius, cæterùm commodius, oſtenderetur iter; propiorem viam per paludem petit, quà fluvius Arnus per eos dies ſolito magis inundaverat. Hiſpanos & Afros, & omne quod veterani erat robur exercitus, admiſtis ipſorum impedimentis, necubi conſiſtere coactis neceſſaria ad uſus deeſſent, primos ire juſſit; ſequi Gallos; ut id agminis medium eſſet: noviſſimos ire equites: Magonem inde cum expeditis Numidis cogere agmen, maximè Gallos, ſi tædio laboris longæque viæ (ut eſt mollis ad talia gens) dilaberentur, aut ſubſiſterent, cohibentem. Primi, quà modò præirent duces, per præaltas fluvii ac profundas voragines hauſti penè limo, immergentesque ſe, tamen ſigna ſequebantur. Galli neque ſuſtinere ſe prolapſi, neque adſurgere ex voraginibus poterant. aut corpora animis, aut animos ſpe ſuſtinebant; alii feſſa ægrè trahentes membra; alii, ubi ſemel victis tædio animis procubuiſſent, inter jumenta, & ipſa jacentia paſſim, morientes. maximéque omnium vigiliæ conficiebant, per quatriduum jam & treis noctes toleratæ. Quum*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

omnia obtinentibus aquis, nihil, ubi in ſicco feſſa ſternerent corpora, inveniri poſſet; cumulatis in aquas ſarcinis inſuper incumbebant. jumentorum itinere toto proſtratorum paſſim acervi, tantùm quòd exſtarent aquâ, quærentibus ad quietem parvi temporis neceſſarium cubile dabant. Ipſe Hannibal, æger oculis ex vernâ primùm intemperie, variante calores frigoraque, elephanto, qui unus ſuperfuerat, quòd altiùs ex aquâ exſtaret, vectus. vigiliis tamen & nocturno humore paluſtrique cœlo, gravante caput, & quia medendi nec locus nec tempus erat, altero oculo capitur. Multis hominibus jumentisque fœdè amiſſis, quum tandem de paludibus emerſiſſet, ubi primùm inſicco potuit, caſtra locat. certumque per præmiſſos exploratores habuit, exercitum Romanum circa Arretii mœnia eſſe. Conſulis deinde conſilia atque animum, & ſitum regionum iteneraque, & copias atque commeatus expediendos, & cætera, quæ cognoſcenda in re erant, ſummâ omnia cum curâ inquirendo exſequebatur. Regio erat in primis Italiæ fertilis, Etruſci campi, qui Fæſulas inter Arretiumque jacent, frumenti ac pecoris & omnium copiâ rerum opulenti. Conſul ferox ab conſulatu priore, & non modò legum aut patrum majeſtatis, ſed ne deorum quidem ſatis metuens erat. Hanc inſitam ingenio eius temeritatem fortuna proſpero civilibus bellicisque rebus ſucceſſu aluerat. Itaque ſatis adparebat, nec deos, nec homines conſulentem, ferociter omnia ac præproperè acturum. Quóque pronior eſſet in vitia ſua, agitare eum atque irritare Pœnus parat. & lævâ relicto hoſte, Fæſulas petens, Etruriæ agros prædatum profectus, quantam maximam vaſtitatem poteſt, cædibus incendiisque conſuli procul oſtendit. Et paullo pòſt; narratâ Flaminii, quòd ocioſi ad Arretium ſederent Romani, indignatione: *Hannibal, quod agri eſt inter Cortonam urbem Thraſymenumque lacum, omni clade belli pervaſtat; quò magis iram hoſti ad vindicandas ſociorum injurias acuat. Et jam pervenerat ad loca inſidiis nata; ubi maximè monteis Cortonenſeis Thraſymenus ſubit.* Heic tandem Romani cæſi. Cæterùm mira ſanè in iſthac narratione chorographiæ circa tranſitum Hannibalis per Apenninum & Arnum verſùs Thraſymenum lacum confuſio involutioque obſcura: quidpe, uti à tranſitu Arni *Fæſulas, lævâ hoſte* ad Arretium *relicto*, petere potuerit Hannibal; primò ſuperiori amnis parte ac prope fontem tranſiſſe oportet: dein, aut ipſum ſtatim amnem, in eamdem ripam unde modò trajecerat, rurſùm tranſiſſe, aut inter Arretium atque amnem, lævam eius ripam ſequendò, ad loca Fæſulis adverſa profectum neceſſe eſt. At horum utrumque perabſurdum. primò enim, quis ſanæ mentis homo credat, tam difficilem tamque toti exercitui pernicioſum fluvii tranſitum ſtatim voluiſſe repetere ducem ſolertiſſimum, nullâ cogente neceſſitate; nempe, ut jam tertiò eumdem fluvium trajiceret, ab Fæſulis Cortonam lacumque Thraſymenum petiturus. tum, cui umquàm veri fieri potuerit ſimile, Flaminium conſulem, hominem aliàs *ferocis ac temerarii præproperique ingenii*, pacatum tunc quietumque conceſſurum fuiſſe Pœno inter Arretium ſive caſtra ſua & Arni ripam tranſitum; quum id ſpacium terrarum IIII haud ampliùs pateat millia paſſuum? ubi facillimè hoſtem tranſitu prohibere potuiſſet; vel etiam pugnâ conſertâ fundere conatus fuiſſet. Itaque errorem in præſcriptâ Livii hiſtoriâ eſſe haud modicum, audacter ego pronunciaverim. quem tamen non ipſi auctori, ſed incurioſis exſcriptoribus attribuerim: utique, quum levi paucorum verborum tranſpoſitione in rectum verumque ſenſum reſtitui oratio poſſit, hoc modo: *Quóque pronior eſſet in vitia ſua,* [ſcilicet conſul] *agitare eum atque irritare Pœnus parat. &, à Fæſulis profectus, lævâ relicto hoſte, Etruriæ agros prædatum petens, quantam maximam vaſtitatem poteſt, cædibus incendiisque conſuli procul oſtendit.* Quibus rectè deinde reſpondent, quæ proximè hinc de eodem Hannibalis itinere narrat in hæc verba: *Hannibal, quod agri eſt inter Cortonam urbem Thraſymenumque lacum, omni clade belli vaſtat; quò magis iram hoſti ad vindicandas ſociorum injurias acuat.* Ad lævam igitur reliquit Hannibal hoſtem, dum, à Fæſulis per opulentiſſimos Etruriæ apud ſiniſtram Arni ripam campos profectus, loca inter Cortonam urbem & Thraſymenum lacum petiit. Verùm uti hæc de loco Livii corrupto magis inſuper firmetur ſententia; Polybii quoque, à quo ſua mutuatus eſt Livius, in medium adducere verba liceat. Is lib. III ita tradit: Ἐνισταμένης δὲ τῆς ἐαρινῆς ὥρας, Γάϊος μὲν Φλαμίνιος, ἀναλαβὼν τὰς αὑτοῦ δυνάμεις, προῆγε διὰ τῆς Τυῤῥηνίας, καὶ κατεστρατοπέδευσε πρὸ τῆς τῶν Ἀῤῥητίνων πόλεως· Γνάϊος δὲ Σερουίλιος τοὔμπαλιν ὡς ἐπ' Ἀριμίνου, ταύτῃ παρατηρήσων τὴν εἰσβολὴν τῶν ὑπεναντίων. * — * . Ἀννίβας δὲ, θεωρῶν

σύ-

τοὺς Κελτοὺς δυσχεραίνοντας, ἐπὶ τῷ τὸν πόλεμον ἐν τῇ παρ' αὐτῶν χώρᾳ λαμβάνειν τὴν τριβήν· ἀποδίδονται δὲ καὶ μετεώρους ὄντας εἰς τὴν πολεμίαν, προφάσει μὲν διὰ τὴν πρὸς Ῥωμαίους ὀργὴν, τὸ δὲ πλεῖστον διὰ τὰς ὠφελείας· ἔκρινε, τὴν ταχίστην ἀναζευγνύειν, καὶ συνεκπληροῦν τὰς τῶν δυνάμεων ὁρμάς. διόπερ ἅμα τῷ τὴν ὥραν μεταβάλλειν, πυνθανόμενος τῶν μάλιστα τῆς χώρας δοκούντων ἐμπειρεῖν, τὰς μὲν ἄλλας ἐμβολὰς τὰς εἰς τὴν πολεμίαν μακρὰς εὕρισκε καὶ προδήλους τοῖς ὑπεναντίοις· τὴν δὲ διὰ τῶν ἑλῶν εἰς Τυῤῥηνίαν φέρουσαν, δυσχερῆ μὲν, σύντομον δὲ καὶ παράδοξον φανησομένην τοῖς περὶ τὸν Φλαμίνιον. ἀεὶ δέ πως οἰκεῖον ὂν τῇ φύσει τούτου τὸ μέρος, ταύτῃ προέθετο ποιεῖσθαι τὴν πορείαν. Διαδοθείσης δὲ τῆς φήμης ἐν τῷ στρατοπέδῳ, διότι μέλλει διά τινων ἑλῶν ἄγειν αὐτοὺς ὁ στρατηγὸς, πᾶς τις εὐλαβῶς εἶχε πρὸς τὴν πορείαν, ὑφορώμενος βάραθρα καὶ τοὺς λιμνώδεις τῶν τόπων. Ἀννίβας δ' ἐξητακὼς ἐπιμελῶς τεναγώδεις καὶ στερεοὺς ὑπάρχοντας τοὺς κατὰ τὴν δίοδον τόπους, ἀνέζευξε. * — * — *. Διαπεράσας δὲ παραδόξως τοὺς ἑλώδεις τόπους, καὶ καταλαβὼν ἐν Τυῤῥηνίᾳ τὸν Φλαμίνιον στρατοπεδεύοντα πρὸ τῆς τῶν Ἀῤῥητίνων πόλεως, τότε μὲν αὐτοῦ πρὸς τοῖς ἕλεσι κατεστρατοπέδευσε· βουλόμενος τήν τε δύναμιν ἀναλαβεῖν, καὶ πολυπραγμονῆσαι τὰ περὶ τοὺς ὑπεναντίους, καὶ τοὺς προκειμένους τῶν τόπων. πυνθανόμενος δὲ, τὴν μὲν χώραν τὴν πρόσθεν πολλῆς γέμειν ὠφελείας· τὸν δὲ Φλαμίνιον ὀχλοκόπον μὲν καὶ δημαγωγὸν εἶναι τέλειον, πρὸς ἀληθινῶν δὲ καὶ πολεμικῶν πραγμάτων χειρισμὸν οὐκ εὐφυῆ· πρὸς δὲ τούτοις, καταπεπιστευκέναι τοῖς σφετέροις πράγμασι· συνελογίζετο, διότι παραλλάξαντος αὐτοῦ τὴν ἐκείνων στρατοπεδείαν, καὶ καθέντος εἰς τοὺς ἔμπροσθεν τόπους, τὰ μὲν ἀγανακτῶν τὸν ἐπιλωθασμὸν τῶν ὄχλων, οὐ δυνήσεται περιορᾶν δῃουμένην τὴν χώραν· τὰ δὲ καθηλγηκὼς, παρέσται προχείρως, εἰς πάντα τόπον ἑπόμενος, σπουδάζων δι' αὐτοῦ ποιήσασθαι τὴν παρουσίαν τοῦ τὴν ἴσην ἀρχὴν ἔχοντος. ἐξ ὧν πολλοὺς αὐτὸν ὑπελάμβανε παραδώσειν καιροὺς πρὸς ἐπίθεσιν. * . *. Ἃ δὴ καὶ τότε προϊδόμενος καὶ συλλογισάμενος Ἀννίβας περὶ τοῦ τῶν ὑπεναντίων ἡγεμόνος, οὐ διεσφάλη τῆς ἐπιβολῆς. ὡς γὰρ θᾶττον ποιησάμενος ἀναζυγὴν ἀπὸ τῶν κατὰ τὴν Φαισόλαν τόπων, καὶ μικρὸν ὑπεράρας τὴν τῶν Ῥωμαίων στρατοπεδείαν, ἐνέβαλεν εἰς τὴν προκειμένην χώραν, εὐθέως μετέωρος ἦν ὁ Φλαμίνιος καὶ θυμοῦ πλήρης, δοξάζων ἑαυτὸν ὑπὸ τῶν ἐναντίων καταφρονεῖσθαι. μετὰ δὲ ταῦτα πορθουμένης τῆς χώρας, καὶ πανταχόθεν τοῦ καπνοῦ σημαίνοντος τὴν καταφθορὰν αὐτῆς, ἐσχετλίαζε δεινὸν ἡγούμενος τὸ γινόμενον. * — *. Ὅ γε μὴν Ἀννίβας ἅμα μὲν εἰς τοὔμπροσθεν ὡς πρὸς τὴν Ῥώμην προῄει διὰ τῆς Τυῤῥηνίας, εὐώνυμον μὲν πόλιν ἔχων τὴν προσαγορευομένην Κυρτώνιον, καὶ τὰ ταύτης ὄρη, δεξιὰ δὲ τὴν Θρασιμένην καλουμένην λίμνην· ἅμα δὲ προάγων, ἐπυρπόλει καὶ κατέφθειρε τὴν χώραν, βουλόμενος ἐκκαλέσασθαι τὸν θυμὸν τῶν ὑπεναντίων. Id eſt: *Iam ver adpetebat, quum C. Flaminius, legionibus ſuis adſumptis, per Etruriam itinere facto, Arretium pervênit; ibique conſedit. Cn. Servilius contrà, Ariminum, ut illo aditu hoſtem arceret, contendit.* Et paullo pòſt: *At Hannibal; animadvertens, Gallos moleſtè ferre, quòd in ipſorum regione bellum traheretur; eosdemque paratos eſſe, jamque adeò exſpectatione illius diei ſuspenſos, quo hoſtium fineis eſſent invaſuri: (cui cupidati ſuæ Romanorum odium prætexebant; quum re verâ prædæ ſpe maximè impellerentur) faciendum duxit, ut hibernis quàm primùm educeret; ac militum ſuorum aviditatem expleret. Igitur, ſtatim ut anni tempus mutatum eſt; quum viarum rationem percunctando à peritiſſimis quibusque cognoviſſet: cæteros in ditionem hoſtium aditus longos & ipſis notos judicavit; eum verò, qui per paludes in Etruriam ducebat, difficilem quidem, ſed brevem; & qui Flaminium ipsâ novitate incepti percelleret. Ac, quum naturali quadam inclinatione pronus eſſet ad eiusmodi conſilia; hac iter facere conſtituit. Poſteà verò quàm didita eſt per exercitum fama, inibi eſſe imperatorem, ut per paludes quasdam copias ducat; omnes ab eo itinere ſibi metuere; quòd paludum ac lacuum voragines profundas formidarent. Hannibal, ut diligenter inquirendo didicit, loca, per quæ transeundum erat, paluſtria quidem, cæterùm ſolida eſſe; caſtra movet.* Narrat hinc transitum Pœnorum per paludes, eodem, ut Livius, modo; niſi, quòd Arnum amnem non memorat. tandem ſubjicit iſta: *Superatis tandem, præter opinionem omnium, paluſtribus illis locis; cognito, Flaminium cum exercitu circa Arretii mœnia conſediſſe; tunc quidem apud paludes caſtra poſuit; ut ſuum reficeret exercitum; & conſilia hoſtium atque animos & ſitum regionum exploraret. Poſtquàm autem inquirendo didicit, regionem illam prædâ refertam; Flaminium concionatorem quidem eſſe turbæ rudi vendibilem, & qui ad populum dicendo ſupra modum valeret; cæterùm ad rem bellicam adminiſtrandam & vera certamina ineptum; ad hoc, præ magnâ virium ſuarum fiduciâ ferocem: ita apud ſe ſtatuit; ſi, caſtra eius prætervectus, ulteriora peteret; ipſum, vulgi convitia ac ſannas haud ferentem, ad populationem agrorum prohibendam ſeſe comparaturum: deinde, ubi acrior pupugerit dolor, & quò ille cumque duceret, eſſe adgreſſurum; dum per ſe victoriam parare cupiat, neque adventum collegæ operiri. ex quibus rebus multas ſibi opportunitates adgrediendi hominem per inſidias præbitum iri ab eo, intelligebat.* Ac deinde: *Quæ tunc Hannibal de Flaminio quum multo antè vidiſ-*

 ſet,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

ſet, atque ita ratiocinatus eſſet; nequaquàm inceptum eius fruſtra fuit. quid ſi ſimul ac ex locis circa Fæſulam ſigna moviſſet, &, Romana ultra caſtra aliquantum progreſſus, in proximos agros impreſſionem feciſſet; extemplò efferre animos conſul, graviterque indignari: quòd ſe ab hoſte ſpretum crederet. deinde, ut regionem populari Hannibal cœpit, & maximam undique vaſtationem fumo ei oſtendit; rei indignitatem lamentis etiam eſt proſequutus. Et tandem: *Hannibal intereà Romam verſùs per Etruriam ſuos ducebat; habens ad levam Cortonium urbem & adjacenteis illi monteis, ad dextram Thraſymenum lacum: ſimul, quò magis iram hoſtis acueret, quaquà iter faceret, agros urebat, omnique belli clade pervaſtabat.* Hactenus Polybii verba citaſſe ſufficiat. ex quibus, ſimulque ex Strabonis Liviique narratione, ſatis perſpicuè patet, duos tantùm tranſitus Apennini fuiſſe, quibus Hannibal è Galliâ Ciſalpinâ in reliquam Italiam Romam verſùs iter cum exercitu facere potuit: nempe alterum longinquiorem quidem, ſed commodiorem, per Ariminum & Vmbriam; alterum breviorem, ſed impeditum, per Arnum flumen & adjacenteis paludes, verſùs Arretium, Cortonam, & Thraſymenum lacum. Hinc etiam, annis fermè CLXX poſt hunc Hannibalis tranſitum, ita Cicero ait in Philippicâ XII: *Tres viæ ſunt ad Mutinam: à ſupero mari Flaminia; ab infero Aurelia; media Caſſia. Etruriam discriminat Caſſia. Poſſum Caſſiam vitare; tenere Flaminiam. quid, ſi Anconam, ut dicitur, Ventidius venerit: poterone Ariminum tutò accedere? Reſtat Aurelia.* Hæc per litus Etruriæ ferebat, Piſas uſque. inde tranſibatur Apenninus inter Macræ, ut paullo antè dixi, atque Tari amnium fonteis. Caſſia Florentiam ac Fæſulam ducebat. inde Apenninus eodem tractu trajiciebatur, quo etiamnunc iter Bononiam verſùs ducit. Hac VII annis ante Hannibalem Galli quoque tranſierunt. in quo itinere Polybius *Fæſulam* nominat, Oroſius verò *Arretium*. Huius verba lib. IIII cap. XIII ſunt iſta: *L. Aemilio Papo, C. Atilio Regulo, conſulibus, magnâ formidine conſternatus ſenatus defectione Ciſalpinæ Galliæ; quum etiam ex Vlteriore Galliâ ingens adventare exercitus nunciaretur; maximè Gæſatorum. quod nomen non gentis, ſed mercenariorum Gallorum eſt.* Mox: *Commiſſo prælio apud Arretium, Atilius conſul occiſus eſt, & LXXX millia Romanorum.* Polybius lib. III: Ῥωμαῖοι δ᾽ ὡς θᾶττον ἤκουσαν, τοὺς Κελτοὺς ὑπερβεβληκέναι τὰς Ἄλπεις, Λεύκιον μὲν Αἰμίλιον ὕπατον μετὰ δυνάμεως ἐξαπέστελλαν ὡς ἐπ᾽ Ἀριμίνου, τηρήσοντα ταύτῃ τῶν ἐναντίων τὴν ἔφοδον· ἕνα δὲ τῶν πελεκυφόρων εἰς Τυῤῥηνίαν· ὁ μὲν γὰρ ἕτερος τῶν ὑπάτων Γάϊος Ἀτίλιος προεξεληλυθὼς ἔτυχεν εἰς Σαρδόνα μετὰ τῶν στρατοπέδων. * — *. Οἱ δὲ Κελτοὶ κατάραντες εἰς τὴν Τυῤῥηνίαν, ἐπεπορεύοντο τὴν χώραν πορθοῦντες ἀδεῶς, οὐδενὸς αὐτοῖς ἀντιταττομένου. τέλος ἐπ᾽ αὐτὴν ὥρμησαν τὴν Ῥώμην. ἤδη δ᾽ αὐτῶν περὶ πόλιν ὄντων ἣ καλεῖται Κλούσιον, προσαγγέλλεται, διότι κατόπιν αὐτοῖς ἕπονται καὶ συνάπτουσιν αἱ προκαθήμεναι τῶν Ῥωμαίων ἐν Τυῤῥηνίᾳ δυνάμεις. οἱ δ᾽ ἀκούσαντες, ἐξ ὑποστροφῆς ἀπήντων σπεύδοντες τούτοις συμβαλεῖν. ἐγγίσαντες δ᾽ ἀλλήλοις ἤδη περὶ δυσμὰς ἡλίου, τότε μὲν ἐν συμμέτρῳ διαστήματι καταστρατοπεδεύσαντες ηὐλίσθησαν ἀμφότεροι· τῆς δὲ νυκτὸς ἐπιγενομένης, πῦρ ἀνακαύσαντες οἱ Κελτοὶ, τοὺς μὲν ἱππεῖς ἀπέλιπον, συντάξαντες, ἅμα τῷ φωτὶ συμφανεῖς γενομένους τοῖς πολεμίοις, ὑποχωρεῖν κατὰ τὴν αὐτῶν στίβον· αὐτοὶ δὲ λαθραίαν ποιησάμενοι τὴν ἀποχώρησιν ὡς ἐπὶ πόλιν Φαισόλαν, αὐτοῦ παρενέβαλον, πρόθεσιν ἔχοντες, ἅμα μὲν ἐκδέξασθαι τοὺς ἑαυτῶν ἱππεῖς, ἅμα δὲ παραδόξως ἐνοχλῆσαι τὴν τῶν ὑπεναντίων ἔφοδον. * — *. Κατὰ δὲ τὸν καιρὸν τοῦτον Λεύκιος Αἰμίλιος, ὁ προκαθήμενος ἐπὶ τῶν κατὰ τὸν Ἀδρίαν τόπων, ἀκούσας τοὺς Κελτοὺς διὰ Τυῤῥηνίας ἐμβεβληκότας, συνεγγίζειν τε τῇ Ῥώμῃ, παρῆν βοηθῶν ὡς κατὰ σπουδὴν εὐτυχῶς εἰς δέοντα καιρόν. * . *. Οἱ δὲ Κελτοὶ τῆς νυκτὸς βουλευσάμενοι, περὶ φωτὸς ἀνέζευξαν, καὶ προῆγον παρὰ θάλατταν διὰ τῆς Τυῤῥηνῶν χώρας. * . Κατὰ δὲ τοὺς καιροὺς τούτους ἐκ Σαρδόνος μετὰ τῶν στρατοπέδων Γάϊος Ἀτίλιος ὕπατος εἰς Πίσας καταπεπλευκὼς, προῆγε μετὰ τῆς δυνάμεως εἰς Ῥώμην, ἐναντίαν ποιούμενος τοῖς πολεμίοις τὴν πορείαν. ἤδη δὲ περὶ Τελαμῶνα τῆς Τυῤῥηνίας τῶν Κελτῶν ὑπαρχόντων, οἱ προνομεύοντες ἐξ αὐτῶν ἐμπεσόντες εἰς τοὺς παρὰ τοῦ Γαΐου προπορευομένους, ἑάλωσαν. Hoc eſt: *Romani, audito Gallos trajeciſſe Alpeis, quantocyus L. Aemilium conſulem cum legionibus Ariminum mittunt; ſi fortè hoſtis irruptionem illac eſſet facturus. prætorum uni decreta eſt Etruria; quandoquidem alter conſulum C. Atilius jam antè in Sardiniam cum exercitu erat profectus.* Aliquanto pòſt: *Galli, poſtquàm in Etruriam perveniſſent, regionem incurſantes impunè populabantur; nemine impediente. tandem Romam ipſam petunt. Iam circa Cluſium erant, quum nuncius eis adfertur, Romanum exercitum, qui in finibus Etruriæ hoſti fuerat objectus, inſequi ipſos à tergo, & jam imminere. quo cognito, Galli agmen convertere; obviam hoſtibus procedere; pugnandi cum ipſis deſiderio ardere. Quum, vergente ad*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

occaſum Sole, invicem adpropinquaſſent; tunc quidem, modico ſpacio in medio relicto, eò loci poſitis caſtris utrique ſunt commorati. nocte verò obortâ, accenſis ignibus, equitatum ſuum Galli relinquunt; mandatamque dant, ut, poſtquàm luce primâ conſpiciendos ſe hoſtibus præbuiſſent, per eadem mox veſtigia ſe ſubſequantur: ipſi occultâ profectione Fæſulam tendunt: ibique eo conſilio caſtra locant, ut & equites ſuos reciperent, & hoſti terga prementi ex inopinato inſtarent. Paullo pòſt: *Per idem tempus advenit ſanè per opportunè ac feliciter L. Aemilius; qui, ad tutandam Hadriatici maris oram Arimini locatus, ſimul audiſſet, in Etruriam hoſteis irrupiſſe, jamque Româ non longè abeſſe, ad ferendam opem haud ſegniter ſe adcinxerat.* Exiguo pòſt: *Galli, nocte concilio habito, ante lucem caſtra movent: & per fineis Etruſcorum ſecundùm mare pergunt ire.* Mox: *Per idem tempus C. Atilius conſul, è Sardiniâ Piſas cum exercitu adpulſus, contrarium Gallis iter cum copiis Romam versùs habebat. Iam circa Telamonem Etruriæ portum Galli erant, quum eorum pabulatores in Caii præcurſores incidunt, & ab iis capiuntur.* Huc etiam alterum conſulem à tergo Gallos hac viâ in Galliam regredienteis ſequutum, narrat Polybius: atque heic in prœlio cecidiſſe tandem C. Atilium: quem apud Arretium cum LXXX millibus Romanorum occiſum tradit loco præſcripto Oroſius; graviſſimum & ipſe haud dubiè ſequutus auctorem: ac fortè Livium; cuius hiſtoriæ huius belli cum reliquo totius decadis ſecundæ interierunt: epitomator verò eius ex lib. XX hæc pauca tantùm refert: *Galli Tranſalpini, qui in Italiam eruperant, cæſi ſunt.* Sed quemcumque ſequutus fuerit Oroſius auctorem; ſanè fides eius hac in re potior eſſe videtur. quid enim Galli, poſtquàm eâdem viâ, qua venerant, per Fæſulam redire in Galliam non potuerunt, obſiſtentibus illic L. Aemilio conſule ac prætore, à Cluſio, ſeu locis paullo ſuprà Cluſium ſitis, ad Telamonem usque portum deflexerint; quum longè breviore, rectiore, atque expeditiore itinere à Monte Pulciano per Senam & Podium Bontium, hinc verò per Elſæ ac Arni fluminum valleis Piſas usque, atque inde tandem ad Macram amnem Apenninique tranſitum, quæ hodiéque frequentiſſima eſt via, pervenire potuerint? Et quo, quæſo, loco prætor iſte Romanus cum exercitu poſitus fuit, ad arcendas tranſitu Gallos in Etruriam, niſi apud Fæſulas vel Arretium? ubi poſt VII annos C. Flaminius quoque conſul Hannibali caſtra objecit. Nihil igitur certius, quàm ultra Arretium paullo progreſſos Gallos, quum Cluſium versùs tenderent, à tergo inſequutum eſſe ab Arretio prætorem Romanum: illos aliquantum receſſiſſe versùs Fæſulam, & ad pugnam ſeſe comparaſſe: quo ſtatim & Aemilius conſul ab Arimino iter adceleravit; ut poſteà Flaminius contra Hannibalem: alter verò conſul C. Atilius quum, è Sardiniâ trajecto exercitu, à Piſis Romam versùs contenderet; haud dubiè apud Telamonem portum nuncio de Gallorum in Etruriam tranſitu accepto; & ipſe inde Arretium versùs ad collegam properavit: ibique in prœlio à Gallis occiſus eſt. Certum igitur eſt tranſiſſe & Hannibalem Apenninum montem eâ parte, quà etiam nunc iter à Bononiâ Florentiam ducit; dein Arnum amnem trajeciſſe in Fæſulano agro, ſub ipſis Fæſulis: circa quem locum *Florentia* opidum ipſi amni adpoſitum. primaque hinc caſtra poſuiſſe, poſtquàm Arnum adjacenteisque paludes ſuperaſſet, *ubi primùm in ſicco potuit*, apud ipſas paludes, ex adverſo Fæſularum. hinc ſignis motis, *per opulentiſſimos Etruriæ campos* Flaminii caſtra apud Arretium à lævâ prætervectum, in Cortonenſeis agros, ac tandem ad Thraſymenum lacum perveniſſe. Hanc viam à Bononiâ Arretium usque XXX annis pòſt C. Flaminius Nepos conſul communivit, anno urbis Romæ IↃLXV. qua de re ita Livius lib. XXXVIIII; *C. Flaminius conſul cum Friniatibus Liguribus in agro eorum pluribus prœliis ſecundis factus, in deditionem gentem accepit.* Mox: *Translatum deinde ad Apuanos Ligures bellum; qui in agrum Piſanum Bononienſemque ita incurſaverant, ut coli non poſſet. his quoque perdomitis, conſul pacem dedit finitimis. & quia, à bello quieta ut eſſet provincia, effecerat; ne in ocio militem haberet, viam à Bononiâ perduxit Arretium. M. Aemilius, alter conſul, pacatis Liguribus, in agrum Gallicum exercitum duxit: viamque ab Placentiâ, ut Flaminiæ committeret, Ariminum perduxit.* Verùm de viis Romanis per Italiam, alio loco commodior erit diſſertatio. Cæterùm locus pugnæ ad Thraſymenum lacum, ipſaque pugna inter Hannibalem ac Flaminium, in hunc modum referuntur Livio prædicto lib. XXII: *Iam pervenerat ad loca inſidiis nata Hannibal; ubi*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

maximè monteis Cortonenſeis Thraſymenus ſubit. via tantùm intereſt peranguſta; velut ad id ipſum de induſtriâ relicto ſpacio. deinde paullo latior pateſcit campus. inde colles adſurgunt. Ibi caſtra in aperto locat; ubi ipſe cum Afris modò Hiſpanisque conſideret. Baleareis cæteramque levem armaturam poſt monteis circumducit. equites ad ipſas fauceis ſaltus, tumulis aptè tegentibus, locat: ut, ubi intraſſent Romani, objecto equitatu clauſa omnia lacu ac montibus eſſent. Flaminius, quum pridiè Solis occaſu ad lacum perveniſſet, inexplorata .... [ut ſuprà verba nonnulla exſcriptorum incuriâ tranſpoſita ſunt, ſic heic nonnulla omiſſa.] ..... *poſtero die, vixdum ſatis certâ luce, anguſtiis ſuperatis, poſtquàm in patentiorem campum pandi agmen cœpit; id tantùm hoſtium, quod ex adverſo erat, adſpexit:* ..... [heic etiam multa deſunt.] ...... *à tergo ac ſuper caput detectæ inſidiæ. Pœnus, ubi, id quod petierat, clauſum lacu montibusque & circumfuſum ſuis copiis habuit hoſtem; ſignum omnibus dat invadendi. qui ubi, quà cuique proximum fuit, decurrêre; eò magis Romanis ſubita atque improviſa res fuit, quòd orta ex lacu nebula, campo quàm montibus denſior ſederat. agminaque hoſtium ex pluribus vallibus, ipſa inter ſe ſatis conſpecta, eòque magis pariter decurrerunt.* Aliquanto pòſt: *Ab lateribus montes ac lacus, à fronte & à tergo hoſtium acies claudebat.* & hinc reliqua, quæ ſequuntur, usque ad cædem Romanorum, ubi inter alia etiam iſta: *Tantusque fuit ardor animorum, adeò intentus pugnæ animus, ut eum terræ motum, qui multarum urbium Italiæ magnas parteis proſtravit, avertitque curſu rapido amneis, mare fluminibus invexit, monteis lapſu ingenti proruit, nemo pugnantium ſenſerit.* Eadem ſic narrat Polybius dicto lib. III: Ἐπεὶ δὲ τὸν Φλαμίνιον ἤδη συνάπτοντα καθεώρα, τόπους δ' εὐφυεῖς συνεθεώρησε πρὸς τὴν χρείαν, ἐγίνετο πρὸς τὸ διακινδυνεύειν. Ὄντος γὰρ κατὰ τὴν δίοδον αὐλῶνος ἐπιπέδου· τούτου δὲ παρὰ μὲν τὰς εἰς μῆκος πλευρὰς ἑκατέρας βουνοὺς ἔχοντος ὑψηλοὺς καὶ συνεχεῖς· παρὰ δὲ τὰς εἰς πλάτος, κατὰ μὲν τὴν ἀντικρὺ λόφον ἐπικείμενον ἐρυμνὸν καὶ δύσβατον, κατὰ δὲ τὴν ἀπ' οὐρᾶς λίμνην, τελείως στενὴν ἀπολείπουσαν πάροδον, ὡς εἰς τὸν αὐλῶνα παρὰ τὴν λίμνην· τὸν μὲν κατὰ πρόσωπον τῆς πορείας λόφον αὐτὸς κατελάβετο, καὶ τοὺς Λίβυας καὶ τοὺς Ἴβηρας ἔχων ἐπ' αὐτοῦ, κατεστρατοπέδευσε· τοὺς δὲ Βαλεαρεῖς καὶ λογχοφόρους κατὰ τὴν πρωτοπορείαν ἐκπεριάγων ὑπὸ τοὺς ἐν δεξιᾷ βουνοὺς τῶν παρὰ τὸν αὐλῶνα κειμένων, ἐπὶ πολὺ παρατείνας, ὑπέστειλε· τοὺς δ' ἱππεῖς καὶ τοὺς Κελτοὺς ὁμοίως τῶν εὐωνύμων βουνῶν κύκλῳ περιαγαγὼν, παρεξέτεινε συνεχεῖς, ὥστε τοὺς ἐσχάτους εἶναι κατ' αὐτὴν τὴν εἴσοδον, τὴν παρά τε τὴν λίμνην καὶ τὰς παρωρείας φέρουσαν εἰς τὸν προειρημένον τόπον. Ὁ μὲν οὖν Ἀννίβας ταῦτα προκατασκευασάμενος τῆς νυκτὸς, καὶ περιειληφὼς τὸν αὐλῶνα ταῖς ἐνέδραις, τὴν ἡσυχίαν ἦγεν. ὁ δὲ Φλαμίνιος εἵπετο κατόπιν, σπεύδων γε συνάψαι τοῖς πολεμίοις. κατεστρατοπεδευκὼς δὲ τῇ προτεραίᾳ πρὸς αὐτῇ τῇ λίμνῃ τελέως ὀψὲ τῆς ὥρας, μετὰ ταῦτα τῆς ἡμέρας ἐπιγενομένης, εὐθέως ἐπὶ τὴν ἑωθινὴν ἦγε τὴν πρωτοπορείαν παρὰ τὴν λίμνην εἰς τὸν ὑποκείμενον αὐλῶνα, βουλόμενος ἐξάπτεσθαι τῶν πολεμίων. οὔσης δὲ τῆς ἡμέρας ὁμοχλώδους διαφερόντως, Ἀννίβας ἅμα τῷ τὸ πλεῖστον μέρος τῆς πορείας εἰς τὸν αὐλῶνα προσδέξασθαι καὶ συνάπτειν πρὸς αὐτὸν ἤδη τὴν τῶν ἐναντίων πρωτοπορείαν, ἀποδοὺς τὰ συνθήματα, καὶ διαπεμψάμενος πρὸς τοὺς ἐν ταῖς ἐνέδραις, συνεπεχείρει πανταχόθεν ἅμα τοῖς πολεμίοις. Hoc eſt: *Iam adpropinquabat Flaminius, quum Hannibal, idoneo loco ad ea, quæ parabat, explorato, in cogitationem prælii totus cœpit incumbere. Erat in ipſo tranſitu plana convallis, cuius utrumque latus, quà porrigitur eius longitudo, tumuli prealti & continui claudunt; quà autem patet latitudo, habet à fronte collem impoſitum, naturâ munitum & inacceſſum; à tergo verò lacum: inter quem & montium radices via intereſt peranguſta; per quam aditur vallis. hanc vallem Hannibal ingreſſus viâ ſecundùm lacum, eamdemque emenſus; collem, qui ex adverſo occurrebat, ipſe inſidet; ibique Afros atque Hiſpanos locat. Baleareis & cæteram levem armaturam è primo agmine circumducit; & ad tumulos, qui dextrum vallis latus continent, longâ admodùm ſerie adplicat. equites deinde ac Gallos, ſimiliter circumductos, juxta lateris ſiniſtri tumulos continuâ ſerie porrectos ita disponit, ut eorum noviſſimi ad illam viam pertinerent, quæ inter lacum & radices montium in prædictum locum ducebat. His ita noctu præparatis, Hannibal, occupatâ hinc inde per inſidias valle, ſilentio ſe continebat. ponè eum ſequebatur Flaminius; magno ſtudio hoſtem conſequi cupiens. & quum pridiè ad lacum ipſum ſero admodùm diei caſtra poſuiſſet; poſtridiè primo ſtatim diluculo propter lacum in ſubjectam vallem primum agmen duxit; inimicos laceſſere atque adoriri in animo habens. Erat fortè admodùm nebuloſus dies; & Hannibal, ubi partem maiorem agminis Romani intra vallem ſentit perveniſſe; & jam primam aciem non longè ab ſe abeſſe; ſigno dato invadendi, ac iis etiam miſſo, qui in inſidiis latebant, undique in hoſtem*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

hoſtem cooritur. Facta hinc eſt cædes Romanorum: quorum multi in ipſo perierunt lacu. *Hæc* igitur *eſt*, ut inquit ibidem Livius, *nobilis illa ad Thraſymenum pugna, atque inter paucas memorata populi Romani clades. Quindecim millia Romanorum in acie cæſa ſunt. decem millia ſparſa fugâ per omnem Etruriam diverſis itineribus Romam petière. mille & quingenti hoſtium in acie, multi poſteà utrimque ex vulneribus perière*. Sed & *ſex millia, quæ per adverſos hoſteis, eruptione impigrè factâ, ex ſaltu evaſerant, poſtero die capta ſunt*. Hannibal igitur, Arretium & caſtra Flaminii prætervectus, inter Cortonenſeis monteis & lacum Thraſymenum, quà hodiéque celeberrimum eſt à Florentiâ Peruſiam commeantibus iter, in prædictam contendit vallem: quæ ſecundùm lacum inter vicum *Oſſariam* & opidum *Paſſinianum* longitudine ſuâ v fermè occupat millia paſſuum. in medio hoc ſpacio domus à ſitu vulgarem adpellationem habet *La caſa del piano*; id eſt, *Domus planitiei*. latitudinem vallis colligit brevis amniculus, ab opidulo, unde in lacum profluit, vulgò *Fiume di Sangvino*, ſive *Sangvinetto* dictus. ipſi opidulo imminet λόφος ille Polybii ἐρυμνὸς καὶ δύσβατος, id eſt, *collis naturâ munitus atque inacceſſus*; qui vallem ab hac parte claudit. Caſtellum ei poſteà à Romanis impoſitum fuiſſe, indicant quædam rudera, vulgo adcolentium hodiè *Reliquie di Traſimeno* dicta; quia opidum heic olim nomine *Traſymenum* exſtitiſſe ſibi perſvadent. Cæterùm primæ vallis fauces, ſive, ut Livius uſitatiſſimo ſibi in viarum anguſtiis vocabulo vocat, ſaltus primus, per quem vallis ab Arretio advenientibus aditur, eſt apud prædictum vicum: qui ab ipsâ Romanorum clade nomen per tot ſæcula ad hanc noſtram ætatem tuliſſe putatur *Oſſariæ*; vulgò *Oſſaia*, & corruptiùs *Orſaia* dictus. Alter ſaltus, ſive ſecundæ anguſtiæ clauduntur ipſo nunc opido *Paſſiniano*. Ad hæc duo loca à dicto colle protenduntur utrimque colles alti atque continui, qui duo latera vallis cingunt. apud dextrum latus Hannibal ipſe collem, qui ſuper Paſſinianum fauceis ſecundas coarctat, cum Hiſpanis Afriſque inſedit. inde Baleareis & cæteram levem armaturam in tumulorum dextrum hoc latus claudentium vallibus locavit. equites verò & Gallos ſiniſtri lateris tumulis occultavit, longâ ſerie ad ipſas usque primas fauceis & vicum Oſſariam porrectos. Itaque Flaminius, ab Arretio Hannibalem conſequens, cum exercitu ingreſſus, id tantùm hoſtium, quod ex adverſo in fronte apud Paſſinianum opidum erat conſpexit. mox à tergo & à ſiniſtrâ undique ex pluribus prædictorum tumulorum vallibus hinc equites etiam atque Galli, inde Baleares & cæteri levis armaturæ milites in eum coorti ſunt; à dextrâ fugam etiam prohibente ipſo lacu. unde ita quoque Silius lib. v:

Namque ſub anguſtas arctato limite fauceis
In fraudem ducebat iter; geminumque receptis
Exitium, hinc rupes, hinc undæ clauſtra premebant.

Sed idem Silius eodem libro poſteà per ſummum errorem, (ni mendum id fuerit librariorum) à *lævâ* lacum Flaminio fuiſſe, tradit his verſibus:

——— *Sed & obvius hoſtis*
Adverſâ fronte; ac circa nemoroſa mirantur
Inſidias juga; nec lævâ, ſtagnantibus undis,
Effugium patet; & tenui ſtant tramite fauces.

Verùm librariorum hoc eſſe mendum, *lævâ* pro *dextrâ* ſcribentium; ex initio eiusdem libri perſpicitur; ubi ſic ſcriptum eſt:

Ceperat Etruſcos occulto milite colleis
Sidonius ductor; perque alta ſilentia noctis
Silvarum amfractus cæcis inſederat armis.
At parte à lævâ, reſtagans gurgite vaſto,
Effigiem in pelagi lacus exundabat inerti
Et latè multo fœdabat proxima limo.

Si *lævus* fuit Hannibali lacus; certè *dexter* fuit Flaminio, ab Arretio Hannibalem inſequenti. Ex hoc igitur loco malè curioſus cæteraque imperitus quidam hiſtoriæ Hannibalicæ grammaticus exſcriptor poſteriori etiam iſto loco pro *dextrâ* ſuppoſuit *lævâ*. De cætero non cognomentum fuiſſe lacus vocabulum THRASYMENVS, ab urbe vel alio quo loco juxtà vel propè ſito, ſed ipſius proprium peculiareque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

culiareque nomen, oſtendere voluit Silius, proximè ſcriptis hæc continuò ſubjiciens:

Quæ vada, Faunigenæ regnata antiquitus Auno,
Nunc, volvente die, Thraſymeni nomina ſervant.
Lydius huic genitor, Tmoli decus, æquore longè
Mæoniam quondam in Latias advexerat oras
Tyrrhenus pubem; dederatque vocabula terris.
Iſque inſveta tubâ monſtravit murmura primus
Gentibus; & bellis ignava ſilentia rupit.
Non modicus voti; natum ad maiora fovebat.
Verùm ardens puero, caſtumque exuta pudorem
(Nam formâ certare deis Thraſymene valeres)
Litore correptum, ſtagnis demiſit Agyllè,
Flore capi juvenum primævo lubrica mentem
Nympha, nec Idaliâ lenta incaluiſſe ſagittâ.
Solicitæ viridi penitus fovere ſub antro
Naiades amplexus undoſaque regna trementem.
Hinc dotale lacus nomen, latéque hymenæo
Conſcia laſcivo, Thraſymenus dicitur unda.

Et anteà lib. IIII:

—— Omnia ſomni
Condiderant, ægriſque dabant oblivia curis;
Quum Iuno in ſtagni juvenem converſa propinqui,
Et madidæ frontis crines circumdata fronde
Populeâ, ſtimulat ſubitis præcordia curis.

Mox:

Namque ego ſum, celſis quem cinctum montibus ambit
Tmolo miſſa manus, ſtagnis Thraſymenus opacis.

Sic ſcilicet plerumque fluviis ac lacubus poëtæ nominum origines per fabulas adſerunt. Cæterò variè vocabulum hoc celebratiſſimum in variis auctorum exemplaribus perſcriptum reperitur; *Thraſymenus*, *Thraſimenus*, *Thraſumenus*; *Traſymenus*, *Traſimenus*, *Traſumenus*. nec Græci inter ſe conſentiunt; Polybio Θρασιμένην λίμνην referente dicto loco; Plutarcho in Q. Fabio Maximo Θρασυμένην· Strabone ſuprà ſcripto loco Τρασουμένναν. Poëtæ tamen conſtanter, prioribus duabus ſyllabis correptis, tertiam producunt. Silius, præter modò adducta loca, exemplorum plenus eſt. Statius Silvar. lib. I carm. IIII:

—— Gaudent Traſimenus & Alpes
Cannenſesque animæ.

Ovidius Faſtor. lib. VI:

Sunt tibi Flaminius Thraſymenaque litora teſtes.

Memoratur præterea aliis etiam auctoribus quàm frequentiſſimè: ut Ciceroni in Bruto, in oratione pro Sex. Roſcio, in lib. II de Divinatione; Valerio Maximo lib. I cap. VI, lib. III cap. VII, lib. IIII cap. VIII, lib. VIIII cap. XI & XII; Senecæ de Irâ lib. II cap. I; Plinio lib. II cap. LXXXIIII & CVII; Floro lib. II cap. VI; & aliis. At idem lacus alio vocabulo *Pleſſinus* vocari videtur Appiano in rebus Hannibalicis. quamquàm is auctor longè diverſam ab Livii Polybiique narratione rerum ſuprà dictarum refert hiſtoriam: quam & ipſam paucis examinare liceat; quò conſtet, quænam ei fuerit Πλειστίνη λίμνη. Verba apud eum hæc leguntur: Φλαμίνιος δὲ τρισμυρίοις τε πεζοῖς καὶ τρισχιλίοις ἱππεῦσι τὴν ἐντὸς Ἀπεννίνων ὀρῶν Ἰταλίαν ἐφύλασσεν· * — *· Ἀννίβας ἅμα τῷ ἦρι, τοὺς ἄλλους λαθών, ἐδῄου τὴν Τυρρηνίαν· καὶ προὔβαινεν ἐς τὸ μέρος τὸ ἐπὶ Ῥώμης. Οἱ δὲ, πλησιάζοντος αὐτοῦ, πάνυ ἔδεισαν, οὐ παρούσης σφίσιν ἀξιομάχου δυνάμεως. ἐστράτευον δ᾽ ὅμως ἐκ τῶν ὑπολοίπων ἐς ὀκτακισχιλίους· καὶ Κεντήνιον αὐτοῖς ἕνα τῶν ἐπιφανῶν ἰδιωτῶν, οὐδεμιᾶς ἀρχῆς παρούσης, ἐπέστησάν τε καὶ ἐξέπεμπον ἐς Ὀμβρικοὺς ἐς τὴν Πλειστίνην λίμνην, τὰ στενὰ προληψόμενον, ἣ συντομώτατόν ἐστιν ἐπὶ τὴν Ῥώμην. Hoc eſt: *Flaminius* XXX *peditum millibus, equitum tribus Italiam, quæ intra Apenninum eſt, tutabatur*. Paullò pòſt: *Hannibal, ſimul ac ver adpetebat, clam Romanis, in Etruriam transgreſſus, eam populabatur; Romam versùs progrediundo. At Romanos, eo adpropinquante, ingens inceſſit pavor; quòd exercitu, quem advenienti objicerent, carebant. Ex iis tamen, qui ſupererant, ad* VIII *millia conflaverunt. quibus, quia deerat alius magiſtratus, præfecerunt*

Centenium

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Centenium ; privatum quidem virum, ſed patriciâ gente ortum : & in Vmbriam ad Pleſtinum lacum, ut quà ad Vrbem proxima eſt via, fauceis præoccuparet, præmiſerunt. Narrat hinc Hannibalis Flaminiique ad lacum caſtrametationes, & conflictum, eodem modo atque eventu, ut Polybius Liviusque. ſubjicit hinc iſta: Ἀννίβας δὲ προὔβαινεν ἐς τὸ πρόσθεν αἰσθομένου μὲν ἤδη τῶν γιγνομένων τοῦ περὶ Πάδον στρατηγοῦ Σερουΐλιου, καὶ τετρακισμυρίοις ἐπὶ Τυρρηνίαν ἐπειγομένου, Κεντηνίου δὲ ἤδη τοῖς ὀκτακισχιλίοις τὰ στενὰ προειληφότος. Ἀννίβας δέ, ἐπειδὴ τήν τε λίμνην εἶδε τὴν Πλεϊστίνην, καὶ τὸ ὄρος τὸ ὑπὲρ αὐτήν, καὶ τὸν Κεντήνιον ἐν μέσῳ κρατοῦντα τῆς διόδου, τοὺς ἡγεμόνας τῶν ὁδῶν ἐξήταζεν, εἴ τις εἴη περίοδος. οὐδεμίαν δὲ φασκόντων εἶναι τρίβον, ἀλλὰ ἀπόκρημνα πάντα καὶ φαραγγώδη, δι' αὐτῶν ὅμως ἔπεμπε τοὺς ψιλοὺς νύκτωρ τὸ ὄρος περιελθεῖν, καὶ Μαάρβαλ μετ' αὐτῶν. τεκμηράμενος δ' ὅτι δύναιντο περιελθεῖν, προσέβαλε τῷ Κεντηνίῳ κατὰ μέτωπον. καὶ συνεστώτων ἑκατέρων, πάνυ προθύμως ὁ Μαάρβαλ ἐκ κορυφῆς ἄνωθεν ὤφθη τε καὶ ἠλάλαξεν· Ῥωμαίων δ' αὐτίκα ἦν φυγὴ καὶ φόνος κεκυκλωμένων. καὶ τρισχίλιοι μὲν ἔπεσον, ὀκτακόσιοι δ' ἐλήφθησαν· οἱ δὲ λοιποὶ μόλις διέφυγον. Hoc eſt: *Poſt hæc ulteriùs progredi cœpit Hannibal. Iamque fama eorum, quæ geſta erant, ad Servilium conſulem, circa Padum ſtativa habentem, pervenerat. isque jam cum* XL *millibus in Etruriam properabat. ad hæc Centenius* VIII *millibus anguſtias obſederat. Hannibal, ubi Pleſtinum lacum montemque ſuperjectum vidit, & Centenium tranſitum tenentem; diligenter itinerum duces percunctatur, ecquâ parte mons circumiri poſſit. qui quum nullos ad tranſitum callèis eſſe, ſed cuncta prærupta atque confragoſa, reſponderent; nihilo minùs Maharbalem cum levi armaturâ noctu montem circumire jubet: & ſub id tempus, quo in montem eum evaſiſſe conjectabat, Centenium à fronte adoritur. Dum prælium conſeritur, Maharbal ſtrenuè ſanè in montis vertice, ſublato clamore, ſeſe oſtendit. tum Romanorum fuga ſtragesque fuit ingens. tria millia cæſa: capti octingenti. reliqui vix evaſerunt.* Hæc ita Appianus. quæ ſi vera; certè gemina ad geminos lacus fuit pugna, geminaque Romanorum ibi clades facta. At hoc nemo aliorum tradidit auctorum. quorum haud pauci unam ſolam apud unum lacum pugnam & cladem referunt. Verùm Appiani; mali in aliis etiam regionibus haud rarò geographi, error hac in re vel inde adparet, quòd lacum iſtum in Vmbriâ ait eſſe; ubi planè nullus eſt. Error autem is unde illi natus, patet ex Livii Polybiique hiſtoriâ. Livius eodem lib. XXII poſteà: *Priusquàm ſatis certa Romæ conſilia eſſent, repens* [lego, *repentè*] *alia nunciatur clades. quatuor millia equitum cum C. Centronio* [lego ex Polybio & Appiano, *Centenio* : qui Oroſio etiam lib. IIII cap. XVI, & ex Oroſio Paullo Diacono Hiſtor. miſcellæ lib. III, dicitur *Centenius Penula centurio.*] *proprætore miſſa ad collegam à Servilio conſule, in Vmbriâ, quò poſt pugnam ad Thraſymenum auditam averterant iter, ab Hannibale circumventa.* Polybius dicto lib. III; narratâ antè Pœnorum refectione ac funeratione ad Thraſymenum: Κατὰ δὲ τὸν τῆς μάχης καιρὸν ὁ Γνάϊος Σερουΐλιος, ὁ προκαθήμενος ὕπατος ἐπὶ τῶν κατ' Ἀρίμινον τόπων, (οὗτοι δ' εἰσὶν ἐπὶ τῆς παρὰ τὸν Ἀδρίαν πλευρᾶς, οὗ συνάπτει τὰ Γαλατικὰ πεδία πρὸς τὴν ἄλλην Ἰταλίαν, οὐ μακρὰν τῆς εἰς θάλατταν ἐκβολῆς τῶν τοῦ Πάδου στομάτων·) ἀκούσας εἰσβεβληκότα τὸν Ἀννίβαν εἰς Τυρρηνίαν ἀντιστρατοπεδεύειν τῷ Φλαμινίῳ, ἐπεβάλετο μὲν πᾶσι τοῖς στρατοπέδοις αὐτὸς συνάπτειν. ἀδυνατῶν δὲ διὰ τὸ τῆς στρατείας βάρος, Γάιον Κεντήνιον κατὰ σπουδὴν, δοὺς τετρακισχιλίους ἱππεῖς, προεξαπέστειλε, βουλόμενος, εἰ δέοινθ' οἱ καιροί, πρὸ τῆς αὐτοῦ παρουσίας τούτους καταταχεῖν. Ἀννίβας δὲ μετὰ τὴν μάχην προσαγγελθείσης αὐτῷ τῆς τῶν ὑπεναντίων βοηθείας, ἐξαποστέλλει Μαάρβαν, ἔχοντα τοὺς λογχοφόρους καὶ τὸ μέρος τῶν ἱππέων. οἱ καὶ συμπεσόντες τοῖς περὶ τὸν Γάιον, ἐν αὐτῇ μὲν τῇ πρώτῃ συμπλοκῇ σχεδὸν τοὺς ἡμίσεις αὐτῶν διέφθειραν· τοὺς δὲ λοιποὺς εἴς τινα λόφον συνδιώξαντες, τῇ κατὰ πόδας ἡμέρᾳ πάντας ἔλαβον ὑποχειρίους. Ἀννίβας δὲ καταπεφρονηκὼς τοῖς ὅλοις ἤδη, τὸ μὲν συνεγγίζειν τῇ Ῥώμῃ κατὰ τὸ παρὸν ἀπεδοκίμασε· τὴν δὲ χώραν ἐπιπορευόμενος ἀδεῶς ἐπόρθει, ποιούμενος τὴν πορείαν ὡς ἐπὶ τὸν Ἀδρίαν. διανύσας δὲ τήν τε τῶν Ἰσόμβρων καλουμένην χώραν, καὶ τὴν τῶν Πικέντων, ἧκε δεκαταῖος πρὸς τοὺς κατὰ τὸν Ἀδρίαν τόπους. Hoc eſt: *Dum ea pugna geritur, Cn. Servilius, alter conſul, qui Ariminum provinciam tutabatur (is tractus eſt ad Hadriaticum mare, in confinio Galliæ & ceteræ Italiæ, haud longè à Padi oſtiis, quibus in id mare effunditur) ut accepit, intraſſe Hannibalem in Etruriam; & Flaminium in ſuis obſideri caſtris: conſilium primò ceperat ſuas cum illo copias conjungendi. ſed, quia gravior exercitus ipſius erat, quàm ut hoc poſſet; ex omni ſuo equitatu* IIII *millia ſelegit, & C. Centenio dedit; eumque juſſit præcedere: ut, ſi fortè res poſtularet, ante adventum ſuum Flaminio ſuppetias ferre contenderet. Hannibal, ut ſignificatum ei eſt poſt pugnam, adventare Romanorum ſubſidium;*

Mahar-

Mahabalem cum haſtatis & parte equitatus obviam progredi juſſit. Hi, prœlio cum Cen-
tenio commiſſo, alteram ferè partem Romanorum in ipſo conflictu contruncarunt: reliquos
in tumulum quemdam compulerunt; ac poſtero die vivos ceperunt. Hannibal igitur, victoriæ
jam univerſæ confidens, propiùs Romam in præſens adcedendum ſibi non putavit. ſed agros
incurſans, ſine alicuius metu omnia populabatur; itinere versùs mare Hadriaticum in-
ſtituto. quæ in loca decimis caſtris, per fineis Inſubrum ac Picentum ducens, pervênit.
En; quid, malum, illi ad Inſubreis Gallos trans Apenninum transque Padum fuit
regreſſio: ſi à Thraſymeno lacu Picenum mareque Hadriaticum petere voluit:
vel, quo pacto tantum circuitum per loca tam difficilia decem haud amplius die-
bus finire potuit? Nugæ ſunt. mendum tu librariorum audacter corrige in vocem
Ὀμβρων. quod vocabulum ita bis anteà lib. II perſcriptum eſt, Latinorum valens
Vmbros: quos alioquin plerique Græcorum ſuâ lingvâ dicunt Ὀμβρικούς. Hanni-
bal igitur quum, ad Traſymenum adhuc in caſtris ſuis loco pugnæ Flaminianæ ſe-
dens, cognoviſſet, C. Centenium Penulam à Servilio conſule cum IIII millibus
equitum miſſum adventare; Maharbalem ei obviam prodire juſſit. qui non ad an-
guſtias Traſymeni lacus, ubi ipſe adhuc ſedebat Hannibal, ſed in Vmbriâ demum,
ut auctor eſt Livius, Centenium offendit atque fudit. Ipſeque mox Hannibal cum
univerſo exercitu per Vmbriam atque Picenum ad Hadriaticum contendit mare.
Livius dicto lib. XXII poſteà: *Hannibal recto itinere per Vmbriam usque ad Spoletium*
venit. inde in agrum Picenum avertit iter. Pugna Maharbalis cum Centenio quia
ad tumulum pridiè, poſtridiè verò in ipſo tumulo facta; ad Traſymenum lacum
eam traxit Appianus; quia heic etiam antè idem Maharbal cum equitatu & levi
armaturâ collem occupare juſſus erat. eoque porrò errore ductus, ipſum lacum
in Vmbriâ recenſuit. Deinde, quia Polybius tradit, haud procul Padi oſtiis eſſe
Arimini tractum, ubi tunc caſtra habuit Cn. Servilius conſul; Appianus apud
ipſum Padum ea fuiſſe narrat. quem eius errorem fortè id etiam adjuvit, quòd
is exercitus anteà apud Placentiam & Cremonam, poſt pugnam ad Trebiam am-
nem, locatus erat. quem poſteà à Scipione traditum fuiſſe Servilio, ipſe refert
Appianus. Verùm enimverò, patet tamen ex eâdem eius narratione, nullum alium
ei intellectum eſſe lacum, quàm qui aliis auctoribus Græcis pariter atque Latinis
omnibus dicitur *Traſymenus*. Hic cur illi uni & unde alio vocabulo adpellatus ſit
πλεϛίνη λίμνη, quum nulla prorſus adpareat ratio, ſuſpicari libeat, imò ſanè colli-
gere neceſſum eſt, corruptum id eſſe vocabulum in exemplaribus eius à vero ge-
nuinoque Περυσίνη λίμνη, id eſt, PERVSINVS *lacus*. qua adpellatione in hanc us-
que diem adficitur, vulgò, ut antè memoravi, *Lago di Perúgia* dictus, ab urbe pro-
ximâ *Peruſiâ*, olim, quemadmodùm ſuprà oſtenſum, potentiſſimâ. Cæterùm ex
præſcripto Appiani errore fortè Paullo Diacono Langobard. rer. lib. II cap. XVI
hoc natum: *In Vmbriâ, quæ Tuſciæ in parte ponitur, Peruſium & lacus Clitorius Spo-*
letumque conſiſtunt. Scivit eſſe lacum apud Peruſiam. audiverat item, in Vmbriâ
inter Trebiam & Spoletium eſſe fonteis amnemque *Clitumni*; apud quos Iupiter
cognomento Clitumnus ſummâ religionè colebatur. tum de Clitorio, mirandæ
naturæ in Arcadiâ lacu nonnihil intellexerat: de quo Ovidius lib. XV, & Plinius
lib. XXXI cap. II tradunt, *vini tædium venire his, qui ex eo biberint.* hæc cuncta ille
mirificè in unum commiſcuit: fortè Iſodori quoque ex parte ſequutus auctórita-
tem: qui & ipſe Origin. lib. XIII cap. XIII ita habet: *Ex Clitorio lacu Italiæ qui bibe-*
rint, vini tædium habent. Mendum librariorum putarem eſſe, *Arcadiæ* nomen cor-
rumpentium; ni id vocabulum ex ipſo Iſidoro jam inde Paul. Diaconum hauſiſſe,
apertè adpareret. Verùm de *Thraſymeni* ſive *Peruſini lacus* ſitu atque adpellatione
ſatis abundéque hactenus diſſertum exiſtimo. Quum vario optimorum piſcium ge-
nere mirum in modum hodiéque fecundus ſit; eam quoque rem olim innuere voluit
Silius prædicto lib. V his verbis:

Nec minùs Herminium primis obtruncat in armis;
Adſvetum, Thraſymene, tuos prædantibus hamis
Exhaurire lacus; patriæque alimenta ſenectæ
Ducere ſuſpenſo per ſtagna latentia lino.

Arſiſſe aliquando eumdem lacum, Plinius auctor eſt lib. II cap. CVII. *Reperitur,*
inquit, *apud auctores, Traſymenum lacum arſiſſe totum.* Inter alia prodigia hoc quoque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Flaminio factum ante pugnam Hannibalicam, auctor eſt Silius dicto libro anteà, his verbis:

Ac ſuper hæc, divûm genitor, terrasque fretumque
Concutiens tonitru, Cyclopum rapta caminis
Fulmina Tyrrhenas Thraſymeni torſit in undas:
Ictus & ætherea per ſtagna patentia flammâ
Fumavit lacus, atque arſerunt fluctibus ignes.

Dausqueius, poëtæ noviſſimus commentator, qui heic doctiſſimum Modium furoris arguit, vulgatum illud exemplarium *Litus* corrigentem in *Ictus*; neſcio qua nimiâ omnia aliorum reprehendendi cupidine excæcatus, idem de Thraſymeno, quod Plinius narrat, à Valerio quoque Maximo adfirmari docet: verbaque eius ex lib. III cap. VII adlegat iſta: *Thraſymenum lacum dirâ inuſtum memoriâ.* Atqui integer illic Valerii locus ſic habet: *Hannibal, quum apud regem Pruſiam exſularet; auctorque ei committendi prælii eſſet: atque is non idem ſibi exſtis portendi diceret; An tu, inquit, vitulinæ carunculæ, quàm imperatori veteri, mavis credere? Si verba numeres; breviter & abſcisè: ſi ſenſum æſtimes; copiosè & valenter. Hiſpanias enim ereptas populo Romano, Galliarum & Liguriæ vireis in ſuam redactas poteſtatem, & novo transitu Alpium juga patefacta, & Thraſymenum lacum dirâ inuſtum memoriâ, & Cannas, Pœnicæ victoriæ clariſſimum monumentum, & Capuam poſſeſſam, & Italiam laceratam, ante pedes hominis effudit.* En quid clariùs à Velleio dici poterat? Res ab Hannibale contra Romanos ingenti cum gloriâ geſtas recenſet: & inter eas cladem quoque apud Thraſymenum lacum illis inlatam. Prodigium igitur heic incendii qui velit interpretari, abſurdiſſimi oportet ſit judicii. Ecquid verò Dausqueius, cui multum temporis laborisque in conquirendis antiquis & exoletis verbis anxiisque loquutionibus conſtruendis inſumptum eſſe conſtat, ignorare potuit, quid ſit apud optimos auctores *inurere maculam, inurere ignominiam, inurere infamiam?* Quid verò aliud eſt *ignominia* ſive *infamia*, quàm rerum turpium vel infelicium *dira memoria?* Et ſi *memoriæ* vocabulum hoc ſenſu probato alicui auctori uſurpatum quæris; en Velleius lib. II, *Hæc ſunt*, inquit, *tempora, quibus M. Tullius continuis actionibus æternas Antonii memoriæ inuſſit notas.* Habet ergo vel heic etiam amicus noſter optimus, Daniel Heinſius, quod Dausqueio de ereptâ ſibi illuſtrati Silii laude atque gloriâ invideat. Sed ad noſtra pergamus.

Plinius lib. III cap. V in recenſione opidorum populorumque Etruriæ, ſecundùm literarum ordinem, *Cluſini*, inquit, *novi*, *Cluſini veteres*. Eſt hodiè ad Apennini radices, inter Arnum & Tiberim, opidulum eodem nomine, quo *Cluſium* vetus apud Clanim, vulgò *Chiuſi* & *Chiuci* dictum. id haud dubiè illud eſt CLVSIVM NOVVM, uni Plinio memoratum.

Prope Tiberim, eodem Etruriæ tractu, Plinii Iunioris fuit ſplendidiſſima *villa*, à ſitu communi gentis vocabulo TVSCI adpellata. Ipſe lib. IIII epiſt. VI, quæ eſt ad Naſonem; ubi prædia ſua memorat: *Tuſci grandine excuſſi. in regione Transpadanâ ſumma abundantia; ſed par vilitas nunciatur. ſolum mihi Laurentinum meum in reddituṡ.* Lib. V epiſt. XVIII, ad Macrum: *Ego in Tuſcis & venor & ſtudeo.* Lib. VIIII epiſt. XV, ad Falconem: *Refugeram in Tuſcos; ut omnia ad arbitrium meum facerem. at hoc ne in Tuſcis quidem: tam multis undique ruſticorum libellis & tam querulis inquietor.* Mox: *Interdum tamen equum conſcendo, & patrem familiæ hactenus ago, quòd aliquam partem prædiorum, ſed pro geſtatione, percurro.* Eodem libro, epiſt. XXXVI: *Quæris; quemadmodùm in Tuſcis diem æſtate disponam. evigilo quum libuit.* Deinde: *Interveniunt* [fortè, *Interdum veniunt*] *amici ex proximis opidis; partemque diei ad ſe trahunt. Venor aliquando.* Sed eamdem villam lib. V epiſt. VI, ad Apollinarem, graphicè & exactiſſimè deſcribit. Nos inde ea tantùm, quæ ad ſitum eius indagandum ſpectent, adducemus. *Amavi*, inquit, *curam & ſolicitudinem tuam, quòd, quum audiſſes, me æſtate Tuſcos meos petiturum, ne facerem ſvaſiſti; dum putas inſalubreis. Eſt ſanè gravis & peſtilens ora Tuſcorum, quæ per litus extenditur. ſed hi procul à mari receſſerunt. quin etiam Apennino, ſaluberrimo montium, ſubjacent. Atque adeò, ut omnem pro me metum ponas; accipe temperiem cæli, regionis ſitum, villæ amœnitatem.* Mox: *Regionis forma pulcherrima. imaginare amphitheatrum aliquod immenſum, & quale ſola rerum natura poſſit effingere. lata & diffuſa planities montibus cingitur. montes ſummâ ſui parte procera nemora & antiqua habent. frequens ibi & varia venatio. inde cæduæ ſilvæ cum ipſo monte deſcendunt. has inter pingves terrenique colles (neque enim facilè usquàm ſaxum, etiamſi quæratur, occurrit) planiſſimis campis fertilitate*

TVSCI, *villa Plinii Iunioris.*

non cedunt; opimamque meſſem ſeriùs tantùm, ſed non minùs percoquunt. ſub his per latus omne vineæ porriguntur; unamque faciem longè latéque contexunt. quarum à fine imoque quaſi margine arbuſta naſcuntur. prata inde, campique. campi, quos non niſi ingentes boves & fortiſſima aratra perfringunt. tantis glebis tenaciſſimum ſolum, quum primùm proſequatur, adſurgit, ut nono demum ſulco perdometur. prata florida & gemmea trifolium aliasque herbas, teneras ſemper molleis & quaſi novas, alunt. cuncta enim perennibus rivis nutriuntur. Sed ubi aquæ plurimum, palus nulla. quia devexa terra quidquid liquoris accepit, nec abſorbuit; effundit in Tiberim. Medios ille agros ſecat, navium patiens; omneisque fruges devehit in Vrbem; hieme dumtaxat & vere: æſtate ſubmittitur: immenſique fluminis nomen arenti alveo deſerit: autumno reſumit. Magnam capies voluptatem, ſi hunc regionis ſitum ex monte proſpexeris. Villa, in colle imo ſita, proſpicit quaſi ex ſummo. ita leniter & ſenſim clivo fallente conſurgit, ut, quum adſcendere te non putes, ſentias adſcendiſſe. A tergo Apenninum, ſed longiùs, habet. accipit ab eo auras quamlibèt ſereno & placido die: non tamen acreis & immodicas; ſed ſpacio ipſo laſſas & infractas. magnâ ſui parte meridiem ſpectat: æſtivumque Solem ab horâ ſextâ, hibernum aliquanto maturiùs, quaſi invitat in porticum latam & pro modo longam. Pergit hinc ipſius villæ mirum ſplendorem ac magnificentiam, tum immenſum eius ambitum deſcribere. Ex *proximis* iſtis *opidis* unum nominat lib. IIII epiſt. I. *Deflectemus*, inquit, *in Tuſcos: non, ut agros remque familiarem oculis ſubjiciamus: id enim poſtponi poteſt: ſed, ut fungamur neceſſario officio. Opidum eſt prædiis noſtris vicinum, nomine Tifernum Tiberinum: quod me penè adhuc puerum patronum cooptavit; tanto maiore ſtudio, quanto minore judicio. adventus meos celebrat; profectionibus angitur; honoribus gaudet. In hoc ego, ut referrem gratiam, templum pecuniâ meâ exſtruxi.* Ergo Plinii hæc villa *Tuſci* prope Tiberis fuit ripam, ſupra *Tifernum* opidum. nam *à tergo* ait eſſe *Apenninum, ſed longiùs; frontem magnâ ſui parte meridiem ſpectare.* Itaque illi erraſſe mihi minimè videntur, qui eam interpretati ſunt opidum nunc epiſcopale vulgari adpellatione *Borgo San Sepolcro*, mille fermè paſſus à lævâ Tiberis ripâ in latâ, eâque pulcherrimâ & amœniſſimâ maximéque frugiferâ planitie, quam *montes*, velut *amphitheatrum quoddam immenſum, cingunt*, humili clivo impoſitum. quidpe *Tifernum* etiam hodiè eſſe opidum, quod vulgò vocatur ad eamdem ripam *Città di Caſtello*, pòſt in Vmbriâ clarebit. Huc adde & id documenti, quòd ab hoc opido, vel à locis paullo ſuprà ſitis, Tiberis hodiè navigabilis habeatur. Plinius Senior Natural. hiſtor. lib. III cap. V: *Tiberis è mediâ ferè longitudine Apennini finibus Arretinorum profluit; tenuis primò; nec niſi piſcinis corrivatus emiſſusque navigabilis; ſicuti Tinia & Glanis, influentes in eum: novenorum ita conceptu dierum, ſi non adjuvent imbres. ſed Tiberis propter aſpera & confragoſa ne ſic quidem; præterquàm trabibus veriùs, quàm ratibus. longis meatibus fertur per* CL *millia paſſuum; non procul Tiferno Peruſiâque & Ocriculo Etruriam ab Vmbris ac Sabinis, mox citra* XIII *millia paſſuum Vrbis Veientum agrum à Cruſtumino, dein Fidenatem Latinumque à Vaticano dirimens. Non procul*, inquit, *Tiferno Etruriam ab Vmbriâ dirimit*; quia hoc etiam ad mille paſſus à ripâ eius abeſt. primum autem nominat *Tifernum*; quia protinus ſuprà hoc jam utramque amnis ripam tenebant olim Tuſci. unde etiam villæ Plinianæ, in ſiniſtrâ ripâ ſitæ, nomen id quæſitum. Strabo lib. V: Ῥεῖ δ' ἐκ τῶν Ἀπεννίνων ὀρῶν ὁ Τίβερις, μέρος μὲν τι δι' αὐτῆς φερόμενος τῆς Τυρρηνίας, τὸ δ' ἐφεξῆς διορίζων ἀπ' αὐτῆς, πρῶτον μὲν τὴν Ὀμβρικήν, εἶτα τοὺς Σαβίνους καὶ Λατίνους, μέχρι τῆς θαλάττης. Hoc eſt: *Tiberis in Apenninis montibus exortus, parte quadam ſui per ipſam fertur Etruriam; mox ab hac diſtinguit, primò Vmbriam, dein Sabinos Latinosque, usque ad litus maris.*

Atque hactenus urbeis Etruriæ & opida cæteraque loca, veterum ſcriptorum monumentis celebrata, ſummâ curâ expoſuimus. reſtat, uti de *Corito* etiam *opido* ac *monte*, uni Servio grammatico memoratis, pauca quædam diſſeramus; fuerint umquàm, necne. Apud Virgilium Aeneid. lib. III ita Aeneam adfantur Phrygii penates:

Eſt locus, Heſperiam Graii cognomine dicunt:
Terra antiqua, potens armis atque ubere glebæ.
Oenotri coluêre viri. nunc fama, minores
Italiam dixiſſe, ducis de nomine, gentem.
Hæ nobis propriæ ſedes: hinc Dardanus ortus
Iaſiusque pater; genus à quo principe noſtrum.
Surge age & hæc lætus longævo dicta parenti

Haud dubitanda refer. Corithum terrasque require
Auſonias.

Ad hæc ita Servius: *Iaſius & Dardanus fratres fuerunt, Iovis & Electræ filii: vel, ut quidam volunt Dardanum de Iove, Iaſium de Coritho procreatum: de cuius nomine & mons & opidum nomen accepit. poſteà Iaſium dicitur Dardanus occidiſſe. Hi tamen fratres quum ex Etruriâ propoſuiſſent ſedeis exteras petere, profecti. & Dardanus quidem contractâ in Troiâ juventute, Dardaniam urbem condidit; à qua Troianorum origo crevit. Iaſius autem Samothraciam cepit; & ibi liberum locum imperio tenuit. Alii dicunt, utrumque ex Coritho, Iovis filio, procreatos; &, ſicut dictum eſt, relictâ Italiâ, profectos. ſed Iaſium Samothraciam imperio tenuiſſe: Dardanum verò in Phrygiam perveniſſe. Græci, & Varro Humanarum rerum, Dardanum non ex Italiâ, ſed de Arcadiâ urbe Pheneo oriundum dicunt. alii Cretenſem: alii circa Troiam & Idam natum. Quidam autem de Coritho hanc fabulam tradunt: Dardanus, quum, equeſtri prælio ab Aboriginibus pulſus, galeam perdidiſſet; propter quam reſiſtens, & in audaciam ſuos reducens, victoriam adeptus eſt: tum, ob rem feliciter geſtam, opidum, ubi galeam amiſerat, condidit, cui Coritho nomen indidit, eò, quòd Græcè coris galea dicitur; vel Corithum montem, in quo Corithus ſepultus eſt. Alii Corithum à Coritho, Paridis & Oenones filio, conditum ferunt.* Euſtathius ad principium Odyſséæ, Καὶ Ἀλεξάνδρου καὶ Ἑλένης Κόρυθον φασὶ παῖδα. id eſt: *Alexandri etiam & Helenæ aiunt filium fuiſſe Corithum.* Sic ſcilicet fabulatores iſti variis inter ſe nugis certarunt. Atque illa quidem originatio ἀπὸ τῆς κόρυθος, id eſt, à *galeâ* ſatis feſtiva eſt. quidpe ſi ab hac voce dictum eſt vel opidum vel jugum aliquod; unde ipſe *Corythus* conditor id nominis habuit? an ab rebus à ſe conditis? Sin verò jam antè id ipſe habuit, quàm opidum condidit; quis adeò vecors, qui ab galeæ potiùs vocabulo, quàm de ſuo nomine id eum ſic adpellaſſe, credat? Sed videamus reliqua Virgilii loca, quibus *Corithi* meminit. Aeneid. lib. VII; ubi Latinus rex ſic adfatur Aeneam:

Atque equidem memini (fama eſt obſcurior annis)
Auruncos ita ferre ſenes, his ortus ut agris
Dardanus Idæas Phrygiæ penetravit ad urbeis,
Threïciamque Samum, quæ nunc Samothracia fertur.
Hinc illum Corithi Tyrrhenâ ab ſede profectum.

Ad hæc Servius: *Iupiter cum Electrâ, Atlantis filiâ, Corithi, regis Italiæ, uxore, concubuit. ſed ex Iovis ſemine natus eſt Dardanus, ex Corithi Iaſius.* Mox: *Corithi. Opidum & mons; dicti à rege Coritho, ut putatur à quibusdam, patre Dardani, ibi ſepulto.* Poëta iterum lib. VIIII; ubi Iris, Iunonis miſſu, Turno narrat, Aeneam ab Tiberis oſtiis, ubi opidum condere cœperat, in Etruriam profectum:

Aeneas, urbe & ſociis & claſſe relictâ,
Sceptra Palatini ſedemque petivit Euandri.
Nec ſatis: extremas Corithi penetravit ad urbeis:
Lydorumque manum, collectos armat agreſteis.

Ad quæ Servius, *Corithi autem*, inquit, *montis Tuſciæ. quia, ut diximus, nomen accepit à Coritho rege, cum cuius uxore concubuit Iupiter; unde natus eſt Dardanus.* Rurſus Poëta lib. X:

At Iovis intereà monitis Mezentius ardens,
Succedit pugnæ, Teucrosque invadit ovanteis.
Concurrunt Tyrrhenæ acies; atque omnibus uni,
Vni odiisque viro teliſque frequentibus inſtant.

Exiguo poſt:

Venerat antiquis Corithi de finibus Acron,
Graius homo. Mox:
Sic ruit in denſos alacer Mezentius hoſteis.
Sternitur infelix Acron.

Heic iterum, ut anteà, Servius; *Corithus*, inquit, *eſt & civitas Tuſciæ & mons, & pater Dardani, rex .....* [deeſſe videtur terræ nomen, cuius ille rex] *unde ad quosvis poteſt referri, De finibus Corithi. Graius homo. Oriundo quidem Græcus; ſed qui nunc de Tuſciâ veniſſet ad bellum.* At, quæſò, quinam hi intelligendi erunt *antiqui fines* ſive opidi ſeu *montis*; quum id vocabulum regionibus, non opidis aut montibus, tribuatur? quibus certi *fines*, id eſt, termini ac limites circumſcribuntur? Sed, ſi hoc etiam in opidis ac montibus, licèt minùs propriè, uſurpari atque intelligi poſſe contendas;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

quænam illæ, quæro, lib. VIIII *extremæ* Corithi ſive montis ſive opidi intelligendæ ſunt *urbes*, ad quas Aeneas penetravit? Hæc ſaltem inepta fuerit poëtæ atque abſurda φράσις. niſi heic in Etruriâ ingens quoddam montis jugum fingas, in quo complures ſitæ fuerint urbes. Sanè virum *Corithum* heic intellexit poëta, Iovis filium, Dardani patrem, regem Etruriæ: in qua complures ſub imperio eius innuit *urbeis*; & quam poſteà lib. VIIII *antiquos fines Corithi* poëticâ adpellat περιφράσει· anteà verò lib. VII *Tyrrhenam Corithi ſedem*. quem locum, ut ferè alia, ſic imitatus Silius lib. IIII, ubi Flaminius conſul exercitum in Etruriam ad Traſymenum lacum ducit:

Ergo agitur raptis præceps exercitus armis
Lydorum in populos ſedemque ab origine priſci
Sacratam Corithi, junctosque à ſangvine avorum
Mæonios Italis permixtâ ſtirpe colonos.

Ergo etiam lib. III Virgilius, ubi ait, *Corithum terrasque require Auſonias*, neque opidum nec montem intellexit; ſed ipſum Etruriæ regem *Corithum*; id eſt, ſedem eius, vel, ſi mavis, ſepulcrum, ſive monumentum ac memoriam. Eâdem ratione Rutilius quoque in Itinerario Etruriam univerſam innuit his verſibus:

Famam Lachanii veneratur numinis inſtar
Inter Turrigenas Lydia tota ſuos.
Grata bonis priſcos retinet provincia mores:
Dignaque rectores ſemper habere bonos.
Qualis nunc Decius, Lucilli nobile pignus,
Per Corithi populos arva beata regit.


Verùm alius eſt apud Silium locus; ubi haud perinde óbſcurè opidum aliquod Etruriæ hoc vocabulo ſignificari videtur. Lib. V Corvino cuidam Romano, apud Thraſymenum lacum Flaminio conſuli pugnam disſvadenti, ita reſpondet conſul:

An, Corvine, ſedet, clauſum ſe conſul inerti
Vt teneat vallo: Pœnus nunc occupet altos
Arretî muros, Corithi nunc diruat arcem;
Hinc Cluſina petat, poſtremò ad mœnia Romæ
Illæſus contendat iter?


Ad quem locum ſic ſuprà dictus Silii commentator Claudius Dauſqueius: *Euſtathius in Odyſſ. δ' opinionis eorum meminit, qui Coritum Alexandri & Helenes filium voluêre. Fuit is Thuſciæ regnator; & Coritum non procul Arretio condidit.* Satis apertè disſentit ab fabuloſo Annio Viterbienſi, qui *Coritum* opidum in Cimino monte prope Viterbum fuiſſe voluit; eumque montem adpellatum *Coritum*. item ab illo paullo vetuſtiori Ptolemæi interprete Latino, qui opidum *Coritum* in tabulâ Italiæ poſuit circa opidum nunc *Cornetum*. At illud ſatis benè Dauſqueius, quòd *Corithi* nomen prope Arretium ex præſcriptis poëtæ ſui verbis agnoſcat. Verùm ſi heic urbs tanti nominis tantique momenti fuit, ut ei meritò Flaminius non minùs, quàm Arretio Cluſioque & ipſi Romæ, ab Hannibale metuerit; quæſo, quonam pacto ſeu fato omnibus pariter & hiſtoricis & geographis cæterisque auctoribus incelebrata manſit; nec ulli memorata, niſi grammaticis Virgilii commentatoribus, & ſi qui alii fuerint fabularum indefeſſi conditores? Sanè Silius heic haud obſcurè *Cortonam* innuit per *Corithi arcem*; ut poſteà lib. VIII eamdem urbem *ſuperbi Tarcontis* vocat *domum*. ſcilicet, quia Tarcon, ductor atque princeps Pelaſgorum Tyrrhenorum, expulſis Vmbris, Cortonam pro ſede ſuâ atque arce belli, ut ſuprà oſtenſum, habuit. Ad eumdem igitur modum *Corithum* heic, & ipſum Etruriæ principem, ſedem habuiſſe finxit poëta. Recto itaque & geographico ordine orationem Flaminii compoſuit; quærentis, ecquid placeret Corvino, uti, dum Romanus exercitus ocioſus ſederet, Hannibal, à Fæſulis viâ, quæ poſteà *Caſſia* dicta eſt, profectus, primò *Arretium*, mox *Cortonam*, hinc *Cluſium*, ac denique ipſam Romam caperet. Nec ego equidem dubito, quin nominis quoque originem innuere voluerit Silius; quaſi *Cortona* dicta ſit de nomine *Corithi*. Atque hactenus de fictitio monte opidoque *Corito* diſſeruiſſe ſufficiat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Cap. IIII.

De Vmbrorvm *nomine ac genere; item de variis* Vmbriae *finibus.*

ETruriæ ab lævâ Tiberis ripâ continuabatur Vmbria; Græcis Ὀμβρικὴ dicta. cuius incolæ Latinis Vmbri, & Polybio lib. II & III, ac Lycophroni in Alexandrâ, Ὄμβροι, reliquis Græcis ſcriptoribus Ὀμβρικοὶ adpellantur: gens inter vetuſtiſſimas Italiæ connumerata. Florus lib. I cap. XVII: *Vmbri, antiquiſſimus Italiæ populus*. Plinius lib. III cap. XIIII: *Vmbrorum gens antiquiſſima Italiæ exiſtimatur; ut quos* Ὀμβρίους *à Græcis putent dictos, quòd inundatione terrarum imbribus ſuperfuiſſent*. Solinus cap. VIII: *Bocchus abſolvit, Gallorum veterum propaginem Vmbros eſſe. M. Antonius refert, quòd tempore aquoſæ cladis imbribus ſuperfuerint,* Ὀμβρίους *Græcè nominatos*. Servius ad Virgilii Aeneid. lib. XII: *Vmbros Gallorum veterum propaginem eſſe,* .... [deſunt quædam: haud dubiè iſta; *Bocchus tradidit.*] *M. Antonius refert, hos eosdem, quòd tempore aquoſæ cladis imbribus ſuperfuerint, Vmbros cognominatos*. Heic etiam non dubiè ſcriptum fuit, vel Ὀμβρίους *Græcè nominatos*; vel ſaltem *Græcè cognominatos*. Iſidorus Origin. lib. VIIII cap. II: *Vmbri Italiæ gens eſt; ſed Gallorum veterum propago: qui Apenninum montem incolunt. de quibus hiſtoriæ perhibent, quòd tempore aquoſæ cladis imbribus ſuperfuerint; & ob hoc* Ὀμβρίους *Græcè nominatos*. Et lib. XIIII cap. IIII: *Vmbriam, hiſtoriæ narrant, eò, quòd tempore aquoſæ cladis imbribus ſuperfuerit, ob hoc* Ὀμβρίαν *Græcè cognominatam. eſt enim in jugis Apennini montis ſita, in parte Italiæ juxta meridiem*. Paullus Diaconus lib. II cap. XVI: *Vmbria dicta eſt, quòd imbribus ſuperfuerit, quum aquoſa clades olim populos devaſtaret*. Illa Bocchi, Mauritaniæ regis, ſatis abſurda fuit opinio; quum nihil umquàm ſimilitudinis morum ſermonisve Gallos inter & Vmbros ab antiquis Græcorum Romanorumve adnotatum auctoribus. Antonii verò conjectatio & ipſa haud minùs eſt ridicula, ex ſimilitudine tantùm vocabuli deprompta. quid enim gens barbara, Italiæ indigena, è Græcâ lingvâ nomen ſibi mutuata fuerit? Romanos verò, ſive Latinos, illorum conterminos, id nominis non à Græcis, ſed ab ipsâ accepiſſe gente, certum eſt. Cæterùm origo eorum quamvìs planè incerta, tamen ex hoc ipſo auctorum teſtimonio, antiquiſſimam fuiſſe, ſatis clarè adparet. Primam verò eos ſedem habuiſſe in ipsâ intra Apenninum Etruriâ, ſuprà cap. I huius libri II dictum eſt. Hinc Plinius ſuperioribus hæc proximè ſubjungit: *Trecenta eorum opida Thuſci debellaſſe reperiuntur*. Et eodem libro cap. V: *Etruria eſt ab amne Macrâ; & ipſa mutatis ſæpè nominibus. Vmbros inde exegêre antiquitus Pelaſgi: hos Lydi. à quorum rege Tyrrheni, mox à ſacrifico ritu lingvâ Græcorum Thuſci ſunt cognominati*. Ergo *trecenta* iſta *opida* non jam Vmbrorum fuêre, ſed Pelaſgorum, quum ea *debellarent* Thuſci. Dionyſius lib. I ita tradit: Ἄλλοι δὲ Λιγύων ἀποίκους μυθολογοῦσι τοὺς Ἀβοριγῖνας γενέσθαι, τῶν ὁμορούντων Ὀμβρικοῖς. Id eſt: *Alii Ligurum colonos fuiſſe Aborigines fabulantur, Vmbris conterminorum*. Nempe apud Arnum flumen. eò enim usque olim ab Rhodano amne pertinuiſſe Ligures, urbemque in Arni ripâ antiquiſſimis temporibus eos condidiſſe *Piſas*, ſuprà lib. I cap. VII & VIII, & item lib. II cap. I oſtenſum eſt. Hinc igitur Plinius dicto lib. III cap. V paullo pòſt: *Vmbro, navigiorum capax; & ab eo tractus Vmbria*. Ab hoc ſcilicet *Vmbrone* amne, qui nunc vulgò adcolis adpellatur *Ombrone*, regio dicta fuit *Vmbria*, & incolæ eius *Vmbri*. Stephani epitomator: Ὀμβρικοί, ἔθνος Ἰταλικὸν περὶ Ἀδριανὸν κόλπον, μέσον τοῦ Πάδου καὶ Πικηνικοῦ. λέγονται καὶ Ὄμβροι. ἔστι καὶ ποταμὸς Ἰταλίας Ὄμβρος. λέγονται Ὄμβροι παρὰ τοῖς Ἰταλικοῖς συγγραφεῦσιν. Hoc eſt: *Ombrici, Italiæ gens ad Hadrianum ſinum, media inter Padum & Picenum. Dicuntur etiam Ombri. Eſt & fluvius Italiæ Omber. Italicis ſcriptoribus dicuntur Vmbri*. Nempe ultra Apenninum quoque & Tiberim jam inde antiquiſſimis temporibus nomen eorum extenſum fuit, ad ſinum usque Hadriaticum. Plinius lib. III cap. XV: *Octava regio determinatur Arimino, Pado, Apennino. In orâ fluvius Cruſtumius: Ariminum colonia cum amnibus Arimino & Aprusâ: fluvius Rubico; quondam finis Italiæ. ab eo Sapis & Vtis & Anemo: Ravenna, Sabinorum* [legendum,

Theſſalorum, ſuprà lib. I cap. XXVIII oſtendimus] *opidum, cum amne Bedeſe: nec procul à mari Vmbrorum Butrium.* Livius lib. V; ubi de Gallorum in Italiam tranſitu agit: *Deinde Boii Lingoneſque tranſgreſſi, quum jam inter Padum atque Alpeis omnia tenerentur, Pado ratibus trajecto, non Etruſcos modò, ſed etiam Vmbros agro pellunt. intra Apenninum tamen ſeſe tenuêre. Tum Senones, recentiſſimi advenarum, ab Vtente flumine uſque ad Aeſim fineis habuêre. Vtentem* fluvium hodiè vocari vulgò *Montonem*, quo Ravenna urbs ab occaſu Solis abluitur, ſuprà dicto lib. I cap. XXVIII docui. Ergò etiam ulta Vtentem Vmbri tunc incoluerunt: quæ loca poſteà occuparunt *Lingones* Galli; ut ſuprà eodem lib. I cap. XXVIII & item lib. II cap. I oſtenſum. ubi etiam docui, *Vatrenum*, ſive, ut poſteà adpellatus, *Saternum* amnem terminum fuiſſe, primò inter Etruſcos & Vmbros, deinde inter Boios & Lingones. Atque hinc Strabo lib. V, Καὶ ἡ Ῥάουεννα, inquit, Θετταλῶν λέγεται κτίσμα. οὐ φέροντες δὲ τὰς τῶν Τυῤῥηνῶν ὕβρεις, ἐδέξαντο ἑκόντες τῶν Ὀμβρικῶν τινας, οἳ καὶ νῦν ἔχουσι τὴν πόλιν· αὐτοὶ δ᾽ ἀνεχώρησαν ἐπ᾽ οἴκου. Id eſt: *Ravenna quoque ab Theſſalis traditur condita. qui quum Tuſcorum injurias non ferrent; ultro in urbem admiſſis Vmbrorum quibuſdam, qui etiam nunc eam tenent; ipſi domum reverterunt.* Inter Padum quoque & Aeſim, qui vulgò nunc dicitur *Ieſi*, adcoluiſſe Hadriaticum mare eoſdem Vmbros, antequàm à Senonibus Gallis inde pellerentur, complurium auctorum teſtimonio conſtat. Prædictus Stephani breviator: Ὀμβρικοὶ, ἔθνος Ἰταλίας περὶ Ἀδριανὸν κόλπον, μέσον τοῦ Πάδου καὶ Πικεντινοῦ. Id eſt: *Vmbri, gens Italica ad Hadrianum ſinum, inter Padum & Picenum.* Intellige citimum Padi oſtium, quod vulgò nunc vocatur *Il Primaro*: à quo Ravenna, in Vmbrorum quondam ſolo condita, X millia paſſuum abeſt. Piceni autem terminum fuiſſe ab occidente Aeſim flumen, pòſt patebit. Polybius lib. II: Τὸν δ᾽ Ἀπέννινον ἀπὸ μὲν τῆς ἀρχῆς, τῆς πρὸς τὰς Ἄλπεις συμπτώσεως, Λιγυστῖνοι κατοικοῦσι, καὶ τὴν ἐπὶ τὸ Τυῤῥηνικὸν πέλαγος πλευρὰν αὐτοῦ κεκλιμένην, καὶ τὴν ἐπὶ τὰ πεδία· ἑξῆς δὲ Τυῤῥηνοί· τούτοις δὲ συνεχεῖς ἑκάτερον τὸ κλίμα νέμονται τῶν προειρημένων ὀρῶν Ὄμβροι. Hoc eſt: *Apennini initium, quà Alpibus jungitur, Ligures habent ex utroque latere, & quod Etruſcum mare ſpectat, & quod prædictos campos. proxima inde Etruſci. hinc contermini Etruſcis Vmbri utrumque eius latus incolunt.* Strabo dicto lib. V: Τὸ δ᾽ Ἀρίμινον Ὀμβρικῶν ἐστι κατοικία, καθάπερ καὶ ἡ Ῥάουεννα. Id eſt: *Ariminum Vmbrorum eſt colonia; ſicuti & Ravenna.* Et aliquanto pòſt: Οἱ δ᾽ Ὀμβρικοὶ μέσοι μὲν κεῖνται τῆς Σαβινῆς καὶ τῆς Τυῤῥηνίας. μέχρι δ᾽ Ἀριμίνου καὶ Ῥαουέννης προΐασιν, ὑπερβάλλοντες τὰ ὄρη. Id eſt: *Vmbri medii, inter Sabinos atque Etruſcos ſiti ſunt, monteis ſupergreſſi uſque ad Ariminum & Ravennam.* Monteis nominat continuò antè Apenninos. Ariminum autem incoluiſſe Vmbros antè, quàm Senones immigraverint; ſequenti hinc capite oſtendetur. Strabo eodem libro infrà: Τῇ δὲ Τυῤῥηνίᾳ παραβέβληται κατὰ τὸ πρὸς ἕω μέρος ἡ Ὀμβρικὴ, τὴν ἀρχὴν ἀπὸ τῶν Ἀπεννίνων λαβοῦσα, καὶ ἔτι περαιτέρω, μέχρι τοῦ Ἀδρίου. ἀπὸ γὰρ δὴ Ῥαουέννης ἀρξάμενοι κατέχουσιν οὗτοι τὸ πλησίον, καὶ ἐφεξῆς, Σαρσίναν, Ἀρίμινον, Σήναν, καὶ Καμαρῖνον. αὐτοῦ δ᾽ ἐστὶ καὶ ὁ Αἶσις ποταμὸς, καὶ Σεντῖνον, καὶ Μέταυρος ποταμὸς, καὶ τὸ ἱερὸν τῆς Τύχης. Περὶ δὲ τούτους τοὺς τόπους εἰσὶ τὰ ὅρια τῆς Ἰταλίας τῆς πρότερον καὶ τῆς Κελτικῆς, κατὰ τὸ πρὸς τῇ θαλάττῃ ταύτῃ μέρος· καίπερ μετατιθέντων πολλάκις τῶν ἡγεμόνων. πρότερον μὲν γὰρ τὸν Αἶσιν ἐποιοῦντο ὅριον· πάλιν δὲ τὸν Ῥουβίκωνα ποταμόν. Νυνὶ δὲ συμπάσης τῆς μέχρι τῶν Ἄλπεων ἀποδειχθείσης Ἰταλίας, τούτους μὲν τοὺς ὅρους ἐᾶν δεῖ. τὴν δ᾽ Ὀμβρικὴν καθ᾽ ἑαυτὴν οὐδὲν ἧττον μέχρι καὶ Ῥαουέννης, ὁμολογοῦσιν ἅπαντες, διατείνειν· οἰκεῖται γὰρ ὑπὸ τούτων. Id eſt: *Etruriæ, quà ortum Solis ſpectat, continuatur Vmbria; ab Apenninis incipiens montibus, & item trans eos monteis. quidpe ab Ravennâ incipientes Vmbri, tenent inde loca, quæ ad mare uſque Hadriaticum porriguntur; Sarſinam, Ariminum, Senam, Camarinum. Ibi & Aeſis eſt amnis, & Sentinum & Metaurus amnis, & Fanum Fortunæ. Circa hæc loca finis etiam eſt antiquæ Italiæ & Galliæ ad hoc mare. quamquàm is terminus ſæpè à magiſtratu mutatus eſt. primùm enim Aeſim terminum eſſe voluerunt: dein Rubiconem amnem. At nunc, quum, quidquid terrarum ad Alpeis uſque protenditur, Italiæ nomine cenſeatur, limites iſti miſſum faciendi ſunt: nihilo minùs ipſam per ſe Vmbriam uſque ad Ravennam protendi, inter omneis convenit: quandoquidem ab his incolitur.* Silius lib. VIII; poſtquàm Picentium enarravit opida:

Queis Aeſis regnator erat; fluvioque reliquit
Nomen; & à ſeſe populos tum dixit Aſilos.
Sed non ruricolæ firmarunt robore caſtra

Deteriore, cavis venientes montibus, Vmbri.
Hos Aeſis Sapisque lavant, rapidasque ſonanti
Vertice conterquens undas per ſaxa Metaurus:
Et lavat ingentem perfundens Flumine ſacro
Clitumnus taurum; Narque, albeſcentibus undis
In Tiberim properans: Tiniæque inglorius humor:
Et Clanis; & Rubico; & Senonum de nomine Sena.

Et *Sapis* & *Metaurus* & *Rubico* & *Seno* amnes ſunt in Hadriaticum mare inter Ravennam & Aeſim ſeſe effundentes. hinc eſt, cur Dauniorum nomini, quod circa Garganum montem, vulgò nunc *Monte di S. Angelo* dictum, conſtitit, in hoc litore Vmbros conjunxerint antiquiſſimi Græcorum auctorum. Marcianus Heracleenſis, in Περιηγήσει·

Μετὰ τὴν Ἰταλίαν εὐθὺς Ἰόνιος πόρος
Κεῖται. καθήκοντες δὲ πρὸς τὴν εἰσβολὴν
Οἰκοῦσιν Ἰάπυγες· μεθ' οὓς Οἰνώτριοι,
Βρεντέσιον ἐπίνειόν τε τῶν Μεσαπίων.
Μεσαίτατον δὲ οἰκοῦσι Ὀμβρικοί.
Εἶτ' ἐστὶν Ἀδριανὴ θάλαττα λεγομένη.

Hoc eſt:

Poſt Italiam ſtatim Ionium fretum
Iacet. pertingentes verò usque ad fauceis eius
Habitant Iapyges. poſt quos ſunt Oenotrii,
Et Brunduſium, navale Meſſapiorum.
Maximè verò medii habitant Vmbri.
Hinc Hadrianum eſt mare.

Scylax in Περίπλῳ· Μετὰ δὲ τὴν Λευκανίαν Ἰάπυγες μισον ἔθνος, μέχρι Ἀρίονος ὄρους, τοῦ ἐν τῷ κόλπῳ τῷ Ἀδρίᾳ. Μετὰ δὲ Ἰάπυγας, ἀπὸ Ἀρίονος Δαυνῖται ἔθνος ἐστίν. ἐν δὲ τούτῳ τῷ ἔθνει γλῶσσαι ἤτοι στόματα τάδε· Λατέρνιοι, Ὄπικοι, Κραμόνες, Βορεοντῖνοι, Πευκετιεῖς διήκοντες. ἀπὸ δὲ τοῦ Τυρσηνικοῦ πελάγους εἰς τὴν Ἀδρίαν παράπλους τῆς Δαυνίτιδος χώρας ἡμερῶν δύο καὶ νυκτῶν. Μετὰ δὲ Δαυνίτας ἔθνος ἐστὶν Ὀμβρικοί, καὶ πόλις ἐν αὐτῷ Ἀγκών. τοῦτο δὲ τὸ ἔθνος τιμᾷ Διομήδην, εὐεργετηθὲν ὑπ' αὐτοῦ· καὶ ἱερόν ἐστιν αὐτοῦ. παράπλους δὲ τῆς Ὀμβρικῆς ἐστιν ἡμερῶν δύο καὶ νυκτός. Μετὰ δὲ τὸ Ὀμβρικὸν Τυῤῥηνοί. διήκουσι δὲ οὗτοι ἀπὸ τοῦ Τυῤῥηνικοῦ πελάγους ἔξωθεν εἰς Δαφνίαν διήκοντες, καὶ πόλις ἐν αὐτῇ Ἑλληνὶς, καὶ ποταμός. Hæc ſanè, præterquàm quòd ipſius auctoris haud levibus erroribus implicita, exſcriptorum quoque compluribus mendis mirum in modum fœdata ſunt. Ac poſtrema quidem iſta de Tyrrhenis jam anteà correximus, lib. I cap. XVIII, in Venetis. De Dauniis autem quis temerè heic credat, nomen eorum atque regionem à Tyrrheno usque mari, id eſt, à Siculo freto ad Garganum, quem heic *Arionem* vocari, ſuo loco docebo, extenſa fuiſſe? aut quis credat, à dicto freto ad Garganum παράπλουν, id eſt, *litoris præternavigationem*, duarum tantùm eſſe dierum totidemque noctium? quum millia paſſuum eo litoris tractu colligantur circiter IↃCC. Iam verò, quinam iſti ſunt Dauniæ gentis nationes, *Laternii*, *Opici*, *Cramones*, *Boreontini*, *Peucetienſes*? Sanè in his vocabulis non tantùm exſcriptorum menda, ſed & ipſius Scylacis errores verſantur. Quum *Iapygum*, quos poſteà Romani uno vocabulo *Apulos* adpellavêre, nomen in *Meſſapios*, *Peucetios*, atque *Daunios* dividi, aliquando quaſi per nebulam audiviſſet; *Picenteis* verò eſſe populos Vmbris conterminos; partemque eorum, à Romanis ad inferum mare inter Campaniam Lucaniamque traductam, vocari *Picentinos*: ille treis hasce regiones, treisque populos mirificè inter ſe confudit; finitimosque Dauniorum iis admiſcuit Φρεντανοὺς, *Frentanos*; qui corrupto iſthic vocabulo leguntur Βορεοντῖνοι. At verò quinam ei fuerint illi Λατέρνιοι, Ὀπικοὶ, Κραμόνες, aut fortè ex quibus genuinis eius nominibus in hæc eos vocabula corruperint exſcriptores, nondum diſpicio. Præter Frentanos fuiſſe inter Daunios & Picenteis *Marrucinos*, *Pelignos*, atque *Veſtinos*, infrà ſuo loco patebit. *Opicos* tamen fortè ipſe memoraverat Scylax, Campaniæ quamdam partem poſtremò incolenteis; quum ingens ab initio fuerit natio; ut ſuo loco oſtendetur. Igitur, quæ ex præſcriptâ oratione reſtitui poſſe videntur, ea ſic ordinaverim: Μετὰ δὲ Λευκανίαν Ἰάπυγές εἰσιν ἔθνος, μέχρι Ἀρίονος ὄρους, τοῦ ἐν τῷ κόλπῳ τῷ Ἀδρίᾳ. Μετὰ δὲ Ἰάπυγας, ἀπὸ Ἀρίονος Δαυνῖται ἔθνος ἐστίν.

ἐν δὲ τούτῳ τῷ ἔθνει γλῶσσαι, ἤτοι στόματα τάδε· Λατέρνιοι, Ὀπικοὶ, Κραμόνες, Φρεντανοὶ, Πευκεντεῖς, διήκοντες ἀπὸ τοῦ Τυρρηνικοῦ πελάγους εἰς τὸν Ἀδρίαν. παράπλους δὲ τῆς Δαυνίτιδος χώρας ἡμερῶν δύο καὶ νυκτῶν. Μετὰ δὲ Δαυνίτας ἔθνος ἐστὶν Ὀμβρικοὶ, καὶ πόλις ἐν αὐτῷ Ἀγκών. Τοῦτο δὲ τὸ ἔθνος τιμᾷ Διομήδην, εὐεργετηθὲν ὑπ᾽ αὐτοῦ· καὶ ἱερόν ἐστιν αὐτοῦ. Παράπλους δὲ τῆς Ὀμβρικῆς ἐστιν ἡμερῶν δύο καὶ νυκτός. Μετὰ δὲ τοὺς Ὀμβρικοὺς Τυρρηνοί εἰσιν ἔθνος, ἀπὸ τοῦ Τυρρηνικοῦ πελάγους ἔξωθεν εἰς τὸν Ἀδρίαν διήκοντες· καὶ πόλις ἐν αὐτοῖς Ἑλληνὶς Σπίνη, καὶ ποταμός. Id eſt: *Poſt Lucaniam ſunt Iapyges, usque ad Arionem montem, qui eſt ad Hadriaticum ſinum, porrecti. Poſt Iapyges, ab Arione ſequuntur Daunii. in qua gente linguæ ſeu ora ſunt iſta: Laternii, Opici, Cramones, Frentani, Picentes, ab Etruſco mari ad Hadriaticum usque protenſi. litoris autem Daunii præternavigatio eſt duarum dierum ac noctium. Poſt Daunios ſunt Vmbri; & in his urbs Ancon. Hæc verò gens colit Diomedem, beneficiis ab eo adfecta. templumque heic eius eſt. Litus Vmbriæ eſt duarum dierum ac noctis. Poſt Vmbros ſunt Tuſci, à Tuſco mari ad Hadriam usque porrecti. urbsque in iis eſt Græca Spina cum amne.* Ad Tuſcum mare *Picentini* Dionyſio quoque geographo dicuntur Πευκετῖνοι. Scylax verò eos ab hoc mari ad Hadriaticum usque protenſos putavit, quia illic etiam erant *Picentes:* quibus rectè Vmbros fecit finitimos. At illud de Diomede eiusque templo non Vmbris, ſed Dauniis tribuiſſe debebat: qui Diomedem in Diomedéis inſulis, Gargano objacentibus, colebant. Picentes autem non Dauniorum, ſed Sabinorum fuiſſe progeniem, complures teſtantur auctores, quos ſuo loco citabimus. Communem tamen omnium vetuſtiorum Græcorum, non modò Scylacis atque Marciani, eum fuiſſe errorem, ex Dionyſio Halicarnaſſenſis hiſtoriâ haud obſcurè colligere datur. is quidpe lib. VII ita ſcribit: Ἐπὶ τῆς ἑξηκοστῆς καὶ τετάρτης Ὀλυμπιάδος, ἄρχοντος Ἀθήνησι Μιλτιάδου, Κύμην τὴν ἐν Ὀπικοῖς Ἑλληνίδα πόλιν Τυρρηνῶν τε οἱ περὶ τὸν Ἰόνιον κόλπον κατοικοῦντες, ἐκεῖθέν θ᾽ ὑπὸ τῶν Κελτῶν ἐξελαθέντες σὺν χρόνῳ, καὶ σὺν αὐτοῖς Ὀμβρικοί τε καὶ Δαύνιοι καὶ συχνοὶ τῶν ἄλλων βαρβάρων, ἐπεχείρησαν ἀνελεῖν. Id eſt: *Olympiade* LXIIII; *quum Athenis ſupremum magiſtratum gereret Miltiades: Cumas, Græcam in Opicis urbem, Etruſcorum qui Ionium ſinum adcoluerunt, atque inde pòſt à Gallis pulſi fuère; cumque his Vmbri & Daunii aliique nonnulli barbari, conati ſunt exſcindere.* Summum Athenis magiſtratum geſſit Miltiades Olympiades LXIIII anno IIII; qui fuit annus urbis Romæ CCXXXII, regni Tarquinii Superbi XIII. Sed *alii* heic *barbari* intelligi potuerunt populi inter Vmbros Dauniosque incolentes. Cæterùm hos agros trans Apenninum montem, apud Hadriaticum mare, utrùm jam ab initio, an verò tum demum incolere cœperint Vmbri, quum à Pelaſgis finibus antiquis intra Apenninum pellerentur, incertum eſt. Ab lævâ tamen Tiberis ripâ intra Apenninum tenuiſſe eos jam ante Pelaſgorum in Italiam adventum agros, qui poſteà Sabinorum fuère, auctor eſt luculentiſſimus prædictus Dionyſius lib. I: ubi, recitatis in Reatino agro Aboriginum antiquiſſimis opidis, τὴν μὲν δὴ, inquit, πρώτην οἴκησιν Ἀβοριγῖνες ἐν τούτοις λέγονται ποιήσασθαι τοῖς τόποις, ἐξελάσαντες ἐξ αὐτῶν Ὀμβρικούς. Id eſt: *Has primas ſedeis, pulſis inde Vmbris, habuiſſe dicuntur Aborigines.* Et item lib. II; ubi ita ſcriptum eſt de Sabinis: Ζηνόδοτος δ᾽ ὁ Τροιζήνιος, συγγραφεὺς Ὀμβρικοῦ ἔθνους, αὐθιγενεῖς ἱστορεῖ τὸ μὲν πρῶτον οἰκῆσαι περὶ τὴν καλουμένην Ῥεατίνην· ἐκεῖθεν δὲ ὑπὸ Πελασγῶν ἐξελαθέντας, εἰς ταύτην ἀφικέσθαι τὴν γῆν, ἔνθα νῦν οἰκοῦσιν· καὶ μεταβαλόντας ἅμα τῷ τόπῳ τοὔνομα, Σαβίνους ἐξ Ὀμβρικῶν προσαγορευθῆναι. Id eſt: *Zenodotus Trœzenius, qui Vmbricæ gentis hiſtoriam conſcripſit, narrat, indigenas primùm in Reatino agro habitaſſe: & inde Pelaſgorum armis expulſos, veniſſe in terram, quam nunc incolunt: mutatoque cum ſedibus nomine, Sabinos pro Vmbris adpellatos.* Verùm hoc ſolus fortaſſe ita tradidit Zenodotus. reliquorum quidpe auctorum nemo Sabinos Vmbrorum fecit propaginem. è diverſo autem nos, Opicorum ſive Oſcorum eos fuiſſe progeniem, ſuprà lib. I cap. VI demonſtravimus. Idem Dionyſius prædicto lib. I paullo pòſt narrat, Pelaſgorum quosdam, Theſſaliâ pulſos, & ad Padi oſtia claſſe advectos, partem horum *Spinam* inibi locorum condidiſſe urbem; partem alteram mediterranea Italiæ petiiſſe. de quibus ita ſcribit: Οἱ δὲ διὰ τῆς μεσογείου τραπόμενοι, τὴν ὀρεινὴν τῆς Ἰταλίας ὑπερβαλόντες, εἰς τὴν Ὀμβρικῶν ἀφικνοῦνται χώραν, τῶν ὁμορούντων Ἀβοριγῖσι. πολλὰ δὲ καὶ ἄλλα χωρία ᾤκουν οἱ Ὀμβρικοί· καὶ ἦν τοῦτο τὸ ἔθνος ἐν τοῖς πάνυ μέγα τε καὶ ἀρχαῖον. Τὸ μὲν οὖν κατ᾽ ἀρχὰς ἐκράτουν οἱ Πελασγοὶ τῶν χωρίων, ἔνθα τὸ πρῶτον ἱδρύσαντο, καὶ πολισμάτια τῶν Ὀμβρικῶν κατελάβοντό τινα. συνελθόντος δὲ ἐπ᾽ αὐτοὺς μεγάλου στρατοῦ, δείσαντες τὸ πολεμίων τὸ πλῆθος, εἰς τὴν Ἀβοριγίνων ἀπιόντες τρέπονται. Οἱ μὲν Ἀβοριγῖνες ἅτε πολεμίοις ἐδόκουν

καὶ ἐν αὐτοῖς προσφέρεσθαι, καὶ συνῄεσαν ἐκ τῶν ἔγγιστα χωρίων διὰ τάχους, ὡς ἐξαναστήσοντες αὐτούς. οἱ δὲ Πελασγοὶ (τυγχάνουσι γὰρ ἐν τούτῳ τῷ χρόνῳ κατὰ δαίμονα περὶ Κοτύλην, πόλιν Ἀβοριγίνων, αὐλισάμενοι, πλησίον τῆς ἱερᾶς λίμνης) ὡς τήν τε νησῖδα τὴν ἐν αὐτῇ περιδινουμένην κατέμαθον, καὶ παρὰ τῶν αἰχμαλώτων, οὓς ἐκ τῶν ἀγρῶν ἔλαβον, ἤκουσαν τὸ τῶν ἐπιχωρίων ὄνομα, τέλος ἔχειν σφίσι τὸ θεοπρόπιον ὑπέλαβον. ὁ γὰρ ἐν Δωδώνῃ γενόμενος αὐτοῖς χρησμὸς, ὅν φησι Λεύκιος Μάμιος, ἀνὴρ οὐκ ἄσημος, αὐτὸς ἰδεῖν ἐπί τινος τῶν ἐν τῷ τεμένει τοῦ Διὸς κειμένων τριπόδων, γράμμασιν ἀρχαίοις ἐγκεχαραγμένον, ὧδ' εἶχε·

> Στείχετε μαιόμενοι Σικελῶν Σατορνίαν αἶαν,
> Ἠδ' Ἀβοριγινέων Κοτύλην, οὗ νᾶσος ὀχεῖται·
> Οἷς ἀναμιχθέντες, δεκάτην ἐκπέμψατε Φοίβῳ,
> Καὶ κεφαλὰς Κρονίδῃ, καὶ τῷ πατρὶ πέμπετε φῶτα.

Ἐλθοῦσι δὲ τοῖς Ἀβοριγῖσι σὺν πολλῇ στρατιᾷ, ἱκετηρίας οἱ Πελασγοὶ προτείνοντες, ὁμόσε χωροῦσιν ἄνοπλοι, φράζοντές τε τὰς ἑαυτῶν τύχας, καὶ δεόμενοι πρὸς φιλίαν δέξασθαι σφᾶς συνοίκους, οὐ λυπηροὺς ἐσομένους· ἐπεὶ καὶ τὸ δαιμόνιον αὐτοὺς εἰς τήνδε μόνην ἄγει τὴν χώραν· ἐξηγούμενοι τὸ λόγιον· τοῖς δὲ Ἀβοριγῖσι ταῦτα πυθομένοις ἐδόκει πείθεσθαι τῷ θεοπροπίῳ, καὶ λαβεῖν συμμαχίαν Ἑλληνικὴν κατὰ τῶν διαφόρων σφίσι βαρβάρων, πιεζομένοις τῷ πρὸς τοὺς Σικελοὺς πολέμῳ. Σπένδονταί γε δὴ πρὸς τοὺς Πελασγούς· καὶ διδόασιν αὐτοῖς χωρία, τῶν ἑαυτῶν ἀποδασάμενοι, τὰ περὶ τὴν ἱερὰν λίμνην· ἐν οἷς ἦν τὰ πολλὰ ἑλώδη, ἃ νῦν κατὰ τὸν ἀρχαῖον τῆς διαλέκτου τρόπον Οὐέλια ὀνομάζεται. Ἔπειτα μοῖρά τις αὐτῶν οὐκ ἐλαχίστη, ὡς ἡ γῆ πᾶσιν οὐκ ἀπέχρη, πείσαντες τοὺς Ἀβοριγῖνας συνάρασθαι σφίσι τῆς διεξόδου, στρατεύουσιν ἐπὶ τοὺς Ὀμβρικοὺς, καὶ πόλιν αὐτῶν εὐδαίμονα καὶ μεγάλην, ἄφνω προσπεσόντες, αἱροῦσι Κρότωνα· ταύτῃ φρουρίῳ καὶ ἐπιτειχίσματι κατὰ τῶν Ὀμβρικῶν χρώμενοι, κατεσκευασμένῃ τε ὡς ἔρυμα εἶναι πολέμου ἀποχρώντως, καὶ χώραν ἐχούσῃ τὴν πέριξ εὔβοτον. πολλῶν δὲ ἄλλων ἐκράτησαν χωρίων, τοῖς τε Ἀβοριγῖσι τὸν πρὸς τοὺς Σικελοὺς πόλεμον ἔτι συνεστῶτα πολλῇ προθυμίᾳ συνδιέφερον, ἕως ἐξήλασαν αὐτοὺς ἐκ τῆς σφετέρας. Καὶ πόλεις πολλὰς τὰς μὲν οἰκουμένας καὶ πρότερον ὑπὸ τῶν Σικελῶν, τὰς δὲ αὐτοὶ κατασκευάσαντες, ᾤκουν οἱ Πελασγοὶ κοινῇ μετὰ τῶν Ἀβοριγίνων· ὧν ἐστιν, ἥ τε Καιρητανῶν πόλις, καὶ Πίσαι, καὶ Σατορνία, καὶ Ἄλσιον, καὶ ἄλλαι τινές· ἃς ἀνὰ χρόνον ὑπὸ Τυρρηνῶν ἀφῃρέθησαν· Φαλέριον δὲ καὶ Φασκένιον ἔτι καὶ εἰς ἐμὲ ἦσαν οἰκούμεναι ὑπὸ Ῥωμαίων, μικρὰ ἄττα διασώζουσαι ζώπυρα τοῦ Πελασγικοῦ γένους, Σικελῶν ὑπάρχουσαι πρότερον. Hoc eſt: *At illi, qui mediterranea petierunt, ſuperatis Italiæ montibus, pervenerunt in Vmbriam Aboriginibus finitimam. Habitabant tunc Vmbri & alios multos Italiæ agros. eratqne ea gens cum primis antiqua & ampla. Igitur initio Pelaſgi occuparunt agros, in quibus primùm conſederunt; potiti quibusdam Vmbrorum opidulis. ſed quum adversùm eos conveniſſet ingens exercitus; territi hoſtium multidine, coutulerunt ſe in Aboriginum regionem. Hi decreverunt, eos, ut hoſteis, bello perſequi. ac mox è proximis locis confluxerunt celeriter, delendi eos animo. Pelaſgi, qui tum fortefortunà circa Cutyliam, Aboriginum urbem, prope ſacrum lacum ſtativa habebant, poſtquàm contemplati ſunt fluitantem in eo inſulam; & ex captivis, quas in agris intercegerant, audiverunt adpellationem eius regionis hominum; crediderunt, finem jam habere ſuum oraculum. namque apud Dodonam redditum eius reſponſum (quod L. Mamius, vir non obſcurus, ait ſe vidiſſe in Iovis templo, antiquis literis inſculptum uni ſacrorum tripodum) ſic habebat:*

> *Pergite quærentes Siculûm Saturnia rura,*
> *Atque Aboriginidem Cotylen, ubi ſe inſula vectat.*
> *Queis miſti, decimas Clario transmittite Phœbo;*
> *Atque Iovi capita, & transmittite lumina patri.*

Adventantibus autem cum magno exercitu Aboriginibus occurrunt Pelaſgi cum oleæ ramis, inermes ac ſupplices. expoſitisque ſuis caſibus, orant, uti recipiantur in amicitiam & partem ſedium, nequaquàm graves ipſis futuri: ſimulque interpretati oraculum, aiunt, ſe ad ea loca ſola deorum monitu delatos. His auditis, adſenſerunt Aborigines: quòd feſſis bello Siculo placeret Græca ſocietas contra infenſos ſibi barbaros. itaque cum Pelaſgis fœdus feriunt; & partem agrorum eis adſignant circa ſacrum lacum: quorum pleraque erant paluſtria; dicta nunc priſco linguæ more Velia. Eorum deinde bona pars, quum accepti agri omnibus non ſufficerent, Aboriginibus in expeditionem adſcitis, bello Vmbros adgrediuntur: & urbem eorum florentem ac magnam, Crotonem, repentino incurſu capiunt. qua mox pro arce belli contra hoſtem uſi ſunt: quòd & ſatis munita eſſet, & agrum circumquaque haberet paſcuis aptum. Alia quoque loca compluria in poteſtatem ſuam redegerunt, & Aboriginibus contra Siculos promptam præſtiterunt operam; donec eos ejecerunt ſuis ſedibus.

In his

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

In his multa opida, partim antè ab Siculis habitata, partim recèns à ſe condita, tenuerunt indiviſa inter ſe gentes ſociæ Pelaſgi & Aborigines. ex quibus ſunt, Cære, Piſa, Saturnia, Alſium, & quædam alia; quæ poſtmodùm à Tuſcis occupata ſunt. Falerium verò & Faſcennium, etiam meo tempore à Romanis habitata, parvas quasdam ſcintillas ſervant Pelaſgici generis; quum anteà Siculorum fuerint. Patet igitur ex hactenus citatis, Vmbros jam tum partem agrorum ſuorum habuiſſe inter mare Hadriaticum & lævam Tiberis ripam. nam quòd ait πολλὰ δὲ καὶ ἄλλα τῆς Ἰταλίας χωρία ᾤκουν οἱ Ὀμβρικοὶ, id eſt, *multa etiam alia Italiæ loca incolebant Vmbri*; id de Transtiberinâ Vmbriâ, quam poſtmodùm Tuſci incoluerunt, intelligendum eſt. In hac equidem Dionyſius omnem oram maritimam ait Siculos tunc tenuiſſe, opidaque in eâ *Piſam*, *Alſium*, & paullum à mari recedens *Cære*; intus verò in mediterraneo *Saturniam*, *Falerium*, *Faſcennium*. at Plinius, dicto lib. III cap. V de universâ inter Macram & Tiberim Etruriâ loquens, *Vmbros inde exegêre*, inquit, *Pelaſgi; hos Tyrrheni:* nullâ prorſus Siculorum factâ mentione. & Herodotus quoque lib. I, ubi Tyrrhenos, è Lydiâ profectos, in Italiam perveniſſe tradit, ἔθνεα πολλὰ ait παραμειψαμένους, ἀπικέσθαι ἐς Ὀμβρικοὺς, καὶ ἔνθα σφέας ἐνιδρύσασθαι πόλιας· id eſt, *varias genteis prætervectos, tandem ad Vmbros perveniſſe; ibique urbeis condidiſſe.* Vmbrorum autem fineis intellexit Herodotus apud inferum mare; ut reliqui auctores omnes, qui Tyrrhenorum genus à Lydis deducunt. quod & ipſum ſic ex antiquiſſimis referre monumentis Dionyſium eodem lib. I, ſuprà cap. I huius libri II monui. Hinc antiquus poëta Lycophron, de eisdem Tyrrhenis loquens:

Αὖθις δὲ κίρκοι, Τμῶλον ἐκλελοιπότες
Κίμψον τε καὶ χρυσεργὰ Πακτωλοῦ ποτὰ,
Ἄγυλλαν Αὐσονῖτιν εἰσεκώμασαν,
Δεινὴν Λιγυστίνοισι, τοῖς τ' ἀφαίματος
Ῥίζαν γιγάντων Σιθώνων κεκτημένοις,
Λόγχης ἐν ὑσμίνῃσι μίξαντες πάλην·
Εἷλον δὲ Πῖσαν, καὶ δορύκτητον χθόνα
Πᾶσαν κατεργάσαντο, τὴν Ὀμβρων πέλας.

Hoc eſt:

Deinde accipitres, Tmolum deſerentes
Cimpſumque & auriflua Pactoli fluenta,
In Agyllam Italicam irruerunt;
Gravem cum Liguribus, & à ſangvine
Gigantum Sithoniorum ſtirpem ducentibus
Belli conflictu miſcentes pugnam.
Ceperunt autem Piſam; captivamque terram
Omnem ſubegerunt prope Vmbros ſitam.

Haud ita obſcurè ſanè terminum heic ſtatuit inter Vmbros Liguresque Arnum flumen, cui urbs *Piſa* impoſita: Potuerunt itaque Siculi, quorum primam ſedem fuiſſe apud lævam Tiberis ripam in Latio & Sabino agro, infrà lib. III cap. I oſtendetur, proxima Vmbrorum opida *Falerium* & *Feſcennium* aliquando occupaſſe; ex quibus poſteà pulſi ſunt ab Aboriginibus ſimul atque Pelaſgis: ſed omnem oram maritimam, ab Tiberi ad Arnum usque, non item. Ipſos Vmbros à Pelaſgis his agris intra Apenninum multis ſæculis ante bellum Troianum pulſos fuiſſe, ſuprà cap. I huius libri II patuit. Hinc Diodorus lib. XIIII: Τοὺς δὲ Τυῤῥηνοὺς ἔνιοί φασιν ἀπὸ τῶν ἐν Τυῤῥηνίᾳ δώδεκα πόλεων ἀποικισθῆναι· τινὲς δέ φασι Πελασγοὺς, πρὸ τῶν Τρωϊκῶν ἐκ Θετταλίας φυγόντας τὸν ἐπὶ Δευκαλίωνος γενόμενον κατακλυσμὸν, ἐν τούτῳ τῷ τόπῳ κατοικῆσαι. Id eſt: *Tyrrhenos nonnulli è XII Tyrrheniæ opidis eò deductos tradunt: alii Pelaſgos aiunt, ante belli Troiani tempora Deucalionis diluvium è Theſſaliâ fugitanteis, heic conſediſſe.* Deucalionis diluvium idem quidem eſſe, quod Noaci temporibus accidiſſe ſacræ nos docent literæ, Germaniæ lib. I cap. XXXII oſtendi. at Græci poſteà chronologi id iis temporibus ſtatuerunt, quæ annis CIↃ IↃ XIII Ieſu Chriſti nativitatem anteceſſerunt; id eſt, in annum Orbis conditi CIↃ CIↃ CCCC XXXVII; ut infrà prædicto lib. III cap. I oſtendetur. Neminem mortalium tunc aquarum cladem effugiſſe, præter eos, qui cum Noaco in arcâ ad id conſtructâ incluſi fuêre, quamvìs conſtet; tamen ex iſtâ traditione antiquitas gentis Vmbricæ ſimulque Pelaſgorum è Theſſaliâ in Ita-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

in Italiam migrationis ſatis clarè adparet. Apud Marcianum Heracleenſem in Περιηγήσει vulgatis exemplaribus ita legitur:

Μετὰ τὴν Λιγυστικὴν Πελασγοὶ δ' εἰσὶν, οἱ
Πρότερον κατοικίσαντες ἐκ τῆς Ἑλλάδος,
Κοινὴν δὲ Τυῤῥηνοῖσι χώραν νεμόμενοι.
Τυῤῥηνίαν δ' ὁ Λυδὸς Ἄτυος ἔκτισεν
Τυῤῥηνὸς, ἐπὶ τοὺς Ὀμβρικοὺς ἐλθών ποτε.
Εἰσὶ δ' ἐπάνω μὲν τῶν Πελασγῶν Ὀμβρικοὶ,
Οὓς ᾤκισεν ὁ 'κ Κίρκης Ὀδυσσεῖ γενόμενος
Λατῖνος· Αὔσονές τε μεσόγειον τόπον
Ἔχοντες, Αὔσων οὓς συνοικίσαι δοκεῖ,
Ὀδυσσέως παῖς καὶ Καλυψοῦς γενόμενος.
Ἐν τοῖς ἔθνεσι τούτοις δὲ Ῥώμη 'στὶ πόλις,
Ἔχουσα ἐφάμιλλον τῇ δυνάμει καὶ τοὔνομα,
Ἄστρον τι κοινὸν τῆς ὅλης οἰκουμένης·
Ἐν τῇ Λατίνῃ Ῥωμύλον δ' αὐτὴν κτίσαι,
Θέμενον ἀφ' αὑτοῦ, φασὶ, τοὔνομα.
Μετὰ δὲ Λατίνους ἐστὶν ἐν Ὀπικοῖς πόλις,
Τῆς λεγομένης λίμνης Ἀόρνου πλησίον,
Κύμη.

Hoc eſt:

Poſt Liguriam ſunt Pelaſgi: qui
Quondam huc transmigrarunt è Græciâ:
Communem autem cum Tyrrhenis regionem incolunt.
Tyrrheniam Lydus, Atyis filius, condidit
Tyrrhenus, ad Vmbros quondam delatus.
Sunt autem ſupra Pelaſgos Vmbri:
Quos condidit ex Circe Vlyſſi prognatus
Latinus. tum Auſones, mediam regionem
Tenentes: quos Auſon condidiſſe putatur,
Vlyſſis Calypsûsque filius.
In his gentibus Roma eſt urbs,
Par potentiæ habens nomen;
Sidus commune totius terrarum Orbis.
In Latino agro Romulum hanc condidiſſe
Ferunt: impoſito ei de ſuo nomine vocabulo.
Poſt Latinos eſt in Opicis urbs,
Prope Avernum lacum,
Cuma.

Mirum ſanè, quòd ait *Latinum* conditorem originemque eſſe gentis *Vmbrorum*: mirum item, quòd ait in Vmbris ſimul & Auſonibus eſſe Romam: mirum, quòd dicit poſt Latinos eſſe Opicos; quum antè Latinorum non memoraverit ſitum. Verùm ego cenſeo, interiſſe unum vel plureis verſus, quibus ſignificabatur, poſt Vmbros eſſe Latinos; ut totum hoc Marciani opus innumeris damnis ab exſcriptoribus adfectum eſt. quamquàm ipſe Marcianus haud perinde exactus eſt geographus; ferè aliàs etiam, uti heic, vetuſtiſſima noviſſimis commiſcens. Cæterùm Vmbros eam agri partem, quam trans Apenninum inter Padum & Anconam coluêre, tum demum, expulſis inde neſcio quibus populis, occupaſſe, quum agris citra Apenninum à Pelaſgis pellerentur; documento fortè fuerit opidum *Camerinum*: cuius incolæ, ut infrà oſtendetur, dicebantur *Camertes*. quidpe quum intra Apenninum urbs Etruſcorum Cluſium antiquiſſimo nomine, ut ſuprà didicimus, adpellata fuerit *Camers*, eiusque incolæ *Camertes*; haud perinde vano hinc argumento colligas, Vmbros inde pulſos, & ſedem & priſcam adpellationem tunc primùm trans Apenninum tuliſſe. Fineis igitur Vmbri jam inde aliquot ante Troiana bella ſæculis habuêre iſtos: Ab ſeptemtrionibus Apenninum montem, ad Peſciæ usque amnis fontem, qui inter Lucam & Piſtoriam in dextram Arni ripam defluit; ut ſuprà cap. I huius libri II diximus: inde ab occaſu Solis, quà Ligures erant contermini, ipſos Peſciam & Arnum: à meridie mare Inferum. ab Solis ortu Tiberim, ad confluentem

usque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

usque fortaſſis Farfari amnis: & hinc ipſum Farfarum, lineamque ab fonte eius ad Apenninum, quà ex ulteriori eius latere Aterni fluminis (id nunc vocatur *Peſcára*) fontes erumpunt, ductam. His finibus poſteà adjecti ſunt trans Apenninum montem, ab occaſu Saternus fluvius: ab ſeptemtrionibus citimus Padi alveus & oſtium, tum mare Superum: ab ortu Aeſis amnis, ad opidum usque vulgò *S. Quirico* dictum; inde linea ad fonteis Naris, qui nunc eſt *Nera*, ducta. nam ab orientali huius lineæ latere *Cingulum* & *Septempedam*, quæ nunc vulgò dicuntur *Cingolo* & *S. Severino*, fuiſſe Picentium; ab occidentali verò latere Vmbrorum fuiſſe *Matelicam* & *Camerinum*, quæ nomina eadem retinent; infrà patebit. Hoc terrarum ſpacio inter inferum ſuperumque mare *trecenta* illa puto fuiſſe *eorum opida*; quæ Plinius ſuprà dicto lib. III cap. XIIII *à Tuſcis debellata* tradit. Verùm illo trans Apenninum agro circa annum urbis Romæ CCCLVIIII, ut ſuprà lib. I cap. XXII docui, pulſi ſunt à Senonibus Gallis. qui eum tenuêre ad annum usque urbis Romæ CCCCLXIII & M'. Curii Dentati ac P. Cornelii Rufini conſulatum; in quo à Romanis Senones exciſi ſunt; ut eiusdem libri cap. XXVIIII oſtenſum. Poſt annos tandem LVIII idem ager viritim populo Romano diviſus eſt, M. Aemilio Lepido & M. Publicio Malleolo conſulibus; ſimulque *Piceni* nomini attributus: quamquàm *Gallici agri* titulus in eo communi ac vulgari uſurpatione evaluerit: ut eodem cap. XXVIIII demonſtratum eſt. Reſtitutum poſteà fuiſſe *Vmbriæ* titulo, è Strabonis Siliique ſuprà ſcriptis teſtimoniis adparet. & Plinius dicto lib. III cap. XIIII ita ſcribit, poſt abſolutam Picentium agri expoſitionem: *Iungitur his Sexta regio, Vmbriam complexa agrumque Gallicum circa Ariminum. Ab Anconâ Gallica ora incipit, Togatæ Galliæ cognomine. Siculi & Liburni plurima eius tractus tenuêre; in primis Palmenſem, Prætutianum, Hadrianumque agrum. Vmbri eos expulêre: hos Etruria: hanc Galli. Vmbrorum gens antiquiſſima Italiæ exiſtimatur; ut quos Ὀμβρίους à Græcis putent dictos, quòd inundatione terrarum imbribus ſuperfuiſſent. Trecenta eorum opida Tuſci debellaſſe reperiuntur. Nunc in orâ flumen Aeſis, Senogallia, Metaurus fluvius, colonia Fanum Fortunæ, Piſaurum, cum amne. & intus Hiſpellum, Tuder: de cætero Amerini, Attidiates, Aſſiſinates, Arnates, Aeſinates, Camertes, Caſuentini, Carſulani, Dolates, cognomine Salentini, Fulginates, Foroflaminienſes, Forojulienſes, cognomine Concubienſes, Forobremitiani, Foroſempronienſes, Inguvini, Interamnates, cognomine Nartes, Mevanates, Mevanienſes, Matilicates, Narnienſes; quod opidum Nequinum anteà vocatum eſt: Nucerini, cognomine Favonienſes, & Camellarii; Ocriculani, Oſtrani, Pitulani, cognomine Piſuertes, & alii Mergentini, Paleſtini, Sentinates, Sarſinates, Spoletini, Suaſani, Seſtinates, Suillates, Tardinates, Trebiates, Tuſicani, Tifernates, cognomine Tiberini, & alii Metaurenſes, Veſionicates, Vrbinates, cognomine Metaurenſes, & alii Hortenſes: Vettonienſes, Vindinates, Viventani.* En, ut diſertè omnem Sextam Italiæ regionem uni tribuit *Vmbrorum* nomini: nempe, non modò opida, quæ erant cis Apenninum ad Sabinorum usque fineis; ſed & illa trans Apenninum; *Sarſinam, Seſtinum, Tifernum Metaurenſe, Vrbinum, Forum Sempronii, Sentinum, Suaſam, Oſtram, Aeſium, Matilicam, Pitulum, Camerinum*: & in orâ, *Aeſim flumen, Senogalliam, Metaurum fluvium, Fanum Fortunæ, Piſaurum*. At initio huius capitis nimio compendii ſtudio varias diverſasque res mirificè inter ſe confudit. quidpe ex iſthac oratione facilè quis imperitus credat, & Galliam Togatam omnem incluſam fuiſſe eâdem orâ, qua iſte *Gallicus* eius *ager* inter Anconam & Ariminum; & item Palmenſem ac Prætutianum Hadrianumque agros, quos ipſe capite præcedenti memorat in Piceno, fuiſſe in hac eius Togatâ Galliâ: tum Etruſcos quondam hunc tractum incoluiſſe; opidaque in eo Vmbrorum CCC debellaſſe. Siculos Anconam condidiſſe, ipſe teſtatur Plinius capite præcedenti. Syracuſanos fuiſſe, Dionyſii tyrannidem fugienteis, auctor eſt Strabo lib. V. At quomodò, quæſo, Siculos ab hac orâ ejecerunt Vmbri, Vmbros verò Tuſci, Tuſcos tandem Galli; ſi tyrannidem Syracuſis occupavit Dionyſius XVIII haud ampliùs annis ante Romam à Senonibus captam; Senones autem hanc oram tenuerint antequàm Romam caperent. Nec Liburni ſcio an umquàm hanc oram inter Aeſim Ravennamque incoluerint; unde eos ejecerint poſteà Vmbri; ipſi à Pelaſgis pulſi ex agris inter Apenninum, Tiberim & inferum mare. quidpe *in primis Palmenſem, Prætutianum, Hadrianumque agrum eos tenuiſſe*, teſtatur Plinius. Sed *Togatæ Galliæ* nomen quàm amplis finibus diſperſum fuerit,

fuerit, ſuprà lib. I cap. XXII oſtenſum eſt. Ea quum ab Anconâ, ſive Aeſi flumine inceperit, eam rem heic indicare cupiens Plinius; non modò partem Piceni, ſed & omnem Vmbriam poſteriorem ita mentioni eius ſubjicit, uti in ipsâ Togatâ Galliâ eas fuiſſe ignaris videri poſſit. Conſimili modo, quum Vmbri antiquiſſimis temporibus ad utrumque mare fineis extenſos habuerint; ab infero autem mari eos pepulerint Pelaſgi, ad quos poſteà commigrarunt Tuſci: ille ab ſupero mari ejectos ait Vmbros fuiſſe ab Tuſcis; trecentis illic opidis illorum debellatis: Tuſcos porrò pulſos inde ab Gallis. qui & ipſi huic narrationi nullâ aliâ occaſione inſerti, niſi quôd Tuſcos illi è regione Circumpadanâ, id eſt, è Togatâ Galliâ pepulerant. Sed de hisce Plinii erroribus, ſeu nimio brevitatis ſtudio ſatis. Cæterùm cap. V eiusdem libri III Campananiam quoque aliquando incoluiſſe Vmbros tradit, his verbis: *Opidum Sinueſſa; extremum in adjecto Latio. Hinc felix illa Campania eſt*. Et mox decantatis eius laudibus: *Et hoc quoque certamen humanæ voluptatis tenuêre Oſci, Græci, Vmbri, Tuſci, Campani*. Sanè nec alius quisquam hoc de Vmbris tradit auctor, nec ego diſpicere queo, qua ratione aut quibus temporibus Campaniæ invecti fuerint; præſertim poſt Græcos. etenim Tuſci claſſibus, quibus valebant, hanc oram quondam occuparunt. Quapropter hoc quoque haud perinde diligenter à Plinio adnotatum crediderim.

Fines tandem poſterioris Vmbriæ ſub Romanorum imperio fuêre iſti: Ab ortu Solis, quà Picentibus jungebantur, Aeſis fluvius, ad opidum usque vulgò *S. Quirico* dictum; & inde linea ad fontem Naris ducta. A meridie ipſe Nar amnis ad Velini usque confluentem ſeparabat eos à Sabinis; quorum opidum fuit *Nurſia*, vulgò nunc *Norcia* dictum. à dicto confluente ſubmovebat eosdem Sabinos, primùm linea, dein amniculus, qui apud *Vacunam* opidum exortus, paullo infra *Ocriculum*, Vmbrorum opidum, in Tiberim confluit. Ab occaſu inter Vmbriam & Etruriam terminus erat ipſe Tiberis; ad locum usque medium inter duo opida, quibus vulgares nunc adpellationes *Città di Caſtello* & *Borgo di S. Sepolcro*: quorum hoc olim fuiſſe Plinii Iunioris villam *Tuſcos*, in extremo Etruriæ fine, ſuperiori capite oſtenſum; hoc verò fuiſſe *Tifernum Tiberinum*, Vmbrorum opidum, infrà patebit. ab eo loco terminus porrò erat inter Tuſcos Vmbrosque Apenninus mons, ad Arni usque fonteis. inde Galliam Togatam ab Vmbriâ discernebat, primùm *Vtis* ſive *Vtens* amnis, qui nunc vulgò dicitur *Montone* inferiore ſui parte, ſuperiori autem *Fagnone*: mox à ripâ eius, quà opidum eſt *La Rocca*, ad Rubiconis, qui vulgò nunc dicitur *Rucone*, fonteis ducta; & hinc ipſe Rubico. namque *Sarſinam* opidum fuiſſe Vmbrorum, paullo antè è Plinio intelleximus. eorumdemque fuiſſe *Mevaniolam*, in ripâ Bedeſis amnis, quæ nunc vulgò dicitur *Galeata*, proximo hinc capite intelligemus. *Cæſenam* verò & reliqua, quæ à Rubicone verſùs occaſum ſequuntur, Togatæ Galliæ titulo fuiſſe attributa ſub Romanorum imperio, ſuprà lib. I cap. XXVIII oſtenſum eſt. Ab ſeptemtrionibus Vmbria finiebatur mari Hadriatico. His igitur finibus incluſa fuêre Vmbrorum opida, quæ Plinius ſuprà ſcripto loco recenſet. cum quo conſentiens Silius, ſuprà dicto lib. VIII ita canit: VMBRIAE fines.

Sed non ruricolæ firmarunt robore caſtra
Deteriore, cavis venientes montibus Vmbri.
Hos Aeſis Sapisque lavant, rapidasque ſonanti
Vortice contorquens undas per ſaxa Metaurus:
Et lavat, ingentem perfundens flumine ſacro
Clitumnus taurum: Narque albeſcentibus undis
In Tiberim properans: Tiniæque inglorius humor:
Et Clanis; & Rubico; & Senonum de nomine Sena.
Sed pater ingenti medios inlabitur amne
Albula; & immotâ perſtringit mœnia ripâ.
His urbes, Arna, & latis Mevania pratis;
Hiſpellum, & duro monti per ſaxa recumbens
Narnia; & infeſtum nebulis ingentibus olim
Iguvium; patuloque jacens ſine mœnibus arvo
Fulginia. his populi fortes, Amerinus, & armis

Vel caſtris laudande Camers: his Sarſina, dives
Lactis; & haud parci Martem coluiſſe Tudertes.

In his ut cætera ſatis ſunt plana, ſic illud mirandum, quòd Vmbrorum finibus *Clanim* amnem adnumerat; *Albulamque*, id eſt, Tiberim, *medios Vmbros inlabi* tradit: quum jam multis ſæculis ante bella Punica Etruriæ Vmbriæque diſcrimen fuerit Tiberis; ut ſuperiori capite in expoſitione Peruſiæ, Cortonæ, & Arretii, urbium intellectum; quas in numero XII principum Etruriæ urbium fuiſſe, oſtendimus. At è diverſo Dionyſius Περιηγήτης per medium Latium fluere Tiberim tradidit his verſibus:

Αὐτόθι νηήσαντο σὺν ἀνδράσι Τυῤῥηνοῖσι.
Τοῖς δ' ἔπι μέρμερον ἔθνος ἀγαυῶν ἐστι Λατίνων,
Γαῖαν ναιετάοντες ἐπήρατον· ἧς διὰ μέσσης
Θύμβρις ἑλισσόμενος καθαρὸν ῥόον εἰς ἅλα βάλλει.

Hoc eſt:

Illic habitarunt cum viris Tyrrhenis.
Poſt hos autem ſagax gens inluſtrium eſt Latinorum,
Terram incolentes amœnam; quam per mediam
Thymbris tractus limpidum fluentem in mare mittit.

Verùm Dionyſium, credo, unam heic magis reſpexiſſe urbem Romam, quàm omne reliquum Latium. illa quidpe trans Tiberim in Etruſco ſolo quaſi partem ſui corporis habebat Ianiculum. Silius verò, niſi antiquam heic Vmbriam innuere voluit, quæ ab utrâque fuit Tiberis ripâ latè extenſa; ſanè poëticâ uſus eſt licentiâ: quum ipſe mox poſteà *Cortonam* urbem Etruſcis adſcribat. Sed *Sapin* etiam amnem, qui inter Rubiconem & Ravennam vulgò hodiè vocatur *Savio*, ex antiquiore illâ inter Saternum Aeſimque fluvios Vmbriâ deſumpſit: niſi unam fortè *Sarſinam*, apud lævam eius ripam poſitam, reſpexit.

De cætero Ptolemæus, & ipſe vetuſtiſſima noviſſimis plerumque commiſcens, extra Togatam Galliam à Rubicone ad Aeſim usque opida maritima *Ariminum*, *Piſaurum*, *Fanum Fortunæ*, *Senogalliam*, & in mediterraneis *Oſtram* atque *Suaſam*. *Senonum Gallorum* adſcribit nomini. inde verò *Aeſim* & *Forum Sempronii*, *Sentinum*, *Camerinum*, mediterranea itidem opida inter Apenninum & mare Hadriaticum, quæ nunc vulgò dicuntur *Foſſombrone*, *Ieſi*, *Sentino*, *Camerino*, Vmbris cum cæteris intra Apenninum opidis attribuit. Vniverſam autem Vmbriam in neſcio quæ haud alibi lecta *Vilumbrorum* & *Olumbrorum* vocabula diſtinxit. Ὀλομβρῶν, inquit, οἵ εἰσιν ὑπὲρ τοὺς Τούσκους, πόλεις, Πιτῖνον, Τίφερνον, Φόρος Σεμπρωνίου, Ἰγούιον, Αἶσις, Τούφικον, Σεντῖνον, Αἰσίσιον, Καμαρῖνον, Νουκερία. Οὐϊλομβρῶν, οἵ εἰσιν ἀνατολικώτεροι Ὀλομβρῶν, Ἄρνα, Ἴσπελλον, Τοῦδερ, Φόρος Φλαμινίου, Σπολήτιον, Μηουανία, Ἀμερία, Ναρνία, Ὀκρίκολον. Σαβίνων, οἵ εἰσιν ἀνατολικώτεροι Οὐϊλομβρῶν, πόλις Νουρσία. Id eſt: *Olumbrorum, qui ſuper Tuſcos incolunt, opida ſunt, Pitinum, Tifernum, Forum Sempronii, Iguvium, Aeſis, Tuficum, Sentinum, Aeſiſium, Camarinum, Nuceria. Vilumbrorum autem, qui orientaliores ſunt Olumbris, Arna, Hiſpellum, Tuder, Forum Flaminii, Spoletium, Mevania, Ameria, Narnia, Ocriculum. Sabinorum, qui Vilumbris orientaliores, opidum eſt Nurſia.* Ex poſitione autem ſingulorum opidorum haud perinde obſcurè adparet, terminum inter utroſque eum voluiſſe Apenninum montem. quidpe, præter unum *Aeſiſium*, reliqua iſta, quæ *Olumbris* tribuit, *Tifernum*, *Iguvium*, *Nuceria*, ad radices Apennini poſita ſunt. Verùm quia hoc ita ſolus, ut dixi, habet Ptolemæus, Græcus ab Aegypto homo; planè incertum eſt, utrùm ſatis ſana atque incorrupta ea ſint vocabula, nec ne. Finibus igitur univerſo, quantum ſub Romanorum fuerit imperio, Vmbrorum nomini circumſcriptis; nunc ſingula eorum loca, opida, ac flumina, antiquis memorata ſcriptoribus, expediantur.

CAP.

Cap. V.

De opidis fluminibuſque VMBRIAE *maritimis.*

AB *Rubicone* igitur amne, quem ſuprà lib. I. cap. XXVII quàm curatiſſimè deſcripſi, primum eſt ARIMINVM *opidum* perantiquum, cum *amnibus*, ut inquit Plinius lib. III cap. XV, *Arimino* & *Aprusâ*. Opidum hodiè vulgò vocatur *Rimino & Rimini*; item *Rimano*, *Rimani*. Simplicitate id primò factum vulgi; quum primam literam *A* præpoſitionis loco præmitti putarent. quod pluribus aliis etiam Italiæ opidis accidit. Memoratur *Ariminum* Polybio, Cæſari, Ciceroni, Velleio, Straboni, Melæ, Plinio, Lucano, Plutarcho, Tacito, Appiano, Floro, Livii epitomatori, Ptolemæo, Dioni, Itinerariis antiquis, Feſto, Eutropio, Procopio, Zoſimo, Stephani breviatori, & aliis. Mela lib. II cap. IIII: *A Pado ad Anconam tranſitur Ravenna, Ariminum, Piſaurum, Faneſtris colonia, flumen Metaurus atque Aeſis.* Adverſo autem inceſſu Ptolemæus: Σενόνων, Αἴσιος ποταμοῦ ἐκβολαὶ, Σῆνα Γάλλικα, Φάνον Φορτοῦνας, Πίσαυρον, Ἀρίμινον. Βοΐων Γαλλῶν, Ῥουβίκωνος ποταμοῦ ἐκβολαὶ, Ῥάβεννα. Id eſt: *Senonum; Aeſis fluvii oſtium, Sena Gallica, Fanum Fortunæ, Piſaurum, Ariminum. Boiorum Gallorum; Rubiconis amnis oſtium, Ravenna.* Cicero Familiar. lib. XVI epiſt. XII, de Cæſare: *Ariminum, Piſaurum, Anconam, Arretium occupavit.* Appianus Civil. bellor. lib. II, de eodem Cæſare: Ἀρίμινον αἱρεῖ περὶ ἕω. Id eſt: *Ariminum primâ luce occupat.* Idem & Plutarchus narrat in Pompeio atque Cæſare. & item Florus lib. IIII cap. II: *Prima Arimini ſigna cecinerunt.* Dio lib. XLI: Ἐς Ἀρίμινον ἦλθεν. *Ariminum venit.* Lucanus lib. I:

> *Vicinumque minax invadit Ariminum: & igneis*
> *Solis Lucifero fugiebant aſtra relicto:*
> *Iamque dies primos belli viſura tumultus*
> *Exoritur.*

Nomen non dubiè ab amne, quo occidentale eius latus abluitur, habuit. is quidpe, ARIMINVS *amnis.* Plinio teſte, ARIMINVS olim adpellabatur; quum nunc ſit vulgari vocabulo *Marecchia*. Et Stephani breviator; Ἀρίμινον, πόλις Ἰταλίας. ἔστι καὶ ποταμός. Id eſt: *Ariminum, opidum Italiæ. eſt & amnis.* Sed diſertè id adſeverat Pompeius Feſtus. *Ariminum*, inquit, *à nomine fluminis propinqui eſt dictum.* Opidani eius compluribus antiquis inſcriptionibus & Ciceroni in Verrinâ I, item in oratione pro A. Cæcinâ, Livióque lib. XXVII, ARIMINENSES. Hinc Horatius quoque, Ἐπῳδῶν odâ V, *Ariminenſem* quemdam nominat *Foliam*. & Plinius lib. X cap. XXI, *Invenitur*, inquit, *in annalibus, in Ariminenſi agro, M. Lepido Q. Catulo conſulibus, in villâ Gallerii loquutum gallinaceum.* Et Feſtus: *Trachali adpellantur muricum ac purpuræ ſuperiores partes. unde Ariminenſes, maritimi homines, cognomen traxerunt Trachali.* Originem urbis adnotavit Strabo lib. V: Τὸ δ' Ἀρίμινον, inquit, Ὀμβρικῶν ἐστι κατοικία, καθάπερ καὶ ἡ Ῥάβεννα. δέδεκται δ' ἐποίκους Ῥωμαίους ἑκατέρα. ἔχει δὲ τὸ Ἀρίμινον λιμένα, καὶ ὁμώνυμον ποταμόν. Id eſt: *Ariminum Vmbrorum eſt colonia; ſicuti & Ravenna. utraque poſteà Romanos accepit colonos. Ariminum habet portum & amnem cognominem.* Ergo Vmbri eam habitarunt antè, quàm Senones Galli in hunc agrum ingruerunt. namque Romani coloniam eò deduxerunt XXII annis pòſt, quàm Gallos inde ejecerant. Breviator Livii lib. XI: *Curius Dentatus conſul, Samnitibus cæſis, & Sabinis, qui rebellaverant, victis, & in deditionem acceptis, bis in eodem magiſtratu triumphavit. coloniæ deductæ ſunt, Caſtrum, Sena, Hadria.* Omnes in hoc Hadriatico fuêre ſinu: *Sena* in Senonum orâ; reliquæ duæ in Piceno. Idem auctor lib. XV: *Picentibus victis pax data. coloniæ deductæ, Ariminum in Piceno, Beneventum in Samnio.* Agrum hunc, Senonibus inde exciſis, *Piceni* titulo fuiſſe attributum, ſuperiori capite dixi. Hinc Eutropius lib. II: *Q. Ogulnio C. Fabio Pictore conſulibus, Picentes bellum commovêre; & ab inſequentibus conſulibus, P. Sempronio & Ap. Claudio, victi ſunt. conditæ à Romanis civitates, Ariminum in Galliâ, & Beneventum in Samnio.* Non ipſas tunc demum civitates, id eſt, urbeis, condiderunt: ſed *colonias* tantùm deduxerunt. nam Beneventum quoque inter primas Italiæ antiqua fuit. Igitur rectiùs Velleius Paterculus lib. I: *Sempronio Sopho & Appio, Cæci filio, conſuli-*

Margin note beside the first paragraph: ARIMINVM *colonia.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

conſulibus, Ariminum miſſi coloni. Annus hic fuit ab urbe Româ conditâ CCCCLXXXV; ante natum Ieſum CCLXVIII. At M' Curio Dentato & P. Cornelio Rufino conſulibus, id eſt, anno urbis Romæ CCCCLXIII, ejectos fuiſſe Senones hac orâ, ſuprà lib. I cap. XXVIII oſtenſum eſt. Sed variat heic haud modicè Olympiadum ἀνώνυμος ſcriptor; qui ita habet: Ὀλυμπιάδος ρκς' ἔτει δ' Ῥωμαῖοι εἰς Ἀρίμινον καὶ Βενέβεντον ἀποικίας ἀπέστειλαν. Id eſt: *Olympiadis* CXXVI *anno* IIII *Romani Ariminum ac Beneventum colonias miſerunt.* Sanè Olympiadis CXXVIII anno primo conſules fuêre P. Sempronius Sophus & Ap. Claudius Craſſus. *Colonia* hunc adpellatur in aliquot lapidibus, qui heic adſervantur; & *Ordo Ariminenſium*, & *Cives Ariminenſes.* Et Plinius dicto lib. III cap. XIIII, *Ariminum*, inquit, *colonia, cum amnibus Arimino & Aprusâ.* Item Cicero in dictâ oratione pro A. Cæcinâ: *Sylla ipſe ita tulit de civitate, ut non ſuſtulerit eorum nexa atque hereditates. jubet enim eodem jure eſſe, quo fuerint Ariminenſes. quos, quis ignorat, duodecim coloniarum [jure] fuiſſe; & à populo Romano hereditates capere potuiſſe.* Plutarchus in Cæſare τῆς Κελτικῆς μεγάλην adpellat πόλιν· id eſt, *magnam Galliæ urbem:* Zoſimus etiam lib. V, quum Alaricus, Gothorum rex, circa annum Chriſti CCCLVII in Italiam veniret, πόλιν τῆς Φλαμινίας μεγάλην, *urbem Flaminiæ magnam.* Et Appianus Bellor. civil. lib. IIII inter Italiæ præcipuas recenſet, quum nova eò colonia à triumviris, C. Octavio, M. Antonio & M. Lepido, deſtinaretur. Ἐπελπίσαι δὲ, inquit, ἤδη τὸν στρατὸν ἔδοξεν ἐς τὰ νικητήρια τοῦ πολέμου ἄλλαις τε δωρεαῖς, καὶ ἐς κατοικίαν δόσεσι τῶν Ἰταλικῶν πόλεων ὀκτωκαίδεκα, αἳ καὶ περιουσίᾳ καὶ ἐδάφει καὶ οἴκοις εἰς κάλλος διαφέρουσι, ἔμελλον αὐτοῖς ἐδάφεσι καὶ οἴκοις αὐτοῦ διανεμήσεσθαι, ὥσπερ αὐτοῖς ἀντὶ τῆς πολεμίας δορύληπτοι γενόμενοι. καὶ ἦσαν αἱ πόλεις ἄλλαι τε καὶ αἱ περιφανέσταται μάλιστα αὐτῶν, Καπύη, καὶ Ῥήγιον, καὶ Οὐενουσία, καὶ Βενεβεντὸς, καὶ Νουκερία, καὶ Ἀρίμινον, καὶ Ἱππώνιον. Οὕτω μὲν τὰ κάλλιστα τῆς Ἰταλίας τῷ στρατῷ διέγραφεν. Hoc eſt: *Et quò alacrior redderetur exercitus præpoſitis victoriæ præmiis, præter alia donativa promiſſæ ſunt eis coloniæ* XVIII *Italicarum urbium tàm opibus quàm agri bonitate ac ædificiorum pulcritudine præcellentium: quarum urbana ac ruſtica prædia non ſecus, quàm bello captæ, dividerentur. Inter has eminebant, Capua, Rhegium, Venuſia, Beneventum, Nuceria, Ariminum, Vibo Valentia. Atque ita pulcherrima Italiæ pars militibus adſcripta eſt.* Deduxiſſe tandem in eodem triumviratu C. Octavium Cæſarem, poſteà lib. V narrat. Hinc igitur in unâ veterum inſcriptionum vocatur COLONIA AVGVSTA. De reliquo diſtributam fuiſſe urbem in VII præcipuos vicos, ex eiſdem inſcriptionibus diſpicere mihi videor; quarum compluribus memorantur VICANI · VICORVM · VII. ex quibus IIII etiam in diverſis nominantur lapidibus; qui ſic habent:

1.

C · FRAESELLIO · C · F
RVFIONI · EQ · PVBL
CVR · REIP · FORODR · PATR · COL · ARIM
ITEM · QVE · VICANORVM · VICORVM · VII
VICANI · VICI · DIANENSIS
POSVERE

2.

VI · VIR · AVG
VICANI · VICI · GERMALI · OB
MERITA · EIVS · QVOT · DECVRION
ET · VICANIS · VICOR · VII

3.

PATRONO · COLONIAE
VICANI · VICI · AVENTIN

4.

VICANI · VICI · VELAB

Germalus, Aventinus, & Velabrum, partes erant urbis Romæ. ad huius igitur exemplum *Ariminenſes* ſuam quoque urbem in VII parteis diviſiſſe videntur. Feſtus Pompeius: *Septimontio, ut ait Antiſtius Labeo, hiſce montibus feriæ; Palatio, Veliæ, Fagutali, Suburæ, Germalo, Oppio, Cælio monti, Ciſpio monti.* Iungitur hodiéque Ariminus fluvius urbi ponte marmoreo antiqui operis, qui Auguſti Tiberiique imperatorum nomina inſcripta habet. Ab alterâ urbis parte, quà Piſaurum verſùs via

fert,

fert, arcus conſpicitur triumphalis. & verſùs mare theatri latericii reliquiæ. Ex portus antiqui marmoribus ſplendidum poſteà divo Franciſco exſtructum eſt templum.

Cæterùm Plinius prædicto lib. III cap. XV, *Ariminum*, inquit, *colonia, cum amnibus Arimino & Aprusâ. fluvius hinc Rubico.* APRVSA hic *amnis* omnibus hoc ſæculo Italiæ ſcriptoribus exponitur *Pluſa* nunc fluvius. quo nomine nullum heic reperiri; confictumque hoc eſſe vocabulum à Blondo primùm ex vero genuinoque amnis nomine, qui X millia paſſuum ab Arimino verſùs occaſum Solis diſſitus vulgò dicitur *Luſa*; ſuprà lib. I cap. XXVII docui. Ego ex præſcriptis Plinii verbis colligo, longè propinquiorem fuiſſe *Apruſam* Arimino. ſic quidpe ibidem paullo pòſt ait, *Ravenna opidum, cum amne Bedeſe*: & cap. XIIII, *Piſaurum, cum amne*: & item cap. XIII, *Truentum cum amne*. quæ ſanè opida cuncta iis amnibus alluebantur. Præfluit hodiè Ariminum ab orientali parte amnis vulgari vocabulo *Auſa*: qui haud dubiè ille Plinii eſt *Apruſa*. APRVSA *amnis.*

PISAVRVM *opidum*, Cæſari, Ciceroni, Catullo, Livio, Melæ, Plinio, Plutarcho, Ptolemæo, Itinerariis antiquis, Procopio, & aliis memoratum, nomen antiquum cum Græco adcentu hodiéque retinet, vulgò *Péſaro* penultimâ brevi dictum, quum Græcis eſſet Πίσαυρον. Procopio Gothicar. rer. lib. III feminino genere, more eius ævi receptiſſimo, dicitur ἡ Πίσαυρος, PISAVRVS. Ciceronem, Melam, & Ptolemæum paullo antè citavimus. Sed Cicero in Oratione pro P. Sextio hæc etiam habet: *Capuâ præcipitem ejecit hominem perditum & non obſcurè Piſauri & in aliis agri Gallici partibus in illâ comparatione verſatum*. Cæſar Belli civil. lib. I: *Piſaurum, Fanum, Anconam, ſingulis cohortibus occupat*. Antonini itinerarium inter *Ariminum* & *Piſaurum* in duobus diverſis itineribus XXIIII habet millia paſſuum: at Tabula itineraria XXIII tantùm. ego verò, bis idem iter emenſus, millia deprehendi XXII. Præfluit Piſaurum ab occidente amnis inſignis, cui vulgare nunc vocabulum *Foglia*: is olim dicebatur PISAVRVS: unde urbi nomen quæſitum. Plinius lib. III cap. XIV: *In orâ, flumen Aeſis, Senogallia, Metaurus fluvius: coloniæ, Fanum Fortunæ, Piſaurum cum amne. & intus Hiſpellum, Tuder*. Aggenus in libro de Controverſiis agrorum: *In Italiâ Piſauro flumini latitudo eſt adſignata eátenus, quousque adluebat*. Vibius Sequeſter in Catalogo fluminum: *Piſaurus; qui & Iſaurus; ut Lucanus: à quo civitas Piſaurum. de qua Catullus; Moribundâ ſede Piſauri. Decurrit in Hadriaticum*. Lucano, puto, metri causâ ſic dictum lib. II: PISAVRVM *colonia.* PISAVRVS *amnis.*

Cruſtumiumque rapax, & junctus Sapis Iſauro.

Coloniam in opidum *Piſaurum* deduxiſſe Romanos, auctor eſt etiam Livius lib. XXXVIIII. *Eodem*, inquit, *anno coloniæ duæ, Pollentia in Picenum, Piſaurum in Gallicum agrum, deductæ ſunt. ſena jugera in ſingulos data*. Annus is fuit ab urbe Româ conditâ IↃLXVIII, P. Claudio Pulcro & L. Porcio Licinio conſulibus. Novos deinde colonos antiquæ coloniæ additos fuiſſe ab Auguſto imperatore, adparet ex vetuſtâ inſcriptione; in qua legitur COLONIA · IVL · FELIX · PISAVRVM. In alio lapide hæc ſunt:

CVR · RER · PVBLICARVM · PISAVR
ET · FANEST
PATRONO · COLONIARVM
PISAVR · ET · FANEST

Opidani inde dicuntur aliquot inſcriptionibus PISAVRENSES.

CRVSTVMIVS iſte Lucani *fluvius* Plinio quoque memoratur ac Vibio. quorum ille lib. III cap. XIIII, *Iungitur his* [Picentibus] *Sexta regio, Vmbriam complexa agrumque Gallicum circa Ariminum. Ab Anconâ Gallica ora incipit*. Mox: *In orâ flumen Aeſis, Senogallia, Metaurus fluvius, colonia Fanum Fortunæ, Piſaurum cum amne*. Et cap. XV: *Octava regio determinatur Arimino, Pado, Apennino. In orâ fluvius Cruſtumium, Ariminum colonia, cum amnibus Arimino & Aprusâ. fluvius hinc Rubico, quondam Italiæ finis. ab eo Sapis & Vtis & Anemo: Ravenna opidum*. Maximus heic inter Piſaurum Ariminumque flumina ac memoratu digniſſimus amnis vulgò nunc vocatur *Conca*; qui ex eo documento colligitur eſſe *Cruſtumius* veterum. De hoc ita Vibius, in Catalogo fluminum: *Cruſtumium; à quo opidum. in Hadriaticum mare fluit*. CRVSTVMIVS *amnis.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

fluit. Idem ſanè Lucani quoque commentator Sulpicius atteſtatur. verùm fides ſit penes iſtos grammaticos: quum nulla huius rei apud hiſtoricos, geographos, itinerarios, aliosve auctores, ne leviſſima quidem exſtet ſuſpicio. Vereor ego, quum eâdem hac Vmbriâ & Ariminum & Piſaurum, & item Aeſis in mediterraneo opidum, à contiguis fluminibus nomina habuerint; Cruſtumium quoque amnem opidum eiusdem nominis adpoſitum habuiſſe, ſuſpicatos magis, quàm edoctos, fuiſſe iſtos grammaticos.

FANVM FORTVNAE, *colonia*.

Vltra Piſaurum ad VII millia paſſuum *opidum* FANVM FORTVNAE, Cæſari, Vitruvio, Straboni, Melæ, Plinio, Tacito, Frontino, Ptolemæo, Itinerariis antiquis, Procopio, Claudiano, Stephani epitomatori, memoratum, vulgò nunc dicitur *Fano*. Iam olim ſic ſimpliciter ſine adjectione *Fortunæ* uſurpatum fuiſſe, patet ex Cæſare; qui prædicto Belli civilis lib. I, *Piſaurum*, inquit, *Fanum*, *Anconam*, *ſingulis cohortibus occupat*. Atque ita Sidonius Apollinaris lib. I epiſt. V: *Ariminum Fanumque pervêni*. Et Procopio Gothicar. rer. lib. III dicitur Φαῦος, FANVS, conſvetudine eius ævi; ut ad Piſaurum dixi. Apud Stephani breviatorem ita ſcriptum eſt: Φάναι, ἀκρωτήριον τῆς Χίου. ἔστι καὶ Φάνα ἑνικῶς, πόλις Ἰταλίας. Id eſt: *Phanæ, promontorium Chii. Eſt & Phana ſingulari numero, opidum Italiæ*. Latinis hoc ſcripſeris literis *Fana*. At Latinorum nemo feminino genere dixit *Fanam* opidum hoc; ſed *Fanum* omnes, neutro genere. Credo Stephanum, quum ſciret, ſingulari id numero adpellari; occaſione illius vocabuli in promontorio Φάναι feciſſe ſingularem inde numerum Φάνα. Plinius lib. III cap. XIIII: *Flumen Aeſis, Senogallia, Metaurus fluvius, colonia Fanum Fortunæ, Piſaurum cum amne*. Ptolemæus: Αἴσιος ποταμοῦ ἐκβολαί, Σῆνα Γάλλικα, Φάνον Φορτούνας, Πίσαυρον. Id eſt: *Aeſis fluvii oſtium, Sena Gallica, Fanum Fortunæ, Piſaurum*. Tacitus Hiſtor. lib. III: *Exercitus ducesque ad Fanum Fortunæ iter ſiſtunt*. Strabo lib. V: Μέταυρος ποταμός, καὶ τὸ ἱερὸν τῆς Τύχης. Id eſt: *Metaurus amnis & Fanum Fortunæ*. Itineraria ſic habent:

Tabulæ;		Antonini;		Hieroſolymitanum;	
Piſauro		*Piſauro*		*Piſauro*	
Fano Fortune	VIII.	*Fano Fortunæ*	IX.	*Fano Fortunæ*	VIII.

Antiquitatem opidi innuere voluit Claudianus in Panegyrico de VI conſulatu Honorii, hoc verſu:

Lætior hinc Fano recipit Fortuna vetuſto.

Opidani inde dicuntur Aggeno in libro de Controverſiis agrorum FANESTRES. Et quum *colonia* fuerit Romanorum, Auguſti Cæſaris juſſu deducta, COLONIA FANESTRIS, & COLONIA IVLIA FANESTRIS adpellata eſt. Mela lib. II cap. IIII: *Ariminum, Piſaurum, Faneſtris colonia, flumen Metaurus*. Frontinus in libro de Coloniis: *Faneſtris Fortunæ ager limitibus maritimis & montanis eſt adſignatus*. Vitruvius lib. V cap. I: *Non minùs ſummam dignitatem & venuſtatem poſſunt habere comparationes baſilicarum, quo genere Coloniæ Iuliæ Faneſtri collocavi, curavique faciendas*. Inſcriptiones antiquæ:

1.

COL · FANESTRIS.

2.

CVR . RER · PVBLICARVM . PISAVR
ET · FANEST
PATRONO · COLONIARVM
PISAVR · ET · FANEST

3.

COL · IVL · FANESTRIS

4.

COLONIA · IVLIA · FANO
FORTVNAE

5.

COL · IVL · FANESTRIS
*
Q · GOLIVS · Q · F · POL · FANESTER · FILIVS
*
EX · TESTAMENTO · FANESTRIS · FILII

A Fano

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

A Fano porrò iter in Itinerariis ſecundùm litus deſcribitur hoc modo:

Tabulæ;		Antonini;	
Piſauro		*Piſauro*	
Fano Fortunæ	VIII.		
Mataurum fl.	II.		
Ad Pirum Filumeni	VIII.		
Sena Galli...	VIII.	*Senegallia*	XXIII.

METAVRVS ingens *amnis* hodiè vulgò vocatur *Métaro*, penultimâ correptâ, eâdem ratione, ut *Piſaurum* nunc *Péſaro*: ideóque pleriſque binis ſyllabis dicitur *Metro*. Memoratur Horatio, Livio, Valerio Maximo, Straboni, Melæ, Plinio, Silio, Lucano, Oroſio, Claudiano, Sidonio, Eutropio. Lucanus lib. II: *Veloxque Metaurus*. Silius lib. VIII: METAVRVS *fluvius.*

——— Rapidasque ſonanti
Vortice contorquens undas per ſaxa Metaurus.

Claudianus in ſuprà dicto Panegyrico:

Deſpiciturque vagus præruptâ valle Metaurus.

Nobilitavit eum maximè clades Haſdrubalis; quam Livius lib. XXVII, Silius lib. XV, Valerius lib. VII cap. IIII, Oroſius lib. IIII cap. XVIII, & Eutropius lib. III, referunt. Hinc Horatius Carm. lib. IIII odâ IIII:

Quid debeas, ô Roma, Neronibus,
Teſtis Metaurum flumen & Haſdrubal
Devictus.

Silius lib. VIII:

Multa quoque Haſdrubalis fulgebit ſtrage Metaurus.

Sidonius in Panegyrico Anthemio Auguſto dicto:

Improbus & rubeat Barchinâ clade Metaurus,
Mulctatus tibi conſul agat: qui millia fundens
Haſdrubalis; & quæ ſequuntur.

Item Epiſtolar. lib. I epiſt. V: *Hinc Ariminum Fanumque pervêni: illud Iulianâ rebellione memorabile; hoc Haſdrubaliano funere infectum. ſiquidem illic Metaurus: cui ita in longum felicitas, uno die parta, porrigitur, ac ſi etiam nunc Dalmatico ſalo cadavera ſanguinolenta decoloratis gurgitibus deferret.* Sed pugna ea paullo remotior fuit à Fano; ut ex Livii hiſtoriâ patet. quo loco pugnata ſit, incertum eſt. Cæterùm poſterioribus temporibus dictum fuiſſe flumen MATAVRVM, non tantùm præſcripta Tabula itineraria, ſed etiam antiqua teſtatur inſcriptio; quæ ſic habet:

CAESARES
CONSTANTIVS
ET · MAXIMIA
NVS · PONTEM
MATAVRO

In Tabulâ itinerariâ vocabulum id apud oſtium fluminis vitiatum eſt in *Mataua*.

Hinc *urbs* SENA GALLICA, ſive, ut aliis vocatur auctoribus, SENOGALLIA, vulgò hodiè adpellatur *Senegaglia* & *Sinigaglia*. Memoratur Polybio, Livio, Straboni, Melæ, Plinio, Silio, Appiano, Frontino, Ptolemæo, Itinerariis, Stephani epitomatori, Procopio. Plinium, Ptolemæum, atque Itineraria ſuprà audivimus. Livius lib. XXVII; ubi de clade Haſdrubalis ad Metaurum flumen acceptâ narrat: *Ad Senam caſtra alterius conſulis erant.* Nomen à conditoribus Gallis Senonibus accepit. Silius lib. XV, de eodem Haſdrubale: SENA GALLICA, *ſive* SENOGALLIA, *colonia.*

——— Quà Sena relictum
Gallorum à populis traxit per ſæcula nomen.

Paullus Diaconus Langobard. rer. lib. II cap. XXIII: *Antiquiſſimo tempore Brennus, rex Gallorum, qui apud Senonas urbem regnabat, cum* CCC *millibus Gallorum Senonum ad Italiam venit; eamque uſque Senogalliam, quæ à Gallis Senonibus vocitata eſt, occupavit.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

parvit. Idem teſtatur & Polybius lib. I; ut mox videbimus. ſed huic, ut & Livio, ac Straboni Stephanoque, ſimpliciter ſine cognomine, dicitur Σῆνα, *Sena*. Appiano Civil. bellor. lib. I plurali numero vocatur Σῆναι, SENAE. quamquàm illic exſcriptores fecerunt Σίνας. Ἀρχομένου δ᾽ ἦρος, inquit, περὶ τὸν Αἴσινον ποταμὸν ἀγὼν καρτερὸς ἐγένετο Μετέλλῳ τε καὶ Καρρίνᾳ. * . Μέτελλον δὲ Κάρβων καταλαβὼν, ἐφρούρει περικαθήμενος· ἕως τε Μάριον μεγάλῃ μάχῃ περὶ Πραινεστὸν ἡττῆσθαι πυθόμενος, ἀνεστρατοπέδευεν εἰς Ἀρίμινον. καὶ τοῖσδε μὲν Πομπήϊος τῆς οὐραγίας ἐξαπτόμενος ἠνώχλει. * — * . Πομπήϊος τε Μάρκιον ἐνίκα περὶ πόλιν Σήνας, καὶ τὴν πόλιν διήρπαζεν. Id eſt: *Primo ſtatim vere ad Aeſim flumen acerrimè conflixerunt Metellus & Carina.* Mox: *Metellum autem Carbo adſequutus obſidebat; donec cognito, Marium magno prælio ad Præneſte eſſe victum, copias ſuas reduxit Ariminum; Pompeio tergo hærente, & extremum incurſante agmen.* Paullo pòſt: *Pompeius Marcium quoque vicit apud Senas; urbemque eam diripuit.* Strabo lib. V: Κατέχουσιν οἱ Ὀμβρικοὶ Σάρσιναν, Ἀρίμινον, Σήναν, καὶ Καμαρῖνον. αὐτοῦ δ᾽ ἐστὶ καὶ ὁ Αἶσις ποταμός. * . * . Ἔστι δὲ ὁ Αἶσις μεταξὺ Ἀγκῶνος καὶ Σηνογαλλίας. Id eſt: *Tenent inde Vmbri Sarſinam, Ariminum, Senam, & Camarinum. Ibi & Aeſis eſt amnis.* Exiguo pòſt: *Aeſis inter Anconem eſt & Senogalliam.* At ſub finem libri VI corruptum *Senæ* vocabulum legitur obliquo caſu Σίλαν, pro Σήναν. quod neminem inter tot interpretes auctoris commentatoresque obſervaſſe, pleroſque verò *Silam* urbem in Italiâ hactenus quæſiviſſe, miror. Verba illic leguntur iſta: Φησὶ δ᾽ ὁ Χωρογράφος, τὸ ἀπὸ τοῦ Βρεντεσίου μέχρι Γαργάνου μιλίων ρ ξ ε´. πλεονάζει δὲ αὐτὰ Ἀρτεμίδωρος. ἐντεῦθεν δ᾽ εἰς Ἀγκῶνα σ ν δ´ μίλιά φησιν ἐκεῖνος· ὁ δ᾽ Ἀρτεμίδωρος εἰς α σ η πλησίον τοῦ Ἀγκῶνος σταδίους εἴρηκε ͵α σ ν´, πολὺ ἐνδεέστερον ἐκείνου. Πολύβιος δ᾽ ἀπὸ τῆς Ἰαπυγίας μεμιλιᾶσθαί φησι, καὶ εἶναι μίλια φ ξ β´ εἰς Σίλαν πόλιν· ἐντεῦθεν δ᾽ εἰς Ἀκυληΐαν ρ ο η´. οὐχ ὁμολογοῦντες τῷ φερομένῳ διαστήματι τῆς Ἰλλυρικῆς παραλίας, ἀπὸ τῶν Κεραυνίων ὀρῶν ἐπὶ τὸν τοῦ Ἀδρίου μυχόν· ὑπὲρ ἑξακισχιλίων τοῦτο ἀποφαίνοντες, καὶ μείζω καθιστάντες ἐκείνου πολὺ ἐλάττονα ὄντα. Hoc eſt: *Chorographus à Brunduſio ad Garganum millia numerat* CLXV. *quem numerum amplificat Artemidorus. A Gargano Anconem usque* CCLIIII *millia facit ille*. *at Artemidorus ad ….. vicina Anconi, dixit eſſe ſtadia* CIↃCCL; *longè, quàm ille, minori numero. At Polybius ait, ab Iapygiâ milliaria eſſe dimenſa: atque eſſe millia* IↃLXII *ad Silam usque urbem. hinc Aquileiam usque* CLXXVIII. *Ita non conſentiunt cum eo, quod fertur, ſpacio Illyrici litoris à Ceraunиis montibus usque ad intimum ſinus Hadriatici receſſum, ultra* IↃↃCIↃ *ei tribuentes; juſtamque quantitatem longè excedentes.* Quo loco, aut quo libro id de millium dimenſione ſcripſerit Polybius, equidem neſcio. cæterùm lib. II, ubi de tribus eius partis Italiæ, quæ Alpibus & Apennino ſinuque Hadriatico includitur, lateribus agit, leguntur iſta: Τῶν δὲ πλευρῶν παρὰ μὲν τὴν ἀπὸ τῶν ἄρκτων, τὰς Ἄλπεις αὐτῶν ἐπὶ δισχιλίους καὶ διακοσίους σταδίους παρήκειν συμβαίνει· παρὰ δὲ τὴν ἀπὸ μεσημβρίας, τὸν Ἀπεννῖνον, ἐπὶ τρισχιλίους καὶ ἑξακοσίους· βάσεως γε μὴν τάξιν λαμβάνει τοῦ παντὸς σχήματος ἡ παραλία τοῦ κατὰ τὸν Ἀδρίαν κόλπου. τὸ δὲ μέγεθος τῆς βάσεώς ἐστιν, ἀπὸ πόλεως Σήνης ὡς ἐπὶ τὸν μυχὸν, ὑπὲρ τοὺς δισχιλίους σταδίους καὶ πεντακοσίους. Hoc eſt: *Septemtrionale huius planitiei latus claudunt perpetua Alpium juga pèr ſtadia bis mille ducenta. meridionale, Apenninus, ſtadiis inter mille ſexcentis. baſis locum obtinet ora maritima Hadriatici ſinus, ab urbe Senâ ad intimum eius receſſum, ad ſtadia bis mille quingenta.* Patet ex his, etiam illo, quem Strabo citat, loco Polybium nominaſſe Σήνην ſive Σήναν urbem. quod vocabulum apud Strabonem exſcriptores poſterioris ævi, quo η ſonabat ſicut ι, fecêre Σίναν, ut apud Appianum eſt; mox, literâ ν inverſâ, inde factum eſt Σίλαν. Incuriam autem exſcriptorum, vel longinqui temporis injuriam, huic loco accidiſſe, patet ex præcedenti oratione, quæ ſic habet: ὁ δ᾽ Ἀρτεμίδωρος εἰς α σ η πλησίον τοῦ Ἀγκῶνος σταδίους εἴρηκε ͵α σ ν. quæ vitiata eſſe atque ſine ullo ſenſu ſano, etiam ante me vidit doctiſſimus auctoris interpres; eóque hiatum Latinæ verſioni inſeruit. Ego verò totum locum ſic reſtituo: Ὁ δ᾽ Ἀρτεμίδωρος εἰς Αἶσιν ποταμὸν, πλησίον ὄντα τοῦ Ἀγκῶνος, σταδίους εἴρηκε ͵α σ ν´. Id eſt: *At Artemidorus ad Aeſim usque flumen, quod prope Anconem eſt, ſtadia pronunciavit eſſe* CIↃCCL. Etenim, *Sena*, *Aeſis*, *Ancona*, loca ſunt inter ſe vicina. eóque factum, uti in dimetiendo hoc Italiæ latere terminum ſibi ſumpſerit Chorographus iſte primam extra Galliæ Cisalpinæ fineis *Anconam* urbem; Polybius poſtremam ipſius Galliæ *Senam*; Artemidorus ipſum Galliæ Italiæque limitem *Aeſim* flumen. Sic igitur nobiliſſimum geographum noſtrum duobus inſignibus heic exſolvimus mendis. Pomponii Melæ nunc etiam haud modicus notetur error:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

niſi is fortè librariorum fuerit: ut ferè innumera in unâ hac Italiæ deſcriptione ſunt menda. Verba lib. II cap. IIII leguntur iſta: *A Pado ad Anconam transitur Ravenna, Ariminum, Piſaurum, Faneſtris colonia, flumen Metaurus atque Eſis: & illa in anguſto illo duorum promontoriorum, ex diverſo coëuntium, inflexi cubiti imagine ſedens, ac ideò à Græcis dicta Ancona, inter Gallicas Italicasque genteis quaſi terminus intereſt. hanc enim prægreſſos Piceni litora excipiunt. in quibus Numana, Potentia, Claterna, Cupra, urbes; caſtella autem, Firmum, Hadria, Truentum. id à fluvio, qui præterit, ei nomen eſt. ab eo Senogallia maritima, ad Aterni fluminis oſtia. urbes, Bucara & Hiſtonium. Dauni autem Tifernum amnem, Cliterniam, Lucrinum, Theanum, opida; montemque Garganum.* Heic quamvìs ipſe Mela terminum Gallicas inter Italicasque genteis ſtatuat apud Anconam urbem; tamen nihilo minùs *Senogallia* longè extra Gallicum ſolum in Veſtinorum collocatur finibus, ad oſtium *Aterni*, qui communis Veſtinorum Marrucinorumque fuit portus. Verùm enimverò, cur magis *Senogalliam* dixerit *maritimam*, quàm reliquas, *Ravennam, Ariminum, Piſaurum, Fanum, Numanam, Potentiam, Cupram, Truentum?* quas omneis maritimas fuiſſe, & plerasque nunc etiam eſſe, conſtat. Omnino itaque mendum olet vox iſta *maritima*. Et reliqua etiam, quæ in eodem capite ſequuntur, malè cohærere, infrà ſuo loco patebit. Alia exemplaria eo loco habent, *Ab eo Samnites maritima tenent ad Aterni fluminis oſtia. urbes Bucara & Hiſtonium.* At quid hoc eſt; *Samnites tenent ad Aterni fluminis oſtia?* An intelligendum, ad Aterni usque fluminis oſtia? Atqui *Buca* & *Hiſtonium* ultra Aternum erant in Frentanis: quos ipſe Mela paullò ante medios ponit inter Picenteis Dauniosque. *Siniſtrâ*, inquit, *parte Carni & Veneti colunt Togatam Galliam. tum Italici populi, Picentes, Frentani, Daunii, Apuli, Calabri, Salentini.* Et quis umquàm auctor Samnitium nomen in orâ maris ſive ſuperi ſive inferi retulit; quum fuerint maximè mediterranei inter utrumque? Tum quid illud eſt; *A Pado ad Anconam transitur illa, quæ Græcis dicta Ancon?* Item quid hoc: *Flumen Metaurus atque Eſis.* Omnino igitur ego cenſeo, transpoſita heic eſſe vocabula, ſuoque ordine, ab ipſo Melâ perſcripto, remota: nonnulla etiam interiiſſe. quæ cuncta ſic repono: *A Pado ad Anconam transitur Ravenna, Ariminum, Piſaurum, Faneſtris colonia, Senogallia; flumina Metaurus atque Aeſis. Hinc illa, in anguſto illo duorum promontoriorum, ex diverſo coëuntium, ſinu inflexi cubiti imagine ſedens, ac ideò à Græcis dicta Ancon, inter Gallicas Italicasque genteis quaſi terminus intereſt. hanc enim prætergreſſos Piceni litora excipiunt. in quibus Numana, Potentia, Cluana, Cupra maritima, urbes; caſtella autem Firmum, Hadria, Truentum. id à fluvio, qui præfluit, ei nomen eſt. Ab eo Frentani tenent Aterni oſtia, urbeis Bucam & Hiſtonium: Daunii autem Tifernum amnem, Cliterniam, Larinum, Teanum, opida; montemque Garganum.* Fuiſſe heic *Cluanam, Cupram maritimam, Bucam & Larinum*, opida, ſuis locis infrà patebit. Cæterùm perantiqua eſt urbs *Sena*, ſive *Senogallia*: ut quæ condita ab Senonibus Gallis. qui jam inde anno urbis Romæ CCCCLXIII, M'. Curio Dentato & P. Cornelio Rufino conſulibus, id eſt, ante natum Ieſum anno CCXC, his oris à Romanis expulſi fuêre; ut ſuprà ad Arimini expoſitionem dictum. occupaverant autem hanc Vmbrorum oram, circa annum urbis Romæ CCCLVIIII, ante natum Chriſtum CCCXCIIII. *Coloniam* Romanorum tunc Senam deductam fuiſſe, teſtis eſt Polybius lib. II. Ῥωμαῖοι δὲ, inquit, ἐκ παρατάξεως κρατήσαντες αὐτῶν, τοὺς μὲν πλείστους ἀπέκτειναν, τοὺς δὲ λοιποὺς ἐξέβαλον· τῆς δὲ χώρας ἐγένοντο πάσης ἐγκρατεῖς. εἰς ἣν καὶ πρώτην τῆς Γαλατίας ἀποικίαν ἔστειλαν τὴν Σήνην προσαγορευομένην πόλιν, ὁμώνυμον οὖσαν τοῖς πρότερον αὐτὴν κατοικοῦσι Γαλάταις. Id eſt: *Romani quum collatis ſignis eos viciſſent, partem eorum plurimam ceciderunt; reliquos ſedibus expulerunt: regione autem eorum universâ potiti ſunt. in quam totius Galliæ primam miſêre coloniam; quæ Sena urbs dicitur de Gallorum nomine, qui priùs tenuêre.* Et item Livius, ſeu Breviator eius, lib. XI: *Curius Dentatus conſul, Samnitibus cæſis, & Sabinis, qui rebellaverant, victis & in deditionem acceptis, bis in eodem magiſtratu triumphavit. Coloniæ deductæ ſunt, Caſtrum, Sena, Hadria.* Hinc ipſe Livius lib. XXVII: *Colonos etiam maritimos, qui ſacroſanctam vacationem dicebantur habere, dare milites cogebant conſules. quibus recuſantibus edixêre in diem certam, ut, quo quisque jure vacationem haberet, ad ſenatum deferrent. Eâ die hi populi ad ſenatum venerunt: Oſtienſis, Alſienſis, Antias, Anxuras, Minturnenſis, Sinueſſanus; & à ſupero mari Senenſis.* Ergo opidani à *Senâ* dicti fuêre SENENSES; quemadmodùm illi in Etruriâ: à *Senogalliâ* verò

SENO-

SENOGALLIENSES. Frontinus in libro de Coloniis: *Senogallienſis ager lege triumvirali eſt adſignatus.*

SENA *flumen.* De cætero *flumen* quoque communi urbis nomine fuit Σῆνα, SENA. Lucanus lib. II; ubi præcipua ſuperi maris flumina commemorat:

In lævum cecidêre latus, veloxque Metaurus,
Cruſtumiumque rapax, & junctus Sapis Iſauro,
Senaque, & Hadriacas qui verberat Aufidus undas.

Et Silius lib. VIII; Vmbriæ amneis enumerans:

Hos Aeſis Sapisque lavant, rapidasque ſonanti
Vortice contorquens undas per ſaxa Metaurus;
Et lavat, ingentem perfundens flumine ſacro
Clitumnus taurum; Narque, albeſcentibus undis
In Tiberim properans; Tiniæque inglorius humor:
Et Clanis, & Rubico, & Senonum de nomine Sena.

Errarunt utriusque poëtæ exſcriptores ſimul & commentatores; alteri, apud Silium plurali numero *Senæ* ſcribentes; alteri, apud Lucanum literâ *n* geminatâ, *Senna* ſubjicientes: quia prima ſyllaba erat longa. At non erat heic ε, ſed η· quemadmodùm in ipſo urbis vocabulo. quamquàm apud inferioris ſæculi grammaticos Græcos, utrumque Tzetzam, id fluminis nomen per ε legitur Σένων· idque nugis immanibus involutum. Lycophronis verba hæc ſunt in Alexandrâ:

Τοὺς δ' ἀμφὶ Σύρτιν καὶ Λιβυστικὰς πλάκας
Στενήν τε πορθμοῦ συνδρομὴν Τυρσηνικοῦ
Πλαγχθέντας ὠμόσιτα δαιταλωμένους,
Πρόπαντας Ἅδης πανδοκεὺς ἀγρεύσεται.

Hoc eſt:

Alios circa Syrtin & Libyæ æquora,
Anguſtumque freti Tyrrheni concurſum
Vagatos, crudeliter laceratos,
Orcus omneis capax capiet.

Ad hæc ita Iſacius Tzetza: Τοὺς περὶ τὸν Ὀδυσσέα λέγει. περὶ γὰρ τὴν Λιβύην ἐκπεσόντες ἐπλανῶντο. δύο δέ εἰσι Σύρτεις· ἐν Λιβύῃ ἡ μὲν μείζων, ἡ δὲ μικρὰ Σύρτις, ἡ Χάρυβδις. ἔστι δὲ ὄνομα τόπου θαλάσσης περὶ Μεσσήνην καὶ Λιβύην, ἔνθα ὁ Τυῤῥηνὸς Ἀδρίᾳ συμβάλλων δεινὴν ἐργάζεται τὴν Χάρυβδιν. Ἀδρίας δὲ καὶ Σένων ὀνόματα ποταμῶν ῥεόντων εἰς τὸν Ἰόνιον κόλπον. Γράφεται δὲ καὶ Λιγυστικάς. οἰκοῦσι δὲ οἱ Λιγυστῖνοι μετὰ τῶν Τυρσηνῶν. στενὴν δὲ πορθμοῦ συνδρομὴν λέγει, ἐπειδὴ ὁ πορθμὸς μέσος κεῖται τοῦ Ἀδριατικοῦ καὶ τοῦ Τυρσηνικοῦ πελάγους, τοῦ μὲν λήγων, τοῦ δὲ ἀρχόμενος. Τὸ δὲ Τυρσηνικὸν πέλαγος μεταξὺ Ῥηγίου καὶ Μεσσήνης κεῖται. Λιβυστικὸν καὶ Λιγυστικὸν τὸ αὐτό ἐστι. Λιβυστικὸν μὲν γὰρ λέγεται ἀπὸ Λίβυος, τῆς Ἐπάφου θυγατρός· Λιγυστικὸν δὲ ἀπὸ Λίγυος, τοῦ Ἀλεβίωνος ἀδελφοῦ. Hoc eſt: *De Vlyſſe eiusque ſociis loquitur. hi quidpe tempeſtate abrepti, circa Libyam errarunt. Duæ autem ſunt Syrtes: maior in Libyâ, minor verò eſt Charybdis. Eſt autem nomen loci in mari circa Meſſanam & Libyam: ubi Tyrrhenus cum Hadriâ concurrens, ſævam efficiunt Charybdim. Hadria autem & Seno nomina ſunt fluminum, in Ionium ſinum defluentium. Scribitur etiam* Λιγυστικὰς πλάκας· id eſt, *Liguriæ æquora. incolunt enim Ligures juxta Tyrrhenos. Anguſtum autem freti concurſum dicit, quia fretum hoc in medio Hadriatici Tyrrhenique maris ſitum eſt; hinc deſinens, illinc incipiens. Tyrrhenum autem mare inter Rhegium & Meſſanam protenditur. Libyſticum & Liguſticum unum idemque eſt. Libyſticum enim dicitur à Libye, Epaphi filiâ; Liguſticum autem ab Ligye, Alebionis fratre.* O quantum nugarum! Quis veteris geographiæ adeò ignarus fuerit, uti neſciat, utramque Syrtim eſſe ad Africam? quis iſte & qualis poteſt eſſe locus circa Africam ſimul & Meſſanam, Siciliæ opidum? Libyam item ſive Africam, eamdem eſſe cum Liguriâ, quis umquàm ſomniaverit? In ipſo freto Siculo quum duo concurrerent maria, ab ſeptemtrionibus *Tuſcum*, à meridie *Hadriaticum*; cuius nomen hinc ad Græciam usque extendebatur: pars autem eius *ſinus* adpellaretur *Hadriaticus*, & ſæpiùs Græcis hominibus Ἀδρίας, *Hadria*; ipſius fluminis *Hadriæ* nomine, quod poſteà *Tartarum* dictum; ut ſuprà lib. I cap. XVIII in Venetis oſtenſum: flumen id ipſum huc grammatici iſti in fretum deduxerunt. SENO autem *amnis* quomodò & ipſe huc pertractus, nondum perſpicio. Idem nugamentum ita Ioannes quoque Tzetza refert in Chiliadibus:

Ἡ Σκύλλα καὶ ἡ Χάρυβδις εἰσὶ τῆς Σικελίας.
Ἡ Χάρυβδις δὲ ῥεύμασι δεινόν ἐστι ἐκεῖσε,
Λέβητος δίκην συστροφαῖς ὀξνῶς ἀνακαχλάζων.
Δεινὴν δ᾽ αὐτὴν ἐργάζονται τὴν Χάρυβδιν τὸ ῥεῦμα
Οἱ ποταμοὶ, ὁ Σένων τε ὁμοῦ καὶ ὁ Ἀδρίας,
Εἰς πέλαγος Ἰόνιον εἰσβάλλοντες καὶ ἄμφω.

Hoc eſt:

Scylla atque Charybdis ſunt ad Siciliam.
Charybdis grave illic eſt malum,
Lebetis inſtar vorticibus ſævè obſtrepens.
Sævam autem eam reddunt fluxu
Flumina, Seno ſimul & Hadria;
Ambo in mare Ionium ſeſe effundentes.

Ergo vocabulum huius fluminis quod attinet; alii id per η ſcripſerunt Σήνα, per ε alii Σένων· quemadmodùm & ipſius gentis nomen alii Σήνωνες, alii Σένωνες; quod ſuprà lib. I cap. XXVIII oſtenſum. Eſt autem hic *Sena* ſive *Seno* amnis haud dubiè is, qui, IIII millia paſſuum ab urbe Senogalliâ in occidentem verſùs, vulgò nunc adcolis vocatur *Ceſano*. nam is, qui ipſam urbem ab occidente abluit, vulgari nunc vocabulo *Nigola*, eſt Tabulæ itinerariæ MISVS *fluvius*. quo nomine nunc Nigola recipit dextrâ ripâ amnem; altiùs, quàm ipſe, exortum. Habet quidpe Tabula flumina cum nominibus oſtiis eorum adpoſitis hoc ordine: *Fl. Matáua. Fl. Miſo. Fl. Aſpia. Fl. Floſis. Fl. Miſiu. Fl. Tunna.* Ex his *Metaurus, Miſus, Miſio, Tunna*, hodiéque eodem ordine ſequuntur, vulgaribus vocabulis, *Metro, Miſo*, ſive, qui Miſum recipit nunc, *Nigola, Muſione, Tenna*. MISVS *amnis*.

Cæterò iter ex Tabulâ itinerariâ ſuprà adſcripſeram huiusmodi:

Mataurum fl.	
Ad pirum Filumeni	VIII.
Sena Galli....	VIII.

Medio igitur itinere fuit locus iſte AD PIRVM FILVMENI; id eſt mille paſſus verſùs Solis occaſum ab diverſorio publico, cui vulgaris adpellatio *La Marotta oſtería*. Cognomentum loci haud dubiè Græcum eſt τοῦ Φιλουμένου. cuius autem rei id fuerit nomen, incertum habeo. AD PIRVM FILVMENI, *locus*.

Porrò iter inter Senam atque Anconam continuat eadem Tabula hoc modo: AD SEXTIAS, *locus*.

Sena Galli....	
Seſtias	XII.
Ancone	XIIII.

Milliaria hodiè inter Senam & Anconam computant equidem incolæ univerſim XXIIII: at ſingula intervalla ſic dimetiuntur:

Sinigaglia	
Caſa bruſciata	VIII.
Rocca di Fiumeſino	I.
Oſtería nuova	VII.
Oſtería dell' Olmo	II.
Ancona	III.

Ex his unum illud milliare inter *Caſam bruſciatam* & *Roccam Fiumeſini*, item duo iſta inter binas *Oſterías* prægrandia ſunt. unde colligere licèt, locum iſtum AD SESTIAS, ſive rectiùs AD SEXTIAS, (nam in eâdem Tabulâ Narbonenſis Galliæ urbs *Aquæ Sextiæ*, obliquo caſu eſt *Aquis Seſtîs*.) fuiſſe eodem ſitu, quo nunc caſtellum illud ad Aeſis oſtium conſpicitur, vulgari adpellatione *Rocca di Fiumeſino*.

Ipſe AESIS *amnis*, terminus inter Vmbriam ac Picenum, memoratur Straboni, Melæ, Plinio, Silio, Plutarcho, Appiano, Ptolemæo, Tabulæ itinerariæ. Apud AESIS *amnis*.

Strabo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Strabonem equidem lib. v diſertis literis eſt Αἶσις, & ita Latina vox apud Plinium lib. III cap. XIIII ac Silium lib. VIII *Aeſis*. at apud Melam lib. II cap. IIII corruptum id legitur vocabulum *Eſis*. & apud Ptolemæum item obliquus caſus τοῦ Ἀσίου, pro τοῦ Αἴσιος. nam opidum quoque mediterraneum in huius amnis ripâ, quod nunc vulgò eſt *Ieſi*, illi dicitur Αἶσις, *Aeſis*. apud Plutarchum verò in Pompeio, ubi & conterminæ regionis *Piceni* meminit, proximique in hac opidi *Auximi*, eſt περὶ τὸν Ἄρσιν ποταμὸν, pro Αἶσιν. Apud Strabonem quoque, fine libri VI, εἰς Αἶσιν ſcribendum eſſe, ubi nunc nullo ſenſu legitur εἰς ἀσή, ſuprà ad Senogalliam docui. Apud Appianum Civil. bellor. lib. I, loco ſuprà ad eamdem Senogalliam citato, legitur περὶ τὸν Αἰσῖνον ποταμὸν, id eſt, *circa Aeſinum flumen*. quod equidem vocabulum genuiuum ipſius auctoris, non exſcriptoris mendum, videri poterat; ſiquidèm vulgò nunc is amnis vocatur *Fiumeſino fiume*, ſimplicitate adcolarum; quum anteà fuerit *Fiume Eſino*, & *Eſino fiume*. Verùm tamen ipſum ſic ſcripſiſſe Appianum, veri minùs ſimile eſt; quando & Plutarcho, eius ferè æquali, & poſteriori etiam Ptolemæo dicitur Αἶσις. nec in Tabulâ itinerariâ, ſuprà ſcripto loco, alia vox pro *Fl. Floſis* hoc litoris tractu reſtitui poteſt, quàm *Aeſis*. & pleraque alia quoque in eâdem Tabulâ fluminum nomina eſſe vitiata, cuivis perſpicere facillimum eſt. Cæterùm hoc nominis ei à Pelaſgorum regi *Aeſi* vindicat Silius. Verba eius hæc ſunt lib. VIII; ubi de Piceno agit:

> *Antè, ut fama docet, tellus poſſeſſa Pelaſgis*
> *Queîs Aeſis regnator erat: fluvioque reliquit*
> *Nomen; & à ſeſe populos tum dixit Aſilos.*

Verùm hoc neſcio, an ſatis bonâ fide poſteritati transdiderit Silius; quando neque *Pelaſgi* umquàm in Piceno, neque ulli *Aſili* populi in Italiâ apud ullum aliorum auctorum leguntur.

Hactenus igitur orâ Vmbrorum maritima dicta eſt.

CAP. VI.

De locis VMBRIAE *mediterraneis, inter mare Hadriaticum & Apenninum ſitis.*

IN mediterraneis ea primo dicemus, quæ Apenninum inter & oram Hadriatici maris ſita ſunt.

AESIS *ſive* AESIVM, *colonia.*

Primum igitur ab oſtio Aeſis occurrit opidum, ad ipſam fluminis lævam ripam poſitum, cui vulgare nunc vocabulum *Ieſi*; Ptolemæo verò & inſcriptioni antiquæ, ut ipſe amnis, dicitur Αἶσις, AESIS; at Straboni Αἴσιον, AESIVM. unde Plinio lib. III cap. XIIII opidani ſunt AESINATES. Strabo lib. V: Ἐν δεξιᾷ δὲ τῆς Φλαμινίας ὁδοῦ, βαδίζουσι ἐκ τῶν Ὀκρικλῶν εἰς Ἀρίμινον, Ἰντεράμνα ἐστὶ καὶ Σπολήτιον καὶ Αἴσιον, καὶ Καμέρτη, ἐν αὐτοῖς τοῖς ὁρίζουσι τὴν Πικεντίνην ὄρεσι· κατὰ δὲ θάτερα μέρη, Ἀμερία τε καὶ Τοῦδερ καὶ Εἴσπελλον, καὶ Ἴτορον [legendum eſſe Ἰγούϊον, inſequenti hinc capite patebit] πλησίον τοῦ ἤδη τῶν ὑπερβολῶν τοῦ ὄρους. Id eſt: *Ab dextro latere Flaminiæ viæ, ab Ocriculis Ariminum euntibus, Interamna, Spoletium, Aeſium, Camerta, in ipſis, qui Picenum finiunt, montibus. ab altero latere, Ameria, Tuder, Hiſpellum, Iguvium: quorum hoc jam prope ipſum montis transitum poſitum eſt.* Erravit immenſùm ille, Strabonemque ingentis falſò inſimulavit erroris, qui Αἰσίσιον heic legendum docuit: quod opidum ab lævo dictæ viæ eſt latere; ut infrà videbimus. Plinius lib. XI cap. XLII; quod eſt de optimis caſeorum generibus: *Duobus Alpes generibus pabula ſua adprobant. Dalmaticæ Docleatem mittunt; Centronicæ Vatuſicum. Numeroſior Apennino. Cebanum hic è Liguriâ mittit, ovium maximè lactis: Aeſinatem ex Vmbriâ.* Nempe Apennini radices hoc tractu ad Aeſium & Anconam accedere, ſuprà lib. I cap. IIII intellectum eſt. *Coloniam* fuiſſe Romanorum, teſtari videtur antiqua inſcriptio, quæ ſic habet:

PATRONO · COL · AVXIM · ET
AESIS · ET · MVNIC · NVMANAT

Suprà

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Suprà Aeſim opidum in radicibus Apennini ſitum eſt opidum antiqui nominis MATILICA, Frontino memoratum. unde Plinio lib. III cap. XIIII ſunt *opidani* MATILICATES. Frontinus in libro de Coloniis: *Matilica opidum. ager eius eâ lege continetur, qua & Camerinus.* Fuiſſe aliquando *municipium*, teſtatur huius loci lapis antiquus; in quo, præter alia, hæc quoque leguntur verba: PATRONO · MVNICIPI · MVNICIPES · MAT Matilica municipium.

Suprà Matilicam ἐν αὐτοῖς, ut inquit loco præſcripto Strabo, τοῖς ὁρίζουσι τὴν Πικεντίνων ὄρεσιν, id eſt, *in ipſis, qui Picenum ab Vmbriâ diſterminant, montibus* ſitum eſt opidum, cui vulgare nunc vocabulum *Camerino*. id Cæſari ac Pompeio dicitur CAMERINVM; Straboni, ac Ptolemæo Καμαρῖνον, CAMARINVM. Cæſar Belli civilis lib. I: *A Lentulo Spinthere factus certior Vibullius, quæ res in Piceno gererentur, milites ab eo accipit; ipſum dimittit. item ex finitimis regionibus, quas poteſt, contrahit cohorteis ex delectibus Pompeianis. in iis Camerino fugientem Vlcillem Hirum, cum* VI *cohortibus, quas ibi in præſidio habuerat, excipit.* Apud Ciceronem ad Atticum lib. VIII epiſt. XVIII; quæ eſt Cn. Pompeii ad Domitium: *Cohortes, quæ ex Piceno & Camerino venerunt.* Ptolemæus in Vmbriæ deſcriptione: Σεντῖνον, Αἰσίσιον, Καμαρῖνον, Νουκερία. Id eſt: *Sentinum, Aeſiſium, Camarinum, Nuceria.* Strabo lib. V: Ἀπὸ δὲ Ῥαουέννης ἀρξάμενοι οἱ Ὀμβρικοὶ, κατέχουσι τὰ πλησίον, Σάρσιναν, Ἀρίμινον, Σήναν, καὶ Καμαρῖνον. Id eſt: *Vmbri ab Ravennâ initio ducto, tenent inde proxima, Sarſinam, Ariminum, Senam, Camarinum.* Opidani inde ſunt Plutarcho, in C. Mario, & item in libro Apophthegmatum regum atque imperatorum, communi urbis vocabulo Καμαρῖνοι, CAMARINI. atque eodem modo à *Camerino* ſunt CAMERINI Catoni apud Feſtum; *Camerinus*que *ager* Frontino. Feſtus in voce *Prorſus*: *Cato de Feneratione legis Iuniæ: Camerini cives noſtri opidum pulcrum habuêre; agrum optimum atque pulcherrimum; rem fortunatiſſimam.* Sed hæc gentilitia fortè rectiùs fuerint ab opidi primitivo nomine Καμαρία, CAMARIA; & Καμερία, CAMERIA. Appianus Civil. bellor. lib. V: Ἀγρίππας ἔπεισε μεταθέσθαι δύο τέλη Πλάγκου, ἀπολειφθέντα ἐν Καμερίᾳ. Id eſt: *Agrippa duas legiones Planci ad ſe pellexit, relictas Cameriæ.* Straboni pòſt eadem urbs adpellatur Καμέρτη, CAMERTA; ut ſuprà ad Aeſium perſpectum. & opidani etiam hinc Ciceroni, Salluſtio, Livio, Plinio, Silio, Frontino, ſunt CAMERTES. Silius lib. VIII, ubi Vmbriæ recenſet populos: Camerinum colonia

——— Et armis
Vel raſtris laudande Camers.

Salluſtius de Bello Catilinario: *Septimum quemdam Camertem in agrum Picenum dimiſit.* Cicero in oratione pro L. Cornelio Balbo: *Quum Camertium fœdus ſanctiſſimum atque æquiſſimum ſciret eſſet.* Mox: *Neque Fulginatium neque Camertium fœdere eſſe exceptum.* Et poſteà: *Cohorteis duas, univerſas Camertium.* Et pro L. Syllâ: *Num in agro Camerti, Piceno, Gallico.* Plinius lib. III cap. XIIII: *Aeſiſinates, Arnates, Aeſinates, Camertes, Caſuentani, Carſulani.* Frontinus Strategem. lib. I cap. II: *Q. Fabius Maximus bello Etruſco fratrem Fabium Cæſonem, peritum linguæ Etruſcæ, juſſit Etruſco habitu penetrare Ciminiam ſilvam, antè militi noſtro intentatam. quod is adeò prudenter atque induſtriè fecit, ut, transgreſſus ſilvam, Vmbros Camerteis, quum animadvertiſſet non alienos nomini Romano, ad ſocietatem compulerit.* Eam hiſtoriam fuſiùs refert Livius lib. VIIII: ubi ait *per Ciminios ſaltus usque ad Camerteis Vmbros penetraſſe Fabii fratrem. Ibi*, inquit, *qui eſſent, fateri Romanum auſum: introductumque in ſenatum, conſulis verbis egiſſe de ſocietate amicitiâque. atque inde comi hoſpitio acceptum, nunciare Romanis juſſum; commeatum exercitui dierum* XXX *præſtò fore, ſi ea loca intraſſet; juventutemque Camertium Vmbrorum in armis paratam imperio futuram.* Hinc illud lib. XXVIII, de militibus, quos Scipio in Africam, ad debellandos Carthaginienſeis, traduxit: *Camertes, quum æquo fœdere cum Romanis eſſent, cohortem armatam ſexcentorum hominum miſerunt.* Summa igitur ex Livii libro VIIII *Camerini* opidi adparet vetuſtas. conſul quidpe Q. Fabius Maximus cum C. Marcio Rutilio fuit anno ab urbe Româ conditâ CCCCXLIIII: id eſt, ante natum Ieſum anno CCCVIIII. quo tempore jam florentem potentemque fuiſſe urbem, ex fœdere patet, quod tanto ſtudio ex tam longinquo petierunt Romani. Verùm *Cluſium*, Etruriæ opidum, anteà adpellatum fuiſſe *Camars*, & *Camers*; unde Polybio lib. II incolæ dicuntur Καμέρτιοι, *Camertii*; Vmbrosque id cum reliquâ intra Apenni-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

num Etruriâ tenuiſſe, antequàm inde à Pelaſgis Tyrrhenis, jam inde aliquot ſæculis ante Troianum bellum, pellerentur, ſuprà cap. I, III, & IIII, huius libri II, oſtenſum eſt. circa annum ante natum Ieſum CIƆIƆXIII immigraſſe in Etruriam Pelaſgos, infrà lib. I oſtendetur. Nihil igitur credibilius, quàm incolas opidi Transtiberini *Camerteis*, quum à Pelaſgis pellerentur, in iſtas Vmbriæ Ciſtiberinæ parteis ſeſe recepiſſe; opidumque ibi in ipſo Apennini ſeptemtrionali latere, quà fines erant Picentium, novum condidiſſe; cui priſcæ ſedis nomen inditum. *Coloniam* poſtmodò factam Romanorum, patet ex Frontini libro de Coloniis. *Camerinum*, inquit. *ager eius limitibus maritimis & Gallicis continetur. finitur enim ſicut ager Faneſtris Fortunæ.*

PROLAQVEVM *opidum.*

Porrò inter Camerinum & Matilicam ſiniſtrorſum lacus eſt in Apennini valle, quem Potentia flumen exhaurit, cui opidum hodiè apud confluentem adpoſitum eſt vulgari vocabulo *Pioraco*. id antiquis fuiſſe dictum à ſitu ante lacum PROLAQVEVM, ut in Aequis ad Anienis ripam opidum ſub lacu erat *Sublaqueum*, ex Antonini diſco itinerario, ubi iter eſt huiusmodi:

Nucerie	
Dubios.	VIII.
Prolaque	VIII.
Septempeda	XVI.
Trea	VIIII.
Auximum	XVIII.

Ex his *Nuceria* & *Auximum* opida hodiéque detortis vocabulis dicuntur *Nocera* & *Oſimo*. mediam inter hæc *Septempedam* nunc eſſe opidum vulgò *S. Severino*, poſteà in Piceno patebit. inter hoc autem & Nuceriam ſitum eſt dictum opidum *Pioraco*.

PITVLVM *opidum.*

Ad caput prædicti lacus opidulum nunc eſt vulgari vocabulo *Piolo*. id, neſcio, an fuerit antiquitus PITVLVM; unde Plinio dicto lib. III cap. XIIII Vmbriæ populi opidani ſunt PITVLANI *cognomine* PISVERTES. Sed & alii fuêre *Pitulani*, cognomine MERGENTINI. *Oſtrani*, inquit Plinius, *Pitulani, cognomine Piſuertes; & alii, Mergentini*. Incertum igitur, utri eorum hoc loco fuerint.

SENTINVM *opidum.*

Vltra Camerinum & Matilicam, verſùs Vrbinum, in Apennini valle eſt opidum hodiè vulgari vocabulo *Sentina*: quod Straboni atque Ptolemæo ac Frontino dicitur Σεντῖνον, SENTINVM. unde Polybio ac Dioni opidani ſunt Σεντινάται, Plinio dicto lib. III cap. XIIII, Latino ore SENTINATES; & Livio lib. X, *ager Sentinas. Conſules*, inquit, *ad hoſteis, transgreſſo Apennino, in agrum Sentinatem pervenerunt.* Dio lib. XLVIII, de Auguſto loquens: Ὁ Καῖσαρ μεταστὰς ἐς τὴν Ὀμβρικὴν, Σεντινάτας ἐπολιόρκησε μὲν, οὐ μέντοι καὶ εἷλεν αὐτούς. Id eſt: *Cæſar inde in Vmbriam digreſſus Sentinates irrito conatu oppugnavit.* At apud Servium in Commentariis ad Virgilii Aeneid. lib. XI ita ſcriptum eſt: *Titinius in Sentinâ: Vidiſtin' Tiberim? Vidi. Qui illam derivet, beaverit agrum Sentinum.* In Sentini opidi agro, ut refert dicto lib. X Livius, pugnam illam Romani conſules, Q. Fabius Maximus Rullianus quintùm & P. Decius Mus quartùm, contra Gallos Senones, Etruſcos, Vmbros, atque Samniteis, pugnarunt; eò magis memorabilem, quia Decius in eâ, diis devotus, occubuit. quam hiſtoriam Polybius habet lib. II. ubi ἐν τῇ Σεντινατῶν χώρᾳ dicit; id eſt, *in Sentinatium agro*. Factum illud anno urbis Romanæ CCCCLVIII, ante Ieſum natum CCXCV. unde antiquitatem eius opidi colligas.

ATTIDIVM *opidum.*

Inter Sentinum Camerinumque & Matelicam nobile in primis nunc eſt opidum vulgari vocabulo *Fabriano*. in huius agro vicus, haud procul opido, vulgari vocabulo *Attiggio*, antiquas habet inſcriptiones. unde conjectura, opidum heic aliquando fuiſſe antiquum. Id ego cenſeo fuiſſe ATTIDIVM: unde Plinio dicto lib. III cap. XIIII opidani ATTIDIATES. *Amerini*, inquit, *Attidiates, Aſiſinates, Arnates, Aeſinates, Camertes*. Et in hunc ſitum conſentit liber Balbi: ubi in provinciâ Piceni inter opida *Potentiam, Sentinum, Tollentinum, Anconam, Auximum, Firmum, Senogalliam, Ricinam, Pauſulas, Aſculum, Camerinum, Matilicam & Septempedam, Atteiatis* quoque *opidi ager* memoratur. quod vocabulum, ut ferè cuncta reliqua in

iſtis

iſtis libris de Coloniis atque Agris, haud dubiè à barbaris exſcriptoribus corruptum fuit à genuino *Attidiatis*. Ex huius opidi ruinis poſteà haud dubiè originem habuit prædictum *Fabrianum* opidum.

Sed Græcorum quorumdam auctorum nugamenta circa hæc loca conſideraſſe juvet. Procopius Gothicar. rer. lib. IIII de Narſetis, Iuſtiniani in Italiâ exercitus contra Gothorum gentem ducis, per Venetiam juxta Padi oſtia & Ariminum, & inde per viam Flaminiam Romam verſùs itinere ita tradit: Ὁ δὲ Ναρσῆς οὐδὲ Ἀρίμινον ἢ ἄλλον τι χωρίον, πρὸς τῶν πολεμίων ἐχόμενον, ἐνοχλεῖν ἤθελεν, ὡς μή τις αὐτῷ τρίβοιτο χρόνος, μηδὲ τῷ παρέργῳ τῆς χρείας ἡ σπουδαιοτάτη διείργοιτο πρᾶξις. Ἀδεέστερον οὖν γεφύρᾳ τὸν ποταμὸν τὸν Ἀρίμινον παραρρέοντα ζεύξας, διεβίβαζε πόνῳ οὐδενὶ τὸν στρατὸν ἅπαντα. Ὁδοῦ δὲ τῆς Φλαμινίας ἐνθένδε ἀφέμενος, ἐν ἀριστερᾷ ᾔει. Πέτρας γὰρ Περτούσης καλουμένης, ἧς πέρι μοι ἐν τοῖς ἔμπροσθεν δεδιήγηται λόγοις, τὸ ὀχύρωμα καρτερὸν χωρίον φύσει, κατειλημμένον τοῖς ἐναντίοις πολλῷ πρότερον, ἀπόρευτα λείπει Ῥωμαίοις καὶ παντάπασιν ἀδιέξοδα, ὅπου γε κατὰ τὴν Φλαμινίαν ὁδὸν ὄντα ἐτύγχανεν. Ὁδὸν οὖν ὁ Ναρσῆς διὰ ταῦτα τὴν ἐπιτομωτέραν ἀφεὶς, τὴν βάσιμον ᾔει. Τωτίλας δὲ, πεπυσμένος ἤδη τὰ ἐν Βενετίαις ξυνενεχθέντα, Τείαν μὲν τὰ πρῶτα καὶ τὴν ξὺν αὐτῷ στρατιὰν προσδεχόμενος, ἐν τοῖς ἀμφὶ Ῥώμης χωρίοις ἡσυχῇ ἔμενεν. ἐπεὶ δὲ παρῆσαν, παντὶ ἄρας τῷ στρατῷ, ὡς τοῖς πολεμίοις ἐν ἐπιτηδείῳ ὑπαντιάσων, ᾔει. Ὅλην οὖν Τουσκίαν ἀμείψας, καὶ ἐν ὄρει τῷ Ἀπεννίνῳ καλουμένῳ γενόμενος, αὐτοῦ ἐνστρατοπεδευσάμενος, ἔμεινεν ἄγχιστα κώμης, ἥνπερ οἱ ἐπιχώριοι Ταγίνας καλοῦσιν. ἥ τε Ῥωμαίων στρατιὰ, Ναρσοῦ ἡγουμένου, [οὐ] πολλῷ ὕστερον ἐν τῷ ὄρει καὶ αὐτοὶ τῷ Ἀπεννίνῳ ἐνστρατοπεδευσάμενοι ἔμενον, σταδίους ἑκατὸν μάλιστα ἀπὸ τῶν ἐναντίων στρατοπέδου, ἐν χωρίῳ ὁμαλῷ μὲν, ἄγχιστα δέ πη τάφους περιβεβλημένῳ πολλούς: ἵνα δὴ στρατηγοῦντά ποτε Ῥωμαίων Κάμιλλον τῶν Γάλλων ὅμιλον διαφθεῖραι μάχῃ νενικηκότα φασί. Φέρει δὲ καὶ ἐς ἐμὲ μαρτύριον τοῦ ἔργου τὴν προσηγορίαν ὁ χῶρος, καὶ διασώζει τῇ μνήμῃ τῶν Γάλλων τὸ πάθος, Βοῦστα Γαλλόρων καλούμενος. Βοῦστα γὰρ Λατῖνοι τὰ ἐκ τῆς πυρᾶς καλοῦσι λείψανα· τύμβοι τε τῇδε γεώλοφοι τῶν νεκρῶν ἐκείνων παμπληθεῖς εἰσιν. * —— * —— *. Σταδίους δὲ ἀνύσαντες οἱ Γότθοι τέσσαρας καὶ ὀγδοήκοντα, ἐς χωρίον ἀφίκοντο Κάπρας ὄνομα. οὗ δὴ τὸ λοιπὸν ἡσυχάζοντες, Τωτίλα τὴν πληγὴν ἐθεράπευον. ὅσπερ οὐ πολλῷ ὕστερον τὸν βίον ἐξεμέτρησεν. Hoc eſt: *Narſes neque Ariminum nec ullum aliud opidum, quod ab hoſtibus teneretur, adgredi volebat: ne qua mora rei maximè ſeriæ, quam in animo habebat, injiceretur. Itaque flumine, quod Ariminum præfluit, ſine metu ponte juncto, facilè univerſum exercitum transmiſit. omiſſoque Flaminiæ viæ itinere, ad lævam tetendit. quidpe caſtellum Petræ pertuſæ; cuius in ſuperioribus libris mentionem fecimus; locus ſuapte naturâ munitiſſimus, jam dudum ab hoſtibus occupatum erat. quare via Flaminia Romanis planè occluſa fuit. Narſes itaque breviore itinere relicto, id, quo transitus patebat, ingreſſus eſt. At Totila, quum ea, quæ in Venetis geſta erant, accepiſſet; circa Romam quietus ſe continuit; Teiam cum exercitu, qui illi aderat, operiens. qui quum adveniſſet, cum univerſis copiis hoſtibus obviam ivit. omnemque Tuſciam emenſus, ad Apenninum montem caſtris propè vicum Taginas poſitis, illic ſubſtitit. Romanorum verò exercitus, Narſete duce haud multo pòſt & ipſe in monte Apennino caſtris locatis ſubſtitit; ſtadiis ad ſummum centum ab hoſtium caſtris; in loco quidem plano; ſed ſepulcrorum tumulis cincto. ubi olim à Camillo, Romani exercitus duce, Gallorum copias cæſas ferunt. & meâ etiam ætate locus is prœlii adpellationem retinet, cladisque Gallorum memoriam cuſtodit,* BVSTA GALLORVM *dictus. nam buſta Latini rogi reliquias adpellant. tumulique cæſorum frequentiſſimi heic viſuntur.* Narrat hinc, quo modo Totila cum Gothis prope câſtra Narſetis adceſſerit: ubi pugna inter utrumque exercitum commiſſa eſt; qua fuſus fugatusque retro Totila, vulnere letali in fugâ accepto. de qua fugâ ita tandem concludit: *Stadia emenſi* LXXXIIII, *in opidum pervenerunt nomine Capras. ubi ſubſiſtentes, vulnus Totilæ curaverunt. ſed is haud multo pòſt vitam finivit.* Sanè conſtat, Camillum nullam in Apennino monte cum Gallis conſeruiſſe pugnam; niſi ſi potior apud nos ſit fides auctoritasque Procopii, quàm Livii atque Plutarchi, & quotquot alii de Camilli cum Gallis prœliis auctores graviſſimi hiſtoriam adnotarunt. Ex his Livius lib. XXII tradit de Camillo: *Vir, ac verè Romanus, quo die, dictatorem ex auctoritate patrum juſſuque populi dictum, Veios allatus eſt nuncius; quum eſſet ſatis altum Ianiculum, ubi ſedens proſpectaret hoſtem; deſcendit in æquum.. atque illo ipſo die mediâ in Vrbe, quà nunc Buſta Gallica ſunt, & poſtero die circa Gabios cecîdit Gallorum legiones.* At ne heic quidem in urbe Româ inde *Buſtis* iſtis *Gallicis* nomen natum, quòd ibi Galli à Camillo victi crematique ſint; ut narrat Procopius. Idem Livius lib. V; ubi id bellum Gallorum Senonum obſidionemque Ca-

pitolii deſcribit; *Ante omnia*, inquit, *obſidionis bellique mala, fames utrimque exercitum urgebat. Gallos peſtilentia etiam; quum, loco jacente inter tumulos caſtra habenteis, cùm ab incendiis torrido & vaporis pleno, cineremque non pulverem modo ferente, quum quid venti motum eſſet, (quorum intolerantiſſima gens eſt, humori ac frigori adſveta) tùm æſtu & angore vexati, vulgatis velut in pecora morbis, morerentur. jam, pigritiâ ſingulos ſepeliendi, promiſcuè acervatos cumulos hominum urebant. buſtorumque inde Gallicorum nomine inſignem locum fecêre.* Ex antiquo tamen aliquo ſcriptore illa ſua Procopium hauſiſſe, patet ex Appiano; qui ætatem eius CCCC annis præceſſit. is quidpe in Hannibalicis rebus ſic tradit: Τὰ Ἀπεννῖνα ὄρη κατέρχεται μὲν ἐκ μέσων τῶν Ἀλπίων ἐπὶ θάλασσαν, ἔστι δ' αὐτῶν τὰ μὲν ἐπὶ δεξιᾷ πάντα καθαρῶς Ἰταλία, τὰ δ' ἐπὶ θάτερα ἐς τὸν Ἰόνιον φθάνοντα, νῦν μέν ἐστι καὶ ταῦτα Ἰταλία, οἰκοῦσι δ' αὐτῶν τὰ μὲν Ἕλληνας ἀμφὶ τὴν Ἰόνιον ἀκτὴν, τὰ δὲ λοιπὰ Κελτοὶ, ὅσοι τῇ Ῥώμῃ τὸ πρῶτον ἐπιθέμενοι, τὴν πόλιν ἐνέπρησαν· ὅτε γὰρ αὐτοὺς ἐξελαύνων Κάμιλλος ἐδίωκε μέχρι τῶν Ἀπεννίνων ὀρῶν, ἐμοὶ δοκοῦσιν, ὑπερβάντες αὐτὰ, ἀντὶ ἠθῶν τῶν ἰδίων, παρὰ τὸν Ἰόνιον οἰκῆσαι· καὶ τὸ μέρος τῆς χώρας ἔτι νῦν οὕτως καλοῦσιν Ἰταλίαν Γαλατικήν. Hoc eſt: *Apenninus mons ex mediis Alpibus in mare procurrit. ad cuius dextrum latus ea eſt, quæ verè Italia dicitur; à ſiniſtro, ad Ionium mare, nunc quidem Italia eſt; at partem tamen eius circa litus Ionium incolunt Græci, partem Galli, qui quomdam Romam bello adorti incenderunt. quos quum Camillus fugienteis ad Apenninum usque perſequutus fuiſſet; ſuperato monte, ut mea fert opinio, pro ſedibus patriis juxta Ionium mare conſederunt. unde nunc quoque partem eius regionis Gallicam Italiam nominant.* En, quanta horum hominum fuerit ignorantia. Galli Senones, qui urbem Romam ceperant atque incenderant, à Camillo cæſi fuêre, primùm in ipsâ urbe, quà *Buſta* fuerunt *Gallica*; dein in agris circumjectis. annis XCIII pòſt, Q. Fabio V & P. Decio IIII conſulibus, eadem gens unà cum Etruſcis Vmbrisque ac Samnitibus, in ulteriore Apennini latere agro Sentinate à Fabio victi ſunt: quo prœlio Polybius, dicto lib. II τοὺς πλείστους, id eſt, *plurimam eorum partem* obtruncatam, Livius verò, dicto lib. X *cæſa* XXV *millia* fuiſſe, teſtantur. à qua clade poſteà locus hic & ipſe AD BVSTA GALLORVM adpellatus eſt. Hæc duo tam longinquo XCIII annorum intervallo inter ſe diſtantia bella & pugnarum loca in unum Græculi illi confuderunt. cui errori magnam anſam præbuit vicini opidi *Nuceriæ* cognomen *Camellaria*; de quo ſequenti hinc capite dicemus: quod illi à *Camilli* nomine ei impoſitum, ſuſpicati magis ſunt, quam compertum habuêre. Gotefridi Viterbienſis, longè poſterioris ſcriptoris, eâdem de re multo abſurdiora nugamenta in medium adferre pigebat; ni huiusmodi etiam tenebrionibus vulgò fides, ſine ullâ διακρίσει, haberetur. Is igitur Chron. lib. VIIII ita tradit: *Anno ab Vrbe conditâ* CCCLXIIII *Svevi & Senones Galli, id eſt, Burgundiones & Allobrogi, ſub duce Brennio Italiam intrant; Romam petunt: Fabium conſulem, bello eis occurrentem, cum toto exercitu ſuo exſtinguunt; & univerſam juventutem Romanam occidunt; domos ſubvertunt: & mille viros, exſtinctis aliis, in Capitolium obſeſſos conſtringunt. à quibus tandem mille libris auri in tributum receptis, diſcedunt: & revertentes à conſule Camillo apud fluvium Metaurum, ubi nunc eſt civitas Fanum, vincuntur. tunc etiam ibi Fanum ad honorem Fortunæ ædificarunt. unde & Fanum civitas nuncupatur.* En, legerat aliquando, in Germaniâ *Semmonas* & *Burgundiones* fuiſſe *Svevicas* nationes: legerat, Q. Fabium Max. Aemilianum bellum geſſiſſe cum Allobrogibus apud Rhodani Iſaræque confluenteis: item, Burgundiones poſteà Galliæ partem obſediſſe; quæ Allobrogibus erat proxima: tum Haſdrubalem Hannibalis fratrem, apud Metaurum amnem cum exercitu à cōnſulibus Romanis fuiſſe cæſum: denique Camillum Gallos *Senones*, qui Romam occupaverant, fudiſſe atque fugaſſe. Hæc tam diverſa bella atque loca tamque diverſos populos ineptus ille ac maximè ridiculus hiſtoricus in unum commiſcuit. Cæterùm exſtat hodiè in Apennino, inter Sentinum, Fabrianum, Matilicam, & Sigillum opida, quorum hoc in viâ eſt Flaminiâ, opidum vulgari vocabulo *Boſta*; quod plerique notiore vulgaris lingvæ vocabulo, quod Latinè valet *ſufficit*, ſeu *ſatis eſt*, adpellant *Baſta*. id ex eo nomine, tum ex ſitu, cognoſcitur eſſe vetera illa *Buſta Gallorum*. Ab auſtrino Apennini latere, haud procul Sigillo opido verſùs meridiem, eſt opidulum vulgò *Capraia* dictum. quod & ipſum ex nominis ſitusque documento deprehenditur eſſe vetus illud opidum

AD CAPRAS, *locus.*

CAPRAE; ſive AD CAPRAS: in quo ex ſuprà dicto vulnere mortuus eſt Totila,

tila, Gothorum rex. Vehementer heic erravit Leander Albertius; qui pugnam iſthanc commiſſam tradit in ipsâ viâ Flaminiâ, apud vicum, qui, apud Candiani Buranique amnium confluenteis, vulgò nunc dicitur *Acqualagna:* atque inde retro fugiſſe ad opidulum ſeu vicum, qui in Etruriâ inter Arretium & Tiberis fontem vulgò vocatur *Capreſe*; ibique exſtinctum eſſe. quo intervallo, vehementer ego miror, qua ratione Leander LXXXIIII Procopii ſtadia interpretatus eſt X millia paſſuum; quum re verâ ſint illic millia XL ampliùs. At conſideraſſe debebat, dictum vicum *Acqualaniam* in ipsâ eſſe viâ Flaminiâ & à *Petrâ Pertusâ*, quæ nunc dicitur *Il Furlo*, IIII haud ampliùs millia abeſſe: Narſetem verò cum Romano exercitu, quia ob præſidium Petræ Pertuſæ viâ Flaminiâ non poterat, ſiniſtrorſum ab eâ & anguſtiis eius, quæ ſunt circa Metaurum & Candianum Buranumque amneis, deflexiſſe ad illa *Buſta Gallorum*. Verùm Leandrum nihil æquè heic fefellit, ac nomen *Tuſciæ* regionis: quo ille veterem Etruriam inter Tiberim Apenninumque & mare Etruſcum intellexit; quum Procopius ſui ſæculi conſvetudine & uſurpatione eam voluerit *Tuſciam*, cuius pars erat Vmbria intra Apenninum; ut fine huius operis docebitur. Quin paullo pòſt ipſe Procopius, Ναρσῆς δὲ, inquit, ἐπὶ Ῥώμην ἤει. ἐν Τούσκοις τε γενόμενος, τὴν Ναρνίαν ὁμολογίᾳ εἷλεν. Id eſt: *Narſes Romam contendens, in Tuſcis Narniam per deditionem cepit*. At verò, quum LXXXIIII ſtadia millia paſſuum ferè conficiant XI, ſeptena ſtadia cum dimidio in ſingula milliaria more illius ævi computando; milliaria hodiè X inter prædicta opida *Boſtam* & *Caprariam* noſcuntur. TAGINAE igitur *vicus*, ſecundùm Procopii dimenſionem, XVI ſtadia, id eſt, duo millia paſſuum cum uno ſtadio à Capris opido, verſùs meridiem & urbem Romam, abfuit. ex quo intervallo ac ſitu colligo, eum locum fuiſſe circa vicum, qui in valle Sibolæ fluminis, vulgò dicitur *S. Pelegrino*. Cæterùm ipſa Flaminia via in Itinerariis antiquis deſcribitur hoc modo, ab monte Apennino ad Fanum usque Fortunæ: TAGINAE *vicus*.

Hieroſolymitano;		Tabulæ;		Antonini;	
C. Nuceria		*Nuceria*			
C. Ptanias	VIII.	|			
Ma. Hellebelloni	VII.	*Halvillo*	XV.	*Helvillo vicus*	
Mu. Adheſis	X.	*Ad enſem*	X.	|	
Mu. Ad Calem	XIIII.	*Ad Calem*	VII.	*Calle vicus*	XXIII.
Mu. Interciſa	IX.	*Ad Interciſa*	VIIII.	|	
C. Foro Simpronî	IX.	*Foro Sempronî*	XII.	*Foro Semproni*	XVIII.
Mu. ad Octavum	IX.	|		|	
C. Fano Fortunæ	VIII.	*Fan Fortune*	XII.	*Fano Fortunæ*	XVI.

Ex his *Nuceria* etiamnunc vulgò vocatur *Nocera:* de qua poſteriùs dicemus. hinc *Gualdum Foſſatum*que transeuntibus millia paſſuum ſunt ferè XIII ad opidum usque *Sigillum:* quod antiquo nomine fuit SVILLVM: unde Plinio, prædicto lib. III cap. XIIII, Vmbriæ populi opidani ſunt SVILLATES. Idem opidum medio ævo dictum fuiſſe HELVILLVM, conſenſui trium Itinerariorum credamus, neceſſum eſt; SVILLVM *opidum, quod &* HELVILLVM. quando etiam intervalla utrimque adpoſita, hinc ad Nuceriam XV, illinc ad CALEM, ſive vicum, ſive opidum, quod nunc vulgò dicitur *Cagli*, epiſcopali ſede & antiquiſſimo viæ Flaminiæ ponte clarum, XVII ſive XVIII millium paſſuum. nam hodiè quoque hoc intervallo numerantur vulgò XVII millia: at ipſemet ego pede meo permenſus ſum re verâ XVIII. in quo numero apud Antoninum V corruptum eſt in X: in Hieroſolymitano autem itinerario alter numerus VIII in XIIII. Inter *Nuceriam* verò & *Helvillum*, ſive *Suillum*, non eâ viâ meabat iter, qua nunc, per prædicta loca vulgò *Gualdo* & *Foſſato* dicta: ſed inde ſiniſtrorſum deflectebat ad ſuprà dictum vicum *Caprariam*. qui quum olim etiam plurali numero diceretur CAPRARIAE; ob liquum hinc caſum auctor itinerarii Hieroſolymitani ſcripſerat *Caprarias*. quod poſteà vocabulum exſcriptores vitiarunt in *C. Ptanias*; eâ occaſione inducti, quòd præcedebat *C. Nuceria*. At opidum heic inter Nuceriam & Suillum nullum tanti ſplendoris umquàm fuit, uti *civitas*, quemadmodum ipſa *Nuceria* & *Forum Sempronii* ac *Fanum Fortunæ*, adpellari fuerit dignum. De cæ- CALES *opidum*.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

tero apud Servium in Commentariis ad Virgilii Aeneid. lib. VII ita ſcriptum eſt: *Cales civitas eſt Campaniæ. nam in Flaminiâ eſt, quæ Cale dicitur.* Id mirum, tres iſtos auctores, Servium, Antoninum, & Hieroſolymitani itinerarii ſcriptorem, in terminatione huius vocabuli in *le*, ac ſi neutrius generis fuiſſet, quemadmodùm illa, *Tergeſte*, *Tridente*, *Ateſte*, *Cære*, *Reate*, *Teate*, *Præneſte*, *Apeneſte*, tam unanimiter inter ſe convenire. nec tamen illud Tabulæ *Ad Calem* de nihilo eſſe videtur. Verùm quod heic ſtatuam, certi nihil habeo. niſi fortè, ut mons in Etruriâ, de quo ſuprà cap. III egimus, modò genere neutro *Soracte*, modò maſculino *Soractes*, promiſcuè dictus fuit; ſic etiam huius opidi nomen uſurpatum fuiſſe credas.

AD ENSEM, *locus; quod poſteà* LVCEOLI *opidum.*

Cæterùm locus ille AD ENSEM, X millia paſſuum ab Helvillo, VIII ab Cale diſſitus, ex iis intervallis diſpicitur fuiſſe inter duo nunc opida, quorum vulgaria vocabula *Schieggia* & *Canthiano*; tria ab hoc, IIII ab illo paſſuum millia remotus. quo loco etiam nunc exigua quædam, ſed ſuperiori ætate multo maiora veteris opidi conſpecta ſunt veſtigia: à quibus haud procul abeſt, verſùs Canthianum, parvus vicus, vulgò *Ponte Riccioli* dictus. Id nominis locus habere putatur ab antiquo opido, cuius prædictæ ſint reliquiæ, Paullo Diacono & Anaſtaſio Bibliothecario LVCEOLI dicto. Paullus Langobard. rer. lib. IIII cap. XXXV: *Poſt hæc Eleutherius Patricius, eunuchus, imperii jura ſuſcepit. qui, dum à Ravennâ Romam pergeret, in caſtro Luceolis à militibus interfectus eſt.* Et eodem libro anteà, cap. VIII: *Hac etiam tempeſtate Romanus, patricius, & exarchus Ravennæ, Romam properavit. qui, dum Ravennam revertitur, recepit civitates, quæ à Langobardis tenebantur: quarum iſta ſunt nomina; Sutrium, Polimartium, Horta, Tudertum, Ameria, Peruſia, Luceoli; & alias quasdam civitates.* Anaſtaſius in vitâ Gregorii papæ: *Eodem tempore venit Romanus Patricius & Exarchus Romam: &, dum reverteretur Ravennam, retinuit civitates, quas Langobardi tenebant, Sutrium, Polimartium, Hortas, Tudertum, Ameriam, Peruſiam, Luceolis, & alias multas.* Ex ſuperiore loco Diaconi patet, caſtrum iſtud, cui nomen *Luceoli*, fuiſſe in eâdem Flaminiâ viâ, qua Ravennâ Romam ibatur. liquidas verò *l* & *r* facilè in Italico ſermone inter ſe commutari, innumeris exemplis demonſtrari poteſt. nec mirum fuerit, locum, qui antè dictus ſit *Ad Enſem*, poſteà mutaſſe id vocabuli in novum *Luceolorum* nomen; quando eius etiam rei numeroſa ſint exempla in unâ hac noſtrâ Italiâ.

FORVM SEMPRONII *opidum.*

Hinc FORVM SEMPRONII hodiéque antiquum nomen, ſed mirè detortum, ſervat, vulgò *Foſſombrone* & *Foſſombruno* dictum; opidum lautum & amœnum; ſed ab antiquâ ſede ad 10 paſſus remotum. Ptolemæo, ut omnia alia *Fora*, ſic hoc etiam maſculino dicitur φόρος Σεμπρωνίου. at Straboni lib. V neutro genere eſt, ut reliqua omnia, Φόρον Σεμπρώνιον, FORVM SEMPRONIVM. Plinio inde *opidani* ſunt prædicto lib. III cap. XIIII FOROSEMPRONIENSES. Cæterùm Strabo quidem id opidum inter minora Vmbriæ computat. at inſcriptionibus duabus, quæ heic exſtant, *municipium* vocatur. Strabonis verba lib. V, poſtquàm urbeis viæ Flaminiæ recenſuit, hæc ſunt: Καὶ ἄλλαι δ' εἰσὶ κατοικίαι, διὰ τὴν ὁδὸν πληθυνόμεναι μᾶλλον, ἢ διὰ πολιτικὸν σύστημα, Φόρον Φλαμίνιον, καὶ Νουκερία, καὶ Φόρον Σεμπρώνιον. Id eſt: *Sunt & alia opidula, magis itineris causâ frequentata, quàm ob civilis corporis conſtitutionem; Forum Flaminium, Nuceria, Forum Sempronium.*

AD OCTAVVM *locus.*

A Foro Sempronii quum hodiè XV numerentur ad Fanum usque millia paſſuum, Tabulæ & Antonini numerus XVI millium ei intervallo magis convenit, quàm Hieroſolymitani itinerarii millia XVII. Medio igitur fuit itinere locus ille AD OCTAVVM, intellige *lapidem* ſeu *milliare*, inter prædicta opida, circa vicum cui vulgare vocabulum *Saltara*.

SAXA INTERCISA, *ſive* PETRA PERTVSA, *locus.*

At ſupra Forum Sempronii ſitus loci AD INTERCISA planè incertus redderetur discrepantiâ præſcriptorum trium itinerariorum; niſi eumdem diſertiùs alii deſcripſiſſent auctores. Primùm, quid vocabulum *Interciſa* heic valeat, patet ex Ciceronis ad Atticum lib. IIII epiſt. XIIII; ubi, *Lacus Velinus*, inquit, *à M'. Curio emiſſus, interciſo monte, in Narem defluit.* Hinc Claudianus in Panegyrico de VI conſulatu Honorii:

Dixit; & antiquæ muros egreſſa Ravennæ,
Signa movet.
Lætior hinc Fano recipit Fortuna vetuſto:
Deſpiciturque vagus præruptâ valle Metaurus;

Quà

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Quà mons arte patens vivo ſe perforat arcu,
Admittitque viam ſectæ per viſcera rupis.

Et Sex. Aurelius Victor in Veſpaſiano, ac Paullus Diaconus Hiſtoriæ miſcellæ lib. VIIII, Freculfus tomi ſecundi lib. II cap. II: *Per omneis terras, quà jus Romanum eſt, renovatæ urbes cultu egregio viæ operibus maximis munitæ ſunt. tunc cavati montes per Flaminiam ſunt prono transgreſſui: quæ vulgariter Pertuſa petra vocitatur.* Procopius Gothicar. rer. lib. II: Οἱ μὲν διὰ Φλαμινίας ὁδοῦ πορευόμενοι, λίαν τι τοὺς βαρβάρους προτερήσαντες, ᾔεσαν· ἅτε γὰρ ἐν πολλῷ ὁμίλῳ οἱ Γότθοι σχολαίτεροι ἐπορεύοντο, καὶ περιόδοις ἠναγκάζοντο μακραῖς ἰοῦσι, τῇ τε ἀναγκαίων τῇ ἀπορίᾳ, καὶ τῶν ἐν Φλαμινίᾳ ὁδῷ ὀχυρωμάτων ἥκιστα ἐθέλοντες ἄγχιστά πη ἰέναι. ἐπεὶ αὐτῶν οἱ πολέμιοι, ὥσπερ μοι ἔμπροσθεν δεδήλωται, Ναρνίαν τε καὶ Σπολέτιον καὶ Περυσίαν εἶχον. Ῥωμαίων δὲ τὸ στράτευμα, ἐπειδὴ τῇ Πέτρᾳ ἐνέτυχον, ὁδοῦ ποιούμενοι πάρεργον, ἀπεπειράσαντο τοῦ ταύτῃ φρουρίου. ἀλλὰ τοῦ χωρίου ἡ φύσις ἐξεῦρεν. ὁδὸς γὰρ ἐς ἄγαν κρημνώδης. ταύτης δὲ τῆς ὁδοῦ ἐν δεξιᾷ μὲν ποταμός τις οὐδενὶ ἐσβατὸς, ὀξύτητι τοῦ ῥοῦ κατῇσσεν· ἐν ἀριστερᾷ δὲ οὐ πολλῷ ἄποθεν πέτρα ἀνέχει ἀπότομός τε καὶ ὕψους εἰς τόσον διήκουσα, ὥστε τοῖς κάτω οὖσι φαινόμενοι οἱ ἄνθρωποι οἱ ἐν τῇ ἄκρᾳ (εἴ που τύχοι) ἑστήκασιν, ὄρνισι τοῖς σμικροτάτοις τοῦ μεγέθους πέρι εἰκάζονται· προϊόντι διέξοδος οὐδεμία τὸ παλαιὸν ἦν. λήγουσα γὰρ ἡ πέτρα εἰς αὐτόν που μάλιστα τοῦ ποταμοῦ τὸν ῥοῦν διήκει, διαβαίνειν τοῖς ταύτῃ ἰοῦσιν οὐδεμίαν παρεχομένη. Διώρυχα τοίνυν ἐνταῦθα οἱ πάλαι ἄνθρωποι ἐργασάμενοι, πυλίδα τῷ χωρίῳ ταύτῃ πεποίηνται. φράξαντες δὲ καὶ τῆς ἑτέρας εἰσόδου τὸ πλεῖστον, πλήν γε δὴ ὅσον πυλίδα κἀνταῦθα λελεῖφθαι, φρούριόν τε αὐτοφυὲς ἀπειργάσαντο, καὶ Πέτραν αὐτὸ, λόγῳ τῷ εἰκότι, ἐκάλεσαν. Hoc eſt: *At illi viâ Flaminiâ profecti, Barbaros longè anteverterunt: utpote Gothis gravi cùm exercitu lentiùs procedentibus; magniſque ambagibus, ob rerum neceſſariarum penuriam, uti coactis, tum, quia munitionibus Romanorum, in viâ Flaminiâ ſitis, adpropinquare nolebant: quum hoſtes, ut ante dictum, Narniam, & Peruſiam, occupaſſent. Romanorum autem exercitus quum in Petram incidiſſet, ex itinere præſidium, quod eo loci erat, tentarunt. Id non hominum manu factum erat: ſed à naturâ ipſius loci effictum. via enim eſt perquàm ardua & præceps: ad cuius dextrum latus flumen, trajectui minimè opportunum, rapidiſſimo curſu prælabitur. ad ſiniſtrum, haud procul inde, rupes exſiſtit prærupta, & in tantam altitudinem erecta, uti homines in vertice eius conſtituti, iis, qui ex imo eos conſpiciunt, minutiſſimis avibus ſimiles eſſe videantur. Progredienti verò nullus olim tranſitus patebat; petrâ in ipſum fluminis alveum pertingente, nullumque ex eâ parte iter præbente. Quapropter priſci mortales cuniculum heic perrumpentes, portulam loco aperuerunt. Obſtructâ verò etiam alterius introitus maximâ parte, præterquàm quòd portulam etiam ibi reliquerunt; munimentum naturâ firmiſſimum effecerunt. idque Petram à rei argumento adpellarunt.* Et lib. IIII, præter eum locum, quem ſuprà adſcripſi, haud multo pòſt: Ῥωμαῖοι δὲ τὸ ἐν Πέτρᾳ τῇ Περτούσῃ καλουμένῃ ὀχύρωμα εἷλον. Id eſt: *Romani munimentum ad Petram Pertuſam ceperunt.* Et paullo pòſt: Ναρσῆς δὲ τούς τε ἀμφὶ τὸν Ἰωάννην καὶ Φιλημοὺθ μετεπέμπετο, οἳ τὴν δίοδον ἐν Τούσκοις ἐφρούρουν· καὶ Βαλεριανὸν, ἄρτι Πέτραν ἐξαιροῦντα τὴν Περτοῦσαν καλουμένην, μετεκάλει. Hoc eſt: *Narſes Ioannem & Filimuthem adcerſebat; qui tranſitum in Tuſcis cuſtodiebant: Valerianumque, qui nuper Petram Pertuſam expugnaverat, revocabat* Ex hac igitur tot auctorum deſcriptione locus iſte AD SAXA INTERCISA, ſive AD PETRAM PERTVSAM, ſeu PERFORATAM, nullus alius eſt, quàm qui, VIIII millia paſſuum à Cale, ut rectè habet Hieroſolymitanum itinerarium, & VI à Foro Sempronio, vulgò nunc vocatur *Il Furlo*, & nonnumquam *Il Saſſo forato*, apud lævam Metauri amnis ripam. ubi altiſſima duriſſimaque rupes, ingenti præcipitio Metaurum ſtringens, ferro perforata eſt, in longum, ut doctiſſimus comes itineris mei Italici, Luca Holſtenius Hamburgienſis, juvenis [illegible], paſſibus ſuis dimenſus eſt, ad XXXV paſſus; in latum V; totidemque in altum. Inſcriptio antiqua, quæ ab eâ parte exſtitit, qua à Cale advenientes ingrediuntur, planè eraſa eſt; ab altera parte, quæ Forum Sempronium verſus proſpicit, hæc verba etiamnunc disertè leguntur:

IMP · CAESAR · AVG
VESPASIANVS · PONT · MAX
TRIB · POT · VII · IMP · XVII · P · P · COS · VIII
CENSOR · FACIVND · CVRAVIT

Ptolemaicæ geographiæ paullo vetuſtior verſio Latina eodem hoc Vmbriæ tractu

 habet

habet verba iſta: *Pertia, ſive Peruſia.* Sive ipſe Ptolemæus, ſive gloſſemator quidam eius ex Procopio adſcripſerat Πέτρα ἢ Περτοῦζα. id poſteà quum non perciperet interpres; fortè quia obſcuræ erant literæ; legit inde Περτία ἢ Περοῦσια.

Svasa municipium. In eâdem Ptolemæi tabulâ Italiæ inter prædictam *Petram* & *Forum Sempronii* eſt *opidum* Σουάσα, Svasa. unde Plinio dicto lib. III cap. XIIII opidani erant Svasani: qui nunc in vulgatis exemplaribus leguntur corrupto vocabulo *Suarani*; & peiùs in pleriſque antiquis *Suareani*. Eius opidi ruinæ exſtant in dextrâ Senæ, ſive, ut nunc vocatur, Ceſani amnis ripâ, ſub opido, cui vulgaris adpellatio *Caſtel Leone*. ubi præclara etiamnunc viſuntur antiquitatum monimenta in aquæductuum, ſepulcrorum, fontium, balneorum, ſuperbiſſimique theatri, item murorum portarumque in iis quatuor, reliquiis. ſed & inſcriptiones heic complures repertæ: quarum duæ inter alia hæc referunt verba:

1.	2.
SVASAE	DVOMVIRO · QVINQ.
REIPVBLICAE	*
SVASEORVM	MVNICIPIB · INCOLEIS.

Harum prior poſteriori videtur ævo confecta; quo barbari grammatici, ut nunc ferè fit, eiusmodi gentilia vocabula Græco modo formabant in αῖος. quidpe ut Latinorum *Romani*, *Agyllani*, *Piſani*, *Ruſellani*, *Coſani*, *Fæſulani*, Græcis erant Ῥωμαῖοι, Ἀγυλλαῖοι, Πισαῖοι, Ῥουσελλαῖοι, Κοσαῖοι, Φαισολαῖοι· ſic illi etiam dictæ inſcriptionis auctores Latinorum *Suaſanos* fecêre Σουασαίους, *Suaſæos*. quod tamen ipſum peiori inſuper barbariſmo, ut hodiéque ferè à doctis etiam cætera viris fit, fœdarunt in *Suaséos*. Fuiſſe *municipium*, ex utroque lapide conſtat.

Ostra opidum. Cæterùm inter Suaſam & Senam Gallicam eidem Ptolemæo eſt Ὄστρα, Ostra *opidum*. à quo Plinio dicto loco opidani ſunt, Ostrani. Id opidum docti huius regionis viri volunt fuiſſe eo loci, ubi nunc opidum vulgari vocabulo *Corinaldo* conſpicitur. ſed ea fortaſſis mera conjectatio eſt, ex Ptolemæi poſitione ſumpta.

Vrbinvm, municipium. Ab occidentali dictæ Flaminiæ viæ latere, medio ſitu inter Metaurum Piſaurumque flumina, eſt Vrbinvm *opidum*, Tacito, Procopio, ac Paullo Diacono memoratum; vulgò nunc *Vrbino* dictum. unde Plinio dicto lib. III cap. XIIII ſunt opidani Vrbinates. Tacitus Hiſtoriar. lib. III: *Fabius Valens Vrbini in cuſtodiâ interficitur.* Plinius dicto loco: *Vrbinates, cognomine Metaurenſes; & alii, Hortenſes.* Quum *Metaurenſes* haud dubiè in ipsâ Metauri amnis ripâ fuerint; unde & nomen; ſine controverſiâ illud, quod etiamnunc prædicto ſitu cum antiquo nomine extſat, cognominatum fuit Vrbinvm Hortense. Procopio more eius ævi feminino genere, ut alia pleraque, eſt ἡ Οὔρβινος, *Vrbinus*. Eius ſitum lib. II rer. Gothicar. ita deſcribit: Κεῖται δὲ Οὔρβινος ἐπὶ λόφου περιφεροῦς τε καὶ ὑψηλοῦ λίαν. οὐ μέντοι ὁ λόφος οὔτε κρημνώδης οὔτε παντάπασιν ἀπρόσοδός ἐστιν· μόνον δὲ δύσοδος τῷ ἀνάντης ἐσάγαν εἶναι, ἄλλως τε καὶ τῶν τῆς πόλεως ἀγχοτάτω ὄντι. μίαν δὲ εἴσοδον ἐν τῷ ὁμαλεῖ ἔχει, πρὸς βορρᾶν ἄνεμον. * — *. Μία τις ἦν ἐν Οὐρβίνῳ πηγὴ, ἐξ ἧς δὴ πάντες οἱ ταύτῃ οἰκοῦντες ὑδρεύοντο. Hoc eſt: *Sita eſt Vrbinus in colle rotundo & admodùm ſublimi. at collis ipſe neque præruptus neque acceſſu invius, ſed difficilis tantùm prorſus eſt; quia admodùm adclivis ſub ipsâ urbe. unum verò ſolum aditum in plano habet, ſeptemtriones versùs.* Paullo pòſt: *Fons erat Vrbini unus; ex quo omnes incolæ aquabantur.* Hic extra mœnia nunc ſub ipsâ eſt arce. *Municipium* Romanorum fuiſſe ſplendidum ac magnificum, innumeræ ferè inſcriptiones antiquæ, quæ heic exſtant, teſtantur; in quibus paſſim hæc vocabula: Mvnicipivm · Decvriones · Plebs · Vrbana.

Vrbinvm Metavrense, opidum. At Vrbinvm Metavrense, quod ab ipſo amne Metauro, cui impoſitum, habuiſſe nomen dixi, id interpreter opidum, quod nunc, VIII millia paſſuum ab *Hortenſi Vrbino*, in dextrâ amnis ripâ, vulgò dicitur *Caſtel Durante*; eſtque ſedes hodiè ducum Vrbinatium. Haud perinde magni fuiſſe nominis locum, vel ex eo perſpiciebatur, quòd alterum illud prædictis auctoribus & omnibus pariter inſcriptionibus ſemper ſine aliquo cognomento, quo ab iſto diſcernatur, memoratur. at verò municipium tamen & ipſum aliquando fuiſſe, teſtatur inſcriptio antiqua, quæ Romæ exſtat, hæc verba ferens:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

REIP · MEDIOLANENSIVM
REIP · NOLANORVM
REIP · VRVINATIVM
METAVRENSIVM

Vrbinum, quod hodiéque exſtat, ſanè non magis *Metaurenſe* debebat aut poterat adpellari, quàm *Piſaurenſe*; quando in medio utriusque amnis ſitum eſt.

Plinius dicto lib. III cap. XIIII in eâdem Vmbriâ, habet etiam TIFERNVM *opidum*, *cognomine* METAVRENSE; ſeu potiùs opidanos eius TIFERNATES *cognomine* METAVRENSES. *Tifernates*, inquit, *cognomine Tiberini*; *& alii*, *Metaurenſes*. Illud alterum *Tifernum*, *cognomine Tiberinum*, nunc eſſe vulgò *Città di Caſtello*, apud Tiberis ripam, proximo hinc capite oſtendetur. *Metaurenſe Tifernum* non malè interpretantur nunc viri docti id opidum, quod VII millia paſſuum ſupra Caſtellum Durantis, in eâdem amnis ripâ, vulgò nunc vocatur *S. Angelo in Vado*. nam circa hoc quoque veteres inſcriptiones repertæ ſunt.

TIFERNVM METAVRENSE, *opidum*.

Ptolemæo inter Tifernum, Iguvium & Etruriæ opidum Fæſulas eſt Πιτῖνον, PITINVM *opidum*: quo ſanè ſitu id numquàm fuit. quidpe quum aliud fuerit eodem nomine opidum in Veſtinis circa Vomanum amnem; ad eius diſcrimen hoc Vmbriæ cognominatum fuit PITINVM PISAVRENSE; & opidani PITINATES PISAVRENSES: ſcilicet, quia apud amnem Piſaurum ſiti. Inſcriptio antiqua, quæ Piſauri viſitur:

PITINVM *municipium*.

ABEIENAE · C · F
BALBINAE
FLAMINICAE
PISAVRI · ET · ARIMINI
PATRONAE · MVNICIPI
PITINATIVM · PISAVRENSIVM
HVIC · ANNO · QVINQVENNAL
PETINI · APRI · MARITI · EIVS
PLEBS · VRBANA · PISAV
RENSIVM

Hæc *Abeiena Balbina* quum *flaminica* eſſet *Arimini* & *Piſauri*, ad oſtium amnis Piſauri; patrona fuit eiusdem tractus *municipii Pitinatium Piſaurenſium*. Tabula itineraria iter in finibus Sabinorum Picentiumque habet huiusmodi:

Interocrio			
Fiſternas	X.		
Erulos	III.		
Pitinum	VII.		
Priferno	XII.	*Priferno*	
Amiternus	XII.	*Aveia*	VII.

Ex his *Interocrea* hodiè vocatur *Interdoco*, inter *Reate* & *Aquilam* urbeis; *Aveia* eſt ipſa *Aquila*. *Amiterni* rudera viſuntur inter Aquilam & Interocream, haud procul fonte Aterni, qui vulgò nunc dicitur *Peſcára*. *Vomani* amnis fons eſt verſùs meridiem ab Aquilâ. quo tractu oportet uti fuerit *Pitinum*. At eodem hoc Italiæ tractu inſignem aliquam (ſignum quidpe heic habet primariæ urbis Tabula) urbem fuiſſe ſive *Prifernum* ſeu *Tifernum*, nusquàm apud auctores legitur. nec id nomen alibi cognitum, quàm in hac noſtrâ Vmbriâ & in Samnitibus Frentanisque, longè ultra Interocream, Amiternum, & Aviam; ubi mons erat *Tifernus*, fontem amnis cognominis effundens, qui nunc vulgò *Biferno fiume* vocatur. qui tamen mons, ut infrà in Samnii expoſitione videbimus, in plerisque Livii exemplaribus *Trifernus* adpellatur. Auctor Tabulæ itinerariæ quum geminum eſſe *Pitinum* accepiſſet; alterum in Vmbriâ haud procul à *Tiferno Metaurenſi*; alterum in Piceno; ultra quod longiùs aberat in Samnitibus ſive *Tifernus* ſeu *Trifernus* mons: ille per ſummum er-

rorem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

rorem hoc tamquàm municipii alicuius nomen tranſtuliſſe videtur prope *Pitinum* Picentium. Milliaria quin & ipſa in tam arcto terrarum ſpacio inter Interocream, Amiternum, & Aviam, nimio plus abundant. Ego verò è XII millium paſſuum numero, quæ habet Tabula inter *Pitinum* & *Priſernùm*, colligo, fuiſſe Vmbriæ *Pitinum* eo ſitu, ubi nunc conſpicitur celebre opidum *Macerata*. Certè hodiéque hoc tractu, triangulari complexu, tria hæc opida ſunt omnium præcipua, Ariminum, Piſaurum, Macerata. qua ratione commodè ac ritè prædicta *Abeiena Balbina* ſimul *flaminica* Arimini & Piſauri, ſimulque *patrona* Maceratæ ſive Pitini fuiſſe potuit.

SESTINVM *opidum.* At prope fontem Piſauri conſpicitur monaſterium vulgari vocabulo *Seſtino* dictum. id, teſte antiquâ inſcriptione, quæ Romæ exſtat, olim dicebatur SESTINVM. unde Plinio dicto lib. III cap. XIIII ſunt Vmbriæ populi opidani SESTINATES. Inſcriptio ſic habet:

FL · L · CENSORIVS · IVSTVS · VIRVNO
L · VOLCEIVS . SEVERVS · SESTINO
Q · SEXTILIVS · RVFVS · FLANONA
C · VALERIVS · VERRANIVS · TRIDENTE
T · ANNIVS · CRISPINVS · CVPRA · MAR

Patrias urbeis in quibus hi viri geniti, refert; *Virunum* in Noricis, *Seſtinum* in Vmbris, *Flanonam* in Liburnis ſive Iapydibus, prope Arſiam flumen, Italiæ terminum; *Tridente* in Rhætis; & *Cupram maritimam* in Piceno.

MONS FERETRVS, *opidum.* Vltra Maceratam, verſùs Ravennam, inter Concham atque Marechiam flumina, opidum eſt in edito colle vulgari vocabulo *S. Leo*, epiſcopali dignitate clarum. cuius ager vulgò adpellatur *Monte Feltro*. id nominis ab antiquo eius opidi vocabulo traxit, quod Procopio, Nicephoro Gregoræ, Nicetæ Choniatæ, & aliis inferioris ſæculi ſcriptoribus Græcè ſcribitur Μόντης Φεράντης, *Montes Ferantes*; Liuthprando verò Ticinenſi MONS FERETRATVS. quod, neſcio, an fuerit rectiùs MONS FERETRVS. id enim propiùs accedit cùm ad hodiernum nomen *Monte Feltro*, tùm ad illud Græcorum Μόντης Φεράντης. & Anaſtaſius in vitâ Stephani III diſertè vocat *Montemferetri*; & in vitâ Hadriani *Monteferetri*. Sed fortè etiam dictum fuit jam tum MONS FFRATRVS, & FERATVS. unde poſteà Marchionatus ſub Alpibus circa Padum eumdem titulum accepiſſe videtur; qui vulgò nunc dicitur *Monferato*. quidpe memoratur jam inde Nicephoro Gregoræ lib. I & Nicetæ Choniatæ in Manuele Comneno lib. V & VII, item in Iſacio Angelo lib. I, ὁ Μόντης Φεράντης μαρκέζιος. id eſt, *Montis Ferantis marcheſius*. Qui autem locus quæve regio heic Nicephoro intelligatur, patet ex Procopii pariter ac Liuthprandi hiſtoriis. Procopius Gothicar. rer. lib. II; commemoratis Auximo, Arimino, Vrbino, & Petrâ pertusâ: Ἔστι δὲ, inquit, καὶ ἄλλα φρούρια δύο, Καισῆνά τε καὶ Μόντης Φεράντης· ὧν δὴ ἑκατέρῳ φρουρὰν οὐχ ἧσσον ἢ κατὰ πεντακοσίους ἀνδρῶν καταστήσας. αὐτὸς δὲ τῷ ἄλλῳ στρατῷ ἐπὶ Ἀριμίνου, ὡς πολιορκήσων, ἐχώρει. Id eſt: *Sunt autem & alia duo caſtella, Cæſena & Montis Ferantis: quibus præſidio haud minùs quingentorum hominum impoſito, ipſe cum cæteris copiis rectà Ariminum versùs, urbem obſeſſurus, contendit*. Liutprandus lib. VI cap. VI: *Papiæ navem conſcendit; ac per Eridani alveum Ravennam usque pervenit. indeque perveniens Montem Feretratum, quod opidum S. Leonis dicitur, obſedit*. Apud Procopium, ut Ariminum ſcriptum eſt Græcè, uſitato eius ævi more, quo η ſonabat ut ι, Ἀριμηνὸν, ſic apud eumdem pariter ac Nicephorum Μόντης Φεράντης vertendum Latinè *Montis Ferantis*. quas voces obliqui caſus illud ſæculum ſemibarbarum uſurpavit pro recto caſu.

SARSINA, *municipium.* Extrema Vmbricarum fuit in confinio Galliæ Togatæ, apud lævam Sapis fluvii ripam, SARSINA *urbs*, idem vocabulum hodiè quoque integrum ſervans. Memoratur Straboni, Silio, & inſcriptionibus antiquis. Strabo lib. V, Ἀπὸ Ῥαουέννης, inquit, ἀρξάμενοι οἱ Ὄμβρικοι, κατέχουσι τὰ πλησίον, καὶ ἐφεξῆς Σαρσίναν, Ἀρίμινον, Σήναν, καὶ Καμαρῖνον. Id eſt: *Vmbri, ab Ravennâ initio ducto, tenent inde proxima, ac quæ ſequuntur, Sarſinam, Ariminum, Senam, & Camarinum*. Silius lib. VIII:

——— His populi fortes, Amerinus, & armis
Vel raſtris laudande Camers; his Sarſina, dives
Lactis.

Opidani inde ſunt Græcâ formatione Polybio lib. II Σαρσινάτοι · qui Plauto, Plinio, ac Feſto dicuntur Latinè SARSINATES. Plinius dicto lib. III cap. XIIII: *Sentinates, Sarſinates, Spoletini, Suaſani, Seſtinates, Suillates.* Plautus in Moſtellariâ:

Sol ſemper heic eſt, usque à mani ad veſperum;
Quaſi flagitator adſtans usque ad oſtium.
Nec mihi umbra usquàm eſt; niſi in puteo quæpiam eſt.
TR. *Quid? Sarſinatis ecqua eſt; ſi Vmbram non habes.*

Ad patriæ nomen alludit; quia *Sarſinas* ipſe erat. Feſtus: *Ploti adpellati ſunt Vmbri, pedibus planis quòd eſſent. unde ſoleas dimidiatas, quibus utuntur in venando, quo planiùs pedem ponerent, vocant ſemiplotia: & ab eâdem causâ M. Accius poëta, quia Vmber Sarſinas erat, à pedum planitie initio Plotus, poſteà Plautus cæptus eſt diei.* In omnibus equidem memoratorum auctorum exemplaribus vocabulum hoc cum R literâ ſcribitur SARSINA, & SARSINATES. at plurimæ inſcriptiones lapidum S habent eo loco, SASSINA, SASSINATES; ut & Faſti conſulares ac triumphi Romanorum ducum, qui, marmori inciſi, in Capitolio adſervantur Romæ: in quibus hæc leguntur verba:

D·IVNIVS·D·F·D·N·PERA·COS·DE·SASSINATIBVS·AN·CDXXCVII·V·K·OCTOBR
M·FABIVS·C·F·M·N·PICTOR·COS·DE·SASSINATIBVS·AN·CDXXCVII·III·NON·OCT

Hinc Epitoma Liviana lib. XV: *Vmbri & Salentini victi in deditionem accepti ſunt.* Mox lib. XVI: *Origo Carthaginienſium & primordia urbis referuntur.* Nempe biennio ante primum bellum Punicum, quod Carthaginienſes geſſerant cum Romanis, conſules fuêre prædicti Iunius Pera & Fabius Pictor; ante natum Ieſum CCLXVI. Prima poſthinc mentio *Sarſinatium* exſtat apud Polybium dicto lib. II; ubi eos tradit cum reliquis Apenninicolis Vmbris XX millia armatorum ad bellum Gallicum contribuiſſe Romanis, anno Vrbis Romæ ↄXXVIII, L. Aemilio Papo & C. Atilio Regulo conſulibus; id eſt ante natum Ieſum CCXXV. *Municipium* fuiſſe poſteà Romanorum, docent prædictæ inſcriptiones; quæ ſic habent:

1.	2.	3.
MVN·SASS	PATRONO·MVNIC PLEBS·VRBANA	PATRONO·MVN SASS PLEBS·VRBANA.

Cæterùm circa Sarſinam pars Vmbriæ, *Sapi* flumini adpoſita, SAPINIA TRIBVS inde adpellata fuit. Livius lib. XXXI: *Eodem ferè tempore P. Aelius conſul, in Galliâ, quum audiſſet, à Boiis ante ſuum adventum incurſiones in agros ſociorum factas; duabus legionibus ſubitariis tumultus eius causâ ſcriptis, additisque ad eas IIII cohortibus de exercitu ſuo; C. Appium, præfectum ſociûm, hac tumultuariâ manu per Vmbriam, quam tribum Sapiniam vocant, agrum Boiorum invadere juſſit.* Et Lib. XXXIII: *L. Furius Purpureo, alter conſul, per tribum Sapiniam in Boios venit.* Hodiéque opidum ab dextrâ Sapis ripâ, ex adverſo Sarſinæ, vocatur *Sapinium*, vulgò *Sapigno* — *Sapinia tribus.*

Apud Bedeſis ripam, qui nunc ſuperiore ſui parte vulgò dicitur *Ronco*, in Apennini radicibus fuit Vmbrorum opidum MEVANIOLA; unde Plinio lib. III cap. XIIII, ut proximo hinc capite ad *Mevaniam* opidum videbimus, opidani ſunt MEVANIOLENSES. Is locus nunc vulgò vocatur *Galeata*, antiqui opidi ruderibus & antiquis inſcriptionibus clarus: in quarum unâ hæc leguntur verba; DECVRIONI·MEVANIOLAE· ex quibus patet, *municipium* aliquando fuiſſe. Cæterùm in vitâ ſanctorum Hilari & Olybrii, confeſſorum Ravennatium, circa annum Chriſti ↄ, GALIGATA *vicus* adpellatur. Verba illic hæc ſunt: *Præſidente Symmacho Romæ, Olybrius quidam Ravennas, vir nobiliſſimus, maximâque cùm auctoritate tùm potentiâ, non ſine opinione ſanctitatis monachus factus, in Galigatenſi cænobio vigebat. per hos enim dies adoleſcens Etruſcus, Hilarus nomine, diligentiùs Deo operam & ſtudium navaturus, paſſibus mille juxta vicum Galigatam, Ravennatis diœceſis, in excelſo atque edito monte, ſub quo Vitis amnis defluit, ab incolis, ut aliqui arbitrantur, Bidens adpellatus, ſeſe conſtituit.*

Hæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Hæc igitur fuêre urbes, hæc opida ac flumina Vmbriæ inter Apenninum montem Hadriaticumque mare poſitæ. nunc reliqua eiuſdem regionis pars dicenda, quæ intra Apenninum ad Sabinorum uſque finem protenſa fuit.

CAP. VII.

De locis VMBRIAE *mediterraneis, inter Apenninum & Sabinum agrum ſitis.*

TIFERNVM TIBERINVM, *municipium.*

CIs Apenninum igitur primum ab Tiberi opidum antiquis auctoribus, Plinius duobus ac Ptolemæo, & item compluribus lapidum inſcriptionibus memoratur Τίφερνον, TIFERNVM, *cognomine* TIBERINVM, ad diſcrimen ſuprà dicti *Tiferni Metaurenſis*. Opidani inde erant TIFERNATES TIBERINI. Plinius lib. III cap. XIIII: *Tifernates, cognomine Tiberini: & alii. Metaurenſes.* Et eodem libro cap. V: *Tiberis longis meatibus fertur per* CL *millia paſſuum; non procul Tiferno Peruſiâque & Ocriculo Etruriam ab Vmbris ac Sabinis, mox citra* XIII *millia paſſuum Vrbis Veientem agrum à Cruſtumino, dein Fidenatem Latinumque à Vaticano dirimens.* Plinius junior, lib. IIII epiſt. I: *Deflectemus in Tuſcos: non, ut agros remque familiarem oculis ſubjiciamus: id enim poſtponi poteſt: ſed, ut fungamur neceſſario officio. Opidum eſt prædiis noſtris vicinum, nomine Tifernum Tiberinum: quod me penè adhuc puerum patronum cooptavit. in hoc ego, ut referrem gratiam, templum pecuniâ meâ exſtruxi.* Plinii hæc *prædia* ſeu *villam Tuſcos* ſub ipſo Apennino apud Tiberim fuiſſe ſitam, ſuprà cap. III huius libri II oſtenſum eſt. ergo ipſum quoque *Tifernum Tiberinum* prope eumdem Apenninum fuit. Eſt hodiè opidum epiſcopale, haud procul Apennino, mille paſſus à Tiberis lævâ ripâ diſſitum, vulgari adpellatione *Città di Caſtello*: ubi complures repertæ inſcriptiones: quarum binæ hæc verba referunt: DEC. REIP · TIF. In aliâ hæc ſunt: PATRON · MVNIC · PLEBS · VRBANA. Et fuiſſe *municipium*, Plinius etiam junior teſtatur lib. X epiſt. XXIIII ad Traianum imperatorem. *Quum divus pater tuus, inquit, domine, & oratione pulcherrimâ & honeſtiſſimo exemplo omneis civeis ad munificentiam eſſet cohortatus; petii ab eo, ut ſtatuas principum, quos in longinquis agris, per plureis ſucceſſiones traditas mihi, qualeis acceperam, cuſtodiebam, permitteret in municipium transferre, adjectâ ſuâ ſtatuâ; quodque illi mihi cum pleniſſimo teſtimonio indulſerat; ego ſtatim decurionibus ſcripſeram, ut adſignarent ſolum, in quo templum pecuniâ meâ exſtruerem.* Et poſteà: *Agrorum enim, quos in eâdem regione poſſideo, locatio, quum alioquin* CCCC *excedat, adeò non poteſt differri, ut proximam putationem novus colonus facere debeat.*

IGVVIVM, *municipium.*

Proximum inde opidum in ipſis Apennini radicibus eſt, vulgari nunc vocabulo *Eugubio* & *Augubio*. Huius fit mentio in Tabulâ itinerariâ: ubi apud figuram templi hæc leguntur verba: *Iovis penninus. idem Agubio.* Vitioſè, mehercules, pro, *Iovis Apenninus. idem Agubium.* quamquàm uſitatiſſimum fuerit poſteriori illo ſæculo ſemibarbaro vocabula propria locorum quovis caſu pro recto efferre. *Iovis* autem rectè nominativo caſu heic ſcriptum eſt, pro *Iupiter*, antiquo more; quo Hyginus quoque uſus eſt Μυθολογικῶν cap. CLII. *Typhon*, inquit, *Iovem provocavit, ſi vellet ſecum de regno certare. Iovis fulmine ardenti pectus eius percuſſit.* Sic in eâdem Tabulâ Campaniæ locus dicitur *Iovis Tifatinus*. Sed hæc paullo imperitioribus dicta ſunto. Cæterò ipſum vocabulum opidi antiquioribus temporibus fuiſſe IGVVIVM; complures teſtantur auctores inſcriptioneſque antiquæ. opidanique inde fuêre IGVVINI. Cæſar de Bello civili lib. I: *Itaque Cæſar ab Arimino M. Antonium cum cohortibus* V *Arretium mittit. ipſe Arimini cum duabus legionibus ſubſiſtit: ibique delectum habere inſtituit. Piſaurum, Fanum, Anconam, ſingulis cohortibus occupat. Interea certior factus, Iguvium Thermum prætorem cohortibus* V *tenere; opidum munire; omnium eſſe Iguvinorum optimam erga ſe voluntatem: Curionem cum* III *cohortibus, quas Piſauri & Arimini habebat, mittit. cuius adventu cognito, diffiſus municipii voluntati Thermus, cohorteis ex urbe educit; & profugit. Curio, omnium ſummâ voluntate, Iguvium recipit. Quibus rebus cognitis, confiſus municipiorum voluntatibus Cæſar,*

cohorteis

cohorteis legionis Tertiædecimæ ex præſidiis deducit, Auximumque proficiſcitur. Lapis antiquus, nuper hoc loco effoſſus:

L·SABINVS L·L
PRIMIGENIVS
ORTVS·AB·IGVVIO·MEDICVS·FORA·MVLTA·SECVTVS
ARTE·FEROR·NOTA·NOBILIORE·FIDE

Item alius, Fulginii repertus:

PATRONO·IGVVINORVM

Imperitè itaque fecerunt, qui apud Cæſarem pro *Iguvio* legendum docuerunt *Tigniam*; ut quædam habent exemplaria: idque fuiſſe opidum Piceni, haud procul flumine, quod vulgò nunc vocatur *Tigna*. Atqui id flumen nomen antiquitus habuit, non *Tignia*, ſed *Tunna*; ut ſuo loco patebit infrà. tum verò Cæſar omnem illam narrationem rerum geſtarum antè, quàm Auximum in Picenum profectus fuit, de Vmbriæ municipiis habet. qua abſolutâ, tandem, ſe Auximum petiiſſe, ait. Hinc *Auximo*, ut poſteà narrat, *progreſſus, omnem agrum Picenum percurrit*. Apud Ciceronem ad Atticum lib. VII epiſt. XIII ita eſt: *Sed ego nondum habeo, quod ad te ex his locis ſcribam. iſta magis exſpecto, quid illinc adferatur. quo pacto de Labieno feras: quid agat Domitius in Marſis, Iguvii Thermus, P. Accius Cinguli.* Heic quoque quum in antiquis exemplaribus foret ſcriptum *Ignii*; in nonnullis verò *Siſingui*: iidem illi homines è Cæſaris corruptis exemplaribus ſuppoſuêre vocabulum *Tignii*. Verùm ego neſcio, quo fato clariſſimi huius municipii nomen apud omneis ferè antiquos auctores ſit vitiatum. nam & apud Ptolemæum vulgò eſt Ιγύΐον & apud Strabonem lib. V Ἴτερον, pro Ἰγύϊον. item apud Plinium dicto lib. III cap. XIIII variis in exemplaribus, *Iguini, Inguini, Ingini*, pro *Iguvini*. ſed & apud Silium lib. VIII, ubi Vmbriæ urbeis recenſet, pro vulgatis *Inginum* & *Inginium* reponendum erat *Iguvium*, in his verbis:

His urbes, Arna, & latis Mevania campis,
Hiſpellum, & duro monti per ſaxa recumbens
Narnia, & infeſtum nebulis humentibus olim
Iguvium, patuloque jacens ſine mœnibus arvo
Fulginia.

Straboni id opidum dici τὸ Γυγγῦνον ὄρος, id eſt, *Gyngunus mons*, hactenus malè creditum eſt. quamquàm id quidam corrigere conati ſunt Ἴγγῦνον ὄρος, *Ingunus mons*. Verba eius lib. V hæc ſunt: Τῇ Τυῤῥηνίᾳ παραβέβληται κατὰ τὸ πρὸς ἕω μέρος ἡ Ὀμβρικὴ, τὴν ἀρχὴν ἀπὸ τῶν Ἀπεννίνων λαβοῦσα, καὶ ἔτι περαιτέρω, μέχρι τοῦ Ἀδρίου. ἀπὸ γὰρ δὴ Ῥαουέννης ἀρξάμενοι, κατέχουσιν οὗτοι τὸ πλησίον, καὶ ἐφεξῆς Σαρσίναν, Ἀρίμινον, Σήναν, καὶ Καμαρῖνον. αὐτοῦ δ᾽ ἐστὶ καὶ ὁ Αἶσις ποταμὸς, καὶ τὸ Γυγγῦνον ὄρος, καὶ Σεντῖνον, καὶ Μέταυρος ποταμὸς, καὶ τὸ ἱερὸν τῆς Τύχης. *.*. Ἐκ δὲ Ἀριμίνου ἐπὶ Ῥώμης ἰόντι κατὰ τὴν Φλαμινίαν ὁδὸν, διὰ τῆς Ὀμβρικῆς ἅπασα ἡ ὁδός ἐστι, μέχρι Ὀκρίκλων καὶ τοῦ Τιβέρεως σταδίων ν΄ καὶ τριακοσίων ἐπὶ τοῖς χιλίοις. Πόλεις δ᾽ εἰσὶν αἱ ἐντὸς τῶν Ἀπεννίνων ὀρῶν ἄξιαι λόγου κατ᾽ αὐτὴν μὲν τὴν Φλαμινίαν ὁδὸν, οἵ τε Ὀκρίκλοι καὶ Λάρολον καὶ Ναρνία, καὶ Κάρσουλοι καὶ Μηουανία· καὶ ἄλλαι δ᾽ εἰσὶ κατοικίαι, διὰ τὴν ὁδὸν πληθυνόμεναι μᾶλλον, ἢ διὰ πολιτικὸν σύστημα, Φόρον Φλαμίνιον καὶ Νουκερία καὶ Φόρον Σεμπρώνιον. ἐν δεξιᾷ δὲ τῆς ὁδοῦ βαδίζοντι ἐκ τῶν Ὀκρίκλων εἰς Ἀρίμινον, Ἰντέραμνά ἐστι καὶ Σπολήτιον καὶ Αἴσιον καὶ Καμέρτη, ἐν αὐτοῖς τοῖς ὁρίζουσι τὴν Πικεντίνην ὄρεσι· κατὰ δὲ θάτερα μέρη, Ἀμερία τε καὶ Τοῦδερ καὶ Εἴσπελλον καὶ Ἴτορον, πλησίον τοῦ ἤδη τῆς ὑπερβολῆς τοῦ ὄρους. Id eſt: *Etruriæ, quà ortum ſpectat Solis, continuatur Vmbria, ab Apennino incipiens monte ad Hadriaticum etiam usque porrecta mare. etenim à Ravennâ facto initio, tenent Vmbri proxima inde, & quæ ſequuntur deinceps, Sarſinam, Ariminum, Senam, Camarinum. eſt ibi & Aeſis quoque amnis, & Sentinum, Metaurum flumen, Fanum Fortunæ.* Exiguo pòſt: *Ab Arimino Romam euntibus viâ Flaminiâ per Vmbriam, usque ad Ocriculos & Tiberim, iter eſt ſtadiorum* CIↃCCCL. *Vrbes intra Apenninum in eâ viâ memoratu dignæ, Ocriculi, Larulum, Narnia, Carſuli, Mevania. ſunt quidem & alia quædam opidula: ſed magis itineris causâ frequentata, quàm civile ob corpus; ut Forum Flaminium, Nuceria, Forum Sempronium. Præter viam autem, ab Ocriculis Ariminum versùs ad dextram Interamna, Spoletium, Aeſium, Camerta, in ipſis ſita montibus, qui Picenum finiunt. ad alteram verò partem, Ameria, Tuder, Hiſpellum, Itorum: quorum hoc jam prope*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

ipſum montis transitum poſitum eſt. En; licèt unum *Forum Sempronii* ex Transapenninis opidis inter Cisapennina nominet; quod viæ Flaminiæ causâ factum: tamen nullum neque locum neque flumen ex Cisapenninis inter Transapennina memorat. Nihil igitur certius, quàm iſtud etiam τὸ Γυγ͂ρνον ὄρος, id eſt, *montem Gyngurum*, fuiſſe trans Apenninum; quocumque tandem ſitu fuerit. Et urbem *Iguvium* ſi intellexiſſet Strabo; cur non addidit vocem πόλις: cur tam ἀποφαντικῶς dixerit τὸ ὄρος; cur non inter alia illa, quæ citra Apenninum ab lævâ viæ Flaminiæ erant parte, longè meliori ordine id recenſuerit opida, *Ameriam*, *Tuder*, *Hiſpellum*, *& Itorum?* Sed de hoc poſtremo opido meritò quis quærat, quum inter ἀξίας λόγου πόλεις, id eſt, *inter illuſtres & memoratu maximè dignas urbeis* id recenſeat Strabo, quî fiat, uti nulla eius apud quemquam alium auctorem exſtet mentio. Πλησίον τοῦτο ἤδη, inquit Strabo, τῶν ὑπερβολῶν τοῦ ὄρους· id eſt; *Hoc jam prope ipſum montis Apennini transitum*, ſcilicet quà is viâ Flaminiâ transibatur. At heic nullum aliud ab ſiniſtro viæ latere tam propinquuum, quàm τὸ Ἰγούιον. hoc itaque vocabulum apud Strabonem ab exſcriptoribus corruptum in Ἴτορον, cummaximè crediderim. Cæterùm non eodem olim fuiſſe ſitu opidum; quo nunc conſpicitur, teſtantur reliquiæ templorum ac theatri haud procul diſſitæ. TEMPLVM tamen IOVIS APENNINI extra opidum in editiore aliquo montis Apennini vertice, unde & cognomen traxit deus, poſitum fuiſſe, maximè credibile eſt: ſed & diſertè id teſtatur Claudianus poëta, in Panegyrico de VI conſulatu Honorii, his verbis:

TEMPLVM IOVIS APENNINI.

Lætior hinc Fano recipit Fortuna vetuſto.
Deſpiciturque vagus præruptâ valle Metaurus:
Quà mons, arte patens, vivo ſe perforat arcu;
Admittitque viam ſectæ per viſcera rupis.
Exſuperat delubra Iovis, ſaxoque minanteis,
Apenninigenis cultas paſtoribus, aras.
Quin & Clitumni ſacras victoribus undas,
Candida quæ Latiis præbent armenta triumphis,
Viſere cura fuit.

TVFICVM *opidum.*

Porrò Ptolemæo hoc tractu prope *Pitinum*, *Iguvium*, *Tifernum* atque Etruriæ urbem *Peruſiam*, eſt Τούφικον, TVFICVM *opidum*: unde Pliuio dicto lib. III cap. XIIII Vmbriæ populi opidani ſunt TVFICANI. Id opidum fortè apud ipſam fuerit Tiberis ripam; quo nunc ſitu eſt nobile opidum inter *Tifernum*, *Iguvium* & *Peruſiam*, vulgari vocabulo *La Fratta*. Apud Ptolemæum equidem omnia hactenus vulgata exemplaria habent Ἰούφικον. at in uno Vaticanorum diſertè eſt Τούφικον. Plinius verò *Tuficanos* refert inter cæteros populos, quorum nomina à *T* incipiebant. & eiusdem libri III cap. V profitetur, ſe *Auguſti digeſtionem in literas ſequuturum*.

ARNA *opidum.*

Infra Frattam atque Iguvium, haud procul ab Tiberi, ex adverſo Peruſiæ eſt opidum nunc vulgari adpellatione *La Civitella d' Arno*; quod Silio atque Ptolemæo dicitur ARNA: & inde Plinio opidani ARNATES. Silius lib. VIII; ubi Vmbriæ populos enumerat:

His urbes, Arna, & latis Mevania pratis,
Hiſpellum.

Ptolemæus: Ἄρνα, Ἵσπελλον, Τοῦδερ, Σπολήτιον, Μηουανία. id eſt: *Arna*, *Hiſpellum*, *Tuder*, *Spoletium*, *Mevania*. Plinius dicto lib. III cap. XIIII: *Amerini*, *Attidiates*, *Aſiſinates*, *Arnates*, *Aeſinates*, *Camertes*. Ab initio AHARNA dictum videtur ex Livio; qui lib. X ſic tradit: *Fabius, nihil aliud precatus populum, quàm ut priùs, quàm introvocarentur ad ſuffragium tribus, Ap. Claudii prætoris allatas ex Etruriâ literas audirent, comitio abit*. Mox: *Profectus apto exercitu, ad opidum Aharnam, unde haud procul hoſtes erant, ad caſtra Appii prætoris pergit*. Paullo pòſt: *Inde nusquàm ſtativa Romanis fuère. negabat utile eſſe, uno loco ſedere exercitum. itineribus ac mutatione locorum mobiliorem ac ſalubriorem eſſe. Vere inde primo, relictâ Secundâ legione ad Cluſium; præpoſitoque caſtris L. Scipione, proprætore, Romam ipſe ad conſultandum de bello rediit*. Provincia equidem Appio Claudio demandata erat Etruria; bellumque is adverſùm Etruſcos geſſit. verùm an in ipsâ tunc caſtra habuerit Etruriâ, antequàm ad eum Fabius perveniret, vehementer dubito. ſuſpicorque opidum hoc, quod alia exemplaria Livii habent *Adharnabam*, nullum aliud eſſe, quàm quod Plinio, Silio, ac Prole-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Ptolemæo *Arna*, Vmbriæ opidum, in confinio Etruriæ. ſic quidpe eodem libro antè ſcriptum eſt apud Livium: *Tuſci ferè omnes conciverant bellum. traxerat contagio proximos Vmbriæ populos. & Gallica auxilia mercede ſolicitabantur.* Mox: *Ap. Claudium primo quoque tempore in Etruriam ire placuit.* Et poſteà: *Avertit ab eis curis ſenatum Etruriæ ingraveſcens bellum & crebræ literæ Appii, monentis, ne regionis eius motum negligerent. quatuor genteis conferre arma, Etruſcos, Samniteis, Vmbros, Gallos. jam caſtra bifariam facta eſſe; quia unus locus capere tantam multitudinem non poſſit.* Potuit igitur poſthæc ſtativa habuiſſe Appius in finibus Etruriæ Vmbriæque, apud *Arnam*, Vmbriæ opidum. Minùs adcuratum eſſe libris VIIII & X Livium, alii quoque ante me queſti ſunt viri docti. qua de re plura dicemus infrà in Marſis, Aequis, ac Samnitibus. Cæterùm poſterioribus temporibus ab *Arnâ* opidani dicti fuiſſe videntur ARNENSES. ſic quidpe lapis habet Romæ:

D·M
C·NONIO
C·F·ARNENSI
PROCVLO
COS

Proculus conſul cum collegâ *Acyndino* memoratur Caſſiodoro in Chronico, anno primo trium fratrum imperatorum Conſtantini, Conſtantii, & Conſtantis.

Inter Arnam & Frattam, ſed propiùs Arnam, eſt opidum hodiè vulgari vocabulo *Civitella di Benezzone*. id neſcio an antiquum ſit VESIONICA *opidum*; unde Plinio eodem lib. III cap. XIIII ſunt opidani VESIONICATES. Voces ſanè *civitella* & *cività*, ſive *città*, antiquitatem locis ſuis ſæpiſſimè ſolent adſerere; cuius exemplum in proximâ *Arnâ* habuimus. VESIONICA *opidum.*

Ab Arnâ verſùs orientem ſequitur opidum, quod vulgò nunc incolis *Aſſiſi* dicitur; Ptolemæo autem eſt Ἀσίσιον, ASISIVM. unde Plinio & inſcriptioni antiquæ opidani dicuntur ASISINATES. Plinius dicto lib. III cap. XIIII: *Amerini, Attidiates, Aſiſinates, Arnates, Aeſinates, Camertes.* Sed in omnibus hactenus exemplaribus corruptum legitur id vocabulum *Aſirinates*. *Municipium* fuiſſe Romanorum, teſtantur prædictæ inſcriptiones; quæ heic exſtant, hæc referentes verba: MVNICIPVM ASISINATIVM. &: PATRONO MVNICIPI. Procopio Gothicar. rer. lib. III ſunt obliqui caſus, Ἀσίσιον, & ἐν Ἀσίσῃ. & opidani Ἀσισῖνοι. ASISIVM *municipium.*

Infrà Aſiſium, verſùs occaſum hiberni Solis eſt hodiè nobile cœnobium, duo circiter millia paſſuum à Tupini Tiberiſque confluentibus, vulgari vocabulo *Bettona*. id olim erat VETTONA *opidum*, ſeu *municipium*: unde municipes dicuntur Inſcriptioni antiquæ VETTONENSES. qui in variis Plinii exemplaribus dicto lib. III cap. XIIII variè corrupti leguntur, *Vetrionenſes*, *Metionenſes*, *Vettionenſes*. Tabula itineraria ſic habet: VETTONA *municipium.*

Piruſio	
Vetona	XIIII.
Tuder	....
Ameria	VI.

Hinc inſcriptio antiqua Peruſiæ:

PATRONO·PERVSINORVM
PATR·ET·CVRATORI·R·P·VET
TONESIVM.

Ab Aſiſio verſùs Spoletium euntibus eſt opidum vulgari nunc vocabulo *Hiſpello*, ſeu, quia nullam nunc Itali efferunt adſpirationem, licèt ſæpè ſcribatur, *Iſpello*. id Græcè Ptolemæo eſt Ἴσπελον, Straboni verò dicto lib. V Εἴσπελλον, & Plinio ac Silio inſcriptionique antiquæ HISPELLVM. unde Silio ac Plinio Iuniori & Hygino opidani ſunt HISPELLATES. qui tamen apud Hyginum in libro de Limitibus HISPELLVM *colonia.*

 conſti-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

conſtituendis, à barbaris exſcriptoribus, ut ferè reliqua propria urbium populorumque nomina in illis auctoribus de Limitibus agrorum & Coloniis, corrupti ſunt in *Spellates*. hos porrò noviſſimè quidam fecère *Stellates*, ex *Stellate* campo apud agrum Campanum. Atqui diſertè Vmbriam iſthic nominat Hyginus. *Sicut in Vmbriâ*, inquit, *finibus Hiſpellatium*. Silii verſus lib. III hi ſunt:

Tum Romulum, atque olim celeberrima nomina bello,
Tiburteis magnos, Hiſpellatemque Metaurumque
Et Damum.

Non contentus, uni horum bellatorum à flumine nomen adfinxiſſe *Metauri*; alteri etiam gentilitium ab opido *Hiſpello* dedit *Hiſpellatis*: utrumque ex Vmbriâ mutuatus. Ipſum opidum memorat lib. VIII: quem locum paullo antè ad Arnam citavi. At Iuvenali feminino genere dicitur opidum HISPELLA. Verba eius in Satyrâ XII hæc ſunt:

Si res ampla domi, ſimilisque adfectibus eſſet,
Pingvior Hiſpellâ traheretur taurus, & ipſâ
Mole piger: nec finitimâ nutritus in herbâ,
Læta ſed oſtendens Clitumni paſcua, ſangvis
Iret, & grandi cervix ferienda miniſtro;
Ob reditum trepidantis adhuc, horrendaque paſſi
Nuper, & incolumem ſeſe mirantis amici.

Plinius Iunior lib. VIII epiſt. VIII, ad Romanum; qua *Clitumni* fonteis & amnem exactiſſimâ oratione deſcribit: *Balineum Hiſpellates, quibus illum locum divus Auguſtus dono dedit, publicè præbent, & hoſpitium*. Apud Iuvenalem autem in vulgatis hactenus exemplaribus legitur *Hiſpulla*. mendoſè profectò, meo judicio. quid enim Iuvenalis ſolus contra omnium reliquorum auctorum, contraque vulgarem totius Italiæ morem id opidi nomen ſic formaverit? *Coloniam* fuiſſe Romanorum, Plinius teſtatur dicto lib. III cap. XIIII. *In orâ*, inquit, *flumen Aeſis, Metaurus fluvius: coloniæ, Fanum Fortunæ, Piſaurum, cum amne: & intus Hiſpellum, Tuder*. Hinc inſcriptio antiqua:

ALFIVS · C · F · LEM · RVF · II · VIR · QVIN
COL · IVL · HISPELLI.

FVLGINIVM *opidum.*

Haud procul Hiſpello, verſùs meridiem, ad Tiniam amnem, qui nunc vulgò adcolis dicitur *Topino*, eſt opidum celebre vulgari nunc vocabulo *Fuligno*. id Silio lib. VIII dicitur FVLGINIA, in his verbis:

Iguvium; patuloque jacens ſine mœnibus arvo
Fulginia: his populi fortes, Amerinus & armis
Vel raſtris laudande Camers.

Idem & FVLGINIVM dictum fuiſſe, patet cùm ex hodierno uſu, tum ex formatione Appiani; qui id per κ habet Φȣλκίνιον, FVLCINIVM. Verba eius Civil. bellor. lib. IIII hæc ſunt: Ἐς Φȣλκίνιον τὸ χωρίον ἐξέκλιναν, ἑξήκοντα καὶ ἑκατὸν σαδίȣς τῆς Περυσίας διεσηκός. Id eſt: *Ad Fulcinium deflexerunt opidum*, CLX *ſtadiis à Peruſiâ diſſitum*. Itinerario antiquo Hieroſolymitano plurali numero dicitur FVLGINII. eſt quidpe iſthic obliquus *Fulginîs*; ut infrâ videbimus. Opidani inde dicebantur FVLGINATES; *ut ab Aſiſio, Aſiſinates*. Plinius dicto lib. III cap. XIIII: *Caſuentani, Carſulani, Dolates, Fulginates, Foroflaminienſes*. Cicero in oratione pro L. Cornelio Balbo: *Neque Fulginatium neque Camertium fœdere eſſe exceptum*. Ergo ſplendida quondam civitas Fulginatium. hinc lapis huius loci:

* PATRONO
CIVITAT · FORO · FLA · FVLGINIA

At poſtmodùm tamen *ſine mœnibus* fuit, teſte Silio: idque patulo campo. unde tandem Appianus χωρίον tantùm adpellat; quaſi minus quoddam atque ignobile opidum.

MEVANIA *opidum.*

Infra Fulginium, ad Tiniæ Clitumnique confluenteis eſt MEVANIA *opidum*; vulgò nunc *Bevagna* dictum. Memoratur Livio, Propertio, Straboni, Columellæ, Plinio,

Plinio, Silio, Lucano, Statio, Tacito, Phlegonti Tralliano, Ptolemæo, & Itinerariis antiquis. Columella lib. III cap. VIII: *Armentis ſublimibus inſignis Mevania eſt*. Silius lib. VI:

—— Colleis Vmbros atque arva petebat
Hannibal, excelſo ſummum quà vertice montis
Devexum lateri pendet Tuder: atque ubi, latis
Projecta in campis, nebulas exhalat inerteis,
Et ſedet ingentem paſcens Mevania taurum,
Dona Iovis.

Et lib. VIII: *——— Et latis Mevania campis.*

Lucanus lib. I:

——Tauriferis ubi ſe Mevania campis
Explicat.

Statius Silvar. lib. I carm. IIII:

——— Quæ nunc tibi pauper acerrâ
Digna litem? nec ſi vacuet Mevania valleis,
Aut præſtent niveos Cilitumna novalia tauros,
Sufficiam.

Olympiadum incertus auctor: Ὀλυμπιάδος σηʹ ἔτει αʹ ἐν Μηουανίᾳ, πόλει τῆς Ἰταλίας, ἐν Ἀγριππίνης τῆς Σεβαστῆς ἐπαύλει, ἀνδρόγυνος ἐγεννήθη. Id eſt: *Olympiadis* CCVIII *anno primo apud Mevaniam, Italiæ urbem, in villâ Agrippinæ Auguſtæ, androgynus natus eſt.* Phlegon Trallianus in Mirandis: Ἐγένετο καὶ ἐν Μηουανίᾳ, πόλει τῆς Ἰταλίας, ἐν Ἀγριππίνης τῆς Σεβαστῆς ἐπαύλει, ἀνδρόγυνος, ἄρχοντος Ἀθήνησι Διονυσοδώρου, ὑπατευόντων ἐν Ῥώμῃ Δεκίμου Ἰουνίου Σιλανοῦ Τορκουάτου καὶ Κοΐντου Ἀπερίου Ἀντωνίνου. Hoc eſt: *Fuit quoque androgynus apud Mevaniam, Italiæ urbem, in villâ Agrippinæ Auguſtæ; quum ſupremum Athenis magiſtratum gereret Dionyſodorus, Romæ verò conſulatum D. Iunius Silanus Torquatus & Q. Hatterius Antoninus.* Strabo ſuprà dicto lib. V; ubi de Vmbriæ urbibus agit, quæ in Flaminiâ viâ ſitæ: Εἶτα Κάρσουλοι καὶ Μηουανία, παρ' ἣν ῥεῖ ὁ Τενέας ποταμός. Id eſt: *Dein Carſuli & Mevania, quam præterfluit Tenea amnis.* Vrbem vetuſtiſſimam fuiſſe, patet è Livii lib. VIIII, *Legati*, inquit, *ad Fabium conſulem miſſi ſunt; ut, ſi quid laxamenti à bello Samnitium eſſet, in Vmbriam properè exercitum duceret. Dicto paruit conſul. magniſque itineribus ad Mevaniam, ubi tum copiæ Vmbrorum erant, perrexit.* Nempe, quia patens heic circa Mevaniam & Fulginium Clitumnumque amnem eſt campus. Factum illud Q. Fabio Maximo Rulliano III & P. Decio Mure II conſulibus; anno urbis Romæ CCCCXLV; ante natum Ieſum Chriſtum CCCVIII. Strabo, ut ſuprà ad Iguvium intellectum, inter ἀξίας λόγου πόλεις, id eſt, inter *illuſtriores memoratuque dignas urbeis Mevaniam* refert. Validiſſimum munitiſſimumque fuiſſe locum, ex eo perſpicitur, quòd adventante Veſpaſiani exercitu, Vitellii exercitus eum ceu arcem belli occupavit. Tacitus Hiſtor. lib. III: *Tandem Vitellius, flagitante exercitu, qui Mevaniam inſederat, magno ſenatorum agmine, quorum multos ambitione, plureis formidine trahebat, in caſtra venit; incertus animi, & infidis conſiliis obnoxius. Concionanti (prodigioſum dictu) tantum fœdarum volucrum ſupervolitavit, ut nube atrâ diem obtunderent.* Et poſteà: *Vt terrorem Italiæ, poſſeſſâ Mevaniâ, ac velut renatum ex integro bellum intulerat; ita haud dubium erga Flavianas parteis ſtudium tam pavidus Vitellii diſceſſus addidit.* Singulare quid ad eam memorat Plinius lib. XXXV cap. XIIII. *In Italiâ quoque*, inquit, *latericius murus Arretii & Mevaniæ eſt.* Idem & Propertius poëta innuere voluit, ipſe Mevaniâ oriundus, lib. III eleg. I:

Vt noſtris tumefacta ſuperbiat Vmbria libris;
Vmbria Romani patria Callimachi.
Scandentis ſi quis cernet de vallibus arceis
Ingenio muros æſtimet ille meo.

Et poſteà:

Vmbria te notis antiqua penatibus edit.
Mentior; an patriæ tangitur ora tuæ,
Quà nebuloſa cavo rorat Mevania campo;
Et lacus æſtivis intepet Vmber aquis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Scandentiſque axis conſurgit vertice murus;
Murus ab ingenio notior ille tuo.

Huc ſpectat & illud lib. I eleg. XXII:

Qualis, & unde genus, qui ſint mihi, Tulle, penates,
Quæris pro noſtrâ ſemper amicitiâ.
Si Peruſina tibi patriæ ſunt nota ſepulcra,
Italiæ duris funera temporibus:
Proxima ſuppoſita contingens Vmbria campo
Me genuit, terris fertilis uberibus.

Hinc & Statius Silvar. lib. I carm. II:

—— *Hunc ipſe, Coo plaudente, Philetas*
Callimachus ſenex, Vmbroque Propertius antro,
Ambiſſent laudare diem.

Omnino mihi perſvadeo, ſcripſiſſe Statium, *Vmbroque Propertius arvo:* ut Silius loco ſuprà ſcripto, *Patuloque jacens ſine mœnibus arvo Fulginia.* nam ipſe Propertius ait, Mevaniam, patriam ſuam ſitam eſſe in *cavo campo:* & in *campo* Peruſinæ urbi, quæ in edito colle eſt ſita, *ſuppoſito.* ubi *de vallibus murus* ille latericius cum *arcibus* ſuis, id eſt, cum turribus, *conſurgat* in altum. De cætero opidanos ab *Mevaniâ* refert Plinius dicto lib. III cap. XIIII. *Foroſempronienſes*, inquit, *Iguvini*, *Interamnates*, *Mevanates*, *Mevanienſes*, *Matilicates*, *Narnienſes*. Ergo duæ fuêre *Mevaniæ?* Etiam. At altera illa erat multo minor: & ideò MEVANIOLA dicta. Inſcriptio antiqua, ultra Apenninum, ad Galigatam (vulgò eſt nunc *Galeata* in valle Bedeſis amnis, qui nunc eſt *Ronco* ſuperiori parte) reperta: DECVRIONI · MEVANIOLAE. Hinc in omnibus antiquioribus Plinii exemplaribus non *Mevanienſes* leguntur; ſed *Mevanionenſes*; & ipſi vitiato vocabulo à vero genuinoque MEVANIOLENSES. Cæterùm ubi locorum fuerit iſthæc *Mevaniola*, nemo quidem auctorum adnotavit: at fuiſſe eam eodem ſitu, quo nunc prædictus vicus *Galeata* conſpicitur, cùm inſcriptiones complures, quæ heic repertæ, tùm veteris opidi rudera, ſatis clarè indicant. Ergo à maiori noſtrâ *Mevaniâ* opidani dicebantur MEVANATES. Plinius iterùm poſteà, lib. XIIII cap. III: *Irtiola vitis Vmbriæ, Mevanatique & Piceno agro vulgaris eſt.* Cæterùm de celebratiſſimis Mevanatis agri bobus ſive tauris, infrà in expoſitione fluminum in Tiberim delabentium, ubi nobis de *Clitumno* amne ſermo erit, pluribus agemus.

Porrò iter ab Mevaniâ Itineraria antiqua habent huiuſmodi:

Tabulæ;		Antonini;		Antonini;		Hieroſolymitan.	
Spoleto				*Spolito civitas*			
Mevania	XII.	*Mevania*				*C. Fulginîs*	
Foro Flaminî	XVI.			*Foro Flaminii vicus*	XIX.	*C. Foro Flaminî*	III.
Nuceria Camellaria	XII.	*Nuceria*	XVIII.			*C. Nuceria*	XII.
						... Caprarias	VIII.
Halvillo	XVI.			*Helvillo vicus*	XXVII.	*Ma. Helbello*	VII.

NVCERIA CAMELLARIA, *opidum.*

Ex his NVCERIA *opidum, cognomine* CAMELLARIA, hodiéque vulgò dicitur incolis *Nocera*, in viâ Flaminiâ, apud tranſitum Apennini, haud procul fonte Tiniæ ſive Tupini fluminis. Memoratur, præter præſcripta Itineraria, Straboni quoque & Ptolemæo. Strabo lib. V; ubi opida viæ Flaminiæ recenſet: Καὶ ἄλλαι δ' εἰσὶ κατοικίαι, διὰ τὴν ὁδὸν πληθυνόμεναι μᾶλλον, ἢ διὰ πολιτικὸν σύστημα, Φόρον Φλαμίνιον, καὶ Νουκερία, ἡ τὰ ξύλινα ἀγγεῖα ἐργαζομένη, καὶ Φόρον Σεμπρώνιον. Id eſt: *Sunt & alia opidula, magis itineris cauſâ frequentata, quàm ob civile corpus, Forum Flaminium, Nuceria; ubi lignea conficiuntur vaſa; & Forum Sempronium.* Ergo quis non credat, Ptolemæi hiſce verbis ineſſe mendum; Νουκερία κολώνια, *Nuceria colonia.* Coloniam fuiſſe, nulla uſquàm exſtat ſuſpicio. Haud dubiè & ipſe Ptolemæus ſcripſerat, ut Tabula itineraria habet; Νουκερία Καμελλαρία, *Nuceria Camellaria.* Plinio equidem lib. III cap. XIIII rectè opidani dicuntur NVCERINI: at cognomen eorum in exemplaribus eius vitioſum legitur *Camellani*, pro genuino CAMELLARII. Probam ſiquidem… namque eſſe Tabulæ ſcripturam, ex eo colligitur, quòd ex hac vocabuli ſimilitudine

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

dine ſuperiore capite memorati Græculi homines fabulas illas confinxerint de Camillo, Gallos Senones ab urbe Româ ad hunc usque Apennini tractum proſequente. Plinius dicto loco; *Nucerini*, inquit, *cognomine Favonienſes & Camellarii*. An igitur alia adhuc fuit *Nuceria, cognomine* FAVONIA? an hæc ipſa geminum habuit cognomentum? Hoc puto. ſolet quidpe Plinius aliàs dicere, *& alii*. ut, eodem hoc capite XIIII mox poſteà; *Pitulani, cognomine Piſuertes, & alii Mergentini. Tifernates, cognomine Tiberini, & alii Metaurenſes. Vrbinates, cognomine Metaurenſes, & alii Hortenſes*. Cognominata autem ſic eſt, neſcio à quibus rebus, ad diſcrimen aliarum *Nuceriarum:* quarum una erat longè nobiliſſima in Campaniâ; altera apud Padum amnem ſuperiori libro cap. XXVIII nobis dicta.

Cæterùm inter Nuceriam Camelariam at Fulginium FORVM FLAMINII, præter præſcriptos Itinerarios atque Strabonem, memoratur Ptolemæo quoque & Euſebio ac Iornandi. Plinio verò dicto lib. III cap. XIIII ſunt inde inquilini FOROFLAMINIENSES. *Fulginates*, inquit, *Foroflaminienſes, Forojulienſes, cognomine Concubienſes, Forobremitiani, Foroſempronienſes*. Divus Hieronymus in Euſebiani chronici lib. II, & ex eo Iornandes in libro de Regnorum ſucceſſione: *Gallus & Voluſianus, quum adversùs Aemilianum, qui in Mæſiâ res novas moliebatur, ex Vrbe profecti eſſent, in Foro Flaminii, ſive, ut alii putant, Interamnæ interfecti ſunt*. Eutropius quoque lib. VIIII, & Paullus Diaconus Hiſtoriæ miſcellæ lib. X, & Epitoma de Cæſaribus, item Caſſiodorus in Chronico, Interamnæ hos imperatores interfectos tradunt. ſed haud dubiè unum omnes auctorem ſequuti Hieronymum. Ipſe Euſebius eo loco: Γάλλος καὶ Βολουσιανὸς ἐν Φόρῳ Φλαμινίῳ ἐσφάγησαν. Id eſt: *Gallus & Voluſianus in Foro Flaminio interfecti ſunt*. Sic equidem Straboni etiam loco proximè ſcripto, ut reliqua *fora* per Italiam omnia, non Φόρον Φλαμινίου, id eſt, *Forum Flaminii*, ſed Φόρον Φλαμίνιον, FORVM FLAMINIVM dicitur. Ptolemæus autem ſuo more fecit Φόρος Φλαμινίου, *Forus Flaminii*. Situm huius loci quod attinet; numeri milliarium in omnibus præſcriptis Itinerariis magnâ parte corrupti eſſe deprehenduntur. quidpe à Mevaniâ ad Nuceriam millia paſſuum hodiè numerantur haud ampliùs XVII. inter Nuceriam verò & Helvillum, quod nunc dicitur *Sigillo*, XII. inter Spoletium & Helvillum XXXVIII. Verùm à Spoletio Nuceriam ſi petas; à XVIIII milliaribus tranſitur vicus, qui à veteris operis ponte, qui nunc interruptus ibidem conſpicitur, vulgò dicitur *Ponte Centeſimo*, ad Tiniam ſive Tupinum amnem ſitus. inde VII porrò ſunt milliaria Nuceriam usque. Hinc igitur ex duobus Antonini præſcriptis itineribus clarè adparet, hunc ipſum locum eſſe antiquum id *Forum Flaminii*. à quo ad Nuceriam haud dubiè ſcripta erant in Tabulâ & Hieroſolymitano itinerario millia VII: atque hinc porrò per vicum *Caprarias*, ut ſuperiori capite dictum, *Helvillum* usque XV. Cæterùm in Hieroſolymitano equidem itinerario *Foro Flaminii* litera *C* præpoſita eſt; quæ *civitatem* ſignificat. at, ut ſuprà oſtendi, *Caprarias* vicum illic corrupto eſſe nomine *C. Ptanias*; ſic heic quoque pro *Mu* vel *Ma*, quæ *Mutationem* & *Manſionem* notant, incuriâ eiusdem exſcriptoris ſuppoſitum eſt dictum *C*. quidpe, ut olim Strabo inter minora opidula *Forum Flaminii* connumeravit; ſic poſteà diſertè Antonino adpellatur *vicus* tantùm. Cæterùm Paullus Diaconus Hiſtoriæ miſcellæ lib. X, & compilator eius in Epitomâ de Cæſaribus, quæ Sex. Aurelii Victoris nomini vulgò adſcribitur, ita ſcriptum habent in dictis Gallo & Voluſiano imperatoribus: *Contra Aemilianum imperatores ambo profecti, apud Interamnam ab exercitu ſuo cæduntur*. Et poſteà in Aemiliano: *Aemilianus apud Spoletium, ſive pontem, quem ab eius cæde Sangvinarium accepiſſe nomen ferunt, inter Otriculum, Narniamque, Spoletium & urbem Romam regione mediâ poſitum, exſtingvitur*. Mira ſanè loci deſignatio: quum omnia iſta opida ſita fuerint in ipsâ viâ, qua Romam ibatur à Spoletio. cur igitur non dixit potiùs inter Spoletium & Narniam: vel, inter Narniam & Otriculum: vel denique, inter Otriculum & urbem Romam? Credo ego, exſtinctum fuiſſe Aemilianum apud *Interamnam*; Gallum verò & Voluſianum interfectos, ut auctor eſt Euſebius, apud *Forum Flaminii:* ubi prædictus pons, in quo cæſi fuerunt, poſteà adpellatus eſt PONS SANGVINARIVS. Et, ſi ſuâ morte ex morbo exſtinctus fuit Aemilianus; quod etiam Oroſius lib. VII cap. XXI, & Eutropius dicto lib. VIIII atteſtantur; quî inde pons, in quo exſtinctus, *Sangvinarius* dici debuit? Illa ſanè apud Paullum Diaconum & eius compilatorem verba

FORVM FLAMINII, *opidum*.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

caſus & *exſtinctus* malè in uno eodemque ſubjecto ſimul congruunt. nec aliunde ea loquutionum Latini ſermonis confuſio Paullo nata, quàm ex ipſarum rerum geſtarum permixtione.

TREBIA *opidum.*

Porrò Plinio prædicto lib. III cap. XIIII Vmbriæ populi opidani memorantur TREBIATES; haud dubiè ab opido TREBIA: quod hodiéque inter Fulginium & Spoletium, in edito colle ſitum, vulgò vocatur *Trevi*; à Spoletio VIIII, à Fulginio V fermè millia paſſuum diſtans. Hinc ita Itinerarium Hieroſolymitanum:

Spolitio	
Sacraria	VIII.
Trevis	IIII.
Fulginîs	V.

Sic inferioris ſæculi grammaticus, qui ſcholia in Iuvenalis Satyras ſcripſit: *Clitumnus fluvius eſt, qui Trevis, civitatem Flaminiæ, interluit.* Alia exemplaria habent, *interfluit.* in utroque, ſive ab ipſo ſcholiaſte, ſive ab eius poſteà exſcriptoribus, erratum eſt. quidpe quum opidum in edito, ut dixi, ſitum ſit colle, *præterfluit* id, & ſatis quidem à longinquo, Clitumnus amnis. Martyrologium Adonis ſic habet: *Calendis Ianuariis apud Spoletum, civitatem Tuſciæ, natale S. Concordii, martyris tempore Antonini imperatoris.* Exiguo pòſt: *Factum eſt autem, ut apud beatum Eutychem, qui tunc morabatur in prædiolo ſuo, viâ Salariâ, juxta civitatem, habitaret. Audiens famam eorum Torquatus, comes Tuſciæ, qui verſabatur in civitate Spoleto, mittens adcerſivit ſanctum Concordium.* Mox: *Venientes autem clerici cum religioſis viris, tulerunt corpus eius, & ſepelierunt illud non longè à Spoleto, in loco, ubi multæ aquæ emanant.* Scilicet ad Clitumni fonteis: de quibus infrà cap. x agemus. Hinc auctor Vitæ S. Concordii: *Dimiſſus à patre ſuo, abiit ad S. Eutychem, amicum ſuum; qui tum morabatur in prædiolo ſuo, viâ Salariâ, juxta civitatem Tribulim.* Mox: *Interim fama rerum ab iis geſtarum perlata eſt ad Torquatum, Tuſciæ comitem: qui id temporis habitabat in civitate Spoletanâ.* Mox: *Venientes autem clerici cum religioſis viris, tulerunt corpus eius, & poſuerunt non longè à civitate Spoletanâ, ubi multæ emanant aquæ.* Idem hic eſt locus, apud Clitumni fonteis, qui in præſcripto Hieroſolymitano itinerario dicitur AD

TEMPLVM IOVIS CLITVMNI.

SACRARIA. fuit quidpe heic FANVM IOVIS CLITVMNI, cum compluribus juxta *Sacrariis*; quæ poſteà in uſum Chriſtianum converſa ſunt; ut infrà dicto cap. x, in expoſitione fluminum in Tiberim defluentium, pluribus oſtendetur. Cæterùm ex iſtâ S. Concordii vitâ adparet eiusdem *Trebiæ* nomen interdum etiam uſurpatum fuiſſe TREBVLA. quo nomine fuit opidum in Sabinis, cognomine *Mutuſca*: quod & ipſum nonnullis dictum eſt *Trebia*; ut in Sabinis docebo. ſed & *Treba* apud Anienis fonteis quibusdam adpellata eſt *Trebula*; ut in Aequis videbimus. Hinc poſteà grammaticis auctorum commentatoribus latiſſima ad errores patuit porta; ut infrà ſuo loco adparebit. Apud Adonem ſcriptum fuiſſe cenſeo; *Iuxta civitatem Tribulim.*

SPOLETIVM, *colonia & municipium.*

Ipſum Σπωλήτιον, SPOLETIVM *opidum* vulgò nunc vocatur *Spoleti*, & *Spoleto*. Memoratur Livio, Paterculo, Straboni, Plinio, Appiano, Svetonio, Ptolemæo, Floro, Itinerariis antiquis, Ammiano, Procopio, Paul. Diacono, Zonaræ, & aliis. Vocabulum id quidem rectè apud Ptolemæum Græcis literis legitur Σπωλήτιον· & ita Latinè apud Paterculum lib. I, Svetonium in Veſpaſiano, Florum lib. III cap. XXI, Ammianum Marcellinum lib. XIII, & Paul. Diaconum ſuprà dicto Hiſtoriæ miſcellæ lib. X, *Spoletium* perſcriptum eſt. unde ritè omnibus illis antiquis Romanis opidani formabantur SPOLETINI. Plinius lib. III cap. XIIII: *Sentinates, Sarſinates, Spoletini, Suaſani, Seſtinates, Suillates.* Cicero in oratione pro L. Cornelio Balbo: *Spoletinus T. Macrinus, unus ex iis, quos C. Marius civitate donaſſet, dixit cauſam ex coloniâ Latinâ, in primis firmâ & illuſtri. quem quum diſertus homo L. Antiſtius accuſaret; Spoletinus dixit, fundum populum Spoletinum non eſſe factum. videbat enim populos de ſuo jure, non de noſtro, fundos fieri ſolere. Sed quum lege Apuleiâ coloniæ non eſſent deductæ, qua lege Saturninus C. Mario tulerat; Vt in ſingulas colonias ternos civeis Romanos facere poſſet; negabat, hoc beneficium, re ipsâ ſublatâ, valere debere.* Apud Caſſiodorum item Variar. lib. II epiſt. XXXVII, & lib. IIII epiſt. XXIIII, leguntur *Spoletini*.

letini. At præfato Paullo Diacono in Rebus Langobardicis paſſim dicitur ipſum opidum *Spoletum*; & inde opidani *Spoletani*: ut etiam aliis inferioris ævi ſcriptoribus barbaris. ſed & Priſcianus grammaticus lib. II docet dicendum eſſe *Pæſtum*, *Pæſtanus*; *Spoletum*, *Spoletanus*; *Beneventum*, *Beneventanus*. Hinc etiam factum, uti poſteà exſcriptores Livii in epitomâ lib. XX, & apud ipſum Livium lib. XXII *Spoletum* ſcripſerint, pro genuino auctoris *Spoletium*. Libro equidem XXIIII ita ſcriptum eſt: *Ex muliere Spoleti virum factum*. Et apud Plinium lib. XI cap. XXXVII: *Divo Auguſto Spoleti ſacrificanti*. At quàm facilè heic alterum *i* interire, vel ſaltem omitti potuit; quum uſitatiſſimo more geminum *ii* in unum contrahi ſit ſolitum. Literam *i* uſurpatam fuiſſe omnibus illis antiquis mortalibus in recto caſu, vel ex eo patet, quòd Græci etiam auctores licèt poſteriori ævo, quo η efferebatur ut ι, ſcripſerint Σπολίτιον, tamen nemo eorum inde fecit Σπόλιτον; ut videre eſt apud Zonaram Annal. lib. II, in hiſtoriâ Hannibalicâ; & apud Procopium frequenter Gothicar. rer. lib. II & III. unde etiam illud in Hieroſolymitano itinerario *Spolitio*: pro quo apud Antoninum *Spolito*; in Tabulâ *Spoleto*. Apud Appianum verò, Civil. bellor. lib. V, quum ei vocabulo præmiſſa foret præpoſitio ἐς, incuriâ imperiti librarii factum eſt ἐς Πωλίτιον, in his verbis: Οἱ μὲν αὐτῶν ἐς Ῥάβενναν, ὁ δ᾽ ἐς Ἀρίμινον, ὁ δὲ Πλάγκος ἐς Σπολίτιον συνέφυγον. Id eſt: *Alter eorum Ravennam, alter Ariminum, Plancus verò Spoletium, confugerunt*. At quia prædicta vocalis η etiam tum quibusdam efferebatur ut *e* longum Latinorum; quibusdam locis apud Procopium à nonnullis librariis ſcriptum reperitur per ε Σπολέτιον. Longam fuiſſe eam ſyllabam, patet ex Martialis lib. VI epigr. LXXXVIIII:

Spoletina data eſt: ſed quam ſiccaverat ipſe.

Et lib. XIIII epigr. CXVI:

Spoletina bibis, vel Marſis condita cellis.

Sed hactenus de nomine ſatis. *Coloniam* fuiſſe *Latinam*, ſuprà teſtem audivimus Ciceronem. hinc Livii epitomator lib. XX: *Spoletium colonia deducta eſt*. Quo anno deducta ſit, indicat Paterculus lib. I. *Torquato*, inquit, *Semproniòque conſulibus Brundiſium colonis occupatum: & poſt triennium Spoletium*. Triennio poſt A. Manlî Torquati Attici & C. Sempronii Blæſi II conſulatum, conſules fuêre idem A. Manlius II & Q. Lutatius Cerco; anno urbis Romæ IↃXII, ante natum Chriſtum anno CCXLI. Firmitudinem ſuam Hannibalici belli tempore maximè probavit. Livius lib. XXII: *Hannibal interim recto itinere* [ſcilicet à Traſimeno lacu] *per Vmbriam usque ad Spoletium venit. inde, quum, perpopulato agro, urbem oppugnare adortus eſſet, cum magnâ clade ſuorum repulſus, conjectans ex unius coloniæ, haud nimis proſperè tentatæ, viribus, quanta moles Romanæ urbis eſſet; in agrum Picenum avertit iter*. Poſteà *municipium* quoque fuiſſe, teſtatur Florus lib. III cap. XXI; quod eſt de bello civili Mariano. *Poſitis*, inquit, *ſingulorum hominum ferè pœnis, municipia Italiæ ſplendidiſſima ſub haſtâ venierunt: Spoletium, Interamnium, Præneſte, Florentia*. Hinc etiam in antiquis lapidibus huius loci hæc verba viſuntur: IIII VIR · MVNICIPI; &, ORDO SPOLETINORVM; & DECVRIONES · ET · MVNICIPES.

TVDER: *colonia.*

Porrò ab Spoletio verſùs Solis occaſum, haud procul Tiberis ripâ eſt Τοῦδερ, TVDER *opidum*, vulgò nunc *Todi* dictum. Id memoratur Straboni, Plinio, Silio, Plutarcho, Ptolemæo, Tabulæ itinerariæ, Paullo Diacono, & aliis poſterioris ſæculi ſcriptoribus. Strabo lib. V: Ἀμερία τε καὶ Τοῦδερ, εὐτελὴς πόλις, καὶ Εἴσπελλον. *Ameria, Tuder, ſplendida urbs, & Hiſpellum*. Silius lib. VI:

—— Colleis Vmbros atque arva petebat
Hannibal, excelſo ſummum quà vertice montis
Devexum lateri pendet Tuder.

Plinius lib. III cap. XIIII: *Coloniæ, Fanum Fortunæ, Piſaurum, cum amne: & intus, Hiſpellum, Tuder. de cætero Amerini, Attidiates, Aſiſinates, Arnates*. Tabula itineraria:

Ameria	
Tuder	VI.
Vetona	...
Piruſio	XIIII.

Certum

Certum igitur eſt, apud Ptolemæum vocabulum id in vulgatis exemplaribus corruptum eſſe in Τοῦρδε. pro quo Vaticanum diſertiſſimis literis habet Τούδερ. Apud Plutarchum in Craſſo ita ſcriptum eſt: Πόλιν Ὀμβρικὴν Τουδερτίαν εἷλεν. Id eſt: *Vrbem Vmbricam cepit Tudertiam*. Hoc quoque vocabulum eſſe vitiatum, patet ex eiuſdem Plutarchi Mario; ubi ſic ſcriptum: Ἐκ δ' Ἀμερίας καὶ Τουδέρτου, πόλεων Ἰταλικῶν. *Ex Ameriâ & Tuderto, urbibus Italicis*. Hinc Paullo etiam Diacono Langobard. rer. lib. IIII cap. VIII, & Anaſtaſio Bibliothecario in vitâ S. Gregorii, idem opidum dicitur TVDERTVM. quod quàm frequentiſſimè occurrit in Martyrologiis Romanis; aliiſque item inferioris ævi ſcriptoribus. Apud Procopium Gothicar. rer. lib. II ter eſt Τούδερα, TVDERA: neſcio, an ſine mendâ. nam Stephani epitomatori eſt Τύδερτα, TVDERTA, plurali numero. Τύδερτα, inquit, πόλις Τυῤῥηνική, οὐδετέρως. τὸ ἐθνικὸν Τυδερτῖνος. Id eſt: *Tuderta, opidum Tuſcum, neutro genere. gentilitium, Tudertinus*. Sed à *Tuder* opidani dicebantur TVDERTES: ab alteris illis vocabulis TVDERTINI. Plinius lib. II cap. LVII: *Ab Amerinis & Tudertibus*. Silius lib. IIII: *Et Gradivicolam celſo de colle Tudertem.*
Et item lib. VIII:

—— Et haud parci Martem coluiſſe Tudertes.

Coloniam fuiſſe Romanorum, Plinio atteſtatur vetus inſcriptio huius loci, his verbis:

* PRO · SALVTE
COLONIAE · ET · ORDINIS
DECVRIONVM · ET · POPVLI
TVDERTIS · IOVI · OPT · MAX

Ameria *municipium & colonia.*

AMERIA hodiè vulgò incolis dicitur *Amelia*, opidum epiſcopali ſede nobile. Memoratur præter ſuprà dictos Strabonem & Plutarchum ac Tabulam itinerariam, Ciceroni, Virgilio, Plinio, Ptolemæo, Feſto, Stephani epitomatori, & antiquæ inſcriptioni. Opidani inde dicuntur AMERINI Plinio ſuprà ſcriptis locis, & item Ciceroni, Silio, Frontino, & Inſcriptionibus. Silius lib. VIII:

—— His populi fortes, Amerinus & armis
Vel raſtris laudande Camers.

Sed Stephani epitomatori eſt opidum neutro genere *Amerium*. Ἀμέριον, inquit, πόλις Ἰταλίας, ὡς Ῥήγιον. τὸ ἐθνικὸν Ἀμερῖνος. Id eſt: *Amerium, opidum Italiæ; ut Rhegium. gentilitium Amerinus*. De vetuſtate atque origine urbis teſtimonium eſt Catonis apud Plinium lib. III cap. XIIII. *Ameriam*, inquit, *ſuprà ſcriptam Cato ante Perſei bellum conditam annis* ↄↄCCCCLXIIII *prodidit*. Bellum id initium cepit A. Hoſtilio Mancino & C. Atilio Serrano conſulibus; anno urbis Romæ IↄLXXXI; ante natum Ieſum CLXXII. Condita igitur fuit *Ameria* annis ante ipſam Romam CCCLXXXIII; ante natum Chriſtum CIↄCXXXVII. Conditorem, neſcio cuius nationis aut condicionis hominem, indicavit Feſtus Pompeius. *Ameria*, inquit, *urbs in Vmbriâ; ab Amiro ſic adpellato*. Fuiſſe poſteà *municipium Romanorum*, teſtantur veteres inſcriptiones, in quibus hæc verba:

1.	2.	3.
MVNIC · AMERIAE	CVR · AMERINORVM	REIP · AMERINORVM

Hinc Cicero in orat. pro Sex. Reſcio, ubi crebrò nominat *Ameriam, municipem Amerinum* vocat Roſcii patrem: eiuſque municipii decurionum decretum citat. *Coloniam* paullo pòſt Auguſti juſſu eò deductam, auctor eſt Frontinus in libro de Coloniis. *Ager* inquit, *Amerinus lege imperatoris Auguſti eſt adſignatus veteranis*. Cæterùm Cicero in dictâ oratione tradit Roſcii patrem *fundos decem & treis reliquiſſe, qui Tiberim ferè omnes tetigerint*. at ultra etiam Tiberim in Etruriam usque pertinuiſſe agrum Amerinum, è Plinio Iuniore & Tabulâ itinerariâ ſuprà cap. III huius libri II perſpectum eſt. ubi *Caſtellum Amerinum* refert Tabula; & *Vadimonis lacum in prædiis proſoceri* ſui *Amerinis* Plinius: quorum illud vulgò nunc *Baſſano*, hunc *Lago di Baſſano* vocari, oſtendi. Hortanum Etruriæ opidum, ad confluenteis Tiberis Nariſque in ipſo itinere inter Ameriam & Baſſanum ſitum, an & ipſum

Amerini

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Amerini municipii ditioni fuerit attributum, quamvìs admodùm credibile, tamen haud temerè adfirmaverim.

Ab Ameriâ verſùs orientem eſt INTERAMNA, Nare flumine, vulgò nunc *Néra* dicto, circumflua; unde nomen ei quæſitum. Varro de Lingvâ Latinâ lib. IIII: *Opidum Interamna dictum, quòd inter amneis eſt conſtitutum*. Feſtus: *Interamna & Antemnæ urbes dictæ ſunt, quòd inter amneis ſunt poſitæ, vel ante ſe habeant amneis*. Hæc noſtra Vmbriæ *Interamna* in inſulâ amnicâ, quam Nar divergio à dextrâ ripâ circumducto efficit, poſita eſt. Hinc Plinio dicto lib. III cap. XIIII opidani eius dicuntur INTERAMNATES *cognomine* NARTES. quod cognomen ei inditum ad diſcrimen *Interamnatium Lirinatium*; quod opidum *Interamna* erat ad *Lirim* amnem, finem Latii novi, nunc vulgò *Garigliano* dictum. Vulgò nunc *Interamna ad Narem* vocatur incolis *Térani*, mediâ ſyllabâ correptâ; & *Terni*. Memoratur prætereà opidum eidem Plinio, Tacito, Itinerariis antiquis, Hieronymo, Eutropio, Caſſiodoro, Paullo Diacono, & inſcriptionibus antiquis. Plinius lib. XVIII cap. XXVIII: *Interamnæ in Vmbriâ quater anno ſecantur prata*. Id beneficio fit Naris amnis, qui largus ea irrigat. Tacitus Hiſtor. lib. III: *Pars Narniæ, pars Interamnæ ſubſiſtere juſſi*. Hieronymum, Eutropium, Caſſiodorum, & Paullum Diaconum ſuprà ad Forum Flaminii citavi. *Interamnatium* meminit Cicero quoque ad Atticum lib. IIII epiſt. XIIII, & Tacitus Annal. lib. I. De origine urbis hæc exſtant in Inſcriptione marmoreâ: INTERAMNA *municipium*.

GENIO · MVNICIPI · ANNO · POST
INTERAMNAM · CONDITAM
DCCIIII · AD · CN · DOMITIVM
AHENOBARBVM : : : : : : : :
: :
PROVIDENTIAE · TI · CAESARIS · AVGVSTI

Conſul fuit hic Cn. Domitius Ahenobarbus anno Tiberii imperatoris XVIIII, urbis Romæ IↃCCLXXXIIII. à quo ſi annos IↃCCIIII retro numeres, incides in annum Romæ LXXX: quo *Interamna* condita fuerit, Numâ Romæ regnante; anno ante natum Ieſum Chriſtum IↃCLXXIII: qui annus fuit IIII Olympiadis XXVI. Hinc Olympiadum hiſtoriæ incertus auctor: Ὀλυμπιάδος κϛʹ ἔτει δʹ, κατὰ τὴν Ἰταλίαν Ἰντεράμνα ἐκτίσθη. *Olympiadis* XXVI *anno* IIII *Interamna in Italiâ condita eſt*. *Municipium* poſtmodùm fuiſſe Romanorum, teſtantur Tacitus atque Florus, tum inſcriptiones antiquæ; quæ ſic habent:

1.
CVR · R · P · INTERAMNATIVM
NARTIVM

2.
MVNICIPI · INTERAMNAT
NAHARTIS

3.
PATRONO · MVNICIPI · INTE
RAMNATIVM · NART · CASVENTI
NORVM · VINDINATIVM

Tacitus dicto Annal. lib. I: *Auditæ municipiorum & coloniarum legationes*. Mox: *Congruentia his Interamnates diſſeruêre: Peſſum ituros fæcundiſſimos Italiæ campos, ſi amnis Nar in rivos diductus ſuperſtagnaviſſet*. Florus lib. III cap. XXI: *Municipia Italiæ ſplendidiſſima ſub haſtâ venierunt, Spoletium, Interamnium, Præneſte, Florentia*. Ergo *Interamna Nartis* etiam neutro genere dicebatur INTERAMNIVM. Sic equidem Tabula itineraria quoque obliquum caſum perſcriptum habet *Interamnio*. quod ſanè proprium fuit nomen opidi in Prætutianorum agro inter Apenninum & mare ſuperum. quod & ipſum Ptolemæo adpellatur Ἰντεραμνία, *Interamnia*. In antiquis itinerariis iter eſt huiusmodi:

Tabulæ:		Hieroſolymitano:	
Narnia		*Narni*	
Interamnio	VI.	*Interamna*	IX.
|		*Tribus Tabernis*	III.
Adtine. recine.	XI.	|	
Fano Fugitivi	II.	*Fano Fugitivi*	X.
Spoleto	V.	*Spolitio*	VII.

Inter

AD FINES, locus.

FANVM FVGITIVI, opidulum.

TRES TABERNAE, locus.

Inter Spoletium & Interamnam vulgò hodiè incolis numerantur milliaria XII. cæterùm re verâ ſunt millia paſſuum juſta XIIII. In medio itinere eſt vicus vulgari vocabulo *La Strettura*, id eſt, *Anguſtiæ*. qui locus idem fuerit ille, cuius adpellatio in Tabulâ corrupta legitur *Adtine. recine*. Non equidem dubitem, quin priores voces fuerint AD FINES. ſed cognomen horum *Finium* minimè diſpicio. Hinc ad duo millia paſſuum verſùs Spoletium fuit FANVM FVGITIVI: cuius nulla nunc exſtant veſtigia. TRES autem iſtæ TABERNAE, III millia paſſuum ab Interamnâ, fuêre eo loco, qui vulgò dicitur *Ponte Confino*. Meritoria apud vias diverſoria dicta fuiſſe *tabernas*, notum eſt.

NARNIA colonia.

NARNIA hodiè vulgò vocatur *Narni*; in aſpero, arduo, & magnâ ex parte abrupto ſita monte; cuius imas radices præruptamque rupem Nar amnis abluit: unde urbi nomen. Memoratur Livio, Straboni, Silio, Martiali, Tacito, Plutarcho, Ptolemæo, Itinerariis antiquis, Claudiano, Zoſimo, Sozomeno, Procopio, Epitomatori Stephani. Opidani inde fuêre NARNIENSES. Sed anteà opidum dicebatur NEQVINVM; & inde opidani NEQVINATES. Plinins lib. III cap. XIIII, *Narnienſes. quod opidum Nequinum anteà vocatum eſt.* Stephani epitomator Νηκουΐα, πόλις Ὀμβρικῶν· Διονύσιος ἑπτακαιδεκάτῳ Ῥωμαϊκῆς ἀρχαιολογίας. τὸ ἐθνικὸν Νηκουϊάτης. Id eſt: *Nequia, opidum Vmbrorum; auctore Dionyſio lib.* XVII *Antiquitatum Romanarum. gentilitium inde Nequiates.* Omnino credendum, ſcripſiſſe, ſi non Stephanum, ſaltem ipſum Dionyſium Νηκουϊνάται, *Nequinates:* quorum opidum erat Νηκουῖνον, *Nequinum*, ſive Νηκουΐνα, *Nequina*. Livius lib. X: *Alter conſul Apuleius in Vmbriâ Nequinum opidum circumſedit. Locus erat arduus; in parte unâ præceps: ubi nunc Narnia ſita eſt. nec vi nec munimento capi poterat.* Hinc Silius lib. VIII:

Hiſpellum; & duro monti per ſaxa recumbens
Narnia.

Et Martialis lib. VII epigr. XCII:

Narnia, ſulphureo quam gurgite candidus amnis
Circuit; ancipiti vix adeunda jugo.

Et Claudianus in Panegyrico de ſexto Honorii conſulatu:

Celſa dehinc, patulum proſpectans, Narnia, campum,
Regali calcatur equo; rarique coloris
Non procul amnis abeſt urbi; qui, nominis auctor,
Ilice ſub denſâ ſilvis arctatus opacis,
Inter utrumque jugum tortis amfractibus albet.

Falſum igitur eſt, quod Strabo lib. V ait, Ναρνία δι' ἧς ῥεῖ ὁ Νὰρ ποταμός. *Narnia; quam Nar perfluit amnis.* Falſum item eſt, quod Martialis ait *circuire* eam Nare. niſi tortis illius amfractibus unum urbis latus, quaſi ſemicirculo, cinctum intellexerit. nam aliàs de Interamnâ eum id accepiſſe crediderim, quod falſò adſcripſerit Narniæ. Porrò Stephani epitomator: Ναρνία, πόλις Σαυνιτῶν, ἀπὸ τοῦ παραρρέοντος ποταμοῦ Νάρνου. ὡς Διονύσιος ὀκτωκαιδεκάτῳ Ῥωμαϊκῆς ἀρχαιολογίας. τὸ ἐθνικὸν Ναρνιάτης, ὡς Καυλωνιάτης. Id eſt: *Narnia, opidum Samnitum, à præfluente amne dictum; ut auctor eſt Dionyſius Antiq. Rom. lib.* XVIII. *Gentilitium inde Narniates, ut Cauloniates.* Procopius Gothicar. lib. I: Κεῖται μὲν ἡ Ναρνία ἐν ὑψηλῷ ὄρει, ποταμὸς δὲ Νάρνος ἐς τὸν τοῦ ὄρους παραρρεῖ πρόποδα· ὃς καὶ τὴν ἐπωνυμίαν τῇ πόλει παρέσχεν· ἄνοδοί τε δύο ἐνταῦθα ἄγουσιν· ἡ μὲν πρὸς ἀνίσχοντα, ἡ δὲ πρὸς δύοντα ἥλιον. τούτοιν ἀτέρα μὲν στενοχωρίαν τινὰ δύσκολον ἐξ ἀποτόμων πετρῶν ἔλαχεν· ἐς δὲ τὴν ἑτέραν οὐκ ἔστιν ὅτι μὴ διὰ τῆς γεφύρας ἰέναι· ἣ τὸν ποταμὸν ἐπικαλύπτουσα, διάβασιν ταύτῃ ἐργάζεται. ταύτην δὲ τὴν γέφυραν Καῖσαρ Αὔγουστος ἐν τοῖς ἄνω χρόνοις ἐδείματο. θέαμα λόγου πολλοῦ ἄξιον. τῶν γὰρ κυρτωμάτων πάντων ὑψηλότατόν ἐστιν, ὧν ἡμεῖς ἴσμεν. Hoc eſt: *Narnia in edito ſita eſt monte; ad cuius radices Nar amnis præterfluit. qui nomen etiam urbi præbuit. Adſcenſus ad eam duo deducunt: alter in orientem Solem versùs, in occidentem alter. Horum alter difficileis in præciſo ſaxo anguſtias habet; alter non niſi ponte adiri poteſt: qui flumen supernè integens, tranſitum præbet. Hunc Cæſar Auguſtus olim conſtruxit; ſpectaculum memoratu digniſſimum. quidpe omnium fornicum quos ſcimus, excelſiſſimus eſt.* Superſunt etiamnunc ſtupendi operis fornices; qui *utrumque jugum*, ut inquit Claudianus, id eſt, duos præaltos præruptosque monteis, ſubterlabente flumine, olim jungebant; quò æquali viâ ab urbe in adverſum jugum pateret tranſitus. Hinc Martialis loco præſcripto poſteà:

Sed

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Sed jam parce mihi, nec abutere, Narnia, Quincto.
Perpetuo liceat ſic tibi ponte frui.

Cæterùm Livius dicto lib. x pòſt paullo: *Ita Nequinum in ditionem populi Romani venit. Colonia eò adversùs Vmbros miſſa; à flumine Narnia adpellata.* Factum id, teſte eodem Livio, in conſulatu M. Fulvii Pætini & T. Manlii Torquati; anno ab urbe Româ conditâ CCCCLIIII. Hinc Faſti conſulares atque triumphi ducum Romanorum, qui Romæ in Capitolio viſuntur:

M·FVLVIVS·CN·F·CN·N·PAETINVS·COS·DE·SAMNITIBVS·NEQVINATIBVS·
QVE·AN·CD....VII·KAL·OCT·

Memorat hinc *coloniam Narniam* Livius lib. XXVII & item XXVIIII. Apud Plutarchum in T. Flaminio ita ſcriptum eſt: Πρῶτον μὲν ἐν τῷ πρὸς Ἀννίβαν πολέμῳ χιλίαρχος ὑπατεύοντι Μαρκέλλῳ συνεστρατεύσατο. καὶ Μάρκελλος μὲν ἐνέδρᾳ περιπεσὼν ἐτελεύτησεν· Τίτος δὲ τῆς περὶ Τάραντα χώρας καὶ Τάραντος αὐτοῦ τὸ δεύτερον ἡλωκότος, ἔπαρχος ἀποδειχθεὶς, εὐδοκίμησεν, οὐχ ἧττον ἐπὶ τοῖς δικαίοις, ἢ κατὰ τὴν στρατιάν. διὸ καὶ πεμπομένων ἀποίκων εἰς δύο πόλεις Ἄρνιάν τε καὶ Κῶνσαν, ἄρχος ᾑρέθη καὶ οἰκιστής. Hoc eſt: *Primùm ſub Marcello conſule tribunus militum fuit bello Hannibalico. Marcellus quum inſidiis circumventus cecidiſſet; Titus regioni circa Tarentum atque ipſi Tarento, quum eſſet receptum, præfectus, ita ſe ibi geſſit, ut non minorem juſtitiæ, quàm ſcientiæ rei militaris, mereretur laudem. Quare in duo opida deducendis coloniis, Arniam & Conſam, eſt triumvir creatus.* Conſulatum poſthinc petiiſſe atque obtinuiſſe, narrat Plutarchus, cum Sex. Aelio. qui annus urbis Romæ fuit IↃLIIII. Interpres opidorum vocabula mendoſa correxit in *Narniam & Coſſam*. nec id imperitè. ſic quidpe Livius narrat lib. XXXII, in conſulatu L. Cornelii Lentuli & P. Villii Tappuli; qui conſulatum T. Quinctii Flaminii & Sex. Aelii Pæti præceſſerunt: *Narnienſium legatis, querentibus, ad numerum ſibi colonos non eſſe, & immiſtos quosdam non ſui generis pro colonis ſe gerere; earum rerum causâ triumviros creare L. Cornelius conſul juſſus. Creati P. & Sex. Aelii (Pætis fuit ambobus cognomen) & C. Cornelius Lentulus. Quod Narnienſibus datum erat; ut colonorum numerus augeretur: id Coſſani petentes, non impetraverunt.* En; in tantum Livius à Plutarcho diſſentit, quòd hic T. Quinctium inter triumviros creatum tradit; ille verò Sex. Aelium. hic, utramque coloniam novos colonos impetraſſe dicit; ille Narnienſeis tantùm. Impetraſſe tamen tandem & illos denuò petenteis triennio pòſt, L. Furio Purpureone & M. Claudio Marcello conſulibus; quum bellum T. Flaminius in Macedoniâ gereret, auctor eſt Livius lib. XXXIII. Sed & apud Zoſimum Sozomenumque ac Nicephorum Calliſti huius urbis nomen corruptum eſt. Apud Zoſimum lib. V; ubi Gothi, Alarico duce, Romam obſident, ita ſcriptum: Περὶ δὲ ταῦτα οὖσιν αὐτοῖς, Πομπηϊανὸς, ὁ τῆς πόλεως ὕπαρχος, ἐνέτυχέ τισιν, ἐκ Τουσκίας εἰς τὴν Ῥώμην ἀφικομένοις, οἱ πόλιν ἔλεγόν τινα, Νεβηΐαν ὄνομα, τῶν περιστάντων ἐλευθερῶσαι κινδύνων, καὶ τῇ πρὸς τὸ θεῖον εὐχῇ, καὶ κατὰ τὰ πάτρια θεραπείᾳ, βροντῶν ἐξαισίως καὶ πρηστήρων ἐπιγενομένων, τοὺς ἐπικειμένους βαρβάρους ἀποδιῶξαι. Id eſt: *Dum hæc ipſi expendunt, Pompeianus, præfectus Vrbis incidit in quosdam, qui, è Tuſciâ Romam venientes, aiebant ſe opidum quoddam, Neveiam nomine, inſtantibus periculis eripuiſſe: perque nuncupata numini vota cultumque patrium tonitruis horrendis atque fulgetris elicitis, barbaros imminenteis abegiſſe.* Heic equidem quia Tuſciæ mentio fiebat, pro obſcuro iſto ac nusquàm aliàs cognito vocabulo Νεβηΐαν quidam ſubſtituere conati ſunt Νεπέτην, *Nepetam*. at longè his doctior Carolus Sigonius legendum eſſe Ναρνίαν, *Narniam*, è Sozomeno diſpexerat. quidpe apud hunc Eccleſiaſticæ hiſtor. lib. VIIII cap. VI & apud Nicephorum Calliſti lib. XIII cap. XXXV licèt id opidi nomen exſcriptores itidem corruperint in Λαρνίαν, *Larniam*; tamen, exiguâ liquidæ in liquidam commutatione, facilè in Ναρνίαν reſtitui poterat. Verba dictorum auctorum hæc ſunt: Θοῦσκοι δέ τινες, ἐπὶ τοῦτο μετακληθέντες παρὰ τοῦ ὑπάρχου τῆς πόλεως, ὑπισχνοῦντο σκηπτοῖς καὶ βρονταῖς ἀπελάσαι τοὺς βαρβάρους. ηὔχουν δὲ τοιοῦτο αὐτοῖς εἰργάσθαι καὶ περὶ Λαρνίαν πόλιν τῆς Θουσκίας· ἣν παριὼν Ἀλάριχος ἐπὶ τὴν Ῥώμην, οὐχ εἷλεν. Id eſt: *Thuſci quidam, ad hoc ipſum acciti ab Vrbis præfecto, promiſerant, ſe fulminibus atque tonitruis abacturos eſſe barbaros. gloriabantur quidpe, ab ſe huiusmodi quidpiam eſſe factum in conſervationem Larniæ, Thuſciæ urbis; quam Alarichus, Romam tendens, prætergreſſus non cepiſſet.* Verùm qui *Nepetam* heic ſuppoſuerunt, ignoraſſe videntur, poſterioris heic ſæculi *Tuſciam* intellexiſſe auctores; cuius pars tum erat Vmbria intra Apenninum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

unde Procopio lib. I anteà: Βελισάριος δὲ Βέσσαν ἐπήγγελε καταλαβεῖν Ναρνίαν, πόλιν ἐχυρὰν μάλιστα ἐν Τούσκοις οὖσαν. id eſt: *Veliſarius Beſſam juſſit Narniam occupare, urbem in Tuſcis admodùm munitam.* Cæterùm Tacitus meminit eius Annal. lib. III. *Piſo,* inquit, *Dalmatico mari tramiſſo, relictisque apud Anconam navibus, per Picenum, ac mox Flaminiam viam, adſequitur legionem. Ab Narniâ Nare ac mox Tiberi devectus.* Et Hiſtoriar. lib. III: *Pars Narniæ, pars Interamnæ ſubſiſtere juſſi.*

CARSVLAE *opidum.* Porrò inter Narniam & Mevaniam alia Straboni lib. V refertur in eâdem viâ Flaminiâ urbs Vmbriæ ἀξιόλογος, *illuſtris & memoratu digna*, cui nomen Κάρσουλοι, CARSVLI. Πόλεις δ' εἰσὶν, inquit, τῆς Ὀμβρικῆς αἱ ἐντὸς τῶν Ἀπεννίνων ὀρῶν ἄξιαι λόγου, κατ' αὐτὴν μὲν τὴν Φλαμινίαν ὁδὸν, οἵ τε Ὀκρίκλοι, πρὸς τῷ Τιβέρει, καὶ Λάρολον, καὶ Ναρνία, δι' ἧς ῥεῖ ὁ Νὰρ ποταμός· εἶτα Κάρσουλοι καὶ Μηουανία. Id eſt: *Vrbes Vmbriæ intra Apenninos monteis memoratu dignæ ſunt in ipsâ viâ Flaminiâ, Ocriculi, apud Tiberim, & Larulum, ac Narnia; quam Nar amnis perfluit: tum Carſuli & Mevania.* Id vocabulum commentatorem Strabonis voluiſſe corrigere è Livio, Plinio, ac Ptolemæo, in Καρσέολοι, *Carſeoli*, ego miror: ſiquidem Livii Ptolemæique *Carſeoli* Aequorum fuit opidum; à quo opidani Plinio ſunt lib. III cap. XII *Carſeolani*. eidem verò Plinio poſteà cap. XIIII opidani recenſentur in Vmbriâ CARSVLANI. quorum opidum Tacito Hiſtor. lib. III dicitur CARSVLAE, in eâdem Vmbriâ ac viâ Flaminiâ: qua tum Veſpaſiani exercitus ab Apennini transitu ad Narniam & Vitellii exercitum tendebat. Probum igitur vocabulum illud Strabonis. niſi id feminino malis genere exprimi Καρσούλας, *Carſulæ*; ut Tacito dicitur. Verùm eam correctionem haud temerè admiſerim: quando in innumeris aliis etiam Italiæ urbibus diverſa genera diverſos uſurpaſſe auctores, jam anteà ſæpiùs vidimus. Quamquàm, quia Aequorum *Carſeolis* in Tabulâ itinerariâ nomen eſt *Carſulis*, ſuſpicari licet, Vmbriæ quoque *Carſulos* ſeu *Carſulas* uſurpaſſe veteres *Carſeolos* & *Carſeolas*. Sed quia auctorum heic deſunt teſtimonia; Strabonis Tacitique auctoritati adquieſcamus. Cæterùm, quo ſitu in Flaminiâ viâ hoc opidum inter Narniam Mevaniamque fuerit, ſatis diſertè oſtendit Tacitus dicto Hiſtor. lib. III. Mevaniam, ut ſuprà retulimus, occupaſſe Vitellii exercitum poſtquàm tradidit, ſubjungit deinceps iſta: *Quæ ubi Vitellio cognita, parte copiarum Narniæ cum præfectis prætorii relictâ, L. Vitellium fratrem cum* VI *cohortibus &* IↃ *equitibus ingruenti pèr Campaniam bello oppoſuit.* Et paullo pòſt, de Veſpaſiani exercitus per Apenninum transitu: *Sed fœdâ hieme per transitum Apennini conflictatus exercitus. & vix quieto agmine niveis eluctantibus patuit, quantum discriminis adeundum foret, ni Vitellium retro fortuna vertiſſet: quæ Flavianis ducibus non minùs ſæpè, quàm ratio, adfuit.* Et mox de iiſdem Flavianis: *Duces partium ut Carſulas venêre, paucos ad requiem dies ſumunt; donec aquilæ ſigna legionum adſequerentur. Et locus ipſe caſtrorum placebat, latè proſpectans, tuto copiarum adgreſſu, floréntiſſimis ponè tergum municipiis. ſimul conloquia cum Vitellianis, decem millium ſpacio diſtantibus, & proditio ſperabatur.* Ergo *Carſulæ* X millia paſſuum à Narniâ abfuêre, ac XII circiter à Mevaniâ. At tam celebris eo ſæculo urbs quum fuerit, miror, quî factum, uti nulla eius in Itinerariis Romanis exſtet mentio in dictâ viâ Flaminiâ: utique apud Antonium; qui id iter ſic deſignatum habet:

Narnia	
Ad Martis	XVII.
Mevania	XVI.

Id ſanè falſum, XXXIII Narniam Mevaniamque intereſſe millia; quum hodiè vix XXIII eo ſpacio colligantur. Eſt hodiè, XIIII ferè paſſuum millia ab Narinâ, ab urbe autem Tudertinâ verſùs ortum Solis brumalis ad VI ferè millia, vicus vulgari adpellatione *Santa Maria in Pantano*; ubi aliquot repertæ ſunt veteres inſcriptiones; quarum una ſic habet:

VICANI · VICI · MARTIS
TVDERTIVM

AD MARTIS, *locus.* Heic igitur in vico ſeu apud vicum fuit FANVM MARTIS: unde ipſe locus dictus eſt VICVS MARTIS. Ad IIII ferè millia ab hoc vico alius eſt nunc vicus, vulgari vocabulo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

vocabulo *Caſſigliano* dictus; & ipſe compluribus inſcriptionibus aliiſque antiquitatum monimentis illuſtris. quo loco antiquum illud opidum fuiſſe *Carſulos* ſive *Carſulas*, primùm intervallum x millium ab Narniâ, tum ſitus in viâ Flaminiâ, deinde antiqua iſta monimenta, denique ipſum etiam vocabulum arguit, quaſi ab initio *Carſeolanum*, mox *Carſilianum*, ac tandem *Caſſilianum* dictum. In Tabulâ itinerariâ quum ab urbe Roma verſùs occaſum & ſeptemtriones per omnem Etruriam Vmbriamque ac Picenum itinera mirâ exſcriptorum incuriâ mirificè transpoſita, turbata lacerataque ſint; quod jam anteà in Etruriæ deſcriptione monui; ſignum urbis primariæ ſine nomine depictum conſpicitur, à quo hinc inde lineæ ductæ; quarum altera *Interamniam* fert; altera *Mevaniam*. ſed hæc interciſa eſt ſive diſtincta in duo intervalla; quorum alterum verſùs *Mevaniam* XII habet millia paſſuum; alterum verſùs prædictum illuſtris opidi ſignum, neque nomen loci neque numerum millium adpoſitum habet. *Narniæ* nomen apud ſignum ſcriptum fuiſſe, patet ex proximo vocabulo *Interamnio*. illic autem inter Narniam & Mevaniam fuiſſe *Ad Martis*; quæ voces nunc ſuprà prædictam lineam alio itinere inter *Interocream* & *Aſculum Picenum* leguntur; adparet ex numero XII millium. Iter illud alterum ita deſcriptum eſt:

Interocrio	
Foro cari	XII.
Palacrinis	IIII.
Ad Martis	XVI.
Surpicano	VII.
Ad Aquas	IX.
Aſclo Piceno	X.

Millia heic in univerſum colliguntur LVIII. at hodiè milliaria numerantur inter Interocream, quæ nunc dicitur *Interdoco*, & Aſculum circiter XL. Vt igitur huic nùmero Tabulæ iter conveniat, illud *Ad Martis* XVI planè inde demo. iter verò illud alterum, quod infra iſtud iter ſcriptum fuit, ſic ordino:

Interamnio	
Narnia	VIII.
Ad Martis	XVI.
Mevania	XII.

Divertere autem paullo à viâ Flaminiâ veteri ſiniſtrorſum prædictum vicum *S. Maria in Pantano*, in confeſſo eſt.

De cætero juxta eamdem viam Flaminiam, inter Narniam & Caſſilianum eſt vicus ſeu opidulum vulgari vocabulo *Todino*. id fortè fuerit antiquum TARDINVM *opidum*: à quo opidani recenſentur Plinio dicto lib. III cap. XIIII TARDINATES. TARDINVM *opidum.*

Vltima Vmbricarum verſùs meridiem Romæque proxima urbs antiqua memoratur, cuius nomen alii ſingulari numero OCRICVLVM, alii plurali OCRICVLI protulerunt. Memoratur Livio, Straboni, Plinio, Tacito, Ptolemæo, Floro, Marcellino, Itinerariis antiquis, & Stephani epitomatori. Opidani inde ſunt Ciceroni, Livio ac Plinio, OCRICVLANI: inſcriptioni veteri & Stephani epitomatori OCRICOLANI. Vulgò nunc opidum incolis vocatur *Otricoli*. Atque hinc in plerisque etiam veterum auctorum exemplaribus nomen eius antiquum exſcriptorum imperitiâ, qui heic neſcio quos reſpexerunt *utriculos*, legitur *Otriculum* & *Otriculi*; & apud Antoninum quoque *Vtriculi*: in Hieroſolymitano autem itinerario *Vericulo*. Sed vera nativaque huius vocabuli ſcriptio ex Græcis maximè auctoribus & lapidum inſcriptionibus liquebit. Apud Strabonem lib. v, in Etruriæ quidem deſcriptione legitur obliquus caſus corruptus τ̃ Ὀχηκλῶν· ſed id vocabulum rectè corrigitur ex ſequenti mox Vmbriæ deſcriptione, ubi ter eſt Ὀκρίκλων, & inde rectus caſus ſemel οἱ Ὀκρίκλοι. quod eâdem ratione Straboni formatum, ut Τȣ̃σκλον & Ἄσκλον, quæ Romanis erant *Tuſculum*, *Aſculum*. At apud Ptolemæum legitur ſingulari numero Ὀκρίκολον, ȣ Romanorum uſitatiſſimo more in ὀ μικρὸν converſo. quamquàm nonnulla exemplaria habent Ὀκρίκωλον. quod minimè probandum; quando penultima brevis OCRICVLVM *municipium.*

fuit. ego verò inde conjecerim, ſcripſiſſe ipſum Ptolemæum Ὀκρίκουλον· ut apud eum etiam Τούσκουλον & Ἄσκουλον, & pleraque Italiæ opida Romano ore formata leguntur. Inſcriptiones mox infrà adponam. nunc auctores, qui opidi opidanorumque meminerunt, citentur. Plinius lib. III cap. V: *Tiberis longis meatibus fertur per CL millia paſſuum; non procul Tiferno Peruſiâque & Ocriculo Etruriam ab Vmbris ac Sabinis dirimens.* Tacitus Hiſtor. lib. III: *Digreſſus Narniâ Veſpaſiani exercitus, feſtos Saturni dies Ocriculi per otium agitabat.* Florus lib. III cap. XVIII, de bello Sociali: *Nec Hannibalis nec Pyrrhi fuit tanta vaſtatio. ecce Ocriculum, ecce Grumentum, ecce Fæſulæ, ecce Carſeoli, reſeratæ: Nuceria & Picentia cædibus, ferro, & igne vaſtantur.* Ammianus Marcellinus lib. XVI: *Tranſcurſo Ocriculo.* Et lib. XXVIII: *Hymettius ad opidum ductus Ocriculum.* Plinius lib. III cap. XIIII: *Narnienſes, Nucerini, Ocriculani, Oſtrani.* Livius lib. VIIII: *Poſtero inſequentibusque diebus & cæteri Vmbrorum populi deduntur. Ocriculani ſponſione in amicitiam recepti ſunt.* Atque hæc antiquiſſima eſt huius opidi mentio, in conſulatu Q. Fabii Maximi Rulliani III & P. Decii Muris II; anno urbis Romæ CCCCXLV, ante natum Ieſum Chriſtum CCCVIII. Cæterò Stephani epitomator: Ὀκρίκολα, πόλις Τυῤῥηνῶν· Διονύσιος ὀκτωκαιδεκάτῳ Ῥωμαϊκῆς ἀρχαιολογίας. τὸ ἐθνικὸν Ὀκρικολανός, ὡς αὐτός φησιν. Id eſt: OCRICOLA, *urbs Etruſcorum; auctore Dionyſio Romanarum antiquitatum lib. XVIII. gentilitium Ocriculanus; ut idem dicit.* Neſcio, an ipſi Dionyſio opidi vocabulum formatum fuerit Ὀκρίκολα· neſcio item, an Tyrrhenorum id ille fecerit opidum. vereorque de ſuo id gentis nomen adjeciſſe Stephanum: cuius ætate Vmbria etiam ſub Etruriæ, ſive, ut tum adpellabant, Tuſciæ titulo comprehendebatur; ut ſuprà dictum. *Municipium* poſteà factum Romanorum, teſtantur duæ inſcriptiones, quæ heic exſtant huiusmodi:

1.

L · IVLIO · L · F · PAL
IVLIANO
IIII · VIR · AED
IIII · VIR · I · D
IIII · VIR · QVINQ
PATRONO
MVNICIPI
PLEPS · OB · MERITA
L · D · D · D


2.

IVLIAE · LVCILIAE
L · IVLI · IVLIANI · FIL
PATRONI · MVNICIPI
CVIVS · PATER
THERMAS · OCRICOLA
NIS · A · SOLO · EXTRVCTAS
SVA · PECVNIA · DONA
DECVR · AVG · PLEPS
D · D · D

Atque hæ equidem inſcriptiones viſuntur nunc in opido, quod, in colle ſitum, vulgò vocatur, ut dixi, *Otricoli*, II fermè millia à Tiberis ripâ diſtans. at prope ipſam ripam, in latâ planitie, ingentes antiquorum conſpiciuntur ædificiorum reliquiæ; templorum, thermarum, aquæductuum, theatri, amphiteatrique. quæ cuncta numero atque multitudine ſuâ ſatis apertè teſtantur, hoc ſitu, non in dicto colle, fuiſſe magnificum illud florentiſſimumque Ocriculanorum municipium. Huc accedit Ciceronis quoque ac Livii Strabonisque teſtimonium. Cicero in oratione pro Annio Milone: *Nullum in Vrbe vicum, nullum angiportum eſſe dicebant, in quo Miloni non eſſet conducta domus: arma in villam Ocriculanam devecta Tiberi.* Livius lib. XXII: *Q. Fabius Maximus, viâ Flaminiâ profectus obviam conſuli exercituique, quum ad Tiberim circa Ocriculum proſpexiſſet agmen, conſulemque cum equitibus ad ſe progredientem; viatorem miſit, qui conſuli nunciaret, ut ſine lictoribus ad dictatorem veniret.* Strabo lib. V: Πόλεις δ' εἰσὶ τῆς Ὀμβρικῆς, αἱ ἐντὸς τῶν Ἀπεννίνων ὀρῶν, ἄξιαι λόγου, κατ' αὐτὴν μὲν τὴν Φλαμινίαν ὁδὸν αἵ τε Ὀκρίκλοι, πρὸς τῷ Τιβέρει, καὶ Λάρολον, καὶ Ναρνία, δι' ἧς ῥεῖ ὁ Νὰρ ποταμός· εἶτα Κάρσουλοι, καὶ Μηουανία. Id eſt: *Vrbes Vmbriæ intra Apenninos monteis inſigniores ſunt, in ipſâ quidem viâ Flaminiâ, Ocriculi apud Tiberim, & Larulum, atque Narnia, quam Nar perfluit amnis: tum Carſuli & Mevania.* Id ſanè perquàm mirum; quum ἄξια fuerit λόγου urbs *Larulum*; nemini alii eam umquàm eſſe commemoratam. unde certè haud vana ſuſpicio, locum hunc Strabonis eſſe mendoſum. Neque verò tam florentium municipiorum *Ocriculi* ac *Narniæ* propinquitas, VI ad ſummum intercedentibus milliaribus, tantum ferre potuiſſet ſplendorem intermedium. Proinde alia quædam verba

pro

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

pro iſtis ϗ Λάρολον ab ipſo Strabone perſcripta fuiſſe cenſeo; quibus fortè ſitus Ocriculorum ad Tiberim clariùs indicatus.

Cæterùm Plinius ad ſæpiùs memoratum libri III caput XIIII, quo Vmbriæ opida populique deſcribuntur, hunc ponit finem: *In hoc ſitu interière Feliginates, &, qui Cluſiolum tenuère ſupra Interamnam; & Sarranates, cum opidis, Acerris, quæ Vafriæ cognominabantur, & Turocelo, quod Vetriolum: item Solinates, Suriates, Fallienates, Apienates. interière & Arienates cum Crinovolo; & Vſidicani & Plangenſes, Piſinates, Cæleſtini*. Horum igitur nulla poteſt eſſe inveſtigatio, quibus locis opida eorum fuerint. Sed nec illorum, qui Plinii tempore exſtiterunt, quique ei eodem capite antè recenſentur *Caſuentani, Dolates, cognomine Salentini, Forojulienſes, cognomine Concubienſes, Forobremitiani, Peleſtini, Vindinates, atque Viventani*, ſitus oſtendi poteſt. CASVENTANI tamen & VINDINATES, quorum opida haud dubiè fuerunt CASVENTVM ac VINDINVM, memorantur Inſcriptioni quoque antiquæ, quæ apud Interamnam talis eſt: CVSVENTVM & VINDINVM *opida*.

In uno latere;	In altero latere;
PATRONO·MVNICIPI·INTE	DEDIC
RAMNATIVM·NART·CASVENTI	VIII·ID·SEPT
NORVM·VINDENATIVM	SABINO·II·ET.VENVSTO
	COS

Conſules fuêre Sabinus atque Venuſtus anno tertio Gordiani imperatoris, annis CLXIII poſt Plinii interitum. Cæterùm ex conjunctione trium iſtorum populorum conjicere licet, ipſa etiam opida eorum ſibi invicem fuiſſe vicina. Qui Plinio *Caſuentani* adpellantur ab opido, ut dixi, *Caſuento*, ii in iſta inſcriptione ſunt CASVENTINI; & opidum eorum apud Frontinum in libro de Coloniis CASVENTIVM. *Caſuentium*, inquit, *muro ducta colonia. ager eius lege triumvirali eſt adſignatus*. Celebre igitur quomdam fuit opidum.

Atque hactenus Vmbriæ quoque antiquitas nobis deſcripta eſt. Flumina eius intra Apenninum quia cuncta unum Tiberim influunt, infrà in huius expoſitione dicentur.

CAP. VIII.

De SABINORVM *nomine, genere, ac finibus.*

VMbris ab auſtro conterminos fuiſſe SABINOS, ſuprà dictum eſt. De horum nomine ita tradit Plinius lib. III cap. XII: *Sabini, ut quidam exiſtimavère, à religione & deorum cultu Sebini adpellati*. Et Pompeius Feſtus: *Sabini dicti, ut ait Varro Terentius, quòd ea gens præcipuè colat deos; id eſt* ἀπὸ τοῦ σέβεσθαι. Hinc haud dubiè illud Solini natum, quod cap. II refert his verbis: *De temporibus Vrbis conditæ ambiguitatum quæſtiones excitavit, quòd quædam ibi multo ante Romulum condita ſunt. quidpe aram Hercules, quam voverat, ſi amiſſas boves reperiſſet, punito Caco, patri inventori dicavit. qui Cacus habitavit locum, cui Salinæ nomen eſt; ubi Trigemina nunc porta. Hic, ut Cælius tradit, quum à Tarchone Tyrrheno, ad quem legatus venerat miſſu Marſyæ regis, ſocio Megale Phryge, cuſtodiæ foret datus; fruſtratus vincula, unde venerat, redux, & præſidiis amplioribus occupato circa Vulturnum & Campaniam regno; dum etiam ea attrectare auderet, quæ conceſſerant in Arcadum jura; duce Hercule, qui tunc fortè aderat, oppreſſus eſt. Megalen Sabini receperunt; diſciplinam augurandi ab eo docti*. Atqui omnis augurandi ſacrorumque rituum & cerimoniarum diſciplina ac præcipua divini cultus peritia unis maximè tribuebatur Etruſcis: ideóque ad hos unos, non ad Sabinos, procerum Romanorum liberi addiſcendæ eius diſciplinæ gratiâ mittebantur: ipſique Etruſci inde nomen alterum apud Romanos invenêre, quo ab initio Θυοσκόοι, *Thuoſcoi*, poſtmodùm verò *Thuſci* atque *Tuſci* adpellabantur; ut ſuprà cap. I huius libri II plurium graviſſimorum auctorum teſtimoniis demonſtratum eſt. Plinius iſtis verbis; *Vt quidam exiſtimavère*, ſatis apertè indicat, haud communem receptamque eam fuiſſe omnibus Romanis ſententiam. Verùm enimverò *Megales* iſte Solini, apud nullum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

alium ſcriptorem lectus, an non fuerit idem ille, qui, *Tages* nomine, ſeu, ut alii tradiderunt, *Tarchon*, Etruſcos omnem haruſpicinæ ſacrorumque rituum diſciplinam primus docuiſſe ferebatur; ut ſuprà cap. III huius lib. II in Tarquiniorum urbis expoſitione intelleximus? Nomen igitur *Tagetis* apud Solinum an ab exſcriptoribus facili ac prono lapſu corruptum; an verò, quò minùs heic Tuſcorum & nomen & ſacrificiorum peritia intelligeretur, pro *Tagete* effingi placuit *Megalen*? At nimium diſertè tamen ac manifeſtè & *Tarchonis Tyrrheni* & *Marſyæ regis*, quem cap. VIII ipſe Solinus *Lydorum regem* pronunciat, & *Vulturni* amnis *Campaniæ*que commemoratio, ad Tuſcos omnem hanc rem ſpectare, produnt: quam alii quum ad Sabinorum gentem trahere voluerint; tam aptè tamen figmentum tegere nequiverunt, quin veritas ex dictorum nominum commemoratione quàm lucidiſſimè adpareret. Eccui verò credibile fiet, Italam gentem in primis antiquam nomen ſibi impoſuiſſe è Græcâ lingvâ quæſitum? Itaque longè aliter ſenſerunt alii auctores; à quibus Iſidorus Origin. lib. VIIII cap. II habuit iſta: *Ab Italo Itali, à Sabino Sabini, à Sicano Sicani*. Hæc haud dubiè habuit Iſidorus è Porcii Catonis Originibus gentium civitatumque Italicarum. de hoc quidpe ita tradit Dionyſius Halicarnaſſenſis lib. II: Ζηνόδοτος δ' ὁ Τροιζήνιος, συγγραφεὺς Ὀμβρικοῦ ἔθνους, αὐθιγενεῖς ἱστορεῖ τὸ μὲν πρῶτον οἰκῆσαι περὶ τὴν καλουμένην Ῥεατίνην· ἐκεῖθεν δ' ὑπὸ Πελασγῶν ἐξελαθέντας, εἰς ταύτην ἀφικέσθαι τὴν γῆν, ἔνθα νῦν οἰκοῦσι· καὶ μεταβαλόντας ἅμα τῷ τόπῳ τοὔνομα, Σαβίνους ἐξ Ὀμβρικῶν προσαγορευθῆναι. Κάτων δὲ Πόρκιος τὸ μὲν ὄνομα τῷ Σαβίνων ἔθνει τεθῆναί φησιν ἐπὶ Σαβίνου, τοῦ Σάγκου, δαίμονος ἐπιχωρίου· τοῦτον δὲ τὸν Σάγκον ὑπό τινων Πίστιον καλεῖσθαι Δία. Id eſt: *Zenodotus Trœzenius, qui Vmbricæ gentis hiſtoriam conſcripſit, narrat, indigenas primùm circa Reatinum agrum incoluiſſe: inde verò Pelaſgorum armis expulſos, transmigraſſe in terram, quam nunc habitant. mutatoque cum ſedibus nomine, Sabinos pro Vmbris adpellatos. At Porcius Cato nomen Sabinis impoſitum ait à Sabino, filio Sanci, genii huius regionis: iſtum verò Sancum à nonnullis Dium Fidium adpellari*. Hunc Sabinæ gentis conditorem Silius poëta non *Sabinum*, ſed *Sabum* pronunciat. à qua equidem primitivâ voce rectiùs derivativum provenit gentis vocabulum *Sabini*. Verba poëtæ lib. VIII hæc ſunt:

Cunctis haſta decus clypeusque refertur in orbem.
Vertice & implumes, ac levi tegmine cruris
Ibant. & læti, pars Sancum voce canebant,
Auctorem gentis; pars laudes ore ferebant,
Sabe, tuas: qui de patrio cognomine primus
Dixiſti populos magnâ ditione Sabinos.

Imò de ſuo, non de patrio, dixit nomine *Sabinos*. Virgilio tamen juxtà cum Catone vocatur *Sabinus*. Verba eius Aeneid. lib. VII hæc ſunt:

——— *Rex arva Latinus & urbeis*
Iam ſenior, longâ placidas in pace regebat.
Hunc Fauno & nymphâ genitum Laurente Maricâ
Accipimus. Fauno Picus pater. isque parentem
Te, Saturne, refert. tu ſangvinis ultimus auctor.

Et poſteà; de ſede regiâ Latini:

Tectum auguſtum, ingens, centum ſublime columnis,
Vrbe fuit ſummâ, Laurentis regia Pici.

Mox:

Quin etiam veterum effigies ex ordine avorum
Antiquâ ex cedro, Italusque, paterque Sabinus,
Vitiſator, curvam ſervans ſub imagine falcem,
Saturnusque ſenex, Ianique bifrontis imago,
Veſtibulo adſtabant; aliique ab origine reges.

Sanci dei meminit Dionyſius, iterum lib. IIII: Ἐν ἱερῷ, inquit, Διὸς Πιστίου, ὃν Ῥωμαῖοι Σάγκον καλοῦσιν. *In æde Dii Fidii; quem Sancum Romani vocant*. Lib. VIIII: Ἐν δὲ τῇ πόλει τὸν νεὼν τοῦ Πιστίου Διὸς Σπόριος Ποστούμιος καθιέρωσε μηνὸς Ἰουνίου ταῖς καλουμέναις Νόναις, ἐπὶ τοῦ Ἐνυαλίου λόφου, κατασκευασθέντα μὲν ὑπὸ τοῦ τελευταίου βασιλέως Ταρκυνίου, τῆς δὲ νομιζομένης παρὰ Ῥωμαίοις ἱερώσεως οὐ τυχόντα ὑπ' ἐκείνου. Id eſt: *In Vrbe ædem Dii Fidii Sp. Poſthumius dedicavit Nonis Iuniis, in colle Martiali exſtructam ab ultimo rege Tarquinio: non tamen ſolemni dedicationis ritu ab eo conſecratam*. Varro de Lingvâ Latinâ lib. IIII:

Tertius

Tertiæ regionis colles ab quinque deorum fanis adpellati: è queis nobiles duo colles. Viminalis, à Iove Viminio; quòd ibi aræ eius: aut, quòd ibi vimineta fuerunt. collis Quirinalis, ubi Quirini fanum: qui à Curitibus, qui cum T. Tatio Curibus venerunt Romam; quòd ibi habuerunt caſtra. quod vocabulum conjunctarum regionum nomina obliteravit. dictos enim colleis plureis adparet ex Argeorum ſacrificiis: in quibus ſic ſcriptum eſt: Collis Salutaris quarticepſos, apud ædem Salutis. collis Martialis quinticepſos, apud ædem Dii Fidii, in delubro, ubi æditumus habere ſolet. collis Latiaris ſexticepſos, in vico Muſtellario ſummo, apud auguraculum. Horum deorum aræ, à quibus cognomina habent, in eius regionis partibus. Ait, *Quirinalis collis vocabulum conjunctorum collium nomina obliteraſſe.* hinc in *Quirinali* ponitur ab Ovidio ædes *Dii Fidii*, ſive *Sanci*. Verba eius Faſtorum lib. VI hæc ſunt:

Quærebam; Nonas Sanco, Fidione, referrem;
An tibi, Semo, pater. tunc mihi Sancus ait:
Cuicumque ex iſtis dederis, ego munus habebo.
Nomina terna fero: ſic voluêre Cures.
Hunc igitur veteres donarunt æde Sabini;
Inque Quirinali conſtituêre jugo.

Pompeius Feſtus: *Præbia Verrius vocari ait ea remedia, quæ Caia Cæcilia, uxor Tarquinii Priſci inveniſſe exiſtimatur, & immiſcuiſſe zonæ ſuæ, qua præcincta ſtatua eius eſt in æde Sanci; qui deus Dius Fidius vocatur. ex qua Zonâ periclitantes ramenta ſumunt.* Divus Auguſtinus de Civitate Dei lib. XVIII cap. XVIIII: *Sabini etiam regem ſuum primum Sangum, ſive, ut aliqui adpellant, Sancum, retulerunt in deos.* Lactantius de Falsâ religione lib. I cap. XV: *Sabini coluerunt Sancum.* Hinc Plinius lib. VIII cap. XLVIII: *Lanam cum colo & fuſo Tanaquilis, quæ eadem Caia Cæcilia vocata eſt, in templo Sangi duraſſe, auctor eſt M. Varro.* Livius lib. VIII: *Bona eius Semoni Sango cenſuerunt conſecranda. quodque æris ex eis redactum eſt, ex eo ænei orbes facti, poſiti in ſacello Sangi, versùs ædem Quirini.* Et lib. XXXII: *Veliterni legati nunciabant, Apollinis & Sangi ædeis de cælo tactas.* Feſtus: *Sanqualis avis adpellatur, quæ in commentariis auguralibus oſſifraga dicitur, quia in Sangi dei tutelâ eſt.* Ex eodem Feſto Paullus Diaconus, epitomator eius: *Porta Sanqualis adpellatur proxima ædibus Anci.* Haud dubiè Paullus ſcripſerat, *proxima ædi Sanci*: quod exſcriptores poſteà corruperunt: quemadmodùm apud Plinium quoque, præſcripto loco, quædam exemplaria habent *M. Anci*. Sed & apud Dionyſium dicto lib. IIII pro Σάγκον pleraque exemplaria habent Σάγκτον· & ita Latinè Ovidii quædam, item Varronis & Silii & Feſti & Auguſtini, ac Lactantii *Sanctum*. qui ſanè non imperitorum grammaticorum poſterioris ævi, ſive exſcriptorum, fuit error; ſed vulgaris mos longè antiquioris etiam ſæculi; quum à *ſanciendo* id nominis numini impoſitum crediderint. unde ſic Propertius lib. IIII eleg. X Herculem precatur:

Sancte pater ſalve; cui jam favet aſpera Iuno.
Sancte, velis libro dexter ineſſe meo.
Hunc quoniam manibus purgatum ſanxerat Orbem,
Sic Sanctum Tatiæ compoſuêre Cures.

Verùm ſi Sabinorum peculiare hoc fuit numen; non verò Aboriginum Pelaſgorumque, id eſt, Latinorum; qui aliquamdiu ante Sabinos hanc tenuêre regionem; certè non à *ſanciendo*, Latinâ voce, dictus illis eſt *Sanctus*; ſed ab aliâ quapiam re *Sancus* vel *Sangus*. unde avem atque portam ab huius dei nomine nemo auctorum *ſanctualem*, ſed *ſanqualem* & *ſangualem* adpellarunt. unde apud Plinium lib. X cap. VII alia exemplaria vetuſta *avem ſanqualem*, alia *ſangualem*, ter eodem capite memoratam, referunt. A *Sanci* autem vocabulo eâdem ratione fiebat derivativum *Sanqualis*, ut ab incolendo *inquilinus*, ab ſtercore *ſterquilinium*, ab *lacubus* duo opida Italiæ *Prolaqueum* & *Sublaqueum* dicebantur. Cæterùm Feſtus; *Propter viam*, inquit, *fit ſacrificium, quod eſt proficiſcendi gratiâ, Herculi, aut Sanco: qui ſcilicet idem eſt deus.* Varro, dicto lib. IIII poſteà: *Aelius Gallus Dium Fidium dicebat Dijovis filium; ut Græci Διόσκουρον Caſtorem. & putabat, hunc eſſe Sancum Sabinâ linguâ, & Herculem Græcâ.* Certè Dionyſius, præſcriptis locis non *Dijovis filium*, ſed ipſum Δία Πίστιον, id eſt, *Iovem Fidium* adpellat. Omnia autem illa deorum numina ac nomina, quibus priſcæ gentes per univerſum antiquitus utebantur Orbem, ad unum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

ſpectaſſe verum & æternum Deum, rerum cunctarum conditorem moderatoremque, Germaniæ lib. I quàm plurimis firmiſſimisque monſtravi documentis. Antiquiſſima igitur quum foret Sabinorum gens; ipſi, more omnium gentium, à Deo ſibi originem ſuam deduxerunt; quem illi ſuâ lingvâ adpellabant *Sancum*, ſive *Sangum*, cognomine, neſcio unde tracto, *Semonem*. ſcilicet, quia ab uno illo veroque Deo primus mortalium conditus erat *Adamus*: à cuius poſteris gentium conditores auctoresque poſt aquarum inundationem orti ſunt: in quibus Sabini ſuum habuêre ſive *Sabinum* ſive *Sabum*. Sed de hoc ita tradit Servius in Commentariis ad Virgilii Aeneid. lib. VIII: *Sabini à Lacedæmoniis originem ducunt, ut Hyginus ait de Origine urbium Italicarum, à Sabo; qui de Perſide Lacedæmonios transiens ad Italiam venit, & expulſis Siculis tenuit loca, quæ Sabini habent. nam & partem Perſarum, nomine Caſpiros,* ...... [deeſſe nonnihil videtur] .... *adpellari cæpiſſe; qui poſt corruptè Caſperuli dicti ſunt. Cato autem & Gellius à Sabo Lacedæmonio trahere eos originem, referunt.* Hinc Silius lib. VIII; in catalogo Sabinarum urbium:

——— Et Bactris nomina ducens
Caſperula.

Iſta ſanè originatio ab Hygino grammatico ex ſimilitudine vocabulorum conficta eſt ſatis ineptè. quid enim hoc eſt dicere; *Sabini à Lacedæmoniis originem ducunt, quia Sabus de Perſide, Lacedæmonios tranſiens, in Italiam venit.* Certè longè meliùs & aptiùs Cato Gelliusque; *Sabini à Lacedæmoniis originem trahunt, duce Sabo.* Verùm non Græcam fuiſſe Sabinis originem, patet ex documento lingvæ; quæ illis longè aliena fuit à Græcà lingvâ. Livius lib. I: *Inclyta juſtitia religioque eâ tempeſtate Numæ Pompilii erat. Curibus Sabinis habitabat; conſultiſſimus vir, ut in illâ quisquam ætate eſſe poterat, omnis divini atque humani juris. Auctorem doctrinæ eius, quia non exſtat alius, falſo Samium Pythagoram edunt. quem, Servio Tullio regnante Romæ, centum poſt annos & ampliùs in ultimâ Italiæ orâ, circa Metapontum Heracleamque & Crotonem, juvenum æmulantium ſtudia cœtus habuiſſe, conſtat. Ex quibus locis, etſi eiusdem ætatis fuiſſet, qua famâ in Sabinos, aut quo lingvæ commercio quemquam ad cupiditatem diſcendi excivіſſet?* Hinc apud Dionyſium lib. III Metius Fufetius, Albanorum rex, ita contra Tullum Hoſtilium, Romanorum regem, de principatu ſuæ civitatis diſputat: Ἡμεῖς, ὦ Τύλλε, καὶ τῆς ἄλλης ἀρχῆς ἄξιοι ἐσμὲν Ἰταλίας, ὅτι ἔθνος Ἑλληνικὸν καὶ μέγιστον τῶν κατοικούντων τήνδε τὴν γῆν ἐθνῶν παρεχόμεθα. * · * · ὅτι τὸ μὲν Ἀλβανῶν γένος οἷον ἐπὶ τῶν κτισάντων τὴν πόλιν, τοιοῦτον ἕως τῶν καθ' ἡμᾶς χρόνων διαμένει· καὶ οὐκ ἂν ἔχοι τις ἐπιδεῖξαι φῦλον ἀνθρώπων οὐδὲν, ἔξω τοῦ Ἑλληνικοῦ τε καὶ τοῦ Λατίνων, ᾧ τῆς πολιτείας μεταδεδώκαμεν. ὑμεῖς δὲ τὴν ἀκρίβειαν τοῦ παρ' ἑαυτοῖς πολιτεύματος διεφθάρκατε, Τυρρηνούς τε ὑποδεξάμενοι καὶ Σαβίνους, καὶ ἄλλους τινὰς ἀνεστίους καὶ πλανήτας βαρβάρους πάνυ πολλούς· ὥστε ὀλίγον τὸ γνήσιον ὑμῶν ἐστιν, ὅσον ἀφ' ἡμῶν ὡρμίσθη, μᾶλλον δὲ πολλοστὸν τοῦ ἐπεισάκτου τε καὶ ἀλλοφύλου. Εἰ δὲ ἡμεῖς παραχωρήσαιμεν ὑμῖν τῆς ἀρχῆς, τὸ νόθον ἄρξει τοῦ γνησίου, καὶ τὸ βαρβαρικὸν τοῦ Ἑλληνικοῦ, καὶ τὸ ἐπείσακτον τοῦ αὐθιγενοῦς. Hoc eſt: *Nobis, Tulle, totius Italiæ imperium debetur; qui, à Græcis oriundi, nulli in hac terrâ genti ſecundi ſumus magnitudine.* Exiguo pòſt: *Albanorum genus quale olim ſub urbis conditoribus fuit, tale usque ad noſtra tempora permanſit. nec ulla oſtendi hominum natio poteſt, præter Græcos atque Latinos, quæ jus civitatis apud nos adepta ſit. At vos exquiſitum reipublicæ genus apud vos corrupiſtis; Etruſcis ac Sabinis in eam receptis, aliisque multis barbaris, ſine lare vagantibus. ita, uti germani generis noſtri exiguus apud vos ſit numerus; multipliciter ſuperantibus exteris & adſcititiis. Itaque, ſi vobis principatum ceſſerimus: germanis præerunt ſuppoſititii, Græcanicis barbari, indigenis adſcititii.* Graviſſimorum igitur horum auctorum, Livii atque Dionyſii, teſtimonio Sabini Græcanici minimè fuêre generis. Interim tamen haud pauci alii auctores Græcos eos pronunciarunt. in quibus Trogi breviator Iuſtinus initio libri XX, ubi Græcas colonias, quæ Italiam obſederunt, enumerat; *Quid tractus omnis Campaniæ? quid Bruttii Sabinique? quid Samnites? quid Tarentini?* Plutarchus in Numâ: Σαβῖνοι δὲ βούλονται Λακεδαιμονίων ἑαυτοὺς ἀποίκους γεγονέναι. Id eſt: *Sabini colonos ſe jactant Lacedæmoniorum.* Ovidius Faſtor. lib. I:

Ille, manu mulcens propexam ad pectora barbam,
Protinus Oebalii rettulit arma Tatî:
Vtque levis cuſtos, armillis capta, Sabinos
Ad ſummæ tacitos duxerit arcis iter.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Oebalus erat rex Laconum ſeu Lacedæmoniorum. unde Tatium, Sabinorum regem, dixit *Oebalium*. Silius lib. VIII:

Ecce, inter primos, Theramneo à ſanguine Clauſi,
Exſultat rapidis Nero non imitabilis auſis.

Et deinde lib. XV:

Tendit Amyclæi præceps ad caſtra nepotis.
Is tum Lucanis cohibentem finibus arma
Pœnum vicini ſervabat ceſpite valli.
Heic juvenem adgreditur Latiæ telluris imago:
Clauſorum decus, atque, erepto, maxima Romæ
Spes Nero, Marcello; rumpe atque expelle quietem.

Theramnæ & *Amyclæ* opida fuêre Laconiæ, adeò Lacedæmoni ſive Spartæ urbi vicina, uti à quibusdam partes huius habita ſint. Claudium igitur Neronem Silius adpellat *Theramnæum* atque *Amyclæum*, quia Claudiorum genus è Sabinis erat; Sabini autem è Laconibus orti. Hinc denique illud Svetonii in Tiberio cap. VI: *Per Siciliam quoque & Achaiam circumductus, ac Lacedæmoniis publicè, quòd in tutelam Claudiorum erant, demandatus.* Verùm quo pacto Sabini Lacedæmoniorum ſeſe jactaverint colonos, oſtendit ex ipſorum monumentis Dionyſius ſuprà dicto libro II. Πρώτην δ' αὐτῶν, inquit, οἴκησιν ἀποφαίνει ὁ Κάτων γενέσθαι κώμην τινὰ καλουμένην Τεστρίναν, ἀγχοῦ πόλεως Ἀμιτέρνης κειμένην· ἐξ ἧς ὁρμηθέντας ἅμα, εἰς τὴν Ῥεατίνην ἐμβαλεῖν, Ἀβοριγίνων τότε κατοικούντων, καὶ πόλιν αὐτῶν τὴν ἐπιφανεστάτην Κοτυλίας πολέμῳ χειρωσαμένους κατασχεῖν. ἐκ δὲ τῆς Ῥεατίνης ἀποικίας ἀποστείλαντας, ἄλλας τε πόλεις κτίσαι πολλάς, ἐν αἷς οἰκεῖν ἀτειχίστοις, καὶ δὴ καὶ τὰς προσαγορευομένας Κυρεῖς. χώραν δὲ κατασχεῖν τῆς μὲν Ἀδριανῆς θαλάττης ἀπέχουσαν ἀμφὶ τοὺς ὀγδοήκοντα καὶ διακοσίους σταδίους, τῆς δὲ Τυρρηνικῆς τετταράκοντα πρὸς διακοσίοις· μῆκος δὲ αὐτῆς εἶναί φησιν ὀλίγῳ μεῖον χιλίων σταδίων. Ἔστι δέ τις καὶ ἄλλος ὑπὲρ τῶν Σαβίνων ἐν ἱστορίαις ἐπιχωρίοις λεγόμενος λόγος· ὡς Λακεδαιμονίων ἐποικησάντων αὐτοῖς, καθ' ὃν χρόνον ἐπιτροπεύων Εὔνομον τὸν ἀδελφιδοῦν Λυκοῦργος, ἔθετο τῇ Σπάρτῃ τοὺς νόμους. ἀχθομένους γάρ τινας τῇ σκληρότητι τῆς νομοθεσίας, καὶ διαστάντας ἀπὸ τῶν ἑτέρων, οἴχεσθαι τὸ παράπαν ἐκ τῆς πόλεως. ἔπειτα διὰ πελάγους πολλοῦ φερομένους, εὔξασθαι τοῖς θεοῖς (πόθος γάρ τινα ὑπελθεῖν αὐτοὺς ὁποίας δήποτε γῆς) εἰς ἣν ἂν ἔλθωσι πρώτην, ἐν αὐτῇ κατοικῆσαι. κατασχθέντας δὲ τῆς Ἰταλίας περὶ τὰ καλούμενα Πωμεντῖνα πεδία, τό τε χωρίον, ἐν ᾧ πρῶτον ὡρμίσαντο, Φερωνίαν ἀπὸ τῆς πελαγίου φορήσεως ὀνομάσαι, καὶ θεᾶς ἱερὸν ἱδρύσασθαι Φερωνίας, ᾗ τὰς εὐχὰς ἔθεντο. ἐκεῖθεν δ' ὁρμηθέντας αὐτῶν τινας, συνοίκους τοῖς Σαβίνοις γενέσθαι. καὶ διὰ τοῦτο πολλὰ τῶν νομίμων εἶναι Λακωνικά· μάλιστα δὲ τὸ φιλοπόλεμόν τε καὶ τὸ λιτοδίαιτον, καὶ τὸ παρὰ πάντα τὰ ἔργα τοῦ βίου σκληρόν. Hoc eſt: *Primam earum ſedem tradit Cato fuiſſe vicum quemdam, Teſtrinam nomine, haud procul Amiternâ ſitum. unde expeditione factâ, Reatinum agrum invaſiſſe, Aboriginibus tunc habitatum: urbemque eorum nobiliſſimam Cutylias armis occupaſſe. miſſisque è Reatino agro coloniis, inter alia opida multa, ſed immunita, etiam Cureis condidiſſe. regionem autem occupaſſe ab Hadriatico mari diſtantem ſtadia circiter* CCLXXX, *à Tyrrheno* CCXL: *cuius longitudo pateat ſtadia paullo minùs mille. Sed & alia in Sabinorum hiſtoriis domeſticis exſtat narratio. nempe Laconicam eò veniſſe coloniam, quo tempore Lycurgus, tutor ſui nepotis Eunomi, Spartanis leges condidit. quarum ſeveritatem pertæſos quosdam, ſeceſſione à cæteris factâ, urbem prorſus deſeruiſſe. deinde, enavigato longo maris tractu, qualiscumque terræ deſiderio, votum feciſſe diis, quocúmque terrarum primùm adpellerent, id poſthac ſibi fore domicilium. quumque delati eſſent ad Pometinos campos; locum, quò primùm adpulerant, Feroniam vocaſſe; memores, quòd eos huc illuc per mare ferri contigerat. templum quoque ſtruxiſſe divæ Feroniæ; cui vota fecerant. Horum quosdam, ex eo loco profectos, ſedeis cum Sabinis conjunxiſſe. ideóque multa apud illos eſſe inſtituta Laconica: præcipuè, quantum ad belli ſtudium ac frugalitatem vitæque omnibus in rebus duritiam attinet.* Ergo haud ita magnus Lacedæmoniorum numerus ad Sabinos penetravit. *Pometini* autem *campi* erant à Tarracinâ opido & Circæo monte versùs Tiberim; & in his *Feroniæ fanum* ad tertium à Tarracinâ lapidem: ut infrà ſuo loco oſtendetur. Hactenus igitur ex ipſis etiam Sabinorum domeſticis monimentis ſatis conſtat, gentem eam haud Græcanici fuiſſe generis. Vmbricæ ſtirpi unus ſolus adſerere conatus eſt Zenodotus ille Trœzenius, Dionyſio citatus. Ζηνόδοτος, inquit Dionyſius, Τροιζήνιος συγγραφεὺς Ὀμβρικὸν ἔθνος, αὐθιγενεῖς ἱστορεῖ τὸ μὲν πρῶτον οἰκῆσαι περὶ τὴν καλουμένην Ῥεατίνην· ἐκεῖθεν δὲ ὑπὸ Πελασγῶν ἐξελαθέντας, εἰς ταύτην ἀφικέσθαι

κέαδης τὴν γῆν, ἔνθα νῦν οἰκοῦσιν· καὶ μεταβαλόντας ἅμα τῷ τόπῳ τοὔνομα, Σαβίνους ἐξ Ὀμβρικῶν προσαγορευθῆναι. Id eſt: *Zenodotus Trœzenius, qui Vmbricæ gentis hiſtoriam conſcripſit, tradit indigenas primùm circa Reatinum agrum incoluiſſe. inde verò Pelaſgorum armis pulſos, veniſſe in terram, quam nunc habitant. mutatoque cum ſedibus nomine, Sabinos pro Vmbris adpellatos.* Sanè, niſi partem tantùm Vmbrorum, non omnem autem gentem, mutatis ſedibus ac nomine *Sabinos* adpellatos intellexerit Zenodotus, omnis iſthæc narratio erit falſa. quidpe perpetuò nomen Vmbrorum ad inferiora usque ſæcula ſuprà explicatis ſedibus manſit. At illud neſcio quò intellexerit Dionyſius, ἐξελαθέντας ἐκ τῆς Ῥεατίνης εἰς ταύτην ἀφικέσθαι τὴν γῆν, ἔνθα νῦν οἰκοῦσιν· *pulſos ex Reatino agro, in eam migraſſe terram, quam nunc incolunt.* etenim & ante Dionyſium multis ſæculis, & ætate eius, & poſteà etiam Reatinum agrum perpetuò coluerunt Sabini. Verùm enimverò errorem mihi videor diſpicere Zenodoti: cuius verba, ut in hiſtoriâ eius perſcripta erant, referre voluiſſe puto Dionyſium. Vmbri ex antiquâ illâ inter Apenninum Tiberisque dextram ripam & mare inferum ſede ſuâ à Pelaſgis, & ex Reatino agro ab iisdem Pelaſgis ſimulque ab Aboriginibus pulſi, fineis habuêre inter mare ſuperum & Aeſim Naremque ac Tiberim & Vtentem amneis; ut ſuprà cap. I & III huius libri II intellectum eſt. poſteà Aborigines ex Reatino agro ab Sabinis ejecti ſunt; teſte præſcripto loco apud Dionyſium Porcio Catone. Hæc quum parum exactâ parumque diſertâ accepiſſet famâ Zenodotus; ipſos Vmbros, priſcâ circa Reatinum agrum ſede pulſos, putavit adpellatos fuiſſe inter Narem ſuperumque mare *Sabinos*. Cæterò ſermonem Sabinis eumdem fuiſſe, quem Oſcis ſive Opicis; ſuprà lib. I cap. VI oſtenſum eſt. ex quo validiſſimo documento colligere datur, Oſcæ originis fuiſſe illos. Oſcos autem, ſive Opicos, tenuiſſe Campaniam, infrà ſuo loco monſtrabitur. hinc igitur pars eorum novo nomine *Sabini* profecti, Aborigines ex eo agro ejecerunt, qui poſteà inter Vmbros atque Latinos adpellatus eſt *Sabinus*: quem heic deſcriptum imus. Primus locus, quem occuparunt, fuit ſuprà memoratus *Teſtrina* vicus, prope Amiternum opidum & amnem Aternum, qui vulgò nunc vocatur adcolis *Peſcára*. unde porrò arma moventes, ad Tiberim usque & Anienem amneis penetrarunt. Primam autem eorum expeditionem ex Opico ſolo ante bellum Troianum factam, patet ex nomine *Aboriginum*: quod nemo veterum ſcriptorum infra Aeneæ tempora extendit. Hinc igitur Strabo lib. V: Ἔστι δὲ παλαιότατον γένος οἱ Σαβῖνοι καὶ αὐτόχθονες· τούτων δ' ἄποικοι Πικεντῖνοί τε καὶ Σαμνῖται· τούτων δὲ Λευκανοί, τούτων δὲ Βρέττιοι. Id eſt: *Antiquiſſima Sabinorum gens eſt & indigena. ab his originem duxêre Picentes atque Samnites: ab his porrò Lucani; & ab his Bruttii.* Indigena quidem gens erat Italiæ, pars quondam dictorum Opicorum; non autem advena; ut illi exiſtimavêre, qui Lacedæmoniorum eos progeniem fecerunt. De cætero Cato præſcripto loco apud Dionyſium teſtatur, obſediſſe Sabinos agrum, qui CCLXXX ſtadia, id eſt, millia paſſuum XXXV ab Hadriatico mari diſtet; ab Tuſco verò ſtadia CCXL, id eſt, paſſuum millia XXX: longitudo verò eius paullo minus mille ſtadia, id eſt, millia paſſuum CXXV colligat. qua deſcriptione diſertè is innuitur ager, quem ſub Romanorum etiam imperio à Naris fontibus ad Anienis ferè confluentem tenuêre. de quo Strabo dicto lib. V exiguo antè, Σαβῖνοι δὲ στενήν, inquit, οἰκοῦσι χώραν, ἐπὶ μῆκος δὲ διήκουσαν καὶ χιλίων σταδίων, ἀπὸ τοῦ Τιβέρεως καὶ Νωμέντου πολίχνης μέχρις Οὐηστίνων. Id eſt: *Sabini anguſtam incolunt regionem, in longum ad CIↃ ſtadia porrectam, à Tiberi & Nomento opidulo ad Veſtinos usque.* Ad mille ſtadia, ſive ad paſſuum millia CXXV à Nomento, quod, vulgari nunc vocabulo *Lamentano*, duobus millibus à Tiberi abeſt, ſi in orientem æſtivum versùs progrediaris; non tantùm in ipſos Veſtinorum proximos fineis, qui fuêre circa Aterni, ſive, ut nunc vocatur, Peſcaræ amnis fonteis & Aquilam opidum; ſed & ultra eorum litus, quod erat apud eiusdem amnis oſtium, altum mare ingredieris. Ingens igitur hic Romani hominis M. Porcii Catonis, eóque turpior fuerit error: quem Græci iſti duo Dionyſius atque Strabo, bonâ magis quàm exploratâ fide, ſequuti: turpiùs equidem Dionyſius; quidpe qui XXII annos Romæ ſub Auguſto Cæſare ſe verſatum, uti ſermonem antiquitatesque Romanorum exactiùs perdiſceret, ipſe teſtatur in præfatione operis ſui. Verùm is poſteà lib. III, in rebus geſtis Tarquinii Priſci, Romanorum regis, ita ſcribit: Ἑνὸς δὲ καταλειπομένου τοῦ Σαβίνων ἔθνους ἀντι-

πάλου

SABINI Opicæ fuêre gentis.

πάλαι Ῥωμαίοις ὑπὸ τῆς ἀρχῆς, ἄνδρας τε μαχητὰς ἔχοντες, καὶ χώραν νεμόμενοι πολλὴν καὶ ἀγαθὴν, καὶ τῆς Ῥώμης οὐ πόρρω κειμένην, πολλὴν εἶχεν ὁ Ταρκύνιος προθυμίαν καὶ τούτους ὑπαγάγεσθαι. Id eſt: *Sabini ſoli ſupererant, qui cum Romanis de principatu contenderent; viri pugnaces; regionem colentes amplam & fertilem, nec longè à Româ diſſitam. hos igitur etiam ſubigere maximoperè cupiebat Tarquinius.* Et Livius lib. I, in rebus Tulli Hoſtilii regis: *Hac fiduciâ virium Tullus Sabinis bellum indicit; genti eâ tempeſtate ſecundùm Etruſcos opulentiſſimæ viris armisque.* Et item Strabo dicto lib. v, in Sabinorum deſcriptione: Φησὶ δὲ ὁ συγγραφεὺς Φάβιος, Ῥωμαίους αἰσθέσθαι τοῦ πλούτου τότε πρῶτον, ὅτε τοῦ ἔθνους τούτου κατέστησαν κύριοι. Id eſt: *Auctor eſt Fabius, hiſtoriarum ſcriptor, tunc primùm ſenſiſſe Romanos divitias, quum hanc gentem ſibi ſubjeciſſent.* Certè illa minimè inter ſe conveniunt; Strabonis ſcilicet στενὴν, Dionyſii verò πολλὴν Sabinos incoluiſſe χώραν. neque verò in circumſcriptis iſtis utrique auctori finibus tanta fuiſſe potuit incolarum multitudo, nec tantæ opes, uti cum ampliſſimâ numeroſiſſimâque Etruſcorum gente conferretur. Florus lib. I cap. xv ita ſcribit: *A Latinis adgreſſus eſt populus Romanus gentem Sabinorum: qui, immemores factæ ſub Tito Tatio adfinitatis, quodam contagio belli ſe Latinis adjunxerant. ſed Curio Dentato conſule, omnem eum tractum, quà Nar ambit fontesque Velini, Hadriatico tenus mari, igne ferroque vaſtavit. qua victoriâ tantum hominum, tantum agrorum redactum in poteſtatem, ut, in utro plus eſſet, nec ipſe poſſet æſtimare, qui vicerat.* En, Sabinos ait Curium Dentatum viciſſe, agrosque eorum vaſtaſſe à Velino & Nare amnibus ad mare usque Hadriaticum. atqui omnis ferè is tractus extra Sabinum erat agrum; à Nare ad Apenninum usque montem Vmbris incolentibus; inde ad mare usque Senonibus tunc temporis Gallis. Sabini heic nihil tenuerunt, niſi quantum terræ inter Velinum & Narem amneis ſitum. quod & ipſum transſcriptor Flori Iornandes, in libro de Regnorum ſucceſſione, excludit. *Inde*, inquit, *Sabini, qui eorum belli ſocii ductante Tatio exſtitiſſent, à Curio Dentato ſubjecti: eorumque loca, à Baranio fonte Hadriatico tenus mari, igne ferroque vaſtata.* Omnino ſcripſerat ipſe Iornandes, *à Naris amnis fonte*. quippe non exſcriptor tantum eſt ubique Flori; ſed ſæpè etiam breviator. quamquàm heic opidò quàm imperitè *T. Tatium* Sabinorum facit ducem contra Curium Dentatum conſulem; quum Florus eum intellexerit Tatium, qui ſub Romulo, Romanorum rege, cum parte Sabinorum, quorum ille erat rex, poſt raptas à Romanis mulieres Sabinas, bellumque ob eam rem exortum atque confectum, Romam conceſſit. Verùm iſtam de Curio Dentato hiſtoriam Florus, ut innumera paſſim alia, nimio brevitatis ſtudio vitiavit. ſic quidpe Breviator Livii lib. XI: *Curius Dentatus conſul, Samnitibus cæſis, & Sabinis, qui rebellaverant, victis & in deditionem acceptis, bis in eodem magiſtratu triumphavit. Coloniæ deductæ ſunt, Caſtrum, Sena, Hadria.* Et auctor de Illuſtribus viris, in M'. Curio Dentato: *Manius Curius Dentatus primò de Samnitibus triumphavit; quos usque ad mare Superum perpacavit. Regreſſus, in concione ait; Tantùm agri cepi, ut ſolitudo futura fuerit, niſi tantum hominum cepiſſem: tantum porrò hominum cepi, ut fame perituri fuerint, niſi tantum agri cepiſſem. Iterum de Sabinis triumphavit. Tertiò de Lucanis ovans Vrbem introivit.* Samnites hoc tempore junctim unà cum Vmbris & Gallis atque Etruſcis bella geſſiſſe adversùs Romanos, teſtatur Livius lib. x. hinc Romani eos vicerunt in Senonum agro; quò *Sena* colonia deducta fuit: & poſteà in Piceno; quò *Caſtrum* & *Hadria*. quamquàm potior heic videatur Velleii Paterculi auctoritas; qui xxv annis poſt Curii Dentati conſulatum *Caſtrum* deductam coloniam teſtatur; ut infrà in Piceni deſcriptione videbimus. Livio fortaſſis inde natus error, quòd in Picentium agro belli tum ſedem habuerint Samnites, conſangvinei eorum. utrique enim à Sabinis orti; ut teſtem ſuprà audivimus Strabonem: præterque hunc alii idem atteſtantur auctores. nam hinc eſt, quòd auctor de Viris illuſtribus ait, *Curium Samniteis usque mare Superum perpacaſſe*. hinc item eſt, quòd Livii breviator adfirmat, *Samnitibus cæſis, colonias deductas Caſtrum & Hadrium*. Verùm confuſio harum gentium, maximè verò *Sabinorum* atque *Picentium* ex eo haud dubiè fonte promanavit, quòd pars illa Opicorum, quæ in migratione novum ſibi adſcivit nomen *Sabinorum*, ab initio non tantùm eum occupavit agrum, pulſis inde Aboriginibus, qui inter Narem & Aniem Tiberimque & Aterni fonteis porrigitur; ſed, transjecto hinc Apennino monte, id quoque terrarum ſpacium, ejectis inde

Liburnis,

Liburnis, ut infrà in Picentibus docebitur, invaſit, quod inter Aeſim & Aternum amneis, ad mare usque Hadriaticum, adpellatum fuit poſteà *Picenum*. huc quidpe pertinet illud, quod Cato ab vetuſtiſſimo aliquo haud dubiè habuit auctore; quodque poſtmodùm per errorem ſequutus eſt Strabo: nempe, Sabinorum agrum in longum ab Tiberi atque Nomento porrectum fuiſſe ad CIↃ ſtadia, ſeu millia paſſuum CXXV. ea namque longitudo hodiéque noſcitur inter Nomentum & extremum Piceni agri litus, quod eſt circa Anconam urbem. Neque verò aliàs tam exigua Opicorum manus, quæ poſteà intra Narem & Anienem continebatur, tam validam Aboriginum Pelaſgorumque, qui Aboriginibus eodem tractu intermixti erant, gentem tam facilè hoc agro pepuliſſet. Strabo ſuprà dicto lib. v poſteà ita tradit: Ὡρμήθησαν δ᾽ ἐκ τῆς Σαβίνης οἱ Πικεντῖνοι, δρυοκολάπτου τὴν ὁδὸν ἡγησαμένου τοῖς ἀρχηγέταις· ἀφ᾽ οὗ καὶ τοὔνομα. Hoc eſt: *Picentes ex agro Sabino in ea loca migrarunt, pico ave iter ducibus monſtrante.* Et Plinius lib. III cap. XIII. *Picentes orti ſunt à Sabinis, voto vere ſacro.* Item Silius Italicus lib. VIII:

Vepicus quondam nomen memorabile ab alto
Saturno ſtatuit genitor. quem carmine Circe,
Exutum formæ, volitare per æthera juſſit;
Et ſparſit plumis croceum fugientis honorem.
Ante, ut fama docet, tellus poſſeſſa Pelaſgis.

Certè, præter Spinam & Ravennam, quas ad Padi oſtia navibus adpulſi condiderant, quidquam Pelaſgos ultra Apenninum tenuiſſe, apud nullum alium reperitur auctorem. è diverſo autem Plinius, ut infrà in Piceni deſcriptione oſtendetur, antiquiſſimos heic locat incolas *Liburnos*. Cæterùm *Picentes* credo, poſtquàm & ipſi in Piceno ſuo apud mare diu adpellati fuerint *Sabini*; tandem, diſcordiâ inter eos exortâ, ſeſe à communi Sabinorum corpore ac nomine ſeparaſſe, novo adſumpto *Picentium* vocabulo. Fuêre tamen & ipſi ab initio in Sabino agro inter Narem & Anienem. per hunc quidpe agrum ex Opicis transgreſſi ſunt ultra Alpeis in Picenum. unde poſtmodùm auctoribus error natus; quaſi multo tempore pòſt Sabini, quàm hæc loca inter Narem Anienemque occupaverunt, partem corporis ſui, *vere ſacro voto*, trans Apenninum emiſerint. Quin & *Samnites*, quos idem Strabo & item Feſtus Pompeius à Sabinis ortos tradunt, non ex hoc demum inter Narem Anienemque agro Sabino retrogreſſos credo in Samnium, quod ab Aufidenâ opido ad flumen usque Aufidum (hoc nunc *L'Ofanto*, illud *Alfidena* eſt) protenſum fuit; pulſisque inde Opicis, ut ait Strabo eodem lib. v, id occupaſſe. ſed, quum & Sabini & Samnites eodem cum Opicis, ut ſuprà lib. I cap. VI docui, uſi fuiſſe deprehendantur ſermone; maximè hinc credibile fit, jam inde ante bellum Troianum *Opicos* ſive, ut nomen eorum variabatur, *Obſcos*, depoſito hoc vocabulo, novam adſumpſiſſe adpellationem, qua *Sabini*, & variantibus dialectis *Sabelli*, ac *Sabinitæ* vocabantur. quorum vocabulorum hoc poſteà molliori ore ac volubiliori lingvâ factum *Samnitæ*; & Græco ore Σαυνῖται, *Saunitæ*; quaſi β in υ converſo. Hinc poſterioribus etiam ſæculis ſimul Samnites frequentiùs, quod ſuo loco oſtendetur, ſimulque Sabini uno eodemque nomine dicti ſunt SABELLI. Apud Virgilium Aeneid. lib. VIII Eúander Arcas, Palatinum habitans apud Tiberim collem, ita Aeneam adloquitur de capeſſendo Etruriæ regno, quo tum pellebatur ab Etruſcis Mezentius rèx:

Gnatum exhortarer: ni, mixtus matre Sabellâ,
Hinc partem patriæ traheret.

Ad diſcrimen igitur *Sabinorum* inter Nomentum & mare ſuperum incolentium, altera illa pars Opicorum inter Aufidenam & Aufidum dicta fuit *Sabinitæ*, ac tandem *Samnitæ*, ſive *Samnites*, Latinâ magis formatione. Sed de Sabinorum nomine, genere, & antiquis ſedibus ſatis hactenus diſſertum. Lacedæmoniorum an aliqua ad eos pervenerit poſteà colonia, incertum eſt. Varro ſanè, præter Pelaſgos, heic nullos agnoviſſe videtur Græcos incolas. Verba eius Ruſticarum rerum lib. III cap. I hæc ſunt: *Lingvâ priſcâ & in Græciâ Aeoles [&] Bæotii ſine adflatu vocant collis tebas; & in Sabinis, quò è Græciâ venerunt Pelaſgi, etiam nunc ita dicunt. cuius veſtigium in agro Sabino viâ Salariâ, non longè à Reate, milliarius clivus adpellatur Tebæ.* Vereor itaque, ne ob ſimilitudinem morum, Sabini Lacedæmoniorum

quosdam

quoſdam ad ſeſe veniſſe jactârint. Cicero in Vatinium: *Ob haſce omneis res, ſcias, te ſeveriſſimorum hominum Sabinorum judicio notatum.* Hinc etiam Trogi epitomator Iuſtinus lib. XXIII, de Lucanis, quos à Samnitibus ortos tradiderunt: *Lucani iisdem legibus liberos ſuos, quibus & Spartani, inſtituere ſoliti erant. quidpe ab initio pubertatis in ſilvis inter paſtores habebantur, ſine miniſterio ſervili, ſine veſte, quam induerent, vel cui incubarent: ut à primis annis duritiæ parcimoniæque, ſine ullo uſu urbis, adſveſcerent. cibus his præda venatica; potus, aut lactis aut fontium liquor erat. ſic ad labores bellicos indurabantur.* Hinc iterum Cicero, oratione pro Q. Ligario: *Poſſum fortiſſimos viros Sabinos, totumque agrum Sabinum, florem Italiæ, robur reipublicæ, proponere.* Ἄνδρας μαχητὰς, Dionyſio lib. III adpellari, id eſt, *viros pugnaceis*, ſuprà vidimus. Sed ex Varrone Servius ad Virgilii Aeneid. lib. I ita tradit: *Oenotria dicta eſt, vel à vino optimo, id eſt,* ἀπὸ τοῦ οἴνου, *quod in Italiâ naſcitur; vel, ut Varro dicit, ab Oenotro, rege Sabinorum. Alii patrem Itali Oenotrum tradunt ex Arcadiâ in Italiam veniſſe cum Pelaſgis; & eam ſibi cognominem feciſſe.* Et ad Aeneid. lib. VII: *Oenotria tellus; propriè Sabinorum tractus; ab Oenotro rege.* Id ſanè de Varrone vehementer miror; quum antiquiſſimi ante Varronem rerum ſcriptores *Oenotrum* non Sabini, ſed Bruttii agri apud fretum Siculum fecerint regem; à quo totus is tractus Italiæ primùm dictus *Oenotria*; quemadmodùm ſuprà lib. I cap. I docuimus; pluribusque infrà ſuo loco oſtendetur. Verùm heic quoque Romanis hominibus inde progenitus eſt error, quòd *Oenotri*, mutato nomine *Aborigines* dicti, à freto Siculo in has oras pervenerunt; ut prædicto lib. I cap. I oſtenſum, clariúsque infrà patebit. Sic ex eodem agro non modò *Sabinum patrem*, ſed & *Italum*, qui Siculorum fuit rex, ut ſuprà lib. I cap. I oſtenſum, Aboriginum ſive Latinorum antiquiſſimis regibus admiſcuit Virgilius ſuprà dicto Aeneid. lib. VII, his verſibus:

Quin etiam veterum effigies ex ordine avorum,
Antiquâ ex cedro, Italusque paterque Sabinus,
Vitiſator, curvam ſervans ſub imagine falcem,
Saturnusque ſenex, Ianique bifrontis imago,
Veſtibulo adſtabant; aliique ab origine reges.

Limites nunc etiam Sabini agri, quibus is in Romanorum pervênit poteſtatem atque imperium, oſtendantur. Σαβῖνοι, inquit Strabo dicto lib. V, στενὴν οἰκοῦσι χώραν, ἐπὶ μῆκος διήκουσαν ἀπὸ τοῦ Τιβέρεως καὶ Νωμέντου πολίχνης μέχρι Οὐηστίνων. Id eſt: *Sabini anguſtam incolunt regionem, in longum à Tiberi ac Nomento ad Veſtinos usque porrectam.* Ergo igitur ad Anienis usque confluentem non pertigerunt? Huius equidem ſententiæ fuit & Livius: qui lib. I *Cruſtumium, Ceninam, & Antemnas*, inter Anienem & Nomentum ſita opida, extra Sabinorum fuiſſe regionem oſtendit his verbis: *Multi mortales convenêre, ſtudio etiam videndæ novæ urbis* [Romæ:] *maximè proximi quique; Ceninenſes, Cruſtumini, Antemnates. jam Sabinorum omnis multitudo cum liberis ac conjugibus venit.* Et paullo pòſt: *Raptarum parentes tum maximè ſordidâ veſte lacrimisque & querelis civitates concitabant. nec domi tantùm indignationes continebant: ſed congregabantur ad Titum Tatium, regem Sabinorum. & legationes eò, quòd maximum Tatii nomen in his regionibus erat, conveniebant. Ceninenſes Cruſtuminique & Antemnates erant, ad quos eius injuriæ pars pertinebat. lentè agere iis Tatius Sabinique viſi ſunt.* Ac deinde: tribus hisce populis jam devictis: *Noviſſimum ab Sabinis bellum ortum.* Sed & Dionyſius lib. II; in eâdem hiſtoriâ: Ἦσαν δὲ αἱ πρῶται πόλεις ἄρξασαι τοῦ πρὸς αὐτὸν πολέμου Καινίνη καὶ Ἄντεμνα καὶ Κρουστομερία. * . Τέως μὲν οὖν πρὸς τὸ Σαβίνων ἔθνος ἀποστέλλουσαι πρέσβεις, ἐκείνους ἠξίουν τὴν ἡγεμονίαν τοῦ πολέμου παραλαβεῖν, ἰσχύν τε μεγίστην ἔχοντας καὶ χρήμασι πλείοσι δυναμένους, ἄρχειν τε ἀξιοῦντας τῶν πλησιοχώρων, καὶ οὐκ ἐλάχιστα τῶν ἄλλων περιϋβρισμένους· τῶν γὰρ ἡρπασμένων αἱ πλείους ἦσαν ἐκείνων. Ἐπειδὴ δ' οὐδὲν ἐπέραινον, ἀχθόμεναι τῇ τριβῇ τοῦ χρόνου, μελλόντων ἀεὶ τῶν Σαβίνων καὶ ἀναβαλλομένων εἰς χρόνους μακροὺς τὴν περὶ τοῦ πολέμου βουλὴν, αὐταὶ καθ' ἑαυτὰς ἔγνωσαν τοῖς Ῥωμαίοις πολεμεῖν. * — * . Καινίνη μὲν δὴ καὶ Ἄντεμνα, πόλεις οὐκ ἄσημοι, γένος ἔχουσαι τὸ Ἑλληνικὸν, (Ἀβοριγῖνες γὰρ αὐτὰς, ἀφελόμενοι σὺν Σικελοὺς, κατέσχον, Οἰνώτρων μοῖρα, τῶν ἐξ Ἀρκαδίας ἀφικομένων, ὡς εἴρηταί μοι πρότερον) μετὰ τόνδε τὸν πόλεμον ἀποικίαι Ῥωμαίων ἐγένοντο. * . * . Ἦν δὲ τὸ Κρουστομέριον Ἀλβανῶν ἀπόκτισις. Id eſt: *Primæ autem bellum Romulo intule-*

Fines agri Sabini.

runt Cænina atque Antemna & Cruſtumeria. Mox: *Itaque convenerunt harum urbium legationes ad Sabinos; poſtulantes, illorum ductu atque auſpiciis bellum geri; eò, quòd viribus & opibus præpollerent, imperiumque in vicinos ſibi adrogarent; nec minores, quàm cæteri, adcepiſſent injurias. nam raptarum virginum maior pars erant Sabinæ. Sed, quum nihil proficerent; Sabinis belli conſilia continuè procraſtinantibus; pertæſæ morarum, decreverunt ſuis opibus bellum cum Romanis gerere*. Aliquanto pòſt: *Cænina autem & Antemna, urbes haud ignobiles, Græci erant generis. eas enim Siculis ademptas tenebant Aborigines, Oenotrorum pars, profectorum ex Arcadiâ; ut antè dixi. poſt hoc autem bellum coloniæ Romanæ factæ ſunt*. Mox: *Cruſtumerium autem ab Albanis erat conditum*. Livius iterum eodem libro I poſteà: *Bello Sabino perfecto, Tarquinius triumphans Romam rediit. Inde priſcis Latinis bellum fecit. Vbi nusquàm ad universæ rei dimicationem ventum eſt, ad ſingula opida circumferendo arma, nomen omne Latinum domuit. Corniculum, Ficulea vetus, Cameria, Cruſtumerium, Ameriola, Medullia, Nomentum: hæc de priſcis Latinis, aut qui ad Latinos defecerant, capta opida*. De iisdem ſic Dionyſius lib. III: Μετὰ τοῦθ' ἑτέραν στρατιὰν ἀπῆγεν ἐπὶ τὴν Κρουστομερίνων. αὕτη ἀποικία μὲν ἦν Λατίνων, προσεχώρησε δὲ Ῥωμαίοις ἐπὶ τῆς Ῥωμύλου βασιλείας· Ταρκυνίου δὲ τὴν ἀρχὴν παραλαβόντος, τὰ Λατίνων αὖθις ἤρξατο φρονεῖν. * — * . Καὶ Νωμεντανοὶ δὲ λῃστήρια πέμποντες ἐπὶ τοὺς Ῥωμαίων ἀγροὺς πολέμιοι κατέστησαν αὐτοῖς ἐκ τοῦ προφανοῦς ταῖς Λατίνων πεποιθότες συμμαχίαις. * . Οἱ δὲ τὴν καλουμένην Κολατίαν κατοικοῦντες * διεπέμποντο πρὸς τὰς Λατίνων πόλεις, αἰτούμενοι συμμαχίαν. * — * . Μετὰ δὲ τὴν Κολατίας παράδοσιν, ἐπὶ τὸ καλούμενον Κορνίκολον ὁ βασιλεὺς ἐστράτευσεν. ἦν δὲ κἀκείνη τοῦ Λατίνων ἔθνους ἡ πόλις. * — * . Πρῶτον μὲν οὖν Φιδηναῖοι προσέθεντο πόλιν ἀξιόλογον ἐπὶ συγκειμένοις τισὶ δικαίοις· ἔπειτα οἱ Καμαρῖνοι. οἷς ἠκολούθησαν ἄλλαι τινὲς πολίχναι μικραὶ καὶ φρούρια ἐχυρά. ἐφ' οἷς ταραχθέντες οἱ λοιποὶ Λατῖνοι, ἔδεισαν μὴ πᾶν ὑφ' ἑαυτοῦ ποιήσεται ἔθνος. Hoc eſt: *Secundam expeditionem ſuscepit Tarquinius adverſùm Cruſtumerinos. Latina hæc colonia in Romanorum ditionem venit regnante Romulo. at Tarquinio principatum adepto, rurſus Latinis ſeſe adjunxerat*. Exiguo pòſt: *Nomentani quoque, Latinorum freti ſocietate, apertis contra Romanos ſusceptis inimicitiis, latrones in eorum agros emiſerant*. Statim: *At Collatini, dimiſſis nunciis, ſolicitabant Latinorum auxilia*. Paullo pòſt: *Poſt Collatiæ deditionem rex adversùs Corniculum expeditionem movit; & ipſum Latini nominis opidum*. Aliquanto pòſt: *Primi itaque Fidenates, nobilis civitas, certis quibusdam condicionibus ſe Romanis adjunxerunt: mox & Camerini. hos ſequuta ſunt & alia quædam opidula caſtellaque munita. Terruit hoc cæteros Latinos; verenteis, ne univerſam gentem ſuæ ditioni ſubjiceret Tarquinius*. Hinc ita prædicto lib. II: Ἦν δὲ ἡ Φιδήνη Ἀλβανῶν ἀπόκτισις, κατὰ τὸν αὐτὸν οἰκισθεῖσα Νωμέντῳ τε καὶ Κρουστομερίᾳ χρόνον, τριῶν ἀδελφῶν τῆς ἀποικίας ἡγησαμένων· ὧν ὁ πρεσβύτατος τὴν Φιδήνην ἔκτισεν. Id eſt: *Fidenas Albani condiderant, eodem, quo Nomentum Cruſtumeriamque, tempore; tribus fratribus colonias deducentibus. quorum natu maximus Fidenarum fuit conditor*. Et ex Dionyſii iſto loco haud dubiè Stephanus: Φιδήνη, πόλις Ἀλβανῶν. *Fidenæ, urbs Albanorum*. Virgilius Aeneid. lib. VI; ubi Anchiſes apud inferos Aeneam de futuris regibus Albanis edocet:

Hi tibi Nomentum & Gabios urbemque Fidenam,
Hi Collatinas imponent montibus arceis.

Solinus cap. VIII: *Deinde conſtitutæ ab Aſcanio, Longa Alba, Fidenæ, Antium*. At è diverſo Livius dicto lib. I: *Belli Fidenatis contagione irritati Veientium animi, & conſangvinitate (nam Fidenates quoque Etruſci fuerunt) & quòd ipſa propinquitas loci, ſi Romana arma omnibus infeſta finitimis eſſent, ſtimulabat*. Hinc etiam illud eodem libro poſteà: *Magna pars Fidenatium, ut qui coloni additi Romanis eſſent, Latinè ſciebant*. Pro Livio quoque facit Plutarchus in Romulo: Πρῶτοι Τυῤῥηνῶν Οὐήιοι ἀρχὴν ἐποιήσαντο πολέμου, Φιδήνας ἀπαιτεῖν, ὡς προσηκούσας αὐτοῖς. Id eſt: *Primi Etruſcorum Veii occupant bellum facere, repetitis Fidenis; quas adſerebant pro ſuis*. Porrò Strabo dicto lib. V, ubi de Romanæ urbis ædificatione agit; Οἱ γὰρ ὄντες ᾤκουν καθ' αὑτοὺς, συνάπτοντες πρὸς τοῖς τείχεσι τῆς κτιζομένης πόλεως, οὐδὲ τοῖς Ἀλβανοῖς πάνυ προσέχοντες. Κολλατία δ' ἦν καὶ Ἀντέμναι καὶ Φιδῆναι καὶ Καινῖνα [ſic ſcribendum pro corrupto Λαβῖνον, infrà patebit.] καὶ ἄλλα τοιαῦτα πολίχνια. Id eſt: *Nam qui tunc circa ea loca incolebant, ii pro ſe quique ſeorſim habitabant, muros urbis Romæ, quæ tum condebatur, contingentes: neque Albanos quidquam curabant. erant autem, Collatia, Antemnæ, Fidenæ,*

Cænina,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Cænina, *&* *alia id genus opidula*. Hanc equidem Strabonis *Collatiam*, & item Livii *Nomentum*, Dionyſius ſocia tantùm Latinorum facere videtur opida dicto lib. III. at ipſe Livius *Collatiam*, *&* *quidquid circa Collatiam agri erat*, *Sabinis ademptum* fuiſſe teſtatur eodem lib. I, paullo antè. Plutarchus verò, in dicto Romulo, non modò *Fidenas*, ſed & *Cruſtumerium* & *Cæninam* & *Antemnas*, Sabinorum loca disertis pronunciat verbis. Μετὰ δὲ τὴν τῶν Κενινητῶν, inquit, ἅλωσιν, ἔτι τῶν ἄλλων Σαβίνων ἐν παρασκευαῖς ὄντων, συνέστησαν οἱ Φιδήνην καὶ Κρουστουμέριον καὶ Ἀντέμναν οἰκοῦντες ἐπὶ τοὺς Ῥωμαίους· καὶ μάχης γενομένης ἡττηθέντες ὁμοίως, τάς τε πόλεις Ῥωμύλῳ παρῆκαν ἑλεῖν, καὶ τὴν χώραν δάσασθαι, καὶ μετοικίσαι σφᾶς αὐτοὺς εἰς Ῥώμην. ὁ δὲ Ῥωμύλος τὴν μὲν ἄλλην κατένειμε χώραν τοῖς πολίταις· ὅσην δ' εἶχον οἱ τῶν ἡρπασμένων παρθένων πατέρες, αὐτοὺς ἔχειν ἐκείνους εἴασεν. Ἐπὶ τούτοις βαρέως φέροντες οἱ λοιποὶ Σαβῖνοι, Τάτιον ἀποδείξαντες στρατηγὸν, ἐπὶ τὴν Ῥώμην ἐστράτευσαν. Hoc eſt: *Devictis Cæninenſibus, dum reliqui Sabini tempus in adparatu terunt, Fidenates, Cruſtumerini, & Antemnates, coierunt contra Romanos. qui ſimili modo acie fuſi, opida ſua capi agrosque dividi ac ſe Romam transferri paſſi ſunt. Romulus, reliquum agri partitus populo Romano; raptarum tantùm virginum parentibus, quod eorum fuiſſet, conceſſit. Graviter hæc ferebant cæteri Sabini. itaque, imperatore ſibi creato Tatio, infeſtum agmen Romam versùs moverunt.* Certè dictorum opidorum virgines Romæ ad ſpectaculum fuiſſe raptas, etiam ipſe fatetur Livius. raptæ autem cùm illi tum cunctis reliquis auctoribus in univerſum uno nomine dicuntur *Sabinæ*. unde ingens pro Plutarchi ſententiâ fuerit argumentum, omnia iſta trans Anienem opida Sabinæ tum fuiſſe ditionis. nihilque probabilius, quàm quod Plutarchus tradit, Tatium in id bellum à reliquis Sabinis fuiſſe creatum imperatorem. Non univerſorum Sabinorum, ſed Quiritium tantùm fuiſſe Tatium regem, disertè teſtatur Dionyſius lib. II. Καὶ μετὰ τοῦτο, inquit, ἀγορὰν ποιησάμενοι οἱ σύμπαντες Σαβῖνοι ἐν τῇ μεγίστῃ τε πόλει καὶ πλεῖστον ἀξίωμα ἐχούσῃ τοῦ ἔθνους, ᾗ Κύρεις ὄνομα ἦν, ψῆφον ὑπὲρ τοῦ πολέμου διήνεγκαν, ἀποδείξαντες ἡγεμόνα τῆς στρατιᾶς Τίτον, ὃς ἐπεκαλεῖτο Τάτιος, βασιλέα Κυριτῶν. Hoc eſt: *Moxque indicto Cureis, quæ maxima totius gentis ac primaria erat urbs, concilio, communi ſuffragio bellum decernunt, duce conſtituto Tito Tatio, Quiritium rege*. Sed & ex ipſo idem deprehendas Livio. cuius verba dicto lib. I, poſt pugnam inter Romulum & Tatium, hæc ſunt: *Inde ad fœdus faciendum duces prodeunt. nec pacem modò, ſed civitatem unam ex duabus faciunt. regnum conſociant. imperium omne conferunt Romam: ita geminatâ urbe, ut Sabinis tamen aliquid daretur. Quirites à Curibus adpellati.* Quis credat, omnem Sabinorum gentem Romam tunc fuiſſe conlatam? quis credat, gentem jam tum numeroſam ac validam latéque incolentem ad unam novam urbem, eóque haud perinde validam, oppugnandam fuiſſe profectam, ibique bello ſuperatam? Nemo, credo, ſanæ mentis homo. Quòd igitur Livius *omnem Sabinorum multitudinem* tradit Romam ad ſpectaculum Romuli conveniſſe, de *Curibus*, & ſi qua his ſubjecta fuerint loca, rectiùs intelligas. veriſſimumque illud Strabonis, καθ' αὑτοὺς, *per ſe quosque ſeorſim* egiſſe, ſuique fuiſſe juris: ducibus ſcilicet ſeu regibus ſibi impoſitis. unde etiam Ceninenſium βασιλέα Ἄκρωνα, *regem Acronem*, nominat Plutarchus. Idem & *Fidenates* tradit unà cum Cruſtuminis & Antemnatibus bellum intuliſſe Romanis: quos Livius omittit. quum tamen minimè credibile ſit, conterminos hosce ad quintum lapidem, atque, ut ipſe ait eodem lib. I Livius, *in ipſis propè portis* urbis Romæ colenteis, ludis illis voluiſſe abeſſe. Stephanus neſcio ex quo auctore habuerit, quæ breviator eius ſic refert: Ἄντεμνα, πόλις Σαβίνων, μία τῶν ἀνθεστηκυιῶν Ῥωμύλῳ. Id eſt: *Antemna, urbs Sabinorum; una ex iis, quæ Romulo ſeſe oppoſuerunt.* Et: Καινίνη, πόλις Σαβίνων, ἡ ὑπὸ Ῥωμύλου ἁλοῦσα. *Cænina, urbs Sabinorum, à Romulo capta.* Item: Κρουστομερία, πόλις Σαβίνων, ἀντιστᾶσα Ῥωμύλῳ. *Cruſtumeria, urbs Sabinorum, quæ Romulo reſtitit.* Hisce igitur argumentis univerſis ſingulisque probè perpenſis, ita ſtatuendum cenſeo: Propinqua Anieni opida quædam ab Aboriginibus quidem, qui poſteà, unà cum novis advenis Pelaſgis, *Latini* dicti ſunt, fuiſſe condita atque habitata: ſed tempore Romanorum regum ſub Sabinorum jam inde fuiſſe ditione. à Romanis quum bello gravi premerentur, Latinorum adſumpſiſſe ſocietatem. Hinc eſt, quòd Virgilius Aeneid. lib. VI, ut ſuprà retulimus, *Nomentum* & *Fidenas* ab Albanis condita eſſe opida innuat; libro autem VII inter Sabinorum opida etiam idem *Nomentum*, &, præter hoc, alios item quosdam *populos Latinos* citet, in his verſibus:

Ecce, Sabinorum priſco de ſangvine, magnum
Agmen agens Clauſus, magnique ipſe agminis inſtar:
Claudia nunc à quo diffunditur & tribus & gens
Per Latium, poſtquàm in partem Roma dàta Sabinis.
Vnà ingens Amiterna cohors, priſcique Quiritas;
Ereti manus omnis, oliviferæque Mutuſcæ.
Qui Nomentum urbem, qui Roſea rura Velini,
Qui Tetricæ horrenteis rupeis montemque Severum,
Caſperiamque colunt, Foruloſque, & flumen Himellæ:
Qui Tiberim Fabarimque bibunt: quos frigida miſit
Nurſia, & Hortinæ claſſes: populique Latini:
Quoſque ſecans infauſtum interluit Allia nomen.

Certè ſub Romanorum poſteà imperio Anio terminus inter Latium Sabinumque agrum hoc tractu fuit. Dionyſius lib. v, in rebus geſtis anni primi Olympiadis LXVIIII, urbis Romæ anno CCXLVIIII, conſulibus M. Valerio Voluſo & P. Poſthumio Tuberto: Ἔπειτα τῶν Σαβίνων πολλὴν ἀποστειλάντων ἐπ' αὐτοὺς στρατιὰν, ἑτέρα γίνεται ἐπ' αὐτοὺς ἔξοδος Ῥωμαίων σὺν πάσαις τῆς δυνάμεσιν, ἀμφοτέρων ἀγόντων τῶν ὑπάτων. Οὐαλέριος ἐγγὺς τῶν πολεμίων κατεστρατοπέδευσε, παρὰ ποταμὸν Ἀνίητα, ὃς ἐκ πόλεως μὲν Τιβούρων καθ' ὑψηλοῦ πολὺς ἐκχεῖται σκοπέλου, φέρεται δὲ διὰ τῆς Σαβίνων καὶ Ῥωμαίων πεδιάδος, ὁρίζων τὴν ἑκατέρων χώραν. Hoc eſt: *Deinde quum Sabini magnum in eos exercitum emiſiſſent; Romani rurſum exiverunt obviam cum omnibus copiis; quibus præerant ambo conſules. Valerius propiùs hoſteis ad Anienem caſtra locavit: qui amnis ad Tibur opidum ex altâ rupe uberrimis aquis defluens, per Sabinorum Romanorumque campos labitur; & amborum eſt finis.* Hinc Livius lib. XLII, anno urbis Romæ IↃLXXX, P. Licinio Craſſo & C. Caſſio Longino conſulibus: *Permiſſu omnium ita loquutus fertur: Sp. Liguſtinus tribus Cruſtuminæ ex Sabinis ſum oriundus, Quirites.* Hæc tribus *Cruſtumina* haud dubiè mox pòſt devictos Romamque translatos *Cruſtuminos* inſtituta fuit. unde patet jam tum pro Sabinis habitos fuiſſe *Cruſtuminos*. Perpetuò poſteà, etiam ſub Romanis imperatoribus, eumdem terminum inter Latium Sabinumque agrum obſervatum fuiſſe, patet è Plinii geographiâ: is quidpe lib. III cap. V, *Tiberis*, inquit, *infra Tiniam & Clanim duobus & quadraginta fluviis augetur, præcipuis autem Nare & Aniene; qui, & ipſe navigabilis, Latium includit à tergo.* Et cap. XII: *Sabini Velinos adcolunt lacus, roſcidis collibus. Nar amnis exhaurit illos ſulphureîs aquis. Tiberim ex his petens replet. At ex alterâ parte Anio, in monte Trebanorum ortus, lacus treis, amœnitate nobileis, qui nomen dedère Sublaqueo, defert in Tiberim. Infra Sabinos Latium eſt.* Hinc *Nomentum* & *Eretum* opida, quæ nunc vulgò *Lamentano* & *Monte Ritondo* dicuntur, Sabinorum facit Strabo dicto lib. V; & hoc etiam Dionyſius lib. III. Martialis lib. X epigram. XLIIII:

Ergo Numæ colleis & Nomentana relinques
Otia; nec retinet rusque focusque ſenem?

Omnem Sabinorum regionem heic adpellat *Numæ colleis*; quia Numa inde oriundus, opido *Curibus*. Quòd autem Ptolemæus *Nomentum* & *Fidenas* Latio attribuit; hoc etiam longè interiùs apud Anagniam, Hernicorum quondam opidum, locato; mirari jam minùs fas ſit; quando in aliis quoque regionibus vetuſtiſſima noviſſimis, ſumma imis permiſcere, illi uſitatiſſimum eſt. Quamquàm Plinii quoque mentem hoc loco veterum temporum memoria turbavit; uti is *Nomentanos* Latio adſcripſerit dicto lib. III cap. V; capite verò XII eoſdem Sabinis unà cum *Tiburtibus*; qui omnino in Latio erant referendi. Sed idem fecit apud ſeptemtrionalem quoque Sabinorum termiuum, Narem amnem: ubi *Interamnates cognomine Nartes* dicto lib. III cap. XII Sabinis, capite autem XIIII Vmbris adſcripſit. quorum id opidum fuiſſe ſuperiori capite patuit. A meridie igitur, quà Latinis jungebantur Sabini, terminus inter utroſque fuit Anio amnis, à Tibure ad confluentem usque Tiberis. ſupra Tibur ad VIII millia paſſuum *Valeria* opidum, quod nunc vulgò eſt *Vicovàro*, jam in Aequorum fuit gente; ut infrà patebit. terminus igitur heic porrò ſtatuendus inter Aequos atque Sabinos jugum montium, quod à Tibure in orientem æſtivum ad Farfari fontem & opidum, cui vulgaris adpellatio

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Pietra forte, protenditur. Ab occaſu fuit Tiberis amnis, ad Ocriculos uſque opidum. namque hoc unà cum proximis opidis Narniâ atque Interamnâ ſub Romanorum imperio in Vmbriæ fuiſſe regione, ſuprà in huius deſcriptione intellectum eſt. At antiquioribus temporibus non tantùm hæc opida, ſed etiam trans Narem *Ameriam* in Sabinorum fuiſſe finibus, ex hîs colligere datur Columellæ verbis Ruſticar. rer. lib. IIII cap. XXX: *Putant tamen, tria eſſe genera præcipuè ſalicis: Græcæ, Gallicæ, Sabinæ; quam plurimi vocant Amerinam.* Linea igitur à Tiberi amne infra Ocriculos & Narniam ad Velini lacus Nariſque confluenteis ductâ, mox ipſo Nare ab ſeptemtrionibus ſub Romanorum imperio ſeparati fuêre Sabini ab Vmbriâ. Ab ortu Solis Plinius lib. III cap. XII Apenninum ſtatuit montem. *Infra Sabinos*, inquit, *Latium eſt: à latere Picenum; à tergo Vmbria: Apennini jugis Sabinos utrimque vallantibus.* Id, ſanè fateor, me non ſatis percipere, quomodò *Sabinos utrimque, & à latere & à tergo, vallaverit Apenninus*; niſi ab tergo contra Vmbros, *Camarinum* opidum in ſeptemtrionali Apennini latere incolenteis, exiguam illam montis partem intellexerit, quæ inter Cluenti, (vulgò nunc hic *Chiento*) atque Naris fluminum eſt fonteis. nam citra Apenninum mox erat Vmbrorum *Nuceria Cameilaria*; & propiùs Narem *Spoletium*. Hinc *à latere* equidem erat *Picenum*, inter Naris Aternique fonteis. verùm contra id non ſatis vallabant Sabinos Apennini juga: ſiquidem in horum ulteriori quoque latere circa Aterni fontem & Aquilam urbem erat *Amiternum* Sabinorum opidum; & circa Amatricem opidum *Falacrinus* vicus; & alia eodem tractu loca: quibus pro fine linea inflexa erit circumducenda, à dictis Naris fontibus ad Aternum, prope Aquilam; quæ erat Veſtinorum. unde Strabo dicto lib. V: Σαβῖνοι στενὴν οἰκοῦσι χώραν, ἐπὶ μῆκος δ' ἥκουσαν ἀπὸ τοῦ Τιβέρεως καὶ Νωμέντου μέχρι Οὐηστίνων. Id eſt: *Sabini anguſtam incolunt regionem, in longum ab Tiberi ac Nomento ad Veſtinos uſque porrectam.* Ptolemæi heic iterum perquàm inepta eſt geographia: quidpe qui inter Sabinos atque Veſtinos, ex occaſu in ortum versùs, poſuerit *Aequiculos, Marſos, Prætutios*, ſpacio LXXXV circiter millium paſſuum. Infra Aquilam, versùs meridiem & Fucinum lacum, contermini eiſdem Sabinis erant Marſi; ut infrà in horum deſcriptione patebit. hinc Livius lib. VIIII, de Samnitibus, è Samnio profecturis: *Etruriam per Marſos ac Sabinos petituri.* Hi igitur fuêre fines quibus ager Sabinus ſub Romanorum imperio circumſcriptus fuit. De eodem agro ita Strabo lib. V: Ἅπασα δ' ἡ τῶν Σαβίνων ἡ γῆ διαφερόντως ἐλαιόφυτός ἐστι καὶ ἀμπελόφυτος, βάλανόν τε ἐκφέρει πολλήν· σπουδαία δὲ καὶ βοσκήμασι τοῖς τε ἄλλοις, καὶ δὴ τὸ τῶν ἡμιόνων γένος τὸ Ῥεατίνων διωνόμασται θαυμαστῶς. Id eſt: *Omnis Sabinorum ager eximiè ferax eſt olearum & vitium: multumque fert glandis: ac pecori producendo opportunus eſt. præſertim verò Reatini muli laudantur mirum in modum.*

CAP. VIIII.

De SABINORVM *opidis aliiſque locis.*

OPida aliaque loca in Sabinis Straboni lib. V recenſentur iſta: Ἀμίτερνον, Ῥέατος, Ἰντεροκρέα, Κουτιλίαι, Φόρουλοι, Κύρεις, Τρηβοῦλα, Ἤρητον, Νώμεντον. *Amiternum, Reate, Interocrea, Cutyliæ, Foruli, Cures, Trebula, Eretum, Nomentum.* At Plinius lib. III cap. XII, *Sabinorum*, inquit, *Amiternini, Curenſes, Forum Decii, Forum Novum, Fidenates, Interamnates, Nurſini, Nomentani, Reatini, Trebulani, qui cognominantur Mutuſcæi, & qui Suffenates, Tiburtes, Tarinates.* Ex his *Interamnates* pertinere ad Vmbros, *Tiburtes* verò ad Latinos, ſuperiori capite dictum eſt. Ptolemæo una tantùm in Sabinis nominatur Νουρσία, *Nurſia*. nam *Nomentum* & *Fidenas*, ut ſuperiori capite dictum, Latio falsò attribuit; ut & *Amiternum* Veſtinis. De eodem agro ita canit Virgilius Aeneid. lib. VII:

Ecce Sabinorum priſco de ſanguine, magnum
Agmen agens Clauſus; magnique ipſe agminis inſtar:
Claudia nunc à quo diffunditur & tribus & gens
Per Latium, poſtquàm in partem Roma data Sabinis.
Vnà ingens Amiterna cohors, priſcique Quirites;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Ereti manus amnis, oliviferæque Mutuſcæ.
Qui Nomentum urbem, qui Roſea rura Velini,
Qui Tetricæ horrenteis rupeis montemque Severum,
Caſperiamque colunt, Foruloſque, & flumen Himellæ:
Qui Tiberim Fabarimque bibunt: quos frigida miſit
Nurſia, & Hortinæ claſſes; populique Latini:
Quosque ſecans infauſtum interluit Allia nomen.

Et Virgilii imitator Silius lib. VIII:

Ecce inter primos, Therameneo à ſangvine Clauſi,
Exſultat rapidis Nero non imitabilis auſis.
Hunc Amiterna cohors, & Bactris nomina ducens
Caſperula: hunc Foruli, Magnæque Reate dicatum
Cælicolûm matri; nec non habitata pruinis
Nurſia; & à Tetricâ comitantur rupe cohortes.

Hæc igitur loca, ſimulque nonnulla alia, quæ aliis memorantur auctoribus, uti commodè explicari poſſint, initium faciemus ab iis, quæ Romæ fuêre proxima.

FIDENAE urbs. Quod opidum plurali numero Ciceroni, Livio, Horatio, Valerio Maximo, Straboni, Tacito, Svetonio, Ptolemæo, Solino, Tabulæ itinerariæ, atque Eutropio dicitur Φιδῆναι, FIDENAE; Virgilio, Dionyſio, Silio, ac Stephani epitomatori eſt ſingulari numero Φιδήνη, FIDENA. Atque apud Plutarchum in Poplicolâ quum ſit pluralis vox τὰς Φιδήνας, eademque bis in Romulo, ſemel autem τῶν Φιδηνῶν· minimè perſvadeor, in eodem Romulo rectè legi ſemel ſingularem τὴν Φιδήνην. Idem de Taciti exemplaribus judico: apud quem Hiſtor. lib. III ſic ſcriptum eſt: *Cæteri fœdâ fugâ conſternuntur; non ultra Fidenas ſequutis victoribus.* in Annalium verò lib. IIII eſt ſingularis vox *Fidenam*; ut infrà videbimus. Apud Virgilium Aeneid. lib. VI Anchiſes apud inferos ita filium Aeneam de futuris regibus Albanis adloquitur:

Hi tibi Nomentum & Gabios urbemque Fidenam;
Hi Collatinas imponent montibus arceis.

Virgilium, ut in plerisque, in hac etiam voce imitatus eſt Silius lib. XV:

Adſpice (nec longè repetam) modò, Roma, minanti
Impar Fidenæ, contentaque creſcere aſylo,
Quò ſeſe extulerit dextris.

Reliquorum auctorum verba mox infrà citabimus. Opidani inde dicebantur Latinis FIDENATES, Græcis Φιδηνάται, & ſæpiùs Φιδηναῖοι. Stephani breviator: Φιδήνη, πόλις Ἀλβανῶν. τὸ ἐθνικὸν Φιδηναῖος. ἔοικε δὲ Φιδῆναι λέγεσθαι, ὡς Ῥάβεννα· καὶ Φιδηνάτης, ὡς Ῥαβεννάτης. οὕτω γὰρ Χάραξ κέχρηται Φιδηνάτης. Id eſt: *Fidene, opidum Albanorum. gentilitium inde Fidenæus. Solet etiam Fidena dici; ut Ravenna: & Fidenates, ut Ravennates. ſic quidpe Charax quoque uſurpavit Fidenates.* Situm urbis maximè indicavit Dionyſius Halicarnaſſenſis, de Romulo loquens lib. II, Ἐπὶ τὴν Φιδηναίων, inquit, ἐστράτευσε πόλιν, ἀπὸ τετταράκοντα σταδίων τῆς Ῥώμης κειμένην, μεγάλην τε καὶ πολυάνθρωπον οὖσαν τότε. Id eſt: *Exercitum contra Fidenas duxit, urbem* XL *ſtadia ab Româ diſsitam; magnam tunc & populoſam.* Lib. III: Τετταράκοντα δ᾽ ὄντων σταδίων τῶν μεταξὺ Φιδήνης τε καὶ Ῥώμης, ἐλάσας ὁ Τύλλος τὸν ἵππον ἀνὰ κράτος, παρῆν ἐπὶ τὸν χάρακα. Id eſt: *Quumque* XL *ſtadia inter Fedenas Romamque intereſſent; Tullus, ſummâ vi concitato equo, in caſtra revertit.* Lib. X: Σαβῖνοι μὲν μέχρι Φιδήνης πόλεως ἤλασαν, ἧς ἐκράτουν Ῥωμαῖοι. τετταράκοντα δέ εἰσιν οἱ διὰ μέσου τῶν πόλεων στάδιοι. Hoc eſt: *Sabini Fidenas usque cum exercitu venerant: quæ urbs Romanis parebat;* XL *ſtadia à Româ diſtans.* Apud Tiberis ripam fuiſſe, teſtatur idem auctor. Lib. II: Οἱ πλείους εἰς τὸν Τίβεριν ποταμὸν (ῥεῖ δὲ παρὰ τὴν Φιδήνην) ῥίψαντες ἑαυτοὺς, ὡς διανηξόμενοι τὸ ῥεῦμα, διεφθάρησαν. Id eſt: *Maior pars, qui ſe in Tiberim amnem, Fidenas prælabentem, præcipitaverant, fruſtratâ ſpe natatus enicati ſunt.* Lib. III: Τύλλος δ᾽ ἐξῆγεν ἐπὶ τοὺς πολεμίους· καὶ διαβὰς τὸν Ἀνίωνον ποταμὸν, οὐ μακρὰν τῆς Φιδήνης κατεστρατοπέδευσεν. Id eſt: *Tullus contra hoſteis exercitum eduxit. transgreſſusque Anienem fluvium, haud procul Fidenis caſtra poſuit.* Livius lib. I: *Quum Fidenæ apertè deſciſſent; Tullus contra hoſteis ducit. ubi Anienem transiit, ad confluenteis collocat caſtra. Inter eum locum & Fidenas Veientium exercitus Tiberim transierat.* Dionyſius eodem lib. III poſteà: Πρότερον μὲν ἐξῆλθον οἱ Σαβῖνοι,

Τυρρηνῶν

Τυῤῥηνῶν ἔχοντες δύναμιν ἱκανὴν πρὸς συμμαχίαν· καὶ καταστρατοπεδεύονται Φιδήνης πλησίον, περὶ τὰς συμβολὰς τοῦ τε Ἀνίωνος καὶ τοῦ Τιβέριος ποταμῶν, διττοὺς βαλόμενοι τοὺς χάρακας ἐναντίους τε καὶ συνεχεῖς ἀλλήλοις, μέσον ἔχοντες τὸ κοινὸν ἐξ ἀμφοτέρων τῶν ποταμῶν ῥεῖθρον, ἐφ' οὗ κατεσκεύαστο γέφυρα ξυλόφρακτος, σκάφαις ἀνεχομένη καὶ σχεδίαις, ἡ ποιοῦσα ταχείας τὰς πρὸς ἀλλήλους ἀφίξεις καὶ τὸν χάρακα ἕνα. Πυθόμενος δὲ τὴν εἰσβολὴν αὐτῶν ὁ Ταρκύνιος, ἐξῆγε καὶ αὐτὸς τὸ τῶν Ῥωμαίων· καθιδρύεταί τε μικρὸν ἀνωτέρω τῆς ἐκείνων στρατοπεδείας παρὰ τὸν Ἀνίωνα ποταμὸν ἐπὶ λόφου τινὸς καρτεροῦ. * · Σκάφας δὲ ποταμηγοὺς καὶ σχεδίας ξύλων αὔων καὶ φρυγάνων γεμούσας, ἔτι τε θείου τε καὶ πίσσης παρασκευασάμενος ἐπὶ θατέρῳ τῶν ποταμῶν, παρ' ὃν αὐτὸς ἐστρατοπεδεύκει, ἔπειτα φυλάξας ἄνεμον οὔριον, περὶ τὴν ἑωθινὴν φυλακὴν πῦρ ἐνεῖναι ταῖς ὕλαις ἐκέλευσε, καὶ μεθεῖναι τὰς σκάφας καὶ τὰς σχεδίας φέρεσθαι κατὰ ῥοῦν. αἱ δὲ ἐν ὀλίγῳ χρόνῳ διελθοῦσαι τὸν μεταξὺ πόρον, ἐμπίπτουσι τῇ γεφύρᾳ, καὶ ἀνάπτουσιν αὐτὴν πολλαχόθεν. Hoc eſt: *Priores ſe moverunt Sabini, cum non contemnendis Etruſcorum auxiliis: & caſtra poſuerunt prope Fidenas, circa Anienis ac Tiberis confluenteis. ibi geminum excitarunt vallum; quorum alterum alteri oppoſitum erat & contiguum. nam communi utriusque amnis alveo, qui medius interfluebat, ſuperſtructus erat pons ligneus, ſcaphis & ratibus fultus. quo factum, ut citò ex altero in alterum transiri poſſet, atque unum idemque eſſe videretur vallum. Hoc cognito, Tarquinius & ipſe legionibus eductis locum caſtris cepit propter Anienem, paullum ſupra hoſtium caſtra, occupato colle quodam naturâ munito.* Mox: *Scaphas igitur fluvialeis & rateis, aridis lignis ſarmentisque refertas, ſulfure quoque ac pice additis, præparavit in altero amne, ad quem caſtra habebat. obſervato deinde vento ſecundo, circa quartam vigiliam igne in eam materiam immiſſo; ſcaphas & rateis ſivit deferri prono flumine. hæ brevi tempore per intermedium delapſæ ſpacium, hæſerunt in ponte; eumque pluribus in locis incenderunt.* Caſtra igitur iſta bina, Fidenatium juxtà & Etruſcorum, infra Anienis fuêre confluentem. ea quia prope Fidenas poſita dicuntur; ipſæ quoque Fidenæ, ultra Anienem Tiberi adpoſitæ, haud procul ab Aniene fuerunt. Sic Livius etiam lib. IIII: *Caſtra Etruſcorum pro mœnibus Fidenarum poſita. & dictator Romanus haud procul inde ad confluenteis conſedit in utriusque ripis amnis.* Nempe intra confluenteis, in lævâ Tiberis, dextrâ verò Anienis ripâ. Stadia XL, quæ Romam inter & Fidenas eſſe teſtatur Dionyſius, millia paſſuum ſunt V. Livius lib. VII: *Galli ad tertium lapidem Salariâ viâ trans pontem Anienis caſtra habuêre.* De eâdem re Eutropius lib. II: *Galli ab Vrbe quarto milliario trans Anienem fluvium conſederant.* Oroſius lib. III cap. VI: *Anno ab Vrbe conditâ CCCLXXXVIII iterum terribilis Gallorum inundatio juxta Anienem fluvium ad quartum ab Vrbe lapidem conſedit.* Eadem verba Paullus Diaconus in Hiſtoriæ miſcellæ librum I & Freculfus in Chronici tom. I lib. IIII cap. XVI, transſcripsêre. Sed poſteriorum iſtorum auctorum ævo milliaria circa Vrbem conciſiora fuiſſe facta, aliis etiam innumeris exemplis conſtat. unde hi *quartum* nominavêre *lapidem*, ubi Livius *tertium*. Idem factum in hiſtoriâ Hannibalicâ. Livius lib. XXXVI: *Inter hæc Hannibal ad Anienem fluvium, tria millia paſſuum ab Vrbe, caſtra admovit.* Ad ulteriorem ſcilicet ſive ſiniſtram ripam. ſic quidpe eſt paullo pòſt: *Poſtero die transgreſſus Anienem Hannibal, in aciem omneis copias eduxit. nec Flaccus conſulesque certamen detrectavêre.* Hi caſtra habebant ſub ipſis Vrbis mœnibus. ſic enim ibidem anteà Livius: *Fulvius Flaccus portâ Capenâ cum exercitu Romam ingreſſus, mediâ urbe per Carinas in Eſquilias contendit. inde egreſſus, inter Eſquilinam Collinamque portam poſuit caſtra.* Et: *Placuit, conſules circa portas Collinam Eſquilinamque ponere caſtra.* Hinc haud multo pòſt ita Virius Vibius Campanus in ſenatu ſuo: *Transgreſſus Anienem, tria millia paſſuum ab Vrbe caſtra poſuit.* Transgreſſus eſt, àb Tuſculo Gabiisque & Pupinienſi agro, qui ſub ipſâ erat Româ, profectus; ut ibidem Livius ac Silius lib. XII teſtantur. Florus lib. II cap. VI: *Quid ergo miramur, moventi caſtra à tertio lapide Hannibali iterum ipſos deos reſtitiſſe?* Oroſius lib. IIII cap. XVII, & ex eo Paul. Diaconus Hiſtor. miſcellæ lib. III: *Ad Anienem fluvium tribus millibus ab Vrbe conſedit.* Eutropius lib. III, atque ex hoc Freculfus Chron. tomo I lib. V cap. VII: *Hannibal usque ad quartum milliarium Vrbis acceſſit.* Appianus in Hannibalicis: Ἀπὸ δύο καὶ τριάκοντα σταδίων τῆς Ῥώμης ἐστρατοπέδευσεν ἐπὶ τοῦ Ἀνίωνος ποταμοῦ. Id eſt: *Ad Anienem fluvium* XXXII *ſtadia, ab Româ caſtra poſuit.* Id eſt, ad quartum lapidem. Vt igitur hodiè, ſic olim ab Vrbe ad Anienem numerabantur millia paſſuum tria. Cæterùm à ponte Anienis viâ Salariâ duo ſunt millia paſſuum ad *Caſtellum Iubilæum*; quod, ad ſiniſtram viæ partem poſitum, ex adverſo

in dextrâ viæ parte habet rudera haud exigua antiquæ urbis, partim in valle, partim altiori loco in contiguo colle ſita. quæ ex præſcripto V millium intervallo ſine controverſiâ ſunt antiquarum *Fidenarum* reliquiæ. Hinc Livius dicto lib. IIII: *Dictator Etruſcas legiones compulit in urbem Fidènas; valloque circumdedit. ſed ſcalis capi non poterat urbs alta & munita.* Huc adde & hoc Dionyſii lib. III: ὀξὺ γὰρ ὢν ὁ Τίβερις περὶ τὴν Φιδήνην καὶ σκολιὸν τὸ ῥεῦμα. id eſt: *Rapidus enim & flexuoſus circa Fidenas fluit Tiberis.* Is flexus & ipſe eſt apud prædictum *Caſtellum Iubileum:* in quem, veluti in gremium, confluit *Cremera* fluvius, vulgò nunc *La Varca* dictus. Apud dictum Eutropium lib. I, &, qui id ex Eutropio transſcripſit, apud Paul. Diaconum Hiſt. miſcel. lib. I, ita ſcriptum de Tullo Hoſtilio: *Veienteis & Fidenateis, quorum alii ſexto milliario abſunt ab urbe Româ, alii octavodecimo, bello ſuperavit.* Sex ab Româ ad Fidenas numerat milliaria Eutropius, quia ad Anienem usque IIII ſtatuit; ut paullo antè intelleximus. Mendum eſt eodem lib. I poſteà, ubi ſic ſcriptum? *Ambæ civitates tam vicinæ Vrbi ſunt, ut Fidenæ* VII, *Veientes* XVIII *milliaria abſint.* Sed utrobique alterum etiam numerum XVIII milliarium corruptum eſſe ex vero XII, ſuprà cap. III huius libri II in *Veiorum* urbis expoſitione oſtenſum eſt. Super origine primisque conditoribus Fidenarum diſſentire inter ſe veteres auctores, aliis Etruſcorum aliis Albanorum ex Latio coloniam adſerentibus, ſuperiori capite intellectum eſt. Romulus poſtquàm urbem ceperit, Romanorum eò miſiſſe coloniam, auctores ſunt Dionyſius atque Plutarchus. quorum ille lib. II, Ἀλούσης, inquit, τῆς πόλεως ἐξ ἐφόδου, τιμωρησάμενος ἐξ αὐτῶν ὀλίγους, καὶ φυλακὴν ἐν τῇ πόλει τριακοσίων ἀνδρῶν καταλιπὼν, καὶ τῆς χώρας μοῖραν ἀποτεμόμενος, ἣν τοῖς σφετέροις διεῖλεν, ἄποικον ἐποίησε Ῥωμαίων καὶ ταύτην τὴν πόλιν. Id eſt: *Captam primo impetu urbem, ſupplicio de paucis ſumpto, impoſitoque trecentûm virorum præſidio, parte agri mulctavit. quo ſuis militibus diviſo, hanc quoque Romanorum fecit coloniam.* De numero colonorum longè aliter tradit Plutarchus in Romulo. Φιδήνας δὲ, inquit, εἷλεν· οὐ μὴν ἀνεῖλεν, οὐδὲ κατέσκαψεν· ἀλλὰ Ῥωμαίων ἐποίησεν ἀποικίαν, δισχιλίους καὶ πεντακοσίους ἀποστείλας οἰκήτορας. Hoc eſt: *Fidenas urbem cepit. non excîdit eam tamen, neque ſolo æquavit: ſed coloniam Romanorum fecit; miſſis bis mille quingentis colonis.* Atque hoc ſanè magis congruit in illa verba Dionyſii eodem lib. II, ubi μεγάλην καὶ πολυάνθρωπον πόλιν adſeverat, quum ab Romulo caperetur; id eſt, *urbem magnam atque populoſam.* Cæterùm fuiſſe Ciceronis adhuc tempore opidum, patet ex oratione eius primâ contra Rullum de Lege agrariâ. *Agros,* inquit, *Vaticanum & Pupiniam cum ſuis opimis atque uberibus campis conferendos ſcilicet non putabunt. opidorum autem finitimorum illam copiam cum hac per riſum ac per jocum contemnent. Labicos, Fidenas, Collatiam, ipſum herclè Lanuvium, Ariciam, Tuſculum, cum Calibus, Teano, Neapoli, Puteolis, Cumis, Pompeiis, Nuceriâ, comparabunt.* Inter paullo incelebriora tamen opida *Fidenas* recenſet; quibus maiora erant, *Lanuvium, Aricia, Tuſculum.* Poſt Ciceronis mox ætatem ita Horatius lib. I epiſt. XI:

Scis, Lebedus quàm ſit Gabiis deſertior atque
Fidenis vicus.

Et poſt Horatium Strabo lib. V: Κολλατία δ᾿ ἦν καὶ Ἀντέμναι καὶ Φιδῆναι, καὶ ἄλλα τοιαῦτα τότε πολίχνια, νῦν δὲ κῶμαι, κτήσεις ἰδιωτῶν, ἀπὸ λʹ ἢ μʹ μικρῷ πλειόνων τῆς Ῥώμης σταδίων. Id eſt: *Erant autem, Collatia, Antemnæ, Fidenæ, & id genus alia, tunc equidem opidula, nunc verò vici, privatorum prædia,* XXX *aut* XL *paullo plus à Româ ſtadiis disſita.* Manſiſſe nomen eius etiam aliquot poſt Strabonis tempeſtatem ſæculis, ex Tabulâ adparet itinerariâ, cui memoratur, in viâ Salariâ inter Romam & Eretum; quod nunc eſſe vulgò *Monte Ritondo*, infrà patebit. De cætero accidit apud Fidenas in Tiberii principatu res admodùm miſeranda & memoratu digna: de qua ita Svetonius in Tiberio, cap. XL: *Statimque, revocante adſiduâ obteſtatione populo, propter cladem, qua apud Fidenas ſupra* XX *hominum millia gladiatorio munere amphitheatri ruinâ perierant, transiit in continentem.* Et in Caligulâ, cap. XXXI: *Tiberii principatum ruinâ ſpectaculorum apud Fidenas memorabilem factum.* Oroſius lib. VII cap. IIII, & transſcriptor eius Paullus Diaconus Hiſtor. miſcel. lib. VII: *Tiberii imperii anno duodecimo nova & incredibilis clades apud Fidenatium urbem accidit. nam amphitheatri cavea, populo gladiatorium munus ſpectante, collapſa eſt; & plus quàm* XX *millia hominum occîdit.* Longè maiorem numerum refert graviſſimus auctor ac Svetonio antiquior Tacitus Annal. lib.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

lib. IIII. *M. Licinio*, inquit, *L. Calpurnio conſulibus ingentium bellorum cladem æquavit malum improviſum. Eius initium ſimul & finis exſtitit. nam cœpto apud Fidenam amphitheatro, Atilius quidam libertini generis, quo ſpectaculum gladiatorum celebraret, neque fundamenta per ſolidum ſubdidit, neque firmis nexibus ligneam compagem ſuperſtruxit: ut qui non abundantiâ pecuniæ, nec municipali ambitione; ſed in ſordidâ mercede id negotium quæſiviſſet. Adfluxêre avidi talium, imperitante Tiberio procul voluptatibus habiti, virilis ac muliebris ſexus omnis ætas, ob propinquitatem loci effuſiùs. unde gravior peſtis fuit, confertâ mole, dein convulsâ; dum ruit intus, aut in exteriora effunditur; immenſamque vim mortalium, ſpectaculo intentos, aut qui circùm adſtabant, in præceps trahit atque operit.* Exiguo pòſt: *Quinquaginta hominum millia eo caſu debilitata vel obtrita ſunt.* Ne autem mendum heic librariorum in numero ſuſpiceris; en, Auctor Olympiadum ἀνώνυμος ſic habet: Ὀλυμπιάδος σα΄ ἔτει β΄ ἐν τῇ Φιδηνατῶν πόλει τοῦ ἀμφιθεάτρου πεσόντος πέντε μυριάδες ἀνθρώπων διεφθάρησαν. Id eſt: *Olympiadis* CCI *anno* II *apud Fidenatium urbem amphitheatri ruinâ* L *millia hominum interierunt.*

Hinc CRVSTVMERIVM *opidum* memoratur hac vocabuli formatione Livio, Plinio, atque Servio. Livius lib. I: *Corniculum, Ficulea vetus, Cameria, Cruſtumerium, Ameriola, Medullia, Nomentum; hæc de priſcis Latinis, aut qui ad Latinos defecerant, capta opida.* Plinius lib. III cap. V: *Cænina, Ficana, Cruſtumerium, Ameriola, Medullia, Corniculum.* Servii verba pòſt recitabimus. Eodem modo Græcè quoque Plutarcho in Romulo dicitur Κρουστουμέριον, & Dionyſio lib. II τὸ Κρουστομέριον. At apud eumdem Dionyſium idem opidum eodem lib. II, item lib. VI, X, & XI, dicitur ἡ Κρουστομερία· quod & Stephanus ex Dionyſii lib. II citat: & Livio quoque lib. II & III Latinè ſcribitur CRVSTVMERIA. Lib. II: *His conſulibus Fidenæ obſeſſæ, Cruſtumeria capta.* Lib. III: *Fuſi & ab Sabinis ad Eretum, & in Algido ab Aequis, exercitus erant. Ab Ereto per ſilentium noctis profugi, propiùs Vrbem inter Fidenas Cruſtumeriamque loco edito caſtra communierant.* Virgilio autem plurali numero CRVSTVMERII dicitur opidum Aeneid. lib. VII his verſibus: *CRVSTVMERIVM opidum.*

Quinque adeò magnæ, poſitis incudibus, urbes
Tela novant: Atina potens, Tiburque ſuperbum,
Ardea, Cruſtumerique, & turrigeræ Autemnæ.

Opidani inde Dionyſio lib. II & III ſæpiùs vocantur Κρουστομερῖνοι CRVSTVMERINI: ſemel eodem lib. II leguntur Κρουστομέριοι, *Cruſtumerii.* quod librarii errore corruptum eſſe vocabulum, certum eſt; quando Stephano quoque ex eodem lib. II citatur gentilitium Κρουστομερῖνος, *Cruſtumerinus.* Varroni etiam de Linguâ Latinâ lib. IIII ab eodem opidi vocabulo dicitur plebis Romanæ *ſeceſſio Cruſtumerina.* At Livio ac Plinio tametſi ipſum opidum dicatur *Cruſtumerium* & *Cruſtumeria*; tamen opidani eius illis ſunt frequenti mentione CRVSTVMINI; ut & Varroni Ciceronique. quorum huic in oratione pro L. Flacco, illi Ruſticar. rer. lib. I cap. XV eſt *Cruſtuminus* ager; & Ciceroni in oratione pro L. Cornelio Balbo, *Cruſtumina tribus.* Livius lib. I: *Cæninenſes Cruſtuminique & Antemnates erant, ad quos eius injuriæ pars pertinebat.* Mox: *Nec Cruſtumini atque Antemnates pro ardore irâque Cæninenſium ſatis ſe impigrè movent.* Haud multo pòſt: *Inde contra Cruſtuminos profectus.* Statim: *plures inventi, qui propter ubertatem terræ in Cruſtuminum nomina darent.* Cicero dictâ oratione pro L. Flacco: *Si te craſſi agri delectabant, heic alicubi in Cruſtumino aut in Capinati paraviſſes.* Livius lib. XLI: *Lapidem in agro Cruſtumino in lucum Martis de cœlo cecidiſſe, nunciatum.* Et lib. XLII: *Sp. Liguſtinus tribus Cruſtuminæ ex Sabinis ſum oriundus.* Ab hoc vocabulo gentilitio ſive derivativo Silius Serviusque primitivum ipſius opidi retulerunt CRVSTVMIVM. Silius lib. VIII, his verſibus;

——— Antemnaque priſco
Cruſtumio prior, atque habiles ad aratra Labici.

Sed hoc uſus eſt Virgilius pro gentilitio, Γεωργικῶν lib. II, in his verbis:

——— Nec ſurculus idem
Cruſtumiis Syriisque pyris.

Verùm id ille fecit haud dubiè metri causâ per poëticam licentiam. unde Philargyrus ad eum locum; *Cruſtumiis, pro Cruſtuminis.* Ad eumdem locum Servius: *Cruſtumina pyra ſunt ex parte rubentia, ab opido Cruſtumio nominata.* Certè Columellæ quoque Ruſticar. rer. lib. XII cap. X, & Plinio lib. XV cap. XV, item lib. XXIII cap. VII, *Cruſtu-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Cruſtumina ſunt *pyra*. Vocabulum igitur opidi bifariam formatum fuit; *Cruſtumium*, & *Cruſtumerium*, ſive *Cruſtumeria*. hoc poſteà maximè in uſu manſit; ſed ab illo opidani uſurpabantur *Cruſtumini*. idque magis fortè poſterioribus Romanis, quàm prioribus. à quibus Varroni illud *Cruſtumerina ſeceſſio* videtur fuiſſe; quum in Ruſticis, de ſui ævi rebus loquens, maluerit *Cruſtumina* adpellare *pyra*, quàm *Cruſtumerina*. Verùm de vocabulo hactenus ſatis. Situm opidi trans Anienem urbemque Fidenas, complures indicarunt auctores. Plinius lib. III cap. V: *Tiberis citra tredecim millia paſſuum Vrbis Veientem agrum à Cruſtumino, dein Fidenatem Latinumque à Vaticano dirimit*. Livius lib. II: *Sabini, Cruſtuminos campos citato agmine tranſgreſſi, quum cadeis & incendium circùm Anienem flumen feciſſent: à portâ propè Collinâ mœnibusque pulſi, ingenteis tamen prædas hominum pecorumque egère*. Lib. III: *Fuſi & ab Sabinis ad Eretum & in Algido ab Aequis exercitus erant. Ab Ereto per ſilentium noctis profugi, propiùs Vrbem inter Fidenas Cruſtumeriamque loco edito caſtra communierant*. Dionyſius lib. XI in eâdem hiſtoriâ: Οἱ μὲν οὖν ἐπὶ Σαβίνους στρατεύσαντες, ἐν τοῖς ἐλάττοσι κακοῖς σωφρονισθέντες, ἑκόντες ἔγνωσαν ἐκλιπεῖν τὸν χάρακα. καὶ περὶ μέσας νύκτας ἀναστήσαντες τὸν στρατὸν, ἀπῆγον ἐκ τῆς πολεμίας εἰς τὴν ἑαυτῶν, φυγῇ παραπλησίαν ποιούμενοι τὴν ἀνάζευξιν, ἕως ἐπὶ πόλιν Κρουστομερίαν, ἥ ἐστιν οὐ πρόσω τῆς Ῥώμης, ἀφίκοντο. Id eſt: *Qui in Sabinis militabant, levioribus malis caſtigati, caſtra ſponte deſerere ſtatuerunt. ac nocte circiter mediâ motis copiis, ex hoſtico in ſuum agrum ſe receperunt, regreſſu fugæ ſimili; donec pervenerunt Cruſtumeriam, opidum haud procul ab Vrbe diſſitum*. Paullo pòſt vocat τὸν ἐν Κρουστομερίᾳ χάρακα, id eſt, *caſtra apud Cruſtumeriam ſita*. at aliquanto pòſt, τὸ περὶ Κρουστομερίαν καὶ Φιδήνην adpellat στράτευμα, id eſt, *exercitum, qui circa Cruſtumeriam & Fidenas conſederat*. unde propinquitas horum opidorum maximè adparet. Livius lib. V: *Ad undecimum lapidem occurſum Gallis, quà flumen Allia, Cruſtuminis montibus prealto defluens alveo, haud multum infra viam Tiberino amni miſcetur*. Ex hac deſcriptione *Allia* nullum aliud eſſe poteſt flumen, quàm quod ad XII fermè ab urbe Româ millia paſſuum à collibus (neque enim toto hoc tractu altiores ſternuntur montes) *prealto alveo*, ſeu præaltis ripis in planitiem defluens, viam Salariam ſecat, moxque Tiberi miſcetur, vulgari nunc adpellatione *Rio di Moſſo*: æſtivis quidem diebus ferè ſiccum; hibernis autem atque pluviis torrens. Quidam igitur antiquum illud opidum *Cruſtumeriam* interpretantur id, quod haud procul fonte huius fluminis vulgò nunc vocatur *Palombara*. verùm in hunc locum minimè convenit præſcripta Dionyſii Liviique hiſtoria; ubi narrant, *Romanos ab Ereto per ſilentium noctis profugos, propiùs Vrbem inter Cruſtumeriam Fidenaſque conſediſſe*. quidpe ab Ereto, quod nunc vulgò dici *Monte Ritondo*, mox videbimus, viâ Salariâ juxta Tiberim proximo itinere fugiebant verſùs Romam. unde liquidò jam patet, ad Salariam viam juxtà cum Fidenis atque Ereto fuiſſe *Cruſtumeriam* quoque. Hinc Dionyſius lib. II: Ἀγομένης εἰς τὴν Ῥώμην ἀγορᾶς ἐν σκάφαις ποταμηγοῖς, ἣν Κρουστομερῖνοι πιεζομένοις ὑπὸ λιμοῦ Ῥωμαίοις ἀπέστελλον, ὡρμημένοι κατὰ πλῆθος ἐπὶ τὰς σκάφας οἱ Φιδηναῖοι, τήν τε ἀγορὰν διήρπασαν, καὶ τῶν ἀνθρώπων τινὰς τῶν ἐπιβοηθούντων ἀπέκτειναν. Hoc eſt: *Quum Romam navigiis fluvialibus annona deveheretur, quam Cruſtumerini Romanis fame laborantibus mittebant; Fidenates, catervatim in navigia irruentes, commeatum diripuerunt; eorumque, qui obſiſtebant, nonnullos occiderunt*. Et M. Varro Ruſticar. rer. lib. I cap. VIIII: *Ad viam Salariam in agro Cruſtumino videre licet aliquot conjunctas arbores cum foſſis, ne flumen agris noceat*. Ergo ex omnibus hactenus productis documentis colligo, *Cruſtumerium* fuiſſe eodem tractu, quo nunc turris in edito colle conſpicitur juxta viam Salariam, mille ampliùs paſſus ſupra Fidenarum ruinas & Caſtellum Iubileum, vulgari adpellatione *Marcigliano vecchio*, id eſt, *Marcilianum vetus*. juxta quod, in orientem verſùs, loco nemoroſo ruinæ quædam etiamnum viſuntur antiquorum ædificiorum. circa quem locum haud dubiè fuit ille LVCVS MARTIS, Livio ſuprà dicto lib. XLI memoratus. Atque tam propinqua quum fuerit Anieni amni Cruſtumeria; ad III ſcilicet millia paſſuum; ſeceſſio plebis Romanæ, quæ in Sacrum montem facta eſt, *Cruſtumerina* inde cognominata eſt Romanis. Varro de Linguâ Latinâ lib. IIII: *Tribuni plebei, qui ex tribunis militum primùm tribuni plebei facti, qui plebem defenderent in ſeceſſione Cruſtumerinâ*. Huc jam adde naturam ſoli, quæ circa prædictum Marcilianum hodiéque eadem durat, qualis ab Livio & Cicerone deſcribitur. Livius dicto lib. I; de Antemnis & Cruſtumeriâ à

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Romulo captis: *Vtróque coloniæ miſſæ. Plures inventi, qui propter ubertatem terræ in Cruſtuminum nomina darent.* Cicero, in dictâ oratione pro L. Flacco: *Si te craſſi agri delectabant; heic alicubi in Cruſtumino aut in Capenati paraviſſes.* Cæterùm de origine atque conditoribus *Cruſtumeriæ* ita tradit Dionyſius lib. II: Ἦν δὲ ἡ Φιδήνη Ἀλβανῶν ἀποικία, κατὰ τὸν αὐτὸν οἰκισθεῖσα Νωμέντῳ τε καὶ Κρουστομερίᾳ χρόνον, τριῶν ἀδελφῶν τῆς ἀποικίας ἡγησαμένων, ὧν ὁ πρεσβύτατος τὴν Φιδήνην ἔκτισεν. Id eſt: *Fidenas Albani condiderunt, eodem, quo Nomentum & Cruſtumeriam, tempore; tribus fratribus colonias deducentibus: quorum natu maximus Fidenarum fuit conditor.* Longè aliter alii tradiderunt auctores. Servius, ad prædictum Virgilii Aeneid. lib. VII: *Cruſtumerîque. Mutavit. nam Cruſtumerium dicitur. Caſſius Hemina tradit, Siculum quemdam nomine uxoris ſuæ Clytemneſtræ condidiſſe Clytemneſtrum, mox corrupto nomine Cruſtumerium dictum. Alii volunt à cruſtulâ panis, quam Troiani coacti fame exediſſe dicuntur, adpellatum.* Hoc ſanè merum grammatici ingenii nugamentum, ex ipſo hoc Virgilii libro VII confictum. nam ſub initium huius libri ita narrat poëta de Aeneâ in os Tiberis amnis cum claſſe adpulſo:

Aeneas primique duces & pulcher Iulus
Corpora ſub ramis deponunt arboris altæ:
Inſtituuntque dapes; & adorea liba per herbas
Subjiciunt epulis, (ſic Iupiter ipſe monebat)
Et Cereale ſolum pomis agreſtibus augent.
Conſumptis heic fortè aliis, ut vertere morſus
Exiguam in Cererem penuria adegit edendi,
Et violare manu malisque audacibus orbem
Fatalis cruſti, patulis nec parcere quadris:
Heus, etiam menſas conſumimus, inquit Iulus.
Nec plura adludens. Ea vox audita, laborum
Prima tulit finem. primamque loquentis ab ore
Eripuit pater; ac ſtupefactus numine, preſſit.
Continuò: Salve fatis mihi debita tellus,
Vosque, ait, ô fidi Troiæ ſalvete penates.
Heic domus, hæc patria eſt. genitor mihi talia namque
(Nunc repeto) Anchiſes fatorum arcana reliquit:
Quum te nate fames, ignota ad litora vectum,
Adciſis coget dapibus conſumere menſas;
Tum ſperare domos defeſſus, ibique memento
Prima locare manu molirique aggere tecta.

Poſuit heic mœnia urbis ad Tiberis oſtium, quam *Troiam* vocavit; ut infrà in Latio oſtendetur. Ergo ex adluſione vocabuli à *cruſtulâ* adesâ *Cruſtumerium* adpellatum eſſe, contra omnem hiſtoriæ geographiæque rationem ineptiſſimè finxerunt prædicti grammatici. De cætero Caſſii Heminæ illud de *Clytemneſtra* nomine licèt & ipſum fortè fuerit nugatorium, tamen de *Siculo* opidi conditore à certo aliquo vetuſtiore habuiſſe videtur auctore, qui opidum id ante Troianum bellum à Siculis, antiquiſſimis huius regionis incolis, quos poſteà pepulerunt Aborigines atque Pelaſgi, ut infrà lib. III cap. I & II oſtendetur, conditum tradiderunt. unde illud Silii dicto lib VIII:

——— *Antemnaque priſco*
Cruſtumio prior.

Cæterùm SACER MONS, in quem *ſeceſſio* illa *Cruſtumerina* facta, is eſt collis ſive tumulus, qui primus trans Anienem viâ Nomentanâ occurrit: in quo ſitum hodiè *caſtellum S. Silveſtri.* Plutarchus in Marcio Coriolano: Καταλαβόντες ὄρος, ὃ νῦν Ἱερὸν καλεῖται, παρὰ τὸν Ἀνίωνα ποταμὸν ἐκαθέζοντο. Id eſt: *Occupantes montem, qui nunc Sacer vocatur, trans Anienem conſederunt.* Livius lib. II: *Plebs in Sacrum montem ſeceſſit trans Anienem amnem, tria ab Vrbe millia paſſuum.* Et lib. III: *Plebs in Sacrum montem ex Aventino tranſit.* Mox: *Viâ Nomentanâ, cui tum Ficulenſi nomen fuit, caſtra in monte Sacro locavêre.* Feſtus: *Sacer mons adpellatur trans Anienem paullo ultra tertium milliarium; quòd eum plebes, quum ſeceſſiſſet à patribus, creatis tribunis plebis, qui ſibi eſſent auxilio, diſcedentes Iovi conſecraverunt.* Dionyſius lib. VI: ὄρος τι καταλαμβάνονται

SACER MONS.

βάνονται πλησίον Ἀνίωνος ποταμοῦ κείμενον, οὐ πρόσω τῆς Ῥώμης, ὃ νῦν ἐξ ἐκείνου Ἱερὸν ὄρος καλεῖται. Id eſt: *Montem occupant prope Anienem flumen, haud procul Româ ſitum; qui nunc ex eo Sacer mons adpellatur*. Et eodem libro poſteà: Ἐπεὶ δὲ ταῦτα ἐψηφίσαντο, βωμὸν κατεσκεύασαν ἐπὶ τῆς ἀκρωρείας, ἐν ᾗ κατεστρατοπέδευσαν, ὃν ἐπὶ τοῦ καταχόντος αὐτοὺς δείματος τότε ὠνόμασαν, ὡς ὁ πάτριος αὐτῶν σημαίνει γλῶσσα, Διὸς Δειματίου· ᾧ θυσίας ἐπιτελέσαντες, καὶ τὸν ὑποδεξάμενον αὐτοὺς τόπον ἱερὸν ἀνέντες, κατῄεσαν εἰς τὴν πόλιν ἅμα τοῖς πρέσβεσιν. Id eſt: *His ita decretis, aram poſuerunt in ſummo colle, in quo caſtra habebant: quam à Panico terrore, quo tunc correpti fuerant, patriâ lingvâ nominarunt Iovis Fauni. quo ſacrificiis placato, ipſoque loco conſecrato, in quo conſederant; cum legatis in Vrbem reverterunt*. Meminit eius Ovidius quoque Faſtor. lib. III, his verbis:

Plebs vetus, & nullis etiam tunc tuta tribunis,
Fugit; & in Sacri vertice montis erat.

FICVLEA *opidum.* FICVLEA *opidum* haud dubiè fuit & ipſum apud viam Nomentanam; quæ inde cognominabatur, teſte ſuprà dicto Livio, *Ficulenſis*. Idem auctor lib. I: *Collatia & quidquid circa Collatiam agri erat, Sabinis ademptum*. Mox: *Bello Sabino perfecto, Tarquinius triumphans Romam rediit. Inde priſcis Latinis bellum fecit. Vbi nusquàm ad univerſæ rei dimicationem ventum eſt, ad ſingula opida circumferendo arma, nomen omne Latinum domuit. Corniculum, Ficulea vetus, Cameria, Cruſtumerium, Ameriola, Medullia, Nomentum; hæc de priſcis Latinis, aut qui ad Latinos defecerant, capta opida*. M. Varro de Lingvâ Latinâ lib. IIII: *Dies Populifugia videtur nominatus, quòd eo die repento tumultu fugerit populus. non multo enim pòst hic dies, quàm deceſſus Gallorum ex Vrbe. & qui tum ſub Vrbe populi, ut Ficuleates ac Fidenates, & finitimi alii, contra nos conjurarunt*. Dionyſius lib. I; de Aboriginibus loquens; qui Siculos è Sabino agro Latioque expulerunt: Οἱ τοὺς Σικελοὺς ἄγοντές τε καὶ φέροντες διετέλουν, ἐπειδὴ τὴν ἑαυτῶν ἐξέλιπον. Ὡς δ᾽ ἅπαξ ἔστι χωρίων τινῶν τῆς πολεμίας ἐκράτησαν, ἐκ τοῦ ἀσφαλεστέρου ἤδη καὶ οἱ λοιποὶ Ἀβοριγῖνες, οἱ δεόμενοι γῆς, τῆς κατὰ σφᾶς ἕκαστοι ἐπεχείρουν τοῖς ὁμόροις· καὶ πόλεις ἔκτισαν ἄλλας τέ τινας, καὶ τὰς μέχρι τοῦδε οἰκουμένας, Ἀντεμνάτας τε καὶ Τελληνεῖς καὶ Φικολνέους, τοὺς πρὸς τοῖς καλουμένοις Κορνίκλοις ὄρεσι καὶ Τιβουρτίνους, παρ᾽ οἷς ἔτι καὶ εἰς τόδε χρόνου μέρος τι τῆς πόλεως ὀνομάζεται Σικελίων. Hoc eſt: *Qui Siculorum res agere ac ferre non deſtiterunt, ex quo patriam terram reliquêre. Vt verò hi ſemel partem aliquam agrorum ex hoſtico adepti ſunt; tutiùs jam & reliqui Aborigines, agrorum inopes, adgrediebantur ſuos quique conterminos. &, præter alia opida, condiderunt, quæ nunc quoque inhabitantur, Antemnateis, Tellenenſeis, Ficulneos prope monteis Corniculos, ac Tiburtinos: apud quos hodiéque pars urbis dicitur Sicilio*. Montes hoc tractu editiores planè nulli ſunt: ſed colles humiles ac leniter intumentes. *Ficuleam* ego ad *Ficulenſem viam*, quæ eadem *Nomentana*, puto fuiſſe eo ſitu, quo nunc fanum conſpicitur, ultra ſuprà dictum Sacrum montem, vulgari adpellatione *S. Vaſile*; tria circiter millia paſſuum à ſuprà dicto Fidenarum loco diſtans. Nomen opidi quod attinet, diſertè id quidem apud Livium dicto lib. I vocatur *Ficulnea*; & inde opidani apud Dionyſium Φικόλνεοι, *Ficulnei*. at eidem Livio ſuprà dicto lib. III in omnibus pariter exemplaribus eſt *Ficulenſis via*; & Ciceroni ad Atticum lib. XII epiſt. XXXIII *ager Ficulenſis*; Plinio quoque lib. III cap. V opidani FICOLENSES; qui Ciceroni Livioque fuerint FICVLENSES; Varroni autem præſcripto loco FICVLEATES. quod vocabulum ſi ſatis ſanum incorruptumque ſit; ut equidem colligere licet è Ciceronis ſimul Liviique & Plinii *Ficulenſium* formatione; ſanè opidum dictum fuit FICVLEA. quod ineptum poſteà imperitorum grammaticorum genus, qui exſcriptores veterum auctorum exſtitêre, quaſi derivativum à *ficu* arbore, *Ficulnea* formarunt; ut innumera alia per Orbem terrarum regionum, gentium, urbium, montium, fluminum, fontium, opidorumque vocabula ad Latinarum vocum, quæ ſimiles erant, originem traxerunt. Apud Livium lib. II ita ſcriptum eſt: *Appius Clauſus ab Regillo, magnâ clientium comitatus manu, Romam transfugit. his civitas data, agerque trans Anienem*. Idem teſtatur & Plutarchus in Poplicolâ. De eodem apud Dionyſium ita legitur lib. V: Χώραν τε αὐτῷ προσέθηκεν ἡ βουλὴ καὶ ὁ δῆμος ἐκ τῆς δημοσίας τὴν μεταξὺ Φιδήνης καὶ Πικετίας. Hoc eſt: *Agrum quoque ſenatus populusque ex publico dederunt inter Fidenam & Picentiam*. Hanc ſanè vocem in his locis nemo alius agnoſcit auctor. Duo priores interpretes Latini ex ſuis exemplaribus legerunt Πικουλίας· quod Glareanus haud inſcitè conjecit legendum Φικουλέας ſive Φικουλνέας. ego verò ſcribendum cenſeo, μεταξὺ Φιδήνης καὶ Φικολέας, inter

inter Fidenam & Ficuleam. Plutarchus in Poplicolâ agrum Appio Clauſo eiusque clientibus attributum tradit παρὰ τὸν Ἀνιῶνα ποταμὸν, id eſt, *trans Anienem amnem*. vocem Dionyſii Φικελέας fortè aliquis exſcriptorum fecerat τῆς Φικελίας, *Ficelias*: unde tandem ultrà factum τῆς Πικεντίας. nam idem hoc opidum Martiali numero plurali dicitur FICELIAE: & *ager* inde *Ficelienſis*, ſive, ut pleraque exemplaria habent, *Ficilienſis*, in libro de Limitibus: ubi hæc leguntur verba: *Ficilienſis ager eâ lege ſervatur, qua & ager Curium Sabinorum*. Ex commemoratione *Curium* adparet, in eodem Sabino agro fuiſſe & *Ficeliam*, ſive *Ficelias*. Martialis lib. VI epigr. XXVII:

Bis vicine Nepos (nam tu quoque vicina Floræ
Incolis, & veteres tu quoque Ficelias)
Eſt tibi, quæ patrii ſignatur imagine vultus,
Teſtis maternæ nata pudicitiæ.

Duplici modo, ait, Nepotem ſibi eſſe vicinum: primò, in urbe Româ circa Floræ templum; ubi domum habuiſſe Martialem, ex hoc carmine adparet: tum in Sabinis, *Ficeliarum* opido: inter quod & Nomentum Martialis prædium habuit. ſic enim ipſe ait lib. II epigr. XXXVIII:

Quid mihi reddit ager, quæris Line, Nomentanus.
Hoc mihi reddit ager; te, Line, non video.

Et lib. VI epigr. XLIII:

Me Nomentani confirmant otia ruris,
Et caſa jugeribus non oneroſa ſuis.

Lib. VII epigr. XCII:

Quid Nomentani cauſam mihi perdis agelli,
Propter vicinum qui pretioſus erat.

Lib. XII epigr. LVII:

Cur ſæpè ſicci parva rura Nomenti,
Laremque villæ ſordidum petam, quæris.

Apud Plautum in Captivis ita ſcriptum eſt:

PARASITVS. *Quid credis? fugitant omnes hanc provinciam,*
Poſteaquàm captus eſt Philopolemus tuus.
HEGIO. *Non pol miranduſt, fugitare hanc provinciam.*
Multis & multigeneribus opus eſt tibi
Militibus. primùm opuſt piſtorienſibus.
Eorum ſunt aliquot genera piſtorienſium.
Opus paniceis, opus placentinis quoque;
Opus turdetanis; opuſt ficedulenſibus.

Vt ex Hiſpaniâ nominavit *Turdetanos* populos, & ab Italiæ opidis *Piſtoriâ* & *Placentiâ Piſtorienſeis* ac *Placentinos*; ſic & à *Ficeliarum* incolis *Ficelienſibus* finxiſſe videtur *ficedulenſeis*. nam à diverſis regionibus & urbibus milites ſe conquirere fingebat; quum ad ſimilitudinem earum nominum res innuere vellet, quæ ad culinam pertinebant: nempe, *piſtores, panem, placentas, turdos, ficedulas*. De reliquo unde VETVS cognominata fuerit FICVLEA, ut eſt ſuprà citato loco apud Livium, incertum eſt: niſi fortè id cognominis ei impoſitum ad diſcrimen opidi *Ficanæ*, quod in Latio viâ Oſtienſi fuit; ut ſuo loco patebit.

CORNICVLI hinc *montes* ſive *colles*, inter Ficuleam & Tibur, quod haud obſcurè ſuprà ſcripto lib. I innuit Dionyſius, fuerint illi, qui, duo ampliùs millia paſſuum ab Ficuleæ loco, verſùs Tibur euntibus, ad lævam ſternuntur ripam amnis vulgò *Maglano* dicti: habentque extremis ſuis partibus, hinc verſùs meridiem *Turrem Vergatam*, verſùs ſeptemtriones fanum *ſanctæ Margaritellæ*; & juxta hoc locum, qui vulgò *Caſale* dicitur incolis, id eſt, ſi Latinè vertas, *Vicus*: cui parvus ſubjectus eſt lacus. Equidem haud dubitaverim, quin hoc ſitu antiquum illud fuerit Κορνίκλον, CORNICVLVM *opidum*, Dionyſio, Livio, Plinio, Floro, ac Stephani breviatori memoratum. Livius ſuprà dicto lib. I: *Corniculum, Ficulea vetus, Cameria, Cruſtumerium, Ameriola, Medullia, Nomentum; hæc de priſcis Latinis, aut qui ad Latinos defecerant, capta opida*. Plinius lib. III cap. V: *In primâ regione prætereà fuêre in Latio clara opida, Politorium, Tellene, Tifata, Cænina, Ficana, Cruſtumerium, Ameriola, Medullia, Corniculum, Saturnia, ubi nunc Roma eſt*. Stephani breviator: Κόρνικλος, πόλις Λατίνων·

CORNICVLI *montes*, & CORNICVLVM *opidum*.

Διονύσιος τρίτῳ Ῥωμαϊκῆς ἀρχαιολογίας. τὸ ἐθνικὸν Κορνικλανός. Id eſt: *Corniculus, opidum Latinorum; auctore Dionyſio Antiquitat. Rom. lib.* III, *gentilitium inde* CORNICVLANVS. Ipſe Dionyſius lib. III: Μετὰ δὲ τὴν Κολατίας παράδοσιν, ἐπὶ τὸν καλούμενον Κορνίκολον ὁ βασιλεὺς Ταρκύνιος ἐστράτευσεν. ἦν δὲ κἀκείνη τοῦ Λατίνων ἔθνους ἡ πόλις. * . * . Ἡ δὲ πόλις τῶν Κορνικολανῶν διαρπαθεῖσα ὑπὸ τῶν κεκρατηκότων ἐνεπρήσθη. Id eſt: *Poſt Collatiæ deditionem adversùs Corniculum expeditionem fecit rex Tarquinius. id quoque Latini nominis opidum.* Paullo pòſt: *Opidum Corniculanorum poſt direptionem à victoribus incenſum eſt.* Et initio libri IIII: Ἐν Κορνικόλῳ, πόλει τοῦ Λατίνων ἔθνους, ἀνήρ τις ἐκ τοῦ βασιλείου γένους Τύλλιος ὄνομα ἦν. Id eſt: *Corniculi, quod Latini nominis erat opidum, vir erat è regio genere, nomine Tullius.* Inſtauratum igitur fuit opidum poſt Tarquinii incendium. Memorat eius prætereà Florus lib. I cap. XI.

COLLATIA *opidum.*

COLLATIA memoratur Ciceroni, Ovidio, Livio, Dionyſio, Straboni, Plinio, Silio, Feſto. Opidani inde dicuntur COLLATINI. Silius lib. VIII:

Quos Caſtrum Phrygibusque gravis quondam Ardea miſit,
Quos celſo devexa jugo Iunonia ſedes
Lanuvium, ac altrix caſti Collatia Bruti.

Virgilius Aeneid. lib. VI Anchiſen fingit ita apud inferos filium Aeneam adloquentem de regibus Albanis:

Hi tibi Nomentum & Gabios urbemque Fidenam,
Hi Collatinas imponent montibus arceis,
Laude pudicitiæ celebreis.

Livius equidem opidum id interiùs in Sabinorum agro collocare videtur lib. I. Poſtquàm pugnam Tarquinii Sabinorumque ad ſiniſtram Anienis ripam recenſuit; *Tarquinius*, inquit, *inſtandum perterritis ratus, pergit porrò in agrum Sabinum exercitum inducere. Et, quamquàm malè geſta res erat; nec, geſturos meliùs, ſperare poterant; tamen, quia conſulendi res non dabat ſpacium, iêre obviam Sabini tumultuario milite. iterumque ibi fuſi, perditis jam propè rebus, pacem petiêre. Collatia, & quidquid circa Collatiam agri erat, Sabinis ademptum.* Mox: *Bello Sabino perfecto, Tarquinius triumphans Romam rediit. Inde priſcis Latinis bellum fecit. Corniculum, Ficulea vetus, Cameria, Cruſtumerium, Ameriola, Medullia, Nomentum; hæc de priſcis Latinis, aut qui ad Latinos defecerant, capta opida.* Verùm aliter alii tradiderunt auctores: ex quorum ſententiâ in Latio cis Anienem fuerit. Plinius lib. III cap. V: *In Latio prætereà fuêre clara opida, Satricum, Pometia, Scaptia, Pitulum, Politorium, Tellene, Tifata, Cænina, Ficana, Cruſtumerium, Ameriola, Medullia, Corniculum, Saturnia, ubi nunc Roma eſt; Aeneipolis, quod nunc Ianiculum, in parte Romæ: Antemnæ, Camerium, Collatia, Amiternum, Norbe, Sulmo.* Servius ad præſcriptum Virgilii locum: *Civitates ſunt priſcorum Latinorum, ab Albanis regibus conſtitutæ. quamquàm Collatiam Tarquinius conſtituiſſe dicatur. qui, ut erat ſuperbus, eam ex collatâ pecuniâ conſtituit. unde & Collatia dicta eſt. Poteſt tamen etiam fieri, ut ab Albanis fundata ſit; aucta à Tarquinio.* Feſtus: *Conlatia, opidum fuit prope Romam; eò, quod ibi opes aliarum civitatum fuerint conlatæ. à qua porta Romæ Collatina dicta eſt.* Situm igitur huius opidi uti inveſtigare poſſimus, ipſa priùs diſpicienda erit *porta* atque *via Collatina*. Hanc noſtri ſæculi homines tradunt eamdem eſſe, quæ *Pinciana* vocatur *porta*, media inter Salariam & Flumentanam; quarum hac via Flaminia exit. à Pincianâ portâ illi viam, brevem admodùm, mox in Salariam viam incidere aiunt. Verùm errant iſti quàm vehementiſſimè; ſi Frontino, antiquo auctori, credimus. is quidpe in libro de Aquæductibus Romanis, *Hic*, inquit, *ramus viâ Prænestinâ ad milliarium* VI, *diverticulo ſiniſtrorſus paſſuum* IↃCCCCLXXX, *proximè viam Collatinam accipit fontem.* Et aliquanto pòſt: *Agrippa Virginem, in agro Tuſculano collectam, Romam perduxit. Concipitur viâ Collatinâ ad milliarium* VIII, *paluſtribus locis, ſignino circumjecto, continendarum ſcaturiginum causâ.* Ex hoc maximè loco illi prædicti homines colligunt, *portam Collatinam* eſſe eamdem *Pincianam*; quia apud hanc aqua *Virgo* Romam intrat. At Frontinus heic non de ingreſſu eius in Vrbem, ſed de conceptu agit: quem ait eſſe *viâ Collatinâ ad milliariam* VIII, *paluſtribus locis.* priori autem loco *Collatinam viam* ad *ſextum* ab Româ *milliarium ſiniſtrorſum* ponit à *Præneſtinâ viâ*, intra mille circiter paſſus. Fuit igitur *Collatina via* media Præneſtinam inter & Tiburtinam; ſive inter Præneſtinam & lævam Anienis ripam. & quia

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

quia ad ſextum ab Vrbe lapidem mille tantùm paſſus à Præneſtinâ abfuit, haud dubiè ipſa etiam *porta Collatina* propinqua fuit Eſquilinæ; unde initium ducebat via Præneſtina; teſte Strabone lib. v. De cætero Strabonis verba eodem lib. v hæc ſunt: Κολλατία δ' ἦν καὶ Ἀντέμναι, καὶ Φιδῆναι, καὶ ἄλλα τοιαῦτα, τότε μὲν πολίχνια, νῦν δὲ κῶμαι, κτήσεις ἰδιωτῶν, ἀπὸ λ' ἢ μ' μικρῷ πλειόνων τῆς Ῥώμης σταδίων. Id eſt: *Erant autem Collatia, Antemnæ, Fidenæ, aliaque id genus tunc equidem opidula, nunc verò vici, privatorum prædia,* XXX *aut* XL *paullo plus ab Româ ſtadiis diſſita.* Ergo *via Collatina* etiam ultra opidi Collatiæ locum extenſa fuit Frontini tempeſtate. nam ſtadia XXX ſunt millia tantùm III paſſus ƆCCL; ſtadia verò XL, millia paſſuum V. Ex intervallo igitur V ampliùs millium, tum ex viæ Collatinæ ductu, ipſa *Collatia* deprehenditur fuiſſe in iis collibus ſeu tumulis, qui inter viam Præneſtinam ſternuntur & lævam Anienis ripam; quà pars aquæ Crabræ (hæc vulgò nunc dicitur *La Marana*) Anieni miſcetur, ad ſextum ferè ab Vrbe lapidem. Hinc trans Anienem ad proximos *Corniculos* colleis IIII circiter ſunt millia paſſuum. hinc Dionyſius lib. III; ubi de Apiolis & Cruſtumeriâ ac Nomento opidis, à Tarquinio Priſco captis, narravit; οἱ δὲ τὴν καλουμένην Κολλατίαν κατοικοῦντες, ἐπεχείρησαν μὲν ἐλθεῖν διὰ μάχης πρὸς τὰς Ῥωμαίων δυνάμεις· καὶ διεπέμποντο πρὸς τὰς Λατίνων πόλεις αἰτούμενοι συμμαχίαν. * . * . Μετὰ δὲ τὴν Κολατίας παράδοσιν, ἐπὶ τὸν καλούμενον Κορνίκολον ὁ βασιλεὺς ἐςράτευσεν. ἦν δὲ καὶ αὕτη τοῦ Λατίνων ἔθνους ἡ πόλις. Id eſt: *Collatini repugnare Romanis conati ſunt. dimiſſisque nunciis, Latinorum ſolicitabant auxilia:* Mox: *Poſt Collatiæ deditionem rex adversùs Corniculum expeditionem fecit; & ipſum Latini nominis opidum.* Ergo *Collatia* etiam Livio inter ſuprà recitata *de priſcis Latinis, aut qui ad Latinos defecerant, capta opida* erat numeranda. quamvìs numquàm ſatis clarè neque è Livio neque è Dionyſio diſpexeris, quæ ex illis Sabinorum quæ Latinorum fuerint. Nos etiam ea, quæ citra Anienem fuerunt, heic in Sabini agri deſcriptione exponimus, quia poſteà ſeparatim in ſuo Latio numquàm ſatis commodè indicari queant. Sed prope Romam fuiſſe *Collatiam*, ut teſtatur Strabo, non autem longè interiùs in Sabinorum trans Anienem finibus; patet ex ipſius Livii hiſtoriâ eodem lib. I; ubi de Lucretiâ, L. Tarquinii Collatini uxore, narrat. *Tentata*, inquit, *res eſt, ſi primo impetu capi Ardea poſſet. Vbi id parum proceſſit; obſidione munitionibusque cœpti premi hoſtes. In iis ſtativis ſatis liberi commeatus erant: primoribus tamen magis, quàm militibus. regii quidam juvenes interdum ocium conviviis commeſſationibusque inter ſe tenebant. Fortè potantibus his apud Sex. Tarquinium, ubi & Collatinus cænabat Tarquinius, Egerii filius, incidit de uxoribus mentio: ſuam quisque laudare miris modis. inde certamine accenſus Collatinus, negat verbis opus eſſe: paucis id quidem horis poſſe ſciri, quantum cæteris præſtet Lucretia ſua. quin, ſi vigor juventæ ineſt, conſcendimus equos; inviſimusque præſentes noſtrarum ingenia? idque cuique ſpectatiſſimum ſit, quod necopinato viri adventu occurrerit oculis. Incaluerant vino. age ſanè; omnes citatis equis advolant Romam. quò quum primis ſe intendentibus tenebris perveniſſent; pergunt inde Collatiam. ubi Lucretiam, haudquaquàm ut regias nurus, quas in convivio luxuque cum æqualibus videbant tempus terenteis; ſed nocte, deditam lanæ inter lucubranteis ancillas, in medio ædium ſedentem inveniunt.* Eamdem hiſtoriam carmine exſequitur Ovidius Faſtor lib. II. Ciceronis tempore adhuc exſtitiſſe *Collatiam*, ipſe teſtis eſt in oratione primâ contra Rullum de Lege agrariâ. *Opidorum*, inquit, *finitimorum illam copiam cum hac per riſum ac per jocum contemnent. Labicos, Fidenas, Collatiam, ipſum Herclè Lanuvium, Ariciam, Tuſculum, cum Calibus, Teano, Neapoli, Puteolis, Cumis, Pompeiis, Nuceriâ, comparabunt.* Sed & Strabo poſt Ciceronem teſtatur, dicto lib. v, ſuo ævo exſtitiſſe quidem *Collatiam*, verùm κώμην tantùm, id eſt, *vicum*.

ANTEMNAE *opidum.*

ANTEMNAE quoque *opidum*, ſive, ut quidam habent auctores, ſingulari numero ANTEMNA, cis Anienem à Latinis fuit conditum atque denominatum; ſi Varroni credimus. is quidpe de Lingvâ Latinâ lib. IIII, *Opidum*, inquit, *Interamna dictum, quòd inter amneis eſt conſtitutum. item Antemnæ, quòd ante amnem, qui influit in Tiberim. quod in bello malè acceptum, conſenuit.* A Varrone haud dubiè habuit Servius ad Aeneid. lib. VII iſta: *Antemnæ dictæ ſunt, quòd eas amnis præterfluit; quaſi ante amnem poſitæ.* Et Feſtus: *Interamnæ & Antemnæ dictæ ſunt, quòd inter amneis ſint poſitæ, vel ante ſe habeant amneis.* Ergo Latinum id fuit nomen, ab Latinis inditum conditoribus: quibus, reſpectu Latii ſui, *ante amnem*, id eſt, cis amnem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Anienem opidum erat poſitum. Hinc Dionyſius lib. V: Καμερῖνοι καὶ Ἀντεμνᾶται, οἱ τοῦ Λατίνων μετεῖχον γένους· id eſt: *Camerinos atque Antemnateis; qui eiusdem cum Latinis erant generis*. Et anteà lib. II: Καινίνη μὲν δὴ καὶ Ἄντεμνα, πόλεις οὐκ ἄσημοι, γένος ἔχουσαι τὸ Ἑλληνικόν. Ἀβοριγῖνες γὰρ αὐτὰς ἀφελόμενοι τοὺς Σικελοὺς κατεῖχον. Id eſt: *Erant Cænina & Antemna, urbes haud ignobiles; à Græcis oriundæ. eas enim, Siculis ademptas, tenebant Aborigines*. Hinc Silius lib. VIII:

——— *Antemnaque priſco*
Cruſtumio prior.

Ergo Aborigines, qui poſtea Latini dicti ſunt, antiquum opidi nomen, quod Siculi impoſuerant, in ſuæ lingvæ vocabulum *Antemnas* mutarunt. Situm eius quod attinet, paullum is remotus fuit ab ipſo Anienis confluente: ut ex Dionyſii lib. III patet: ubi de Sabinorum Etruſcorumque caſtris ad Tiberis Anienisque confluenteis, lævæ Anienis ripæ adpoſitis, Tarquinii verò regis caſtris paullo ſupra illa ad eamdem amnis ripam locatis, narrat. quam hiſtoriam ſuprà in Fidenarum explicatione attúlimus. In eâ quia nulla *Antemnarum* fit mentio; ſatis certum eſt, remotiori eas loco à dictis confluentibus fuiſſe ſitas. Neque tamen longiùs inde fuêre diſſitæ, quàm uti unà cum *Cæninenſibus* atque *Cruſtumerinis*, conterminis ſuis, proximæ urbi Romæ bellum intulerint; utque intra XXX illa Strabonis ſtadia ad Anienis ſiniſtram ripam conſtiterint; id eſt, intra IV ferè lapidem. Livius lib. I: *Multi mortales convenêre, ſtudio etiam videndæ novæ urbis* [Romæ;] *maximè proximi quique, Cæninenſes, Cruſtumini, Antemnates. jam Sabinorum omnis multitudo cum liberis ac conjugibus venit*. Et poſt raptum Sabinarum: *Cæninenſes Cruſtuminique & Antemnates erant, ad quos eius injuriæ pars pertinebat. lentè agere iis Tatius Sabinique viſi ſunt*. Dionyſius dicto lib. II anteà: Ἦσαν δ' αἱ πρῶται πόλεις ἄρξασαι τοῦ πρὸς αὐτὸν πολέμου Καινίνη καὶ Ἄντεμνα καὶ Κρουστομερία. Hoc eſt: *Primæ bellum ei intulerunt urbes, Cænina, Antemna, Cruſtumeria*. Fuit igitur *Antemna* inter Nomentanam Tiburtinamque vias, apud lævam Anienis ripam. unde rectè etiam Strabo dicto lib. V: Οἱ γὰρ ὄντες ᾤκουν καθ' αὑτοὺς, συνάπτοντες πρὸς τοῖς τείχεσι τῆς κτιζομένης πόλεως· Κολλατία δ' ἦν καὶ Ἄντεμναι, καὶ Φιδῆναι· id eſt: *Qui enim tum circa ea loca erant, ii pro ſe quique ſeorſim habitabant; mœnia urbis Romæ, quæ tum condebatur, contingentes. erant autem Collatia, Antemnæ, Fidenæ*. Atque tam vicinæ Sabinis quum forent *Cænina Antemnæ*que, Sabinis eas adſcripſerunt alii auctores; à quibus id habuit Plutarchus in Romulo; ut ſuperiore capite diximus. Cæterùm Dionyſius *Antemnas* & *Cæninam* οὐκ ἀσήμους πόλεις fuiſſe pronunciat, id eſt, *urbeis haud ignobileis*. & Virgilius Aeneid. lib. VII ita canit:

Quinque adeò magnæ, poſitis incudibus, urbes
Tela novant, Atina potens, Tiburque ſuperbum;
Cruſtumerîque, & turrigeræ Antemnæ.

At contrà Strabo dicto lib. V πολίχνια τότε, *opidula tunc* fuiſſe tradit. quod longè ſimilius eſt veri. nam certum heic quoque in tam anguſtis finibus, quod paſſim Livius de aliis urbibus monet; *Vt tum res erant*: & maximè dicto lib. I; *Ardeam Rutuli habebant; gens, ut in eâ regione atque in eâ ætate, divitiis præpollens*.

CAENINA *opidum*.

CAENINA igitur etiam circa eâdem loca Latinorum fuit opidum, Dionyſio Livioque teſtibus, modò citatis. quod & ipſum ob eamdem vicinitatem alii, in quibus eſt Plutarchus in Romulo, Sabinis adſcripſerunt. Stephani epitomator: Καινίνη, πόλις Σαβίνων, ἣ ὑπὸ Ῥωμύλου ἁλοῦσα. τὸ ἐθνικὸν Καινίται. Id eſt: *Cænina, opidum Sabinorum; quod Romulus cepit. gentilitium Cænitæ*. Sic equidem apud Dionyſium quoque idem opidanorum vocabulum ſæpiùs repetitur. verùm non ab opidi vocabulo, ſed ab auctoris ſui nomine ſic dictos fuiſſe incolas, haud obſcurè ex Pompeio Feſto colligitur. *Cenina*, inquit, *urbs, quæ fuit vicina Romæ; à Cenite conditore adpellata*. At Plutarcho in Marcello ſunt Καινινῆται, & in Romulo Κενινῆται. nam variaſſe primam ſyllabam priſcos jam inde homines, exemplaria auctorum nobis perſvadent. quidpe qui inde opidani Livio lib. I ſunt CENINENSES, apud Florum lib. I cap. I, & Eutropium lib. I, auctoremque de Viris illuſtribus in Romulo, leguntur CAENINENSES. quamquàm non deſint horum omnium auctorum exemplaria, quæ & ipſa habent *Ceninenſes*. Longam fuiſſe primam ſyllabam antiquis Romanis, patet ex Ovidii verſu Faſtor. lib. II:

Te Tatius parvæque Cures Cæninaque ſenſit.

Item

Item ex his Propertii lib. IIII eleg. XI:

Tempore quo portas Cæninum Acrona petentem
Victor in everſum cuſpide fundis equum.
Acron Herculeus Cæninâ ductor ab arce,
Roma, tuis quondam finibus terror erat.

Quapropter genuinam hanc vocem apud Livium Plutarchumque in Romulo grammaticorum exſcriptorum vitio corruptam cenſeo. Feſtus ſanè grammaticus ſuum *Cenina* inter alias voces à *Ce* incipienteis refert. Apud Strabonem dicto lib. V ita ſcriptum eſt: Κολλατία δ' ἦν καὶ Ἀντέμναι καὶ Φιδῆναι, Λαβίνιον, καὶ ἄλλα τοιαῦτα, τότε μὲν πολίχνια, νῦν δὲ κῶμαι, κτήσεις ἰδιωτῶν, ἀπὸ λ' ἢ μ' μικρῷ πλειόνων τῆς Ῥώμης σταδίων. Id eſt: *Erant autem Collatia, Antemnæ, Fidenæ, Lavinium, aliaque id genus tunc quidem opidula, nunc verò vici, privatorum prædia, XXX aut XL paullo ampliùs ſtadiis ab Româ disſita.* Interpres equidem poſterior haud dubitavit, quin legendum eſſet Λαβίνιον· atque ita Latinè *Lavinium* vertit: quamquàm id opidi nomen Straboni cùm in hoc lib. V tum in lib. VI haud ſemel ſcribatur Λαουίνιον. at commentator eius, cætera vir doctiſſimus, maluit reponere Λαβικοί, *Labici*. uterque ſanè haud modicè à rectâ viâ aberrarunt: quum utrumque opidum ad XVIII circiter millia, ab urbe Româ disſita fuerint: ut infra lib. III cap. III & IIII oſtendetur. Ego verò ſcripſiſſe Strabonem cenſeo, Κολλατία δ' ἦν καὶ Ἀντέμναι καὶ Φιδῆναι καὶ Καινῖνον, καὶ ἄλλα τοιαῦτα τότε πολίχνια. id eſt: *Erant autem, Collatia, & Antemnæ atque Fidenæ, ac Cæninum, & alia huiusmodi tunc opidula.*

CAMERIA, MEDVLLIA, & AMERIOLA, opida.

Sed & CAMERIA, ſimulque MEDVLLIA & AMERIOLA, eodem cum Cæninâ Antemniſque tractu cis Anienem in dubio Sabinorum Latinorumque confinio poſita fuiſſe opida videntur. Plinius lib. III cap. V: *In Latio præterea fuêre clara opida, Cænina, Ficana, Cruſtumerium, Ameriola, Medullia, Corniculum.* Livius lib. I: *Bello Sabino perfecto, Tarquinius triumphans Romam rediit. Inde priſcis Latinis bellum fecit. Corniculum, Ficulea vetus, Cameria, Cruſtumerium, Ameriola, Medullia, Nomentum, hæc de priſcis Latinis, aut qui ad Latinos defecerant, capta opida.* Dionyſius lib. II: Ἦν δὲ Ἀλβανῶν ἀποικισις ἡ Καμερία, πολλοῖς χρόνοις ἀποσταλεῖσα πρότερον τῆς Ῥώμης· τὸ δ' ἀρχαῖον Ἀβοριγίνων οἴκησις ἐν τοῖς πάνυ ἐπιφανής. Id eſt: *Cameria autem ab Albanis condita erat colonia; multo antè, quàm Roma. antiquitus autem Aboriginum fuit domicilium cum primis nobile.* Et lib. III; ubi de *Cruſtumeriâ, Nomento, Collatiâ, & Corniculo*, à Tarquinio Priſco captis opidis, narravit: Πρῶτον μὲν οὖν Φιδηναῖοι προσέθεντο ἐπὶ συγκειμένοις τισὶ δικαίοις, ἔπειτα οἱ Καμαρῖνοι. Id eſt: *Primi igitur Fidenates certis quibusdam condicionibus ſe Romanis adjunxerunt: dein Camerini.* Lib. V: Συνήρατο δ' αὐτῷ τοῦ πολέμου ὁ Ταρκυνίου γαμβρὸς, Ὀκταούϊος Μαμίλιος, ἐκ πόλεως ὁρμώμενος Τύσκλου, Καμερῖνους μὲν καὶ Ἀντεμνάτας, οἳ τοῦ Λατίνων μετεῖχον γένους, ἅπαντας ἐπαγόμενος. Id eſt: *In eius belli ſocietatem ſe obtulit Octavius Mamilius, Tarquinii gener, è Tuſculo eductis copiis: Camerinis etiam & Antemnatibus, Latini generis populis, unà adſumptis.* Eodem libro poſteà; ubi Tarquinii Superbi filius bellum Sabinum Romanis concitavit: Καὶ προσήγαγε δύο πόλεις, Φιδήνην καὶ Καμερίαν, Ῥωμαίων μὲν ἀποστῆσαι, ἐκείνοις δὲ συμμαχεῖν πείσας. Id eſt: *Duas inſuper civitates, Fidenates, & Cameriam, à Romanorum ſocietate in Sabinorum partes pertraxit.* Aliquanto pòſt: ὁ δὲ ἕτερος τῶν ὑπάτων Οὐεργίνιος ἐπὶ τὴν Καμερίνων πόλιν ἐστράτευσεν, ἄγων τὴν ἡμίσειαν τῆς στρατιᾶς, φράσας δ' οὐδενὶ, ποῦ μέλλει προάγειν, καὶ διὰ νυκτὸς διανύσας τὴν ὁδὸν, ἵνα ἀπαρασκευάστοις καὶ μὴ προειδόσι τὴν ἔφοδον τοῖς ἔνδον ἐπιθῆται· ὅπερ καὶ συνέβη. γενόμενος γὰρ πλησίον τοῦ τείχους ἅπαντας ἔλαθεν ἔτι τῆς ἡμέρας διαυγαζούσης. Hoc eſt: *Alter conſulum Verginius contra Camerinos duxit dimidiam partem exercitus. & nemine ſciente, quónam iter faceret, noctu emenſus eſt viam; ut imperatos ſuique adventus ignaros opidanos opprimeret. quod & factum eſt. priùs enim, quàm ſentiretur, jam ad mœnia erat diluculo.* Ergo nec ab urbe Româ neque à Sabinorum finibus procul abfuit *Cameria*. Vocabulum eius ut heic apud Dionyſium, ſic apud Plutarchum quoque in Romulo variatur; modò Καμερία, modò Καμαρία, perſcriptum. hoc tamen è Dionyſio citat Stephani epitomator: cui opidani inde Καμαρῖνοι. qui haud dubiè apud Dionyſium lib. V vitioſo vocabulo leguntur Καμαρηναῖοι, apud Plutarchum in Romulo, Καμάριοι. Apud Tacitum Annal. lib. XI opidi nomen genere neutro eſt CAMERIVM. Claudii imperatoris illic verba referuntur iſta: *Neque enim ignoro, Iulios Albâ, Coruncanios Camerio,*

merio, Porcios Tuſculo, in ſenatum accitos. *Coloniam* huc Romanorum miſſam à Ro-
mulo, poſtquàm opidum cepiſſet, auctor eſt Dionyſius dicto lib. II. De Me-
dvllia ita tradit idem Dionyſius initio libri III: Πόλις Μεδυλλία, ἣν Ἀλβανοὶ
μὲν ἔκτισαν, Ῥωμύλος δὲ κατὰ συνθήκας παραλαβὼν, Ῥωμαίων ἐποίησεν ἄποικον. Id eſt:
Opidum Medullia, quod Albani olim condiderant; Romulus verò, per deditionem ac-
ceptum, coloniam Romanorum fecit. Lib. II; poſt captas à Romulo *Ceninam*, *An-*
temnas, & *Cruſtumeriam*: Καὶ πόλεις ὅλαι παρεδίδοσαν ἑαυτὰς, ἀπὸ τῆς Μεδυλλίων ἀρξά-
μεναι. Id eſt · *Integræque civitates in fidem eius ſeſe tradebant; facto initio à Medul-*
linis. Dicto lib. III poſteà: Μίαν δὲ πόλιν ἐκ τοῦ Λατίνων ἔθνους Μεδυλλίαν, πολὺν ἤδη πρότερον
ἔτι ἀποικίαν γενομένην ἐπὶ τῆς Ῥωμύλου ἀρχῆς, μεταθεμένην αὖθις ὡς τοὺς ὁμοεθνεῖς, πολιορ-
κίᾳ παραστησάμενος ὁ τῶν Ῥωμαίων βασιλεὺς, ἔπεισε μηδὲν ἔτι νεωτερίζειν. Id eſt: *Vnum La-*
tini nominis opidum Medulliam, quò jam dudum, regnante Romulo, colonia deducta fue-
rat, rex, quia rurſus ad gentem ſuam transierat, obſidione captum, à novandis in poſte-
rum rebus abſterruit. Et lib. VI: Σαβῖνοι δὲ πάλιν ἐπὶ Ῥωμαίους στρατείαν ἐξάγειν μείζονα
παρεσκευάζοντο· καὶ Μεδυλλῖνοι, Ῥωμαίων ἀποστάντες, πρὸς τὸ Σαβίνων ἔθνος ὅρκους ἐποιήσαντο
περὶ συμμαχίας. Hoc eſt: *Sabini rurſus contra Romanos maiorem, quàm antè, parabant*
exercitum: & Medullini quoque defecerunt; icto cum Sabinis ſocietatis fœdere. Vel
ex hoc igitur adparet, in confinio eos incoluiſſe Sabinorum. Ameriola quoque
eodem circa Anienem tractu à Sabinis condita nominataque poteſt videri; quan-
do *Ameriam* etiam trans Narem, Vmbriæ poſteà opidum, ab initio Sabini tenue-
runt; ut ſuperiori capite oſtenſum. Sed hactenus de dubiis generis opidis circa A-
nienem amnem ſatis diſſertum.

Nomentvm *opidum.*

Paullo remotius ab Aniene Nomentvm quoque *opidum* Virgilius Liviusque ac
Dionyſius Latino nomini adſcribunt: Plinius lib. III cap. V eidem Latio; capite
verò XII Sabinis. Verùm hoc inde factum, quòd & ipſe in antiquiorum temporum
hiſtoricis *Nomentanos* Latinos legerat; ſuâ verò ætate Sabinorum nomini ac fini-
bus inſertos ſciret. Apud Virgilium lib. VI ita Anchiſes Aeneæ filio apud inferos
de Albanis regibus vaticinatur:

Hi tibi Nomentum & Gabios urbemque Fidenam,
Hi Collatinos imponent montibus arceis.

Hinc Dionyſius lib. V, ubi narrat, omneis populos, ὅσοι τοῦ Λατίνων μετεῖχον γένους, id
eſt, *quotquot Latini eſſent generis*, commune contra Romanos bellum ſuſcepiſſe,
inter alios nominat *Nomentanos* etiam. libro autem II, Ἦν δὲ, inquit, ἡ Φιδήνη
Ἀλβανῶν ἀποικίσις, καθ' τὸν αὐτὸν οἰκισθεῖσα Νωμέντῳ τε καὶ Κρουστομερίᾳ χρόνον, τριῶν ἀδελ-
φῶν τῆς ἀποικίας ἡγησαμένων· ὧν ὁ πρεσβύτατος τὴν Φιδήνην ἔκτισεν. Id eſt: *Fidenam Al-*
bani condiderant, eodem, quo Nomentum & Cruſtumeriam, tempore; tribus fratribus co-
lonias deducentibus: quorum natu maximus Fidenam condidit. Hinc item Livius lib I:
Bello Sabino perfecto, Tarquinius triumphans Romam rediit. Inde priſcis Latinis bellum
fecit. Corniculum, Ficulea vetus, Cameria, Cruſtumerium, Ameriola, Medullia, No-
mentum: hæc de priſcis Latinis, aut qui ad Latinos defecerant, capta opida. Et lib. VIII,
annis circiter CCLX pòſt; in conſulatu L. Furii Camilli ac C. Mænii; anno urbis
Romæ CCCCXVI: *Nec quievêre antè, quàm, expugnando aut in deditionem accipiendo*
ſingulas urbeis, Latium omne ſubegêre. Statim: *Camillus de Latinis populis ad ſenatum*
retulit. Haud multo pòſt: *Princeps ſenatus relationem conſulis de ſummâ rerum laudare:*
ſed, quum aliorum cauſa alia eſſet; ita expediri poſſe conſilium, dicere, ut pro merito cuius-
que ſtatueretur, ſi de ſingulis nominatim referrent populis. Relatum igitur de ſingulis, de-
cretumque. Lanuvinis civitas data: ſacraque ſua reddita cum eo, ut ædes locusque hoſpitæ
Iunonis communis Lanuvinis municipibus cum populo Romano eſſet. Aricini Nomenta-
nique & Pedani eodem jure, quo Lanuvini, in civitatem accepti. At Virgilius, licèt
dicto lib. VI *Nomentum* Latinis conditoribus tribuat; tamen lib. VII inter Sabino-
rum opida enumerat; ut ſuperiori capite relatum eſt. Ptolemæus id unà cum *Fide-*
nis Latio adſcripſit. Plinius lib. III cap. XII ita tradit: *Sabinorum Amiternini, Cu-*
renſes, Forum Decii, Forum Novum, Fidenates, Interamnates, Nurſini, Nomentani,
Reatini. Situm opidi complures haud obſcurè indicarunt ſcriptores. Strabo lib. V:
Σαβῖνοι στενὴν οἰκοῦσι χώραν, διήκουσαν ἀπὸ τοῦ Τιβέρεως καὶ Νωμέντου πολίχνης μέχρι Οὐηστί-
νων. Id eſt: *Sabini anguſtam incolunt regionem, à Tiberi ac Nomento opidulo ad Veſti-*
nos usque porrectam. Livius lib. IIII: *Fidenates, Veientium exercitu accito, transière*
Anienem;

Anienem; atque haud procul Collinâ portâ ſigna habuêre. Mox: *Dictator omneis luce primâ extra portam Collinam adeſſe jubet. quibuscumque vires ſuppetebant ad arma ferenda, præſtò fuêre. Quæ quum agerentur, hoſtes in loca altiora conceſſêre. eò dictator agmine infeſto ſubit. nec procul Nomento ſignis collatis fudit Etruſcas legiones. compulit inde in urbem Fidenas; valloque circumdedit.* Ergo *Nomentum* haud procul Salariâ viâ, ultra Fidenas. Plinius lib. XIIII cap. IIII: *In Nomentano agro, decimi lapidis ab Vrbe diverticulo.* In Tabulâ itinerariâ ab urbe Româ viâ Salariâ ad *Eretum* usque XIIII ſunt millia paſſuum: viâ autem Nomentanâ, quæ media eſt inter Salariam & Tiburtinam, ad *Nomentum* usque totidem: hinc verò *Tibur*, VIIII millia. At Regino, inferioris ſæculi auctor, inter Romam & Nomentum XII tantùm tradit eſſe milliaria. Strabo dicto lib. V: ἔστρωται δὲ διὰ τῶν Σαβίνων ἥ τε Σαλαρία ὁδὸς, οὐ πολλὴ οὖσα, εἰς ἣν καὶ ἡ Νωμεντανὴ συμπίπτει κατὰ Ἤρητον τῆς Σαβίνης κώμην, ὑπὲρ τοῦ Τιβέρεως κειμένην, ἀπὸ τῆς αὐτῆς πύλης ἀρχομένη τῆς Κολλίνης. Id eſt: *Strata eſt per Sabinos via Salaria, non longa; in quam Nomentana incidit apud Eretum, Sabinorum vicum, Tiberi imminentem, ab eâdem portâ incipiens Collinâ.* Ex hoc ſimulque ex aliis, quæ mox proferam, documentis adparet, *Eretum* eſſe id opidum, quod haud procul Tiberis ripâ in edito colle vulgò nunc adpellatur *Monte Ritondo*. à quo Romam usque XII vulgò hodiè numerant milliaria; ſed tam imparibus intervallis, uti re verâ ego XIII deprehenderim. Ab hoc opido mille ampliùs paſſus versùs orientem abeſt aliud opidum, cui vulgare vocabulum *Lamentano*; à quo itidem XII Romam usque numerantur millia; quot Regino habet inter Romam & *Nomentum*. Ex hoc igitur intervallo, ſimulque ex ſitu & vocabuli ſimilitudine, *Lamentanum* deprehenditur eſſe vetus illud *Nomentum*: à quo *via Nomentana* poſt mille ampliùs paſſus incidebat in Salariam apud *Eretum*. Huc adde & illud argumentum, quòd hodiéque à *Lamentano* Tibur usque, quod vulgò eſt *Tivoli*, VIII numerantur millia: pro quibus Tabula itineraria habet VIIII. Apud Stephani epitomatorem ita ſcriptum eſt: Νώμεντος, πόλις οὐ πόῤῥω Ῥώμης. τὸ ἐθνικὸν Νωμεντῖνος. Διονύσιος ἐν δευτέρῳ Ῥωμαϊκῆς ἀρχαιολογίας. Id eſt: *Nomentus, opidum haud procul Româ. gentilitium Nomentinus. Dionyſius Antiquit. Romanar. lib. II.* Omnino ſcripſerat Stephanus Νωμεντανὸς, *Nomentanus*; ut omnes pariter Latini habent auctores; tum ipſe Dionyſius lib. V, & item Strabo lib. V. At idem Stephani breviator anteà ita habet: Λώμεντος, πόλις Ἰταλίας, ἣν καὶ Λώρεντον φασιν. Hoc eſt: *Lomentus, opidum Italiæ; quod & Lorentum vocant.* Nihil certius, quàm ſummum heic commiſiſſe errorem, ſive epitomatorem Stephani, ſeu ipſum Stephanum. *Nomentum* haud dubiè poſteriori ſæculo dictum fuit *Lomentum*. unde poſteà factum derivativum vocabulum *Lomentanum*; quod hodierna vulgi ſimplicitas quaſi à *lamentando* dicit *Lamentano*. Sed & aliud eſt huic loco indicium apud Strabonem dicto lib. V, omnium luculentiſſimum. Ἐν δὲ τῷ πεδίῳ, inquit, τούτῳ ὁ Ἀνίων διέξεισι, καὶ τὰ Ἄλβουλα καλούμενα ῥεῖ ὕδατα ψυχρὰ ἐκ πολλῶν πηγῶν, πρὸς ποικίλας νόσους καὶ πίνουσι καὶ ἐγκαθημένοις ὑγιεινά. τοιαῦτα δ᾽ ἐστὶ καὶ τὰ Λάβανα, οὐκ ἄπωθεν τούτων ἐν τῇ Νωμεντανῇ καὶ τοῖς περὶ Ἤρητον τόποις. Hoc eſt: *Planitiem, per quam Anio delabitur, Albulæ etiam perfluunt aquæ frigidæ, multis fontibus exortæ; ad varios morbos potæ aut pro balneo uſurpatæ remedium præbentes. Tales ſunt quoque haud procul inde Labanæ aquæ in agro Nomentano & circa Eretum.* Hæ quoque AQVAE LABANAE medicatæ hodiéque viſuntur apud *Lamentanum* versùs *Montem Rotundum*, quamvìs nunc diminutæ ac uligine obrutæ, marinamque quamdam in ſalſedinem corruptæ: unde vulgaris eis adpellatio *I Bagni di Grotta marozza*. Vocabulum opidi quod attinet; omnibus id quidem Græcis auctoribus in primâ ſyllabâ ſcribitur per *ω* Νώμεντον, & ita apud claſſicos quoque Latinorum ſcriptores per *o* longum; quod ex ſuprà ſcriptis Virgilii verſibus adparet, & item ex Martialis lib. VI epigr. XLIII, lib. VII epigr. XCII, lib. X epigr. XLII, lib. XII epigr. LVII, lib. XIII, epigr. XV & XLII, ac CXVIIII. At poſterioris ævi ſcriptores, *o* mutato in *u*, fecêre *Numentum*, *Numentanus*; quaſi ab *numinis* voce quæſito opido nomine.

AQVAE LABANAE.

ERETVM igitur *opidum*, ſive *vicus*, qui Virgilio, Livio, Dionyſio, Valerio Maximo, Straboni, Solino, Itinerariis Romanis, Servio, ac Stephani epitomatori memoratur, quamvìs ex ſuprà citatis ſatis jam clarè patet eſſe id opidum, quod haud procul Tiberis ripâ in edito colle vulgò nunc dicitur *Monte Ritondo*; tamen

ERETVM opidum, ſeu vicus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

aliis etiam documentis ſitum hunc ei adſerere conabimur. Strabonis verba paullo antè è lib. v citavimus iſta: Ἔστρωται δὲ διὰ τῶν Σαβίνων ἥ τε Σαλαρία ὁδὸς, οὐ πολλὴ οὖσα, εἰς ἣν καὶ ἡ Νωμεντανὴ συμπίπτει κατ' Ἤρητον, τῆς Σαβίνης κώμην, ὑπὲρ τοῦ Τιβέρεως κειμένην, ἀπὸ τῆς αὐτῆς πύλης ἀρχομένη τῆς Κολλίνης. Hoc eſt: *Strata eſt per Sabinos via Salaria, non longa; in quam Nomentana incidit apud Eretum, Sabinorum vicum, Tiberi imminentem, ab eâdem portâ incipiens Collinâ.* Diſertè depinxit ipſum ſitum, dum ait κώμην ὑπερκειμένην τοῦ Τιβέρεως, *vicum ſupernè imminentem Tiberi*: non verò, πρὸς τῷ Τιβέρει, *apud Tiberim*. In *Salariâ* autem *viâ* etiam ab Itinerariis ponitur; quæ ſic habent:

Tabulæ;		Antonini;	
A Româ viâ Salariâ:		*Viâ Salariâ ab Vrbe:*	
Fidenis		|	
Ereto	XIIII.	*Ereto*	XVIII.
Ad Novas	XIIII.	*Vico Novo*	XIIII.
Reate	XVI.	*Reate*	XVI.

Ab *Reate*, quod vulgò nunc eſt *Riéti*, ad Tiberim & prædictum opidum *Monte Ritondo* milliaria hodiè numerantur vulgò incolis XXV. at eorum quædam tam longa ſunt, uti in univerſum juſta millia paſſuum XXX, quæ habent Itineraria Romana, impleant. A *Monte Ritondo* Romam XII hodiè, ut ſuprà dixi, numerantur milliaria. ſed & ipſa tam disparibus ſpaciis, uti re verâ ſint millia paſſuum XIII. Hinc igitur liquidò patet, in Tabulâ *Fidenarum* vocabulo nullum adſcriptum fuiſſe millium numerum: apud Antoninum verò, ad *Eretum* primum I corruptum eſſe in V. Atque ut duo hæc itineraria inter ſe diſcrepant, ſic unus Dionyſius à ſe ipſo longè diſſentire videtur. quidpe lib. III, Γίνεται δ' αὐτῶν, inquit, περὶ πόλιν Ἤρητον ἀπὸ σταδίων ἑπτὰ καὶ ἑκατὸν τῆς Ῥώμης ἀγών. id eſt: *Pugnatum eſt ad Eretum, centeſimo ſeptimo ab Româ ſtadio*. libro autem XI, Ἐν Ἠρήτῳ, inquit, καθεστρατοπέδευσαν. διέστηκε δὲ ἀπὸ τῆς Ῥώμης ἡ πόλις αὕτη στάδια τεσσαράκοντα καὶ ἑκατὸν, πλησίον οὖσα Τιβέρεως ποταμοῦ. hoc eſt: *Ad Eretum caſtra poſuêre: quod opidum* CXL *ſtadiis ab Româ abeſt, prope Tiberim amnem ſitum*. Hæc quoque ſitus deſcriptio rectè in *Montem Rotundum* quadrat. At ſtadia CVII ſunt paſſuum millia XIII paſſus CCCLXXV: qui numerus haud ita longè abeſt ab illis XIIII millibus Tabulæ; propiùs autem ad XIII millia adcedit, quæ ego hoc itinere obſervavi. ſtadia verò CXL ſunt millia XVII & paſſus IↃ: qui numerus ferè idem eſt cum Antonini XVIII millibus. At quis credat, graviſſimum diligentiſſimumque auctorem tam exiguo intervallo in tantum à ſe ipſo potuiſſe diſſentire? quis credat, eum, qui annos XXII, ut ipſe teſtatur in præfatione operis, Romæ egit, verum germanumque inter Romam locumque tam propinquum ſpacium ignoraſſe? Poſteriorem numerum ab incurioſis exſcriptoribus vitiatum eſſe; certum eſt. Cæterùm Livius quoque, lib. XXVI in viâ Salariâ *Eretum* ponit, inter Reate & Romam. *Cælius Romam euntem*, inquit, *ab Ereto divertiſſe eò Hannibalem tradit. iterque eius ab Reate Cutiliisque & Amiterno orditur*. Idem auctor lib. III: *Conſul Nautius ad Eretum cum Sabinis egregiè pugnat*. Et eodem libro poſteà: *Fuſi & ab Sabinis ad Eretum & in Algido ab Aequis exercitus erant. Ab Ereto per ſilentium noctis profugi, propiùs Vrbem inter Fidenas Cruſtumeriamque loco edito caſtra communierant*. Nomen opidi unde dictum ſit, haud perinde conſtare puto; licèt id quidam auctores antiqui indicare voluerint. Servius ad Virgilii Aeneid. lib. VII commentans; *Eretum opidum*, inquit, *eſt dictum* ἀπὸ τῆς Ἥρας, *id eſt, à Iunone; quæ illic colitur*. Apud Solinum cap. VIII ita legitur: *Heretum à Græcis [conſtitutum,] in honorem Heræ (ſic enim Iunonem Græci vocant) Ariciam ab Archilocho Siculo: unde & nomen, ut Caſſio Heminæ placet, tractum*. Id miror, ſcholiaſtas Solini mendum in his verbis hactenus nôn oſtendiſſe. Quomodò, quæſo, *Aricia ab Archilocho Siculo nomen traxit?* Nugæ. Tu ſic ordinato: *Heretum à Græcis in honorem Heræ: ſic enim Iunonem Græci vocant: unde & nomen, ut Caſſio Heminæ placet, tractum, Aricia ab Archilocho Siculo*. Adſpirationem equidem huic vocabulo in nullis neque Græcorum neque Latinorum auctorum exemplaribus adpoſitam reperio. utrâque tamen

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

men ſyllabâ etiam apud Latinos fuiſſe *e* longum, ut Græcis ſcribitur Ἤρητον, teſtis eſt princeps Latinorum poëtarum Virgilius Aeneid. lib. VII, his verſibus:

Vnà ingens Amiterna cohors, priſcique Quirites;
Ereti manus omnis, oliviferæque Mutuſcæ.

Inter antiquiſſima equidem ac præcipua Sabinorum opida, quorum incolæ rebus Aneæ intervenerint, recenſet *Eretum* Virgilius: quod Caſſii Heminæ ſententiam confirmare videtur. quidpe ſi à Græcis conditum fuit; *Pelaſgi* eius atque *Aborigines* ante bellum Troianum Aeneæque in Italiam adventum fuêre conditores. *Lacones*, qui à Spartâ in Sabinos veniſſe credebantur, trecentis annis poſt dictum bellum, Lycurgo Lacedæmoniis leges ferente, eò pervenerint. Ac tantâ quum fuerit antiquitate ſimul ac dignitate hic locus; haud dubium eſſe poteſt, quin ſub regibus etiam Romanis πόλις exſtiterit, id eſt, *urbs*, ſeu *opidum*; ut vocatur Dionyſio ſuprà dictis libris III & XI. Eodem lib. III. Τελευταία, inquit, ἡ Ῥωμαίων μάχη πρὸς Τυῤῥηνῶν ἐγένετο πόλεως Ἠρήτου πλησίον ἐν τῇ Σαβίνων γῇ. Id eſt: *Vltima Romanis pugna cum Etruſcis fuit prope opidum Eretum, in Sabinorum agro.* Et lib. V: Συνελθόντες ὁμόσε, ἔνθεν τε σὺν χάρακας ἀμφότεροι, μικρὸν ἀπέχοντας ἀλλήλων, Ἠρήτου πόλεως, ἣ τοῦ Σαβίνων ἐστὶν ἔθνους, οὐ πρόσω. Hoc eſt: *Caſtra collata ſunt ad Eretum, Sabinorum gentis opidum, modico intervallo à ſe invicem diſtantia.* At ſub imperatoribus Romanis in vici formam fuiſſe redactum, diſertis verbis teſtantur Valer. Maximus atque Strabo. quorum ille lib. II cap. IIII: *Pueros*, inquit, *ad ripam Tiberis protinus detulit. habitabat enim in villâ ſuâ propter vicum Sabinæ regionis Eretum.* Sed hic de ſuperioris temporis re geſtâ loquitur. Strabo igitur, dicto lib. V, de ſuâ ætate, Τρηβοῦλα δὲ, inquit, καὶ Ἤρητον, καὶ ἄλλαι κατοικίαι τοιαῦται, κῶμαι μᾶλλον ἢ πόλεις ἐξετάζοιντ' ἄν. Id eſt: *Trebula verò & Eretum, aliaque id genus opidula, vicis rectiùs, quàm opidis, adnumeraveris.* Et paullo poſt: Ἡ Νωμεντανὴ ὁδὸς συμπίπτει εἰς τὴν Σαλαρίαν κατὰ Ἤρητον τῆς Σαβίνης κώμην· id eſt: *Nomentana via incidit in Salariam apud Eretum, Sabinæ regionis vicum.* Hæc igitur cauſa videtur fuiſſe, cur neque Plinio neque Ptolemæo locus is memoratus ſit. Opidani inde olim, ac poſteà vicani, dicebantur ERETINI. Stephani breviator: Ἤρητος, πόλις Σαβίνων, τὸ ἐθνικὸν, Ἠρητῖνος. id eſt: *Eretus, opidum Sabinorum. gentilitium, Eretinus.* Hinc, quum poſterioribus temporibus vulgari incolarum lingvâ locus diceretur *Monte Eretino*; tandem rudi vulgi ſimplicitate, qua omneis reliquas Orbis genteis, quoad ſermonem patrium, mirum in modum ſuperant hodiéque Itali, factum *Monte Ritondo*: quaſi à *rotunditate* collis, cui opidum ſuperſtructum, nomen ei quæſitum.

De cætero SILVA hoc tractu Sabini agri fuit MALITIOSA cognominata. Livius lib. I: *Hac fiduciâ virium Tullus Sabinis bellum indicit.* Mox: *Quum bellum utrimque ſummâ ope pararent; & verti in eo res videretur, utri priùs arma inferrent; occupat Tullus in agrum Sabinum tranſire. pugna atrox ad ſilvam Malitioſam fuit.* Pleraque equidem manu ſcripta exemplaria id ſilvæ vocabulum ita perſcriptum referunt: nonnulla verò habent *Malicuſam*; & quædam *Maliciam*. at fuiſſe *Malitioſam* dictam; quam vocem quidam exſcriptores Livii feciſſe videntur *Malicioſam*; patet è Dionyſio; apud quem lib. III in eâdem hiſtoriâ ita ſcriptum: Συνῆκτο δὲ καὶ τοῖς Σαβίνοις ἤδη τὰ στρατεύματα· καὶ ἐπειδὴ πλησίον ἐγένοντο περὶ τὴν καλουμένην ὕλην κακούργων, ὀλίγον τὸ μεταξὺ χωρίον ἀφέντες, κατεστρατοπεδεύσαντο. Id eſt: *Iam & Sabini in unum convenerant: quumque alteris alteri propinquaſſent, ad Malitioſorum, quam vocant, ſilvam caſtra metati ſunt, modico relicto interſtitio.* Sed incertum, quo ſitu ſilva hæc fuerit. SILVA MALITIOSA.

Vltra Eretum Nomentumque fuit & REGILLVM *opidum*, ſive plurali numero REGILLI; Livio, Dionyſio, Svetonio, atque Stephani epitomatori memoratum. ſed & huic ſitus nullus certus adſignari poteſt. quamquàm ſint inter Farfarum Cureſiumque amneis, V circiter millia paſſuum à Tiberi, antiqui cuiuſdom opidi reliquiæ. De *Regillo* ita Livius lib. II: *Seditio inter belli pacisque auctores orta in Sabinis, aliquantum inde virium transtulit ad Romanos. namque Appius Clauſus, cui poſteà Appio Claudio fuit Romæ cognomen, quum, pacis ipſe auctor, à turbatoribus belli premeretur, nec par factioni eſſet; ab Regillo magnâ clientium comitatus manu, Romam transfûgit. His civitas data agerque trans Anienem.* Dionyſius lib. V: Ἀνήρ τις ἐκ τοῦ Σαβίνων ἔθνους, πόλιν οἰκῶν Ῥήγιλλον, εὐγενὴς καὶ χρήμασι δυνατὸς, Ἄππιος Κλαύδιος, αὐτομολεῖ πρὸς Ῥωμαίους. * — * · Χώραν αὐτῷ ἡ βουλὴ προσέθηκεν ἐκ τῆς δημοσίας, τὴν μεταξὺ Φιδήνης καὶ Πικετείας. REGILLVM *opidum.*

φιμελείας. Id eſt: *Vir quidam Sabinæ gentis, qui Regilli habitabat, genere nobilis & opibus pollens, Appius Claudius, transfugit ad Romanos.* Mox: *Agrum ei ſenatus ex publico dedit inter Fidenam & Ficuleam.* Svetonius in Tiberio, cap. I: *Patricia gens Claudia orta eſt ex Regillis, opido Sabinorum.* Opidani inde ſunt eidem Svetonio mox cap. II REGILLIANI. *Claudius Appius,* inquit, *Regillianus, decemvir.* At iidem dici potuerunt REGILLENSES. habet enim Livius lib. IIII *M. Poſthumium Regillenſem;* lib. V *A. Poſthumium Regillenſem,* & lib. VI *A. & L. Poſthumios Regillenſeis:* qui id cognominis habuêre ab *Regillo* lacu; apud quem contra Latinos pugnavit A. Poſthumius dictator, qui inde primus cognominatus *Regillenſis;* ut infra lib. III cap. IIII oſtendetur.

Porrò prædium fuiſſe in Sabinis Horatio, auctor eſt Svetonius in vitâ eius, his verbis: *Vixit plurimùm in ſeceſſu ruris ſui Sabini, aut Tiburtini. domusque eius oſtenditur circa Tiburni luculum.* Sed unicum Sabinum anteà poſſediſſe, ipſe fatetur Carm. lib. III odâ I:

Cur valle permutem Sabinâ
Divitias operoſiores?

Et item lib. II carm. XVIII:

——— *Nil ſupra*
Deos laceſſo: nec potentem amicum
Largiora flagito;
Satis beatus unicis Sabinis.

Ad quem locum ita habent vetera ſcholia: *Vnico fundo in Sabinis à Mæcenate accepto, ſe ſatis divitem & beatum prædicat.* Hunc autem fundum ita deſcribit Epiſtolar. lib. I epiſt. XVI, quæ eſt ad Quinctium:

Ne percuncteris, fundus meus, optime Quincti,
Arvo paſcat herum, an baccis opulentæ olivæ;
Pomisne & pratis, an amictâ vitibus ulmo:
Scribetur tibi forma loquaciter & ſitus agri.
Continui montes; niſi diſſocientur opacâ
Valle. ſed, ut veniens dextrum latus adſpiciat Sol;
Lævum diſcedens curru fugiente vaporet.
Temperiem laudes. Quid, ſi rubicunda benignè
Corna vepres & pruna ferant; ſi quercus & ilex
Multâ fruge pecus, multâ dominum juvet umbrâ?
Dicas, adductum propiùs frondere Tarentum.

BLANDVSIA *fons.*

Fons etiam rivo dare nomen idoneus; ut nec
Frigidior Thracam nec purior ambiat Hebrus;
Infirmo capiti fluit utilis, utilis alvo.
Hæ latebræ dulces, etiam, ſi credis, amœnæ
Incolumem tibi me præſtant Septembribus horæ.

Fontem ita deſcribit dicto Carm. lib. III odâ XIII:

O fons Blanduſiæ, ſplendidior vitro,
Dulci digne mero, non ſine floribus
Cras donaberis hœdo:
Cui frons, turgida cornibus
Primis, & Venerem & prœlia deſtinat
Fruſtra. nam gelidos inficiet tibi
Rubro ſangvine rivos,
Laſcivi ſuboles gregis.
Te flagrantis atrox hora Caniculæ
Neſcit tangere. tu frigus amabile
Feſſis vomere tauris
Præbes, & pecori vago.
Fies nobilium tu quoque fontium,
Me dicente cavis impoſitam ilicem
Saxis; unde loquaces
Lymphæ deſiliunt tuæ.

Ad

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Ad quæ ita prædicta ſcholia antiqua: *Blanduſiæ fonti ſacrificium promittit in agro Sabino; ubi villam poſſidebat.* Eumdem fundum memorat Carm. lib. I odâ XVII; ad Tyndaridem:

LVCRETILIS *mons; in quo* VSTICA, *villa Horatii.*

Velox amœnum ſæpè Lucretilem
Mutat Lycæo Faunus, & igneam
Defendit æſtatem capellis
Vsque meis, pluviosque ventos.

Mox:

—— Nec virideis metuunt colubros
Nec Martialeis hœdilia lupos:
Vtcumque dulci, Tyndari, fiſtulâ
Valles & Vſticæ cubantis
Lævia perſonuêre ſaxa.

Et iterum:

Heic in reductâ valle Caniculæ
Vitabis æſtus.

Ad hæc prædicta ſcholia: *Lucretilis mons eſt in Sabinis. Vſtica, nomen montis & vallis in Sabinis. eum autem cubantem ſvaviter dixit, ad reſupinam regionem attendens. ſic enim & in Epiſtolis; Continui montes; niſi disſocientur opacâ valle. Cubantis; depreſſæ: ut; —— Megarosque ſinus Tapſumque jacentem.* Et Pompeius Feſtus: *Lucretilis, mons in Sabinis.* De eodem prædio ſic etiam canit dicto lib. I epiſt. XVIII, quæ eſt ad Lollium:

DIGENTIA *rivus.*

Quid minuat curas, quid te tibi reddat amicum;
Quid purè tranquillet: honos, an dulce lucellum;
An ſecretum iter, & fallentis ſemita vitæ.
Me quoties reficit gelidus Digentia rivus,
Quem Mandela bibit, rugoſus frigore pagus,
Quid ſentire putas? quid credis, amice, precari?

MANDELA *pagus.*

Blondus, & qui eum ſequuti, *Digentiam* hunc *rivum* interpretantur eum, qui inter Farfarum & Galantinum amneis vulgari nunc adpellatione dicitur *Rio del Sole*, ab ortu ad occaſum versùs in Tiberim defluens: *pagum*que *Mandelam* volunt eſſe opidum huic rivo adpoſitum, vulgò *Poggio Murteto* dictum. Verùm quomodò vallis, quam hic rivus medius tranſit,

—— veniens dextrum latus adſpiciat Sol,
Lævum discedens curru fugiente vaporet,

minimè equidem video; quum ex ortu in occaſum ſit protenſa. nec reliquam totius loci deſcriptionem ſatis perpendiſſe illi mihi videntur. Apud Anaſtaſium, qui Vitas pontificum Romanorum conſcripſit, in vitâ Silveſtri, qui ſub Conſtantino Magno fuit papa, ita ſcriptum eſt: *Poſſeſſio in territorio Sabinenſi, quæ cognominatur ad Duas caſas, ſub monte Lucretio.* Haud dubiè hic MONS LVCRETIVS idem eſt, qui LVCRETILIS MONS dicitur Horatio. Hodiéque opidulum eſt, haud ita procul dextrâ Cureſii amnis ripâ, in colle ſitum, unde ei nomen vulgare *Monte Libretti*. id jam dudum nonnulli viri docti ob nominis ſimilitudinem haud inſcitè judicarunt eſſe *Montem Lucretilem* Horatii. facilis quidpe ſimplici vulgo lapſus ex *Lucretio* in *Lucretti*; atque ex hoc porrò in *Libretti*. nec reliqua omnia, quæ de fundo ſuo narrat Horatius, ab hoc ſitu abhorrent. quidpe *fons* oritur ſub opido ex *cavis ſaxis*, quibus *ilices impoſitæ*, *frigidus*, *purus*, *vitro ſplendidior*, *rivoque dare nomen idoneus*; imò *gelidum* per *opacam vallem* fundens *rivum*; *fons*, quem *flagrantis atrox hora Caniculæ neſcit tangere*: quia nemus, ex *quercubus & ilicibus* conſtans, *reductam vallem* tegit; ac *frigus amabile præbet*; & *igneam defendit æſtatem* ſubeuntibus, *pluviosque ventos*. defluit autem fons atque rivus ab ſeptemtrionibus ad meridiem versùs, in dextram Cureſii ripam: ita, uti *vallis opacæ*

—— veniens dextrum latus adſpiciat Sol,
Lævum discedens curru fugiente vaporet.

Ex quo ſitu atque naturâ loci liquidò deprehenditur FONS hic eſſe Horatii BLANDVSIA; RIVVS verò DIGENTIA: *quem* MANDELA *bibebat* circumjectus PAGVS, *frigore rugoſus*; id eſt, totus tractus ſive fundus Horatianus. neque enim

apud

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

apud bonos auctores, reperias vocem *pagi* pro *vico* uſurpatam: ut illi intellexerunt, qui *Mandelam pagum* interpretati ſunt præſcriptum opidum *Poggio Murteto*. VSTICA autem dicebatur *villa* Horatii in ſummâ *valle* iſtâ *Sabinâ*, ad fontem Blanduſiam, *lævi* depreſſoque *ſaxo* impoſita. Antiquus heic ſcholiaſtes haud módicè erravit; dum *Vſticam* interpretatus eſt *montem* ſimul & *vallem*. namque diſertè poëta inter *vallem* & *Vſticam cubantem* per particulam disjunctivam *&* diſtinxit: montem autem ipſum adpellavit *Lucretilem*; teſte ipſo ſcholiaſte, & item Feſto Pompeio. Quòd ſi verò, uno *Vſticæ* nomine & montem & vallem Horatium intellexiſſe, iſti grammatico credimus; *cubantis* etiam vocem ad montem referendam eſſe fateamur. quod perquàm abſurdum fuerit. quis enim umquàm montem dixit *cubantem*, ſive, ut ipſe ſcholiaſtes interpretatur, *depreſſum*, *reſupinum* atque *jacentem*. nam *Thapſus* in Siciliâ ad *Megarenſem ſinum*, quam Virgilius Aeneid. lib. III præſcriptis verbis, quæ ſcholiaſtes refert, memorat, eſt peninſula *plana*, ut inquit ad eum poëtæ locum Servius, *& penè fluctibus par*: cui & ipſi opidum erat ſuperſtructum; ut Siciliæ lib. I cap. XI oſtenſum eſt. Verùm verba Horatii planiora ſunt, quàm uti tam prolixâ diſſertatione egeant. Cæterùm in hunc *Lucretilis montis* ac *villæ Vſticæ* ſitum rectè reſpondet *Soractis*, montis celſiſſimi, adſpectus: qui, in Etruſcâ Tiberis ripâ apud Treiæ confluentem Civitatemque Caſtellanam poſitus, à dicto opido *Monte Libretti* ad XX circiter millia paſſuum totus conſpicitur. unde Horatius Carm. lib. I odâ VIIII, Thaliarchum, puerum ſuum, ita adfatur:

Vides, ut altâ ſtet nive candidum
Soracte; nec jam ſuſtineant onus
Silvæ laborantes; geluque
Flumina conſtiterint acuto?
Diſſolve frigus, ligna ſuper foco
Largè reponens. atque beigniùs
Deprome quadrimum Sabinâ,
O Thaliarche, merum dietâ.

Vacvnae fanum. De reliquo VACVNAE conſecratum fuiſſe iſtud circa *Blanduſiam fontem rivumque Digentiam* NEMVS, ſimulque FANVM ſive SACELLVM in eo ſitum, ipſe teſtis eſt Epiſtolar. lib. I, epiſt. X; quæ eſt *ad Fuſcum Ariſtium*.

Vrbis amatorem Fuſcum ſalvere jubemus
Ruris amatores.
Tu nidum ſervas: ego laudo ruris amœni
Rivos, & muſco circumlita ſaxa, nemusque.

Tandem:

Hæc tibi dictabam poſt fanum putre Vacunæ,
Excepto, quòd non ſimul eſſes, cætera lætus.

Quæ autem hæc fuerit *dea Vacuna*, mox infrà cognoſcemus.

Cvres urbs. Porrò ultra hoc Horatii prædium, versùs Narem amnem, fuit opidum, caput quomdam Sabinorum, quod Græcis auctoribus ſingulari numero Κύρις, CVRIS, Latinis plurali CVRES ſemper dictum. Virgilius Aeneid. lib. VI; ubi Anchiſes Aeneam filium apud inferos adfatur:

——— *Noſco crineis incanaque menta*
Regis Romani; primus qui legibus urbem
Fundavit; Curibus parvis & paupere terrâ
Miſſus in imperium magnum.

Ovidius Faſtor. lib. II:

Te Tatius parvique Cures Cæninaque ſenſit.

Et Faſtorum lib. III:

Intumuêre Cures, & quos dolor attigit idem.

Item Faſtor. lib. VI:

Nomina terna fero: ſic voluêre Cures.

Propertius lib. III eleg. X:

Sic Sancum Tatiæ compoſuêre Cures.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Statius Silvar. lib. IIII carm. V:

Nunc in paternis ſedibus & ſolo
Veiente; nunc frondoſa ſupra
Hernica; nunc Curibus vetuſtis.

Cicero Familiar. lib. XV epiſt. XX: *Modeſtus eius vultus ſermoque conſtans habere quidquam à Curibus videbatur. Sed de Sabino ſatis.* Virgilius Aeneid. lib. VIII:

Romulidis Tatioque ſeni Curibusque ſeveris.

Stephani epitomator: Κύρις, μητρόπολις Σαβίνων. *Curis, caput Sabinorum.* Strabo lib. V: Κύρις νῦν κώμιόν ἐστι. *Curis nunc exiguus eſt vicus.* Dionyſius verò Halicarnaſſenſis lib. II quum & ipſe eodem ſingularis numeri utatur vocabulo, ex Catonis Varronisque, Latinorum auctorum, monumentis citat Κύρεις. Scilicet vocalis *u* apud Latinos tum eamdem habebat vim eumdemque ſonum, quem apud Græcos υ, quemque etiam nunc apud Gallofrancos, Anglos, Germanosque inferiores obtinet. unde opidani, qui Plinio lib. III cap. XII & Feſto ſunt CVRENSES, ab initio dicti fuêre ex Græco ſermone CVRITES, & Latinâ formatione QVIRITES; vocali *v* in proximè adfinem *i* converſâ: quod in aliis etiam factum compluribus Latini ſermonis vocibus. Virgilius Aeneid. lib. VII; ubi populos Sabini agri enumerat:

Ecce; Sabinorum priſco de ſangvine, magnum
Agmen agens Clauſus.
Vna ingens Amiterna cohors; priſcique Quirites;
Ereti manus omnis, oliviferæque Mutuſcæ.
Qui Nomentum urbem, qui Roſea rura Velini,
Qui Tetricæ horrenteis rupes, montemque Severum,
Caſperiamque colunt, Forulosque, & flumen Himellæ.
Qui Tiberim Fabarimque bibunt; quos frigida miſit
Nurſia, & Hortinæ claſſes, populique Latini;
Quosque ſecans infauſtum interluit Allia nomen.

Ad quem locum ita commentatur Servius: *Priſcique Quirites. id eſt Sabini. Priſci autem ideò, quia poſt fœdus Tatii & Romuli placuit, ut quaſi unus de duobus fieret populus. unde Romani Quirites dicti ſunt; quod nomen Sabinorum fuerat à civitate Curibus: & Sabini à Romulo Romani dicti ſunt.* Non omnis Sabinorum gens dicta fuit *Quirites*; ſed *Curium* tantùm incolæ; qui Plinio Feſtoque dicuntur *Curenſes*. *Priſcos* autem hos dixit poëta *Quirites*, ad discrimen Romam incolentium Romanorum; qui, poſtquàm *Sabini Quirites* in partem habitationis civitatisque recepti, & ipſi perpetuò dicti ſint *Quirites*. Sabinos autem *Quirites* magis à *Romulo*, quàm ab urbe *Româ*, quam incolebant, dictos fuiſſe *Romanos*, ridiculum creditu eſt. At Varro, de Lingvâ Latinâ lib. IIII, *Collis Quirinalis*, inquit, *ubi Quirini fanum: qui à Curetibus, qui cum T. Tatio Curibus venerunt Romam; quòd ibi habuerunt caſtra.* Sic equidem exſcriptores grammatici genuinam Varronis vocem *Curitibus* corruperunt; quum notius illis eſſet ſacrum illud *Curetum* ſive *Corybantum* genus hominum, quàm Sabinorum *Curitium*. Feſtus: *Matronæ Iunonis Curitis in tutelâ ſunt.* Et: *Quirites dicti & Sabini à Curi deâ; cui aquâ & vino ſacra facere ſoliti erant. quos tamen quidam à curiis dictos volunt; in quibus ab his ei ſacra fiebant. cui opinioni Verrius adverſatur. Ab eiusdem autem deæ nomine videntur item cures Sabinæ haſtæ adpellatæ; quibus ea gens armis potens. Nunc & Sabini & Romani populi ſingulare uſurpatur nomen: ut indicio eſt preco; qui in funeris indictivis ita pronunciare ſolet: Ollus Quiris leto datus. Quirites autem dicti poſt fœdus à Romulo & Tatio percuſſum, communionem & ſocietatem populi factam indicant. Quirinalis collis qui nunc dicitur, olim Agonus adpellabatur, antequàm in eum commigrarent Sabini, Curibus venientes poſt fœdus inter Romulum & Tatium ictum: à quo hanc adpellationem ſortitus eſt. quamvìs exiſtiment quidam, quòd in eo factum ſit templum Quirini, ita dictum. Quirina tribus à Curenſibus Sabinis adpellationem videtur traxiſſe.* item: *Dici mos erat Romanis in omnibus ſacrificiis precibusque, Populo Romano Quiritibusque; quod eſt Curenſibus: quæ civitas Sabinorum potentiſſima fuit.* Columella præfatione operis de Re ruſticâ: *Veteres illi Sabini Quirites atavique Romani.* Plutarchus in Romulo: Ἐκ τούτου σώζεται, οἰκεῖν κοινῇ τὴν πόλιν Ῥωμαίους καὶ Σαβίνους· καὶ

νους· καὶ καλεῖσθαι μὲν Ῥώμην ἐπὶ Ῥωμύλῳ τὴν πόλιν, Κυρίτας δὲ Ῥωμαίους ἅπαντας ἐπὶ τῇ Τατίου πατρίδι. Id eſt: *Pax ita inter eos convenit, ut communem haberent Romani Sabinique urbem: urbs verò à Romulo adpellaretur Roma: Romani autem omnes à Tatii patriâ Curites.* Et in Numâ: Ἦν δὲ πόλεως ὁ Νουμᾶς ἐπιφανοῦς ἐν Σαβίνοις τῆς Κυριτῶν· ἀφ' ἧς Κυρίτας Ῥωμαῖοι σφᾶς αὐτοὺς ἅμα τοῖς ἀνακηρυχθεῖσι Σαβίνοις προσηγόρευσαν. Id eſt: *Erat Numa è celebri in Sabinis civitate Curitum oriundus; à qua Curites ſe ipſos Romani unà cum receptis Sabinis nuncuparunt.* Strabo lib. v: Κύρεις, ἐξ ἧς ὡρμῶντο οἱ τῆς Ῥώμης βασιλεύσαντες, Τίτος Τάτιος καὶ Νουμᾶς Πομπίλιος. ἐντεῦθεν δὲ καὶ Κυρίτας ὀνομάζουσιν οἱ δημιουργοῦντες τοὺς Ῥωμαίους. Hoc eſt: *Curis; ex quâ profecti, qui Romæ regnarunt, T. Tatius & Numa Pompilius. Hinc etiam, qui ad populum concionantur, Curites adpellant Romanos.* Latino ore dixeris *Quirites* & *Quiritium*. ſic quidpe à *Tarcone* Ταρκώνιοι dicti Græcis, Latinis facti ſunt *Tarquinii*: & Latinorum *Aquila*, *Aquileia*, *Aquitania*, Græcis formata ſunt, Ἀκύλας, Ἀκυλήϊα, Ἀκυτανία, & id genus complura alia. Apud Stephani epitomatorem ita ſcriptum eſt: Κούριοι, ἔθνος Σαβίνων, πολεμήσαν Ῥωμαίοις· Χάραξ ιβ'. οἱ Φυλέται, Κουρῖται. καὶ οἱ Ῥωμαῖοι Κουρῖτες πρὸς ἐκείνου ἐκλήθησαν. Id eſt: *Curii, populus Sabinorum, qui cum Romanis bellum geſſerunt; auctore Charace lib.* XII. *Fyletæ, Curitæ. Romani etiam Curites ab eo adpellati ſunt.* Locus ſanè totus mendoſus eſt. ſcripſerat haud dubiè Stephanus; Κούριοι, ἔθνος Σαβίνων. * · οἱ πολῖται Κουρῖται. καὶ οἱ Ῥωμαῖοι Κουρῖτες πρὸς ἐκείνων ἐκλήθησαν. Id eſt: *Curii, populus Sabinorum. Opidani, Curitæ. Romani quoque Curites ab illis adpellati ſunt.* De origine urbis ita ſcriptum apud Dionyſium lib. II: Περὶ δὲ τῆς Κυριτῶν πόλεως τοσαῦτα παρελάβομεν· Ἐν τῇ Ῥεατίνων χώρᾳ, καθ' ὃν χρόνον Ἀβοριγῖνες αὐτὴν κατεῖχον, παρθένος τις ἐπιχωρία τοῦ πρώτου γένους εἰς ἱερὸν ἦλθεν Ἐνυαλίου χορεύσουσα· τὸν δὲ Ἐνυάλιον οἱ Σαβῖνοι, καὶ παρ' ἐκείνων οἱ Ῥωμαῖοι μαθόντες, Κυρῖνον ὀνομάζουσιν. ἐν δὲ τοῦ θεοῦ τῷ τεμένει χορεύουσα ἡ παῖς ἔνθεος ἄφνω γίνεται· καὶ καταλιποῦσα τὸν χορὸν, εἰς τὸν σηκὸν εἰστρέχει τοῦ θεοῦ. ἔπειτα ἐγκύμων ἐκ τοῦ δαίμονος, ὡς ἅπασιν ἐδόκει, γενομένη, τίκτει παῖδα, Μόδιον ὄνομα, Φαβίδιον ἐπίκλησιν. ὃς ἀνδρωθεὶς, μορφήν τε οὐ κατ' ἄνθρωπον, ἀλλὰ δαιμόνιον ἴσχει, καὶ τὰ πολέμια πάντων γίνεται λαμπρότατος. καὶ αὐτὸν εἰσέρχεται πόθος οἰκίσαι πόλιν ἀφ' ἑαυτοῦ. συναγαγὼν δὴ χεῖρα πολλὴν τῶν περὶ ἐκεῖνα τὰ χωρία οἰκούντων, ἐν ὀλίγῳ πάνυ χρόνῳ κτίζει τὰς καλουμένας Κύρεις, ὡς μέν τινες ἱστοροῦσιν, ἐπὶ τοῦ δαίμονος, ἐξ οὗ γενέσθαι αὐτὸν λόγος εἶχε, τοὔνομα τῇ πόλει θέμενος· ὡς δ' ἕτεροι γράφουσιν, ἐπὶ τῆς αἰχμῆς· κύρεις γὰρ οἱ Σαβῖνοι τὰς αἰχμὰς καλοῦσιν. ταῦτα μὲν οὖν Τερέντιος Οὐάρρων γράφει. Κάτων δὲ Πόρκιος πρώτην τῶν Σαβίνων οἴκησιν ἀποφαίνει γενέσθαι κώμην τινὰ καλουμένην Τεστρίναν, ἀγχοῦ πόλεως Ἀμιτέρνης κειμένην· ἐξ ἧς ὁρμηθέντας ἅμα σὺν Σαβίνους εἰς τὴν Ῥεατίνην ἐμβαλεῖν, Ἀβοριγίνων τότε κατοικούντων, καὶ πόλιν αὐτῶν τὴν ἐπιφανεστάτην Κοτυλίας πολέμῳ χειρωσαμένους κατασχεῖν. ἐκ δὲ τῆς Ῥεατίνης ἀποικίας ἀποστείλαντας, ἄλλας τε πόλεις κτίσαι πολλὰς, ἐν αἷς οἰκεῖν ἀτειχίστοις, καὶ δὴ καὶ τὰς προσαγορευομένας Κύρεις. Id eſt: *De Curitum urbe ſic accepimus. In Reatino agro, quo tempore Aborigines eum tenebant, virgo quædam indigena, primario genere nata, Enyalii templum ad choros celebrandos intraverat. hunc Sabini, hosque ſequuti Romani, Quirinum indigetant. In huius dei fano ſaltans puella, repentè divino furore correpta, chorum deſeruit: & in ſacrarium dei curſu ſe proripuit. dein à loci genio compreſſa, ut vulgò creditum eſt, puerum edidit, nomine Modium, cognomine Fabidium. Is virilem ætatem ingreſſus, & formâ ſupra hominem fuit, & in re militari longè clariſſimus evaſit. quumque captus eſſet condendæ urbis cupidine; magnâ ex finitimis agris multitudine collectâ, intra perbreve tempus Cureis condidit; impoſito urbi nomine, ut quidam arbitrantur, à genio, cuius dicebatur filius; aut, ut alii malunt, ab haſtâ. quidpe haſtas Sabini vocant cureis. Atque hæc equidem Terentius Varrò tradit. At Porcius Cato primam Sabinorum ſedem fuiſſe ait vicum quemdam, Teſtrinam nomine, haud procul urbe Amiternâ ſitum. unde expeditione factâ, Reatinum agrum invaſiſſe, Aboriginibus tunc habitatum; urbemque eorum nobiliſſimam Cutilias armis occupaſſe. miſſisque è Reatino agro coloniis, inter alia opida compluria, ſed immunita, Cureis quoque condidiſſe.* Pomponius Sabinus ad Virgilii Aeneid. lib. I ſic commentatur: *Sabini Enyalium colunt, quem Romani Quirinum dicunt: incertum, an Mars, an alius deus bello præſidens. huius templi puella cuſtos peperit puerum, qui Medius Fidius adpellatus eſt. is quum adolevit, condidit Cureis, Sabinorum urbem. Hæc Varro.* Sive ex ipſius Varronis aliquo exemplari hæc habuerit Pomponius Sabinus; ut multa etiam alia ex eo paſſim citat, quæ hodiè non exſtant: ſive ex ipſo hoc Dionyſio loco aliiſque auctoribus, quos ſuperiori capite citavimus, hanc compoſuerit hiſtoriam; certè

legen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

legendum eſt apud Dionyſium, Μέδιον ὄνομα, Φίδιον ἐπίκλησιν. Ovidius Faſtor. lib. II ita canit:

Proxima lux vacua eſt. at tertia dicta Quirino.
Qui tenet hoc nomen, Romulus antè fuit.
Sive, quòd haſta quiris priſcis eſt dicta Sabinis,
Bellicus à telo venit in aſtra deus:
Sive ſuo regi nomen poſuère Quirites;
Seu quia Romanis junxerat ille Cures.

Servius ad prædictum Aeneid. lib. I: *Romulus ideò Quirinus dictus eſt, quòd haſtâ utebatur; quæ Sabinorum linguâ curis dicitur. haſta enim, id eſt, curis, telum longum eſt: unde & ſecuris; quaſi ſemicuris.* Feſtus loco præſcripto: *Matronæ Iunonis Curitis in tutelâ ſunt: quæ ita adpellabatur à ferendâ haſtâ; quæ linguâ Sabinorum curis dicitur.* Macrobius Saturnalior. lib. I cap. VIIII: *In ſacris invocamus Ianum Quirinum, quaſi bellorum potentem; ab haſtâ; quam Sabini curim vocant.* Ergo ipſius etiam nomen urbis feminino uſurpandum eſt genere: ut Propertius dict. lib. III eleg. X habet;

Sic Sancum Tatiæ compoſuère Cures.

Vnde apud Ovidium quoque illud *parvique*, dicto Faſtor. lib. II, emendo;

Te Tatius parvæque Cures Cæninaque ſenſit.

Cæterùm ex prædictâ fabulâ ſumma urbis antiquitas adparet. quam ante ipſum Romanæ urbis nomen, non à Sabinis, ſed à Pelaſgis atque Aboriginibus, qui in unam gentem tunc recèns conjuncti novo nomine dicebantur *Latini*, conditam fuiſſe, infrà lib. III cap. II in urbis Romæ explicatione patebit. Stephani epitomator, ut ſuprà relatum, diſertè μητρόπολιν τῶν Σαβίνων adpellat; id eſt, *caput gentis Sabinorum*. id haud obſcurè quidem Cato quoque & Varro apud Dionyſium innuunt. at clariùs ipſe Dionyſius eodem libro II anteà: Μετὰ δὲ ταῦτα οἱ Σαβῖνοι, ἀγορὰν ποιησάμενοι παμπληθῆ ἐν τῇ μεγίστῃ τε πόλει καὶ πλεῖστον ἀξίωμα ἐχούσῃ τοῦ ἔθνους, ἣ Κύρεις ὄνομα ἦν, ψῆφον ὑπὲρ τοῦ πολέμου διήνεγκαν, ἀποδείξαντες ἡγεμόνα τῆς στρατιᾶς Τίτον, ὃς ἐκαλεῖτο Τάτιος, βασιλέα Κυριτῶν. Hoc eſt: *Poſt hæc Sabini, indicto in maximam, quæque caput gentis erat, urbem Curium concilio, communi ſuffragio bellum decernunt; duce conſtituto Tito Tatio, Curitum rege.* Et lib. III, in regno Anci Marcii, quarti Romanorum regis, iidem Σαβῖνοι Κυρῖται memorantur, πόλιν οἰκοῦντες εὐδαίμονα καὶ μεγάλην· *urbem incolentes opulentam atque magnam.* Hinc Plutarcho etiam, in prædicto Numâ, πόλις ἐπιφανὴς ἐν Σαβίνοις vocatur; id eſt, *urbs in Sabinis celebris atque nobilis.* & Strabo dicto lib. V, Κύρεις δ᾽, inquit, νῦν μὲν κώμιόν ἐστιν, ἦν δὲ πόλις ἐπίσημος· hoc eſt; *Curis nunc quidem vicus eſt tenuis; at olim urbs fuit illuſtris.* Poëticum igitur illud eſt apud Virgilium atque Ovidium; ubi *parvæ* adpellantur *Cures, terrâ paupere*. Verùm *parvæ* erant fingendæ, quò commodè ritéque cum tenuibus Romanæ urbis initiis, quæ fabuloſo tribuuntur Romulo, conferri poſſent. Si non primam originem, ſaltem maximum hinc poſt initia traxiſſe augmentum Romam, infrà dicto lib. III cap. II patebit. Nunc ſitus *Curium* indicandus. Eſt hodiè monaſteriolum, haud procul Himellæ amnis (*L'Aia* nunc adcolis vocatur) ripâ, vulgari adpellatione *Il Veſcovio di Sabina*, id eſt, ſi Latinè interpreteris, *Epiſcopatus Sabinenſis*; mille paſſus ab opido *Sèlici*, bis mille paſſus ab opido *Torri* diſtans. ad quem locum ingentia conſpiciuntur ſatis amplæ quondam urbis rudera: mœnium, turrium, aquæductuum inſignes reliquiæ: atque in medio earum baſis prægrandis ex lapide quadrato conſtructa: cui olim dei alicuius vel imperatoris ſtatua impoſita fuiſſe videtur. Antiquarum eſſe Curium reliquias, Gregorii Magni diſertiſſimo adfirmatur teſtimonio; quod Epiſtolar. ex Regeſtro lib. II cap. LVIIII huiusmodi eſt: *Gregorius Gratioſo, epiſcopo Nomentano. Curam committit eccleſiæ S. Anthemii. Fraternitati tuæ curam gubernationemque S. Anthemii eccleſiæ, in Curium Sabinorum territorio conſtitutæ, prævidimus committendam; quam tuæ adgregari unirique neceſſe eſt.* Scripſit, *in Curium Sabinorum territorio*; quia *Cures* opidum, ſive, ut Strabo vocat, κώμιον, *exiguus vicus*, jam tum totus deſtructus erat. Veteris *viæ Salariæ* heic & circa prædictum opidum *Silices* etiamnunc cernuntur veſtigia. Hinc Martyrologia Romana: *Quinto Idus Maii, Romæ viâ Salariâ, natalis beati Anthimii presbyteri.* Etiam paullo longiùs diſſita loca ipſius urbis Romanæ titulo tribuere, iſtis Martyrologiis perquàm vulgare eſt. Ab hoc verò loco Romam usque XXV ampliùs ſunt millia paſſuum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

CASPERIA *opidum.*

Porrò ſupra Cures, circa fonteis eiusdem amnis Himellæ opidum nunc vulgari vocabulo dicitur incolis *Aſpra*: prope quod itidem ingentia antiquæ urbis conſpiciuntur veſtigia. ea haud dubiè fuit CASPERIA illa Virgilio, & diminutivo vocabulo CASPERVLA Virgilii imitatori Silio memorata. Docet hoc hodierni vocabuli ſimilitudo. quod adſimili modo demptâ literâ C effertur, ut in Aequiculis dicitur *Arſuli* & *Arſeoli* opidum, quod olim fuit *Carſuli* & *Carſeoli*; ut ſuo loco oſtendetur. Virgilii verſus Aeneid. lib. VII ſunt iſti:

Vnà ingens Amiterna cohors, priſcique Quirites;
Ereti manus omnis, oliviferæque Mutuſcæ.
Qui Nomentum urbem, qui Roſea rura Velini.
Qui Tetricæ horrenteis rupes, montemque Severum,
Caſperiamque colunt, Forulosque, & flumen Himellæ.

Hinc Silius lib. VIII, eiusdem Sabini agri opida recenſens:

Hunc Amiterna cohors, & Bactris nomina ducens
Caſperula, hunc Foruli, Magnæque Reate dicatum
Cælicolûm matri, necnon habitata pruinis
Nurſia, & à Tetricâ comitantur rupe cohortes.

Vibius Sequeſter in catalogo fluminum: *Himella, Sabinorum flumen prope Caſperiam urbem.* Fabulam eſſe meram, quòd Silius tradit *Caſperulam à Bactris nomen ducere*, ſuperiori capite dictum eſt.

FANVM VACVNAE, *opidum.*

Vltra Caſperiam, versùs Ocriculos Narniamque euntibus, eſt opidum vulgari nunc vocabulo *Vacuna*, & *Vacune* dictum. id haud dubiè antiquitus dicebatur VACVNAE FANVM; circa quod eiusdem VACVNAE erat NEMVS. Plinius lib. III cap. XII: *Sabini Velinos adcolunt lacus, roſcidis collibus. Nar amnis exhaurit illos ſulphureis aquis. Tiberim ex his petens replet, è monte Fiſcello labens; juxta Vacunæ nemora & Reate in eosdem conditus.* Mirum ſanè nec perſpicuum variarum rerum compendium. Hoc voluit innuere; in *Sabinis* eſſe *Velinos lacus*; eſſe *Roſeam* campum, circa Reate: *Naris amnis, è Fiſcello monte delabentis*, inque *Tiberim* defluentis, *aquas* eſſe *ſulphureas*; in eumque effundi *Velinos lacus*, apud Velini amnis confluentem. hunc autem locum mirificè deſignavit: ſcilicet, *juxta Reate*. quod opidum XV circiter millia inde abeſt. Neque illud ſatis percipio; quomodò *Nar amnis*, qui *Velinos lacus exhaurit, in eosdem condatur*. Credo, *Velinum amnem* in mente habuiſſe Plinium: qui, *juxta Reate delabens*, mox *in Velinos lacus conditur*; atque inde à *Nare exhauritur*. Hanc rem ille nimio compendii ſtudio, vel nimiâ fortè feſtinatione, mirificè confudit. Atque huiusmodi confuſionem quum circa hæc loca commiſerit; minimè dubitaverim, quin *Vacunæ* etiam *nemus* heic intempeſtivè & alieno remotoque loco memoraverit: quum *Veliniæ* deæ *nemus* & *fanum*, ut mox videbimus, apud Velinum lacum fuerit. quamquàm *Vacuna dea* pluribus Sabini agri locis coli potuerit. nam Horatium quoque in prædiolo ſuo ad *Lucretilem montem* habuiſſe eiusdem deæ fanum, ſuprà ex ipſo poëtâ intellectum eſt. ad quem locum ita commentatur vetus poëtæ ſcholiaſtes: *Poſt fanum putre Vacunæ. id eſt; poſt ædem Vacunæ deæ antiquam. Vacuna apud Sabinos plurimùm colitur. Quidam Dianam, nonulli Cererem eſſe dixerunt: alii Venerem; alii Victoriam, deam vacationis; quòd faciat vacare à curis. Sed Varro, primo Rerum divinarum, Minervam dicit: quòd eâ maximè hi gaudent, qui ſapientiæ vacant.* Ovidius Faſtor. lib. VI, ubi *Veſtæ* deæ nomen atque ſacra exponit, eamdem cenſet & *Vacunam* eſſe, in his verſibus:

Hinc quoque veſtibulum dici, reor. inde precando
Dicimus, O Veſta, quæ loca prima tenes.
Ante focos olim ſcamnis conſidere longis,
Mos erat; & menſæ credere adeſſe deos.
Nunc quoque, quum fiunt antiquæ ſacra Vacunæ,
Ante Vacunaleis ſtantque ſedentque focos.

REATE, *municipium.*

Ipſum hinc REATE *opidum* memoratur Varroni, Livio, Dionyſio, Straboni, Plinio, Svetonio, Feſto, Itinerariis Romanis, ac Stephani epitomatori. Vocabulum eius eſſe ferè indeclinabile, ſuprà ad Rhætorum opidum *Tridente*, Venetorum *Ateſte*, Carnorum *Tergeſte*, Etruſcorum *Cære, Sabate*, & *Nepete*, docui: niſi quòd ea habeant in genitivo *tis*. Græcis formabatur ὁ Ῥεάτος, ut *Præneſte* ὁ Πραίνεστος· quod infrà lib. III cap.

cap. IIII in Latii deſcriptione videbimus. hinc Straboni lib. V obliquus caſus eſt τῷ Ῥεάτῳ, & Dionyſio lib. I aliquoties ἀπὸ τοῦ Ῥεάτου. At Stephani epitomator ita habet: Ῥεάτιον, πόλις Ἰταλίας. τὸ ἐθνικὸν Ῥεατῖνος, ὡς τοῦ Ῥήγιον Ῥηγῖνος. Id eſt: *Reatium, opidum Italiæ. gentilitium Reatinus; ut Rhegium Rheginus.* Vt à reliquorum iſtorum opidorum obliquo caſu *tis* fiebant *Tridentini, Ateſtini, Tergeſtini, Sabatini, Nepeſini, Præneſtini*; ſic *Reatis* quoque incolæ agrique dicuntur paſſim auctoribus REATINI. Opidi vetuſtiſſima eſt origo. quidpe quod Aborigines, à Sabinis urbe ſuâ *Liſtâ* pulſos, intra ſeſe recepiſſe, Dionyſius lib. I teſtatur; ut infrà videbimus. quod ante bellum Troianum factum eſt; ut ex ſuperiori capite patet; ubi de Sabinorum in hæc loca immigratione actum. Quapropter Virgilio in ſuprà dicto Aeneid. lib. VII in catalogo Sabinarum urbium non recenſeri, miror: quum *Roſea rura Velini*, juxtà *ſita*, nominaverit. Prima hinc mentio eius Silio facta eſt in rebus Hannibalicis, loco ſuprà ſcripto. Et exſtitiſſe tum, ex Livio quoque patet; qui lib. XXVI ita tradit: *Cælius, Romam euntem ab Ereto divertiſſe eò Hannibalem, tradit. iterque eius ab Reate Cutiliisque & Amiterno orditur.* Clarum poſthinc fuiſſe Dionyſii ſæculo, vel inde liquet, quòd is ab eo intervalla ad reliqua Aboriginum opida dimetiatur. Quin & M. Varroni, qui Dionyſii ætate fuit ſuperior, celebris eius paſſim fit mentio. Ciceroni tamen *præfectura* tantùm eſt, in Catilinariâ III. *De præfecturâ*, inquit, *Reatinâ complureis delectos adoleſcenteis cum gladiis miſerant.* Item de Naturâ deorum lib. II: *P. Vatienus è præfecturâ Reatinâ Romam veniens.* Feſtus: *Præfecturæ eæ adpellabantur in Italiâ, in quibus & jus dicebatur & nundinæ agebantur: & erat quædam earum reſpublica. neque tamen magiſtratus ſuos habebant. in quas legibus præfecti mittebantur quotannis, qui jus dicerent. quarum genera fuerunt duo. alterum; in quas ibant, quos prætor Vrbanus quotannis in quæque loca miſerat legibus: ut, Fundos, Formias, Cære, Venafrum, Allifas, Privernum, Anagniam, Fruſinonem, Reate, Saturniam, Nurſiam, Arpinum, aliaque complura.* Omnia fuêre opida celebria; & aliquando *municipia*. unde etiam de noſtro *Reate* Svetonius in Veſpaſiano, cap. I: *Titus Flavius Petronius, municeps Reatinus.* Dicatum maximè fuiſſe *Magnæ matri*, quæ eadem *Mater deûm*, & *Dea mater*, & *Magna dea*, & *Terra mater* dicebatur; ut Germaniæ lib. I cap. XXVII oſtenſum; teſtem ſuprà audivimus Silium. Verùm nullâ aliâ re magis nobilitatum celebratumque fuiſſe videtur, quàm *aſinorum* eximio genere. Plinius lib. VIII cap. XLIII: *Patria etiam ſpectatur in aſinis: Arcadicis in Achaiâ; in Italiâ Reatinis.* Varro Rer. ruſticar. lib. II cap. I: *Hoc nomine etiam aſini Arcadici in Græciâ nobilitati; in Italiâ Reatini; usque eò, ut meâ memoriâ aſinus venierit ſextertiis millibus* LX; *& unæ quadrigæ Romæ conſtiterint quadringentis millibus.* Et cap. VI: *At Murrius, Ego, inquit, de aſinis potiſſimùm dicam; quòd ſum Reatinus; ubi optimi & maximi fiunt.* Item cap. VIII: *In Reatino tricenis ac quadragenis millibus admiſſarii aliquot venierunt.* Addit ibidem Varro: *Iidem ſi exacti ſunt æſtivo tempore in monteis; quod fit in agro Reatino; duriſſimis ungulis fiunt.* Aliam eius rei cauſam ſtatuit Cicero: de quo Plinius lib. XXXI cap. II; *Cicero in Admirandis poſuit, Reatinis tantùm paludibus ungulas jumentorum indurari.*

REATINAE PALVDES olim longè latéque fuêre diffuſæ; à Nare amne versùs Apenninum montem; ubi nunc eſt opidum vulgari adpellatione *Città Ducale*. *REATINAE paludes.* unde totus is tractus VELIA dicebatur, quaſi Ἕλια. nam ἕλη Græcis ſunt, quæ Latinis *paludes*. *VELIA, ager.* Ab hoc agri nomine poſteà & VELINVS *amnis*, qui Civitatem Ducalem Reateque præfluit, & VELINVS *lacus*, in quem ille mergitur, cognomentum traxêre. *VELINVS amnis & lacus.* Dionyſius Halicarnaſſenſis lib. I: Σπένδονταί γε δὴ πρὸς τοὺς Πελασγοὺς οἱ Ἀβοριγῖνες, καὶ διδόασιν αὐτοῖς χωρία, τῶν ἑαυτῶν ἀποδασάμενοι, τὰ περὶ τὴν ἱερὰν λίμνην, ἐν οἷς ἦν τὰ πολλὰ ἑλώδη, ἃ νῦν, κατὰ τὸν ἀρχαῖον τῆς διαλέκτου τρόπον, Οὐέλια ὀνομάζεται. σύνηθες γὰρ ἦν τοῖς ἀρχαίοις Ἕλλησιν, ὡς τὰ πολλὰ, προτιθέναι τῶν ὀνομάτων, ὁπόσων αἱ ἀρχαὶ ἀπὸ φωνηέντων ἐγίνοντο, τὴν ȣ συλλαβὴν, ἑνὶ στοιχείῳ γραφομένην. Hoc eſt: *Fædus itaque Aborigines cum Pelaſgis feriunt; & partem agrorum ſuorum eis adſignant, circa ſacrum lacum: quorum pleraque erant paluſtria: quæ nunc priſco lingvæ more dicuntur Velia. ſolebant quidpe priſci Græci vocabulis à vocali incipientibus præponere ſyllabam* ȣ, *ſcriptam uno charactere.* Sic ſcilicet ἀὴρ, ſeu contractè ἦρ, ſic ἀρετὴ, ἀλώπηξ, ἐσθὴς, ἕσπερος, ἑστία, εἴδω, ἴον, ἰταλὸς, οἶκος, οἶνον, facta ſunt, *ver, virtus, vulpes, veſtis, veſper, Veſta*, & inde *veſtibulum*; *video, viola, vitulus, vicus, vinum*; & id genus alia: inter quæ etiam unum ex Padi oſtiis poteſt poni; quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

anteà Ὀλαία, poſteà *Volana* fuit adpellatum; teſtibus Polybio lib. II & Plinio lib. III
haud cap. XVI: dubiè ab iiſdem Pelaſgis; qui Spinam heic & Ravennam urbeis ad
Padi oſtia olim condiderunt; ut ſuperiori volumine cap. XVIII & XXXV oſtenſum eſt.
De cætero *ſacrum* iſtum *lacum*, qui *Cutilia* olim dicebatur, eſſe circa Civitatem Du-
calem, mox infrà videbimus. Romana urbs quum ab initio ſui præcipuos pluri-
moſque cultores ex Sabino agro accepiſſet; regiones etiam in eâ, ſive loca, à Sabini
agri locis nomina traxerunt: qua de re pluribus infrà agetur; ubi de origine urbis
Romæ erit diſſertatio. Hinc Varro de Lingvâ Latinâ lib. IIII: *Quartæ regionis Pala-*
tium, quòd Palantes cum Euandro venerunt: aut, quòd Palatini, qui & Aborigines, ex agro
Reatino, qui adpellatur Palatium, ibi conſederunt. Mox: *Huic Germalum & Velias con-*
junxerunt. Statim: *Veliæ unde eſſent, pluréis accepi cauſas: in queis, quòd ibi paſtores*
Palatini ex ovibus, ante tonſuram inventam, vellere lanam ſint ſoliti. Multas huius-
modi perquàm ridiculas adducit vocabulorum originationes Varro. At *Velinus*
amnis hodiè quoque nomen antiquum ſervat, vulgò adcolis *Velino fiume* dictus.
Lacus Velinus vulgò nunc adpellatur *Lago di Piè di Luco*: ab opido juxtà ſito. Me-
moratur Varroni, Ciceroni, Virgilio, Columellæ, Plinio, Tacito. Varro Ruſti-
car. rer. lib. III cap. II: *Axius Appius ſubridens; Recipis nos, inquit, in tuum orni-*
thona, ubi ſedes inter aveis? Ille, Ego verò, inquit, te præſertim, cuius aveis hoſpitaleis
etiam nunc ructor, quas mihi adpoſuiſti paucis antè diebus in villâ Reatinâ, ad lacum Ve-
lini eunti de controverſiis Interamnatium & Reatinorum. Cicero ad Atticum lib. IIII
epiſt. XIIII: *His rebus actis Reatini me ad ſua* τέμπη *duxerunt; ut agerem cauſam contra*
Interamnateis apud conſules & X legatos; quòd lacus Velinus, à M'. Curio emiſſus, inter-
ciſo monte, in Narem defluit: ex quo eſt villa ſiccata; & humida tamen modicè. Co-
lumella lib. VIII cap. XVI: *Magni æſtimabat vetus illa Romuli & Numæ ruſtica proge-*
nies, ſi urbanæ vitæ compararetur villatica, nullâ parte copiarum defici. quamobrem non
ſolùm piſcinas, quas ipſi conſtruxerant, frequentabant, ſed etiam, quos rerum natura la-
cus fecerat, convectis marinis ſeminibus replebant. inde Velinus, inde etiam Sabatinus,
& item Vulſinienſis & Ciminus, lupos auratasque procreaverunt. Plinius lib. XXXI cap.
II: *In eâdem Campaniæ regione Sinueſſanæ aquæ ſterilitatem feminarum & virorum in-*
ſaniam abolere produntur. in Aenariâ inſulâ calculoſis mederi: & quæ vocatur Aci-
dula, ab Teano Sidicino IIII millia paſſuum; hæc frigida. item in Stabiano, quæ Di-
midia vocatur; & in Venafrano ex fonte acidulo. idem contingit in Velino lacu potan-
tibus. Et lib. II cap. CIII: *In Piceno lacu Velino lignum dejectum lapideo cortice obdu-*
citur. Id, mirum, qua ſupinâ negligentiâ à Plinio perſcriptum; quando nullus
alius in Italiâ fuerit *lacus Velinus*, niſi hic apud Reate opidum in Sabinis. Ipſe paul-
lo pòſt eodem capite: *In exitu paludis Reatinæ ſaxum creſcit.* Hoc quoque de Ve-
lini lacus & amnis in Narem defluxu intellectum Plinio, nemo hactenus dubita-
REATINVS lacus, & REATINA palus. vit. & diſertè REATINVS adpellari videtur LACVS Varroni lib. I cap. VII. *Vt*
alia, inquit, *in lacubus; ut arundines in Reatino.* Verùm Plinius lib. III cap. XII,
Sabini, inquit, *Velinos adcolunt lacus.* Ergo plures numero fuêre. Sunt equidem
minores, ſupra maximum illum *Pedelucenſem* in flumen Velinum defluentes; & ex
his maximus, qui Reate opido proximus. verùm hunc, an verò magnum illum Ve-
linum Pedelucenſem intellexerit Varro, incertum fuerit, niſi in paludibus potiùs,
ut hæ veriùs ſunt quàm lacus, *arundines gigni* credas, quàm in lacubus. Hæc igitur
fuerit illa REATINA PALVS Plinii; *in* cuius *exitu ſaxum creſcebat*: hæ item illæ
Ciceronis, in Admirandis, REATINAE PALVDES, in quibus *ungulæ jumentorum*
indurabantur. eaſdem fortè innuit & Seneca Natural. quæſt. lib. III cap. XX, his
verbis: *Inde eſt, quod res abjectæ in eumdem lacum lapideæ ſubinde extrahuntur. quod in*
Italiâ quibusdam locis évenit; ſive virgam ſeu frondem demerſeris; lapidem poſt paucos
dies extrahis. circumfunditur enim corpori limus; alliniturque paullatim. Sed hoc de
Silaro quoque, Lucaniæ flumine, prædicatur. Cæterùm ex Ciceronis epiſtolâ ad
Atticum ſuprà intelleximus, *Velinum lacum, à M'. Curio emiſſum, interciſo monte, in*
Narem defluere. An igitur anteà non defluebat? Etiam. ſed anguſto tantùm
Velini ore, quod natura fecerat. conſul autem M'. Curius Dentatus, poſtquàm
anno urbis Romæ CCCCLXIII, ante natum Chriſtum CCXL, ut ſuperiori capite
oſtenſum, Sabinos devicit, *monte interciſo* latius ipſi lacui aperuit oſtium; quo
nunc quoque è celſiſſimis præruptiſſimiſque cautibus immenſo cum fragore in
ſub-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

ſubjectum Narem ſeſe præcipitat. ubi ſpumans cœlumque obnubilans unda cum Sole perpetuam reddit iridem. qua de re ita Plinius lib. II cap. LXII: *In Italiâ Locris & in lacu Velino nullo non die adparent arcus.* De hoc itaque Velini lacus exitu ita eſt apud Tacitum Annal. lib. I: *Auditæ municipiorum & coloniarum legationes: orantibus Florentinis, ne Clanis, ſolito alveo demotus, in amnem Arnum transferretur; idque ipſis perniciem adferret. Congruentia his Interamnates diſſeruêre. peſſum ituros fœcundiſſimos Italiæ campos, ſi amnis Nar (id enim parabatur) in rivos diductus, ſuperſtagnaviſſet. Nec Reatini ſilebant; Velinum lacum, quà in Narem effunditur, obſtrui recuſantes. quidpe in adjacentia erupturum. Optimè rebus mortalium conſuluiſſe naturam; quæ ſua ora fluminibus, ſuos curſus, utque originem, ita fineis dederit. ſpectandas etiam religiones ſociorum: qui ſacra & lucos & aras patriis amnibus dicaverint. quin ipſum Tiberim nolle prorſus adcolis fluviis orbatum minore gloriâ fluere.* Apud Velinum lacum

VELINIA lucus & fanum.

VELINIA *dea* colebatur; *fanum*que haud dubiè cum *luco* habuit. à quo fortè prædictum opidum *Piè di Luco* nomen accepit. M. Varro de Lingvâ Latinâ lib. IIII; ubi deorum dearumque nomina explicat: *Ab lacu Velino Velinia dicta.* Quam autem cauſam Reatini Interamnatibus intenderint ex eo, *quòd lacus Velinus*, ut inquit Cicero, *à M'. Curio emiſſus, interciſo monte, in Narem defluxerit; ex quo villa*

TEMPE Reatina.

eorum *ſiccata* fuerat; minimè intelligere me, ingenuè fateor: resque ea nimiâ Ciceronis brevitate obvelata latet. nec illud notum, quo ſitu ad lacum fuerit iſta *Reatinorum villa*, quam vel ipſi Reatini vulgari apud ſe vocabulo, vel Cicero ob amœnitatem loci adpellavit τὰ τέμπη, TEMPE REATINA; ad ſimilitudinem celebratiſſimorum in Theſſaliâ.

VILLA AXII APPII ad Velinum lacum.

Fuit & AXII APPII VILLA *Reatina, ad angulum Velini lacus*; teſte ſuprà citato Terentio Varrone de Lingvâ Latinâ lib. IIII. ubi hoc inſuper ille præſcriptis addit paullo pòſt: *Cui ille; Non minùs villa tua erit ad angulum Velini, quam neque pictor neque textor vidit umquàm, quàm in Roſeâ; quæ eſt polita opere textorio eleganter: quam dominus habes communem cum aſino.*

VILLA AXII APPII in Roſeâ.

Altera hæc AXII APPII VILLA IN ROSEA Ciceroni quoque innuitur in ſuprà dictâ epiſtolâ ad Atticum lib. IIII. Sed illic in vulgatis exemplaribus ita ſcriptum eſt: *Quòd lacus Velinus, à M'. Curio emiſſus interciſo monte, in Nar defluit. ex quo eſt villa ſiccata; & humida tamen modicè. Roſea vixi cum Axio. qui etiam me ad Septem aquas duxit. Redii Romam Fonteii causâ.* Heic nonnulli viri docti nuper legendum cenſuerunt; *& humida tamen modicè Roſea. Vixi cum Axio.* Verùm hæc opidò quàm imperfecta fuerit Ciceronis oratio; nec tempore neque loco addito, ubi cum Axio vixerit. quapropter ex præſcripto Varronis loco ſimulque ex Feſti verbis, quæ mox adducam, ſic apud Ciceronem reſtituendum puto: *His rebus actis, Reatini me ad ſua τέμπη duxerunt; ut agerem cauſam contra Interamnateis apud conſules & X legatos; quòd lacus Velinus, à M'. Curio emiſſus, interciſo monte, in Narem defluit: ex quo eſt villa ſiccata. & in humidâ tamen modicè Roſeâ vixi cum Axio.* Illud igitur *in Nar defluit*, rectè purgarunt iidem viri docti, *in Narem.* omnes enim alii auctores, qui haud pauci huius amnis meminerunt, maſculino genere adpellarunt *Narem.*

ROSEA, campus.

Cæterùm ROSEA fuit *campus* Reatini agri fertiliſſimus; præter modò dictos Varronem Ciceronemque, Virgilio quoque memoratus & Plinio ac Feſto Servioque. Virgilius Aeneid. lib. VII:

> *Qui Nomentum urbem, qui Roſeæ rura Velini,*
> *Qui Tetricæ horrenteis rupeis montemque Severum,*
> *Caſperiamque colunt.*

Ad quem locum ita commentatur Servius: *Velinus lacus eſt circa Reate, juxta agrum, qui Roſulanus vocatur. Varro autem dicit, lacum hunc à quodam conſule in Narem fluvium fuiſſe diffuſum. poſt quod tanta eſt ea loca* [an rectiùs, *eo loco?*] *ſequuta fertilitas, ut etiam perticæ longitudinem altitudo ſuperârit herbarum. quin etiam, quantum per diem demptum eſſet, tantum per nocteis creſcebat: quod Virgilius ad ſuam provinciam transtulit; dicens:*

> *Et quantum longis carpent armenta diebus,*
> *Exiguâ tantum gelidus ros nocte reponet.*

Locus hic Virgilii eſt in Γεωργικῶν lib. II. ad quem ita commentatur Servius: *Vt in Aeneide diximus; hoc dicit Varro fuiſſe in Roſulano agro, poſtquàm Velinus ſiccatus eſt lacus. ubi longam perticam magnitudo ſuperabat herbarum.* Vt immunera paſſim alia;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

maximè, quæ geographiam ſpectant; ita hæc quoque ſatis imperitè atque ineptè relata à Servio. Quis credat, herbæ ſeu graminis tantam fuiſſe proceritatem, uti perticæ longitudinem ſuperaverit? Ciceró ait, *Velinum lacum, interciſo monte, emiſſum fuiſſe; ex quo ager circa Tempe, Reatinorum villam, ſiccatus* fuerit. ille ipſum *Velinum lacum* ait *ſiccatum* fuiſſe. Tum *Roſulanum* rectè heic dici *agrum*, niſi *Roſea* etiam *Roſula* dicta fuerit; quod vocabulum nemo tradidit auctor alius; equidem neſcio. ipſe certè Varro Ruſticar. rer. lib. II cap. VII, *Nobiles*, inquit, *à regionibus dicuntur in Græciâ Theſſalici equi, à terrâ Appuli, à Roſeâ Roſeani.* Sed illud de gramine ipſe Varro Ruſticar. lib. I cap. VII, ita explicuit: *Cæſar Vopiſcus ædilitius, cauſam quum ageret apud cenſores; campos Roſeæ Italiæ dixit eſſe ſumen; in quo relicta pertica poſtridie non adpareret propter herbam.* Et Plinius lib. XVII cap. IIII: *Cæſar Vopiſcus, quum cauſam apud cenſores ageret; campos Roſeæ dixit Italiæ ſumen eſſe: in quibus perticas pridiè relictas gramen operiret.* Nempe perticas humi projectas; non in altum erectas. De *cannabe* equidem ita ſcribit idem Plinius lib. XVIIII cap. VIIII: *Quod ad proceritatem attinet, Roſea agri Sabini arborum altitudinem æquat.* Sed agro huic unde id nominis quæſitum, oſtendit Pompeius Feſtus: *Roſea*, inquit, *in agro Reatino campus adpellatur, quòd in eo arva rore humida ſemper feruntur.* Huc reſpexiſſe videtur & Plinius (quod tamen mirificè expreſſit) lib. III cap. XII, his verbis: *Sabini Velinos adcolunt lacus, roſcidis collibus.* Fuiſſe *Roſeam campum* à dextrâ Velini amnis ripâ, apud ipſum Velinum lacum, è Virgilio maximè huiusque commentatore Servio liquet. Atque heic hodiéque fertiliſſimi ſunt campi.

PALANTIVM *opidum.*

Porrò circa eumdem lacum Velinum Reatinamque paludem erat PALATIVM *opidum*; quod & PALANTIVM & PALLANTIVM, & PALANTEVM. à quo pars ſive regio urbis Romæ *Palatium* dicta fuit. Varro ſuprà dicto lib. IIII de Lingvâ Latinâ: *Palatium, quòd palantes cum Euandro venerunt. aut, quòd Palatini, qui & Aborigines, ex agro Reatino, qui adpellatur Palatium, ibi conſederunt.* Dionyſius lib. I: Τῶν δὲ πόλεων, ἐν αἷς τὸ πρῶτον ᾤκησαν Ἀβοριγῖνες, ὀλίγαι περιῆσαν ἐπ' ἐμοῦ· αἱ δὲ πλεῖσται ὑπό τε πολέμων καὶ ἄλλων κακῶν οἰκοφθόρων βαρηθεῖσαι, ἔρημοι ἀφεῖνται. ἦσαν δ' ἐν τῇ Ῥεατίνῃ γῇ, τῶν Ἀπεννίνων ὀρῶν οὐ μακρὰν, ὡς Βάρρων Τερέντιος ἐν ἀρχαιολογίαις γράφει, ἀπὸ τῆς Ῥωμαίων πόλεως, αἱ τὸ βραχύτατον ἀπέχουσαι, ἡμερήσιον διάστημα ὁδοῦ· ὧν ἐγὼ τὰς ἐπιφανεστάτας, ὡς ἐκεῖνος ἱστορεῖ, διηγήσομαι. Παλάτιον μὲν πέντε πρὸς τοῖς εἴκοσι σταδίοις ἀφεστὼς Ῥεάτου. Hoc eſt: *Opida autem, quæ prima incoluerunt Aborigines, pauca ætate meâ ſupererant: plurima, bellis aliisque peſtiferis calamitatibus oppreſſa, nunc deſolata ſunt. Erant autem in Reatino agro, haud procul Apenninis montibus; ut auctor eſt Terentius Varro in Antiquitatibus. aberantque à Româ, quæ minimum, iter unius diei. Eum ego ſequutus, dicam horum præcipua. Palatium* XXV *ſtadia disſitum à Reate.* Id eſt, millia paſſuum tria & paſſus CXXV. Fuiſſe id opidum ab Reate verſùs occaſum Solis æſtivi poſitum apud paludem Reatinam, ex Solino maximè patet. qui quum eamdem, quam Varro in dicto lib. IIII de Lingvâ Latinâ recitat, accepiſſet de eo hiſtoriam, per ſummum poſteà errorem eam invertit. Verba eius cap. II hæc ſunt: *Palatium nemo dubitaverit, quin Arcades habeat auctores. à quibus primùm Palantéum opidum conditum. quod aliquando Aborigines habitarunt. ſed propter incommodum vicinæ paludis, quam præterfluens Tiberis fecerat, profecti Reate, poſtmodùm reliquerunt.* Imò heic in Reatino primùm habitabant agro, apud paludem, quam Velini amnis lacusque ſtagnantes effecerant aquæ. Cæterùm quum in Arcadiâ quoque opidum eſſet *Pallantium*; hinc Euandrum cum Arcadum manu in Italiam profectum, opidum, ubi poſteà Roma, conſtituiſſe, plerique tradiderunt, cui à patriâ nomen indiderit. Dionyſius eodem libro poſteà: Μετὰ δὲ οὐ πολὺν χρόνον στόλος ἄλλος Ἑλληνικὸς εἰς ταῦτα τὰ χωρία τῆς Ἰταλίας κατάγεται, ἑξηκοστῷ μάλιστα ἔτει πρότερον τῶν Τρωϊκῶν, ὡς αὐτοὶ Ῥωμαῖοι λέγουσιν, ἐκ Παλαντίου πόλεως Ἀρκαδικῆς ἀναστάς· ἡγεῖτο δὲ τῆς ἀποικίας Εὔανδρος · * — * · ὄνομα δὲ τῷ πολίσματι τούτῳ τίθενται Παλάντιον, ὡς ἀπὸ τῆς ἐν Ἀρκαδίᾳ σφῶν μητροπόλεως. νῦν μέντοι Παλάτιον ὑπὸ Ῥωμαίων λέγεται, συγχέαντος τοῦ χρόνου τὴν ἀκρίβειαν. Id eſt: *Non multo pòſt alia claſſis Græcorum in hanc Italiæ partem adpulit,* LX *fermè annis ante bellum Troianum; ut ipſi Romani tradunt; profecta à Palantio, urbe Arcadicâ. eamque deduxit coloniam Euander.* Haud multo pòſt: *Huic opidulo à priſcâ patriâ nomen imponunt Palantium. quod nunc Palatium à Romanis dicitur; vocabulo temporum tractu corrupto.* Livius lib. I: *A Palantéo, urbe Arcadicâ, Palantium, deinde Palatinum montem adpellatum ferunt.* Pauſanias in Arcadicis:

cadicis: φασὶ δὲ, καὶ γνώμην γενέσθαι καὶ τὰ ἐς πόλεμον ἄριστον τῶν Ἀρκάδων ὄνομα Εὔανδρον· σταλέντα δὲ ἐς ἀποικίαν, καὶ ἄγοντα Ἀρκάδων τῶν ἐκ Παλλαντίου στρατιὰν, παρὰ τῷ ποταμῷ τῷ Θύμβριδι οἰκίσαι. καὶ Ῥωμαίων μέρος τῆς καθ' ἡμᾶς πόλεως, ὅπερ ᾠκεῖτο ὑπὸ τοῦ Εὐάνδρου καὶ Ἀρκάδων, τῶν συναποσταλέντων, ὄνομα ἔσχε Παλλάντιον, κατὰ μνήμην τῆς ἐν Ἀρκαδίᾳ. χρόνῳ δὲ ὕστερον μετέπεσε τὸ ὄνομα ἐν ἀφαιρέσει γραμμάτων τοῦ τε λ καὶ τοῦ ν. Hoc eſt: *Euandrum ferunt conſilio ac bellicâ vitute cæteros Arcadas antecelluiſſe. hunc in coloniam miſſum, deductâ è Pallantio in locum Tiberi flumini proximum Arcadum manu, opidum condidiſſe, quod Romanæ urbis pars poſtmodùm fuit: habitatumque tunc ab Euandro cæteriſque Arcadibus eius ſociis, nomen habuiſſe Pallantium; ab Arcadici opidi memoriâ. id conſequuta ætas, duabus literis l & n eliſis, immutavit.* Sed de hoc in parte urbis Romæ *Palatio* plura nobis pòſt erunt dicenda. in præſens ſufficiat, variationem nominis hactenus indicaſſe.

De reliquis Aboriginum in Reatino agro opidis ita pergit Dionyſius dicto lib. I: Παλάτιον μὲν πέντε πρὸς τοῖς εἴκοσι σταδίοις ἀφεστὼς Ῥεάτου, πόλεως οἰκουμένης ὑπὸ Ῥωμαίων ἔτι καὶ εἰς ἐμὲ, Κοϊντίας ὁδοῦ πλησίον· ἡ Τρίβολα δὲ ἀμφὶ τοὺς ἑξήκοντα σταδίους τῆς αὐτῆς πόλεως ἀφεστῶσα, λόφον ἐπικαθημένη σύμμετρον. Οὐέσβολα δὲ τὸ αὐτὸ διάστημα τῆς Τριβόλας ἀπέχουσα, τῶν Κεραυνίων ὀρῶν πλησίον. ἀπὸ δὲ ταύτης τετταράκοντα σταδίοις διῃρημένη πόλις ἐπιφανὴς Σούνη· ἔνθα νεὼς πάνυ ἀρχαῖός ἐστιν Ἄρεως. Μηφύλα δὲ ὡς τριάκοντα σταδίοις ἄπωθεν τῆς Σούνης· δείκνυται δὲ αὐτῆς ἐρείπιά τε καὶ τείχους ἴχνη. Τετταράκοντα δὲ σταδίους ἀπέχουσα Μηφύλης Ὀρουίνιον, εἰ καί τις ἄλλη τῶν αὐτόθι πόλεων, ἐπιφανὴς καὶ μεγάλη· δῆλοι γάρ εἰσιν αὐτῆς οἵ τε θεμέλιοι τῶν τειχῶν, καὶ τάφοι τινὲς ἀρχαιοπρεπεῖς, καὶ πολυανδρίων ἐν ὑψηλοῖς χώμασι μηκυνομένων περίβολοι· ἔνθα καὶ νεώς ἐστιν Ἀθηνᾶς ἀρχαῖος, ἱδρυμένος ἐπὶ τῆς ἄκρας. Ἀπὸ δὲ σταδίων ὀγδοήκοντα Ῥεάτου, τοῖς εἰσιοῦσι διὰ τῆς Ἰουρίας ὁδοῦ, παρὰ Κόρητον ὄρος Κορσοῦλα, νεωστὶ διεφθαρμένη. Δείκνυται δέ τις καὶ νῆσος, Ἴσσα αὐτῇ ὄνομα, λίμνη περίρρυτος, ἣν χωρὶς ἐρύματος ποιητοῦ κατοικῆσαι λέγονται, τοῖς τέλμασι τῆς λίμνης, ὁπόσα τείχεσι χρώμενοι. πλησίον δὲ τῆς Ἴσσης Μαρούιον, ἐπὶ τῷ μυχῷ τῆς αὐτῆς λίμνης κειμένη, τετταράκοντα σταδίους ἀπέχουσα τῶν καλουμένων Ἑπτὰ ὑδάτων. Ἀπὸ δὲ Ῥεάτου πάλιν τὴν ἐπὶ Λατίνην ὁδὸν ἰοῦσιν, ἡ Βατία μὲν ἀπὸ τριάκοντα σταδίων, Τιώρα δὲ ἀπὸ τριακοσίων, ἡ καλουμένη Ματιήνη. ἐν ταύτῃ δὲ λέγεται χρηστήριον Ἄρεως γενέσθαι πάνυ ἀρχαῖον. ὁ δὲ τρόπος αὐτοῦ παραπλήσιος ἦν, ὥς φασι, τῷ παρὰ Δωδωναίοις μυθολογουμένῳ ποτὲ γενέσθαι, πλὴν ὅσον ἐκεῖ μὲν ἐπὶ δρυὸς ἱερᾶς καθεζομένη περιστερὰ θεσπιῳδεῖν ἐλέγετο· παρὰ δὲ τοῖς Ἀβοριγῖσι θεόπεμπτος ὄρνις, ὃν αὐτοὶ μὲν πῖκον καλοῦσιν, ἐπὶ κίονος ξυλίνου φαινόμενος τὸ αὐτὸ ἔδρα. Τέτταρα δὲ ἐπὶ τοῖς εἴκοσι σταδίοις ἀπέχουσα τῆς εἰρημένης πόλεως Λίστα, μητρόπολις Ἀβοριγίνων· ἣν παλαιότερον ἔτι Σαβῖνοι, νύκτωρ ἐπιστρατεύσαντες ἐκ πόλεως Ἀμιτέρνης, ἀφύλακτον αἱροῦσιν. οἱ δ' ἐκ τῆς ἁλώσεως περισωθέντες, ὑποδεξαμένων αὐτοὺς Ῥεατίνων, πολλὰ πειραθέντες, ὡς οὐχ οἷοί τε ἦσαν ἀπολαβεῖν, ἱερὰν ἀνῆκαν, ὡς σφετέραν ἔτι, τὴν αὐτῶν γῆν, ἐξαγίστους ποιήσαντες ἀραῖς τοὺς καρπωσομένους αὐτὴν ὕστερον. Ἀπὸ δὲ σταδίων ἑβδομήκοντα Ῥεάτου Κοτυλία πόλις ἐπιφανὴς, πρὸς ὄρει κειμένη· ἧς ἐστιν οὐ πρόσω λίμνη. Hoc eſt: *Palatium erat* XXV *ſtadia diſſitum à Reate, urbe Romanis nunc quoque prope viam Quintiam habitatâ. Ab eâdem urbe* LX *fermè ſtadia abeſt Trebula; ſita in modico tumulo. A Trebulâ tantundem abeſt Veſbola; propinqua Ceraunіis montibus. Inde* XL *ſtadia diſtat nobilis urbs Suna: ubi pervetuſtum eſt Martis templum. A Sunâ* XXX *ferè ſtadia abeſt Meſula: cuius ruinæ monſtrantur, mœniumque veſtigia. Inde* XL *ſtadia Orvinium, urbs, ſi qua alia in eo tractu, ampla ac nobilis. adparent enim fundamenta mœnium, ac ſepulcra quædam antiqui operis, & ſepta ſepulcretorum per celſos adgeres extenſorum. eſtque in arce eius vetus Minervæ templum. Ad octuageſimum autem ab Reate ſtadium, euntibus viâ Iuriâ, apud montem Coretum eſt Corſula, nuper diruta. Monſtratur & inſula quædam, Iſſa nomine, lacu circumflua: quam abſque alio munimine habitaſſe feruntur: freti paluſtribus & cœnoſis aquis, non minùs quàm mœnibus. Prope Iſſam eſt Maruvium; ſitum ad intimum eiuſdem lacus receſſum; diſtans ab Septem aquis, quas vocant,* XL *ſtadia. Rurſum à Reate versùs Latium euntibus occurrit ad* XXX *ſtadia Vatia; ad* CCC *Tiôra, cognomine Matiena. in hac aiunt fuiſſe oraculum Martis antiquiſſimum; non abſimile illi Dodonæo, antiquis ſermonibus celebrato; niſi, quòd heic in ſacrâ quercu ſedentem columbam ferunt vaticinari ſolitam; apud Aborigines verò avis divinitus miſſa, quem ipſi picum vocant, idem faciebat in columnâ ligneâ. Ab eo opido* XXIIII *ſtadia aberat Liſta, caput gentis Aboriginum. quam jam inde antiquis temporibus Sabini, noctu ex Amiternâ urbe profecti, ex improviſo ceperunt. Ex hac clade qui fuerunt ſuperſtites, recepti à Reatinis, ſæpè fruſtra conati recuperare patriam; agrum eius, ceu adhuc ſuus foret, diis ſacrum fecerunt; diris devoventes, qui in poſterum fructus ex eo caperent. Ad* LXX *à Reate ſtadia eſt clara urbs Cutilia, monti adpoſita; & ab eâ haud longè lacus.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

lacus. Ex his opidis quum pleraque ſint obſcura, nec aliis auctoribus memorata; nonnulla etiam manifeſtè vitiatis vocabulis; in immaneis ſeſe præcipitavit errores noviſſimus in auctorem hunc notarum ſcriptor. *Pro* Οὐεσβόλα, inquit, *quum in Vaticano codice ſit* Συεσβόλα; *haud levis conjectura eſt, veriorem lectionem eſſe* Συεσσόλα, *Sueſſula. Plinius ſanè lib.* III *cap.* V *Sueſſulanos & Trebulanos in Falerno agro collocat. Quin etiam, quum idem Plinius aliquanto antè dicat, Haud procul adſpectante monte Veſuvio; ſuſpicari aliquis poſſit, Veſuvium ibi à Plinio nominari Dionyſii noſtri Ceraunios monteis. in Italiâ enim nullos monteis Ceraunios agnoſcit Plinius. Pro* Σεύα *quoque auctor fortaſſe ſcripſit* Σοάνα. *Ptolemæus certè* Σεάναν *agnoſcit: & Plinius Suanenſes; uterque prope Saturninos. Forſan etiam* Μηφύλα *eſt Plinii Medullia. At Mevaniam idem Plinius lib.* III *cap.* XIIII *Vmbriæ tribuit. Sequens* Ὀρβίνιον *forſan eſt Strabonis & Ptolemæi* Κορφίνιον. *Quod ſi* Μηφύλα *eſſet Plinii Mevania.* Ὀρβίνιον *eſſet eiusdem Vrbinum in Vmbriâ. Pro* Γερίας *Lapus legit* Γενίας. *Gelenius* Σαλαρίας. *veriùs fortaſſe* Οὐαλερίας: *quia Strabo Valeriam viam à Tibure deducit; & in eâ Latinas urbeis Valeriam, Carſeolos, Albam.* Plinius lib. III, *ut Mevanienſes, & Vrbinates, ita etiam Carſulanos in Vmbriâ collocat. Corſeolanos verò idem Aequiculanis tribuit, in quartâ Italiæ regione. De Iſſâ inſulâ nihil meminit Plinius; nec alii: ſed Maruvios tamen agnoſcit idem in quartâ regione Italiæ: in qua ponit etiam prædictos Corfinienſes, Albenſes, Carſeolanos; item Reatinos & Trebulanos. Pro* τὴν ἐπὶ Λατίνην ὁδὸν, *rectiùs forſan, transpoſito verborum ordine,* ἐπὶ τὴν Λατίνην ὁδόν· *ut Lapus quoque vertit, in Latinam viam eundo. Pro* Βατία *Gelenius cum Lapo Vatiam poſuit. mihi de neutrâ quidquam cognoſcere licuit. at Batum & Batinum flumina agnoſcit Plinius: illud non procul à Brutio litore; & Batinum longiùs, in quintâ Italiæ regione.* En tibi, ut literatorem veteranum, ita tyronem geographum. Dionyſius diſertiſſimis verbis de omnibus iſtis Aboriginum opidis ait; Ἦσαν δ᾽ ἐν τῇ Ῥεατίνῃ γῇ, τῶν Ἀπεννίνων ὀρῶν οὐ μακράν· *Erant in Reatino agro, haud procul Apenninis jugis*. at iſte ex omni propemodùm Italiâ vocabulorum ſimilitudines conquiſivit: Ex Etruriâ *Suanam*; ex Vmbriâ *Vrbinum, Mevaniam, Carſulas*; ex Piceno *Batinum* flumen; ex Pelignis *Corfinium* opidum; è Marſis *Marrubium* & *Albam*; ex Aequanis *Valeriam* & *Carſeolos*; è Latio *Medulliam*; è Campaniâ *Sueſſulam* ac *Trebulam*; tum *Veſuvium* montem: ex ultimo Italiæ angulo, Brutio agro, *Batum* amnem. Qua ratione omneis ſtadiorum numeros vitiatos falſosque eſſe arguit. Ab hac igitur injuriâ vindicandus erit auctor: cui jam anteà ſatis damni ab incurioſis ſeu imperitis exſcriptoribus illatum. Ac primùm equidem in voce τετρακοσίων mendum ineſſe, certum eſt. ager quidpe Reatinus ad τετρακοσίους σταδίους, id eſt, ad XXXVII ampliùs millia paſſuum numquàm ſeſe extendit. An verò interpres ſatis dextrè eam vocem in τετταράκοντα, id eſt, XL ſtadia emendaverit, planè dubito; quando longiùs hæc vox ab illâ abit, quàm uti facilè in eam delabi exſcriptor potuerit. Nec alteram illam vocem, quæ Γερίας legitur in præſcriptis verbis, corrigendam eſſe in Οὐαλερίας, vel ipſe ſatis diſertè docet Strabo; qui *Valeriam à Tibure Albam ferre* tradit: quæ urbs erat Marſorum, haud ita procul à lacu Fucino ſita. Dionyſius verò eam viam Reate opidum pertingere diſertè tradit. Neque tamen eorum placet correctura, qui τῆς Σαλαρίας legendum cenſent. nam à *Reate* Romam usque iter per Salariam viam referre antiqua Itineraria Antonini atque Tabulæ, ſuprà perſpectum eſt. unde etiam his Itinerariis longè antiquior auctor M. Terentius Varro, Ruſtic. rer. lib. III cap. I; *In agro*, inquit, *Sabino viâ Salariâ, non longè à Reate, milliarius clivus adpellatur Tebæ*. Ab hac autem urbis Reatinæ parte non fuiſſe *Coritum montem opidum*que *Curſulam*; patet ex eo, quòd ſtatim ſubjicit Dionyſius; Δείκνυται δέ τις καὶ νῆσος, Ἴσσα αὐτῇ ὄνομα, λίμνῃ περίρρυτος· ἣν χωρὶς ἐρύματος ποιητοῦ κατοικῆσαι λέγονται, τοῖς τέλμασι τῆς λίμνης, ὅσα τείχεσι, χρώμενοι. πλησίον δὲ τῆς Ἴσσης Μαρούιον, ἐπὶ τῷ μυχῷ τῆς αὐτῆς λίμνης κειμένη, τετταράκοντα σταδίους ἀπέχουσα τῶν καλουμένων Ἑπτὰ ὑδάτων. id eſt: *Oſtenditur & inſula quædam, lacu circumflua. quam absque alio munimine incoluiſſe feruntur; freti paluſtribus & cœnoſis aquis, non minùs quàm mœnibus. Prope Iſſam eſt Maruvium, ad intimum eiusdem lacus receſſum ſita: diſtans à Septem aquis, quas vocant, XL ſtadia.* Locum hunc, cui nomen Ἑπτὰ ὕδατα, SEPTEM AQVAE, fuiſſe circa

SEPTEM AQVAE, *lacus.*

Reate Velinumque lacum & campum Roſeam, ſuprà è Ciceronis quoque epiſtolà ad Atticum perſpeximus. *In Roſeâ*, inquit, *vixi cum Axio. qui etiam me ad Septem aquas duxit*. Hodiè *Septem aquas* interpretantur eum lacum, qui in Roſeâ campo,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

inter Reate & Velinum lacum vulgò dicitur *Lago di Santa Suſanna*, in Velinum amnem defluens. quos minimè errare; liquet ex eo documento, quòd ad XL hinc ſtadia, id eſt millia paſſuum V, apud intimum Velini lacus receſſum eſt opidulum vulgari vocabulo *Morro:* quod nomine ſimul atque ſitu, antiquum ſe eſſe Μαρȣ̈ιον, MARVVIVM, apertè prodit. In eodem hoc maximo Velinorum lacuum eſſe ISSAM *inſulam*, an rectè intellexerit Dionyſius, haud immeritò dubitare mihi videor. MVRVVIVM *opidum.* quidpe τέλμασι τῆς λίμνης, id eſt, *paluſtribus atque cænoſis aquis*, *eius lacus* ſive *ſtagni*, ceu muris, ſeſe tuitos tradit Iſſanos. quod ſanè longè rectiùs medio illi inter Velinum maximum & divæ Suſannæ lacum congruit lacui: quem *Reatinam paludem* priſcis adpellatum mortalibus, ſuprà oſtendi. Et eſt in hac palude hodiéque inſula, *cænoſis aquis* cincta. Illa igitur Κορσȣ̃λα, ſive, ut alia exemplaria habent, Κȣρσȣ̃λα πόλις, CVRSVLA *opidum*, & item τὸ Κόρητον, ſeu, ut heic etiam variant exemplaria, τὸ Κόριτον ὄρος, CORITVS *mons*, eodem haud dubiè tractu fuêre; LXXX ſtadia, id eſt, millia paſſuum X ab Reate. CORSVLA *opidum.* CORITVS *mons.* Eſt hodiè hoc intervallo, ab Reate verſùs Nurſiam euntibus, opidum vulgari adpellatione *Cività di Caſſia*. quod, præter dictum intervallum, nominis quoque ſimilitudine antiquam illam *Corſulam*, (ſive ea fortè ab ipſo Dionyſio Καρσȣ̃λα, CARSVLA, dicta fuerit) haud obſcurè prodit. ſed & vocem *Cività* plerisque Italiæ opidis vetuſtatem ſuam adſerere, jam ſæpiùs hactenus patuit. Montis autem juxtà ſiti haud corruptum eſſe vocabulum apud Dionyſium Κόριτον *Coritus*, eo argumento colligo, quòd Servius ad Virgilii Aeneid. lib. III, VII, & VIIII *Coritum* ſibi finxit *montem* in Etruriâ, ubi nullus umquàm fuit; ut ſuprà cap. III huius libri II docui. quod nomen quum ille ſive è Dionyſii ſive ex alius cuiuspiam auctoris hiſtoriis accepiſſet; idemque vocabulum apud Virgilium ſuum, cui eſt principis Etruriæ nomen, haud ſemel occurrere videret; *montem Coritum* in Etruriâ eſſe docuit.

Cæterùm Τελϐȣ̃λα haud dubiè ſcripta fuit ab ipſo Dionyſio Τρηϐȣ̃λα· nam Latinis eſt TREBVLA, cognomine MVTVSCA. TREBVLA MVTVSCA, *opidum.* pro quo vocabulum itidem corruptum legitur apud Strabonem Τρηϐȣ̃ρα. Memoratur præterea Virgilio, Iulio Obſequenti, Arnobio, Servio, & antiquis inſcriptionibus. Opidani inde dicuntur Plinio lib. III cap. XII, TREBVLANI *cognomine* MVTVSCAEI. ſed hæc Græca magis eſt, quàm Latina, formatio. pro qua in antiquo lapide ſunt TREBVLANI MVTVSCANI. *Trebulæ Mutuſcæ* bis meminit Iul. Obſequens, in libro de Prodigiis. Apud Virgilium Aeneid. lib. VII, ubi Sabinorum populos recenſet, ita ſcriptum eſt:

Vnà ingens Amiterna cohors, priſcique Quirites,
Ereti manus omnis, oliviferæque Mutuſcæ.

Ad quem locum ſic Servius: *Oliviferæque Mutuſcæ. Hæc Trebia poſteà dicta eſt; quam modò Tribulam dicunt: apud quam Hannibal delevit populum Romanum. Lucanus; Cannarum fuimus Trebiæque juventus.* O lepidum delirantis grammatici caput! Ecquis tam ignarus rerum Romanarum eſſe potuit, uti neſciret, *Trebiam*, apud quem Hannibal exercitum Romanum memorabili prœlio fudit, eſſe amnem, ex Apenninis jugis in Padum apud Placentiam defluentem? *Tribulam* tamen Servii ætate dictam fuiſſe, maximè perſvadet Græca illa apud Dionyſium ſcriptio Τελϐόλα. & quum in Campaniâ etiam eſſet *Trebula* opidum; apud Ptolemæum quoque id eſt Τελϐȣ̃λα. Sed & TREBIA vocata fuit poſteà illa *Mutuſca*: unde Servio anſa in errorem labendi data. Arnobius Adverſùs genteis lib. III: *Novenſileis Piſo deos eſſe credit novem, in Sabinis apud Trebiam conſtitutos.* An ipſe Piſo hoc vocabulum uſurpârit, incertum eſt. Fortè idem opidum etiam TREBA dictum interdum fuit; unde poſtmodùm aliis vocatum *Trebia*; quod nomen fuit proprium opido in Vmbriâ inter Spoletium & Fulginium: unde hodiéque *Trevi* vulgare durat vocabulum; ut ſuprà cap. VII in Vmbris oſtenſum. Certè Aequanorum opidum *Treba* aliis etiam *Trebula* dictum fuiſſe, infrà patebit. Situm *Trebulæ* noſtræ *Mutuſcæ* quod attinet; Dionyſius, præſcripto loco, ἀμφὶ τοὺς ἑξήκοντα ςαδίȣς ἀπὸ Ῥεάτȣ ἀφεςῶσαν facit, λόφον ἐπικαθημένην σύμμετρον· id eſt; *Stadia ab Reate* LX *circiter diſtantem, in modico tumulo poſitam.* Stadia LX conficiunt millia paſſuum VII cum paſſibus IƆ. Eſt hodiè eo intervallo atque ſitu opidum ab Reate verſùs ſeptemtriones vulgari adpellatione *Monte Leone*. apud quod, præter alia monimenta, aliquot inſcriptiones antiquæ repertæ, quæ *Trebulæ Metuſcæ* & *Trebulanorum Mutuſcanorum* titulum ferunt. Strabonis

ætate

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

ætate jam tum exiguum fuiſſe opidulum, ipſe teſtis eſt lib. v, in deſcriptione Sabini agri. Τρηβέλα δὲ, inquit, καὶ Ἤρητον, καὶ ἄλλαι κατοικίαι τοιαῦται, κῶμαι μᾶλλον, ἢ πόλεις ἐξετάζοιντ' ἄν. Id eſt: *Trebula verò & Eretum, aliaque id genus opidula, vicis rectiùs, quàm opidis, adnumeraveris.*

TREBVLA SVFFENA, *opidum.*

At Plinio, dicto lib. III cap. XII, alia præter hanc memoratur in Sabinis TREBVLA, *cognomine* SVFFENA: ſive opidani ab hac TREBVLANI SVFFENATES. *Sabinorum*, inquit, *Amiternini, Curenſes, Forum Decii, Forum Novum, Fidenates, Interamnates, Nurſini, Nomentani, Reatini, Trebulani, qui cognominantur Mutuſcæi; & qui Suffenates.* Fuiſſe opidum eo nomine, patet ex ſuprà dictâ Ciceronis epiſtolâ ad Atticum lib. IIII: ubi memoratur *Quintius Suffenas*. Quo ſitu fuerit, minimè liquet.

VESBVLA, SVNA, MEFVLA, ORVINIVM, *opida.*

Sed nec VESBVLA, nec SVNA, nec MEFVLA, neque ORVINIVM, quibus ſingula ſitibus fuerint, conſtat. neque id mirum; quando jam inde Dionyſii tempeſtate in ruinis jacuerint. unde Strabo dicto lib. v: Σαβῖνοι πόλεις ἔχουσιν ὀλίγας, καὶ τεταπεινωμένας διὰ τοὺς συνεχεῖς πολέμους. *Sabini paucas habent urbeis; easque bellis continentibus attritas.* Neque illarum, quas Dionyſius refert, nominum certitudo aliqua elici poteſt; quando ipſe ſolus eas commemorat; exemplaria verò mirum in modum variant. Κεραυνιοι certè nulli in Italiâ fuêre *montes*. nihilque certius, quàm grammaticos Dionyſii exſcriptores id nominis ſuppoſuiſſe; quum eos, quos ipſe auctor perſcripſerat, minùs noſſent; *Cerauniorum* verò ex adverſo Italiæ, ad fauceis Hadriatici ſinus, ſumma foret celebritas.

LISTA & VATIA, *opida.*

Iam vero illa emendatio, Ἀπὸ δὲ Ῥεάτε πάλιν ἐπὶ τὴν Λατίνην ὁδὸν ἰοῦσιν, id eſt, *Ab Reate rurſum versùs Latinam viam euntibus*; nullo pacto ſubſiſtere poteſt. nam *Latina via*, per medium Latium ducta, XL fermè millia paſſuum ab Reate aberat. & ſecandæ erant, antequàm ad eam perveniretur, *Valeria, Præneſtina, Lavicana*. Commodiùs vulgaris lectio retineri poteſt: τὴν ἐπὶ Λατίνην ὁδὸν ἰοῦσιν, id eſt, *versùs Latium euntibus*. quidpe opida iſta, Βατία, Τιώρα ἡ καλουμένη Ματιήνη, Λίστα, Κοτυλία, BATIA ſive VATIA, TIORA *cognomine* MATIENA, LISTA, COTYLIA, omnia circa Velinum fuêre amnem, inter Reate & Aquilam opidum. *Cotyliam* fuiſſe circa opidum, cui vulgaris adpellatio *Città Ducale*, jam anteà dictum eſt; ac mox certis patebit documentis. *Liſtam* eodem tractu fuiſſe, patet ex his Dionyſii verbis: Λίστα, μητρόπολις Ἀβοριγίνων· ἣν παλαιότερον ἔτι Σαβῖνοι, νύκτωρ ἐπιστρατεύσαντες ἐκ πόλεως Ἀμιτέρνης, ἀφύλακτον αἱροῦσιν. id eſt: *Liſta, caput gentis Aboriginum: quam jam inde antiquis temporibus Sabini, noctu ex Amiternâ urbe profecti, ex improviſo ceperunt.* Prope igitur fuit *Liſta* Amiternam; quam in ulteriori Apennini latere fuiſſe apud Aternum amnem, qui nunc vulgò eſt *La Peſcára*, inter fonteis amnis & Aquilam opidum, mox infrà docebitur. Nec procul abfuit Liſta à Reate. huc enim, ut in proximum locum, confugerunt, qui cladi patriæ ſuæ ſuperſtites erant. Fuerit igitur

TIORA *opidum.*

Liſta haud ita procul à Civitate Ducali, verſùs meridiem euntibus. A Liſta abfuiſſe *Tioram* XXIIII ſtadia, id eſt III millia paſſuum, auctor eſt Dionyſius. qui quot ſtadia poſuerit inter hanc & Reate, quo loco nunc legitur vitioſa vox τελακοσίων, incertum eſt. In antiquis martyrologiis vocabulum id fœdè corruptum eſt. Vſuardus: *Septimo Idus Iulii in civitate Thyro paſſio ſanctorum Anatoliæ & Audacis, ſub Decio imperatore.* Alia exemplaria habent *Thyre*, alia item *Thurium*. Ado: *In civitate Tyriæ natalis ſanctorum Anatoliæ & Audacis, ſub Decio imperatore. quorum Anatolia quum multos in Piceno infirmos lunaticos ac dæmoniacos curaſſet, ducta eſt, jubente Fauſtiniano, ad civitatem Tyriæ, & diverſis plagarum generibus vexata. deinde cum ſerpente totâ nocte incluſa, nihil læſa eſt. quin & ipſum Marſum, qui ſerpentem demiſerat, nomine Audacem, manè à ſuo ſerpente devorandum eripuit; & ad Chriſti martyrium convertit.* Mox: *Paſſa eſt* VII *Iduum Iuliarum. ſepulta autem manè à civibus Tyrienſibus.* Martyrologium vetus Romanum: *In civitate Tyriæ Anatoliæ & Audacis.* Martyrologium vulgare Romanum: *In civitate Thorâ, apud lacum Velinum paſſio ſanctorum Anatoliæ & Audacis, ſub Decio imperatore.* Ad quæ Baronius: *Legebatur in aliis martyrologiis; Tyri, ad lacum Vulſinum. ſed pro Thyro, ſeu Thurio, vel Thyre, Thora, & pro lacu Vulſino Velinus eſt poſitus. In martyrum Actis Thurenſis, pro Thorenſis ſeu Thoranâ, mendoſè legitur. vetera enim monumenta eius eccleſiæ, firmaque traditio populi, hos, de quibus heic agitur, martyres ibi paſſos eſſe, absque aliquâ ambiguitate teſtantur.*

ea eccle

ea eccleſia eſt, ut accepi, in diœceſi Reatinâ. Lacum *Vulſinienſem* poſteà barbaro ſæculo dictum fuiſſe *Vulſinum*, & aliquando ab opido *Tyro*, juxtà ſito, *Tyrenſem*, ſuprà capite III huius libri II oſtenſum eſt. hinc igitur iſtis Martyrologis auctoribus ex vocabulorum ſimilitudine facilis error. *Velinum* autem ſcriptum fuiſſe, ego cenſeo, ab initio non *lacum*, ſed *amnem*. lacus quià amne longè celebrior; facilè hæ voces commutari potuerunt. *Tiora* igitur apud Velinum amnem inter Reate & Civitatem Ducalem poſita, XL circiter ſtadia, id eſt, millia paſſuum V ab Reate diſtat. à qua III porrò erant millia ad Liſtam, verſùs meridiem & Latium novum, cuius terminus ab oriente erat Liris amnis, vulgò nunc *Garigliano*, euntibus. Ab eâdem Tiorâ ad mille paſſus, ab Reate IIII ferè millia, id eſt, ſtadia XXX, fuit *Vatia*.

Cæterùm NEMINIA *fons* memoratur Plinio lib. II cap. CIII in eodem hoc Reatino agro. *In Reatino*, inquit, *fons Neminia adpellatus, alio atque alio loco exoritur; annonæ mutationem ſignificans*. Sed de hoc hodiè nihil conſtat. In Sotionis fragmentis de Mirandis fontium fluminumque & lacuum ita legitur. Φησὶν Ἰσίγονος περὶ Κλείτορας εἶναι κρήνην, ἐξ ὅταν τις τοῦ ὕδατος πίῃ, οὐκ ἔτι τὴν ὀσμὴν οὐ φέρει. Ὁ αὐτός φησιν, ἐν Ἰταλίᾳ ἐν τῷ Ῥεατίνῳ ἀγρῷ κρήνην εἶναι Μέντην ὀνομαζομένην, ὁμοίαν τῇ προειρημένῃ. Id eſt: *Iſigonus tradit, apud Clitorios eſſe fontem, cuius ſi quis bibat aquam, odorem vini non ferre. Idem adfirmat in Italia Reatino agro fontem eſſe Mentem nomine, eiusdem cum modò dicto naturæ*. Haud dubiè idem eſt ille Plinii *Neminia fons*. ſcriptumque fuit à Sotione aut Νεμηνίαν, aut ſaltem Νεμήνην. NEMINIA *fons*.

AMITERNVM *opidum* memoratur Varroni, Livio, Dionyſio, Straboni, Ptolemæo, Tabulæ itinerariæ, ac Paullo Diacono. ſed huic eſt AMITERNVS; more poſterioris ævi; quo pleraque opidorum vocabula neutra fecêre feminini generis formatione maſculinâ in *us*; ut ſæpiùs monui. Dionyſio autem ſuprà ſcripto loco & item lib. II eſt feminino genere Ἀμιτέρνα, AMITERNA. Opidani inde ſunt Varroni Ruſticar. rer. lib. II cap. VIIII, & de Lingvâ Latinâ lib. IIII, Livio lib. XXI, Columellæ lib. X, Straboni lib. V, Plinio lib. III cap. XII, AMITERNINI. Virgilius, & huius imitator Silius, poëticè metri causâ dixêre *Amiternam cohortem*: & item Martialis lib. XIII epigr. XX *Amiternum agrum*. Ptolemæum hoc opidum perperam in Sabinorum conterminâ gente Veſtinis poſuiſſe, jam anteà ſuperiori capite dictum eſt. verùm quia hunc eius errorem à doctiſſimis quibusdam viris obſtinatè defendi video; ipſa aliorum auctorum in teſtimonium rei controverſæ adducantur verba. Varro de Lingvâ Latinâ lib. V: *Dicitur crepuſculum à crepero. id vocabulum ſumpſerunt à Sabinis. unde veniunt Crepuſci nominati Amiterno; quòd eo tempore erant nati; ut Lucii, primâ luce*. Dionyſius lib. I: Λίστα, μητρόπολις Σαβίνων· ἣν παλαιότερον ἔτι Σαβῖνοι, νύκτωρ ἐπιστρατεύσαντες ἐκ πόλεως Ἀμιτέρνης, ἀφύλακτον αἱροῦσιν. id eſt: *Liſta, caput gentis Aboriginum: quam Sabini jam inde antiquis temporibus, noctu ex Amiternâ urbe profecti, ex improviſo ceperunt*. Et lib. II: Κάτων δὲ Πόρκιος πρώτην τῶν Σαβίνων οἴκησιν ἀποφαίνει γενέσθαι κώμην τινὰ καλουμένην Τεστρίναν, ἀγχοῦ πόλεως Ἀμιτέρνης κειμένην. id eſt: *Porcius Cato ait, primam Sabinorum ſedem fuiſſe vicum quemdam nomine Teſtrinam, haud procul Amiternâ urbe ſitum*. Strabo lib. V: Πόλεις δ᾽ ἔχουσιν οἱ Σαβῖνοι ὀλίγας καὶ τεταπεινωμένας διὰ τοὺς συνεχεῖς πολέμους, Ἀμίτερνον καὶ Ῥέατον, ᾧ πλησιάζει κώμη Ἰντεροκρέα, καὶ τὰ ἐν Κωτιλίαις ψυχρὰ ὕδατα. Id eſt: *Opida habent Sabini pauca; eaque continentibus bellis attrita; Amiternum & Reate; cui vicinus eſt vicus Interocrea, & aquæ frigidæ ad Cutilias*. Plinius lib. III cap. XII: *Sabinorum Amiternini, Curenſes*. Virgilius Aeneid. lib. VII: AMITERNVM *urbs*.

Ecce, Sabinorum priſco de ſangvine, magnum
Agmen agens Clauſus:
Vnà ingens Amiterna cohors, priſcique Quirites,
Ereti manus omnis.

Silius lib. VIII:

Ecce inter primos, Theramneo à ſangvine Clauſi,
Exſultat rapidis Nero non imitabilis auſis.
Hunc Amiterna cohors, & Bactris nomina ducens
Caſperula, hunc Foruli, Magnæque Reate dicatum
Cœlicolûm matri, necnon habitata pruinis
Nurſia, & à Tetricâ comitantur rupe cohortes.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Tot igitur graviſſimis auctoribus nequidquàm unius Ptolemæi, geographi rarò exacti, fidem atque auctoritatem præferas. Situm opidi Varro maximè atque Strabo indicarunt. Varro de Lingvâ Latinâ lib. IIII: *Amnis id flumen eſt, quod circuit aliquid. nam ab ambitu amnis. Ab hoc, qui circùm Aternum habitant amnem, Amiternini adpellati.* Strabo dicto lib. V; Ἐπ' αὐτῇ δὲ τῇ θαλάττῃ τό τε Ἄτερνον, ὅμορον τῇ Πικεντίνῃ, ὁμώνυμον δὲ τῷ ποταμῷ τῷ διορίζοντι τήν τε Οὐηστίνην καὶ τὴν Μαρρουκίνην· ῥεῖ γὰρ ἐκ τῆς Ἀμιτερνίνης, διὰ δὲ τῆς Οὐηστίνης, παραλιπὼν ἐν δεξιᾷ τοὺς Μαρρουκίνους. Hoc eſt: *Ad ipſum mare eſt Aternum, Piceno conterminum; eiusdem nominis cum flumine, quod Veſtinos à Marrucinis dirimit. fluit quidpe ex Amiternino agro per Veſtinos; relictis ad dextram Marrucinis.* Fuit igitur *Amiternum* haud procul fonte Aterni; quem Peſcáram nunc vocari, infrà oſtendetur. Viſuntur hodiéque ruinæ eius haud procul ſiniſtrâ amnis ripâ, inter fonteis eius & Aquilam urbem, propè opidulum, cui vulgare nomen *S. Vittorino*, V circiter millia ab Aquilâ, in plano montis dorſo. ſunt verò reliquiæ magnorum ædificiorum, templorum, turrium, atque theatri. Vſuardus in Martyrologio: *Nonis Septembribus, Romæ beati Victorini martyris. qui, ſanctitate & miraculis præclarus, ſacerdotium Amiterninæ urbis totius populi electione adipiſcitur.* Atque huc etiam rectè quadrat illud Livii lib. XXVI: *Cœlius Romam euntem ab Ereto divertiſſe eò Hannibalem tradit. iterque eius ab Reate Cutiliisque & ab Amiterno orditur. ex Campaniâ in Samnium, inde in Pelignos perveniſſe: præterque opidum Sulmonem in Marrucinos tranſiſſe. inde Albenſi agro in Marſos. hinc Amiternum Forulosque vicum veniſſe.* Atque hoc ſitu trans Apenninum in Veſtinorum confinio quum fuerit *Amiternum*, facillimo errore Ptolemæus id Veſtinis adſcribere potuit. Antiquiſſima eius origo è Dionyſio maximè cognoſcitur, locis proximè perſcriptis. namque Sabini ex his oris Aborigines Pelaſgosque expulerunt, ante bellum Troianum; ut infrà in Latio docebitur. Vtrùm autem ipſi tum primùm id conſtituerint opidum; an verò jam anteà ab Aboriginibus, & ante hos ab Vmbris habitatum fuerit, incertum eſt. hoc certè primum inhabitarunt Sabini, à Teſtrinâ vico, ut ait Cato apud Dionyſium, profecti. hinc poſteà Liſtam, Aboriginum caput, & reliqua inde Sabini agri loca occuparunt. Cæterùm apud Livium lib. X ita ſcriptum eſt: *Conſul Sp. Carvilius cum legionibus in Samnium profectus, Amiternum opidum de Samnitibus vi cepit.* Nempe, non in ipſo Samnio, propriè ſic dicto, erat *Amiternum*; ſed in Samnitium tum ditione; ut infrà in Samnitibus pluribus documentis atque exemplis explicabitur.

FVRCONIVM *opidum.*

Infra Amiternum ad VIII millia paſſuum apud dextram Aterni ripam, ex adverſo Aquilæ, quæ III inde millia abeſt, fuit FVRCONIA ſive FVRCONIVM *opidum*: cuius ruinæ hodiéque vulgò dicuntur *Forconio*. Paul. Diaconus Langobard. rer. lib. II, ubi poſteriorem Italiæ diviſionem refert, ita tradit cap. XX: *Tertia decima provincia Valeria, cui eſt Nurſia adnexa, inter Vmbriam & Campaniam Picenumque conſiſtit, quæ ab oriente Samnitum regionem attingit. habet urbeis, Tiburim, Carſiolis, Reate, Furconium, & Amiternum, regionemque Marſorum.* Martyrologium Romanum: *Nono Kal. Auguſti Amiterni in Veſtinis paſſio ſanctorum militum* LXXXIII. Præcipuos huius cohorteis fuiſſe *Florentium* & *Felicem*, ex manuſcriptis quibusdam actis, quæ Aquilæ adſervabantur, adfirmat Baronius. hinc aliud Martyrologium vetus Romanum: VIII *Kalend. Auguſti Furconii in Veſtinis ſanctorum martyrum Florentii & Felicis.* Ergo *Furconium* eiusdem regionis cum Amiterno. At hoc non in *Veſtinis*, ſed in Sabinis fuiſſe, ſuprà oſtenſum eſt. Quamquàm præfractè repugnare nolim, iſto ſæculo ſub *Veſtinorum* nomine fuiſſe habitum utrumque opidum. De cætero mentio fit Furconienſis eccleſiæ in concilio Romano, ſub Agathone; quod recitatur in Synodo VI act. IIII.

INTEROCREA *opidum.*

Ἰντεροκρέα κώμη, INTEROCREA *vicus*, Straboni præſcripto loco memoratus, Itinerariis Romanis eſt INTEROCRIVM. Strabo dicto lib. V: Ἀμίτερνον καὶ Ῥέατον· ᾧ πλησιάζει κώμη Ἰντεροκρέα, καὶ τὰ ἐν ταῖς Κουτυλίαις ψυχρὰ ὕδατα. Id eſt: *Amiternum & Rete. cui propinquus eſt vicus Interocrea & frigidæ aquæ ad Cutilias.* Itineraria iter hac deſcriptum habent huiusmodi:

Tabulæ;

Tabulæ;		Antonini;	
Reate		*Reate*	
Aquæ Cutiliæ	VIIII.	*Cutilias*	XVIII.
Interocrio	VII.	*Interocrio*	VI.
Foroecri	XII.	|	
Falacrinis	IIII.	*Falacrino*	XVI.
|		*Vico Badies*	VIII.
Ad Martis	XVI.	|	
Surpicane	VII.	|	
|		*Ad Centeſimnm*	X.
Ad Aquas	IX.	|	
Aſclo Piceno	X.	*Aſclo*	XII.

Vocatur *Interocrium* hodiè quoque vulgò *Interdoio*, *Interdoco*, *Anterdoio*, *Anterdoco*, *Antredoio*, *Antredoco*. Strabo equidem κώμην, id eſt, *vicum*, ſuâ ætate fuiſſe teſtatur. at in Tabulâ itinerariâ primariæ urbis ſigno conſpicitur.

CVTILIAE *opidum* memoratur, præter præſcripta Itineraria, Livio, Dionyſio, Straboni, Senecæ, Plinio, Svetonio, Dioni, Feſto. ſed Dionyſio ſingulari numero vocatur Κοτυλία. COTYLIA. quod & ipſum in antiquiſſimo oraculo eſt Κοτύλη, COTYLE; ut mox videbimus. Latini ſuâ linguâ *o* in *u*, & *υ* in *i*, confineis literas mutarunt. Poſteriores hinc Græci ſub Romanis imperatoribus auctores, Strabo, Sotion, Dio, è Latinâ formatione fecére Κουτιλίαι, & Κουτιλίαι, ſive Κουτιλία. quod Plinius quoque ſingulari numero habet lib. III cap. XII CVTILIA. Sed quum lacus fuerit eodem nomine juxtà ſitus; incertum, hic ab urbe, an urbs ab illo id nominis acceperit. Dionyſius dicto lib. I: Ἀπὸ δὲ σταδίων ἑβδομήκοντα Ῥεάτου Κοτυλία πόλις ἐστὶν ἐπιφανὴς, πρὸς ὄρει κειμένη· ἧς ἐστιν οὐ πρόσω λίμνη τεττάρων πλέθρων ἔχουσα τὴν διάστασιν, αὐθιγενοῦς πλήρης νάματος ἀεννάου τε ἀεὶ, βάθος, ὡς λέγεται, ἄβυσσος. ταύτην, ἔχουσάν τι θεοπρεπὲς, ἱερὰν τῆς Νίκης οἱ ἐπιχώριοι νομίζουσι· καὶ περιείρξαντες κύκλῳ στέμμασι, τοῦ μηδένα τῷ νάματι πελάζειν, ἄβατον φυλάσσουσιν, ὅτι μὴ καιροῖς τισὶ διετησίοις, ἐν οἷς ἱερὰ θύουσιν, ἃ νόμος, ἐπιβαίνοντές τινες ἐν αὐτῇ νησῖδος, εἰς ὅσιον. ἡ δὲ νῆσός ἐστι μὲν ἀμφὶ τὴν πεντήκοντα ποδῶν τὴν διάμετρον· ὑπερανέστηκε δὲ τοῦ νάματος, οὐ πλεῖον ἢ ποδιαῖον ὕψος. ἀνίδρυτος δ' ἐστὶ. καὶ περινήχεται πολλαχῇ, δινούμενος αὐτὴν ἄλλοτε κατ' ἄλλους πνέοντος τοῦ πνεύματος. χλόη δέ τις ἐν αὐτῇ φύεται βουτόμῳ προσεμφερὴς, καὶ θάμνοι τινὲς οὐ μεγάλοι· πρᾶγμα κρεῖττον λόγου τοῖς ἀθεάτοις ὧν ἡ φύσις δρᾷ, καὶ θαυμάτων οὐδενὸς δεύτερον. Hoc eſt: *Septuaginta ſtadia ab Reate clara eſt urbs Cotylia, ad montem ſita. nec longè ab eâ lacus quatuor jugerum magnitudine, nativis & perennibus fluentis plenus; immenſæ, ut perhibent, profunditatis. Hic quia aliquid divini in ſe habet, Victoriæ ſacrum indigenæ autumant. & circumquaque coronis cincto neminem adpropinquare ſinunt. inacceſſosque ſervant eos latices; niſi, quum ſtata ſacra, poſt biennium recurrentia, ſuo ritu faciunt, iis, quibus fas eſt, parvam eius inſulam ingreſſis. Ea diametrum habet L pedum. nec plus quàm pedem ex aquis exſtat. inſtabilis, & huc illuc plerumque fluitans; aliis aliò ventis eam impellentibus. gramen in eâ quoddam provenit, butomo ſeu carici ſimile; ſimulque dumi quidem haud magni. res ſanè ſuper captum eorum, qui naturæ contemplationum imperiti ſunt; nulloque miraculo inferior.* Strabo lib. V: Πόλεις δ' ἔχουσιν οἱ Σαβῖνοι ὀλίγας καὶ τεταπεινωμένας διὰ τοὺς συνεχεῖς πολέμους, Ἀμίτερνον καὶ Ῥέατον· ᾧ πλησιάζει κώμη Ἰντεροκρέα καὶ τὰ ἐν Κουτιλίαις ψυχρὰ ὕδατα, ἀφ' ὧν καὶ πίνουσι, καὶ ἐγκαθιζόμενοι θεραπεύουσι νόσους. Id eſt: *Sabini paucas habent urbeis, easque continentibus bellis attritas: Amiternum, & Reate: cui propinquus eſt vicus Interocrea, & frigidæ aquæ apud Cutilias: quas bibunt; iisque inſidentes morbis medentur.* Dio lib. LXVI: Οὐεσπασιανὸς δὲ νοσήσας, οὐ τῇ ποδάγρᾳ τῇ συνήθει, ἀλλὰ πυρετοῖς, μετήλλαξεν ἐν τοῖς ὕδασι τῶν Σαβίνων, τοῖς Κουτιλίαις ὠνομασμένοις. Id eſt: *Veſpaſianus morbo correptus; non quidem podagrâ, qua laborare ſolebat; ſed febribus exſtinctus eſt in Sabinorum aquis, quas Cutilias vocant.* Svetonius in Veſpaſiano, cap. XXIIII: *Conſulatu ſuo nono, tentatus in Campaniâ motiunculis levibus; ac protinus Vrbe repetitâ; Cutilias ac Reatina rura, ubi æſtivare quotannis ſolebat, petiit. Heic, quum ſuper urgentem valetudinem creberrimo frigidæ aquæ uſu & inteſtina vitiaſſet; nec eò minùs muneribus imperatoriis ex conſvetudine fungeretur; ut etiam legationes audiret cubans: alvo repentè usque ad defectionem ſolutâ: Imperatorem, ait, ſtantem mori oportere. dumque conſurgit, ac nititur; inter manus ſublevantium exſtinctus eſt.* Vſuardus in Martyrologio:

COTYLE, *ſive* CVTYLIAE, *opidum & lacus.*

Nonis Septembris, Romæ beati Victorini martyris: qui, ſanctitate & miraculis præclarus, ſacerdotium Amiterninæ urbis totius populi electione adipiſcitur. Inde poſtmodùm ſub imperatore Nervâ juſſus eſt ſuſpendi capite deorſum, in loco, ubi putentes & ſulphureæ emanant aquæ. Ado item in Martyrologio: *Apud eum locum, qui Cotilias adpellatur: ubi putentes aquæ emanant & ſulphureæ.* De inſulâ ſic etiam Plinius lib. II cap. XCV: *Quædam inſulæ ſemper fluctuant: ſicut in agro Cæcubo, & Reatino, Mutinenſi, Statonienſi, in Vadimonis lacu: & ad Cutilias aquas opaca ſilva; quæ numquàm die ac noctu eodem loco viſitur.* Seneca Natural. quæſt. lib. III cap. XXV: *Ipſe ad Cutilias natantem inſulam vidi. Alia in Vadimonis lacu vehitur: alia in lacu Statonienſi. Cutiliarum inſula & arbores habet, & herbas nutrit: tamen aquâ ſuſtinetur; & in hanc atque illam partem non tantùm vento impellitur, ſed & aurâ. nec umquàm illi per diem & noctem in uno loco ſtatio eſt: adeò movetur leni flatu. Huic rei duplex cauſa eſt. aquæ gravitas medicatæ, & ob hoc ponderoſæ; & ipſius inſulæ materia vectabilis; quæ non eſt corporis ſolidi, quamvìs arbores alat. fortaſſe enim leveis truncos frondeisque in lacu ſparſas pingvis humor adprehendit ac vincit. itaque etiam, ſi qua in illâ ſaxa ſunt, invenies exeſa & fiſtuloſa: qualia ſunt, quæ duratus humor efficit; utique circa medicatorum fontium rivos: quæ, ubi purgamenta aquarum coaluerunt, ex ſpumâ ſolidantur. neceſſariò leve eſt, quod ex ventoſo inanique concretum eſt.* Fragmenta Sotionis de Mirandis fluminum, fontium, ac lacuum: Ἐπὶ τῆς ἐν Ἰταλίᾳ λίμνης καλουμένης Βενάκου, ὅσης ἡ περίμετρον σταδίων φ', νῆσός ἐστιν οἰκουμένη, κατάφυτος δένδρεσιν ἡμέροις, ἐπινηχομένη καὶ μεταβαίνουσα πρὸς τὰς τῶν πνευμάτων φοράς. Τὸ δ' αὐτὸ τοῦτο καὶ ἐν ἑτέρᾳ λίμνῃ τῆς Ἰταλίας, Κουτιλίᾳ καλουμένῃ, γίνεται. Hoc eſt: *In Italiæ lacu, qui Benacus vocatur, ſtadiaque in circuitu occupat 10, inſula eſt à cultoribus habitata, atque arboribus domeſticis conſita; quæ fluitans hinc inde circumfertur ventis impellentibus. Idem in alio lacu Italiæ fit, qui Cutilia vocatur.* Plinius lib. III cap. XII: *In agro Reatino Cutiliæ lacus, in quo fluctuat inſula.* Pompeius Feſtus: *Cotilæ lacus adpellatur, quòd in eo eſt inſula Cotilia nominata à Græcis.* Hoc an ſatis bonâ fide grammaticus adnotaverit, equidem dubito; quando alii auctores antiquiores omnes numquàm inſulam, ſed ſæpè urbem & lacum eo nomine referunt. in quibus Dionyſius, prædicto lib. I poſteà, ex vetuſtiſſimis Græcorum pariter atque Romanorum monumentis ita tradit: Οἱ δὲ Πελασγοὶ (τυγχάνουσι γὰρ ἐν τούτῳ τῷ χρόνῳ κατὰ δαίμονα περὶ Κοτύλην, πόλιν Ἀβοριγίνων, αὐλιζόμενοι, πλησίον τῆς ἱερᾶς λίμνης·) ὡς τήν τε νησῖδα τὴν ἐν αὐτῇ περιδινουμένην κατέμαθον, καὶ παρὰ τῶν αἰχμαλώτων, οὓς ἐκ τῶν ἀγρῶν ἔλαβον, ἤκουσαν τὸ τῶν ἐπιχωρίων ὄνομα, τέλος ἔχειν σφίσι τὸ θεοπρόπιον ὑπέλαβον. ὁ γὰρ ἐν Δωδώνῃ γενόμενος αὐτοῖς χρησμὸς, ὅν φησι Λεύκιος Μάμιος, ἀνὴρ οὐκ ἄσημος, αὐτὸς ἰδεῖν ἐπί τινος τῶν ἐν τῷ τεμένει τοῦ Διὸς κειμένων τριπόδων, γράμμασιν ἀρχαίοις ἐγκεχαραγμένον, ὧδε εἶχε·

Στείχετε, μαιόμενοι Σικελῶν Σατορνίαν αἶαν,
Ἠδ' Ἀβοριγινέων Κοτύλην, οὗ νᾶσος ὀχεῖται.
Οἷς ἀναμιχθέντες, δεκάτην ἐκπέμψατε Φοίβῳ.

Hoc eſt: *Pelaſgi, qui tum fortefortunà circa Cotylen, Aboriginum urbem, prope ſacrum lacum ſtativa habebant; poſtquàm contemplati ſunt fluitantem in eo inſulam; & ex captivis, quos in agris interceperant, audiverunt adpellationem eius regionis hominum; crediderunt finem jam habere ſuum oraculum. nam apud Dodonam redditum eis reſponſum, quod L. Mammius, vir non obſcurus, ait ſe vidiſſe in templo Iovis antiquis literis inſculptum cuidam ſacratorum tripodum, ſic habebat:*

Pergite, quærentes Siculûm Saturnia rura,
Atque Aboriginidem Cotylen; ubi ſe inſula vectat.
Queis miſti, decimas Clario transmittite Phœbo.

Antiquiſſimum hoc ſanè de *Cotylâ* urbe oraculi teſtimonium: ut quod non annis, ſed ſæculis aliquot ante bellum Troianum Pelaſgis redditum fuit; ut ſuprà cap. I huius libri II oſtenſum. unde patet, *Cotyliæ* lacum fuiſſe ita adpellatum, non quòd in eo inſula erat, *Cotyla* Græcis nominata; quod vult Feſtus grammaticus; ſed quia apud *Cotylam* fuit ſitus urbem; quam poſteriores mortales, ut & lacum, adpellarunt *Cotyliam*, & *Cutiliam*; ac plurali numero *Cotylias* & *Cutilias*. & lacus dictus *Cutiliæ aquæ*: ac ſingulari numero *Cutilia aqua*, Plinio lib. XXXI cap. VI. *Eſt*, inquit, *utilis ſulphurata aqua nervis; aluminata paralyticis, aut ſimili morbo ſolutis. bituminata aut nitroſa, qualis Cutilia, utilis eſt bibendo atque purgationibus.* At Varroni atque Macrobio CVTILIENSIS dicitur *lacus*. Varro de Lingvâ Latinâ lib. IIII: *Ab lacu Ve-*

lino Velinia; & nymphæ Commotiæ ad lacum Cutilienſem, à commotu, quòd ibi inſula in aquâ commovetur. Macrobius Saturnalior. lib. I cap. VII, citato eodem oraculo è Varrone, quod è Dionyſio attulimus: *Acceptâ ſorte, quum Latium poſt errores adpuliſſent, in lacu Cutilienſi enatam inſulam deprehenderunt.* Antiquiſſimum igitur urbis nomen fuit κοτύλη, COTYLE, ſive COTYLA. inde gentile formabatur κοτύλιος, COTYLIVS. unde lacus juxtà ſitus dictus eſt κοτυλία λίμνη· id eſt, ſi Latino ore formes, CVTILIVS *lacus*. at Latini tamen Græcam vocis formationem (quod in aliis etiam lacubus atque ſtagnis factum, exempla, quæ Siciliæ lib. I cap. XIII adferuntur, documento ſunt) in ſuam lingvam adſumpsêre, ἡ CVTILIA *lacus*, & τῆς CVTILIAE *lacus*; item CVTILIAE *aquæ*, plurali numero. ab lacu poſteà ipſa etiam urbs dicta eſt κοτυλία COTYLIA; & Latinâ formatione κουτιλία, CVTILIA; ac plurali numero CVTILIAE. ab hoc porrò urbis nomine ipſe *lacus* cognominatus eſt *Cutilienſis*. unde patet, opidanos *Cutiliarum* dictos fuiſſe CVTILIENSES, Apud Stephani epitomatorem ita ſcriptum eſt: Κοσύτη, πόλις Ὀμβρική. Κτησίας τρίτη Περιηγήσεως. τὸ ἐθνικὸν Κοσυταῖος, ὡς Μοτυαῖος τῆς Μοτύης, Σικελίας πολις. Id eſt: *Coſyte, opidum Vmbriæ; auctore Cteſiâ lib. III circuitus Orbis terrarum. Gentilitium inde Coſytæus; ut Motyæus, à Motyâ, Siciliæ opido.* Scriptum fuit ab ipſo Stephano, vel ἡ Σικελίας πόλις, vel Σικελίας πόλεως. Sed, ut permulta alia paſſim vocabula in hoc opere, ſive ab ipſo Stephano, ſive à breviatore eius, mirum in modum ſunt vitiata, (exemplo ſint Δαυέβιον & Τάβιοι, in literis Δ & Τ relata opida; quæ erant veris vocabulis Λαυέβιον ac Γάβιοι) ſic hoc etiam Κοσύτη ab ipſo Cteſiâ, antiquiſſimo auctore; ut qui ſub Artaxerxe Mnemone, Perſarum rege, vixit, teſte Svidâ, annis ferè CCCC ante natum Ieſum; ſcriptum fuiſſe puto Κοτύλη· unde opidani ei erant Κοτυλαῖοι, *Cotylæi*; Romano ore formandi *Cotylani*. Quin illud Κοσύτη quomodò cum Μοτύη rectè conferatur, nondum ego perſpicio. Apud Strabonem ſcriptum erat in vulgatis exemplaribus τὰ ἐν Κωτισκολίαις ὕδατα. quod commentatores purgare conati ſunt in Κωτιλίαις. verùm in primâ ſyllaba ὁ μικρὸν eſſe ſcribendum, è Dionyſio perſpectum eſt. in tertiâ ſcriptum fuiſſe ab Strabone υ, non verò ι, eo argumento colligo, quòd facilior ac pronior lapſus erat in ο ex illo, quàm ex hoc. Ergo ſumma erat huius urbis antiquitas: ut quam ἐπιφανεστάτην τῶν Ἀβοριγίνων, id eſt, *illuſtriſſimam Aboriginum* fuiſſe adfirmat ex Porcii Catonis teſtimonio Dionyſius lib. II. libro autem primo etiam ſuâ ætate adpellat πόλιν ἐπιφανῆ, *illuſtrem urbem*. Tabula itineraria eum locum *Ad Aquas Cutilias* eâdem figurâ, qua alios ſalubrium aquarum locos, depictum exhibet. Locus is hodiéque circa Civitatem Ducalem, ſub monte haud procul à *Paterno* opidulo ſitus, vulgò dicitur *Cotila*: ubi multa magnæ olim urbis viſuntur veſtigia. prope eſt lacus, eâdem figurâ, magnitudine atque naturâ, ut ab antiquis auctoribus deſcribitur, præditus: niſi, quòd inſula nunc nulla in eo fluctuans conſpicitur. nomen ei vulgare eſt *Il Pozzo Ratignano*; id eſt, *Puteus Ratinianus*. juxta hunc alii duo ſunt putei: minores quidem; ſed eiusdem naturæ & immenſæ altitudinis. quorum alter *Pozzo Chiaro*, alter *Pozzo Brutto*, id eſt, *puteus clarus*, & *puteus fœdus* ſive *ſpurcus* atque *immundus*, vocantur. Cæterùm hic *lacus Cutilienſis* quum in medio longitudinis juxtà atque latitudinis eſſet univerſæ Italiæ, VMBILICVS dictus eſt ITALIAE; quemadmodùm *Perguſa lacus*, ſub *Ennâ* urbe, *Vmbilicus* vocabatur Siciliæ: ut in huius deſcriptione lib. II cap. VII oſtenſum. Plinius lib. III cap. XII: *In agro Reatino Cutiliæ lacum, in quo fluctuat inſula, Italiæ umbilicum eſſe, M'. Varro tradit.* Plinii epitomator Solinus, cap. VIII, quo Italia deſcribitur: *Vmbilicum, ut Varro tradit, in agro Reatino habet.* Alter Plinii breviator, Martianus Capella, lib. VI: *Eius umbilicus in agro dicitur Reatino.* VMBILICVS *Italiæ.*

Porrò locus ille in ſuprà ſcripto itinere inter Interocrium & Aſculum, cui apud Antoninum vocabulum eſt *Falacrino*, in Tabulâ verò *Palacrinis*, Svetonio quoque memoratur in Veſpaſiano, capite II. *Veſpaſianus*, inquit, *natus eſt in Sabinis, ultra Reate, vico modico, cui nomen eſt Phalacrine.* Credo ego, ſcriptum fuiſſe ipſi Svetonio *Phalacrino*. nam unde & quorſum Romano homini, grammaticam diſciplinam profeſſo, in Italici vici vocabulo Græca formatio? quamquàm *Ph* quoque Græcus eſt character: pro quo Antoninus maluit Latino uti *F*. In Tabulâ ſuſpicabar idem *F* vitiatum eſſe ab exſcriptoribus in *P*. at, quia in Svetonii exemplaribus eſt *Ph*; in Tabulâ quoque ſic ſcriptum, credibile eſt; ex quo poſteà interiit *h*. Nomen igitur FALACRINVS *vicus.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

loco fuit FALACRINVS VICVS: Græcè Φαλακρίνη κώμη. &, ſine voce *vicus*, inter-
dum FALACRINVM: ut ferè omnia vicorum vocabula neutro genere expreſſa de-
prehendo, ubi vox *vicus* non adjecta. Idem vocabulum etiam plurali numero fuiſſe
ex Tabulâ adparet FALACRINI, ſeu PHALACRINI: vel feminino genere FA-
LACRINAE, ſeu PHALACRINAE. quorum hoc fortaſſis perſcripſerat Svetonius.
Ceterùm ſitus huius vici ex præſcripto itinere ultra Apenninum fuiſſe diſpicitur,
XVI millia paſſuum ab Interocrio. quà nunc opidum conſpicitur vulgari vocabulo
Amatrice, ad Truentum flumen; quod vulgò nunc eſt *Tronto*.

FORVM DECII, *opidum*.

Altero illo vocabulo corrupto, quod in Tabulâ inter *Falacrinas* & *Interocrium*
eſt *Ferocri*, quid faciendum ſit, planè neſcio; niſi ſuſpicari liceat, ſcriptum fuiſſe
ab auctore Tabulæ *Foro Decii*. nam Plinio lib. III cap. XII inter alia Sabinorum
opida memoratur FORVM DECII. *Sabinorum*, inquit, *Amiternini*, *Curenſes*, *Fo-
rum Decii*, *Forum Novum*, *Fidenates*. At in Iulii Obſequentis libro de Prodigiis
legitur neſcio quod *Forum Eſii*, nullibi aliàs memoratum. quod ipſum longè pro-
piùs accedit ad Tabulæ *Forum Ecri*, quàm Plinii *Decii*. Verùm neque *Ecrius* ne-
que *Eſius* Romanæ genti uſurpata ſunt nomina familiarum illuſtrium. *Deciorum*
autem nomen fuit clariſſimum. Ex itineris ductu, & intervallis in Tabulâ utrim-
que, hinc verſùs Interocrium XII, illinc verſùs Falacrinas IIII millium paſſuum,
notatis, opidum id fuiſſe deprehenditur inter Amatricem & opidum, quod vulgò
dicitur *Città Reale*.

TESTRINA, *vicus*.

Porrò Dionyſius ſuprà dicto lib. II ita tradit: Κάτων δὲ Πόρκιος πρώτην Σαβίνων
οἴκησιν ἀποφαίνει γενέσθαι κώμην τινὰ καλουμένην Τεστρίναν, ἀγχοῦ πόλεως Ἀμιτέρνης κειμένην· ἐξ
ἧς ὁρμηθέντας τότε Σαβίνους εἰς τὴν Ῥεατίνην ἐμβαλεῖν, Ἀβοριγίνων τότε κατοικούντων, καὶ πόλιν αὐτῶν
τὴν ἐπιφανεστάτην Κοτυλίας πολέμῳ χειρωσαμένους κατασχεῖν. Id eſt: *Primam Sabinorum ſedem
tradit Porcius Cato fuiſſe vicum quemdam nomine Teſtrinam, haud procul Amiternâ urbe
ſitum. unde expeditione factâ Reatinum agrum invaſiſſe, Aboriginibus tunc habitatum:
urbemque eorum nobiliſſimam Cutylias armis occupaſſe*. VICVS hic TESTRINA, ſive,
ut alia exemplaria habent Τεστροῦνα, TESTRVNA, quo ſitu fuerit, planè incertum
eſt. nec conſtat, incorruptum ſatis id ſit vocabulum, nec ne; quando nulli alii me-
moratur auctori. In Tabulâ Itinerariâ iter conſignatum eſt huiuſmodi:

Interocrio	
Fiſternas	X.
Erulos	III.
Pitinum	VII.
Priferno	XII.
Amiternus	XII.

Sed ab eodem *Priferno* ad dextram aliud porrò deflectit iter in hunc modum:

Priferno	
Aveia	VII.
Fruſtemas	II.
Alba	XVIII.
Marrubio	XIII.
Sublatio	....

Quum inter Interocrium & Amiterni veſtigia VIII haud ampliùs intercedant millia
paſſuum; ingens ſanè priori iſto itinere factus eſt circuitus, per millia XLIIII. Quo-
rum autem locorum fuerint nomina iſta interjecta, minimè liquet; niſi, quòd *Pi-
tinum* opidum in proximo Piceno fuerit circa Vomanum amnem; ut infrà ſuo loco
patebit. Itaque *Fiſternæ* in hoc itinere non idem poterit eſſe locus cum *Fruſtemis*
poſterioris itineris. ſiquidem *Aveia* nunc eſt *Aquila*; ut in Veſtinis docebo. Ab
Aquilâ autem hodiè quoque XX circiter ſunt millia paſſuum ad Albam, Marſorum
opidum, lacui Fucino vicinum. Quòd ſi verò ſuſpicari libeat, FRVSTEMAS
hasce eſſe eumdem locum, qui apud Dionyſium TESTRVNA legitur; duo millia
paſſuum is ab Aquilâ verſùs Albam abfuit. quo ſitu ferè hodiè exſtat opidulum,
vulgari

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

vulgari adpellatione *Cività Tomaſſa*, antiquorum ædificiorum reliquiis inſcriptionumque monimentis nobile. Alterutrum autem ex dictis vocabulis corruptum eſſe, neceſſe fuerit. Sed hic fortè locus ſub Romano imperio Veſtinis jam adcenſebatur.

De cætero circa Amiternum fuit *vicus* plurali numero FORVLI dictus; Virgilio, Silio, Livio atque Straboni memoratus. Strabo lib. v: Σαβίνων δ' εἰσὶ καὶ οἱ Φόρουλοι, πέτραι πρὸς ἀπόστασιν μᾶλλον ἢ κατοικίαν εὐφυεῖς. Id eſt: *Sabinorum quoque ſunt Foruli; rupes ad rebellionem quàm habitationem, opportuniores.* Livius lib. XXVI: *Cælius, Romam euntem ab Ereto divertiſſe eò Hannibalem, tradit. iterque eius ab Reate Cutiliisque & ab Amiterno orditur. ex Campaniâ in Samnium, inde in Pelignos perveniſſe: præterque opidum Sulmonem in Marrucinos transiſſe. inde Albenſi agro in Marſos. hinc Amiternum Forulosque vicum veniſſe.* Patet ex his, fuiſſe eum vicum inter *Amiternum* & *Cutilias*; ſcilicet in ipſius Apennini aliquâ rupe. Errant illi, qui ſuprà dictam *Civitatem Tomaſam* interpretantur *Forulos*. iter quidpe ab Amiterno Cutilias versùs hàc minimè transit; loco longiùs ad ſiniſtram ab rectâ viâ disſito. Cæterùm Livius equidem diſertè *vicum* adpellat. at haud poſtremæ fuiſſe celebritatis locum, patet ex Virgilio; qui inter alia Sabinorum præcipua antiquiſſimaque opida eum refert lib. VII, his verſibus: FORVLI vicus.

Vnà ingens Amiterna cohors, priſcique Quirites,
Ereti manus omnis, oliviferæque Mutuſcæ;
Qui Nomentum urbem, qui Roſea rura Velini,
Qui Tetricæ horrenteis rupeis montemque Severum,
Caſperiamque colunt, Forulosque, & flumen Himellæ.

Et Virgilium imitatus Silius lib. VIII:

Hunc Amiterna cohors, & Bactris nomina ducens
Caſperula, hunc Foruli, Magnæque Reate dicatum
Cælicolûm matri, necnon habitata pruinis
Nurſia, & à Tetricâ comitantur rupe cohortes.

Ad Virgilium ita Servius: *Caſperia & Foruli civitates fuerunt.* Opidanos inde dictos eſſe *Forenſeis*, tradit ad eumdem poëtæ locum Pomponius Sabinus. *Foruli*, inquit, *opidum Sabinorum. ab eo Forenſes.* Hoc ei haud dubiè ex Ovidio depromptum: qui Faſtor. lib. III ita canit:

Mars Latio venerandus erat; quia præſidet armis.
Arma feræ genti remque decusque dabant.
Quòd ſi fortè vacas; peregrinos inſpice faſtos.
Menſis in his etiam nomine Martis erit.
Tertius Albanis, quintus fuit ille Faliſcis:
Sextus apud populos, Hernica terra, tuos.
Inter Aricinos Albanaque tempora conſtat:
Factaque Telegoni mœnia celſa manu.
Quintum Laurentes, bis quintum Aequiculus acer,
A tribus hunc primum turba Forenſis habet.
Et tibi cum proavis, miles Peligne, Sabinis
Convenit. huic genti quartus utrique deus.

Verùm ſi omnis *Sabinorum* gens quartum habuit menſem Martium; quid attinebat ſpeciatim antè nominaſſe *Forenſeis*? Certè res hæc admodùm eſt ambigua; licèt adfirmantem nuper etiam reperierit magnum auctorem Scaligerum. quem minimè audiendum cenſeo, ubi ait *Foretios* etiam adpellatos fuiſſe eosdem *Foruli* opidanos teſte Plinio. quidpe Plinius lib. III cap. XII Sabinorum recenſet populos, in *regione Italiæ quartâ*. capite autem V, in *regione primâ*, inter alios Latinorum populos *Foretii* etiam ei commemorantur. quibus quòd *Fidenates* conjuncti leguntur, ratio eius rei ſuperiori capite oſtenſa eſt. nempe, quòd hi juxtà & complures alii in ipſis dubiis utriusque gentis incoluerint confiniis. quò *Forulos* vicum minimè trahere poſſis. Sed de *Forenſibus* iſtis plura dicemus infra lib. III cap. IIII.

Extrema hinc Sabinarum urbium versùs ſeptemtriones & Picenum eſt NVRSIA; vulgò nunc *Norſia* & *Norcia* dicta. Memoratur Virgilio, Livio, Columellæ, Silio, Svetonio, Ptolemæo, Dioni, Feſto. Ptolemæus: Σαβίνων πόλις Νυρσία· NVRSIA opidum.

id eſt:

id eſt; *Sabinorum urbs eſt Nurſia*. Livius lib. XXXVII: *Nurſiæ ſereno ſatis conſtabat nimbum ortum, duosque homines exanimatos.* Columella Ruſticar. rer. lib. X:

Gongylis, illuſtri mittit quam Nurſia campo;
Quaque Amiterninis defertur bunias arvis.

Svetonius in Veſpaſiano, cap. I: *Titus Flavius Petronius, municeps Reatinus.* Mox: *Huius filius, cognomine Sabinus, *, apud Helvetios diem obiit; ſuperſtitibus, uxore Veſpaſiâ Pollâ, & duobus ex eâ liberis. quorum maior Sabinus ad præfecturam Vrbis, minor Veſpaſianus ad principatum usque proceſſit. Polla, Nurſiæ honeſto genere orta, patrem habuit Veſpaſium Pollionem.* Dio lib. XLVIII: Ὁ Καῖσαρ ἐπὶ Νουρσίαν ἐς τοὺς Σαβίνους ἐστράτευσε. id eſt: *Cæſar adversùs Nurſiam in Sabinos exercitum duxit.* Opidani inde ſunt Ciceroni lib. II de Finibus bonorum & malorum, Dioni dicto lib. XLVIII, ac Plinio lib. III cap. XII, Νουρσῖνοι, NVRSINI. Virgilii verba ſuprà dicto Aeneid. lib. VII hæc ſunt:

Qui Tiberim Fabarimque bibunt: quos frigida miſit
Nurſia.

Ad hæc ita Servius: *Nurſia, Piceni civitas. frigida autem, aut re verâ, aut certè venenoſa, nocens. Gracchi namque ubique in concionibus ſuis Nurſinos ſceleratos adpellavère. & ſcimus, amare Virgilium hiſtoriarum rem per transitum tangere.* Certè nullam heic intellexit hiſtoriam Virgilii imitator Silius; qui ſuprà dicto lib. VIII ita canit:

——— *Necnon habitata pruinis*
Nurſia.

Frigidam igitur dixit Virgilius, quia inter Apennini *pruinas* ſita.

Ceterùm circa Nurſiam *Veſpaſiorum*, Nurſinæ gentis, fuit *prædium cum villâ*, ut opinor, VESPASIAE dictum. Svetonius dicto cap. I in Veſpaſiani vitâ: *Locus etiam nunc ad ſextum milliarium à Nurſiâ Spoletium euntibus in monte ſummo adpellatur Veſpaſiæ. ubi Veſpaſiorum complura monumenta exſtant; magnum indicium ſplendoris familiæ & vetuſtatis.* Locus igitur hic in aliquo Apennini montis collium fuit inter Nurſiam & S. Anatoliæ fanum, ad Narem amnem ſitum.

FISCELLVS *mons.*

Supra Nurſiam versùs ſeptemtriones eſt FISCELLVS *mons*, pars Apennini; ex quo Nar oritur amnis. Plinius lib. III cap. XII: *Sabini Velinos adcolunt lacus roſcidis collibus. Nar amnis exhaurit illos, è monte Fiſcello labens.* Hodiéque opidulum ſub fontibus amnis ſitum vulgò vocatur *Viſſe*, & *Viſſo*. Hic mons quum inter Sabinos Picenumque poſitus foret; ut poſteà in Piceni deſcriptione clariùs patebit; perperam eum Veſtinis attribuit Silius prædicto lib. VIII, his verſibus:

Haud illo levior bellis Veſtina juventus
Agmina denſavit, venatu dura ferarum.
Qui Fiſcelle tuas arceis Pinnamque virentem,
Paſcuaque haud tardè redeuntia tondet Avellæ.

Verùm conſimili modo continuò pòſt *Corfinium* quoque, Pelignorum opidum, Marrucinis falsò tribuit, his verſibus:

Marrucina ſimul Frentanis æmula pubes
Corfinî populos magnumque Teate trahebat,

Porrò Varro Ruſticar. rer. lib. II cap. I; ubi de feris capris loquitur: *Sunt etiam in Italiâ circùm Fiſcellum & Tetricam monteis multæ.* Et cap. III: *Ovium ſemen tardius eſſe. de quarum velocitate in Originum libro Cato ſcribit hæc: In Sauracti [&] Fiſcello capræ feræ ſunt, quæ ſaliunt è ſaxo pedes plùs ſexagenos.*

TETRICA *mons.*

TETRICA hic Varronis *mons* Virgilio præſcripto Aeneid. lib. VII vocatur *Tetricæ horrentes rupes*; & Virgili imitatori Silio dicto loco *Tetrica rupes*. Vibio Sequeſtro ac Virgilii commentatori Servio eſt TETRICVS *mons*. Vibius in Catalogo montium: *Tetricus, Sabinorum*. Virgilii verſus erant hi:

Qui Tetricæ horrenteis rupeis montemque Severum
Caſperiamque colunt.

SEVERVS *mons.*

Ad quem locum ſic Servius: *Tetricus mons in Piceno aſperrimus. unde triſteis homines tetricos dicimus. Montemque Severum. proprium nomen montis eſt; ſicut agri Roſeus.* Blondo, &, qui Blondum ferè in omnibus ſequutus, Leandro, utrique in Italiæ deſcriptione, SEVERVS *mons* exponitur nunc *Monte Negro*, & *Tetricus Monte di S. Giovanni*, uterque opidum eiusdem adpellationis ſuſtinens, circa Farfari fonteis,

teis,

teis; inter Reate & Anienem amnem opidumque Tibur. at huius ſententiæ ſuæ nullum illi producunt argumentum. unde alii aliis ea nomina maluerunt tribuere montibus, inter Reate Cureisque ſitis. qui fortaſſis eo ducti ſunt argumento, quòd Virgilius præſcripto loco *Tetricam* & *Severum monteis Caſperiamque* in verſuum contextu conjungit. At verò conſimili documento ego collegerim ex Silio, *Tetricam* fuiſſe circa *Nurſiam*. ſic quidpe ille canit loco ſuprà ſcripto:

——— Necnon habitata pruinis
Nurſia, & à Tetricâ comitantur rupe cohortes.

Sanè ut *Nurſiam*, ita *Tetricam* quoque contermino adſcribit Piceno Servius; ut paullo antè & ſuprà ad Nurſiam vidimus. Quin huc etiam facit præſcriptus Varronis locus; ubi ait *circùm Fiſcellum & Tetricam monteis multas eſſe capras feras*. Fuerit igitur *Tetricus mons* circa Nurſiam fortè is, apud quem nunc *crypta Sibyllæ*, vulgò *La Grotta di Sibilla*, ab adcolarum ſimplicitate aut imperitiâ oſtenditur. *Severus*, quia ab eodem rei argumento, quo *Tetricus*, voce Latinâ adpellatus videtur, eodem quoque haud dubiè fuit tractu.

GVRGVRES *montes.*

Nec longè hinc fuêre GVRGVRES *montes*, Roſeæ campo & Reatino opido imminentes. Varro Ruſt. rer. lib. II cap. I: *Itaque greges ovium longè abiguntur ex Apuliâ in Samnium æſtivatum.* Mox: *Muli è Roſeâ campeſtri æſtate exiguntur in Gurgures altos monteis.* Et cap. II: *Nam mihi greges in Apuliâ hibernabant, qui in Reatinis montibus æſtivabant.* Et cap. VIII: *Iidem aſini ſi exacti ſunt æſtivo tempore in monteis, quod fit in agro Reatino, duriſſimis ungulis fiunt.*

CANTERIVS *mons.*

Eidem Varroni eodem lib. II cap. I memoratur & CANTERIVS *mons* in Sabinis. *An non etiam*, inquit, *in mari terrâque ab his regionum notæ? A pecore in mari, quod nominaverunt à capris Aegæum pelagus: ad Syriam, montem Taurum: in Sabinis Canterium montem. Boſphorum, unum Thracium, alterum Cimmerium.* Sed incertum, quo ſitu is mons fuerit; quum complures paſſim celſiores montium vertices jugaque ab invicem discreta cernantur.

MVTELA *mons.*

At propiùs urbem Romam videtur MVTELA *mons*. Frontinus in libro de Agrorum limitibus: *De locis publicis, ſive populi Romani, ſive coloniarum municipiorumve controverſia eſt, quoties ea, quæ neque adſignata neque vendita fuerint, aliquis poſſederit: ut alveum fluminis veterem populi Romani, quem vis aquæ, interpoſita inſula, & diviſi proximi poſſeſſores finibus reliquerint; aut ſilvæ, quas ad populum Romanum multis locis pertinere, ex veteribus inſtrumentis cognoſcimus; ut ex proximo in Sabinis in monte Mutelâ.* Eadem verba recitat & Aggenus Vrbicus in Commentario ad Frontini dictum librum. Proximus in Sabinis mons, qui alicuius ſit altitudinis, eſt is, qui, inter Tibur & Farfari amnis confluenteis, vulgò dicitur *Monte Genaro*. Sed dubium eſt, utrùm proximum in Sabinis voluerit Frontinus *montem*, an proximum *inſtrumentum*.

AVENS *fluvius.*

Sed & AVENS *fluvius* in Sabinis Varroni memoratus, quis hodiè cenſendus ſit, incompertum eſt. Servius ad Virgilianæ Aeneid. lib. VII: *Varrò dicit, de Gente populi Romani; Sabinos, à Romulo ſusceptos, accepiſſe montem, quem ab Avente fluvio provinciæ ſuæ adpellaverunt Aventinum.* Romulus inter alios circa Tiberim incolenteis Sabinos *Curenſeis* maximè, Himellam flumen adcolenteis, Romam traduxiſſe fertur. inter Himellam & Anienem tres præcipui amnes in Tiberim defluunt: quorum medius *Farfarus* antiquo hodiéque nomine adpellatur: inter hunc & Anienem alter eſt vulgari vocabulo *Curreſe*: tertius verò inter eumdem Farfarum & Himellam *Galantino*, ſive *Calentino*. hic, ut Curibus Himellæque proximus, minimè fuerit *Avens*. nam *Curium* urbis agrique circumjecti incolæ *Quirites* eum occupaſſe dicuntur in Romanâ urbe collem, qui ab eorum nomine adpellatus eſt *Quirinalis*. ab hoc igitur colle quum remotus longéque discretus ſit *Aventinus* mons; *Aventem* quoque amnem ab Quiritium ſive Curenſium in Sabinis agro paullo remotiorem fuiſſe cenſco: eumque ex hoc argumento colligo fuiſſe *Cureſium*. Ab *Aventis* autem nomine ager circumjectus *Aventinus* videtur adpellatus fuiſſe *pagus*. cuius incolæ Romam tranſlati, monti, quem illic obſederunt, *Aventini* dedêre cognomentum.

FORVM NOVVM, *opidum.*

Memoratur prætereà Plinio lib. III cap. XII FORVM NOVVM opidum in Sabinis: cui & ipſi nullum certum diſpicere queo ſitum. *Sabinorum*, inquit, *Curenſes,*

Forum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Forum Decii, Forum Novum, Fidenates, Nomentani, Reatini, Trebulani; qui cognomi-nantur Mutuſcæi, & qui Suffenates: Tiburtes, Tarinates. Quum in Galliâ quoque Cispadanâ, ut ſuperiori volumine cap. XXVIII in Boiis oſtenſum, & item Hirpinis, ut infrà oſtendetur, fuerint opida eodem *Fori Novi* nomine; incertum eſt, quod-nam ex hisce tribus intellexerit Frontinus in libro de Coloniis; ubi ita ait: *Foro-novanus ager per limites & centurias eſt adſignatus. termini verò Tiburtini & Auguſtéi; canabulæ, vel novercæ, muri, maceriæ, putei. ſed & ſacrificales pali adſixi ſunt; qui di-ſtant à ſe in pedes* CCL, *& ſuprà, usque in pedes* CCCC. *variis autem locis per inſtru-cturas, arcas, rivorum vel fluminum curſus, ſed & juga montium atque ſupercilia, fines ſervantur.* Verùm tamen, Sabini agri *Forum Novum* eum intellexiſſe, perſvadent ea, quæ deinde ſequuntur in hunc modum: *Firmi Piceni ager finitur ſicut ager Foro-novanus.* & mox: *Numentum. ager eius eâ lege continetur, qua & ager Foronovanus.* Comparatio heic fit inter opida inter ſe vicina in Sabino & contermino Piceno agro. TARINVM item, ſive TARINA *opidum* Plinii quo ſitu fuerit, minimè liquet.

TARINVM *opidum.*

De reliquo iter inter Eretum & Reate ex Itinerariis antiquis ſuprà citavi huius-modi:

Tabulæ;		Antonini;	
Ereto		*Ereto*	
Ad Novas	XIIII.	*Vico Novo*	XIIII.
Reate	XVI.	*Reate*	XVI.

VICVS NOVVS.

Ergo idem locus & VICVS NOVVS & AD NOVAS adpellatus fuit. Ex itineris tractu atque intervallis utrimque adpoſitis colligo fuiſſe apud lævam Farfari ri-pam, è regione opidi, cui vulgaris adpellatio *Monte Negro*, in edito colle poſito: apud quod veterum quoque inſcriptionum & alia antiquitatum monumenta re-perta ſunt.

Hæc igitur ſunt Sabini agri opida aliaque loca; quæ antiquis memorantur au-ctoribus. Antiquitatum præterea monumenta hodiè exſtant apud opida, quibus vulgaria vocabula, *Fianello, Monte Aſola, Montopoli, Palombara.*

CAP. X.

De TIBERI *amne; aliisque fluminibus in eum defluentibus.*

ETruriæ Vmbriæque & Sabini agri antiquitatem poſtquàm hactenus exſequuti ſumus; antequàm longiùs ab hisce oris digrediamur, TIBERIM amnem, qui dictas regiones interluit, cæterosque, quos ille recipit fluvios, deſcripſiſſe hoc lo-co, haud alienum fuerit.

TIBERIS varia nomina.

De *Tiberis* adpellatione ita tradit Plinius lib. III cap. V: *Tiberis; anteà Tybris adpellatus; & priùs Albula.* Antiquiſſimum igitur amnis nomen fuit ALBVLA. id-que complures alii quoque teſtantur auctores. Apud Stephani epitomatorem ita ſcriptum eſt: Ἄλβα, πόλις Ἰταλίας, ἣν ἔκτισαν οἱ ἀπὸ τοῦ Λαβινίου Λατῖνοι, Τρῶες ὄντες. καλεῖται δὲ Ἄλβας· ὡς Χάραξ. ἔστι καὶ ποταμὸς Ἄλβας· ὁ νῦν λεγόμενος Τίβερις, Τιβερίνου τοῦ βασιλέως ἐν αὐτῷ θανόντος. λέγεται καὶ Ἄλβη. ὁ πολίτης Ἀλβανός. Id eſt: *Alba, urbs Ita-liæ; quam Latini à Lavinio profecti condiderunt, genere Troiani. Eſt & fluvius Albas; qui nunc vocatur Tiberis, à Tiberino rege, qui in eo interiit. Dicitur & Albe. Opida-nus inde Albanus.* Vehementer heic erravit ille, qui docuit, Tiberim etiam *Al-ben* Stephano vocari: quum Stephanus iſta de opido Latinorum intellexerit *Albâ*; cuius opidani dicebantur *Albani*. Sed & Ἄλβας, ſive Latinâ formatione *Alba*, ut dictus fuerit Tiberis, etiam atque etiam ego dubito: utique quum omnibus La-tinis auctoribus ſit *Albula*; Dionyſio quoque Halicarnaſſenſi eſt Ἀλβούλας, & apud Euſtathium, Dionyſii geographi ſcholiaſten, Ἄλβουλος. Apud Euſtathium hæc ſunt. Ὅτι ὁ Τίβερις, Ἄλβουλος ποτὲ καλούμενος, οὕτω μετεκλήθη, ὡς βασιλέως Τιβερίου ἐν αὐτῷ

αὐτοῦ θανόντος, ἄλλαι τε ἱστορίαι βοῶσι, καὶ ἡ τοῦ Δίωνος. Hoc eſt: *Tiberim, qui olim Albulus dictus, eam nominis mutationem accepiſſe à Tiberino rege, qui in eo exſtinctus eſt, cùm aliæ, tùm Dionis hiſtoriæ clamant.* Verùm haud dubiè ab ipſo Euſtathio ſcriptum fuit Ἀλβούλας, & τοῦ Διονυσίου. ſic quidpe habet Dionyſius lib. I: Ἑξῆς δὲ Τιβερῖνος ἐννεαετῆ χρόνον ἐβασίλευσε. τελευτῆσαι δὲ τοῦτον ἐν μάχῃ, περὶ τῷ ποταμῷ γινομένῃ, λέγεται· παρενεχθεὶς ἢ ὑπὸ τοῦ ῥεύματος, ἐπώνυμον ἑαυτοῦ κατέλιπε τὸν ποταμὸν, Ἀλβούλαν καλούμενον πρότερον. Id eſt: *Poſteà Tiberinus per* VIII *regnavit annos. Hunc periiſſe dicunt in prælio commiſſo apud amnem. abreptumque rapidis huius gurgitibus, effeciſſe, ut, mutato priſco nomine, Tiberinus vocaretur pro Albulâ.* Vti autem cognoſcas, ex Dionyſio ſua habuiſſe de *Albulâ* Euſtathium verba; ipſa etiam adſcribere haud pigebit. Sunt autem iſta: ὅς, φασιν, ἐν μάχῃ πλωτίζων, καὶ ὑπὸ τοῦ ῥεύματος παρενεχθεὶς, ἐπώνυμον ἑαυτοῦ τὸν ποταμὸν ἀφῆκε. Hoc eſt: *Quem aiunt in prælio pereuntem, & rapidis gurgitibus abreptum, amni de ſuo nomine adpellationem reliquiſſe.* Itaque, inter innumera alia, hoc quoque falſum eſt, quod Stephanus huius amnis antiquum nomen tradidit fuiſſe Ἄλβας. Præter Dionyſium Halicarnaſſenſem ac Plinium, alii idem atteſtantur graviſſimi auctores. Virgilius Aeneid. lib. VIII:

Tum reges, aſperque immani corpore Tybris:
A quo pòſt Itali fluvium cognomine Tybrim
Diximus. amiſit verum vetus Albula nomen.

Ovidius, Faſtor. lib. II:

Albula, quem Tiberim merſus Tiberinus in undis
Reddidit.

Et Faſtor. lib. IIII:

Hoſpes Aventinis armentum pavit in herbis
Claviger: & tanto eſt Albula pota deo.

Item lib. V: *Et, quem nunc gentes Tiberim noruntque timentque;*
Tunc etiam pecori deſpiciendus eram.
Arcadis Euandri nomen tibi ſæpè refertur.
Ille meas remis advena torſit aquas.
Venit & Alcides, turbâ comitatus Achivâ.
Albula, ſi memini, tunc mihi nomen erat.

Et item Transformationum lib. XIIII, de Pico:

Ille ſuos Dryadas, Latiis in montibus ortas,
Verterat in vultus: illum fontana petebant
Numina Naiades; quas Albula, quasque Numici,
Quas Anienis aquæ, curſuque breviſſimus Almo,
Narve tulit præceps, & opacæ Farfarus undæ.

Silius lib. VIII:

Sed pater ingenti medios illabitur amne
Albula, & immotâ perſtringit mœnia ripâ.

M. Terentius Varro, de Lingvâ Latinâ lib. IIII: *Sunt, qui Tiberis priſcum nomen Latinum Albulam vocatum, literis tradunt. poſteriùs propter Tiberinum, regem Latinorum, mutatum; quòd ibi interierit. nam hoc eius, ut tradunt, ſepulcrum.* T. Livius lib. I: *Tiberinus, in trajectu Albulæ amnis ſubmerſus, celebre ad poſteros nomen flumini dedit.* Pompeius Feſtus: *Albula Tiberis fluvius dictus ab albo aquæ colore: Tiberis autem à Tiberio Silvio, rege Albanorum; quòd is in eo exſtinctus eſt.* Servius in præſcriptum Virgilii locum: *Albula nomen. Antiquum hoc nomen à colore habuit.* Iſidorus Origin. lib. XIII cap. XXI: *Tiberis à Tiberino, rege Albanorum, dicitur adpellatus; qui in hunc fluvium cecidit; [&] de exitu ſuo nomen [ei] dedit. nam anteà Albula antiquum nomen à colore habuit: quòd nivibus albus ſit.* Sic equidem Virgilius etiam *cæruleum* adpellavit Aeneid. lib. VIII, his verſibus:

——Ego ſum, pleno quem flumine cernis
Stringentem ripas, & pingvia culta ſecantem,
Cæruleus Tiberis.

At magis propriè genuinéque Ovidius *flavum* vocavit paſſim. ut in Faſtor. lib. VI:

Detulerit flavis in mare Tybris aquis.

Triſtium lib. V, eleg. I:

Quot

Quot frutices ſilvæ, quot flavas Tybris arenas,
Mollia quot Martis gramina campus habet.

In carmine ad Liviam:

Ipſe pater flavis Tiberinus adhorruit undis.

Multo veriùs Sidonius Apollinaris Epiſtolar. lib. I, epiſt. V, *Fluenta* dixit *Anienis cærula*. nam cœruleus color albo propinquior eſt, quàm flavo. unde etiam Silius Italicus lib. XII:

Sulfureis gelidus quà ſerpit leniter undis
Ad genitorem Anio, labens ſine murmure, Tybrim.

Atque omnis equidem à fonte usque cœruleus eſt Anio. ad XII autem ab urbe Româ milliarium, quà Tibur itur, ſulfureæ quoque in eum defluunt aquæ, vulgò nunc *La Salforata*, at olim *Albulæ* à colore dictæ; ut mox infrà videbimus: quarum conjunctione ipſe etiam Anio *albulus* efficitur. unde facilis ac prona ſuſpicio, hunc amnem ab initio adpellatum fuiſſe *Albulam*; non verò Tiberim. Verùm tot graviſſimorum ſcriptorum conſentiens evincat, neceſſum eſt, auctoritas. A *Tiberino*, Albanorum rege, poſteà *Tiberim* adpellatum, compluréis ſuprà audivimus auctores. Ovidii, præter præſcripta, hæc quoque ſunt Faſtor. lib. III; ubi reges Albanorum enumerat:

Quumque patris regnum poſt hunc Tiberinus haberet;
Dicitur in Tuſcæ gurgite merſus aquæ.

Et carmine in Ibin:

Vt, vel Euenus torrenti flumine merſus,
Nomina des rapidæ, vel Tiberinus, aquæ.

Item Transformationum lib. XIIII:

—— Regnum Tiberinus ab illis
Cepit; & in Tuſci demerſus fluminis undis,
Nomina fecit aquæ.

At cui grammatico perſvaſeris, à Tiberino potiùs Tiberim, quàm à Tiberi Tiberinum denominatum fuiſſe? Quapropter multis ipſe amnis adpellatus eſt TIBERINVS. Virgilius Γεωργικῶν lib. IIII:

Vnde pater Tiberinus, & unde Aniena fluenta.

Et Aeneid. lib. VI:

Quantos ille virûm magnam Mavortis ad urbem
Campus aget gemitus; vel quæ, Tiberine, videbis
Funera, quum tumulum præterlabêre recentem!

Sub finem Aeneid. lib. VII:

Et Sacranæ acies, & picti ſcuta Labici:
Qui ſaltus, Tiberine, tuos ſacrumque Numici
Litus arant.

Et ſub initium libri VIII:

Huic deus ipſe loci fluvio Tiberinus amœno
Populeas inter ſenior ſe attollere frondeis
Viſus.

Ovidius Faſtor. lib. IIII:

Oſtia contigerat, quà ſe Tiberinus in altum
Dividit, & campo liberiore natat.

Et Faſtor. lib. VI:

Adjacet antiquus Tiberino lucus Helerni.

In carmine ad Liviam:

Ipſe pater flavis Tiberinus adhorruit undis.

Mox:

Quamquam amneis decet ira; tamen, Tiberine, quieſcas.

Et poſteà:

Sic cecinêre deæ: nec tu, Tiberine, repugna.

Livius lib. V: *Ad undecimum lapidem occurſum Gallis eſt, quà flumen Allia haud multum infra viam Tiberino amni miſcetur.* Item lib. XXVIIII: *Poſtquàm navis ad oſtium amnis Tiberini acceſſiſſet.* Verùm alia ab aliis auctoribus Tiberis nomini data origo.

Feſtus:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Feſtus: *Tiberis fluvius dictus à Tiberino, rege Albanorum; quòd in eo cecidiſſet. vel Tiberis à Tiberi, rege Tuſcorum.* Neſcio, an non poſteriora hæc legenda, *Teberis à Teberi, rege Tuſcorum*. namque apud Stephani etiam epitomatorem hæc ſunt: Τέβερις, ποταμὸς Ἰταλίας, ἔνθα ἡ Ῥώμη καὶ ἡ Λατίνων ἐστὶν χώρα· ὡς Ἀπολλόδωρος. Id eſt: *Teberis, amnis Italiæ: ubi Roma & Latinus eſt ager; auctore Apollodoro*. Nec ſuſpicari licet, ſcripſiſſe Stephanum ex Apollodoro Τίβερις, non Τέβερις. medium quidpe hoc vocabulum poſuit Stephanus inter Τεανὸν & Τέγεα· ſequunturque poſt hoc XLII alia vocabula à Τε incipientia. Feſti tamen alia exemplaria habent; *Tibris à Tibri, rege Tuſcorum*. Et Virgilius Aeneid. lib. VIII, ubi Euander varias Italiæ genteis Aeneæ enumerat, ita canit:

Tunc manus Auſoniæ & gentes venêre Sicanæ:
Sæpiùs & nomen poſuit Saturnia tellus.
Tum reges, aſperque immani corpore Tybris:
A quo poſt Itali fluvium cognomine Tybrim
Diximus. amiſit verum vetus Albula nomen.

Ad hæc ita Servius: *Tybris. Hic Tuſcorum rex fuit; qui juxta hunc fluvium pugnans cecidit; & ei nomen impoſuit: vel, ut quidam volunt, à Glauco, Minois regis filio, occiſus eſt. Alii volunt, iſtum ipſum regem latrocinatum eſſe circa huius fluminis ripas, & tranſeuntibus crebras injurias intuliſſe: unde Tybris quaſi Ὕβερις dictus eſt ἀπὸ τῆς ὕβρεως, id eſt, ab injuriâ. nam amabant maiores, ubi adſpiratio eſt, υ ponere. Alii Tiberim, Iani & Cameſenæ filium, ibi in bello periiſſe tradunt. Varro Tiberim à Tiberino quodam, rege Latinorum, quòd ibi interierit, dictum tradit. Alii, ut ſuprà diximus, volunt eos, qui de Siciliâ venerunt, Tybrim dixiſſe à ſimilitudine foſſæ Syracuſanæ, quam fecerunt per injuriam Afri & Athenienſes juxta civitatis murum. Quòd Livius dicit, ab Albano rege Tiberino Tiberim dictum; non procedit: ideò, quia etiam ante Albam Tiberis dictus invenitur. Sed hic Alexandrum ſequitur; qui dicit Tiberinum, Capeti filium, venantem in hunc fluvium cecidiſſe, & fluvio nomen dediſſe. nam & à pontificibus indigetari ſolet.* Scripſerat haud dubiè Servius; *nam & à pontificibus ſic indigetari ſolet*. nam ſuprà, ſub initium eiuſdem Aeneid. libri VIII ita tradidit: *In ſacris Tiberinus, in κωνολεξίᾳ Tiberis, in poëmate Tybris vocatur.* In Aeneidos verò librum III ita commentatur: *Si quando Tybrin. Fluvium: pro quo regem ipſum poſuit Tybrin, qui in hunc cecidit fluvium, & ei nomen dedit. nam anteà Albula dicebatur; ut oſtendit in ſeptimo Virgilius. Alii volunt, non Tybrin cecidiſſe; ſed Tiberinum, regem Albanorum; à quo Tiberis dictus eſt. Vt autem Tybris dicatur, hæc ratio eſt: Quodam tempore Syracuſani, victores Athenienſium, ceperunt Syracuſis ingentem hoſtium multitudinem; & eam, cæſis montibus, fecerunt addere munimenta civitati. tunc, auctis muris, etiam foſſa intrinſecus facta eſt; quæ, flumine admiſſo repleta, munitiorem redderet civitatem. Hanc igitur foſſam, per hoſtium pœnam & injuriam factam, Tybrin vocaverunt, ἀπὸ τῆς ὕβρεως. poſteà profecti Siculi ad Italiam, eam tenuerunt partem, ubi nunc Roma eſt, uſque Rutulos & Ardeam: (unde eſt; Fineis ſuper uſque Sicanos:) & Albulam fluvium ad imaginem foſſæ Syracuſanæ Tybrin vocaverunt, quaſi Ὕβεριν. ut; Effigiem Xanthi Troiamque videtis.* Quàm inſigne hoc putidarum grammaticorum nugarum ſit exemplar; quámque immanis hæc ſæculorum longiſſimè inter ſe diſtantium, tum hominum rerumque geſtarum ſit confuſio; in Siciliæ opere lib. I cap. XII, tum item in additamento ad calcem totius operis legere eſt. Porrò Varro ſuprà dicto de Lingvâ Latinâ lib. IIII: *Tiberis, quod caput extra Latium, ſi inde nomen quoque effluit in lingvam noſtram, nihil Latinum. ut, quòd oritur è Samnio, Volturnus, nihil ad lingvam Latinam. at, quòd proximum opidum ab eo, ſecundùm mare, Volturnum, ad nos jam Latinum vocabulum; ut Tiberinus. nam & colonia noſtra Volturnum, & deus Tiberinus.* Reliqua hinc antequàm addam, priora hæc, fœdè vitiata, ſic reſtituenda cenſeo: *Tiberis ut caput extra Latium, ſic inde nomen quoque effluxit in lingvam noſtram, nihil Latinum.* Pergit inde Varro in hæc verba: *Sed de Tiberis nomine anceps eſt hiſtoria. nam & ſuum Etruria & Latium eſſe credit. Fuerunt, qui à vicino regulo Veientum Dehebri dixerunt adpellatum primò Dehebrim. ſunt, qui Tiberis priſcum nomen Latinum Albulam vocatum, literis tradunt: poſteriùs propter Tiberinum, regem Latinorum, mutatum; quòd ibi interierit. Ait fuiſſe*, qui à Veientum regulo *Dehebri* adpellatum tradiderint amnem *Dehebrim*.

poſteà addit, *eſſe*, qui à *Tiberino*, Latinorum rege, *Tiberim* nominatum tradant. Ergo illa de Veientum regulo vetuſtior traditio. de Latinorum autem rege conjectatio haud dubiè tantùm fuit quorumdam grammaticorum, ex nominis occaſione arrepta. nam, ſi quis Latinorum rex *Tiberinus* nomine fuit; certè ille ab amne *Tiberi* id traxit; ut & *deus Tiberinus*. Atque illud ſanè haud vanum, quòd Etruſcos nomen *Tiberis* ſibi vendicaſſe tradit Varro. namque & hanc unicam puto rationem fuiſſe, cur eum etiam Latini ipſi, non *Vmbrum*, aut *Sabinum*, aut *Latinum*, ſed TVSCVM, & æquipollentibus vocabulis ETRVSCVM, TYRRHENVM, ac LYDIVM, cognominaverint. Virgilius Γεωργικῶν lib. I:

Dii patrii Indigetes, & Romule, Veſtaque mater;
Quæ Tuſcum Tiberim & Romana palatia ſervas.

Aeneid. lib. VIII; ubi Euander Aeneam adloquitur:

Nobis ad belli auxilium pro nomine tanto
Exiguæ vires. hinc Tuſco claudimur amne:
Hinc Rutulus premit, & murum circumſonat armis.

Aeneid. lib. X:

Fatidicæ Mantûs & Tuſci filius amnis.

Ovidius Faſtor. lib. I: —— *Tuſcum rate venit in amnem*
Antè pererrato falcifer Orbe deus.

Faſtorum lib. III:

Quumque patris regnum poſt hunc Tiberinus haberet;
Dicitur in Tuſcæ gurgite merſus aquæ.

De Arte amandi lib. III:

Nec Tuſcus placidâ devehit amnis aquâ.

Et carmine in Ibin:

Dum Tiberis liquidas Tuſcus habebit aquas.

Horatius Carm. lib. III odâ VII:

Quamvìs non alius flectere equum ſciens
Aequè conſpicitur gramine Martio;
Nec quisquam citus æquè
Tuſco denatat alveo.

Et Satyrâ II libri II:

Vnde datum ſentis, lupus hic Tiberinus, an alto
Captus hiet; ponteisne inter jactatus, an amnis
Oſtia ſub Tuſci?

Lucanus lib. I:

Signa ſuper Tuſci ſi ponere Tybridis undas
Heſperios audax veniam metator in agros.

Ovidius Faſtor. lib. VI:

Hæc eſt illa dies, qua tu purgamina Veſtæ,
Tybri, per Etruſcas in mare mittis aquas.

Virgilius Aeneid. lib. VII:

Tyrrhenum ad Tybrim, & fontis vada ſacra Numici.

Statius Silvar. lib. V carm. II:

Ipſe ego te nuper Tiberino in litore vidi,
Quà Tyrrhena vadis Laurentibus æſtuat unda.

Virgilius Aeneid. lib. II:

Ad terram Heſperiam venies, ubi Lydius arva
Inter opima virûm leni fluit agmine Tybris.

Statius Silvar. lib. I carm II:

Lydius unde meos iteraſſet Tybris Iulos.

Antiquiſſimum igitur huius amnis nomen fuit, apud Latinos ALBVLA, apud Etruſcos DEHEBRIS. quod poſteà paullatim mutatum, ſive ab ipſis Etruſcis, ſive à Latinis, in DEBERIS, & TEBERIS, ac tandem TIBERIS. quod anteà fuiſſe TYBRIS, ſuprà audivimus teſtantem Plinium. Scilicet, primi illi Græci, quibus clarum fuit ſive fluvii ſive ipſius maris, ut Scholiaſtæ in Theocriti Idyllium primum interpretantur, apud Syracuſas, Siciliæ urbem, & item apud Bithyniam Aſiæ amnis nomen

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

nomen Θύμβρις, Thymbris; eodem hoc Italiæ etiam flumen *Tiberim* adfecerunt. cuius rei ſimilia exempla innumera paſſim reperiuntur. Hinc igitur Dionyſius in Περιηγήσει·

Αὐτόθι νηήσαντο σὺν ἀνδράσι Τυῤῥηνοῖσι.
Τοῖς δ' ἔπι μέρμερον ἔθνος ἀγαυῶν ἐστι Λατίνων,
Γαῖαν ναιετάοντες ἐπήρατον, ἧς διὰ μέσσης
Θύμβρις ἑλισσόμενος καθαρὸν ῥόον εἰς ἅλα βάλλει·
Θύμβρις ἐΰῤῥείτης, ποταμῶν βασιλεύτατος ἄλλων·
Θύμβρις, ὃς ἱμερτὴν ἀποτέμνεται ἄνδιχα Ῥώμην.

Hoc eſt:

Illic habitarunt cum viris Tyrrhenis.
Poſt hos autem ſagax gens illuſtrium eſt Latinorum;
Terram incolentes amœnam: quam per mediam
Thymbris tractus, limpidum fluentum in mare emittit:
Thymbris pulcrifluus, fluviorum maximè regalis aliorum:
Thymbris, qui amabilem ſecat duas in parteis Romam.

Eodem vocabulo utuntur in Tiberi alii quoque auctores: ut Plutarchus in libro de Virtutibus mulierum; Philoſtratus in vitâ Apollonii, lib. VIII cap. I; Pauſanias in Arcadicis: Herodianus lib. I. Hinc Stephani epitomator; Θύμβρις, ποταμὸς Ῥώμης, ὃς καὶ Τίβερις. id eſt: *Thymbris, fluvius urbis Romæ; qui idem & Tiberis.* Hoc porrò vocabulum propiùs ad *Tiberis* nomen adcommodantes, fecêre Θύβρις, Thybris; & ſine adſpiratione Τύβρις Tybris. unde apud Herodianum quum lib. I legatur τοῦ Θύμβριδος, ſub finem libri VI eſt τὸν Τύβριν. Atque hoc apud Latinos poëtæ tantùm uſurparunt: ex quibus exempla nonnulla ſuprà recitata ſunt; pluraque alia paſſim leguntur. unde illud Servii ad Aeneid. lib. VIII: *In ſacris Tiberinus, in* κοινολεξίᾳ *Tiberis, in poëmate Tybris vocatur.* Et Iſidorus dicto Origin. lib. XIII cap. XXI: *Ipſe eſt autem Tiberis,* inquit, *qui & Tybris. ſed Tiberis in quotidiano ſermone, Tybris in verſu dicitur.* Errant illi, qui hoc vocabulum ſcribunt *Tibris.* ſed multo magis illi, qui *Tiberis* nomen per *v* ſcribunt *Tyberis*: quando omnes pariter Græci auctores habent ι, Τίβρις. Verùm inveteratus jam hic imperitorum poſterioris ævi grammaticorum eſt error: qui *Tibur* quoque & *Tiberius* ſcripsêre *Tybur, Tyberius*; & id genus complura alia. De cætero eidem *Tiberi* amni ab effectibus cognomenta etiam fuêre Rvmon & Serra. Virgilius Aeneid. lib. VIII:

——— *Ego ſum, pleno quem flumine cernis*
Stringentem ripas, & pinguia culta ſecantem,
Cœruleus Tybris.

Ad quæ verba ita Servius: *Stringentem ripas. Radentem; imminuentem. nam hoc eſt Tiberini fluminis proprium; adeò, ut ab antiquis Rumon dictus ſit; quaſi ripas ruminans & exedens. in ſacris etiam Serra dicebatur. in aliquâ etiam urbis parte Terentum dicitur; eò, quòd ripas terat.* Hoc, neſcio, an ſatis compertum habuerit Servius: quando ex compluribus aliis auctoribus conſtat, non fluminis, ſed telluris partem in campo Martio, ad fluminis ripam, adpellatam fuiſſe *Terentum.* Sed hactenus de variis *Tiberis* amnis nominibus diſſeruiſſe ſufficiat.

Ipſe amnis ita deſcribitur à Dionyſio Halicarnaſſenſi lib. I: Ὁ Τίβερις ποταμὸς τὰς μὲν ἀρχὰς λαμβάνει τῆς ῥύσεως ἐκ τῆς ὑπωρείας τῶν Ἀπεννίνων ὀρῶν, εἰς δὲ τὸ Τυῤῥηνικὸν ἐξερεύγεται πέλαγος, Ὠστίας πόλεως πλησίον ἐκδιδούς. Hoc eſt: *Oritur Tiberis amnis ex imis Apenninis jugis; erumpitque in Tuſcum mare, apud Oſtiam urbem ſeſe effundens.* Servius ad Virgilii Aeneid. lib. VII: *Tiberis fluvius in Tuſciâ oritur.* Latiùs Strabo lib. V: Ῥεῖ δ' ἐκ τῶν Ἀπεννίνων ὀρῶν ὁ Τίβερις· πληροῦται δ' ἐκ πολλῶν ποταμῶν· μέρος μέν τι δι' αὐτῆς φερόμενος τῆς Τυῤῥηνίας· τὸ δ' ἐφεξῆς διορίζον ἀπ' αὐτῆς πρῶτον μὲν τὴν Ὀμβρικὴν, εἶτα τοὺς Σαβίνους καὶ Λατίνους. Sic equidem habent pleraque exemplaria. at ego multo malim illud ex Aldi editione διορίζων· quod reſpondet illi φερόμενος· utrumque verò ſpectat ad ὁ Τίβερις. tum pro μέρος μέν τι, lego μέρος μὲν τι. & integram tandem orationem ſic Latinè verto: *Tiberis ex Apenninis defluit montibus: multiſque augetur fluminibus: parte quadam per ipſam delapſus Etruriam; mox ab eâ diſtinguens Vmbriam primò, dein Sabinos Latinoſque.* Plinius lib. III cap. V: *Tiberis, anteà Tybris adpellatus, & priùs Albula, è mediâ ferè longitudine Apennini finibus Arretinorum*

Tiberis deſcriptio.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

norum proſluit : tenuis primò, nec niſi piſcinis corrivatus; novenorum ita conceptu dierum; ſi non adjuvent imbres : emiſſusque, navigabilis; ſicuti Tinia & Glanis, influentes in eum. ſed Tiberis, propter aſpera & confragoſa, ne ſic quidem, præterquàm trabibus veriùs, quàm ratibus. longis meatibus fertur per CL *millia paſſuum, non procul Tiferno Peruſiâque & Oriculo; Etruriam ab Vmbris ac Sabinis, mox, citra* XI *millia paſſuum Vrbis, Veientem agrum à Cruſtumino, dein Fidenatem Latinumque à Vaticano dirimens. ſed infra Tiniam & Glanim duobus & quadraginta fluviis auctus; præcipuis autem Nare & Aniene; (qui, & ipſe navigabilis, Latium includit à tergo) nec minùs aliis aquis ac fontibus in Vrbem perductis, & ideò quamlibèt magnarum navium ex Italo mari capax; rerum in toto Orbe naſcentium mercator placidiſſimus; pluribus propè ſolus, quàm cæteri in omnibus terris amnes, adcolitur adſpiciturque villis. nullique fluviorum minus licet; incluſis utrimque lateribus. nec tamen ipſe pugnat; quamquàm crebris ac ſubitis incrementis; & nusquàm magis aquis, quàm in ipsâ Vrbe, ſtagnantibus. quin imò vates intelligitur potiùs ac monitor auctu ſemper; religioſus veriùs, quàm ſævus.* Plinius Iunior, lib. V epiſt. VI, de villâ ſuâ apud Tiberim *Tuſcis*, quod nunc opidum vulgò *Borgo San Sepolcro* adpellari, ſuprà cap. III huius libri II oſtendi: *Sed ubi aquæ plurimum, palus nulla. quia devexa terra quidquid liquoris accepit, nec abſorbuit, effundit in Tiberim. Medios ille agros ſecat; navium patiens: omneisque fruges devehit in urbem; hyeme dumtaxat & vere: æſtate ſubmittitur; immenſique fluminis nomen arenti alveo deſerit: autumno reſumit.* Dionyſius lib. III: Ὁ Τίβερις ποταμὸς, καταβαίνων ἐκ τῶν Ἀπεννίνων ὀρῶν, καὶ παρ' αὐτὴν δὲ Ῥώμην ῥέων, ἐμβάλλει εἰς τὸ Τυῤῥηνικὸν πέλαγος. ἱκανὸς δ' ἐστὶ ἄχρι μὲν τῶν πηγῶν ποταμηγοῖς σκάφεσιν εὐμεγέθεσιν ἀναπλεῖσθαι, πρὸς αὐτὴν δὲ τὴν Ῥώμην καὶ θαλαττίαις ὁλκάσι μεγάλαις. Id eſt: *Tiberis amnis, ex Apenninis profluens montibus, præterque ipſam delapſus Romam, in Etruſcum ſeſe effundit mare. ad fonteis autem usque fluvialium ſcapharum mediocrium capax eſt; ad urbem verò magnarum etiam navium onerariarum ex mari ſubeuntium patiens.* Nempe ab urbe ad fonteis mediocrium ſcapharum, ab eâdem verò urbe ad oſtium magnarum navium erat capax. Libro autem VIIII de latitudine altitudineque eius, inter urbem & oſtium, ita tradit: Τοῦ δὲ Τιβέρεως ποταμοῦ τὸ μὲν εὖρός ἐστι τεττάρων πλέθρων μάλιστα, τὸ δὲ βάθος, οἷόν τε ναυσὶ πλεῖσθαι μεγάλαις· τὸ δὲ ῥεῦμα, ὥσπερ τι ἄλλο, ὀξὺ καὶ δίνας ἐργαζόμενος μεγάλας· ὃν οὐκ ἔνεστι πεζοῖς διελθεῖν, εἰ μὴ κατὰ γέφυραν. Hoc eſt: *Tiberis amnis latitudo eſt* IIII *fermè jugerum; altitudo, navium etiam magnarum capax: fluxus verò concitatus ac verticoſus, ſi quis alius: peditibus non niſi ponte ſuperabilis.* Hæc igitur de ipſo Tiberi veteres adnotarunt ſcriptores. De duobus eius oſtiis, item de inſulâ, quæ iis continetur, infrà lib. III cap. III agetur.

Amnes in eum confluentes memorantur iſti: *Tinia, Clanis, Nar, Himella, Farfarus, Allia, Cremera, Turia, Anio, Aqua Crabra, Almo, Aqua Fetentina, Interna.* Plinius loco proximè dicto: *Infra Tiniam*, inquit, *& Clanim duobus & quadraginta fluviis auctus: præcipuis autem Nare & Aniene.* Hunc numerum ſi ipſe perſcripſit Plinius, nec verba eius à librariis corrupta ſunt; certè pleroſque etiam alios ille computavit fluvios, qui à modò recitatis amnibus in Tiberim deferuntur.

TINIA *amnis.* TINIA *amnis*, Plinio loco proximè citato & Silio lib. VIII memoratus, Straboni lib. V eſt Τενέας, TENEA. Ναρνία, inquit, δι' ἧς ῥεῖ ὁ Νὰρ ποταμὸς, συμβάλλων τῷ Τιβέρει, μικρὸν ὑπὲρ Ὀκρίκλων, πλωτὸς δ' οὐ μεγάλοις σκάφεσιν· εἶτα Μηουανία, παρ' ἣν ῥεῖ ὁ Τενέας, καὶ οὗτος ἐλάττοσι σκάφεσι κατάγων ἐπὶ τὸν Τίβεριν τὰ ἐκ τοῦ πεδίου. Id eſt: *Narnia, quam Nar fluvius perfluit, paullum ſupra Ocriculos in Tiberim exiens, navigabilis ſcaphis haud magnis. tum Mevania; quam Tenea præterfluit, & ipſe parvis ſcaphis merceis è campeſtribus in Tiberim devehens.* Et eodem libro poſteà: Ὁ Νὰρ καὶ ὁ Τενέας, οἱ διὰ τῆς Ὀμβρικῆς εἰς αὐτὸν καταφερόμενοι ποταμὸν τὸν Τίβεριν. Id eſt: *Nar & Tenea; qui per Vmbriam in eumdem deferuntur Tiberim amnem.* Plinio etiam dicto loco *navigabilis* pronunciatur. Vulgò nunc vocatur adcolis *Il Topino:* oriturque paullo ſupra Nuceriam Camellariam ex Apennino monte. inde Fulginium & Mevaniam (vulgò nunc dicuntur *Fuligno* & *Bevagna*) præterlapſus, infra Peruſiam Tiberi miſcetur. Silio cur *inglorius* dicatur, nondum diſpicio. Verba eius dicto lib. VIII, ubi Vmbriæ exſequitur præcipua opida ac flumina, hæc ſunt:

Sed non ruricolæ firmarunt robore caſtra
Deteriore cavis venientes montibus Vmbri.

Hos

Hos Aeſis Sapisque lavant, rapidasque ſonanti
Vertice contorquens undas per ſaxa Metaurus;
Et lavat, ingentem perfundens flumine ſacro
Clitumnus taurum; Narque albeſcentibus undis
In Tybrim properans; Tiniæque inglorius humor;
Et Clanis & Rubico, & Senonum de nomine Sena.

Simili equidem modo initio libri XIII de Turiâ amniculo cecinit in hæc verba:

Caſtra locat nullâ lædens ubi gramina ripâ
Turia deducit tenuem ſine nomine rivum;
Et tacitè Tuſcis inglorius adfluit undis.

Clasius fluvius.

At hic verè erat *inglorius rivus*: cuius nomen nulla alia res umquàm nobilitavit, præterquàm caſtra Hannibalis ibi locata. Sed de *Clani* etiam ſæpius ſum miratus, cur eum inter Vmbriæ fluvios recenſuerit: quum longè extra huius fineis per Etruriam feratur in dextram Tiberis ripam. eóque aliquando ſuſpicatus ſum, ſcriptum fuiſſe ab ipſo Silio, *Et Claſis & Rubico*. nam CLASIVS *fluvius* memoratur circa Aſſiſium opidum, in vitâ Conſtantii martyris, qui paſſus eſt ſub M. Antonino imperatore. qui amnis apud Sigillum opidum ex Apennino exortus, vulgari nunc vocabulo *Chiagio*, infra Mevaniam Topino jungitur. Verùm hoc tamen nomen pro illo *Clanis* haud temerè apud Silium ſuppoſuerim.

Clitumnus amnis.

CLITVMNVS *amnis* in eiusdem Topini ſive Tiniæ lævam ripam influit apud Mevaniam, vulgari etiam nunc vocabulo plerisque *Il Clitonno*. Memoratur præter Silium, Virgilio, Iuvenali, Propertio, Statio, Plinio Iuniori, Vibio Sequeſtro, Servio, Claudiano, Iſidoro. Copioſè autem deſcribitur à Plinio Iuniore lib. VIII epiſtolâ VIII, ad Romanum his verbis: *Vidiſtine aliquando Clitumnum fontem? Si nondum; (& puto nondum: alioqui narraſſes mihi.) vide. quem ego (pœnitet tarditatis) proximè vidi. Modicus collis adſurgit; antiquâ cupreſſu nemoroſus & opacus. hunc ſubter fons exit; & exprimitur pluribus venis; ſed imparibus: eluctatusque, facit gurgitem, qui lato gremio pateſcit purus & vitreus: ut numerare jactas ſtipeis & relucenteis calculos poſſis. inde, non loci devexitate, ſed ipsâ ſui copiâ, & quaſi pondere, impellitur. Fons adhuc; & jam ampliſſimum flumen: atque etiam navium patiens: quas obvias quoque, & contrario niſu in diverſa tendenteis, transmittit & perfert; adeò validus, ut illà, quà properat, ipſe tamquàm per ſolum planum remis non adjuvetur; idem ægerrimè remis contisque ſuperetur adverſus. jucundum utrumque, per jocum luſumque fluitantibus, ut flexerint curſum, laborem ocio, ocium labore variare. Ripæ fraxino multâ, multâ populo veſtiuntur: quas perſpicuus amnis velut merſas viridi imagine adnumerat. Rigor aquæ certaverit nivibus. nec color cedit. Adjacet templum priſcum & religioſum. ſtat Clitumnus ipſe, amictus ornatusque prætextâ. præſens numen, atque etiam fatidicum, indicant ſortes. Sparſa ſunt circà ſacella complura; totidemque dei ſimulacra. ſua cuique veneratio, ſuum nomen: quibusdam verò etiam fontes. nam, præter illum quaſi parentem cæterorum, ſunt minores, capite discreti; ſed flumini miſcentur: quod ponte transmittitur. is terminus ſacri profanique. in ſuperiore parte navigare tantùm, infrà etiam natare conceſſum. Balineum Hiſpellates, quibus illum locum divus Auguſtus dono dedit, publicè præbent, & hoſpitium. Nec deſunt villæ: quæ, ſequutæ fluminis amœnitatem, margini inſiſtunt. In ſummâ nihil erit, ex quo non capias voluptatem. nam ſtudebis quoque; & leges multa multorum omnibus columnis, omnibus parietibus inſcripta, quibus fons ille deusque celebratur.* Hinc Vibius Sequeſter, in catalogo fontium: *Clitumnus Mevaniæ*. Et in catalogo fluminum: *Clitumnus, Vmbriæ: ubi Iupiter eodem nomine eſt*. Et Svetonius in Caligulâ cap. XLIII: *Ad viſendum nemus flumenque Clitumni Mevaniam proceſſit*. NEMVS hoc nullum aliud, quàm in quo vel juxta quod IOVIS illud CLITVMNI TEMPLVM. Ergo *fons* ſive *fontes flumenque Clitumni* prope *Mevaniam* atque *Hiſpellum*. Iuvenalis Satyrâ XII:

Nemus Iovis Clitumni.

Si res ampla domi ſimilisque adfectibus eſſet,
Pingvior Hiſpellâ traheretur, & ipsâ
Mole piger, nec finitimâ nutritus in herbâ;
Læta ſed oſtendens Clitumni paſcua ſangvis
Iret, & à grandi cervix ferienda miniſtro;

Ob reditum trepidantis adhuc, horrendaque paſſi
Nuper, & incolumem ſeſe mirantis amici.

Ad hæc vetus poëtæ ſcholiaſtes; *Clitumnus*, inquit, *fluvius eſt, qui Trevis civitatem Flaminiæ interluit*. Alia exemplaria habent, *interfluit*. utrumque ſive ipſius ſcholiaſtæ erratum., ſive exſcriptoris mendum. quidpe *Trebia*, opidum Vmbriæ, quod heic barbarâ nominis formatione dicitur *Trevis*, vulgò nunc *Trevi* adpellatum, in edito colle ſitum eſt, ab dextro latere viæ publicæ, quà Spoletio itur Fulginium; hinc V fermè, inde X millia paſſuum diſtans: *præterfluit* à tribus circiter millibus *Clitumnus amnis*, apud ipſam viam, IIII millia à Trebiâ, VI à Spoletio fonteis compluréis habens, qui hodiéque eodem vocabulo, quo Plinius utitur, vulgò vocantur *Le Vene*. apud quorum maximum, qui medius inter reliquos, (diſſiti autem inter ſe ſunt, qui plurimum, quadringentos circiter paſſus) diverſorium eſt publicum vulgari adpellatione *La Poſta alle Vene*. *Nemus* hodiè non exſtat: neque fontibus imminentes ab dextro viæ latere colles, ſeu tumuli modici, *cupreſſu* nunc ſunt *nemoroſi*: neque *ripæ fluminis fraxino multâ multâve populo veſtiuntur*. de cætero eadem illi manet natura omnis, quam Plinius deſcribit. *naveis* tamen ne heic intelligas maiores; ſed *ſcaphas* tantùm. Ad inferiores fonteis delubrum etiamnum exſtat ſive ſacrarium; SERVATORI equidem noſtro, ſi benè memini, inſcriptum; ſed quod ipſâ ſtructurâ veterum Romanorum opus haud obſcurè indicet. In itinerario antiquo Hieroſolymitano iter hac deſcribitur hoc modo:

Spoletio	
Sacraria	VIII.
Trevis	IIII.
Fulginis	V.

SACRARIA *ad Clitumni fonteis.*

SACRARIA iſta nulla alia fuêre, niſi quæ ab initio ad varios Clitumni amnis fonteis variis Iovis Clitumni nominibus numinibusque poſita. ea haud dubiè poſteà in Chriſtianæ religionis uſum converſa. Hinc Ado in Martyrologio: *Calendis Ianuariis, apud Spoletum natale S. Concordii, martyris tempore Antonini imperatoris*. Et exiguo pôſt: *Factum eſt autem, ut apud beatum Eutychem, qui tunc morabatur in prædiolo ſuo, viâ Salariâ, juxta civitatem, habitaret. Audiens famam eorum Torquatus, comes Tuſciæ, qui verſabatur in civitate Spoleto, mittens adcerſivit ſanctum Concordium*. Mox, poſtquam interfectus: *Venientes autem clerici cum religioſis viris, tulerunt corpus eius, & ſepelierunt illud non longè à Spoleto, in loco, ubi multæ aquæ emanant*. Idem narratur iiſdem penè verbis in Vitâ S. Concordii. Cæterùm boves ſive tauri cur hinc peterentur ad triumphalia aliaque ſacrificia læta; quod innuit præſcripto loco Iuvenalis; ea erat cauſa, quòd Clitumni aqua pota albos redderet boves; in omnibus autem lætioribus ſacris candidi coloris mactabantur victimæ: quod pluribus veterum auctorum teſtimoniis demonſtravi Germaniæ lib. I cap. XXXV. Hinc amnis Clitumnus eo nomine plurimum celebratur poëtis. Virgilius Γεωργικῶν lib. II:

Hinc albi, Clitumne, greges, & maxima taurus
Victima, ſæpè tuo perfuſi flumine ſacro,
Romanos ad templa deûm duxêre triumphos.

Ad quem locum ita commentatur Philargyrus: *Clitumnus, amnis eſt, Vmbriam à Tuſciâ dividens. Significat autem boves Mevanienſes; qui ſunt albi. Flumine.] Clitumnus & deus & lacus in finibus Spoletinorum, ex quo bibentia pecora alba fiunt*. Et alter poëtæ commentator Servius: *Clitumnus, fluvius eſt in Mevaniâ; quæ pars eſt Vmbriæ, partis Tuſciæ. de quo fluvio dicit Plinius in Hiſtoriâ naturali, quod animalia, quæ eum potaverint, albos fœtus creant*. In cunctis equidem, quæ hactenus inſpexerim, Plinii exemplaribus etiam manu ſcriptis ita ſcriptum eſt lib. II cap. CIII: *In agro Pitinate, trans Apenninum, fluvius Novanus, omnibus ſolſtitiis torrens, brumâ ſiccatur. In Faliſco Clitumni amnis aqua potata, condidos boves facit*. At verò quis credat, tam ignarum fuiſſe Plinium regionum Latio & urbi Romæ conterminarum, uti neſciverit, *Clitumnum* eſſe in Vmbriâ, *Faliſcum agrum* in Etruriâ? Quin ipſe lib. III cap. V & lib. VII cap. II, in hac regione ſub *Soracte* monte *Faliſcos* agnovit; ut ſuprà cap. III in Etruriæ deſcriptione docui. Abſit igitur, tantum oſcitantiæ vitium illi heic tribuamus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

mus. vocabulum id haud dubiè ſuppoſititium eſt; ab imperito aliquo critico, quum genuinum corruptum eſſet, jam olim ſubjectum: unde id Servius hauſit. nam quibusdam Plinii exemplaribus abeſſe intelligo *Clitumni* nomen: & pro vitioſâ voce *amnis*, eſſe genuinam *omnis*. ex qua ſciolus quidam criticus, omnis antiquioris geographiæ ignarus, conjecit ſcriptum fuiſſe à Plinio *Clitumni amnis*. *Faliſci* autem etiam agri aquas, ut hodiéque, ſic olim candidos reddidiſſe boves, ſuprà dicto cap. III oſtenſum eſt. Porrò de eodem Clitumno ita Propertius lib. II eleg. XVIIII.

Quà formoſa ſuo Clitumnus flumina luco
Integit; & niveos abluit unda boves.

Silius dicto lib. VIII, Virgilii præſcriptum locum imitatus:

Et lavat, ingentem perfundens flumine ſacro
Clitumnus taurum.

Statius Silvar. lib. I carm. IIII:

——— *Qua nunc tibi pauper acerrâ*
Digna litem? Nec, ſi vacuet Mevania valleis,
Aut præſtent niveos Clitumna novalia tauros,
Sufficiam.

Lucanus lib. I:

——— *Tauriferis ubi ſe Mevania campis*
Explicat.

Claudianus in Panegyrico de VI conſulatu Honorii:

Quin & Clitumni ſacras victoribus undas,
Candida quæ Latiis præbent armenta triumphis,
Viſere cura fuit. Nec te miracula fontis
Prætereunt. tacito paſſu quem ſi quis adiret,
Commiſtis fervebat aquis. quumque omnibus una
Sit natura vadis, ſimileis ut corporibus umbras
Oſtendant; hæc ſola novam jactantia ſortem
Humanos properant imitari flumina mores.
Celſa dehinc patulum proſpectans Narnia campum
Regali calcatur equo.

Mirandum hanc fontis naturam Plinium Iuniorem, adcuratiſſimum alioquin eius deſcriptorem, non adnotaſſe, maximè miror.

Porrò proximus à Tiniâ antiquis auctoribus memoratur CLANIS *amnis*, ex Etruriâ in Tiberim confluens; vulgò nunc *La Chiana* dictus. Meminêre eius Strabo, Plinius, Silius, Tacitus, Appianus, Stephani epitomator. ſed huic & Appiano Plinioque dicitur Γλάνις, GLANIS. Appianus Civil. bellor. lib. I, de Syllâ verba habens: Ἐξώρμησεν ἐς Κλούσιον, ἔνθα τοῦ πολέμου τὰ λοιπὰ ἤκμαζεν. Ἐν δὲ τούτῳ τοῖς ὑπάτοις προσελθόντες ἱππεῖς Κελτίβηρες, ὑπὸ τῶν ἐν Ἰβηρίᾳ στρατηγῶν ἀπεσταλμένοι. Καὶ γενομένης περὶ τὸν Γλάνιν ποταμὸν ἱππομαχίας, ὁ μὲν Σύλλας ἔκτεινεν εἰς πεντήκοντα τῶν πολεμίων. Id eſt: *Profectus inde Cluſium, ad profligandum ibi non contemnendas belli reliquias. Intereà conjunxerant ſe cum exercitu conſulum Celtiberi equites, miſſi à prætoribus Hiſpaniam obtinentibus. Commiſſo autem ad Glanim amnem equeſtri prælio; Syllani ex hoſtibus circiter L ſtraverunt.* Stephani epitomator: Γλάνις, ποταμὸς Κύμης, καὶ ἀπ' αὐτοῦ ἰχθὺς Γλάνις ὁ καλούμενος Γλάνιος. ἔστι καὶ Ἰβηρίας ποταμός. ἔστι καὶ Ἰταλίας τρίτος ποταμὸς, περὶ τὸν Τίβεριν ποταμόν. Id eſt: *Glanis, fluvius Cumarum; & ab eo piſcis Glanis, qui vocatur Glanius. Eſt & Hiſpaniæ fluvius. eſt item Italiæ tertius fluvius, circa Tiberim amnem.* Quid hoc? *A Glani fluvio piſcis eſt Glanis, qui vocatur Glanius?* Satis ineptè. Mendum igitur exſcriptoris ita corrigo: Γλάνις, ποταμὸς Κύμης· καὶ ἀπ' αὐτοῦ ἰχθὺς ὁ καλούμενος Γλάνιος. ἔστι καὶ Ἰβηρίας ποταμὸς Γλάνις. Id eſt: *Glanis, fluvius apud Cumas; à quo piſcis quidam vocatur Glanius. Eſt & Hiſpania flumen Glanis.* Plinius ſuprà dicto lib. III cap. V, de Tiberi: *Emiſſusque, navigabilis; ſicut Tinia & Glanis, influentes in eum.* Et mox: *Infra Tiniam & Glanim duobus & quadraginta fluviis auctus.* Sed & ille apud Cumas amnis, & item alius apud Minturnas, in confinio Campaniæ Novique Latii, qui nunc vulgò vocatur *Il Garigliano*, promiſcuè olim, aliis auctoribus *Glanis*, aliis *Clanis*, dictus eſt; ut infrà videbimus. Atque hinc ingens fœdusque nupero etiam Silii ſcholiaſtæ Claudio Dauſqueio natus eſt error, uti is *Clanim* poëtæ ſui interpretaretur Strabonis

CLANIS *amnis.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

bonis *Clanim* & Plinii *Glanim* apud Minturnas urbem, eumdem & *Lirim* illorum tempore dictum. Atqui ipſe Strabo præter hunc Minturnenſem Clanim Cluſini etiam meminit Clanis eodem lib. v anteà, in deſcriptione urbis Romæ. Verba eius hæc ſunt: Ὁ Νὰρ καὶ ὁ Τενέας, οἱ διὰ τῆς Ὀμβρικῆς εἰς τὸν αὐτὸν καταφερόμενοι ποταμὸν τὸν Τίβεριν· διὰ δὲ τῆς Τυῤῥηνίας καὶ τῆς Κλουσίνης ὁ Κλάνις. Id eſt: *Nar & Tenea: qui per Vmbriam in eumdem deferuntur Tiberim amnem: tum per Etruriam & Cluſinum agrum Clanis.* Silii locum ex libro VIII, ubi præcipua Vmbriæ opida fluminaque recenſet, ſuprà citavimus, ad *Tiniam* amnem. Cæterùm vetuſtiſſima huius *Clanis* memoria exſtat apud Tacitum, Annal. lib. I, in rebus geſtis ſub Tiberio imperatore, Druſo Cæſare & C. Norbano Flacco conſulibus, anno urbis Romæ ↀCCLXVII. *Auditæ*, inquit; *municipiorum & coloniarum legationes; orantibus Florentinis, ne Clanis, ſolito alveo demotus, in amnem Arnum transferretur; idque ipſis perniciem adferret.* Mox: *Seu preces coloniarum, ſeu difficultates operum, ſive ſuperſtitio, valuit, ut in ſententiam Piſonis concederetur: qui nil mutandum cenſuerat.* Poſteà tamen id in Clani factum. quidpe quum, ex pluribus collectus ipſe fontibus ac rivis, quibus ſua ſingulis ſunt nomina, magnâ ſui parte per lacum ſeu paludes trahatur, quæ vulgò adcolis nunc plurali numero vocantur *Le Chiane*; pars aquarum ex his paludibus in Arnum haud procul Arretio opido influit. Ipſæ aquæ reſtagnantes haud dubiè olim dicebantur CLVSINA PALVS, à proximo opido *Cluſio*; ſeu CLVSINVS LACVS. quod Strabo lib. V innuere videtur. Προσλαμβάνουσι δὲ, inquit, πρὸς τὴν εὐδαιμονίαν τῆς χώρας καὶ λίμναι, μεγάλαι τε καὶ πολλαὶ οὖσαι· καὶ γὰρ πλεῖται, καὶ τρέφουσιν ὄψον πολὺ, καὶ τῶν πτηνῶν τὰ λιμναῖα· τύφη τε καὶ πάπυρος, ἀνθήλη τε πολλὴ κατακομίζεται ποταμοῖς εἰς τὴν Ῥώμην, οὓς ἐκδιδόασιν αἱ λίμναι μέχρι τοῦ Τιβέρεως· ὧν ἐστιν ἥ τε Κιμινία, καὶ ἡ περὶ Οὐολσινίους, καὶ ἡ περὶ Κλούσιον, καὶ ἡ ἐγγυτάτω τῆς Ῥώμης καὶ τῆς θαλάττης Σαβάτα, ἀποτάτω δὲ ἡ πρὸς Ἀρρητίῳ ἤδη Τρασυμένα. Hoc eſt: *Ad ubertatem ſoli conducunt etiam lacus, magni ac multi. quidpe & navigantur, & multum piſcium aviumque paluſtrium producunt. tum typhæ ac papyri & paniculæ magna inde copia Romam pervehitur fluminibus, quæ lacus iſti emittunt ad Tiberim usque. Ex his ſunt, Ciminius lacus, & qui apud Volſinios eſt; item, qui apud Cluſium; &, proximus Romæ ac mari, Sabata; tum remotiſſimus omnium, & Arretio propinquus, Traſymenus.* Credibile ſanè eſt, ut ille ſub *Cimino* monte cognominatus à ſitu eſt *Ciminius* lacus, & ille apud *Volſinios* opidum *Volſinienſis*; item tertius iſte apud *Sabate* quondam ſive *Sabata* opidum *Sabatinus*; quod de ſingulis ſuprà cap. III in Etruriæ deſcriptione demonſtratum eſt: ſic etiam hunc apud *Cluſium* opidum dictum inde fuiſſe *Cluſinum*. quamquàm, *lacum* potiùs olim dictum fuiſſe quàm *paludem*, ut hodiéque fit, obſtinatè ex præſcriptis Strabonis verbis adſeverare nolim. quidpe, ſive ignorantiâ quadam horum locorum, ſive nimio brevitatis ſtudio; certè parum rectè iſthæc de ſingulis lacubus Straboni pronunciata ſunt. nam neque Ciminius neque Traſymenus ullum flumen emittit; &, qui amnes Sabatino Volſinienſique lacubus effluunt, non in Tiberim, ſed in mare ſeſe effundunt.

CLVSINVS LACVS.

PALLIA amnis.

In Clanim apud Orvietum opidum influit PALLIA *amnis*; vulgò etiamnunc adcolis *Paglia* dictus. Memoratur Tabulæ itinerariæ hoc modo:

Volſinis	
Pollia fl.	....
Cluſio	VIII.

Habetque eadem Tabula flumen depictum, in Tiberim confluens, cum hoc titulo; *Fl. Pallia.* Vitruvio lib. II cap. VII inde *lapicidinæ Pallienſes* cognominantur. *Sunt aliæ*, inquit, *molles: uti ſunt circa Vrbem Rubræ, Pallienſes, Fidenates, Albanæ. aliæ temperatæ; uti Tiburtinæ, Amiterninæ, Soractinæ.*

NAR amnis.

Sequitur à Clani NAR *amnis*, terminus inter Vmbriam Sabinumque agrum, lævam Tiberis ripam petens; omnium, qui in hunc defluunt, maximus. Memoratur Ciceroni, Virgilio, Ovidio, Livio, Straboni, Plinio, Silio, Lucano, Tacito, Claudiano, Auſonio, Servio, Procopio, Zonaræ, Stephani epitomatori. Hodiè nomen eius detortum vulgò dicitur *Nera.* &, quia Latinæ voces, *niger*, *nigra*, Italis nunc dicuntur promiſcuè *negro*, *negra*, & *nero*, *nera*; fluminis quoque nomen *Nera* interdum vocatur *Negra*. De hoc ita Plinius lib. III cap. V; ubi illi de

Tiberi

Tiberi ſermo: *Infra Tiniam & Glanim duobus & quadraginta fluviis augetur; præcipuis Nare & Aniene.* Et eiusdem libri cap. XII: *Sabini Velinos adcolunt lacus, roſcidis collibus. Nar amnis exhaurit illos ſulphureis aquis. Tiberim ex his petens replet; è monte Fiſcello labens; juxta Vacunæ nemora & Reate in eosdem conditus.* Hinc Virgilius Aeneid. lib. VII:

Sulfureâ Nar albus aquâ, fontèsque Velini.

Claudianus in Panegyrico de Probi & Olybrii conſulatu:

—— *Et Nar vitiatus odoro*
Sulfure.

Auſonius Idyllio XII:

Fluminibusque Italis præpollens ſulfureus Nar.

Silius lib. VIII: —— *Narque albeſcentibus undis*
In Tybrim properans.

Servius ad præſcripta Virgilii verba Aeneid. lib. VII: *Ideò dicit, Sulfureâ Nar albus aquâ, quia, dum currit, eſt ſulfurei coloris; dum hauritur, albi. & Sabini lingvâ ſuâ nar dicunt ſulphur. Ergo hunc fluvium ideò dicunt eſſe Nar adpellatum, quòd odore ſulfureo nares contingat; ſive, quòd in modum narium geminos habeat exitus.* Ergo geminam grammaticus hic fluminis vocabulo tribuit originationem; alteram ab Sabinâ voce *nar*, quæ *ſulphur* ſignificabat; à Latinâ voce *nares* alteram. utramque non minùs lepidè, quàm dextrè, in unam compegit: nempe, *quòd odore ſulfureo nares contingat.* Geminum autem olim ei fuiſſe oſtium, minimè ego credo: ſed meram grammatici ingenii conjecturam ex vocabulo adreptam eſſe judico. Sed & illa puerilis eſt commentatio; *Quia, dum currit, eſt ſulfurei coloris; dum hauritur, albi.* Quin ſatis diſertè ipſe poëta ſeſe explicat; dum ait, *Narem* ideò eſſe *album*, quia *ſulfurea* eius eſt *aqua*. unde etiam ſulfureæ in Anienem amnem, ut mox infra oſtendetur, defluentes aquæ, quæ vulgò nunc *La Solforata*, olim *Albulæ* dicebantur *aquæ*, à colore, quem habent cum aliis aquis ſulfureis communem. Non à *narium* igitur ſimilitudine aliquâ vel odoratione, ſed à Sabino haud dubiè vocabulo *nar*, quo *ſulphur* ſignificabatur, id nominis Sabini adcolæ flumini indiderunt. Idem Servius ad eumdem librum VII poſteà ita commentatur: *Varro dicit, lacum Velinum à quodam conſule in Nartem vel Narem fluvium (nam utrumque dicitur) eſſe diffuſum.* Heic licèt exemplaria varient; aliis *Narran* vel *Narrem* referentibus; tamen hoc ipſum quoque, quocumque modo ſcripſerit Servius, nil niſi grammaticum nugamentum fuiſſe, cenſeo. quidpe apud omneis Latinos auctores, qui huius meminerunt amnis, vocabulum eius maſculino genere flecti video, *Nar, Naris, Nari, Narem, Nare.* Virgilio præſcripto loco dicitur *Sulfureâ Nar albus aquâ:* Plinio, *juxta Reate in Velinos lacus conditus:* Claudiano, *vitiatus odoro ſulfure:* Auſonio, *ſulfureus.* Nec alio igitur genere accipiendus eſt Silii *Nar in Tybrim properans:* & Ovidii *præceps*, in his verbis Μεταμορφώσεων lib. XIIII:

Quas Anienis aquæ, curſuque breviſſimus Almo,
Narve tulit præceps.

Eodemque genere uſurpatum voluit haud dubiè & Lucanus lib. I:

Et quà Nar Tiberino inlabitur amni.

Huc inſuper adde & Taciti auctoritatem; qui Annal. lib. I, *Congruentia*, inquit, *his Interamnates diſſeruère. peſſum ituros fœcundiſſimos Italiæ campos, ſi amnis Nar in rivos diductus ſuperſtagnaviſſet. Nec Reatini ſilebant; Velinum lacum, quà in Narem effunditur, obſtrui recuſantes.* Et Annal. lib. III: *Piſo ab Narniâ Nare, ac mox Tiberi, devectus.* Quapropter apud Ciceronem quoque, Ad Atticum lib. IIII epiſt. XIIII, ubi complura alia etiam corrupta in vulgatis legi exemplaribus vocabula, ſuperiori capite oſtenſum, audacter jam corrige, *In Narem defluit:* ubi nunc vulgò legitur, *Lacus Velinus, à M'. Curio emiſſus, interciſo monte, in Nar defluit.* At illa vox apud Servium *Nartis, Nartem*, derivativa erat atque gentilitia, à fluminis nomine tracta. nam adcolas *Interamnates*, ad diſcrimen *Interamnatium Lirinatium*, Lirim amnem adcolentium, inde cognominatos fuiſſe *Nartes*, ſuprà cap. VII in Vmbris oſtenſum eſt. Inter Græcos auctores Straboni etiam dicitur ὁ Νὰρ ποταμὸς lib. V, in his verbis: Ναρνία, δι' ἧς ῥεῖ ὁ Νὰρ ποταμὸς, συμβάλλων τῷ Τιβέρι, μικρὸν ὑπὲρ Ὀκρίκλων, πλωτὸς δ' οὐ μεγάλοις σκάφεσιν. Id eſt: *Narnia; quam perfluit Nar amnis, paullo ſupra Ocriculos in Tibe*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

in Tiberim defluens, ſcaphis haud magnis navigabilis. Et eodem libro poſteà: Ὁ Νὰρ καὶ ὁ Τενέας· *Nar atque Tenea.* At poſterioribus Græcis dictus eſt Νάρνος ποταμὸς, NARNVS *amnis.* Stephani epitomator: Ναρνία πόλις, ἀπὸ τοῦ παραῤῥέοντος ποταμοῦ Νάρνου. Id eſt: *Narnia opidum, à præfluente amne Narno dicta.* Procopius Gothicar. rer. lib. I: Κεῖται μὲν ἡ Ναρνία ἐν ὑψηλῷ ὄρει, ποταμὸς δὲ Νάρνος εἰς τὸν τοῦ ὄρους παραῤῥεῖ πρόποδα. Id eſt: *Narnia in edito ſita eſt monte, ad cuius radices Narnus amnis præterfluit.* Apud Zonaram itaque etiam Annal. lib. II, ubi de Hannibale narratur à Spoletio Romam tendente, legendum cenſeo τοῦ Νάρνου γέφυραν, id eſt, *Narni pontem*; ubi nunc eſt in vulgatis exemplaribus τοῦ Ναίρου.

Velinvs amnis.

De cætero in Narem confluit per Velinum lacum VELINVS *amnis*; vulgò etiam nunc *Velino* dictus. Memoratur Virgilio, ſuprà dicto verſu Aeneid. lib. VII:

> *Sulfureâ Nar albus aquâ; fonteſque Velini.*

Ad quæ verba ita Servius: *Fonteſque Velini ultra amnem ſunt.* Sed quid hoc? *Fontes amnis ultra amnem ſunt?* Omnino ſcripſiſſe Servium judico; *Vltra Narem ſunt.* nam *Naris* vocabulum ſæpiùs continuò antè memorat; ut ſuprà citavimus. quamquàm hoc etiam, ut reliqua omnia, per ſummam pronunciavit Servius imperitiam. quippe *Velini* fontes, reſpectu urbis Romæ, longè citra fuêre fonteis *Naris.* Innuit prætereà Tacitus quoque *Velinum flumen* dicto Annal. lib. I. *Auditæ*, inquit, *municipiorum & coloniarum legationes: orantibus Florentinis, ne Clanis, ſolito alveo demotus, in amnem Arnum transferretur; idque ipſis perniciem adferret. Congruentia his Interamnates diſſeruère. peſſum ituros fœcundiſſimos Italiæ campos, ſi amnis Nar (id enim parabatur) in rivos diductus, ſuperſtagnaviſſet. Nec Reatini ſilebant; Velinum lacum, quà in Narem effunditur, obſtrui recuſantes. quidpe in adjacentia erupturum. Optimè rebus mortalium conſuluiſſe naturam; quæ ſua ora fluminibus, ſuos curſus, utque originem, ita fineis dederit.*

Telonivs fluvius.

In Velinum fluvium apud opidum Reate influit TELONIVS *amnis*, ex Marſis delabens, vulgari nunc vocabulo *Turano.* Memoratur Ovidio, Oroſio, atque Freculfo, & Paullo Diacono. Ovidius Faſtor. lib. VI:

> *Hunc tibi, Quò properas, memorant dixiſſe, Rutili?*
> *Luce meâ Marſo conſul ab hoſte cades.*
> *Exitus acceſſit verbis: flumenque Telonî*
> *Purpureum miſtis ſanguine fluxit aquis.*

Oroſius lib. V cap. XIIII, & ab eo mutuati, Paullus Diaconus Hiſtoriæ miſcellæ lib. V, Freculfus tomo primo, lib. VI cap. XII: *Rutilius conſul Marium, propinquum ſuum, legatum ſibi legit. quem, adſiduè ſubmonentem, moram bello utilem fore; & paullisper in caſtris exerceri militem oportere tironem; dolo id eum agere ratus, contempſit: ſeſeque in inſidias Marſorum & univerſum agmen exercitus ſui incautus injecit. ubi & ipſe conſul occiſus, & multi nobiles interfecti, & VIII millia Romanorum cæſa ſunt. arma & corpora interfectorum in conſpectum Marii legati Telonus fluvius pertulit, atque in teſtimonium cladis evexit. Marius, raptis continuò copiis, victores inſperatus oppreſſit; VIII millia & ipſe Marſorum interfecit. Cæpio autem, à Veſtinis & Marſis deductus in inſidias, cum exercitu trucidatus eſt.* Mox: *Marius deinde VI millia Marſorum cecîdit; VII millia armis exuit.* Et aliquanto pòſt: *Porcius Cato conſul, Marianas copias habens, quum aliquanta ſtrenuè geſſiſſet; gloriatus eſt, C. Marium non maiora feciſſe: & ob hoc, quum ad lacum Fucinum contra Marſos bellum gereret, à filio C. Marii in tumultu belli, quaſi ab incerto auctore, proſtratus eſt.* De eodem Marſico bello ita Livii epitomator lib. LXXIII: *Quum P. Rutilius conſul parum proſperè contra Marſos pugnaſſet, & in prælio cecidiſſet; C. Marius, legatus eius, meliore eventu cum hoſtibus conflixit. Q. Cæpio, legatus Rutilii, quum, obſeſſus, proſperè in hoſteis erupiſſet; & ob eum ſucceſſum æquatum ei cum C. Mario eſſet imperium; temerarius factus, & circumventus inſidiis, fuſo exercitu, cecidit.* Mox: *Sed C. Marius prælio Marſos fudit.* Et lib. LXXIIII: *C. Marius cum Marſis dubio eventu pugnavit. L. Porcius prætor Marſos prælio vicit.* Lib. LXXV: *L. Porcius conſul, rebus proſperè geſtis, fuſiſque aliquoties Marſis, dum caſtra eorum expugnat, cecidit.* Hæc prœlia in Marſis varia quum tam diſertis ab Oroſio Liviique epitomatore relata ſint verbis; miror ego, unde apud Appianum in eamdem hiſtoriam *Liris* fluminis irrepſerit nomen. Verba eius Civil. bellor. lib. I hæc ſunt: Ῥουτίλιος δὲ ὁ ὕπατος καὶ Γάϊος Μάριος ἐπὶ τοῦ Λίριος ποταμοῦ γεφύρας ἐς διάβασιν ἐξ οὐ πολλοῦ διαστήματος ἀπ' ἀλλήλων ἐπήγνυντο, καὶ Οὐέττιος Κάτων αὐτοῖς ἀντεστρατοπέδευε, παρὰ τὴν Μαρίου μάλιστα

μάλιστα γέφυραν, ἔλαθέ τε νυκτὸς περὶ τὴν Ῥουτιλίου γέφυραν λόχους ἐν φάραγξιν ἐνεδρεύσας. ἅμα δ' ἕῳ τὸν Ῥουτίλιον διελθεῖν ὑπεριδών, ἀνέστησε τὰς ἐνέδρας, καὶ πολλοὺς μὲν ἔκτεινεν ἐπὶ τοῦ ξηροῦ, πολλοὺς δ' ἐς τὸν ποταμὸν κατῶσεν· ὅ τε Ῥουτίλιος αὐτὸς ἐν τῷδε τῷ πόνῳ βέλει τρωθεὶς ἐν τῇ κεφαλῇ, μετ' ὀλίγον ἀπέθανε. καὶ Μάριος, ἐπὶ τῆς ἑτέρας ὢν γεφύρας, τὸ συμβὰν ἐκ τῶν φερομένων κατὰ τὸ ῥεῦμα σωμάτων εἰκάσας, τοὺς ἐν ποσὶν ὤσατο, καὶ τὸ ῥεῦμα περάσας, τὸν χάρακα τοῦ Κάτωνος, ὑπ' ὀλίγων φυλαττόμενον, εἷλεν. * . * . Ῥουτιλίῳ μὲν δὴ διάδοχος ἐπὶ τὸ λοιπὸν τοῦ ἔτους οὐκ ἐγένετο· τῆς δὲ ὑπ' αὐτοῦ στρατιᾶς ἡ βουλὴ προσέταξεν ἄρχειν Γάϊόν τε Μάριον καὶ Κόϊντον Κεπίωνα. * — * . Μάρσους δὲ Κορνήλιος Σύλλας καὶ Γάϊος Μάριος, ἐπιθεμένους σφίσι, συντόνως ἐδίωκον, μέχρι θριγκοῖς ἀμπέλων ἐμπεσεῖν αὐτούς. καὶ Μάρσοι μὲν τοὺς θριγκοὺς κακοπαθῶς ὑπερέβαινον· Μαρίῳ δὲ καὶ Σύλλᾳ διώκειν ὑπὲρ τούτους οὐκ ἔδοξε. Κορνήλιος δὲ Σύλλας, ἐπὶ θάτερα τῶνδε τῶν ἀμπέλων στρατοπεδεύων, αἰσθόμενος τοῦ γενομένου, ὑπήντα τοῖς ἐκφεύγουσι τῶν Μάρσων, καὶ πολλοὺς καὶ ὅδε ἀπέκτεινεν· ὡς τὸν φόνον ἐκείνης τῆς ἡμέρας γενέσθαι πλείους ἑξακισχιλίων, ὅπλα δ' ὑπὸ Ῥωμαίων ληφθῆναι πολὺ πλείονα. Hoc eſt: *At Rutilius conſul & C. Marius duos ponteis, haud longè inter ſe diſtanteis, ſuper Lirim flumen conſtruunt, ad trajiciendas copias. quibus Vettius Cato cum exercitu ſuo ſeſe oppoſuit, propiùs pontem Marii; diſpoſitis noctu circa Rutilii pontem in valle quadam inſidiis. quem diluculo trajicere paſſus, adgreditur: cæſisque multis, multos in fluvium egit præcipites. conſul ipſe in hoc prælio ſaucius caput, paullo pòſt ex eo vulnere obiit. At Marius ad alterum pontem ſedens, ubi caſum hunc intellexit è cadaveribus prono flumine delatis; properè trajectis, quos ſecum habebat, caſtra hoſtium, à paucis cuſtodita, expugnavit.* Mox: *In reliquum eius anni tempus nemo Rutilio in magiſtratu ſucceſſit. ſed exercitui eius ſenatus præfecit C. Marium & Q. Cepionem.* Paullo pòſt: *Marſos Cornelius Sylla & C. Marius ſeſe adortos acriter repulerunt; uſque ad ſæpeis vinetorum eos perſequentes. quas Marſis ægrè transſcendentibus, Mario non libuit urgere ampliùs. at Cornelius Sylla, qui ex altero vinetorum latere caſtra habebat, fugientibus occurrens, & ipſe multos interfecit. ut eâ die deſiderati ſint è Marſis ſupra* VI *millia: armorum verò numerus multo maior venerit in poteſtatem victoris.* Ergo ne ipſe quidem Appianus, in Marſis iſthæc prœlia geſta, diſſimulat. Audacter itaque heic corrigo iſta ἐπὶ τοῦ Λίριος ποταμοῦ in ἐπὶ Τελωνίου ποταμοῦ· id eſt, *ſuper Telonium flumen.* nam apud Oroſium quoque & Freculfum in quibusdam exemplaribus legitur *Telonius fluvius*; & item in aliis *Tolenus*.

Porrò infra Narem in ipſum Tiberim contendit HIMELA ſive HIMELLA *fluvius*, Virgilio, & commentatori eius Servio, item Vibio Sequeſtro memoratus. *HIMELLA flumen.* Hodiè vulgare nomen habet *Aia*, & ſæpiùs ſimplicitate imperiti vulgi adfuſo Italicæ lingvæ articulo *Lo*, *Laia*, pro *L'Aia*. Circa fonteis eius eſſe *Caſperiæ* opidi veſtigia, inferiùs verò *Curium* ruinas, ſuperiori capite oſtenſum eſt. Virgilius Aeneid. lib. VII; ubi Sabini agri opida fluminaque ac monteis recenſet:

Qui Nomentum urbem, qui Roſea rura Velini,
Qui Tetricæ horrenteis rupeis montemque Severum,
Caſperiamque colunt, Forulosque, & flumen Himellæ.

Ad hæc nihil Servius, niſi, *Himella*, inquit, *fluvius eſt*. Adcuratiùs igitur Vibius in Catalogo fluminum: *Himella, Sabinorum, prope Caſperiam urbem.*

Sequitur hinc fluvius, qui Virgilio, &, qui eum ſequuti ſunt, Vibio Sequeſtro, Sidonio, ac Servio FABARIS dicitur; Ovidio autem FARFARVS. unde vulgare hodiéque ei manet nomen *Farfa*. Virgilius modò dictis verſibus hunc continuè ſubjungit: *FARFARVS ſive FABARIS amnis.*

Qui Tiberim Fabarimque bibunt.

Vibius Sequeſter: *Fabaris, Sabinorum. is Faber corruptè dicitur.* Sidonius Apollinaris lib. I epiſt. V: *Tota illa vel vicina vel obvia fluenta; gelida Clitumni, Anienis cærula, Naris ſulfurea, pura Fabaris, turbida Tiberis.* Servius ad præſcripta Virgilii verba: *Fabarim quem dicit, etiam ipſe per Sabinos tranſit: & Farfarus dicitur. Plautus: Diſſipabo te tamquàm folia Farfari. Ovidius: Et amœnæ Farfarus umbræ.* Alia exemplaria habent, *Plautus in Pœnulo*. Sed in hac comœdiâ, actu II, ubi Anthæmonides miles Lyco lenoni prodigioſas ſuas enarrat pugnas, verba poëtæ hæc ſunt:

LY. *An, obſecro, uſquàm ſunt homines volatici?*
AN. *Fuère. verùm ego interfeci.* LY. *Quomodò*
Potuiſti? AN. *Dicam. Viſcum legioni dedi*
Fundasque: eo præſternebant folia farfari.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Ly. *Cui rei?* An. *Ne ad fundas viſcus adhæreſceret.*
In fundas infundebam grandiculos globos.
Eo illos volantîs juſſi funditarier.

Hæc ſanè longè alia ſunt verba, quàm quæ Servius citat. nec tamen ex his ullo argumento claret, fluminis nomen heic reſpexiſſe poëtam, non arboris. Ovidii etiam neſcio quali exemplari uſus ſit Servius. in omnibus quidpe iis, quæ ad noſtra tempora pervenêre, ſic ſcriptum eſt Μεταμορφώσεων lib. XIIII:

——— Illum fontana petebant
Numina Naiades, quas Albula, quasque Numici,
Quas Anienis aquæ, curſuque breviſſimus Almo,
Narve tulit præceps, & opacæ Farfarus undæ.

Verum itaque atque germanum huius amnis nomen fuit *Farfarus*; unde hodiernum vocabulum *Farfa*. Virgilius autem metri causâ id formaſſe videtur *Fabaris*. quod poſteà ab eo haud dubiè habuêre Vibius atque Sidonius. Ovidii auctoritatem, præter hodiernum vocabuli uſum, confirmat Silius quoque poëta. quidpe fluminum nomina adfingere ductoribus in aciebus, primus fortè auctor fuit Homerus. hunc certè imitatus poſtmodùm freqnentiſſimè Virgilius; Virgilium Silius. hinc iſte lib. IIII in narratione pugnæ inter Hannibalem & Romanos ad Ticinum commiſſæ ita canit:

Idem ſangvineâ Venuli cervice revellens,
Sternit præcipitem trepido te Farfare telo.
Tum Romulum, atque olim celeberrima nomina bello,
Tiburteis magnos, Hiſpellatemque Metaurumque.

Vt *Metaurus*, ſic *Farfarus* fluminis erat nomen.

Allia *amnis.* Infra Farfarum eſt Allia *amnis*; parvus equidem flumine; at famâ apud Romanos, ſeu potiùs infamiâ ingens. unde ille Virgilii verſus prædicto lib. VII:

Quosque ſecans infauſtum interluit Allia nomen.

Silius lib. VI:

Allia, & infandi Senones, captæque recurſat
Attonitis arcis facies.

Item lib. VIII:

Maior & horrificis ſeſe extulit Allia ripis.

Lucanus lib. VII: *—— Cedant feralia nomina, Cannæ,*
Et damnata diu Romanis Allia faſtis.

Nempe ob cladem ibi à Gallis acceptam. Livius lib. V: *Ad undecimum lapidem occurſum Gallis eſt; quà flumen Allia, Cruſtuminis montibus præalto defluens alveo, haud multum infra viam Tiberino amni miſcetur.* Nimirum infra viam Salariam; quæ ab Vrbe ad Eretum, Sabinorum vicum, ducebat; ut ſuperiori capite intellectum. vicus hodiè opidum vulgò vocatur *Monte Ritondo*. Cicero ad Atticum lib. VIIII epiſt. IIII: *Maiores noſtri funeſtiorem diem eſſe voluerunt Allienſis pugnæ, quàm Vrbis captæ; quòd hoc malum ex illo. itaque alter religioſus etiam nunc dies, alter in vulgus ignotus.* Livius lib. VI: *Tum de diebus religioſis agitari cæptum. diemque ad* XV *Calendas Sextileis, duplici clade inſignem, (quo die ad Cremeram Fabii cæſi; quo deinde ad Alliam cum exitio Vrbis fœdè pugnatum) à poſteriore clade Allienſem adpellarunt; inſignemque rei nulli publicè privatimque agendæ fecerunt.* Auctor de Viris illuſtribus, in M. Furio Camillo: Mox, *quum Galli Senones, relictis ob ſterilitatem agris ſuis, Cluſium, Etruriæ opidum, obſiderent, miſſi ſunt Româ tres legati, qui Gallos monerent, ut ab oppugnatione deſiſterent. ex his unus contra jus gentium in aciem proceſſit, & ducem Senonum interfecit. quo commoti Galli, petitis in deditionem legatis, nec impetratis, Romam petierunt; & exercitum Romanum apud Alliam fluvium cecidêre die* XVI *Calend. Auguſti: qui dies inter nefaſtos relatos, Allienſis dictus.* Diodorus lib. XIIII falſò pugnam hanc Allienſem trans Tiberim factam refert in Etruſco ſolo; quum ex Livio ſimul & omnibus aliis auctoribus conſtet, Gallos poſt pugnam eam portâ Collinâ intraſſe Vrbem. ſed confudit hæc Diodorus, ut pleraque alia Romana. Verba eius hæc ſunt: Οἱ δὲ χιλίαρχοι τῶν Ῥωμαίων, τὴν τῶν Κελτῶν ἔφοδον ἀκούοντες, ἅπαντας τοὺς ἐν ἡλικίᾳ καθώπλισαν. ἐξελθόντες δὲ πανδημεί, καὶ διαβάντες τὸν Τίβεριν, παρὰ τὸν ποταμὸν ἤγαγον τὴν δύναμιν σταδίους ὀγδοήκοντα· καὶ τῶν Γαλατῶν ἀπαγγελλομένων προσιέναι, διέταττον τὸ στρατόπεδον. Id eſt: *Tribuni*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

militum, adventu Gallorum cognito, quicumque per ætatem bello idonei eſſent, hos arma capeſſere jubent. & cum univerſis copiis Tiberim transgreſſi, juxta amnem ad LXXX *usque ſtadia exercitum ducunt. ibi, quum hoſtem adpropinquare nunciaretur, aciem inſtruunt.* LXXX ſtadia ſunt millia paſſuum X. Livium haud dubiè ſequutus Plutarchus in Camillo, Προελθόντες, inquit, ἀπὸ τῆς πόλεως σταδίους ἐνενήκοντα, παρὰ τὸν Ἀλίαν ποταμὸν ηὐλίσθησαν, οὐ πόρρω τοῦ στρατοπέδου τῷ Θύμβριδι συμφερόμενον. Id eſt: *Profecti ab Vrbe ad* XC *ſtadia, caſtra metati ſunt prope flumen Alliam; quod haud procul inde influebat in Tiberim.* Stadia XC conficiunt millia paſſuum XI & paſſus CCL. Eutropius fine libri I: *Statim Galli Senones ad Vrbem venerunt; & victos Romanos undecimo milliario ab urbe Româ apud flumen Alliam ſequuti, etiam urbem occupaverunt.* Apud Vibium Sequeſtrum, in Catalogo fluminum, hæc leguntur: *Allia, Salariâ viâ, ad milliarium* XIIII *à Româ. ubi Galli victoriâ ſunt potiti de Romanis.* Sive exſcriptoris, ſive ipſius Sequeſtri, ſanè error eſt: quum ad Eretum usque, quod ultra Alliam ſitum, XIIII numeret millia paſſuum Tabula itineraria, & Dionyſius Halicarnaſſenſis lib. III σταδίους ἑπτὰ καὶ ἑκατόν, *ſtadia* CVII; quæ ſunt millia XIIII paſſus CCCLXXV. Hodiè quamvìs inter Romam & Eretum, ſive, ut nunc vulgò vocatur, *Monte Ritondo*, XII numerentur vulgò milliaria; tamen XIII re verâ eo intervallo me coram deprehendiſſe, ſuperiori capite in Sabinis docui. Ab hoc opido verſùs urbem Romam euntibus nullus alius occurrit amnis, qui veterum *Allia* eſſe poſſit, niſi qui ad primum milliarium vulgò vocatur nunc *Rio di Mosso; prealto*, ut inquit loco ſuprà ſcripto Livius, *alveo Cruſtuminis montibus defluens* in angustam illam planitiem, quam inter Tiberim & dictos monteis mediam ſecat via Salaria. Hinc Plinius lib. III cap. V *Tiberim* ait *citra* XIII *millia paſſuum Vrbis Veientem agrum à Cruſtumino dirimere.* Veios autem fuiſſe ad duodecimum ab Vrbe lapidem, circa opidum, quod vulgò nunc *Scrofano* vocatur, ſuprà cap. III in Etruriâ oſtendi; *Cruſtumium* verò fuiſſe in Sabinis, ad Salariam viam, mille circiter paſſus à Fidenis, id eſt V millia ab dicto Alliâ flumine; ubi turris nunc vulgari adpellatione eſt *Marcigliano vecchio*; ſuperiroi capite docui. Cæterùm de vocabulo fluminis ita commentatur Servius ad præſcriptum Virgilii verſum: *Allia fluvius haud longè ab Vrbe eſt. Sanè Alia dicitur. cui additur unum l, propter metrum. unde Lucanus benè poſuit; Quas Aliæ clades.* En tibi inſignem grammatici hominis in arte ſuâ ἀκρίβειαν. Atqui ipſe Lucanus, loco præſcripto, unà cum Virgilio Silioque, primam ſyllabam in fluminis nomine fecit longam. Aſconius Pedianus, in commentariis ad Ciceronis orationem, quæ Divinatio in Q. Cæcilium inſcribitur: *Alienum volunt intelligi proprium nomen eſſe, quaſi ab Alliâ.* Hinc nummi etiam antiqui proprium id viri nomen gemino *ll* habent *Allieni*. At locus iſte Lucani, quem citat Servius, eſt lib. VII de clade Pharſalicâ huiusmodi: ——— *Mors nulla querelâ*

Digna ſuâ eſt: nullosque hominum lugere vacamus.
Non iſtas habuit pugnæ Pharſalia parteis,
Quas aliæ clades. illis per fata virorum,
Per populos heic Roma perit. quod militis illic,
Mors heic gentis erat. ſangvis ibi fluxit Achæus,
Ponticus, Aſſyrius. cunctos hærere cruores
Romanus campisque vetat conſiſtere torrens.
Maius ab hac acie, quàm quod ſua ſæcula ferrent,
Vulnus habent populi. plus eſt, quàm vita ſalusque,
Quod perit. in totum mundi proſternimur ævum.
Vincitur his gladiis omnis, quæ ſerviet, ætas.

Admodùm ſupinus oportet ſit lector, qui heic vel in transcurſu non obſervet, Lucanum Pharſalicam pugnam non cum Allienſi clade, ſed cum reliquis cladibus omnibus, quæ alibi acceptæ ſunt, conferre. Falſus igitur fuit Servius, qui heic *Alliæ* nomen ſe diſpexiſſe putavit. Sive unicum, ſive geminum ſcribere libeat *l*; certè primam ſyllabam produxiſſe veteres, ex præſcriptis claret exemplis.

Infra Alliam proximus memoratur Livio àc Silio TVRIA *amnis*. ſed perobſcurum eſt, Etruriæ, an Sabini agri fuerit flumen. Livius lib. XXVI, ubi Hannibal è Campaniâ ad Romam oppugnandam exercitum ducit: *Q. Fulvius proconſul, quum Hannibalem Latinâ viâ iturum ſatis comperiſſet, ipſe per Appiæ municipia, quæque propter* TVRIA *amnis.*

eam viam ſunt, Setiam, Coram, Lanuvium, præmiſit, ut commeatus paratos haberent. Hannibal, quo die Vulturnum eſt transgreſſus, haud procul à flumine caſtra poſuit. poſtero die præter Caleis in agrum Sidicinum pervênit. ibi diem unum populando moratus, per Sueſſanum Allifanumque & Caſinatem agrum viâ Latinâ ducit. ſub Caſinum biduo ſtativa habita; & paſſim populationes factæ. inde præter Interamnam Aquinumque in Fregellanum agrum ad Lirim fluvium ventum: ubi interciſum pontem à Fregellanis, morandi itineris causâ, invênit. Aliquanto pòſt: *Hannibal, infeſtiùs perpopulato agro Fregellano, propter interciſos ponteis; per Fruſinatem Ferentinatemque & Anagninum agrum in Labicanum venit. inde Algido Tuſculum petiit. nec receptus mœnibus, infra Tuſculum dextrorſus Gabios deſcendit. inde in Pupiniam exercitu demiſſo, VIII millia paſſuum à Româ poſuit caſtra. quò propiùs hoſtis accedebat, eò maior cædes fiebat fugientium; præcedentibus Numidis. In hoc tumultu Fulvius Flaccus portâ Capenâ cum exercitu Romam ingreſſus, mediâ Vrbe per Carinas Eſquilias contendit. inde egreſſus, inter Eſquilinam Collinamque portam poſuit caſtra.* Mox: *Inter hæc Hannibal ad Anienem fluvium, tria millia paſſuum ab Vrbe, caſtra admovit. ibi ſtativis poſitis, ipſe cum duobus millibus equitum ad portam Collinam uſque ad Herculis templum eſt progreſſus: atque, unde proximè poterat, mœnia ſitumque urbis obequitans contemplabatur.* Haud multo pòſt: *Poſtero die transgreſſus Anienem Hannibal, in aciem omneis copias eduxit. nec Flaccus conſulesque certamen detractavêre. Inſtructis utrimque exercitibus in eius pugnæ caſum, in qua urbs Roma victori præmium eſſet; imber ingens, grandine miſtus, ita utramque aciem turbavit, ut, vix armis retentis, in caſtra ſeſe receperint; nullius rei minore, quàm hoſtium, metu. Et poſtero die eodem loco acies inſtructas eadem tempeſtas diremit. ubi recepiſſent ſe in caſtra, mira ſerenitas cum tranquillitate oriebatur. In religionem ea res apud Pœnos verſa eſt.* Exiguo pòſt: *His motus Hannibal, ad Turiam fluvium caſtra retulit, VI millia paſſuum ab Vrbe. inde ad lucum Feroniæ pergit ire; templum eâ tempeſtate inclytum divitiis.* Mox: *Huius populatio templi haud dubia inter ſcriptores eſt. Cœlius Romam euntem ab Ereto divertiſſe eò Hannibalem tradit: iterque eius ab Reate Cutiliiſque & ab Amiterno orditur. ex Campaniâ in Samnium, inde in Pelignos perveniſſe: præterque opidum Sulmonem in Marrucinos transiſſe. inde Albenſi agro in Marſos, hinc Amiternum Foruloſque vicum veniſſe. Neque ibi error eſt, quòd tanti exercitus veſtigia intra tam brevis ævi memoriam potuerint confundi: iſſe enim eà, conſtat. tantùm id intereſt; veneritne eo itinere ad Vrbem, an ab Vrbe in Campaniam redierit. Cæterùm, non quantum pertinaciæ ad premendam obſidione Capuam Romanis fuit, tantùm ad defendendam Hannibali. namque ex Lucanis in Bruttium agrum, ad fretum verò ac Rhegium eo curſu contendit, ut propè repentino adventu incautos oppreſſerit.* Hactenus Livius. à quo omnem hiſtoriam ſuam de hoc bello Hannibalico mutuatus Silius poëta, ut omnem poëſin à Virgilio, ſic tradit de Hannibalis ab Vrbe receſſu ſub finem libri XII:

Reſpectans abit, & caſtris avulſa moveri
Signa jubet ductor; remeaturumque minatur.

Et initio ſtatim libri XIII:

Segne iter emenſo vixdum Tarpeia videri
Culmina deſierant, torvos quum verſus ad Vrbem
Ductor Agenoreus vultus, remeare parabat.
Caſtra locat, nullâ lædens ubi gramina ripâ
Turia deducit tenuem ſine nomine rivum,
Et tacitè Tuſcis inglorius adfluit undis.

Ad hunc locum noviſſimus poëtæ ſcholiaſta Claud. Dausqueius, acerrimus ille Heinſiomaſtix, ita commentatur: *Thuria deducit tenuem ſine nomine rivum. Ignobilem rivum. Stephanus:* Θούριοι, πόλις Ἰταλίας, ἡ πρότερον Σύβαρις· *Thurii Italiæ urbs, olim Sybaris. Euſtathius in Dionyſium:* Θούριοι προσηγορεύθησαν ἀπὸ κρήνης τινὸς ὁμωνύμου· *Thurii adpellati ſunt à cognomine fonte. Hauſit Euſtathius è Strabonis lib.* VI, *Diodori lib.* XII. *juſſi ſunt urbem condere, ubi* μέλλουσιν οἰκεῖν μέτριον ὕδωρ πίνοντες, *Vbi modicam aquam bibituri ſunt incolæ. Silius, Tenuem. Hinc per contumeliam Octavium Auguſtum Thurinum dictitabat Antonius; Svetonius in Auguſto, cap.* VII. *Silius ævum ſuum reſpexit, quo colonia Thuria parum potens.* En, habet ſanè amicus noſter Heinſius, quod huic homini de egregiè illuſtrato atque à licentiorum correctorum temeritate ſervato Silio invideat. Ecquid umquàm præſcriptum Livii locum, ubi VI millia paſſuum ab urbe Româ

Româ *Turiam* abeſſe is tradit, legiſſe illum ſuſpiceris? ecquid fieri jam poteſt, ut credas, ipſa poëtæ ſui, quem tantoperè ab aliorum injuriâ vindicaturum ſe recepit, verba vel leviter & quaſi per transennam eum umquàm inſpexiſſe? Quin quam diſertiſſimè tradit Silius, vix deſiiſſe Hannibali ab urbe Româ recedenti *Tarpeium* montem ſitumque in eo Capitolium adparere, quum, oculos ad urbem retrovertens, regredi pararet; caſtraque locaret ad *Turiam rivum*, *Tuſcis undis*, id eſt Tiberi, *adfluentem*. Quî igitur tu, mi Dausquei, *Turiam* hunc per dimidiam ferè totius Italiæ longitudinem ad Tarentinum usque ſinum trahere potuiſti? I nunc ergo iterum; & eruditiſſimo jam tum Heinſio, cuius obſervationes in Silium hodiéque omnes doctiores viri ſummè admirantur, graviſſimisque elogiis paſſim publicè maximoperè deprædicant, unum atque alterum pueriles penè ætatis errorem ſenex tu nugator objice. Cæterùm *Turiam rivum* prope urbem Romam fuiſſe, ad vi lapidem, uti ex Livii ſimul Siliique verbis clarè patet; ita, à qua Tiberis ripâ fuerit, parum adhuc liquet; quando minimè conſtat, qua parte amnem trajecerit Hannibal, quum ad Fanum Feroniæ proficiſceretur. Quòd ſi in Sabino agro fuit *Turia*; certè inter Alliam Anienemque fuit. at inter eos nullus omnino eſt rivus, niſi qui admodùm tenuis, & æſtivis diebus penè nullus, à S. Columbani fano defluens, apud Fidenarum ruinas & Caſtellum Iubiléum Tiberi miſcetur. Verùm hunc ſi intellexit Livius; miror ego, cur non apud Fidenas potiùs, ſatis clarum etiam tum opidum, quàm apud obſcurum rivulum, caſtra locaſſe Hannibalem, antiquiores illi tradiderint auctores. Quin vi illa Livii millia in hunc rivulum parum quadrant: quando v tantùm ad eum juſta ſunt millia. At apud Etruſcam Tiberis ripam viâ Flaminiâ locus eſt, diverſoriis publicis celebris, vulgari adpellatione *La Prima porta*: ad quem licèt vii vulgò hodiè computentur millia; tamen juſta eſſe tantùm vi, ſuprà cap. iii in Etruriâ ad *Saxa Rubra* docui. Apud hunc igitur locum, qua parte Romam verſùs ſpectat, amniculus Tiberi miſcetur, vulgari vocabulo *La Foſſa*: cui omnia, quæ *Turiæ* tribuit Silius, haud malè conveniunt. *defluit* quidpe *tacitus*, *ſine nomine*, ſeu famâ, *inglorius*, *tenui rivo*, per loca plana, depreſſa, atque herboſa. Verùm in hunc amniculum licèt & cuncta iſta tributa Silii & intervallum Livii vi millium paſſuum rectè quadret; tamen ex ſententiâ Livii minimè is *Turia* eſſe poteſt; quando ille haud obſcurè innuit, regredientem à Româ & Aniene, ad cuius dextram ripam caſtra habuerat, *ab Ereto* demum *divertiſſe ad lucum Feroniæ* Hannibalem: unde per *Reate Cutiliasque & Amiternum in Pelignos ac Marrucinos*, hinc verò per *Apuliam Dauniam*, ut referunt Excerpta legationum ex Polybii lib. viiii, & *Lucaniam*, ut teſtatur Livius, *in Brutium agrum ad fretum ac Rhegium pervênit*. Iſtud igitur de Ereto ſi verum; ſanè *Turia* nullus alius intelligendus eſt rivus, quàm qui apud Caſtellum Iubiléum, ut antè dixi, in Tiberim defluit. cui & ipſi tributa Silii ſatis rectè congruunt. *Sex* autem ab urbe Româ *millia paſſuum* ad Hannibalis caſtra quum antiquiores illi tradiderint ſcriptores; haud procul ulteriore eius ripâ verſùs Cruſtumerium ea poſita fuiſſe, colligo.

Sequitur mox infra Turiam infamis ille clade trecentûm Fabiorum CREMERA *fluvius*, è Veientano agro in dextram Tiberis ripam confluens; vulgò nunc *La Varca* dictus; ut ſuprà dicto cap. iii expoſitum eſt. CREMERA *amnis.*

Celebratiſſimus hinc omnium in Tiberim defluentium eſt ANIO *amnis*, Polybio, Ciceroni, Virgilio, Ovidio, Livio, Dionyſio Halicarnaſſenſi, Straboni, Propertio, Plinio, Silio, Statio, Plutarcho, Appiano, Vibio Sequeſtro, Sidonio, & aliis memoratus. Vulgò nunc adcolis dicitur *Teverone*. De veteri eius nomine ita Martianus Capella lib. iii: *Caro autem præter hanc analogiam ut declinetur, conſvetudo obtinuit; item Anio. quæ in ſuâ declinatione unica ſunt, & ſine exemplis ſimilium declinantur. faciunt enim, huius carnis, Anienis.* Plinius lib. iii cap. xii: *Anio, in monte Trebanorum ortus.* Et cap. v: *Tiberis infra Tiniam & Glanim duobus & quadraginta fluviis augetur; præcipuis autem Nare & Aniene.* Silius lib. xii: ANIO *amnis.*

Sulfureis gelidus quà ſerpit leniter undis
Ad genitorem Anio, labens ſine murmure, Tybrim.

Cicero in oratione pro L. Muræna: *Hoſtis eſt, non apud Anienem; quod bello Punico graviſſimum viſum eſt; ſed in Vrbe.* De Finibus bonorum & malorum lib. ii: *A. Torquatus cum Gallo apud Anienem depugnavit provocatus.* Virgilius Aeneid. lib. vii:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Quique altum Præneſte viri, quique arva Gabinæ
Iunonis, gelidumque Anienem, & roſcida rivis
Hernica ſaxa colunt.

Silius lib. VIII:

Quique Anienis habent ripas, gelidoque rigantur
Simbrivio.

Sed plurima exempla obliquorum caſuum leguntur apud Livium lib. I, II, IIII, V, VI, VII, & ſuprà citato XXVI. Verùm hi obliqui caſus deducti fuiſſe videntur ab recto ANIEN; quo Statius ac Vibius Sequeſter uſi ſunt. Statius Silvar. lib. I carm. III:

Ipſe Anien, (miranda fides) infráque ſuperque
Saxeus, hic tumidam rabiem ſpumoſaque ponit
Murmura.

Et item carm. V:

Quas præceps Anien atque exceptura natatus
Virgo juvat.

Vibius Sequeſter in Catalo fluminum: *Anien lacui Velino infunditur. per Tiburtinorum fineis decurrit. ab Aniene, filio Apollinis. in Tiberim defluit.* Hinc porrò derivativum fecêre *Anienus, Aniena, Anienum*. Virgilius Γεωργικῶν lib. IIII:

Vnde pater Tiberinus, & unde Aniena fluenta.

Propertius lib. I eleg. XX:

Sive Aniena tuos tinxerit unda pedes.

Statius Silvar. lib. IIII eleg. IIII:

Tiburis hi lucos Anienaque frigora captant.

Sed ipſum etiam amnis nomen interdum dictum eſt ANIENVS. Statius dicto Silvar. lib. I carm. III:

Illis ipſe antris Anienus, fonte relicto,
Huc illuc fragili proſternit pectora muſco.

Propertius lib. IIII eleg. VII:

Ramoſis Anio quà pomifer incubat arvis,
Et numquàm Herculeo numine pallet ebur,
Hoc carmen mediâ, dignum me, ſcribe columnâ;
Sed breve; quod currens rector ab Vrbe legat.
Heic Tiburtinâ jacet aurea Cynthia terrâ.
Acceſſit ripæ laus Aniene tuæ.

Atque ita apud Dionyſium quoque Halicarnaſſenſem lib. III, & item apud Plutarchum in Cæſare, accuſativus caſus legitur τὸν Ἀνιῆνα ποταμὸν, *Anienum amnem*. Sed apud Dionyſium eodem libro poſteà legitur idem caſus τὸν Ἀνίητα, & genitivus Ἀνίητος· item lib. V iterum Ἀνίητα, ac lib. VI Ἀνίητος. unde nominativum formaveris Ἀνίης. Verùm hoc minùs in uſu fuiſſe puto: ſuſpicorque, ſcripſiſſe ipſum Dionyſium Ἀνιῆνος atque Ἀνιῆνα· ab recto caſu Ἀνιήν. nam apud Plutarchum etiam in Poplicolâ & Coriolano eſt accuſativus τὸν Ἀνιῆνα· ut & apud Appianum in Hannibalicis, cum genitivo itèm τοῦ Ἀνιῆνος. unde patet, Græcis maximè uſurpatam fuiſſe hanc formationem; Ἀνιὴν, Ἀνιῆνος, *Anien, Anienis*. Straboni lib. V quòd dicatur ὁ Ἀνίων, *Anio*; à Romanis id ſumpſiſſe videtur. quamquàm Excerpta legationum è Polybii lib. VIIII quoque referunt obliquum caſum τὸν Ἀνίωνα, *Anionem*. quod ego vocabulum falſum, vitiatumque è vero Ἀνιῆνα exiſtimarem; ni apud Romanum etiam ſcriptorem Iul. Frontinum, in libro de Aquæductibus, frequens ea foret declinatio, *Anio, Anionis*. Verùm quum in eodem libro, qui haud perinde magnus, aliquoties etiam perſcripta ſit uſitatior illa inflexio *Anio, Anienis*: vehementer dubito, an ita ipſe variaverit Frontinus. Apud Pauſaniam varò in Meſſanicis, ut mox infra ad *Albulas aquas*, in Anienem defluenteis, videbimus, legitur, τὸν Ἄνιον. quod omnino corruptum ego credò vocabulum à genuino τὸν Ἀνιόνα. Sed de nomine huius amnis hactenus ſatis. Super fonte eius controverſia eſſe videtur Plinio Frontinoque cum Strabone. hic quidpe lib. V, Ἀνίων, inquit, ποταμὸς ἐξ Ἄλβας ῥεῖ, τῆς πρὸς Μαρσοῖς Λατίνης πόλεως. Id eſt: *Anio ab Albâ, Latinâ urbe, Marſis conterminâ, profluit*. Plinius lib. III cap. XII: *Anio, in monte Trebanorum ortus lacus*

lacus treis, amœnitate nobileis, qui nomen dedêre Sublaqueo, defert in Tiberim. Frontinus dicto libro: *Nec ſatis fuit principi noſtro, cæterarum aquarum reſtituiſſe copiam; ſed etiam gratiam. Anionis quoque novi vitia exſcindi poſſe, vidit. miſſo enim flumine, repeti ex lacu, qui eſt ſuper villam Neronianam Sublacenſem, ubi limpidiſſima eſt, juſſit. nam, quum oriatur Anio ſupra Trebam Auguſtam; ſeu, quia per ſaxoſos monteis decurrit; paucis circa ipſum opidum objacentibus cultis; ſeu, quia lacus altitudine, in quo excipitur, velut depuratur, imminentium quoque nemorum opacitate inumbratus, frigidiſſimus ſimul ac ſplendidiſſimus eò pervenit.* Opidum *Sublaqueum*, de quo plura ſuo loco dicentur, hodiéque nomen antiquum retinet, vulgò *Sublaco* & frequentiùs *Subiaco* dictum. ſitum eſt in ipsâ ripâ Anienis dextrâ, xx millia paſſuum ſupra Tibur, in colle edito, infra quem amnis per cataractam præcipitatur. mille verò paſſus ſupra opidum, ad eamdem ripam, loco editiore conſpicitur monaſterium divi Benedicti, qui heic genitus eſt. hoc loco ſuperioribus ſæculis fuêre *tres illi lacus, amœnitate nobiles, qui nomen dedêre* ſubjecto opido *Sublaqueo*: qui poſtmodùm eſſe deſiêre. à Sublaqueo verſùs ortum hibernum euntibus, poſt x nunc milliaria, ſeu poſt xi millia paſſuum, ad eamdem Anienis dextram ripam viſitur antiqua illa urbs *Treba*; vulgò nunc *Treva* & ſæpiùs *Treve* incolis vocitata. ſupra hanc ad iii circiter millia fontes conſpiciuntur Anienis in monte, qui Trebam ab ortu Solis hiberni proſpicit. hinc ad *Albam* opidum, quod hodiéque vulgò dicitur *Alba* & *Albi*, xv circiter ſunt millia paſſuum. Malè igitur hactenus fecerunt geographi illi, qui, veluti è Strabonis mente, fonteis Anienis ad ipſam ſtatuerunt Albam; quia ille, ἐξ Ἄλβας ῥεῖ, inquit. quidpe Strabo hoc loco haud alio ſenſu dixit ἐξ Ἄλβας, quàm eodem libro v anteà de Arno, ἐξ Ἀρρητίου φέρεται, id eſt, *ab Arretio fertur*: quum tamen fons eius xxv millia ab eâ urbe diſtet. qua ratione etiam Plinius lib. iii cap. v *Tiberim finibus Arretinorum profluere* dixit. Non igitur ex ipsâ Albâ, ſed tractu circa Albam, profluere Anienem, voluit Strabo. hoc autem opidum nominavit, tamquàm nobilius ſuâ ætate, quàm *Treba*. Nec ſuſpicari licet, ſcripſiſſe ipſum Strabonem, ἐκ Τρήβας, *à Trebâ*; quod poſteà exſcriptores corruperint in ἐξ Ἄλβας· quidpe, ut heic, ſic eodem libro poſteà iterum *Latinam urbem* vocat *Albam*, quæ re verâ, ut ſuo loco patebit, erat Marſorum. Ἡ Οὐαλερία δὲ, inquit, ὁδὸς ἄρχεται μὲν ἀπὸ Τιβούρων, ἄγει δ' ἐπὶ Μαρσοὺς καὶ Κορφίνιον, τὴν τῶν Πελιγνῶν μητρόπολιν· εἰσὶ δ' ἐν αὐτῇ Λατῖναι πόλεις Οὐαλερία τε καὶ Καρσέολοι καὶ Ἄλβα. Id eſt: *Valeria via à Tibure incipit; ducitque in Marſos & ad Corfinium, Pelignorum gentis caput. opida in eâ ſunt Latina, Valeria, Carſeoli, Alba.* Fertur itaque Anio à dictis fontibus, primùm *per ſaxoſos*, ut rectè teſtatur Frontinus, *monteis*; mox *circa Trebam opidum* per depreſſiora loca; utrimque *imminentibus nemoroſis* collibus, nonnumquàm altioribus jugis, ad Tibur usque. Mille paſſus, ut antè dictum, ſupra Sublaqueum opidum unum ex tribus lacubus olim tranſibat; eumque ſimul cum reliquis duobus receptum in Tiberim deferebat. Hodiéque v millia infra Sublaqueum ab dextrâ ripâ ingenti augetur fonte & in lacum effuſo, mox in rivum. mox ſupra hunc aliis impletur fontibus ſeu ſcaturiginibus magnis, & in flumina effuſis. Aquæ his omnibus, ut ipſi amni, *limpidiſſimæ, ſplendidiſſimæ, frigidiſſimæque*. unde *gelidum* dixêre *Anienem* Virgilius Siliusque locis ſuprà ſcriptis; & *Aniena frigora* Statius. Sidonius Apollinaris lib. i epiſt. v *cærula* pronunciat *Anienis fluenta*: & Dionyſius Halicarnaſſenſis lib. v καλὸν μὲν ὀφθῆναι, γλυκὺ δὲ πίνεσθαι, id eſt, *amœnum adſpectu, potuque ſuavem*. Falſiſſimum eſt, quod Vibius Sequeſter, loco ſuprà citato, *Anienem* ait *Velinorum lacui infundi*. Ex Plinii id eum ſuſpicabar hauſiſſe verbis, malè intellectis; quæ ſunt prædicto lib. iii cap. xii huiusmodi: *Sabini Velinos adcolunt lacus, roſcidis collibus. Nar amnis exhaurit illos ſulphureis aquis. Tiberim ex his petens replet, è monte Fiſcello labens; juxta Vacunæ nemora & Reate in eosdem conditus. At ex aliâ parte Anio, in monte Trebanorum ortus, lacus treis, amœnitate nobileis, qui nomen dedêre Sublaqueo, defert in Tiberim.* Verùm ſcripſiſſe potuit ipſe Vibius *Simbruinorum lacui*. nam Simbrivius ſive Simbruvius dicebatur lacus, per quem Anio ferebatur. Silius ſuprà dicto lib. viii: Simbrivius *lacus.*

Quique Anienis habent ripas, gelidoque rigantur
Simbrivio, raſtrisque domant Aequicula rura.

Et quum tres eſſent lacus; haud dubiè & reliqui dicti fuêre in univerſum Simbrivii *lacus*. unde Tacito adpellantur Simbruvia ſive Simbruina stagna;

& Celſo SIMBRVINAE AQVAE. Tacitus Annal. lib. XIIII: *Auxit rumorem pari*
vanitate orta interpretatio fulguris. nam, quia diſcumbentis Neronis apud Simbruina ſta-
gna, [villâ,] cui Sublaqueum nomen eſt, ictæ dapes menſaque disjecta erat; idque fini-
bus Tiburtum acciderat; unde paterna Plauto origo: hunc illum numine deûm deſtinari,
credebant. Celſus lib. IIII cap. V: *Conſiſtere in frigidis medicatisque fontibus, quales*
Cutiliarum Simbruinarumque ſunt, ſalutare eſt. De eisdem aquis idem Tacitus An-
nal. lib. XI: *Claudius fonteis aquarum, Simbruinis collibus deductos, Vrbi intulit*. Fal-
litur heic haud modicè Taciti commentator Lipſius; qui ex veteribus quibusdam
exemplaribus mavult legere, *Sub Imbruinis collibus*: ſcilicet, quia *non ex ipſis colli-*
bus deductam aquam velit Tacitus; ſed fontes aquarum, qui ſub collibus, Romam per-
ductos. eamque lectionem ex Livii inſuper lib. VIII adſerere ſe poſſe putat; ubi lo-
cus legitur *Imbrivium*. Verùm locus hic erat in Samnio; ut infrà in eius regionis
deſcriptione patebit; ſitu ab Aniene & Sublaqueo longè remoto. A lacu igitur
Simbrivio, ſive à lacubus *Simbriviis* cognominati ſunt imminentes eis montes SIM-
SIMBRIVINI montes. BRIVINI, ſive volubiliore lingvâ SIMBRVINI COLLES: in quibus prædictum mo-
naſterium nunc ſitum eſt divi Benedicti. *Simbruina ſtagna* Tacitus ſcripſerit, &
Simbruinas aquas Celſus; an verò ille *Simbrivia* ſeu *Simbruvia ſtagna*, & hic *Simbru*
vias ſeu *Simbrivias aquas*; incertum eſt. exemplaria enim variant. *Fonteis* autem
puto nullos alios intellectos Tacito, quàm qui Celſo. huic verò intelligebantur,
non, qui ex editioribus collibus in lacum defluebant; ſed, qui in ipſo oriebantur
lacu; quemadmodùm illi in lacu Cutilienſi; de quo ſuperiori capite actum. Cæte-
rùm Anio apud Tibur opidum altâ viſendâque præcipitatur cataractâ, quæ anti-
quis etiam celebrata auctoribus. Dionyſius lib. V: Οὐαλέριος δὲ ἐγγὺς τῶν πολεμίων
κατεστρατοπέδευσε, παρὰ ποταμὸν Ἀνίωνα, ὃς ἐκ πόλεως μὲν Τιβύρων καθ᾽ ὑψηλοῦ πολὺς ἐκ-
χεῖται σκοπέλου, φέρεται δὲ διὰ τῆς Σαβίνων καὶ Ῥωμαίων πεδιάδος, ὁρίζων τὴν ἑκατέρων χώ-
ραν, συνάπτει δὲ τὸ ῥεῦμα τῷ Τιβέρει ποταμῷ, καλὸς μὲν ὀφθῆναι, γλυκὺς δὲ πίνεσθαι. Id
eſt: *Valerius propiùs hoſtem caſtra poſuit apud Anienem amnem. hic ad Tibur opidum ex*
altâ rupe magnâ mole ſeſe præcipitans, terminus inter Sabinorum Romanorumque campos
delabitur; amœnus adſpectu, & potu ſuavis. Ovidius Amor. lib. III eleg. V; ubi va-
rios enumerat amneis:

Nec te prætereo, qui per cava ſaxa volutus
Tiburis Argêi ſpumifer arva rigas.

Strabo lib: V: Τίβουρα πόλις· ἧ τὸ Ἡράκλειον, καὶ ὁ καταῤῥάκτης, ὃν ποιεῖ πλωτὸς ὁ Ἀνίων, ἀφ᾽
ὕψους μεγάλου καταπίπτων εἰς φάραγγα βαθεῖαν καὶ κατάλση, πρὸς αὐτῇ τῇ πόλει. Id eſt: *Tibur*
opidum; apud quod fanum eſt Herculis & præceps aquæ dejectus, quem facit Anio, amnis na-
vigabilis, ab excelſo admodùm loco in vallem ſeſe dejiciens profundam lucisque obſitam, ad
ipſum opidum. Pompeius Feſtus: *Tullios alii dixerunt eſſe ſilanos; alii rivos; alii vehe-*
menteis projectiones amnis arcuatim fluenteis; quales ſunt Tiburi in Aniene. Apud Stra-
bonem vocem πλωτὸς ſuſpectam noviſſimo commentatori fieri potuiſſe, miror; quum
Plinii diſerta habuerit verba lib. III cap. V iſta: *Tiberis infra Tiniam & Glanim duobus*
& quadraginta fluviis auctus, præcipuis autem Nare & Aniene; qui, & ipſe navigibilis La-
tium includit à tergo. Quin & ipſe Strabo modò citatis continuò ſubnectit iſta: Ἐν-
τεῦθεν δ᾽ ἤδη διέξεισιν πεδίον εὐκαρπότατον, παρὰ τὰ μέταλλα τοῦ λίθου τοῦ Τιβουρτίνου, καὶ τοῦ ἐν Γαβίοις, καὶ τοῦ
ἐρυθροῦ λεγομένου· ὥστε τὴν ἐκ τῶν μετάλλων ἐξαγωγὴν καὶ τὴν πορθμείαν εὐμαρῆ τελέως εἶναι, τῶν
πλείστων ἔργων τῆς Ῥώμης ἐντεῦθεν κατασκευαζομένων. Hoc eſt: *Inde per campos labitur fe-*
raciſſimos, juxta ſecturas lapidis Tiburtini Gabinique, & eius, qui dicitur ruber: ita, ut
eductio è lapicidinis & navium devectio planè ſit expedita; & pleraque opera, quæ Romæ
habentur, heic præparentur.

VERESIS *amnis*. Porrò Strabo eodem loco pòſt, ubi campos deſcripſit inter Anienem amnem Ti-
burque & Præneſte opida ſitos, ita pergit: Ῥεῖ δὲ διὰ τῆς χώρας Οὐέρεσις ποταμός· id eſt:
Fluit autem per eam regionem VERESIS *amnis*. Hic ſanè nullus alius eſſe poteſt,
quàm qui, paullo ſupra *Gallicanum* opidulum exortus, IIII millia paſſuum infra *Ti-*
bur Anieni miſcetur. nam hic unus ſolus eſt in iis campis memoratu paullo dignior;
licèt & ipſe perexiguus ac tenuis.

ALBVLA *fluvius; quæ &* ALBVLAE *aquæ*. Ex adverſo huius amnis confluentium, puſillo tamen infrà, in dextram Anienis
ripam defluit longè breviſſimus fluvius, qui Vitruvio, Martiali ac Statio dicitur AL-
BVLA; aliis autem auctoribus ALBVLAE AQVAE. Vitruvius lib. VIII cap. I I;
Sunt

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Sunt etiam odore & ſapore non bono frigidi fontes, qui, ab inferioribus locis penitus orti, per loca ardentia tranſeunt, & ab his per longum ſpacium terræ perveniunt ſupra terram, ſapore, odore, coloreque corrupto: ut in Tiburtinâ viâ flumen Albula. Statius Silvar. lib. I carm. III; quo Manlii Vopiſci deſcribitur Tiburtinum:

Illis ipſe antris Anienus, fonte relicto,
Nocte ſub arcanâ glaucos exutus amictus,
Huc illuc fragili proſternit pectora muſco;
Aut ingens in ſtagna cadit, vitreasque natatu
Plaudit aquas: illâ recubat Tiburnus in umbrâ;
Illic ſulfureos cupit Albula mergere crineis.

Martialis lib. I epigram. XIII:

Itur ad Herculei gelidas quà Tiburis arceis,
Canaque ſulfureis Albula fumat aquis;
Rura, nemusque ſacrum, dilectaque jugera Muſis,
Signat viciná quartus ab urbe lapis.

Nempe à Tibure urbe quatuor ſunt millia paſſuum ad dictum amnem. qui è lacu quamplurimos fonteis ebuliente profluens, moxque & alios eiusdem naturæ fonteis ſeu lacus minores recipiens, per duo millia ad Anienem usque delabitur. Hinc Tabula itineraria:

Româ, viâ Tiburtinâ;
Ad Aquas Albulas XVI.
Tiberi ....

Interiit numerus IIII millium paſſuum, quæ ſunt inter *Albulas & Tibur*. Porrò Strabo dicto lib. V: Ἐν δὲ τῷ πεδίῳ τούτῳ, ὃ Ἀνίων διέξεισι, καὶ τὰ Ἄλβουλα καλούμενα ῥεῖ ὕδατα ψυχρὰ ἐκ πολλῶν πηγῶν, πρὸς ποικίλας νόσους καὶ πίνουσι καὶ ἐγκαθημένοις ὑγιεινά· τοιαῦτα δὲ καὶ τὰ Λάβανα, οὐκ ἄπωθεν τούτων, ἐν τῇ Νωμεντανῇ καὶ τοῖς περὶ Ἤρητον τόποις. Id eſt: *Planitiem eam, per quam delabitur Anio, Albulæ etiam perfluunt aquæ, frigidæ, multis fontibus exorientes, ad varios morbos potæ aut pro balneo uſurpatæ remedium adferentes. tales ſunt etiam haud procul inde Labanæ aquæ in agro Nomentano & circa Eretum.* Iſidorus Origin. lib. XIII cap. XIII: *Iuxta Romam Albulæ aquæ vulneribus medentur.* Haud dubiè ex Plinio; qui lib. XXXI cap. II: *Iuxta Romam*, inquit, *Albulæ aquæ vulneribus medentur: egelidæ hæ; ſed Cutiliæ in Sabinis gelidiſſimæ.* Pauſanias in Meſſenicis: Ῥωμαίοις δὲ ὑπὲρ τὴν πόλιν διαβάντων τὸν Ἀνίονα ὀνομαζόμενον ὕδωρ λευκόν ἐστιν. ἀνδρὶ δὲ ἐσβάντι ἐς αὐτό, τὸ μὲν παραυτίκα ψυχρόν τε πρόσεστι καὶ ἐμποιεῖ φρίκην· ἐπισχόντι δὲ ὀλίγον ὥστε φάρμακον θερμαίνει τὸ πυρωδέστατον. Id eſt: *Haud procul ab urbe Româ trans Anienem amnem albula eſt aqua: in quam qui deſcendunt, ab initio tam frigidam ſentiunt, ut exhorreſcant. at ſi paullum fuerint immorati, nihil minùs incaleſcunt, quàm ſi vehementer calidum medicamentum ebibiſſent.* Meminit præterea harum aquarum & Svetonius in Octavio Auguſto, cap. LXXXII. *At quoties*, inquit, *nervorum causâ marinis Albuliſque calidis utendum eſſet; contentus hoc erat, ut, inſidens ligneo ſolio, quod ipſe Hiſpanico verbo duretam vocabat, manus ad pedes alternis jactaret.* Et in Nerone cap. XXXI: *Præcipua cœnationum eius fuerunt rotunda; quæ perpetuò diebus ac noctibus vice mundi circumagerentur: balineæ marinis & Albulis fluentes aquis.* Martialis lib. IIII epigram. IIII:

Quod ſiccæ redolet palus lacunæ,
Crudarum nebulæ quod Albularum,
Malles, quàm quod oles, olere Baſſa.

De cætero Prudentius in carmine contra Symmachum ita tradit:

Quidquid humus, pelagus, cœlum, mirabile gignunt,
Id duxère deos; colleis, freta, flumina, flammas.

Seneca Epiſt. XLI: *Si tibi occurrit vetuſtis arboribus & ſolitam altitudinem egreſſis frequens lucus, & conſpectum cœli denſitate ramorum aliorum alios protegentium ſubmovens; illa proceritas ſilvæ & ſecretum loci & admiratio umbræ, in aperto tam denſæ atque continuæ, fidem tibi numinis facit: &, ſi quis ſpecus ſaxis penitus exeſis montem ſuſpenderit, non manu factus, ſed naturalibus cauſis in tantam laxitatem excavatus; animum tuum*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

quadam religionis ſuſpicione percutiet. Magnorum fluminum capita veneramur. ſubita ex abdito vaſti amnis eruptio aras habet. coluntur aquarum calentium fonteis: & ſtagna quædam vel opacitas vel immenſa altitudo ſacravit. Exempla huius rei habuimus ſuprà in *Clitumno* amne, & *Cutilienſi* lacu. ſed adduxi plurima Germaniæ lib. I cap. XXXIIII. Hinc igitur etiam *Albulæ* huic *aquæ* numen tribuerunt veteres; nemusque juxtà & templum ſacrarunt; oraculo etiam impoſito. Virgilius Aeneid. lib. VII, de Latino rege; cuius regia ſedes Laurenti erat, apud mare inferum:

At rex, ſolicitus monſtris, oracula Fauni,
Fatidici genitoris, adit; lucosque ſub altâ
Conſulit Albuneâ; nemorum quæ maxima ſacro
Fonte ſonat, ſævamque exhalat opaca mephitim.
Hinc Italæ gentes omnisque Oenotria tellus
In dubiis reſponſa petunt.

Ad hæc ita Servius: *Lucosque. In lucis. Sub Albuneâ. In Albuneâ. Altâ. quia eſt in Tiburtinis altiſſimis montibus. & Albuneæ dicta eſt ab aquæ qualitate, quæ in illo fonte eſt. unde etiam nonnulli eam Leucotheam volunt. Sciendum ſanè, unum nomen eſſe fontis & ſilvæ. Mephitin. Mephitis propriè eſt terræ putor, qui de aquis naſcitur ſulfuratis: & eſt in nemoribus gravior, ex denſitate ſilvarum. Alii Mephitin deum volunt, Leucotheæ connexum; ſicut eſt Veneri Adonis, Dianæ Virbius. Alii Mephitin Iunonem volunt; quam aërem eſſe, conſtat. Novimus autem, putorem non niſi ex corruptione aëris naſci: ſicut etiam bonum odorem de aëre incorrupto. ut ſic Mephitis dea odoris graviſſimi; id eſt, grave olentis.* Poſtremum hoc omnium veriſſimum reddit Plinii locus, qui eſt lib. II cap. XCIII huiusmodi: *Spiritus letales alibi, aut ſcorbibus emiſſi, aut ipſo loci ſitu mortiferi: alibi volucribus tantùm; ut Soracte, vicino Vrbi tractu: alibi; præter hominem, cæteris animantibus. nonnumquàm & homini; ut in Sinueſſano agro & Puteolano. ſpiracula vocant; alii Charoneas ſcrobeis, mortiferum ſpiritum exhalanteis. item in Hirpinis Amſancti ad Mephitis ædem lacum; quem qui intravêre, moriuntur.* Hic non ſolùm teterrimò eſt odore, ſed & colore aterrimo. Sed & circa Padum fuit Mephitis templum, apud Cremonam urbem. Tacitus Hiſtor. lib. III: *Per quatriduum Cremona ſuffecit. Quum omnia ſacra profanaque in igne conſiderent, ſolum Mephitis templum ſtetit ante mœnia.* Verùm Virgilium iſthic nil niſi gravem ſulfureæ aquæ odorem intellexiſſe, ſatis claret ex ipsâ loquutione; *Sævam exhalat mephitin.* quod Martialis ſuprà dicto epigr. XIII libri primi dixit, *Fulfureis fumat aquis.* Sic Perſius Satyrâ III;

Turgidus hic epulis atque albo ventre lavatur;
Gutture ſulfureas lentè exhalante mephites.

Cæterùm ad eumdem Virgilii locum ita tradit Pomponius Sabinus: *Probus ait, Albuneam eſſe Laurentinorum ſilvam, in qua erat oraculum Fauni.* Id haud dubiè Probus collegit ex Aeneid. lib. XII, ubi ita poëta canit de campo apud Laurentum, in quo Aeneas cum Turno ſingulare certamen inibant:

Campum ad certamen magnæ ſub mœnibus urbis
Dimenſi Rutuli viri Teucrique parabant.

Et poſteà, ſub finem & libri & certaminis:

Fortè ſacer Fauno foliis oleaſter amaris
Heic ſteterat; nautis olim venerabile lignum;
Servati ex undis ubi figere dona ſolebant
Laurenti divo, & lotas ſuspendere veſteis.
Sed ſtirpem Teucri nullo discrimine ſacrum
Suſtulerant; puro ut poſſent concurrere campo.

Ad hæc Pomponius Sabinus; *Oleaſter*, inquit, *ſacra Fauno, in medio campo, exciſa ab inſciis Troianis erat. Laurentinorum vetuſtus lucus, Fauno ſacer, cum oraculo.* Hoc ſanè magis ex præſcriptis Probi, quàm ex Virgilii hisce verbis elicere Sabino licuit. quidpe Virgilius heic nihil, præterquàm quòd *nautis venerabile* fuerit *lignum*, de *ſacro* iſto *Fauni oleaſtro* tradit. At apud Tibur quoque Fauni numen fuiſſe cultum, teſtatur Statius dicto Silvar. lib. I carm. III poſteà, his verſibus:

Heic tua Tiburteis Faunos chelys, & juvat ipſum
Alciden, dictumque lyrâ maiore Catillum.

Horatius

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Horatius verò Carm. lib. I odâ VII, ubi alias aliis, ſibi Tiburtinam maximè regionem placere teſtatur, non tantùm *Albuneam* heic memorat, ſed & *reſonantem* cum Virgilio facit. Verba eius hæc ſunt:

Me nec tam patiens Lacedæmon,
Nec tam Lariſſæ percuſſit campus opimæ,
Quàm domus Albuneæ reſonantis,
Et præceps Anio, & Tiburni lucus, & uda
Mobilibus pomaria rivis.

Svetonius, in vitâ Horatii: *Vixit plurimùm in ſeceſſu ruris ſui Sabini, aut Tiburtini. domusque eius oſtenditur circa Tiburtini luculum.* Audacter ex ipſo Horatio exſcriptoris mendum purgo, *circa Tiburni luculum.* & apud Statium quoque ſuprà ſcripto loco rectè reſtitui, *illâ recubat Tiburnus in umbrâ*; pro qua voce nunc vulgò legitur *Tiberinus*; hinc manifeſtè perſpicitur. Sed & Propertius, *Albuneæ*, ſeu, ut ipſe vocat metri causâ, per licentiam poëticam, *Albunæ* fontem in Tiberim defluere, diſertè teſtatur lib. II eleg. V, his verſibus:

Quidquid Amalthéa, quidquid Marpeſſia dixit;
Herophile, Phœbo grata, quod admonuit,
Quotque Albuna ſacras Tiberis per flumina ſorteis
Portârit, ſicco perlueritque ſinu;
Hæ fore dixerunt belli mala ſigna cometen;
Multus ut in terras deplueretque lapis.
Atque tubas atque arma, ferunt, ſtrepitantia cœlo
Audita; & lucos præcinuiſſe fugam.

ALBVNEA igitur FONS, ſive FONS ALBVNEAE, teſtibus maximè Horatio Propertioque, nullus alius fuit, quàm qui *Albulæ fluminis* fons maior in maiori lacu. ALBVNEAE *fons ac nemus.* cuius immenſa *altitudo*, quam illi tribuunt Virgilius atque Vitruvius, hodiéque comperta eſt; unà cum *ſævâ mephite*, quam juxtà cum iisdem auctoribus memorat & Martialis, loco proximè ſcripto. Ignorantiam ſuam prodidit Servius; ubi docet, *altam Albuneam* dictam Virgilio, *quia erat in Tiburtinis altiſſimis montibus.* quidpe nullus heic alius circa Tibur ſeu Tiburtinos monteis eius naturæ fons reperitur. *Sonantem* autem *Albuneæ fontem* pronunciavit Virgilius, & *reſonantem Albuneam* Horatius; quia cum ſtrepitu ſeu murmure aquæ eius erumpunt. olim verò maiore fortaſſis cum fragore eructatæ fuerunt; ut hodiéque fit in ſuprà dicto Amſancti lacu; & item in nonnullis aliis ſimilibus lacubus, quos in Etruriâ diximus. Iuxtà autem fuit ALBVNEAE NEMVS; & in eo FAVNI ORACVLVM. Hodiè paucæ quædam circùm dictos fonteis caſtellumque eis adpoſitum cernuntur arbores. Sed & CAMOENARVM ſive MVSARVM ibidem fuiſſe NEMVS, ex CAMOENARVM *nemus.* ſuprà ſcripto Martialis epigrammate XIII libri primi colligere datur. Lactantius equidem, de Falsâ religione lib. I cap. VI, ubi de decem Sibyllis agit, ita ſcribit: *Decimam aiunt fuiſſe Tiburtem, nomine Albuneam, quæ Tiburi colitur ut dea, juxta ripas Anienis: cuius in jurgite ſimulacrum eius inventum eſſe dicunt, tenentem in manu librum.* Atqui Virgilius diſertè ait, *Albuneam fonte ſuo ſonante ſævam exhalare mephitim.* quod ſanè nullo alio Tiburtis agri fit loco, quàm ad prædictas *Albulæ fluminis* ſcaturigines. In his igitur *gurgitibus inventum eſſe* iſtud *ſimulacrum*, haud dubiè priſci illi dixêre mortales. heic item culta fuit *Albunea*; haud ita longè à *ripis Anienis*. unde ita Vetus commentator in præſcriptum Horatii locum: *Sibi Tibur eſſe laudandum dicit; cuius voluptate capiatur & amœnitate; nec non Albuneæ nymphæ, eiusdem vicini nemoris deæ.* Sic item Statius Silvar. lib. I carm. III, quo Tiburtinam villam Vopiſci celebrat, *vicinum* adpellat *flumen*; & diſertè ab *Aniene amne* diſtingvit, his verbis:

An, quæ gramineâ ſuſcepta crepidine fumant
Balnea, & impoſitum ripis algentibus ignem?
Quáque, vaporiferis junctus fornacibus, amnis
Ridet anhelanteis vicino flumine nymphas.

Sitam fuiſſe hanc villam cum balneis ſupra Tibur ad Anienis ripas, infrà lib. III cap. IIII patebit. Atque hactenus de Aniene amnibusque in eum influentibus dictum.

Porrò

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

PETRONIA *amnis.*

Porrò infra Anienem in ipſum Tiberim defluxit PETRONIA *amnis*, Feſto memoratus his verbis; *Petronia amnis eſt in Tiberim profluens; quam magiſtratus auſpicatò tranſeunt, quum in Campo quid agere volunt. quod genus auſpicii Peremne vocatur. amnem autem femininè antiqui enunciabant.* Idem Feſtus: *Cati fons. ex quo aqua Petronia in Tiberim fluit; [ſic] dictus, quòd in agro cuiusdam fuerit Cati.* Ergo in ipsâ videtur fuiſſe Vrbe, inter Capitolium & Campum Martium. Sed quo ſitu fuerit, hodiè minimè conſtat.

Apud Ciceronem quoque quidam hoc tractu circa Vrbem leguntur amnes, aliàs planè incogniti. Verba eius de Naturâ deorum lib. III hæc ſunt: *Et in augurum precatione Tiberinum, Spinonem, Anemonem, Nodinum, alia propinquorum fluminum nomina videmus.* Verùm uti *Spinonis* & *Nodini* vocabula ſatis ſint ſine mendo, vehementer ego vereor; quando ſatis apertum eſt vitium in voce *Anemonem*; quod nomen eſt amnis Galliæ Cispadanæ in Padum circa Ravennam urbem influentis, vulgò nunc *Armone* & *Ammone* dicti. Scripſiſſe Ciceronem *Almonem*, nemo dubitare poteſt: quando ALMO, meridionale urbis Romanæ latus penè contingens, celebratiſſimus apud alios quoque ſcriptotes eſt amnis. Ovidius Transformationum lib. XIIII:

ALMO *amnis.*

——— *Curſuque breviſſimus Almo.*

Lucanus lib. I:

Et lotam parvo revocant Almone Cybelen.

Silius lib. VIII:

Quique immite nemus Triviæ, quique oſtia Tuſci
Amnis amant, tepidoque fovent Almone Cybelen.

Statius Silvar. lib. V carm. I:

Eſt locus ante Vrbem, quà primùm naſcitur ingens
Appia; quáque Italo gemitus Almone Cybele
Ponit; & Idæos jam non reminiſcitur amneis.

Ovidius Faſtor. lib. IIII:

Eſt locus, in Tiberim quà lubricus influit Almo,
Et nomen magno perdit in amne minor:
Illic purpureâ canus cum veſte ſacerdos
Almonis Dominam ſacraque lavit aquis.

Paullo pòſt:

Ipſa ſedens plauſtro portâ eſt invecta Capenâ.
Sparguntur junctæ flore recente boves.

Martialis lib. III epigr. XLII:

Capena grandi porta quà pluit guttâ,
Phrygiæque Matris Almo quà lavat ferrum.

Cybelen hanc deam eamdem fuiſſe & *Terram matrem* dictam, ac *Matrem deûm*, & *Magnam matrem*, & *deam Magnam*, ac *deam Dominam*; à locis verò *Idæam*, *Dindymenen*, *Pylenen*, *Peſſinuntiam*, *Cybelen*; Germaniæ lib. I cap. XXVII docui. ubi feſtum etiam eius atque ſacrum expoſitum eſt. Tacitus in libro de Germaniâ: *Herthum, id eſt, Terram matrem colunt: eamque intervenire rebus hominum, invehi populis, arbitrantur. Eſt in inſulâ Oceani ſacrum nemus. dicatum in eo vehiculum, veſte contectum, attingere uni ſacerdoti conceſſum. is adeſſe penetrali deam intelligit: vectamque bubus feminis, multâ cum veneratione proſequitur. Læti tunc dies; feſta loca, quæcumque adventu hoſpitioque dignatur. non bella ineunt; non arma ſumunt: clauſum omne ferrum. pax & quies tunc tantùm nota; tunc tantùm amata: donec idem ſacerdos ſatiatam converſatione mortalium deam templo reddat. mox, vehiculum & veſtis, &, ſi credere velis, numen ipſum ſecreto lacu abluitur.* Eosdem ritus circa huius deæ feſtum obſervaſſe & Romanos, dicto Germaniæ loco oſtenſum eſt. Hinc, præter prædictos poëtas, ſic etiam Vibius Sequeſter in Catalogo fluminum: *Almon, Romæ; ubi Mater deûm* VI *Calend. Aprilis lavatur.* Quum *porta Capena*, ex qua via Appia ferebat versùs Ariciam opidum, hodiè dicatur vulgò *La porta di San Sebaſtiano*; *Almo* iſte *breviſſimus amnis* nullus alius eſſe poteſt, quàm qui viâ Appiâ inter fanum divi Sebaſtiani & portam Capenam, viâ autem Oſtienſi inter templum divi Pauli & portam Trigeminam, vulgari nunc adpellatione dicitur *Accia*, & *Acqua d'Accia*;

d'Accia; vulgi verò imperitiâ *Acqua Daccia*, & *Acquataccia*. Hinc Gregorius Magnus Epiſtolar. ex Regeſtro lib. XII cap. VIIII, de eccleſiâ divi Pauli loquens: *Adjicimus etiam eidem ceſſioni hortos duos inter Tiberim & porticum ipſius eccleſiæ, euntibus à portâ civitatis parte dextrâ; quos dividit fluvius Almon.*

SPINO & NODINVS *fluvii.*

Cæterùm SPINO & NODINVS *amnes* (ſi incorrupta hæc apud Ciceronem credimus eſſe vocabula) haud dubiè illi fuêre rivi, qui ſtatim infra Almonis confluentem & templum divi Pauli in eamdem Tiberis ripam confluunt.

AQVA CRABRA.

At qui fluvius ipſam Vrbem inter Palatinum Aventinumque monteis perfluit, vulgari nunc vocabulo *La Marana*, inter opidum *Fraſcati* ſive veteres *Tuſculi* ruinas & caſtellum *La Rocca di Papa* ex imis Albani montis radicibus exoriens, priſcis Romanis dicebatur AQVA CRABRA. Frontinus in libro de Aquæductibus: *Cn. Servilius Cæpio & L. Caſſius Longinus, cenſores, anno poſt Vrbem conditam* IↃCXXVII, *M. Plautio Hypſæo, Fulvio Flacco, conſulibus, aquam, quæ vocatur Tepula, ex agro Lucullano, quem quidam Tuſculanum credunt, Romam & in Capitolium adducendam curaverunt. Tepula concipitur viâ Latinâ ad* XI *milliarium, diverticulo euntibus ab Româ dextrorſus millium paſſuum* II. *inde rivo ſuo in Vrbem perducebatur, Iuliæ pòſt mixta. nam Agrippa, ædilis poſt primum conſulatum, imperatore Cæſare Auguſto, L. Volcatio, conſulibus, anno poſt Vrbem conditam* IↃCCXVIIII, *ad milliarium ab Vrbe* XII, *viâ Latinâ, euntibus ab Româ dextrorſus millium paſſuum* XII, *alteriusque proprias vires collegit*; [locus huc usque ab iſtis vocibus, *viâ Latinâ*, pluribus mendis fœdus] *& Tepulæ rivum intercepit: acquiſitæque ab inventore nomen Iuliæ eſt datum: ita tamen diviſa erogatione, ut maneret Tepulæ adpellatio. Præter caput Iuliæ transfluit aqua, quæ vocatur Crabra. hanc Agrippa emiſit; ſeu, quia uſum improbaverat; ſeu, quia Tuſculanis poſſeſſoribus relinquendam credebat. ea namque eſt, quam omnes villæ tractus eius per vicem in dies modulosque certos diſpenſatam accipiunt; ſed non eâdem moderatione. Aquarii noſtri partem maximam eius ſemper in ſupplementum Iuliæ vindicaverunt. Excluſa ergo eſt Crabra; & tota juſſu imperatoris reddita Tuſculanis. qui nunc forſitan non ſine admiratione eam ſumunt; ignari, cuius causâ inſolitam abundantiam habeant.* Cicero de Lege agrariâ ad populum oratione II: *Ego Tuſculanis pro aquâ Crabrâ vectigal pendam, quia à municipio fundum accepi.* Familiar. lib. XVI epiſt. XVIII: *Tibi* διαφόρησιν *gaudeo profuiſſe. ſi verò etiam Tuſculanum; dii boni, quanto illud mihi erit amabilius!* Paullo pòſt: *De Crabrâ quid agatur, etſi nunc quidem etiam nimium eſt aquæ, tamen velim ſcire.* Oratione pro L. Cornelio Balbo: *Nos de aquâ noſtrâ Tuſculanâ M. Tugionem potiùs, quàm C. Aquilium, conſulebamus.*

AQVA FERENTINA

LVCVS FERENTINAE *opidum.*

Tria millia paſſuum à capite ſeu fonte aquæ Crabræ versùs meridiem euntibus eſt opidum vulgari nunc vocabulo *Marino*, XIII millia paſſuum, ſive, ut nunc computatur, XII milliaria ab urbe Româ in radicibus Albani montis ſitum. ſub huius mœnibus, quà meridiem proſpicit, ingens conſpicitur fons in nemoroſâ valle, à quo amnis in Tiberim IIII millia paſſuum infra Romam influens, olim Romanis adpellabatur AQVA FERENTINA; fons verò eius CAPVT AQVAE FERENTINAE. cui numen etiam & cultus divinus tributus fuit. unde LVCVS FERENTINAE dicebatur ipſum nemus fonti circumſitum. Pompeius Feſtus: *Prætor ad portam nunc ſalutatur is, qui in provinciam pro prætore aut pro conſule exit. cuius rei morem ait fuiſſe Cincius in libro de Conſulum poteſtate talem: Albanos rerum potitos usque ad Tullum regem. Albâ deinde dirutâ, usque ad P. Decium Murem conſulem populos Latinos ad Caput Ferentinæ, quod eſt ſub monte Albano, conſulere ſolitos, & imperium communi conſilio adminiſtrare.* Dionyſius Halicarnaſſenſis lib. III: Αἱ δὲ τῶν Λατίνων πόλεις Ῥωμαίοις ἐγένοντο τότε πρῶτον διάφοροι, οὐκ ἀξιοῦσαι κατεσκαμμένης τῆς Ἀλβανῶν πόλεως τοῖς ἀνῃρηκόσιν αὐτὴν Ῥωμαίοις τὴν ἡγεμονίαν παραδοῦναι. ἐτῶν γὰρ διαγενομένων πεντεκαίδεκα μετὰ τὸν ἀφανισμὸν τῆς Ἄλβας, πρέσβεις ἀποστείλας ὁ τῶν Ῥωμαίων βασιλεὺς εἰς τὰς ἀποίκους τε καὶ ὑπηκόους αὐτῆς τριάκοντα πόλεις, ἠξίου πείθεσθαι τοῖς ὑπὸ Ῥωμαίων ἐπιταττομένοις, ὡς παρειληφότων αὐτῶν ἅμα τοῖς ἄλλοις, οἷς εἶχον Ἀλβανοί, καὶ τὴν ἡγεμονίαν τοῦ Λατίνων ἔθνους. Αἱ δὲ τῶν Λατίνων πόλεις ἰδίᾳ μὲν οὐδὲν ἀπεκρίναντο πρὸς τοὺς πρέσβεις, κοινὴν δὲ τοῦ ἔθνους ἀγορὰν ἐν Φερεντίνῳ ποιησάμενοι, ψηφίζονται, μὴ παραχωρεῖν Ῥωμαίοις τῆς ἀρχῆς. Id eſt: *Latinæ urbes tum primùm à Romanis diſſidere cœperunt; quòd, Albâ dirutâ, everſoribus eius Romanis imperium tradere recuſarent. anno enim* XV *poſt illius excidium rex Romanorum, dimiſſis per* XXX *eius colonias legatis, poſtulabat, ut imperata facerent; quòd ad victores cum cæteris Albanorum*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

norum rebus tranſiſſet etiam Latinæ gentis imperium. Legatis à nullâ civitate privatim quidquam reſponſum eſt. ſed, indicto ad Ferentinum publico gentis concilio, decernunt, imperio Romanis haud cedendum eſſe. Et eodem libro poſteà: Ἐφ' οἷς ταραχθέντες οἱ λοιποὶ Λατῖνοι, καὶ δείσαντες, μὴ πᾶν ὑφ' ἑαυτῷ ποιήσεται ἔθνος ὁ Ταρκυνίος, εἰς τὴν ἐν Φερεντίνῳ συνελθόντες ἀγορὰν, ἐψηφίσαντο τήν τε οἰκείαν δύναμιν ἐξ ἁπάσης τῆς πόλεως ἐξάγειν, καὶ τῶν πλησιοχώρων ἐθνῶν τὰ κράτιστα παρακαλεῖν. Hoc eſt: *Terruit hoc Latinos; verenteis, ne univerſam gentem ſuæ ditioni ſubjiceret Tarquinius. Ergo ad Ferentinum conventu indicto, decretum eſt, uti delectus opidatim haberentur, fortiſſimaque gentium finitimarum arma excirentur.* Livius lib. I; de Tarquinio Superbo, Romanorum rege: *Latinorum ſibi maximè gentem conciliabat; ut peregrinis quoque opibus tutior inter civeis eſſet. neque hoſpitia modò cum primoribus eorum, ſed adfinitates quoque jungebat. Iam magna Tarquinii auctoritas inter Latinorum proceres erat, quum in diem certam, ut ad Lucum Ferentinæ conveniant, indicit. eſſe, quæ agere de rebus communibus velit. Conveniunt frequentes primâ luce. Ipſe Tarquinius diem quidem ſervavit: ſed paullo antè, quàm Sol occideret, venit. Multa ibi toto die in concilio variis jactata ſermonibus erant. Turnus Herdonius ab Ariciâ ferociter in abſentem Tarquinium erat invectus.* Et poſteà: *Injectæ Turno catenæ. & confeſtim Latinorum concilium magno cum tumultu advocatur. Ibi tam atrox invidia orta eſt, gladiis in medio poſitis, ut, indictâ causâ, novo genere lethi, dejectus ad caput aquæ Ferentinæ, crate ſupernè injectâ ſaxisque congeſtis, mergeretur.* Dionyſius lib. IIII, eâdem hiſtoriâ: Γνοὺς δὲ ταῦτα ὁ Ταρκυνίος, προεῖπε δι' ἀγγέλων ἥκειν εἰς τὴν ἐν Φερεντίνῳ γινομένην ἀγορὰν τοὺς εἰωθότας ὑπὲρ τοῦ κοινοῦ τῶν Λατίνων συνεδρεύειν. Id eſt: *His animo decretis, per nuncios indixit Tarquinius, ut, qui Latinæ reipublicæ nomine in concilium ad Ferentinum ſolerent convenire, adeſſent.* Et poſteà: Μετὰ τοῦτο τὸν μὲν Τύρνον οὐκ ἔτι λόγου τυχεῖν ἐάσαντες, εἰς βάραθρόν τι καταβάλλουσι, καὶ ἐπισκάψαντες ἔτι ζῶντα εἰς τὴν γῆν, διαφθείρουσι διαχρῆμα. Id eſt: *Tum Turnus, non permiſſus ampliùs pro ſe dicere, in voraginem quamdam projicitur; vivusque terrâ obruitur.* Livius iterum eodem lib. I, paullo pòſt: *Ita renovatum fœdus, indictumque junioribus Latinorum, ut ex fœdere die certâ ad lucum Ferentinæ armati frequentes adeſſent.* De eâdem re Dionyſius lib. V: Καὶ γίνεται κοινὴ τῶν συνερχομένων εἰς Φερεντῖνον ἀγορά. Id eſt: *Coiveruntque ad Ferentinum in commune concilium.* Eodem libro poſteà: Συναχθείσης δὲ ἀγορᾶς ἐν Φερεντίνῳ, πολλὴν ἐποιοῦντο τῶν ἀποσπευδόντων τὸν πόλεμον κατηγορίαν οἱ τὰ ὅπλα πείθοντες ἀναλαβεῖν. Hoc eſt: *Concilio ad Ferentinum coacto, belli hortatores multis verbis in armorum diſſvaſores invecti ſunt.* Livius lib. II; ubi Volſci ex Vrbe exire jubentur: *Quum propè continuato agmine irent, prægreſſus Tullius ad caput Ferentinum, ut quisque veniret, primores eorum excipiens querendo indignandoque, & eos ipſos ſedulò audienteis ſecunda iræ verba; per eos multitudinem aliam in ſubjectum viæ campum deduxit.* Dionyſius lib. VIII: Ταύτης τῆς βουλῆς ψηφισθείσης, οἱ μὲν ἐκήρυττον διὰ τῶν στενωπῶν διεξιόντες ἀπιέναι Οὐολούσκους ἐκ τῆς πόλεως αὐτίκα μάλα, καὶ μίαν ἅπαντας ἐξιόντας πύλην τὴν καλουμένην Καπήνην· ἕτεροι δὲ παρέπεμπον τοὺς ἀπαλλαττομένους ἅμα τοῖς ὑπάτοις· ἔνθα μάλιστα ὤφθη ὅσον αὐτῶν τὸ πλῆθος ἦν, καὶ ὡς ἀκμαῖον ἅπαν, ὑφ' ἕνα καιρὸν καὶ κατὰ μίαν ἐξιόντων πύλην. Πρῶτος μὲν αὐτῶν ὁ Τύλλος ἐξῄει διὰ ταχέων· καὶ καταλαβὼν οὐ πόρρω τῆς πόλεως τόπον ἐπιτήδειον, ἐν τούτῳ τοὺς ὑστεροῦντας ἀνελάμβανεν. Hoc eſt: *Hoc ſenatus conſulto facto, præcones per omneis vias dimiſſi, qui edicerent, Volſcos è veſtigio ex Vrbe abire omneis per unam portam Capenam. alii verò cum conſulibus deducebant abeunteis. ubi maximè adparuit, quantus eorum eſſet numerus, & quantum robur; omnibus eodem tempore per unam portam exeuntibus. Primus Tullus exibat properè. occupatoque haud longè ab Vrbe loco idoneo; colligebat ibi, qui veniebant poſteriùs.* Livius lib. VII: *Inter hos longè maximus exſtitit terror, concilia populorum Latinorum ad Lucum Ferentinæ habita.* Ex hactenus igitur citatis patet, quod nunc opidum vulgari vocabulo eſt *Marino*, olim dictum fuiſſe FERENTINVM: ut ſimpliciter ſemper adpellat Dionyſius: & plurimùm, ut habet Livius, CAPVT FERENTINVM; & CAPVT AQVAE FERENTINAE: item LVCVS FERENTINAE; ſcilicet deæ: cuius haud dubiè apud fontem etiam fuit *templum*. Apud Plutarchum in Romulo, ubi de homicidis loquitur, quorum alii, Tatii propinqui, Laurentium legatos occiderant; alii Laurentes, ipſum Tatium Lavinii interfecerant: Ἐκδοθέντων δὲ τῶν φονέων καὶ κολασθέντων παρ' ἀμφοτέροις, ἐλώφησεν ἐπιδήλως τὰ δεινά. καὶ καθαρμοῖς ὁ Ῥωμύλος ἥγνισε τὰς πόλεις, οὓς ἔτι νῦν ἱστοροῦσι ἐπὶ τῆς Φερεντίνης πύλης συντελεῖσθαι. Id eſt: *Deditis homicidis, & ſupplicio utrim-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

quæ adſectis, perſpicuè malum eſt mitigatum. luſtravitque Romulus urbeis expiationibus: quas hodiéque ad portam Ferentinam tradunt celebrari. Nullam umquàm Romæ fuiſſe *portam Ferentinam*, ſatis conſtat. proinde nihil certius, quàm ſcripſiſſe Plutarchum ἐπὶ τῆς Φερεντίνης πηγῆς· id eſt, *ad Ferentinum fontem.*

IVTVRNAE *fons, lacus, & amnis.*

Porro apud Virgilium Aeneid. lib. XII hi leguntur verſus:

At Iuno ex ſummo, qui nunc Albanus habetur,
Proſpiciens tumulo, campum ſpectabat & ambas
Laurentum Troumque acies, urbemque Latini;
Extemplò Turni ſic eſt adfata ſororem,
Diva deam, ſtagnis quæ fluminibusque ſonoris
Præſidet: (hunc illi rex ætheris altus honorem
Iupiter ereptâ pro virginitate ſacravit.)
Nympha, decus fluviorum, animo gratiſſima noſtro;
Scis, ut te cunctis unam, quæcumque Latinæ
Magnanimi Iovis ingratum adſcendêre cubile,
Prætulerim; cœlique libens in parte locârim.
Diſce tuum, ne me incuſes, Iuturna dolorem.

Ad hæc ſic Servius: *Iuturna, fons eſt in Italiâ ſaluberrimus, juxta Numicum fluvium; cui nomen à juvando eſt inditum.* Ovidius Faſtor. lib. II:

Iupiter immodico Iuturnæ victus amore,
Multa tulit tanto non patienda deo.
Illa modò in ſilvis inter coryleta jacebat;
Nunc in cognatas deſiliebat aquas.
Convocat hic nymphas, Latium quæcumque tenebant;
Et jacit in medio talia verba choro:
Invidet ipſa ſibi, vitatque, quod expedit illi,
Veſtra ſoror, ſummo concubuiſſe deo.
Conſulite ambobus. nam, quæ mea magna voluptas,
Vtilitas veſtræ magna ſororis erit.
Vos illi in primâ fugienti obſiſtite ripâ;
Ne ſua flumineâ corpora mergat aquâ.
Dixerat: adnuerant nymphæ Tiberinides omnes;
Quæque colunt thalamos, Ilia diva, tuos.
Fortè fuit naïs, Lara nomine. prima ſed illi
Dicta bis antiquum ſyllaba nomen erat;
Ex vitio poſitum. ſæpè illi dixerat Almo;
Nata tene lingvam: nec tamen illa tenet.
Quæ ſimul ac tetigit Iuturnæ ſtagna ſororis;
Effuge, ait, ripas: dicta refertque Iovis.
Illa etiam Iunonem adiit: miſerataque nuptas;
Naïda Iuturnam vir tuus, inquit, amat.

Fuit equidem Romæ etiam in foro λιβὰς, ut inquit Dionyſius Halicarnaſſenſis lib. VI, παρὰ τὸ ἱερὸν τῆς Ἑστίας ἀναδιδοῦσα, καὶ λίμνην ποιοῦσα ἐμβύθιον ὀλίγην, id eſt, *fons* ſeu *latex, apud Veſtæ templum ſcaturiens, qui parvum efficiebat lacum, ſed profundum.* verùm non hunc intellexiſſe Virgilium Ovidiumque; ſed illum, quem innuit Servius *juxta Numicum fluvium*, qui nunc à proximo opido vulgò dicitur *Rivo di Patrica*; ſatis clarè ex eo perſpicitur, quòd aquam eius *flumineam* adpellat Ovidius, ſimulque *ſtagnum*; Virgilius verò Iuturnam *ſtagni fluminisque* facit *præſidem, fluviorum*que *decus*. Sic Propertius quoque lib. III eleg. XXI, ubi non Vrbis, ſed agrorum circa Vrbem longè latéque poſitorum celebrat ſalubritatem, inter alias aquas, *Iuturnæ* quoque *lacum* memorat, his verſibus:

Omnia Romanæ cedent miracula terræ.
Natura heic poſuit, quidquid ubique fuit.
Heic Anio Tiburte fluis, Clitumnus ab Vmbro
Tramite, & æternum Martius humor opus:
Albanus lacus & ſocii Nemorenſis ab undâ,
Potaque Pollucis nympha ſalubris equo.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

M. Varro de Lingvâ Latinâ lib. IIII: *Nympha Iuturna, quæ juvaret. itaque multi ægroti propter id nomen hinc aquam petere ſolent.* Servius in præſcriptum Virgilii locum: *Iuturna fons eſt in Italiâ ſaluberrimus juxta Numicum fluvium; cui nomen à juvando inditum. quum enim naturaliter omnis aqua noxia ſit extraneorum* [ſcribo, *ægrotorum*] *corporibus, hic omnibus ſaluberrimus fons eſt. De hoc autem fonte Romam ad omnia ſacrificia aqua adferri conſueverat.* Idem è diverſo Servius ad Aeneid. lib. VII ait, *Veſtæ libare non niſi de Numico fluvio licuiſſe.* & Plutarchus in Numâ tradit, aquâ ex Egeriæ fonte, qui ſub mœnibus Romæ ad portam Capenam erat, hauſtâ quotidiè penetralia Veſtæ luſtrata fuiſſe. Verùm ut Numæ colloquium cum Egeriâ nymphâ & novem Muſis alii auctores Aricino nemori ac lacui, quod infrà lib. III cap. IIII patebit, tribuerunt, alii verò Muſarum luco apud portam Capenam; ſic Caſtores, poſt pugnam illam ad Regillum lacum, ſuum equorumque ſudorem alii in hoc *Iuturnæ* fonte, prope fontem Nuimci, abluiſſe ſcripſerunt; alii in eo fonte, qui erat in foro Romanæ urbis. Illius ſententiæ fuiſſe videtur Propertius. de Vrbe diſertis id verbis tradit Dionyſius dicto lib. VI; & cum ipſo Valer. Maximus lib. I cap. VIII. Symmachus lib. I epiſt. LXXXVIII utrum horum intellexerit fontem, incertum eſt. Salubritatem autem iſtam Ovidius Faſtor. lib. III tribuit *Egeriæ* fonti in Aricino nemore; ut infrà dicto lib. III cap. IIII videbimus. Cæterùm Virgilius ait Iunonem ex Albano monte proſpectaſſe in campum apud Laurentum opidum, prope Tiberis oſtia, ſitum; in quo Aeneas Turnusque acies adverſas inſtruxerant. quo commento haud obſcurè innuit, ſub Albano monte, ſive inter hunc & Laurentum fuiſſe IVTVRNAE FONTEM, STAGNVM ſive LACVM, atque FLVMEN. Eſt hodiè prope Albanum & Sabellum opida, versùs occaſum Solis, viſendus ſanè fons, VI millia paſſuum à dicti Numici fontibus diſſitus; qui ex Albani montis radicibus, &, ut vulgò creditur, ex Albano lacu ſubterraneis meatibus ſub ipsâ viâ Appiâ tantâ aquarum vi *ſonorus*, ut inquit Virgilius, erumpit, uti ſtatim à capite molas circumvolvat: unde non longè progreſſus amnis, in lacum diffunditur haud perinde magnum: ex lacu deinde ad Tiberim defertur. cui miſcetur quinto milliario ab Oſtiâ, ſeptimo verò ab urbe Româ. Lacum hodiéque vulgò vocant nonnulli *Lago di Turno*; alii verò, *di Volturno*: quum ab initio eſſet *Lago di Iuturna*.

Hactenus igitur Tiberim amnem aliaque flumina in eum influentia ſummâ curâ explicuimus. nunc populos Sabinis Vmbrisque conterminos exponere pergemus.


CAP. XI.

De PICENTIBVS, *ac regione eorum* PICENO. *item de* PRAETVTIIS.


VMbris atque Sabinis, quos proximè expoſuimus, ab ortu Solis continuabantur PICENTES; quorum regio dicebatur PICENVM, & item AGER PICENVS. Plinius lib. III cap. XII: *Infra Sabinos Latium; à latere Picenum; à tergo Vmbria.* Et cap. XIII: *Quinta regio Piceni eſt; quondam uberrimæ multitudinis.* CCCLX *millia Picentium in fidem populi Romani venêre.* Mela lib. II cap. IIII: *Interiora Italiæ aliæ aliæque gentes habitant. ſiniſtrâ parte Carni & Veneti colunt Togatam Galliam. tum Italici populi, Picentes, Frentani, Daunii.* Et paullo pòſt: *Ancona inter Gallicas Italicasque genteis quaſi terminus eſt. hanc enim prætergreſſos Piceni litora excipiunt.* Plinius lib. II cap. CIII: *In Ciconum flumine, & in Piceno lacu Velino lignum dejectum lapideo cortice obducitur.* Et lib. XVIII cap. VI: *Agros in Piceno coëmere & colere.* Cicero ad Atticum lib. VII epiſt. XXII: *Domitium habere cohorteis ex Piceno.* Epiſt. XXIII: *Vibullium cum paucis militibus è Piceno currere ad Cnæum.* Lib. VIII epiſt. VIII: *Vrbem reliquerat; Picenum amiſerat culpâ; in Apuliam ſe compegerat.* Epiſt. XVII: *Cohortes* XVIIII, *quæ ex Piceno ad me iter habebant.* Lib. VIIII epiſt. II: *Me putat, de municipiorum imbecillitate, de delectibus, de pace, de Vrbe, de pecuniâ, de Piceno occupando, plus vidiſſe, quàm ſe.* Ad Quintum fratrem lib. II epiſt. III: *Magna manus ex Piceno & Galliâ exſpectatur.* Tacitus Annal. lib. III: *Piſo, Dalmatico mari tramiſſo, relictisque apud Anconam navibus, per Picenum, ac mox Flaminiam viam, adſequitur legionem, quæ è Pannoniâ in Vrbem*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

ducebatur. Svetonius in Cæſare, cap XXXIIII: *Picenum, Vmbriam, Etruriam, occupavit*. Breviator Livii lib. XV: *Picentibus victis pax data. coloniæ deductæ, Ariminum in Piceno, Beneventum in Samnio.* Cæſar de Bello civili lib. I: *Auximo Cæſar progreſſus, omnem agrum Picenum percurrit*. Mox: *Lentulus incidit in Vibullium Rufum, miſſum à Pompeio in agrum Picenum*. Cicero in oratione pro C. Rabirio: *Ager Picenus*. Ad Atticum lib. VII epiſt. XVI: *Si in Picenum agrum ipſe venerit*. Lib. VIII epiſt. III: *Non ager Picenus amiſſus*. Epiſt. XIII: *Ea, quæ in agro Piceno geſta erant, cognovi*. Salluſtius de Bello Catilinario: *Septimium quemdam Camertem in agrum Picenum dimiſit*. Aliquanto pòſt: *Q. Metellus Celer in agrum Picenum miſſus*. Item poſteà: *In Galliâ citeriore atque ulteriore, item in agro Piceno*. Livius lib. XXII: *Hannibal interim recto itinere per Vmbriam usque ad Spoletium venit. inde quum, populato agro, urbem oppugnare adortus eſſet, cum magnâ cæde ſuorum repulſus, conjectans ex unius coloniæ, haud nimis proſperè tentatæ, viribus, quanta moles Romanæ urbis eſſet; in agrum Picenum avertit iter*. Promiſcuè igitur dicta fuit regio, *Picenum*, quaſi ſubſtantivo vocabulo; & item *Ager Picenus*, vocabulo adjectivo: quod etiam in aliis rebus ad hoc ſolum pertinentibus uſurparunt veteres Romani. Horatius Satyrâ III libri II:

Quid, quam Picenis excerpens ſemina pomis
Gaudes?

Et eiusdem libri Satyrâ IIII:

Picenis cedunt pomis Tiburtia ſucco.

Plinius lib. XIIII cap. III: *Mirum, in Italiâ Gallicam placere vitem, trans Alpeis verò Picenam*. Lib. XV cap. III; ubi de olivis loquitur: *Quam ob cauſam Italicis transmarinæ præferuntur in cibis; quum oleo vincantur: & in ipsâ Italiâ cæteris Picenæ & Sidicinæ*. Iuvenal. Satyrâ XI:

Signinum Syriumque pyrum. de corbibus iisdem
Aemula Picenis & odoris mala recentis.

Martialis lib. I epigr. XLIIII:

Nec de Picenis venit oliva cadis.

Et lib. XIII epigr. XXXV:

Filia Picenæ venio Lucanica porcæ.

Auſonius Epiſt. III:

Qualis Picenæ populator turdus olivæ
Cluneis opimat cereas.

Hinc & duo primaria agri Piceni opida cognominabantur, *Aſculum Picenum* & *Firmum Picenum*; ut infrà videbimus. At Plutarcho in Pompeio ac Ptolemæo, in Italiæ deſcriptione, gens ipſa dicitur Πικηνοὶ, *Piceni*: regio verò illi ibidem, & Appiano Civil. bellor. lib. I, Πικηνὶς, Πικηνῖτιδος· quæ Polybio lib. II & Straboni lib. V eſt Πικεντίνη, *Picentina*. quo vocabulo gentilitio Romani quoque uſi ſunt. Cn. Pompeius in epiſtolâ ad Domitium, quæ eſt inter Ciceronis epiſtolas ad Atticum lib. VIII epiſt. XVIIII: *Ne duæ legiones ſine Picentinis cohortibus in conſpectum Cæſaris committerentur*. De eisdem cohortibus ipſe Cicero ad Atticum lib. VII epiſt. XXV: *Quæ Româ adferuntur de Domitio, de Picentium cohortibus*. Hinc etiam quum Picentes bello à Romanis victi forent, pars eorum ad inferum mare inter Campaniam Lucaniamque traducti, *Picentini* quaſi peculiari ac proprio nomine dicti ſunt; ut infrà ſuo loco videbimus. Straboni, dicto lib. V, & Appiano Civil. bellor. lib. I, per errorem *Picenteis* quoque ad ſuperum mare Πικεντίνους dici crederem, ni *Ligures* etiam plerisque Græcorum ſcriptorum & nonnullis Latinorum adpellatos viderem Λιγυστίνους, *Liguſtinos*: nempe ἀπὸ τῆς Λιγυστίνης χώρας, *ab regione Liguſtinâ*, quam incolebant: quæ ipſa antè nomen traxerat à primitivo gentis vocabulo τῶν Λιγύων, *Ligurum*. Verùm tamen rectiùs magisque ritè id fiebat in Ligurum populis, quàm in Picentium gente. quæ certo peculiarique vocabulo diſtingvi debebat à dictis Picentinis, inferum mare adcolentibus. Quapropter, ne Gnæum quidem Pompeium ſatis propriè loquutum dicto loco, exiſtimo. Polybio lib. III ac Dioni lib. LXIII gens dicitur ad ſuperum mare, ut omnibus pariter Latinis, Πίκεντες, *Picentes*. Stephano, ſeu epitomatori eius, unde deſumptum vocabulum Πικίαντες, *Piciantes*, miror. nec tamen dubito, quin eiusdem gentis voluerit eſſe nomen. Πικίαντες, inquit, ἔθνος Ἰταλίας. *Piciantes gens Italiæ*. Sed & alia gentium urbiumque vocabula apud eumdem auctorem mirum in modum corrupta & immutata reperiuntur innumera. Regio verò Picentium illi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

dicta eſt τὸ Πικεντικόν, *Picenticum*. Ὀμβρικοὶ, inquit, ἔθνος Ἰταλικὸν, περὶ τὸν Ἀδριανὸν κόλπον, μέσον τοῦ Πάδου καὶ Πικεντικοῦ. Id eſt: *Vmbrici, gens Italica, circa Hadrianum ſinum, media inter Padum & Picenticum.* Aliud igitur derivativum vocabulum nonnullis fuit Πικεντικός, *Picenticus*. Apud Procopium in rebus Gothicis librariorum puto eſſe errorem, Πεγκλωὸν & Πιγκλωοὶ, pro Πικλωὸν & Πικλωοί. qui error inde natus videtur, quòd in eiſdem Gothicis Πιγκιανὴ χώρα & Πιγκιανὴ πύλη, *Pinciana regio* & *Pinciana porta* leguntur. Apud Zonaram Annal. lib. II, more eius ævi, quo η ut ι pronunciabatur, legitur, Ποταμὸς ἐν τῷ Πικίνῳ αἱματώδης ἐῤῥύη· id eſt; *In Piceno fluvius ſanguine manavit*. Sed de nomine hactenus ſatis.

Picentium origo.

De origine gentis ita Plinius dicto lib. III cap. XIII: *Orti ſunt à Sabinis, voto vere ſacro*. Et Strabo lib. V: Ἔστι δὲ παλαιότατον γένος οἱ Σαβῖνοι καὶ αὐτόχθονες. τούτων δ' ἄποικοι Πικεντῖνοί τε καὶ Σαμνῖται. Id eſt: *Antiquiſſima Sabinorum gens eſt & indigena. ab his originem duxêre Picentini atque Samnites*. Et eodem libro poſteà: Ἔστι δ' ἡ Πικεντίνη μετὰ τὰς τῶν Ὀμβρικῶν πόλεις, τὰς μεταξὺ Ἀριμίνου καὶ Ἀγκῶνος. ὥρμηνται δ' ἐκ τῆς Σαβίνης οἱ Πικεντῖνοι, δρυοκολάπτου τὴν ὁδὸν ἡγησαμένου τοῖς ἀρχηγέταις· ἀφ' οὗ καὶ τοὔνομα. πῖκον γὰρ τὸν ὄρνιν τοῦτον ὀνομάζουσι, καὶ νομίζουσιν Ἄρεος ἱερόν. Hoc eſt: *Vmbricas urbeis, inter Ariminum & Anconem ſitas, Picentinus ſequitur ager. Ipſi Picentini ex agro Sabino in ea loca migrarunt, pico ave iter ducibus monſtrante. unde nomen genti. avem Marti ſacram cenſent*. Feſtus: *Picena regio, in qua eſt Aſculum; dicta quòd Sabini, quum Aſculum proficiſcerentur, in vexillo eorum picus conſederit*. Neſcio ſanè, an non è ſimilitudine vocabuli *Picentium* Latinis occaſio nata fabulam de pico ave fingendi. quam tamen longè aliter conſtruxit lepidiúſque adornavit poëta Silius; non à volucre, ſed ab homine nomen originemque gentis deducens. ſic enim lib. VIII, ubi ſingulorum Italiæ populorum præcipua opida fluminaque recenſet, de Picentibus etiam canit:

Et, qui Picenæ ſtimulat telluris alumnos,
Horridus & ſquammis & equinâ Curio criſtâ
Pars belli quàm magna venit!
Heic & quos paſcunt ſcopuloſa rura Numanæ,
Et queis litoreæ fumant altaria Cupræ;
Quique Truentinas ſervant cum flumine turreis,
Cernere erat.
Stat fucare colus nec Sidone vilior Ancon,
Murice nec Libyco; ſtatque & humectata Vomano
Hadria, & inclemens hirſuti ſignifer Aſcli.
Vepicus quondam, nomen memorabile ab alto
Saturno, ſtatuit genitor, quem carmine Circe
Exutum formæ volitare per æthera juſſit;
Et ſparſit plumis croceum fugientis honorem.
Antè, ut fama docet, tellus poſſeſſa Pelaſgis:
Queis Aeſis regnator erat; fluvioque reliquit
Nomen; & à ſeſe populos tum dixit Aſilos.

Ergo Latium quondam, ſecundùm huius poëtæ ſententiam, ad mare usque ſuperum pertinuit? an verò Latini colonos huc è Latio Pici auſpiciis deduxerunt? nam *Picus* Latinorum ſive Aboriginum fertur fuiſſe rex, Latini regis avus. Euſebius Chronicor. lib. I: Πρῶτόν φασι Πεῖκον, υἱὸν Κρόνου, βασιλεῦσαι χώρας Λαυρέντου λζ' ἔτη· εἶναι δὲ τὴν χώραν ἕως τῆς νῦν Ῥώμης πόλεως. μεθ' ὃν Φαῦνον, τὸν υἱὸν τοῦ Πείκου, ἔτη μδ'. ἔπειτα Λατῖνον. Id eſt: *Primum ferunt Picum, Saturni filium, regnaſſe annis* XXXVII *in Laurenti agro: qui ad urbem usque, quæ nunc Roma dicitur, extendebatur. poſt eum verò Faunum, annis* XLIIII. *poſt hunc fuiſſe Latinum*. Virgilius Aeneid. lib. VII:

——— Rex arva Latinus & urbeis
Iam ſenior longâ placidas in pace regebat.
Hunc Fauno & nymphâ genitum Laurente Maricâ,
Accipimus. Fauno Picus pater. isque parentem
Te, Saturne, refert: tu ſanguinis ultimus auctor.

Et aliquanto pòſt; ubi imagines priſcorum regum in aulâ Latini deſcribit poëta:

Ipſe Quirinali lituo parvâque ſedebat
Succinctus trabeâ, lævâque ancile gerebat

Picus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Picus, equûm domitor: quem capta cupidine conjux
Fecit avem Circe, ſparſitque coloribus alas.

Eamdem fabulam prolixiori carmine recitat & Ovidius, Transformationum lib. XIIII. Ab hoc igitur *Pico*, Latii rege, conditam finxit *Picentium* gentem Silius. & quia ſemel in μυθοποιΐαν ſeu fabulationem prolapſus; *Pelaſgos* quoque ante hunc Picum, Saturni filium, mare ſuperum in Piceno adcoluiſſe commentus eſt. ſcilicet, quia & ipſi Latii parteis circa ea tempora, quibus Picus Faunusque & Latinus regnaſſe dicuntur, incoluerunt. Quamquàm hanc fabulam, ut cætera, quæ ad poëſin ſpectant, omnia, ex Virgilio hauſiſſe videtur Silius. quidpe Virgilius, dicto proximè loco, inter alios Latii reges *Sabinum* quoque in dictâ Latini aulâ collocat; à quo genus duxiſſe ferebantur *Sabini*, Picentium, ut ſuprà voluerunt Strabo atque Plinius, conditores. Verba poëtæ hæc ſunt:

Quin etiam veterum effigies ex ordine avorum
Antiquâ ex cedro, Italusque paterque Sabinus,
Vitiſator, curvam ſervans ſub imagine falcem,
Saturnusque ſenex, Ianique bifrontis imago,
Veſtibulo adſtabant, aliique ab origine reges.

Verùm non magis *Sabinus* iſte ad Latini regis genus pertinebat, quàm *Italus*, Siculorum, quos ex Latio pepulerunt Aborigines, antiquiſſimus rex. *Latium* illud antiquiſſimum, ſive primam illam Siculorum *Italiam*, à mari infero ad Narem usque pertinuiſſe, in quas oras poſtmodùm Latini Sabinique agri transierint nomina; ſuprà lib. I cap. I oſtenſum, pluribusque infrà lib. III cap. I oſtendetur. hinc factum, uti Virgilius poëta inter proavos *Latini* regis non tantùm Aboriginum reges *Saturnum*, *Picum*, & *Faunum*, ſed etiam Siculorum regem *Italum*, Sabinæque gentis conditorem *Sabinum*, poſuerit. Cæterùm Servius ad præſcripta poëtæ verba ita commentatur: *Fabula talis eſt. Picum amavit Pomona, dea pomorum; & eius volentis eſt ſortita conjugium. poſteà Circe quum eum amaret, & ſperneretur; irata eum in avem picum Martium convertit. Hoc autem ideò fingitur, quia augur fuit; & domi habuit picum, per quem futura noſcebat: quod Pontificales indicant libri.* Dionyſius Halicarnaſſenſis lib. I; ubi Aboriginum urbeis, quæ erant in Reatino agro, recenſet: Τιώρα, ἡ καλουμένη Ματιήνη· ἐν ταύτῃ δὲ λέγεται χρηστήριον Ἄρεως γενέσθαι πάνυ ἀρχαῖον. ὁ δὲ τρόπος αὐτοῦ παραπλήσιος ἦν, ὥς φασι, τῷ παρὰ Δωδωναίοις μυθολογουμένῳ ποτὲ γενέσθαι· πλὴν ὅσον ἐκεῖ ἐπὶ δρυὸς ἱερᾶς καθεζομένη περιστερὰ θεσπιῳδεῖν ἐλέγετο· παρὰ δὲ τοῖς Ἀβοριγῖσι θεόπεμπτος ὄρνις, ὃν αὐτοὶ μὲν πῖκον καλοῦσιν, ἐπὶ κίονος ξυλίνου φαινόμενος τὸ αὐτὸ ἔδρα. Hoc eſt: *Tiora, cognomine Matiena. in hac aiunt fuiſſe oraculum Martis antiquiſſimum, non abſimile illi Dodonæo, in antiquis traditionibus celebrato: niſi, quòd illic in ſacrâ quercu ſedentem columbam tradunt vaticinari ſolitam: apud Aborigines verò avis divinitus miſſa, quem illi picum adpellant, idem faciebat in columnâ ligneâ.* Haud equidem ego dubitaverim, ſi quid eiusmodi traditionibus credendum, quin huiusmodi oraculo moniti *Picentes*, ſeceſſione à communi Sabinorum nomine, cuius ipſi pars erant, ut ſuprà cap. VIII in Sabinis oſtenſum, ſive per disſenſiones ſive aliâ de causâ factâ, novum hoc nomen novamque gentis civitatem ac rempublicam conſtituerint. Nec ſanè mirum, poſteriores Romanorum auctores præ nimiâ temporum vetuſtate Sabinorum gentem hac in re cum Aboriginum nomine confudiſſe; ita, uti his tribuerint, quod illorum erat proprium: quando utrique olim Reatinum tenuerunt agrum. Inter alia verò innumera Sabini ſermonis, de quo ſuprà lib. I cap. VI egi, vocabula, hoc quoque *pici* nomen haud dubiè in Aboriginum ſive Latinorum lingvam irrepſit. Hæc igitur de origine ac nomine gentis *Picentium* noſtra eſt ſententia.

Quibus finibus agri ipſorum ſub Romanorum imperio incluſi fuerint, nunc dicendum eſt. Ab ortu Solis, quà contermini eis fuêre Vmbri, Aeſim fuiſſe amnem, ad opidum usque vulgò *S. Quirico* dictum; inde verò lineam ad fonteis Naris ductam; ſuprà cap. IIII in Vmbriæ deſcriptione oſtenſum. à Naris fontibus porrò, quà jungebantur Sabinis, lineam circumflexam ducendam eſſe ad Aterni ripam inter Amiterni opidi veſtigia & Aquilam urbem, Aterno adpoſitam; qua lineâ opidum vulgari vocabulo *Amatrice*, ubi *Falacrinæ* olim fuerunt Sabinorum vicus, includatur; ſuprà cap. VIII docui. Hinc à meridie terminus Piceni variis auctorum ſententiis

FINES Picentium.

ſententiis paullo obſcurior redditus eſt. Plinius lib. III cap. XII; ab ortu versùs occaſum litus perſequens: *Sequitur regio Quarta, gentium vel fortiſſimarum Italiæ. In orâ; Frentanorum, à Tiferno, flumen Trinium, portuoſum: opida, Hiſtonium, Buca, Ortona; Aternus amnis. intus Anxani, cognomine Frentani: Marrucinorum, Teatini: Veſtinorum, Angulani, Pinnenſes, Auſinates.* Et cap. XIII: *Quinta regio Piceni eſt; quondam uberrimæ multitudinis.* CCCLX *millia Picentium in fidem populi Romani venêre. Tenuêre ab Aterno amne; ubi nunc ager Hadrianus, & Hadria colonia: flumen Vomanum; ager Prætutianus Palmenſisque. item Caſtrum Novum: flumen Batinum; Truentum, cum amne: quod ſolum Liburnorum in Italiâ reliquum eſt. flumina, Albulates, Suinum, Helvinum, quo finitur Prætutiana regio, & Picentium incipit. Cupra opidum; Caſtellum Firmanorum.* Ergo terminus Piceno ab oriente ad mare ſuperum fuit primò *Aternus* amnis, qui nunc dicitur *Peſcára*; poſteà verò *Heluinum* flumen, quod nunc eſt *Salinello*: ut infrà in ſingulorum locorum fluminumque expoſitione patebit? Minimè. ipſe enim Plinius præcedenti capite Veſtinis adſcribit cum aliis auctoribus opida *Angulum, Pinnam*, & *Auſinum*; quæ cuncta ab lævâ ſunt Aterni ripâ, vulgò nunc *S. Angelo, Cività di Penne, Offeno*, dicta. Verum ordinem in hoc litore locorum amniumque eum non obſervaſſe, pluribus demonſtrari poteſt documentis; ſed hoc inter alia clariſſimo, quòd *flumina Albulaten, Suinum*, &, quem finem voluit eſſe Prætutianum inter & Picenum agros, *Heluinum*, poſtpoſuerit *Truento*, quod hodiéque vulgò dicitur *Tronto*: quum *Albulates*, nunc *Laubrati* & *Librata*, item *Heluinum*, nunc *Salinello*, ante Truentum ſint; *Suinum* autem, nunc *Salino*, proximè Aternum. Sed & Strabo, in deſcriptione Piceni, ſuper eodem termino variaſſe videtur. quippe litus Picenum primùm extendit ab Aeſi flumine, Vmbriæ termino, ad opidum usque *Caſtrum Novum*, quod nunc in veſtigiis apud Turdini amnis oſtium vulgò dicitur *Flaviano*: mox verò *Matrinum* quoque flumen, quod nunc eſſe vulgò *Piomba*, infrà patebit, in eodem Piceno recenſet: à quo ſtatim Veſtinos memorat, ad Aternum usque fluvium. quorum præſcripta opida, *Angulus* & *Pinna* inter Plumbam Aternumque ſita ſunt. Verba eius lib. V hæc ſunt: Μῆκος δὲ τῆς Πικεντίνης ἐστὶν ἀπὸ Αἴσιος ποταμοῦ μέχρι Κάστρου, παράπλουν ἔχον σταδίων ω'. Id eſt: *Longitudo Piceni ab Aeſi amne adusque Caſtrum juxta litus ſtadia colligit* ΙↃCCC. Enumerat hinc urbeis. ubi tandem ita deſinit: Εἶτα Τρουεντῖνος ποταμὸς, καὶ πόλις ἐπώνυμος· εἶτα Κάστρον νόβον, καὶ Ματρῖνος ποταμὸς, ῥέων ἀπὸ τῆς Ἀδριανῶν πόλεως, ἔχων ἐπίνειον τῆς Ἀδρίας ἐπώνυμον ἑαυτοῦ. Ἔστι δ' ἐν τῇ μεσογαίᾳ καὶ αὐτὴ καὶ τὸ Ἄσκλον τὸ Πικηνόν. Ὑπὲρ δὲ τῆς Πικεντίνης Οὐηστῖνοι. Hoc eſt: *Sequitur hinc Truentinum flumen, eiusdemque nominis opidum. inde Caſtrum Novum, & Matrinus amnis; ab Hadrianorum urbe profluens, cum navali Hadriæ, communis ſecum nominis. Intus eſt ipſa Hadria, & Aſculum cognomine Picenum. Vltra Picenum agrum ſunt Veſtini.* Et paullo pòſt: Ἐπ' αὐτῇ δὲ τῇ θαλάττῃ τὸ Ἄτερνον, ὅμορον τῇ Πικεντίνῃ, ὁμώνυμον δὲ τῷ ποταμῷ τῷ διορίζοντι τήν τε Οὐηστίνην καὶ τὴν Μαρρουκίνην. Id eſt: *In litore eſt Aternum, Piceno conterminum, eiusdem nominis cum flumine, quod Veſtinos à Marrucinis diſterminat.* Ptolemæus equidem *Angulum* & *Pinnam*, opida haud procul à mari ſita, rectè Veſtinis tribuit. at nihilo minùs tamen in litore enarrando Marrucinorum fineis ad Matrinum usque flumen profert. Μαρρουκίνων, inquit, Ἀτέρνου ποταμοῦ ἐκβολαὶ, Ματρίνου ποταμοῦ ἐκβολαί. Πικηνῶν ὁμοίως, Κάστρον, Κούπρα Μαρίτιμα. Id eſt: *Marrucinorum ſunt, Aterni amnis oſtium, Matrini amnis oſtium. tum Picenorum, Caſtrum, Cupra Maritima.* Sed ex utriusque auctoris iſthac deſcriptione clarè tamen patet, terminum ab hac parte inter Picenteis Veſtinosque vulgò habitum fuiſſe ſub Romanis imperatoribus Matrinum amnem, unde Plinius etiam dicto lib. III cap. XIII Picenum ab Aterno orditur. Ac contributa tunc etiam fuit Piceno PRAETVTIORVM *natio*, inter Matrinum & Heluinum, ſive, ut nunc adpellantur, inter Plumbam & Salinellum, quondam incolens. cuius equidem Strabo non meminit: Ptolemæo autem opida eorum recenſentur *Beregra* & *Interamnia*: quorum hoc hodiéque in mediterraneis medio ſitu inter dictos amneis, apud Turdini Viciolæque fluminum confluenteis, vulgò vocatur *Téramo*. Terminus igitur Piceni à meridie habitus fuit Matrinus amnis; & ab huius fontibus Apennini montis jugum, quod, ad Aterni fonteis protenſum, vulgò dicitur *Monte Corno*. Ab Solis ortu & Septemtrionibus mari Hadriatico claudebatur, inter Matrini Aeſisque amnium oſtia, longitudine C millium paſſuum; quæ Strabonis illa juſta ſunt ſtadia ΙↃCCC. His igitur finibus circumſcriptus

ſcriptus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

ſcriptus fuit ager *Picenus*, quem *Picentium* populi incoluerunt; adjecto ſcilicet *Prætutiorum* etiam *agro*. Ante Picenteis qui ea loca tenuerint, oſtendere voluit Silius ſuprà dicto lib. VIII, his verbis:

Ante, ut fama docet, tellus poſſeſſa Pelaſgis:
Quis Aeſis regnator: fluvioque reliquit
Nomen; & à ſeſe populos tum dixit Aſilos.

Verùm hoc ſolus tradit Silius poëta; fabuloſis figmentis haud dubiè magis, quàm veris hiſtoriis, congruentia. nam de Pelaſgis etiam falſum eſſe, ſuprà dixi. Cæterùm Plinius ſuprà dicto lib. III cap. XIII, *Caſtrum Novum*, inquit: *flumen Batinum: Truentum cum amne. quod ſolum Liburnorum in Italiâ reliquum eſt*. Ergo Picenum agrum, vel ſaltem partem eius, quondam tenuêre LIBVRNORVM quidam, ex Illyrico huc trans mare Hadriaticum profecti. Idem auctor cap. XIIII: *Iungitur Picentibus Sexta regio, Vmbriam complexa agrumque Gallicum circa Ariminum. Ab Anconâ Gallica ora incipit, Togatæ Galliæ cognomine. Siculi & Liburni plurima eius tractus tenuêre; in primis Palmenſem, Prætutianum, Hadrianumque agrum. Vmbri eos expulêre; hos Etruria; hanc Galli*. Nimio compendii ſtudio, ut ſuprà cap. IIII in Vmbris docui, varias heic diverſasque res mirificè inter ſe confudit. neque enim *Hadrianus*, *Prætutianus*, aut *Palmenſis* ager quidquam ad Sextam Italiæ regionem, id eſt Vmbriam, pertinebat. Quia tamen *Liburnorum* in hac regione fecit mentionem; partem eius unà cum Piceno ad Matrinum usque flumen eos incoluiſſe, colligere inde licet. Sed ex Piceno eos, ſive ex Palmenſi Prætutianoque & Hadriano agris expulſos fuiſſe ab Vmbris, non magis crediderim, quàm Vmbros ex eâdem regione ab Etruſcis, hos ab Gallis: quorum utrumque falſum eſſe, ſuprà dicto cap. IIII oſtenſum eſt. Opicorum ſive Sabinorum partem Picenteis jam inde antiquiſſimis temporibus Liburnos inde ejeciſſe, haud dubium eſt. Poſteà verò, quum pars Galliæ Togatæ, Aeſim inter & Rubiconem ſita, pulſis inde Senonibus Gallis, viritim populo Romano divideretur, M. Aemilio Lepido & M. Publicio Malleolo conſulibus, anno urbis Romæ IↃXXI; ante natum Chriſtum CCXXXII; *Piceni* titulo ea adjecta fuit; ut ſuprà lib. I cap. XXVIIII in Senonibus oſtenſum eſt.

LIBVRNI *quondam in Piceno.*

Cæterùm de ubertate regionis ita tradit Strabo lib. V: Οἰκοῦσι δ' οἱ Πικεντῖνοι ἀπὸ τῶν ὀρῶν ἀρξάμενοι μέχρι τῶν πεδίων καὶ τῆς θαλάττης, ἐπὶ μῆκος ἔχοντες ηὐξημένην μᾶλλον ἢ πλάτος τὴν χώραν, ἀγαθὴν πρὸς ἅπαντα, βελτίω δὲ τοῖς ξυλίνοις καρποῖς ἢ σιτικοῖς. Id eſt: *Incolunt Picentes à montibus versùs campeſtria & mare regionem in longum quàm latum porrectiorem, ad omnis vitæ uſus commodam; arborum tamen fructibus, quàm frumento, præſtantiorem*. Et Livius lib. XXII: *Hannibal in agrum Picenum avertit iter; non copiâ ſolùm omnis generis frugum abundantem, ſed refertum prædâ*. De incolarum frequentiâ etiam itâ loquentem ſuprà audivimus Plinium lib III cap. XIII: *Quinta regio Piceni eſt; quondam uberrimæ multitudinis*. CCCLX *millia Picentium in fidem populi Romani venere*. Factum hoc anno Vrbis CCCCLXXXV, ante natum Ieſum CCLXVIII, P. Sempronio Sopho & Ap. Claudio Craſſo conſulibus. Florus lib. I cap. XVIIII: *Domiti Picentes, & caput gentis Aſculum, Sempronio duce*. Epitomator Livii lib. XV: *Picentibus victis pax data. coloniæ deductæ, Ariminum in Piceno, Beneventum in Samnio*. Eutropius lib. II: *Q. Ogulnio, C. Fabio Pictore, conſulibus, Picentes bellum commovêre: & ab insequentibus conſulibus, P. Sempronio, Ap. Claudio, victi ſunt: & de his triumphatum eſt. conditæ à Romanis civitates, Ariminum in Galliâ & Beneventum in Samnio*. Velleius Paterculus lib. I: *Sempronio Sopho & Appio, Cæci filio, conſulibus, Ariminum miſſi coloni*.

Fertilitas Piceni.

At limitibus Piceni indicatis, ſingula nunc eius loca fluminaque ab auctoribus celebrata exponantur; initio facto in litore, ab Aeſi verſùs Aternum progrediundo. Mela lib. II cap. IIII & Romana itineraria ſic habent:

Mela;	Tabulæ,		Antonini;		Antonini;	
Ancona	*Ancone*		*Ancona*		*Senegallia*	
|	|		|		|	
Numana	*Numana*	XII.	*Numana*	VIII.	*Vltra Anconam millia plus minus quatuor*,	XXVI.
|	*Miſco fl.*	IX.	|			
Potentia	*Potentia*	V.	*Potentia*	X.	*Potentia, civitas*	XVI.

His adverſo itinere incedunt Plinius atque Ptolemæus. Plinius lib. III cap. XIII: *Potentia, Numana, Ancona*. Ptolemæus: Ποτεντία, Νουμάνα, Ἀγκών.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Ancona *colonia.*

Ex his Ancona nomen eiſdem literis hodiéque retinet. Memoratur Cæſari, Ciceroni, Catullo, Livio, Diodoro, Straboni, Melæ, Plinio, Silio, Lucano, Iuvenali, Tacito, Ptolemæo, Solino, Itinerariis antiquis, Procopio, Stephani epitomatori; & aliis inferioris ævi ſcriptoribus. Cæſar Civil. bel. lib. I: *Piſaurum, Fanum, Anconam, ſingulis cohortibus occupat.* Cicero Familiar. lib. XVI epiſt. XII: *Ariminum, Piſaurum, Anconam, Arretium, occupavit.* In Philippicâ XII: *Si Anconam Ventidius venerit.* Livius lib. XLI: *Adversùs Illyriorum claſſem creati duumviri navales erant, qui ad tuendam XX navibus maris ſuperi oram Anconam velut cardinem haberent. inde L. Cornelius dextra litora uſque Tarentum, C. Furius læva uſque ad Aquileiam tueretur.* Tacitus Annal. lib. III: *Piſo, Dalmatico mari tramiſſo, relictisque apud Anconam navibus, per Picenum, ac mox Flaminiam viam, adſequitur legionem, quæ è Pannoniâ in Vrbem ducebatur.* Atque hac quidem formatione vocabulum id apud Melam quoque ac Plinium, Solinumque & in Antonini itinerario legitur. at poëtis eſt Græcâ formatione Ἀγκὼν, Ancon. Silius lib. VIII; ubi Picentium recenſet opida fluminaque:

Stat fucare colus nec Sidone vilior Ancon,
Murice nec Libyco.

Lucanus lib. II:

Illic Dalmaticis obnoxia fluctibus Ancon.

Iuvenalis Satyrâ IIII:

Ante domum Veneris, quam Dorica ſuſtinet Ancon.

Falſus heic etiam deprehenditur Silii noviſſimus ſcholiaſtes; ubi ad præſcriptum poëtæ ſui locum docet, apud Martialem quoque reſcribendum eſſe *Ancon*, pro eo, quod hactenus in cunctis exemplaribus obtinuit *Aulon*. Verba Martialis lib. XIII epigrammate antepenultimo hæc leguntur:

Nobilis & lanis & felix vitibus Aulon,
Det pretioſa vellera tibi, vina mihi.

Dausqueius ad præſcriptum Silii locum, citatis etiam hisce Martialis verſibus, ſic commentatur: *Stabimus Silii fide. cuius auſpiciis apud Martialem reſcribimus Ancon; non Aulon: quod ut explicent, torquentur interpretes. Pretioſa vellera; quæ nec Sidoniis viliora, ut loquitur Silius, nec Libyco murice. Nec Aulonem neſcio. magis illa Siciliam reſpicit. non ignavè dicimus ad Silii Siciliam. Correctionem noſtram juvat ſeries vinorum à Martiale poſitorum. Nusquàm Græca vina odoror.* Interpretes Martialis nulli torqueri poſſunt, niſi aliorum auctorum ignari; quando diſertis verbis ſic cecinit Horatius Carm. lib. II odâ VI:

Dulce pellitis ovibus Galeſi
Flumen, & regnata petam Laconi
Rura Phalantho.
Ille terrarum mihi præter omneis
Angulus ridet. ubi non Hymetto
Mella decedunt; viridique certat
Bacca Venafro:
Ver ubi longum tepidasque præbet
Iupiter brumas; & amicus Aulon
Fertili Baccho minimùm Falernis
Invidet uvis.

Ad quæ vetus poëtæ commentator: *Aulon, mons Calabriæ, juxta Tarentum; ferax optimi vini.* En, ut diſertè Horatius cum Martiale & *lanas* & *vina* pretioſa Tarentino tribuit agro; cuius amnis erat *Galeſus*, collis verò *Aulon*: ut latiùs infrà in Calabriæ deſcriptione explicabimus. Quòd igitur Dausqueius unà cum Servio grammatico *Caulonem* Virgilii Aeneid. lib. III eumdem intellexerit cum *Aulone* Horatii, id opidò quàm imperitè ab utroque factum eſt; quando adeò diſertè Horatius *Aulonem* ſuum apud Tarentum locat, uti ſani cerebri homo nullus aliò eum trahere queat; *Caulonem* autem Virgilii ipſe agnoſcit Dausqueius eamdem eſſe urbem, quæ in Brutio agro aliis auctoribus dicitur *Caulonia*. Silii verò locum nequidquàm ille interpretari tentaverit per Martialis locum: quando *lanas Aulonis* commendat hic poëta; ille verò tincturam tantùm lanarum; quæ non vilior erat An-

conæ,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

quàm Sidone, vel in Libyâ. quamquàm Tarentum quoque ſua vellera murice inficiebat; teſte Perſio Satyrâ II, his verbis:

Hæc Calabrum coxit vitiato murice vellus.

Et *Tarentinas lanas* aliis etiam compluribus auctoribus celebrari, infrà ſuo loco videbimus. heic tamen eumdem iterum atque iterum audiamus poëtam Martialem. Is lib. II epigram. XLIII ita ait:

Te Lacedæmonio velat toga lota Galeſo;
Vel, quam ſepoſito de grege Parma dedit.

Lib. V epigram. XXXVIII:

Puella ſenibus dulcior mihi cygnis;
Agnâ Galeſi mollior Phalanthini.

Lib. VIII epigram. XXVIII:

Dic, toga, facundi gratum mihi munus amici,
Eſſe velis cuius fama decusque gregis?
Apula Ledæi tibi floruit herba Phalanthi,
Quà ſaturat Calabris culta Galeſus aquis?
An Tarteſſiacus, ſtabuli nutritor Iberi,
Bætis in Heſperiâ te quoque lavit aquâ?

Atque hactenus Martialem ab inſigni Dausqueii injuriâ vindicaſſe, erroremque tam fœdum ab urbe noſtrâ *Ancone* avertiſſe, ſufficiat. De cætero, præter prædictos poëtas, apud Ciceronem quoque & Plinium quibusdam locis Græca iſthæc legitur formatio. Apud Ciceronem, ad Atticum lib. VII epiſt. XI: *Cingulum nos tenemus; Anconem amiſimus.* Epiſt. XVII: *Caſſium, erat heic auditum, expulſum Ancone.* Apud Plinium lib. II cap. LXXII: *In opido Ancone.* Et lib. XIIII cap. VI: *Ancone naſcentia.* Verùm quum Græcis ab rei argumento, ut mox videbimus, urbs diceretur Ἀγκών, vocabulum id poſteà Latinis formatum fuit *Ancona:* quemadmodùm illorum Δερτὼν, Οὐηρὼν, Κρεμὼν, Ὀρτὼν, his formata ſunt *Dertona, Verona, Cremona, Ortona.* Opidani ab *Anconâ* dicebantur Græcis Ἀγκώνιοι & Ἀγκωνῖται, Latinis ANCONITANI: ut illorum Σαλερνῖται, Συβαρῖται, Ταυρομενῖται, Λιλυβαῖται, Δρεπανῖται, Πανορμῖται, his erant *Salernitani, Sybaritani, Tauromenitani, Lilybæitani, Drepanitani, Panormitani.* Priſcianus lib. II: *Ancon, Anconis, Anconitanus.* Cicero in oratione pro A. Cluentio memorat *Anconitanum* quemdam. Frontinus, in libro de Coloniis, *agrum* nominat *Anconitanum.* Stephani epitomator, Ἀγκὼν, inquit, πόλις Πικεντίνων. τὸ ἐθνικὸν Ἀγκώνιος· λέγεται δὲ καὶ Ἀγκωνίτης. Id eſt: *Ancon, urbs Picentinorum. gentilitium inde Anconius. ſed & Anconita dicitur.* Originem nominis complures adnotarunt auctores. Procopius Gothicar. rer. lib. II: Ὁ δὲ Ἀγκὼν οὗτος πέτρα τίς ἐστιν ἐγγώνιος· ἀφ᾽ οὗ καὶ τὴν προσηγορίαν εἴληφε ταύτην· ἀγκῶνι γὰρ ἐπὶ πλεῖστον ἐμφερής ἐστιν. Hoc eſt: *Ancon iſte rupes quædam eſt anguloſa. unde etiam nomen ei quæſitum. quidpe inflexo cubito quàm ſimillima eſt.* Plinius dicto lib. III cap. XIII: *Ancona, adpoſita promontorio Cumerio, in ipſo flectentis ſe oræ cubito.* Strabo lib. V: Κεῖται δ᾽ Ἀγκὼν ἐπ᾽ ἄκρας λιμένα ἐμπεριλαμβανούσης, τῇ πρὸς τὰς ἄρκτους ἐπιστροφῇ. Id eſt: *Sita eſt Ancon in promontorio, quod ſuo versùs ſeptemtriones inflexu portum includit.* Mela lib. II cap. IIII: *Flumina Metaurus atque Aeſis. hinc illa in anguſto illo duorum promontoriorum ex diverſo coëuntium ſinu inflexi cubiti imagine ſedens, ac ideò à Graiis dicta Ancon.* Sic hunc locum Melæ, qui in vulgatis hactenus exemplaribus variè corruptus eſt, eſſe legendum, ſuprà cap. V in Vmbris docui. Imperitè faciunt, qui ex Plinio *Cumerium* heic *promontorium* ſupponere conantur. quidpe CVMERIVM PROMONTORIVM eſt id montis jugum, quod, longiùs à reliquo litore in mare verſùs ſeptemtriones excurrens, vulgò nunc adpellatur *Il Monte Guaſco.* cuius extimus verſùs occidentem inflexus Anconam urbem ab ſeptemtrionibus includit. à meridionali verò urbis latere aliud promontorium, ſed parvum, II circiter millia paſſuum à ſeptemtrionali diſtans, in eumdem occidentem protenditur. In horum igitur *duorum promontoriorum ex diverſo coëuntium anguſto ſinu inflexi cubiti imagine ſedere Anconem,* dixit Mela, *Græcis* à ſitus figurâ ſic adpellatum. Strabo dicto lib. V: πόλις δ᾽ Ἀγκὼν Ἑλληνίς, Συρακουσίων κτίσμα, τῶν φυγόντων τὴν Διονυσίου τυραννίδα. Id eſt: *Græca eſt urbs Ancon, à Syracuſanis condita, qui Dionyſii fugerant tyrannidem.* Solinus cap. VIII: *Notum eſt, Anconam à Siculis conſtitutam.* Plinius dicto lib. III cap. XIII: *Numana.*

CVMERIVM *promontorium.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

mana, à Siculis condita. ab iisdem colonia Ancona. Hinc Iuvenalis, quum Syracuſani origine forent Dores, ut in Siciliæ opere lib. I cap. XII à nobis oſtenſum, ita de eâ canit prædictâ Satyra IIII:

Incidit Hadriaci ſpacium admirabile rhombi
Ante domum Veneris, quam Dorica ſuſtinet Ancon;
Implevitque ſinus.

Tyrannidem Dionyſius Syracuſis occupavit anno tertio Olympiadis XCIII; id eſt, anno à Româ conditâ CCCXLVII; ante natum Ieſum CCCCVI: tenuitque annos XXXVIII. intra quod temporis ſpacium condita à profugis Syracuſanis Ancona. *Colonia* Romanorum vocatur Plinio verbis proximè citatis, & item aliquot lapidibus antiquis, qui hic exſtant: quorum unus hæc habet verba: DECVRIONES · ET · PLEBS. COLONIAE · ANCONITANORVM · Portu ſuo hodiéque totâ ferè Italiâ nobiliſſima eſt; in quo antiqui operis moles etiam nunc conſpicitur cum Traiani imperatoris arcu candido marmore exſtructo. VENERIS AEDES, præter ſuprà dictum Iuvenalem, Catullo quoque memoratur in carmine XXXVII, his verſibus:

Nunc, ô cæruleo creata ponto,
Quæ ſanctum Idalium Vriosque apertos,
Quæque Ancona Cnidumque arundinoſam
Colis, quæque Amathûnta, quæque Golgos,
Quæque Dyrrachium, Hadriæ tabernam;
Acceptum face redditumque votum.

Fuiſſe quidam volunt hoc *Veneris fanum* eodem ſitu, quo nunc templum urbis cathedrale, divo Cyriaco dicatum, conſpicitur apud extimum Cumerii promontorii excurſum. At hoc templum extra illum *duorum promontoriorum anguſtum ſinum* eſt, in externo Cumerii promontorii litore. diſertè verò Iuvenalis ait, illum *admirabilis* magnitudinis *rhombum impleviſſe ſinum*. ergo & ipſum Veneris templum in ſinu fuit. Cæterùm de agro urbis verum hodiéque manet, quod dicto lib. V Strabo olim de eo prædicavit his verbis: Σφόδρα δ' εὔοινός ἐστι καὶ εὔπυρόφορος. id eſt: *Vini & tritici admodùm eſt ferax.* De vino ita Plinius lib. XIIII cap. VI, quod eſt de vinis generoſis: *Ex reliquis à ſupero mari Prætutia, & Ancone naſcentia.* Nobilitatur eo hodiè opidulum vulgari vocabulo *Siruolo*, XI millia paſſuum ab Anconâ diſſitum.

NVMANA, *municipium.*

Porrò mille fermè paſſus ultra Sirollum opidum vicus in eodem litore viſitur vulgari nunc vocabulo *Humana*; templo ſplendidiſſimo maximè nobilis. is ex intervallo XII millium paſſuum, quæ Tabula habet inter *Anconam* & *Numanam*, item ex nominis argumento adparet eſſe antiquum illud Melæ, Plinii, Silii, & Itinerariorum *opidum* NVMANA, *ab iisdem Siculis*, teſte ſuprà citato Plinio, *conditum.* Apud Antoninum numerus XII millium corruptus fuit, primùm in VII, mox in VIII. *Municipium* fuiſſe Romanorum, teſtatur antiqua inſcriptio, quæ ſic habet:

PATRONO · COL · AVXIM · ET
AES · ET · MVNIC · NVMANAT

POTENTIA *colonia.*

Sequebatur inde POTENTIA *opidum*, præter ſuprà dictos auctores, Melam, Plinium, Ptolemæum, & Itinerarios, Ciceroni quoque & Livio ac Velleio Straboni que, memoratum. Cicero in oratione de Haruſpicum reſponſis: *Eodem ferè tempore factus in agro Piceno Potentiæ nunciatur terræ motus horribilis.* Mela dicto lib. II cap. IIII: *Anconem prætergreſſos Piceni litora excipiunt. in quibus Numana, Potentia, Cluana, Cupra, urbes.* Plinius dicto lib. III cap. XIII, ex oriente in occidentem progrediens: Κύπρα Μαριτίμα, Τρουεντίνου ποταμοῦ ἐκβολαί, Ποτεντία, Νουμάνα, Ἀγκών. id eſt: *Cupra Maritima, Truentini amnis oſtium, Potentia, Numana, Ancon.* Strabo lib. V: Πλησίον δ' Ἀγκῶνος Αὔξουμον πόλις, μικρὸν ὑπὲρ τῆς θαλάττης· εἶτα Σεπτέμπεδα, καὶ Πνευεντία, καὶ Ποτεντία, καὶ Φίρμον Πικηνόν· ἐπίνειον δὲ ταύτης Κάστελλον. ἐφεξῆς δὲ τὸ τῆς Κύπρας ἱερόν. Hoc eſt: *Prope Anconem eſt Auxumum opidum, paullum ſupra mare. dein Septempeda, Pneuentia. Potentia, ac Firmum Picenum; eiusque navale Caſtellum. hoc ſequitur Cupræ fanum.* Itineraria:

Anto-

Antonini;		Antonini;		Tabulæ;	
Senegallia		*Ancona*		*Ancone*	
Vltra Anconam millia plus minus quatuor,	XXVI.				
		Numana	VIII.	*Numana*	XII.
				Miſco fl.	IX.
Potentia	XVI.	*Potentia*	X.	*Polentia*	V.

Hodiè flumen ex Apennini jugis defluens, vulgò dicitur *Potentia*; & locus ad oſtium eius *Porto di Potentia*; ſæpiùs tamen *Porto di Recanati*. ubi caſtellum conſpicitur ad dextram ripam ſatis antiqui operis. qui locus ſine controverſiâ nomen atque memoriam celebris quondam urbis etiam nunc cuſtodit. In Tabulâ vocabulum id vitiatum legitur *Polentia*. nam, licèt & *Pollentia* fuerit in eodem Piceno; unde *Pollentini* mediterranei Plinio eodem capite XIII; tamen auctorem Tabulæ intellexiſſe maritimum opidum *Potentiam*, patet ex Antonini itinerario; tum ex reliquo itineris in ipsâ Tabulâ contextu; ut mox videbimus. Sic apud Livium quoque lib. XXXVIIII, epitomatoremque eius, idem eſt vocabulum *Pollentia*. ubi Sigonius teſtatur, in antiquis exemplaribus fuiſſe *Potentia*. Sed & lib. XLI, loco aliis etiam mendis ferè innumeris atque inexplicabilibus fœdato, eſt *Pollentia*. Millia autem paſſuum ab Numanâ ad Potentiæ fluminis oſtium ſunt circiter IX. quo intervallo utroque in itinere Antoninus habet X millia. In Tabulâ prior numerus corruptus eſt; quod mox videbimus. *Coloniam* fuiſſe Romanorum, auctores ſunt Livius atque Paterculus. quorum hic lib. I, *Cnæo*, inquit, *Manlio Volſone & M. Fulvio Nobiliore conſulibus, Bononia deducta colonia: & poſt quadriennium Piſaurum & Potentia*. ſcilicet P. Claudio Pulcro & L. Porcio Lucino conſulibus. in horum enim conſulatu hæc refert Livius lib. XXXVIIII: *Eodem anno coloniæ duæ, Potentia in Picenum, Piſaurum in Gallicum agrum, deductæ ſunt. ſena jugera in ſingulis data.* Annus is fuit urbis Romæ IↃLXVIII; ante natum Ieſum CLXXXV. Coloni inde dicebantur, ut & Lucanæ Potentiæ incolæ, POTENTINI. namque in libro de Agrorum limitibus ex Balbi libro citatur Piceni provinciæ *ager Potentinus, Ricinenſis, & Pauſulenſis*.

Inter Potentiam & Numanam flumen illud Tabulæ, quod in præſcripto itinere legitur *Miſco fl.*, in eâdem Tabulâ ad oſtium depicti amnis ſcriptum eſt *Fl. Miſiu:* haud dubiè corruptè, pro FL. MISIO: quod etiam dicebatur FLVMEN MISEO. nam hodiéque amnis is ab opido Auximo (*Oſmo* nunc eſt) defluens, vulgò dicitur *Muſeone* & *Muſione fiume*. à quo ad Numanam millia paſſuum ſunt circiter IV; quæ in Tabulâ vitiata ſunt in IX.

MISEO *amnis.*

In eâdem Tabulâ circa eadem loca, Anconam, Numanam, Auximum, atque Miſeonem amnem alius depictus eſt fluvius, cuius oſtio adpoſitum eſt nomen ASPIA FL. hunc ego credo eſſe eum, qui in lævam Miſeonis ripam influens, medio itinere inter Anconam & Auximum cum opido adpoſito vulgari vocabulo dicitur *Aſpido foſſatone*.

ASPIA *fluvius.*

Porrò iter à Potentiâ verſùs Aternum flumen in eiſdem Itinerariis deſcribitur hoc modo:

Tabulæ;		Antonini;		Antonini;	
Potentia		*Potentia*		*Potentia civitas*	
Sacrata	....				
Fluſor fl.	VI.				
Tunna	....				
Caſtello Firmani	II.	*Caſtello Firmano*	XII.	*Caſtello Firmano*	XX.
Cupra Maritima	XII.				
Cæſtro Trentino	XII.	*Caſtro Truentino*	XXIIII.	*Troento civitas*	XXVI.

Idem litus ita conſignavit Strabo dicto lib. V: Ποτεντία, καὶ Φίρμον Πικηνόν· ἐπίνειον δὲ ταύτης Κάστελλον· ἐφεξῆς δὲ τὸ τῆς Κύπρας ἱερόν· εἶτα Τρουεντῖνος ποταμός, καὶ πόλις ὁμώνυμος. Id eſt:

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Id eſt: *Potentia, & Firmum Picenum; huiusque navale Caſtellum. dein Cupræ fanum. mox Truentinus amnis, & urbs cognominis.* Mela dicto lib. II cap. IIII: *Potentia, Cluana, Cupra maritima, urbes: caſtella autem, Firmum, Hadria, Truentum. id à fluvio, qui præfluit, ei nomen eſt.* Plinius heic atque Ptolemæus adverſo, uti antè dixi, incedunt litore. Ille lib. III cap. XIII: *Truentum, cum amne: Cupra opidum; Caſtellum Firmanorum; Cluana, Potentia.*

TRVENTVM *flumen & opidum.*

Ex his igitur TRVENTVM *flumen* nomen hodièque ſervat, vulgò *Tronto* dictum. Ad huius oſtium utrâ ripâ fuerit TRVENTVM, ſive, ut alii auctores habent, TRVENTINVM CASTRVM, planè incertum eſt. Ab lævâ eſt ædificium hodiè, quod vulgò *Porto d' Aſcoli* vocatur. ab dextrâ eſt turris ſpeculatrix cum diverſorio publico, vulgò *Torre Segura*, ſive *Torre di Seguro* dicta. *Truentum* equidem vocatur Plinio ac Melæ, Frontinoque. at Cn. Pompeio in epiſtolâ ad Domitium, quæ exſtat inter Ciceronis epiſtolas ad Atticum lib. VIII, & item præſcriptis itinerariis, eſt *Truentinum caſtrum*. Pompeius; *Quòd audieris, Cæſarem Firmo progreſſum in Caſtrum Truentinum veniſſe.* Straboni prædicto loco eſt πόλις Τρεντῖνον, *Truentinum opidum.* Sed huic unà cum Ptolemæo ipſe etiam fluvius derivativo vocabulo dicitur *Truentinus*. quod an in vulgari fuerit uſu, equidem dubito. In altero Antonini itinere eſt *Truentum civitas*. quod vocabulum eo ævo non niſi primariis urbibus tribuebatur. Frontinus in libro de Coloniis, *Teate*, inquit. *ager eius lege Auguſteâ eſt adſignatus. Finitur ſicuti conſvetudo eſt in regione Piceni. Truentum finitur ſicut ſuprà diximus de agro Teatino.* Et ex libro Balbi Provinciæ Piceni: *Ager Cuprenſis. Truentinus, Caſtranus, Aternenſis, lege Auguſteâ ſunt adſignati.* Memoratur præterea Silio etiam lib. VIII, hoc verſu:

Quique Truentinas ſervant cum flumine arceis.

Antiquitas opidi ſumma fuit. quidpe quod Liburni, teſte Plinio, antiquiſſimi huius oræ incolæ, condiderant.

TENNA, *ſive* TINNA *amnis.*

Inter Truentinum caſtrum & Potentiam flumen in Tabulâ itinerariâ depictum conſpicitur cum hoc titulo; *Fl. Tuma.* id idem non dubiè eſt vocabulum, quod apud eum amnem in præſcripto itinere ſcriptum eſt *Tunna*. à quo millia ſunt duo ad *Caſtellum Firmanum*. Hodiè hoc tractu, duo millia paſſuum ab opido, cui vulgaris eſt adpellatio *Porto di Fermo*, TENNA ſive TINNA *amnis* (utrumque enim dicitur) in mare effluit. In Tabulâ etiam *Tinna* perſcriptum fuiſſe, non *Tunna*, ex priori voce *Tuma* colligo. *Tenna* dicitur Oroſio lib. V cap. XVIII, &, qui hunc transſcripſit, Paullo Diacono Hiſtor. miſcellæ lib. V. quamquàm apud hos etiam vocabulum id ab imperitis exſcriptoribus vitiatum eſt in *Teanum*; quod celebre fuit duarum Italiæ urbium nomen. Verba hæc illic leguntur: *Cn. Pompeius Picenteis gravi prælio fudit. qua victoriâ ſenatus laticlavia & cætera dignitatis inſignia recepit.* Mox: *Cn: Pompeio & L. Porcio Catone conſulibus, Pompeius diu obſedit Aſculum civitatem. nec tamen expugnaſſet; niſi populum in campum prorumpentem graviſſimâ oppreſſione viciſſet. decem & octo millia Marſorum in eâ pugnâ cæſa ſunt; capta tria millia.* Mox: *Eâdem die Picentes congreſſi, & victi ſunt. quorum dux Iudacilius, convocatis principibus ſuis,* (fortè rectiùs, *ſuæ gentis*) *poſt magnificas epulas largaque pocula, cunctos ad exemplum ſuum provocans, hauſto veneno abſumptus eſt.* Exiguo pòſt: *Marrucini Veſtinique, Sulpicio, legato Pompeii, perſequente vaſtati ſunt. Pompædius & Obſidius, Italici imperatores, ab eodem Sulpicio apud flumen Teanum horribili prælio oppreſſi & occiſi ſunt. Pompeius Aſculum ingreſſus; præfectos, centuriones, cunctosque principes eorum virgis cecîdit, ſecurique percuſſit.* Easdem res refert etiam Breviator Livii lib. LXXIIII: *Cn. Pompeius*, inquit, *Picenteis prælio fudit & obſedit. propter quam victoriam Romæ prætextæ aliaque magiſtratuum ornamenta & inſignia ſumpta ſunt.* Mox: *Cn. Pompeius conſul Marſos acie vicit.* Lib. LXXV: *Cn. Pompeius Veſtinos in deditionem accepit.* Lib. LXXVI: *Sulpicius legatus Marrucinos cecîdit; univerſamque eam regionem recepit. Cn. Pompeius proconſul Veſtinos & Pelignos in deditionem accepit. Marſi quoque, à L. Murænâ & Cæcilio Pinnâ legatis aliquot præliis fracti, pacem petierunt. Aſculum à Cn. Pompeio captum eſt; cæſis à Mamerco Aemilio legatis Italicis. Silo Pompædius, dux Marſorum, auctor huius rei,* (malim *belli*; ſcilicet Marſici; quod & Italicum & Sociale vocabatur.) *in prælio cecidit.* Hæc igitur cuncta quum in Picentibus conterminisque populis geſta ſint â Pompeio eiusque legatis; quumque Sulpicius Picenteis, Pom-

peio

peium Firmo opido incluſum obſidenteis, adgreſſus ſit; dubitare minimè licet, quin *flumen Tennam* ſcripſerit Oroſius; quod duo millia paſſuum à Firmo abeſt.

FIRMVM colonia.

Ipſum FIRMVM *opidum*, cognomine PICENVM, vulgò nunc dicitur *Fermo*, tria millia paſſuum ab litore diſſitum. Memoratur Cn. Pompeio, Velleio, Valerio Maximo, Straboni, Melæ, Appiano, Ptolemæo, Itinerariis, Procopio, & aliis. Pompeius in prædictâ epiſtolâ ad Domitium: *Cæſarem Firmo progreſſum in Caſtrum Truentinum veniſſe*. Valerius Maximus lib. VIII cap, XV: *Ne Equitium, Firmo Piceno monſtrum veniens, prætercam*. Strabo lib. V: Ποτεντία, καὶ Φίρμον Πικηνόν. *Potentia, & Firmum Picenum*. In Tabulâ itinerariâ cognomentum id corruptum eſt *Firmum Vicenum*. Apud Procopium etiam Gothicar. rer. lib. II eſt Φίρμον. at apud Ptolemæum corruptum eſt Φίρμιον. quod nemo alius ita formavit. Opidani inde dicuntur Livio, Plinio, & antiquis inſcriptionibus FIRMANI. *Coloniam* fuiſſe Romanorum, teſtatur Velleius lib. I. *Initio*, inquit, *primi belli Punici Firmum & Caſtrum colonis occupata*. Hinc Livius lib. XXVII inter alios colonos, qui bello Punico ſecundo auxilia Romanis adverſùm Hannibalem offerebant, *Firmanos* quoque recenſet. Auctam poſteà fuiſſe ſub imperatoribus Romanis novis colonis, patet ex nummo antiquo, in quo hæc ſunt verba: COLONIA · AVG · FIRMA. Mela ergo erravit; qui inter *caſtella* connumeravit *Firmum*. Sed *Caſtellum Firmanum* anſam ei erroris præbuit.

CASTELLVM, navale Firmanorum.

Quod igitur Straboni τὸ ἐπίνειον τῆς Φίρμου refertur τὸ Κάστελλον, id eſt, NAVALE *Firmi*, nomine CASTELLVM; id Plinio dicto lib. III cap. XIII dicitur CASTELLVM FIRMANORVM; Itinerariis verò CASTELLVM FIRMANVM. Hodiè opidum id, duobus millibus, quæ habet Tabulâ, à Tennæ oſtio, ab Firmo autem tribus diſſitum, vulgò dicitur incolis *Porto di Fermo*.

SACRATA, *locus*.

Iam verò locus ille in præſcripto Tabulæ itinere SACRATA, inter Potentiam & Tennam, nullus alius eſſe poteſt, quàm qui priſcam memoriam adpellatione etiamnum refert, vulgò *Monte ſanto* dictus; haud procul ab litore; in quo navale eius vulgò dicitur *Porto di Monte ſanto*.

FLVSOR *amnis*.

Ab hoc portu ad flumen usque, cui vulgare vocabulum *Chiento*, VI hodiè numerantur millia paſſuum; quot Tabula habet inter *Sacratam* & *Fluſorem fl.* Ex hoc igitur intervalli documento, ſimulque quòd nullus alius inter Potentiam & Tennam amneis eſt fluvius, apertè FLVSOR hic *fluvius* deprehenditur eſſe *Chiento*. Quamquàm de vocabuli huius probitate nihil heic contenderim: quidpe qui ſciam, pleraque in hac Tabulâ fluminum nomina eſſe vitioſa.

CLVANA *opidum*.

De cætero Plinii verba ex lib. III cap. XIII jam anteà citavimus iſta: *Cupra opidum; Caſtellum Firmanorum; & ſuper id colonia Aſculum, Piceni nobiliſſima. intus Novana. in orâ Cluana, Potentia, Numana, Ancona*. Apud Melam dicto lib. II cap. IIII in vulgatis hactenus exemplaribus ita legitur: *A Pado ad Anconam transitur Ravenna, Ariminum, Piſaurum, Faneſtris colonia, flumen Metaurus atque Eſis: & illa in anguſto illorum duorum promontoriorum ex diverſo coëuntium inflexi cubiti imagine ſedens, ac ideo à Graiis dicta Ancona, inter Gallicas Italicasque genteis quaſi terminus intereſt. hanc enim prægreſſos Piceni litora excipiunt: in quibus Numana, Potentia, Claterna, Cupra, urbes; caſtella autem, Firmum, Hadria, Truentum. id à fluvio, qui præterit, ei nomen eſt. Ab eo, Senogallia maritima, ad Aterni fluminis oſtia. urbes Bucara & Hiſtonium. Dauni autem Tifernum amnem, Cliterniam, Lucrinum, Theanum, opida, montemque Garganum*. Hæc miſerè ac fœdè ab exſcriptoribus eſſe corrupta, ſuprà cap. V in Vmbris docui. ubi ita etiam integrum locum reſtitui: *A Pado ad Anconam transitur Ravenna, Ariminum, Piſaurum, Faneſtris colonia, Senogallia; flumina Metaurus atque Aeſis. hinc illa in anguſto illo duorum promontoriorum ex diverſo coëuntium ſinu inflexi cubiti imagine ſedens, ac ideò Graiis dicta Ancon, inter Gallicas Italicasque genteis quaſi terminus intereſt. hanc enim prætergreſſos Piceni litora excipiunt. in quibus Numana, Potentia, Cluana, Cupra maritima, urbes; caſtella autem Firmum, Hadria, Truentum. id à fluvio, qui præfluit, ei nomen eſt. Ab eo Frentani tenent Aterni oſtia; urbeis Bucam & Hiſtonium: Daunii autem Tifernum amnem, Cliterniam, Larinum, Teanum, opida; montemque Garganum*. Ex Plinio omnino pro *Claterna* reſtituendum eſt CLVANA *opidum*. namque *Claterna* Ciſpadanæ Galliæ erat opidum; ut ſuprà lib. I cap. XXVIII oſtenſum. à *Cluanâ* autem hoc opido inter

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Caſtellum Firmanorum & *Potentiam* flumen nomen retinuit, quod vulgò nunc adcolis *Chiento*, Latinè verò loquentibus *Cluentum* dicitur. ad cuius oſtium, dextrâ ripâ, paullo ſupra pontem, exigua nunc conſpicitur caſa cum templi cuiusdam Chriſtiani veſtigio; locusque dicitur vulgò *Il Piano di S. Giácomo:* quem ego antiquæ *Cluanæ* locum eſſe exiſtimo. Qui opidum *Cluanam* eſſe volunt, quod v millia paſſuum à mari in mediterraneo vulgò dicitur *S. Elpidio*, & corruptè *S. Lupidio*; opidò quàm longè à Melæ Pliniique mente recedunt; quum hi in litore id ponant.

Cvpra Maritima, *opidum.* Porrò quum inter Firmanum portum & Truentum amnem xviii tantùm ſint millia paſſuum; corruptos eſſe hoc intervallo & in Tabulâ & apud Antoninum numeros, certum eſt. & apertè Antonini alterum iter ab altero diſſentit. A portu Firmano juſta invêni millia xii ad opidum, quod vulgò vocatur in litore *Le Grotte:* apud quod tabula reperta eſt marmorea, cum huiusmodi inſcriptione:

IMP · CAESAR · DIVI · TRAIANI · PARTHICI · F · D · NERVAE · NEP
TRAIANVS · HADRIANVS · AVG · PONT · MAX · TRIB · POT · XI · COS · III
MVNIFICENTIA · SVA · TEMPLVM · DEAE · CVPRAE · RESTITVIT

Ex huius igitur inſcriptionis argumento, tum ex prædicto xii millium intervallo, quæ hodiè ſunt inter portum Firmanum dictasque Cryptas, & Tabula refert inter Caſtellum & Cupram Maritimam, hic ipſe locus deprehenditur eſſe antiquum illud opidum Cvpra maritima, Straboni quoque, Melæ, Plinio, Silio, Ptolemæo, & alii inſuper lapidi memoratum. Silius lib. viii:

Et queis litoreæ fumant altaria Cupræ.

Lapis ſive ara marmorea Romæ exſtat cum hac inſcriptione:

FL · L · CENSORIVS · IVSTVS · VIRVNO
L · VOLCEIVS · SEVERVS · SESTINO
Q · SEXTILIVS · RVFVS · FLANONA
C · VALERIVS · VERANIVS · TRIDENTE
T · ANNIVS · CRISPINVS · CVPRA · MAR

Quænam hæc *dea Cupra* fuerit, oſtendit Strabo dicto lib. v his verbis: Ἐφεξῆς δὲ τὸ τῆς Κύπρας ἱερὸν, Τυῤῥηνῶν ἵδρυμα καὶ κτίσμα. τὴν δ᾽ Ἥραν ἐκεῖνοι Κύπραν καλοῦσιν. Id eſt: *Dein Cupræ eſt fanum; conditum dedicatumque ab Etruſcis; qui Iunonem vocant Cypram.* Cognominata fuit *Cupra maritima*, ad diſcrimen mediterranei opidi *Cupræ montanæ*; de quo infrà agetur. Ab illo opidani haud dubiè dicti fuêre Cvprenses maritimi. nam Plinio dicto loco alteri iſti dicuntur *Cuprenſes Montani*.

Hactenus igitur litus ad Truentum usque amnem expoſitum eſt. reliquum hinc ad Aternum flumen ita conſignatur in Itinerariis:

Tabulæ;	Antonini;	Antonini;	Antonini;
Caſtro Truentino	*Caſtro Truentino*	*Caſtro Truentino*	*Troento civitas*
Caſtro Novo	*Caſtro Novo* xii.	*Caſtro Novo* xii.	*Caſtro Novo* xii.
Hadria xii.	*Hadriæ* xv.	*Adriæ* xv.	
Pinna vii.			
Salinas vi.			
Oſtia Eterni v.	*Oſtia Aeterni* xv.		*Aterno civitas* xxiiii.

Geographi hoc litus mirificè turbarunt. Mela dicto lib. ii cap. iiii: *Numana, Potentia, Cluana, Cupra maritima, urbes; caſtella autem, Firmanum, Hadria, Truentum.* Ptolemæus adverſo inceſſu: Ἀτέρνου ποταμοῦ ἐκβολαί, Ματρίνου ποταμοῦ ἐκβολαί. Πικηνῶν ὁμοίως· Κάστρον, Κούπρα Μαρίτιμα, Τρουεντίνου ποταμοῦ ἐκβολαί, Ποτεντία, Νουμάνα. Id eſt: *Aterni amnis oſtium; Matrini amnis oſtium. Hinc Picenorum; Caſtrum, Cupra Maritima, Truentini fluminis os, Potentia, Numana.* Certè ab utroque erratum; quando, *Cupram* citra Truentum verſùs occaſum fuiſſe, ſatis ſuprà demonſtratum; *Hadria* verò longè ultra

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

altra Truentum hodiéque eodem nomine exſtat. Multo peius tamen Plinius: cuius verba dicto ſæpiùs lib. III cap. XIII hæc ſunt: *Picentes tenuêre ab Aterno amne; ubi nunc ager Hadrianus & Hadria colonia, à mari VII millia paſſuum. flumen Vomanum: ager Prætutianus Palmenſisque. item Caſtrum Novum; flumen Batinum: Truentum cum amne. quod ſolum Liburnorum in Italiâ reliquum eſt. flumina, Albulates, Suinum, Helvinum; quo finitur Prætutiana regio; & Picentium incipit. Cupra opidum: Caſtellum Firmanorum; & ſuper id colonia Aſculum, Piceni nobiliſſima. intus Novana. in orâ Cluana, Potentia, Numana.* Omnium optimè, ſed ſuccinctè, Strabo, dicto lib. V: Ποτεντία, καὶ Φίρμον Πικηνόν· ἐπίνειον δὲ ταύτης Κάστελλον. ἐφεξῆς δὲ τὸ τῆς Κύπρας ἱερόν· εἶτα Τρουεντῖνος ποταμός· εἶτα Καστρουμνόβουμ, καὶ ὁ Ματρῖνος ποταμός, ῥέων ἀπὸ τῆς Ἀδριανῶν πόλεως, ἔχων ἐπίνειον τῆς Ἀδρίας, ἐπώνυμον ἑαυτῷ. ἔστι δ' ἐν τῇ μεσογαίᾳ καὶ αὐτή, καὶ τὸ Ἄσκλον τὸ Πικηνόν. * — *. Ἐπ' αὐτῇ δὲ τῇ θαλάττῃ τὸ Ἄτερνον, ὅμορον τῇ Πικεντίνῃ, ὁμώνυμον δὲ τῷ ποταμῷ τῷ διορίζοντι τήν τε Οὐηστίνην καὶ τὴν Μαρρουκίνην. Hoc eſt: *Potentia, & Firmum Picenum; huiusque navale, Caſtellum. dein Cupræ fanum: Truentinus amnis; Caſtrum Novum; & Matrinum flumen, ab Hadrianorum urbe defluens; habensque navale Hadriæ eodem ſecum nomine. In mediterraneo eſt ipſa Hadria, & Aſculum Picenum.* Paullo pòſt: *Ad ipſum verò mare eſt Aternum, Piceno conterminum; eiusdem nominis cum flumine, quod Veſtinos à Marrucinis dirimit.* Sed dubia quum effecerit hæc loca fluminaque tam varius auctorum diſſenſus, ea priore loco erunt dicenda, quæ ſatis per ſe nota ſunt; quæque reliquis indicio eſſe poſſint.

ALBVLATES amnis.

ALBVLATES *fluvius* omnium hodiè doctorum virorum conſenſu is eſt, qui, proximus Truento, vulgò nunc accolis *Liberata*, *Librata*, & *Librati*, ut plurimùm dicitur. de cuius nomine quum ipſe coram incolas percunctarer, reſponderunt nonnulli, eſſe id *Laubrati*; alii *Laubrate*. quod ſanè quàm proximè ex antiquo illo vocabulo promanavit. mos quidpe Neapolitani regni incolis eſt, *l* literam ante *a* convertere in *u*; quod & Gallofranci faciunt. ſic, quæ verba cæteris Italis ſunt *altro*, *alto*, *ſalto*; Neapolitanis dicuntur *autro*, *auto*, *ſauto*: Francis, *autre*, *haut*, *ſaut*. Eâdem itaque ratione ex Latinorum vocabulo *Albulates* factum eſt primùm *Aubulate*, & *Aubulati*: mox vocali brevi *u* expunctâ, liquidâque *l* in liquidem *r* uſitatiſſimo more mutatâ, *Aubrate*, & *Aubrati*. dein articulus vulgaris Italorum lingvæ *lo* præpoſitus eſt, *L'Aubrate*, *L'Aubrati*. tandem, vulgatiſſimâ illâ per omnem Italiam vulgi ſimplicitate, cuius mentionem feci ſuprà cap. XVIII in Venetis, & cap. XX in Carnis, articulus ipſi amnis nomini coaluit; factumque eſt *Laubrate*, *Laubrati*. Eorum heic miror judicium, qui ex vitiatis quibusdam Plinii exemplaribus docent, in omnibus reliquis nomen *Albulates* corrigendum eſſe in *Albula*: quod ſanè antiquum fuit Tiberis nomen; ut ſuperiori capite oſtenſum.

VOMANVM flumen.

VOMANVM *flumen* hodiéque vulgò dicitur *Vomano*. Memoratur, præter Plinium, Silio quoque lib. VIII, his verbis:

Stat, fucare colus nec Sidone vilior, Ancon,
Murice nec Libyco; ſtatque humectata Vomano
Hadria; & inclemens hirſuti ſignifer Aſcli.

Apud Plinium lib. II cap. CIII ſic ſcriptum eſt: *In agro Pitinate, trans Apenninum, fluvius Novanus omnibus ſolſtitiis torrens, brumâ ſiccatur.* Incertum ſanè, an *Vomanus* legendum; quum *Novanus* nullus aliàs legatur in Italiâ fluvius. quamquàm *Pitinum* opidum circa ſuperiorem *Vomani* partem fuiſſe videatur ex Tabulâ itinerariâ; ut infrà patebit. Certè de hac Vomani naturâ nihil coram perdiſcere potui.

MATRINVS amnis.

MATRINVS hinc *amnis*, Straboni, Plinio, ac Ptolemæo memoratus, ignorari nec ipſe poteſt; quando Strabo præſcripto loco diſertè teſtatur, ῥέειν αὐτὸν ἀπὸ τῆς τῶν Ἀδριανῶν πόλεως, καὶ ἔχειν ἐπίνειον τῆς Ἀδρίας, ἐπώνυμον ἑαυτῷ. id eſt; *fluere eum ab Hadrianorum oppido, & habere navale Hadriæ, communi ſecum nomine.* quidpe Hadriam, quæ vulgò nunc dicitur *Atri*, à meridie præfluit amnis cui vulgare nomen *La Piomba*: cuius oſtium hodiéque vocatur *Porto d' Atri*. Olim heic erat opidulum illud MATRINVM, *Hadrianorum navale*: cuius nomen in Tabulâ itinerariâ corruptum legitur *Matrinum*. à quo ad *Pinnam*, quæ nunc vulgò eſt *Città di Penne*, rectè eadem Tabula habet VII millia paſſuum.

Reſtant hoc litore inter Truentum & Aternum adhuc tria flumina; quibus vulgaria

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

vulgaria vocabula, inter Aternum ſive Peſcáram & Plumbam *Salino*, inter Vomanum & Albulatem, *Tordino* & *Salinello*. Plinius, præter modò enarrata *Matrinum*, *Vomanum*, & *Albulatem*, habet & ipſe totidem, ſed turbato admodùm ordine, *Batinum*, *Suinum*, *Heluinum*. Ab oriente verſùs occidentem eum incedere, anteà dixi. verba igitur dicto lib. III cap. XIII hæc ſunt: *Picentes tenuêre ab Aterno amne, ubi nunc ager Hadrianus & Hadria colonia, à mari* VII *millia paſſuum: flumen Vomanum; ager Prætutianus Palmenſiſque. item Caſtrum Novum; flumen Batinum; Truentum cum amne. flumina, Albulates, Suinum, Heluinum; quo finitur Prætutiana regio; & Picentium incipit. Cupra opidum: Caſtellum Firmanorum.*

SVINVS *fluvius.*

SVINVS *fluvius* haud dubiè is eſt, qui, vulgari vocabulo *Sino*, in lævam Salini ripam confluit. Salini oſtium an olim *Suinum* etiam adpellatum fuerit, neſcio. ipſum ſanè Salini flumen Suino maius hodiè eſt. In Tabulâ itinerariâ hoc ipſo litore legitur *Fl. Sannum*. quod ego haud ſcio an fuerit in archetypo *Suinum*, an verò *Sa inum*.

HELVINVM *flumen.*

Iam verò quum *Prætutiorum* opidum, teſte Ptolemæo, fuerit *Interamnia*, quod hodiè, inter Turdinum & Viciolam flumina poſitum, vulgò dicitur *Téramo*; HELVINVS *amnis*, terminus Prætutios inter & Picenteis nullus alius eſſe potuit, quàm qui inter Turdinum & Albulatem vulgò nunc adpellatur *Salinello*. In Tabulâ itinerariâ hoc litoris tractu legitur *Fl. Nerninum*. quod ego vitiatum vocabulum cenſeo ab vero *Heluinum*.

BATINVS *amnis.*

Reliquum eſt unum Turdinum flumen: quod extra omnem jam controverſiam erit BATINVM *flumen* Plinii.

CASTRVM NOVVM *colonia.*

Reſtat igitur nunc, uti CASTRVM NOVVM quoque *opidum* in hoc litore indicetur. Memoratur Livio, Straboni, Paterculo, Ptolemæo, & Itinerariis. Ptolemæum ac Plinium paullo antè audivimus. Apud Strabonem dicto lib. V priore loco ita ſcriptum eſt: Μῆκος δ᾽ ἐστὶ τῆς Πικεντίνης ἀπὸ Αἴσιος ποταμοῦ μέχρι Κάστρου παράπλουν ἔχει σταδίων ω΄. Id eſt: *Longitudo Piceni ab Aeſi flumine ad Caſtrum ſtadia juxta litus colligit* IϽCCC. At pòſt paullo ita legitur in vulgatis exemplaribus: Εἶτα Τρουεντῖνος ποταμὸς, καὶ πόλις ἐπώνυμος. εἶτα καὶ Τρουνόουν, καὶ ὁ Μακρῖνος ποταμός. Mendum heic evidentiſſimum doctiſſimus Strabonis commentator ita purgare conatus eſt; εἶτα Κηστρουμνόουον. Verùm ego malim totam vocem Latinè formatam Καστρουμνόβουμ. ſic namque eodem libro anteà dixit Νοβουμκώμουμ· quod Latinis erat *Novum Comum*. ſic item eodem libro Etruriæ opidum ſcripſit Αἴκουμ Φαλίσκουμ· quod erat *Aequum Faliſcum*; ut ſuprà huius libri II cap. III docui. De cætero ſitus *Caſtri Novi* ex Itinerariis maximè perſpicitur. ea ſic habent:

Antonini;		Antonini;		Antonini;		Tabulæ;		Tabulæ;	
Troento civitas		*Caſtro Truentino*		*Caſtro Truentino*		*Caſtro Truentino*			
Caſtro Novo	XII.	*Caſtro Novo*	XII.	*Caſtro Novo*	XII.	*Caſtro Novo*	....	*Caſtro Novo*	
Aterno civitas	XXIIII.	*Adriæ*	XV.	*Hadriæ*	XV.	*Hadria*	XII.	*Macrinum*	XVIII.

A Truenti oſtio juſta XII millia paſſuum, quæ tribus itineribus refert Antonini itinerarium, hodiè numerantur ad oſtium usque Batini ſive, uti nunc vocatur, Turdini amnis. nempe, III ad Albulaten usque. inde VI ad Salinellum ſive Heluinum. hinc III ad Turdinum. Ad huius oſtium, dextro amne viſuntur hodiè antiquæ urbis magna veſtigia, cum egregio Chriſtiani operis templo: cui loco vulgare nunc nomen *Flaviano*. Millia verò hinc ſunt ad Matrini ſive Plumbæ oſtium XVI: pro quibus Tabulæ iter habet XVIII. ad Hadriam autem ſunt XV; ut Antoninus duobus habet itineribus. in tertio puto anteà fuiſſe XIIII; quæ corrupta in XXIIII. *Coloniam* à Romanis huc deductam, teſtantur Velleius Paterculus & Livii breviator. Paterculus lib. I: *Initio primi belli Punici Firmum & Caſtrum colonis occupata.* Bellum hoc cœpit Ap. Claudio Caudice & M. Fulvio Flacco conſulibus; anno urbis Romæ CCCCLXXXVIIII; ante Chriſtum natum anno CCLXIIII. At XXV annis antiquior fuerit hæc colonia, ſi Livio ſimul atque Polybio credimus. Livii epitomator lib. XI: *Curius Dentatus conſul, Samnitibus cæſis, & Sabinis, qui rebellaverant, victis, & in deditionem acceptis, bis in eodem magiſtratu triumphavit. Coloniæ deductæ ſunt, Caſtrum, Sena, Hadria.* M'. hic Curius Dentatus conſulatum geſſit cum P.

Cornelio

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Cornelio Rufino anno urbis Romæ CCCCLXIII. Senones Gallos eum tunc viciſſe, coloniamque Senam mox fuiſſe deductam, teſtis eſt Polybius lib. II; ut ſuprà cap. V. in Vmbris oſtenſum. Verùm enimverò, quia à P. Sempronio Sopho demum & Ap. Claudio Craſſo conſulibus, ut ſuprà hoc capite monſtratum, id eſt, quadriennio antè initium belli Punici primi, Picentes devicti ſunt, haud dubiè poſt hoc bellum coloniæ deductæ fuêre in eorum agrum *Caſtrum* & *Hadria*.

Atque litore Piceni hactenus expoſito, reliquum eſt, uti mediterranea eius quoque dicantur. Primum igitur ab Aeſi amne atque Anconâ occurrit AVXIMVM *opidum*, apud ſuprà dictum Miſionem amnem, vulgò nunc *Oſimo* & *Oſmo* dictum. Meminêre eius, Cæſar, Livius, Strabo, Paterculus, Plinius, Lucanus, Plutarchus, Ptolemæus, Tabula itineraria, Procopius, & hinc alii. Vocabulum eius apud Livium lib. XLI & XLII, locis plurimis mendis ſcatentibus, vitiatum legitur *Oximum:* & in Tabulâ *Auſimum:* unde in libro Balbi de Limitibus provinciæ Piceni ſunt *Auſimates*; qui Cæſari Civil. bel. lib. I, & Plinio lib. III cap. XIII, & inſcriptionibus antiquis, ſunt AVXIMATES. Procopio Gothicar. lib. II, more eius ſæculi formatur Αὔξιμος, *Auximus*; ut pleraque alia opidorum vocabula, quæ antiquitus erant neutri generis. Apud Strabonem, dicto lib. V, neſcio an ſatis rectè ſit diphthongus ου in ſecundâ ſyllabâ, Αὔξουμον· quando omnes alii Græci auctores, Procopius, Ptolemæus, & Plutarchus in Pompeio, habent ι, Αὔξιμον, & ita cuncti pariter cùm auctores Latini tùm lapides antiqui, *Auximum*. Lucanus lib. II metri causâ Græcam uſurpavit formationem, in hoc verſu:

—— Vt admotæ pulſarunt Auximon alæ.

Coloniam factam Romanorum, præter complureis antiquas inſcriptiones, quæ heic exſtant, auctor eſt Paterculus lib. I. *Auximum*, inquit, *in Picenum miſſi coloni abhinc annos fermè* CCLXXXVII, *ante triennium quàm Caſſius cenſor à Lupercali in Palatium versùs theatrum facere inſtituit. cui in demoliendo eximia civitatis ſeveritas & conſul Cæpio reſtitêre.* Deducta igitur colonia Auximum Ser. Sulpicio Galbâ & L. Aurelio Cottâ conſulibus; id eſt, anno urbis Romæ IↃCVIII; ante natum Ieſum anno CXLIIII; nam triennio pòſt fuêre conſules Cn. Servilius Cæpio & Q. Pompeius Rufus; annis CLXXXV ante conſulatum T. Statilii Tauri Carvilii & M. Vinicii Quartini: cui in hoc conſulatu hiſtorias ſuas inſcripſit Paterculus. *Municipium* etiam aliquando fuiſſe, teſtatur lapis, in quo memorantur AVXIMAT · MVNICIPES. Cæterùm de ſitu, magnitudine, atque dignitate huius urbis ita tradit Procopius dicto Gothicar. rer. lib. II: Αὔξιμος ἡ πασῶν μεγίστη τῶν ἐκεῖ πόλεών ἐστιν. Id eſt: *Auximus omnium in his oris maxima eſt urbs.* Et poſteà: Αὔξιμος ἡ αὕτη μὲν πρώτη τῶν ἐν Πικηνοῖς πόλεών ἐστιν· ἣν δὴ μητρόπολιν καλεῖν νενομίκασι τοῦ ἔθνους Ῥωμαῖοι. ἀπέχει δὲ ἀκτῆς μὲν κόλπου τοῦ Ἰονίου σταδίους τέσσαράς τε καὶ ὀγδοήκοντα μάλιστα. κεῖται δὲ ἐπὶ λόφου τινὸς ὑψηλοῦ, ἔσοδον ἐν τῷ ὁμαλῷ οὐδαμῆ ἔχουσα, καὶ ἀπ᾽ αὐτοῦ ἀπρόσοδος τοῖς πολεμίοις παντάπασιν οὖσα. Hoc eſt: *Vrbs hæc Auximus princeps eſt urbium Piceni: quam caput gentis Romani vocant. Abeſt ab litore ſinus Ionii ſtadia* LXXXIIII. *ſitaque in edito colle, aditum habet in plano nullum: eóque hoſtibus prorſus inacceſſa eſt.* Quando tandem caput facta ſit Piceni, haud equidem reperio. antiquis temporibus eâ dignitate fuiſſe Aſculum, mox infrà patebit. Abeſt Auximum ab Anconâ millia paſſuum fermè XI.

Inter Auximum & Apennini ſumma juga eſt opidum vulgari nunc vocabulo *Cingolo*. id Cæſari ac Ciceroni dicitur CINGVLVM: & opidani inde Plinio dicto lib. III cap. XIII CINGVLANI. Cicero ad Atticum lib. VII epiſt. XII: *Cingulum nos tenemus; Anconem amiſimus.* Originem atque conditorem eius oſtendit Cæſar Civil. bel. lib. I. *Auximo*, inquit, *Cæſar progreſſus, omnem agrum Picenum percurrit. Cunctæ earum regionum præfecturæ libentiſſimis animis eum recipiunt; exercitumque eius omnibus rebus juvant. etiam Cingulo (quod opidum Labienus conſtituerat, ſuâque pecuniâ exædificaverat,) ad eum legati veniunt; quæque imperârit, ſeſe cupidiſſimè facturos pollicentur. Milites imperat. mittunt.* Hinc Silius lib. X; in hiſtoriâ pugnæ Cannenſis:

——— Labienus & Ocris
Sternuntur lethò atque Opiter; quos Setia colle
Vitifero, celſis Labienum Cingula ſaxa
Miſerunt muris.

Poterat equidem Silius ex eo, qui poſteà Cingulanus dictus, fingere agro hunc

AVXIMVM, *colonia & municipium.*

CINGVLVM *opidum.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Labienum. at ipſum opidum Cæſaris demum tempeſtate conditum ab eo T. Labieno, qui Cæſari fuit legatus in bello Gallico.

SEPTEMPEDA *municipium.*

Cæterùm itinera apud Antoninum deſcribantur per Picenum huiusmodi:

Nucerie			
Dubios	VIII.	*Septempeda*	
Prolaqueo	VIII.	*Vrbe Salvia*	XII.
Septempeda	XVI.	*Firmum*	XVIII.
Trea	VIIII.	*Aſcolo*	XX.III
Auximum	XVIII.	*Caſtro Truentino*	XX
Ancona	XII.		

Hoc ſcilicet illud eſt iter, quod innuit Tacitus Annal. lib. III: ubi, *Piſo*, inquit, *Dalmatico mari tramiſſo, relictisque apud Anconam navibus, per Picenum, ac mox Flaminiam viam, adſequitur legionem, quæ è Pannoniâ in Vrbem ducebatur*. Prima heic in Flaminiâ viâ erat *Nuceria Camellaria*; quæ unà cum *Prolaqueo* ad Vmbros pertinebat; ut ſuprà in Vmbriæ deſcriptione perſpectum. Eſſe autem *Prolaqueum* opidum nunc *Pioraco*, haud longè à Potentiæ fluminis fonte, ibidem oſtenſum eſt. Ab hoc igitur opido ad XVI millia paſſuum juxta dextram Potentiæ ripam ſi progrediare, incides in opidum, cui vulgaris nunc adpellatio *San Severino*. id ex eo intervallo, ſimulque ex itineris ductu, deprehendo eſſe idem, quod Antonino & Straboni ac Ptolemæo vocatur Σεπτέμπεδα, SEPTEMPEDA. unde Plinio eodem lib. III cap. XIII in Piceno opidani SEPTEMPEDANI. Sed & XII millia, quæ in altero itinere Antoninus habet inter *Septempedam* & *Vrbem Salviam*, quæ nunc eſt *Vrbiſaglia*, huic loco congruunt. His documentis adde inſuper & Romani Martyrologii teſtimonium; in quo ita ſcriptum: *Quinto Idus Maii, in Piceno apud Septempedanos, S. Illuminati confeſſoris*. Huius reliquias colunt Sanctoſeverinates in monaſterio divi Mariani. Idem Martyrologium: *Sexto Kalend. Sept. in Piceno, apud Septempedanos, S. Margaritæ viduæ*. De huius etiam dictis factisque commentarios adſervanr apud ſe Sanctoſeverinates. *Municipium* aliquando fuiſſe, teſtatur antiqua inſcriptio, quæ in viciniâ apud opidum Fabrianum exſtat: in qua hæc leguntur verba: MVNICIPI· SEPTEMP· & item alia, quæ Romæ viſitur: in qua memoratur ORDO · SEPTEMPEDANORVM.

TREIA *municipium.*

Quod opidum in præſcripto Antonini itinere inter Septempedam & Auximum legitur TREA, haud dubiè vero genuinoque nomine ab initio fuit TREIA. namque opidani inde ſunt in lapidis inſcriptione TREIENSES: qui apud Plinium dicto lib. III cap. XIII leguntur corrupto itidem vocabulo *Triacenſes*. Sed & apud Ptolemæum eadem Piceni urbs vitiato nomine eſt Τραϊάνα, *Traiana*. quod equidem ex Plinio reſtitui poſſe videbatur unius characteris emendatione in Τραϊάκα· & ex hoc apud Plinium *Traiacenſes*: niſi tam probè nomen loci apud Antoninum, &, qui fide longè dignior, in lapide exprimeretur. Huc adde, quòd etiam in Frontini libro de Coloniis legitur *Treenſis ager*. Lapis antiquus hæc habet:

ORDO · ET · PLEBS · TREIENS
PATRONO · MVNICIPI

Fortè igitur nomen eius ab initio fuit Τραία, TRAIA. quod poſtmodùm, mutato α in confine η, factum Τρηΐα, TREIA. ac tandem TREA. Situm eius nullo pacto diſpicere poſſum; quando nec opidi nec nominis veſtigium aliquod inter Septempedam & Auximum adparet; & numeri millium apud Antoninum id intervallum excedunt.

VRBS SALVIA *opidum.*

At VRBS SALVIA hodiéque vulgò dicitur *Vrbiſaglia*; haud procul Cluenti amnis dextrâ ripâ. Memoratur Plinio, Ptolemæo, Itinerariis, Balbo, Procopio. Plinius dicto lib. III cap. XIII: *Ricinenſes, Septempedani, Tollentinates, Triacenſes, cum Vrbe Salviâ, Pollentini*. Balbus in libro de Limitibus provinciæ Piceni: *Ager Vrbis Salvienſis, limitibus maritimis & montanis, lege triumvirali*. Opidani haud dubiè inde dicebantur VRBISALVIENSES. unde poſtmodùm, ſemibarbaro jam

ſæculo.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

ſæculo opidum etiam dictum unicâ voce *Vrbiſalvia:* ac tandem Οὐρβισαλία, *Vrbiſalia*; ut Procopius habet Gothicar. rer. lib. II. apud quem conſimili modo in iisdem Gothicis ſæpiùs leguntur Οὐρβιβεντὸς, *Vrbiventus*, & Κεντεκέλλαι, *Centucellæ*; quæ anteà erant *Vrbs vetus* & *Centum cellæ*: & item in Vandilicis Ἱπποῤεγίον, *Hipporegium*; Africæ urbs; quæ antè dicebatur *Hippo Regius*. Nec tamen illa detorſio vocabuli poſterioribus demum temporibus fieri cœpit. namque jam inde Ptolemæo dicitur Οὖρβα Σαλεΐα, *Vrba Salvia*. Tabula itineraria ita refert:

Auſimo	
Ricina	XIIII.
Vrbeſalvia	XII.

Inter Vrbem Salviam & Septempedam ſive Severini fanum, *opidum* viſitur in lævâ Cluenti ripâ, TOLLENTINVM olim Romanis, nunc vulgò incolis *Tollentino* dictum. Opidani inde Plinio dicto lib. III cap. XIII ſunt TOLLENTINATES; ut Balbo in præfato libro *Ager Tollentinas*. *Coloniam* aliquando atque item *municipium* fuiſſe, teſtantur lapides, qui ſic habent: TOLLENTINVM *opidum.*

1.

MAVORTI
ET
GENIO · COLONIAE

2.

MVNICIP · TOLLENTIN

At RICINA *opidum* Tabulæ & antiquo lapidi memoratum: à quo Plinio dicto lib. III cap. XIII ſunt opidani RICINENSES; hodiè non extat. Fuiſſe circa nobile nunc opidum *Maceratam*, cùm itineris ductus intervallumque XIIII millium paſſuum, quæ Tabula habet ab Auximo ad Ricinam, tum vetus inſcriptio teſtatur, apud Maceratam reperta, cuius hæc ſunt verba: RICINA, *colonia.*

C · SEPTIMIO · SEVERO
COS · III
COLONIA · HELVIA · RICINA
CONDITORI · SVO

Poſt Plinium igitur annis circiter CXX Severus imperator *coloniam* huc deduxit; anno à Chriſto nato CCII; quum conſulatum gererent Romæ, ipſe C. Septimius Severus tertium & Antoninus Baſſianus Caracalla primum.

Porrò haud procul à Tennæ fontibus veſtigia conſpiciuntur vetuſtæ urbis, quæ incolis vulgò dicitur *Falleroni*, & *Fallerioni*. antiquum huius nomen haud dubiè fuit FALERIONA. nam in Balbi libro de Limitibus provinciæ Piceni frequens fit mentio *agri Falerionenſis*. unde patet, opidanos inde adpellatos fuiſſe FALERIONENSES. Verùm ab initio opidum dictum fuit FALARIA, ſive FALERIA. unde opidani Plinio dicto lib. III cap. XIII ſunt FALARIENSES; veteri autem inſcriptioni, quæ heic reperta, FALERIENSES. Hæc eſt in tabulâ æneâ huiusmodi: FALERIA *ſive* FALERIONA *opidum.*

IMP · CAESAR · DIVI · VESPASIANI · F · DOMITIANVS · AVGVSTVS
PONTIFEX · MAX · TRIB · POTEST · IMP · II · COS · VIII DESIGNAT · VIIII
PP · SALVTEM · DICIT *
IIIIVIRIS · ET · DECVRIONIBVS · FALERIENSIVM · EX · PICENO · QVID · CONSTITVERIM · DE
SVBSICIVIS · COGNITA · CAVSA · INTER · VOS · ET · FIRMANOS · VT · NOTVM · HABERETIS
HVIC EPISTVLAE SVBIICI IVSSI *
P · VALERIO PATRVINO :::::::::::::::::: COS

Sed quum collega fuerit Domitiano imperatori in octavo conſulatu A. Voluſius Saturninus; nec ullus umquàm in imperio eius reperiatur conſul P. Valerius Patruinus; meritò aliquis tabulam hanc ceu adulterinam in dubium traxerit. Incolæ etiam ab dicto *Falleroni* opido alius opidi veſtigium, duo millia paſſuum ab illo diſtans,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

ſtans, monſtrant, cui nomen indidêre *Fállera*. Cæterò apud Appianum Civil. bellor. lib. I, in hiſtoriâ belli Italici, ita legitur; Περὶ δὲ τὸ Φάλερνον ὄρος Γναῖον Πομπήϊον Ἰουδακίλιος καὶ Τίτος Ἀφράνιος καὶ Πόπλιος Οὐεντίδιος, ἐς ταυτὸν συνελθόντες ἀλλήλοις, ἐτρέψαντο, καὶ κατεδίωκον ἐς πόλιν Φίρμον. Καὶ οἱ μὲν αὐτῶν ἐφ᾽ ἕτερα ᾤχοντο· Ἀφράνιος δὲ παρεκάθητο Πομπηΐῳ ἐς τὸ Φίρμον καταπεκλεισμένῳ. ὁ δ᾽ αὐτίκα μὲν ὁπλίζων σὺν τοῖς ὑπολοίποις, ἐς χεῖρας οὐκ ᾔει· προσελθόντος δὲ ἑτέρου στρατοῦ, Σουλπίκιον περιέπεμπεν ὀπίσω τοῦ Ἀφρανίου γενέσθαι· καὶ αὐτὸς κατὰ μέτωπον ἐπῄει. Γενομένης δ᾽ ἐν χερσὶ τῆς μάχης, καὶ πονουμένοιν ἀμφοῖν, ὁ Σουλπίκιος ἐνεπίμπρη τὸ τῶν πολεμίων στρατόπεδον· καὶ τοῦθ᾽ οἱ πολέμιοι καὶ ἰδόντες, ἐς Ἄσκλον ἔφυγον. Πομπήϊος δὲ καὶ τὸ Ἄσκλον ἐπελθὼν ἐπολιόρκει. Id eſt: *At circa Falernum montem Iudacilius & Titus Afranius ac P. Ventidius conjunctis copiis exercitum Cn. Pompeii fuſum fugatumque intra Firmum compulerunt. ad cuius obſidionem Afranio relicto, reliqui duo in diverſa abeunt. Pompeius, his, qui cladi ſupererant, denuo armatis, à pugnando abſtinuit. adventante autem alio exercitu, Sulpicium, per devia miſſum, juſſit Afranii terga invadere. ipſe à fronte eum adortus eſt. Quumque dubio Marte certaretur; Sulpicius incendit caſtra hoſtium. quo viſo, illi ſe receperunt intra Aſculum. Pompeius opidi oppugnationem inſtituit.* Idem bellum ita refert Oroſius ſuprà dicto lib. V cap. XVIII: *Cn. Pompeius Picenteis gravi prælio fudit.* Mox: *Cn. Pompeio & L. Porcio Catone conſulibus, Pompeius diu obſedit Aſculum: nec tamen expugnaſſet, niſi populum, in campum prorumpentem, graviſſimâ oppreſſione viciſſet.* Statim: *Eâdem die Picentes congreſſi & victi ſunt. quorum dux Iudacilius, convocatis principibus ſuæ gentis, poſt magnificas epulis largaque pocula, cunctos ad exemplum ſuum provocans, hauſto veneno abſumptus eſt.* Exiguo pòſt: *Marrucini Veſtinique, Sulpicio, legato Pompeii, perſequente, vaſtati ſunt. Pompædius & Obſidius, Italici imperatores. ab eodem Sulpicio apud flumen Tennam horribili prælio oppreſſi & occiſi ſunt. Pompeius Aſculum ingreſſus, præfectos, centuriones, cunctosque principeis eorum virgis cecîdit, ſecurique percuſſit.* Niſi, rei geographicæ parum peritum fuiſſe Appianum, ſcirem, mendum his vocibus τὸ Φάλερνον ὄρος ineſſe ſuſpicarer. nam *Faleriam* opidum, apud *Tennam* flumen ſitum, heic intelligendum eſſe, ſatis clarè ex Oroſii narratione perſpicitur. *Falernus* erat *ager* in Campaniâ, generoſo vino celebratiſſimus; ut infrà ſuo loco docebitur. hunc poſteà per ſummam ignorantiam grammatici auctorum interpretes putarunt eſſe montem. unde illud Servii ad Virgilii Γεωργικῶν lib. II: *Falernus, mons eſt Campaniæ; in quo optima vina naſcuntur.* Simile quid jam inde Appianum accepiſſe, vereor. Patet tamen ex eo vocabulo, jam tum, non *Falariam*, ut Plinii habent exemplaria, ſed *Faleriam* dictum fuiſſe id opidum.

ASCVLVM colonia & municipium.

ASCVLVM, *cognomine* PICENVM: ad diſcrimen *Aſculi Apuli*; vulgò nunc incolis vocatur *Aſcoli*, inſignis hodiéque urbs. Memoratur Cæſari, Ciceroni, Velleio, Straboni, Plinio, Lucano, Plutarcho, Appiano, Floro, Livii epitomatori, Ptolemæo, Itinerariis, Oroſio, Stephani epitomatori, & aliis. Cæſar Civil. bel. lib. I: *Intereà legio Duodecima Cæſarem conſequitur. cum his duabus Aſculum Picenum proficiſcitur.* At Græcis auctoribus, Straboni lib. V, Plutarcho in Pompeio, Appiano Civil. bellor. lib. I, ac Stephani epitomatori, duabus ſyllabis dicitur Ἄσκλον, *Aſclum*; quemadmodùm & *Tuſculum*, & virorum nomina, *Catulus*, *Lentulus*, *Proculus*, illis dicuntur Τοῦσκλον, Κάτλος, Λέντλος, Πρόκλος. Ptolemæus tamen, ut in plerisque aliis Romanam ſequutus formam, ſic Ἄσκουλον etiam & Τοῦσκουλον ſcripſit. Stephani breviator: Ἄσκλος, πόλις Ἰταλίας· Διονύσιος ἐν πρώτῳ Ῥωμαϊκῆς ἀρχαιολογίας. Ἔστι καὶ οὐδέτερον. τὸ ἐθνικὸν Ἀσκλίτης. Id eſt: *Aſclus, opidum Italiæ; auctore Dionyſio Romanar. antiquitat. lib. I. Dicitur etiam neutro genere. Gentilitium inde Aſclites.* Mendum apertum his verbis ineſt. nam Dionyſio lib. I nulla omnino erat occaſio nominandi *Aſculum*. Cæterùm opidani inde Latinis auctoribus, Ciceroni, Velleio lib. II, Plinio lib. VII cap. XLIII, Frontino Strategem. lib. III cap. XVII, & inſcriptionibus antiquis, ASCVLANI. Cicero in Bruto: *T. Betucius Barrus, Aſculanus: cuius ſunt aliquot orationes, Aſculi habitæ.* In orat. pro A. Cluentio: *Apud Aſculum.* Orat. pro L. Syllâ: *Eſt à materno genere municipalis; honeſtiſſimi ac nobiliſſimi generis; ſed tamen Aſculani.* Lucanus metri causâ fecit *Aſculeus*, lib. II:

—— Depellitur arce
Lentulus Aſculeâ.

De ſitu urbis ita Strabo dicto lib. V: Ἐν τῇ μεσογαίᾳ ἐστὶ τὸ Ἄσκλον Πικηνὸν, ἐρυμνότατον χωρίον,

χωρίον, ἐφ' ᾧ κεῖται τὸ τεῖχος καὶ τὰ περικείμενα ὄρη στρατοπέδοις οὐ βάσιμα. Id eſt: *In mediterraneo eſt Aſculum Picenum, locus, in quo mœnia condita, naturâ munitiſſimus, & montium cinctus jugis, exercitibus inacceſſis.* Dignitatem eius indicarunt Plinius maximè atque Florus. quorum hic lib. I cap. XVIIII: *Domiti Picentes, & caput gentis Aſculum.* Plinius lib. III cap. XIII: *Cupra opidum; Caſtellum Firmanorum; & ſuper id colonia Aſculum, Piceni nobiliſſima.* Certè non *Aſculum*, ſed *Firmum* nominaſſe debuit *ſuper Caſtellum Firmanorum.* longiùs aberat Aſculum. At quia Firmum quaſi alterum erat caput gentis Picenæ; errorem ea res ei præbuit. *Coloniam* fuiſſe Aſculum, lapis etiam teſtatur, qui Romæ eſt, cum his verbis:

DECVRIONES · ET · PLEBS · COLONIAE
ASCVLANORVM

Item alius, qui Fiſis exſtat:

PATRONVS · COLONIAE · ASCVLANORVM

Municipium etiam fuiſſe, auctor eſt Cicero in ſuprà dictâ oràtione pro L. Syllâ.

Cæterum itinera in Tabulâ viſuntur iſta: PAVSVLAE *opidum.*

Aſclo Piceno		*Firmo Piceno*	
Pauſulas	XIIII.	*Pauſulas*	XV.
	Potentia	VIIII.	

Ab hoc opido, cui nomen heic PAVSVLAE, opidani Plinio dicto lib. III cap. XIII dicuntur PAVSVLANI. & in libro Balbi de Limitibus agrorum provinciæ Piceni memoratur *ager Pauſulenſis.* Situs opidi paullo obſcurior diſpectu eſt; quando numeri in præſcripto itinere corrupti eſſe deprehenduntur. namque inter Aſculum & Potentiæ amnis oſtium XXXV circiter ſunt millia paſſuum. Inter Firmum & idem fluminis oſtium quum XXIII fermè deprehenderim millia; ubi in Tabulâ ſunt XXIIII; numerum VIIII millium inter *Pauſulas* & *Potentiam* haud perinde vitiatum eſſe, inde adparet. Ex hoc igitur VIIII millium documento Pauſulæ eo ſitu fuiſſe intelliguntur, ubi nunc opidum conſpicitur vulgari adpellatione *Cività nuova.* quod ex ruinis Pauſularum ortum, crediderim.

Porrò Ptolemæo in mediterraneis Piceni eſt opidum Κύπρα Μοντάνα, CVPRA MONTANA: unde Plinio dicto loco Piceni opidani ſunt CVPRENSES, *cognomine* MONTANI. Cognomen hoc opido inditum fuiſſe ad diſcrimen alterius, quod in litore dicebatur *Cupra Maritima*, ſuprà dixi. Ex huius igitur ſitu colligo, *Montanam* fuiſſe in proximis montium jugis. Quum variæ ſint doctorum virorum de eius loco opiniones, Ligorii maximè placet ſententia: qui id vult eſſe opidum, quod ſupra Cupram Maritimam, ſive, ut nunc vocatur, *Le Grotte*, montanâ regione edito colli impoſitum, vulgari adpellatione eſt *Ripa Tranſone*, epiſcopali dignitate nobile. CVPRA MONTANA *opidum.*

Supra hoc opidum aliud eſt epiſcopali ſede itidem inſigne opidum, vulgò *Monte di Nove* dictum. id ex ſitu inter Aſculum & Cluanam ſive Cluenti amnis oſtium, ac nomine ipſo videtur eſſe Plinii NOVANA. Verba eius dicto lib. III cap. XIII hæc ſunt: *Cupra opidum; Caſtellum Firmanorum: & ſuper id colonia Aſculum, Piceni nobiliſſima. intus Novana. in orâ Cluana, Potentia, Numana.* NOVANA *opidum.*

De cætero POLLENTIA quoque fuit opidum mediterraneum in Piceno; unde opidani dicuntur Plinio eodem loco POLLENTINI. Poſtquàm litus expoſuit, atque in eo etiam *Potentiam*; *Intus*, inquit, *Auximates, Beregrani, Cingulani, Cuprenſes, cognomine Montani: Falarienſes, Pauſulenſes, Pleninenſes, Ricinenſes, Septempedani, Tollentinates, Triacenſes, cum Vrbe Salviâ, Pollentini.* Id miror, quum omnia reliqua certo alphabeti ordine expoſuerit, poſt *V* tandem eum ſubjicere iterum *P* in *Pollentinis.* Sed negligentiæ hoc tribuendum Plinii; quando, fuiſſe in Piceno *Pollentiam*, etiam ex Frontino atque Balbo conſtat. Apud hunc equidem in libro de Limitibus agrorum provinciæ Piceni ſic in vulgatis hactenus exemplaribus legitur: *Ager Spoletinus in jugeribus & limitibus intercifivis eſt adſignatus. ubi cultura centuriarum in abſoluto eſt. Reliquum in montibus ſuo ipſo jure cenſuerunt. nam & multa* POLLENTIA *opidum.*

loca

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

loca hereditario jure accepit eius populus. Mox deinde *agri Vrbiſalvienſis*, *Tollentinas*, *Anconitanus*, *Auximas*, *Firmanus*, *Senigallienſis*, *Potentinus*, *Ricinenſis*, *& Pauſulenſis*, recenſentur. At in alio libello, qui vulgò Frontini nomini tribuitur; putaturque idem eſſe, quem de Coloniis compoſuit, ita ſcriptum eſt: *Pauſulenſis ager per limites in centuriis ſingulis jugera* CC *eſt adſignatus. finitur ſicut ager Aſculanus. Potentinus ager eâ lege finitur, quâ & Pauſulenſis. Potentinus ager in jugeribus & limitibus interciſivis eſt adſignatus. ubi cultura centuriarum in abſoluto remanſit. reliqua in montibus cenſuerunt. & multa loca hereditaria accepit eorum populus*. Eadèm ſanè verba duobus ſatis diverſis opidorum agris *Spoletino* & *Potentino* parum rectè tribuuntur. nec *Spoletium* umquàm cenſitum fuit in Piceno: nec de uno eodemque *Potentino* agro rem diverſam auctor narrare voluit. Proinde alterum illud vocabulum *Potentinus*, ſimul ex illo *Spoletinus* ſimulque ex Plinii præſcripto loco rectè correxeris in *Polentinus*; quod ab initio erat *Pollentinus*. nam à *pollendo* hoc opidorum nomen deductum, ſuprà lib. I cap. X, in Liguribus docui. At ſitus huius *Pollentiæ* nullus umquàm certus monſtrari poterit; quando nulla alia eius apud auctores exſtat mentio. Eſt equidem inter Firmum & Civitatem Novam opidum S. Elpidii, quod vulgò dicitur *S. Elpidio*, & plerumque *S. Lupidio*: apud quod antiquarum fabricarum quædam viſuntur veſtigia, & item inſcriptiones antiquæ. verùm id cur potiùs *Pollentia*, quàm alterum illud Plinii opidum PLENINA, à quo opidani PLENINENSES, mihi eſſe videatur, hæc una eſt ratio, quòd *Pollentia*, ut adparet ex libris de Limitibus, dignitate ſuperaverit *Pleninam*. In re itaque tam incertâ nihil adfirmo.

Cæterò iter ex Sabino agro per Picenum deſcribitur in Itinerariis huiusmodi:

Tabulæ		Antonini;	
Reate		*Reate*	
Aquæ Cutiliæ	VIIII.	*Cutilias*	XVIII.
Interocrio	VII.	*Interocrio*	VI.
Foroecri	XII.		
Palacrinis	IIII.	*Falacrino*	XVI.
		Vico Badies	VIII.
Ad Martis	XVI.		
Surpicano	VII.		
		Ad Centeſimum	X.
Ad Aquas	IX.		
Aſclo Piceno	X.	*Aſclo*	XII.

SVRPICANVM *locus*.

Ex his *Falacrinum*, cum omnibus locis præcedentibus, Sabini fuiſſe agri, ſuprà cap. VIIII oſtenſum eſt. A Falacrino, (quod opidum nunc vulgò dicitur ad Truentum flumen *Amatrice*) quum XXX haud ampliùs ſint millia paſſuum ad Aſculum; ut habet Antoninus; in Tabulâ nonnullos numerorum eſſe corruptos, certum eſt. atque ideò fieri minimè poteſt, uti certus ſitus locorum AD MARTIS atque SVRPICANI indicetur. Quamquàm locum *Ad Martis* in Vmbris fuiſſe, mea ſit ſententia: conturbatoque ab exſcriptoribus toto hoc Tabulæ tractu, in hoc iter irrepſiſſe; ut ſuprà cap. VII in Vmbris docui. Tertius autem iſte locus AD AQVAS hodiéque X millia paſſuum ab Aſculo apud Truentum amnem celebris eſt. Ab his aquis duo millia paſſuum versùs Amatricem opidum fuit locus ille AD CENTESIMVM, ſcilicet LAPIDEM ab urbe Româ. At VICVS ille, cui vitiatum cognomentum adpoſitum *Badies*, circa opidum fuit, cui vulgare nunc vocabulum *Acumulo*.

AQVAE CALIDAE.

AD CENTESIMVM, *locus*.

PITINVM *opidum*.

Alterum porrò iter in Tabulâ itinerariâ ex eodem Sabino agro ab Interocrio opido in proximum deducitur Picenum agrum huiusmodi:

Interocrio	
Fiſternas	X.
Erulos	III.
Pitinum	VII.
Priſerno	XII.
Amiternus	XII.

Et ab

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Et ab eodem *Priſerno* ad dextram aliud porrò deflectit iter in hunc modum:

Priſerno	
Aveia	VII.
Fruſtemas	II.
Alba	XVIII.
Marrubio	XIII.
Sublatio	....

Quum inter Interocrium & Amiterni veſtigia VIII haud ampliùs intercedant millia paſſuum; ut ſuprà cap. VIIII in Sabinis oſtenſum; ingens ſanè priori itinere factus eſt circuitus per millia XLIIII, ſi numeri heic omnes ſani atque incorrupti ſint. Quorum autem locorum fuerint nomina iſta interjecta, minimè liquet; quando nullus alius auctor ea memorat: niſi, quòd PITINVM circa Vomani fonteis referre videtur Plinius ſuprà dicto lib. II cap. CIII; ubi ſic ſcriptum eſt: *In agro Pitinate, trans Apenninum, fluvius Novanus omnibus ſolſtitiis torrens, brumâ ſiccatur.* Hic *fluvius Novanus* quum nullibi aliàs legatur apud auctores, quumque *Pitinum* opidum circa hæc loca fuerit; magnum ſanè inde colligitur argumentum, legendum eſſe, *fluvius Vomanus*: circa cuius fonteis fuerit id opidum; quà nunc opidulum conſpicitur vulgari vocabulo *Fano*. Numeros millium utroque itinere eſſe corruptos, omnino oportet; quando per exiguum terræ ſpacium verſata ſunt. maximè tamen prius; inter Interocrium & Amiternum. alterum per Veſtinorum *Aviam*, quæ haud procul *Aquilâ* fuit, tum Marſorum *Albam* atque *Marruvium*, ad Aequorum *Sublaqueum* duxit. *Priſernum* opidum quum & hoc tractu & totâ reliquâ Italiâ nullum fuerit; facilè ſuſpicer, ex Vmbriâ per ſummum errorem huc tranſpoſitum fuiſſe ab initio *Tiferni* nomen: ſcilicet, quia huic etiam in Vmbriâ finitimum fuit *Pitinum* quoddam opidum; de quo ſuprà cap. VI huius libri II actum.

Atque hactenus priſci Piceni loca ad Heluinum usque amnem explicuimus. Reliquum eſt, uti ea etiam dicantur, quæ trans Heluinum ad Matrinum usque flumen ſub Romanis equidem imperatoribus eidem Piceno attributa fuerunt; ut ſuprà ex Strabonis maximè patuit geographiâ: anteà verò populi tenuerunt à Picentium nomine planè alieni: quorum alteri auctoribus adpellantur PRAETVTII, & regio eorum PRAETVTIANVS *ager:* alteri HADRIANI, à capite ſuo *Hadriâ* opido; regioque eorum HADRIANVS *ager*. Plinius lib. III cap. XIII: *Tenuêre Picentes ab Aterno amne; ubi nunc ager Hadrianus, & Hadria colonia: flumen Vomanum; ager Prætutianus Palmenſisque. item Caſtrum Novum, flumen Batinum; Truentum cum amne. quod ſolum Liburnorum in Italiâ reliquum eſt. flumina, Albulates, Suinum, Heluinum; quo finitur Prætutiana regio: & Picentium incipit. Cupra opidum: Caſtellum Firmanorum.* Ptolemæus, qui magnus ubique turbator, *Hadriam* Piceno adſcribit: *Prætutios* verò, medios inter reliquum Picenum & Hadrianum agrum, ſingularem facit gentem, ab omni Picentium nomine exemptam. Πικηνῶν, inquit, μεσόγειοι πόλεις, Οὔρβα Σαλουία, Σεπτέμπεδα, Κούπρα Μοντάνα, Φίρμον, Ἄσκλον, Ἀδρία. Πραιτουττίων, οἵ εἰσιν ἀνατολικώτεροι Μαρσῶν, Βέρετρα, Ἰντεράμνια. Οὐεστινῶν, οἵ εἰσιν ἀνατολικώτεροι Πραιτουττίων, Πίννα, Ἀουία. Id eſt: *Picenorum mediterranea opida ſunt, Vrba Salvia, Septempeda, Cupra Montana, Firmum, Aſculum, Hadria. Prætutiorum, qui Marſis ſunt orientaliores, Beretra, Interamnia. Veſtinorum, qui orientaliores ſunt Prætutiis, Pinna, Avia.* Fuiſſe re verâ gentem à Picentibus alienam *Prætutios*, ex aliis etiam conſtat auctoribus. Livius lib. XXII: *Hannibal recto itinere per Vmbriam usque ad Spoletium venit. inde in agrum Picenum avertit iter.* Mox: *Vbi ſatis quieti datum, profectus, Prætutianum Hadrianumque agrum, Marſos inde Marrucinosque & Pelignos devaſtat, circaque Arpos & Luceriam proximam Apuliæ regionem.* Ad Marſos an deflexerit, neſcio. rectiùs videtur hoc iter eius tradidiſſe Polybius lib. III. Διελθὼν δὲ, inquit, καὶ καταφθείρας τήν τε Πραιτουττιανὴν καὶ τὴν Ἀδριανὴν, ἔτι δὲ καὶ τὴν Μαρρουκίνην καὶ Φρεντανὴν χώραν, ὥρμησε ποιούμενος τὴν πορείαν ὡς ἐπὶ τὴν Ἰαπυγίαν. Id eſt: *Vbi pertranſiit devaſtavitque Prætutianum Hadrianumque agrum. necnon Marrucinorum & Frentanorum, in Apuliam versùs profectus eſt.* Iterum Livius lib. XXVII: *Præmiſſi per agrum Larinatem, Marrucinum, Frentanum, Prætutianum, quà exercitum ducturus erat.* Et ex Livio Silius lib. XV:

PRAETVTII, populi.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Quâque jacet ſuperi Larinas adcola ponti;
Quà duri bello gens Marrucina, fidemque
Exuere indocilis ſociis Frentanus in armis;
Tum quà vitiferos domitat Prætutia pubes,
Læta laboris, agros; & pennâ & fulmine & undis
Hibernis & Achæmenio velocior armis
Evolat.

Falſum igitur eſt, quod Plinius præſcripto loco ait: *Tenuêre Picentes ab Aterno amne; ubi nunc ager Hadrianus & Hadria colonia, ager Prætutianus Palmenſiſque.* Imô è contrario Prætutii tenebant & Hadriani agros Heluinum inter & Matrinum amneis; qui poſtmodùm Piceni titulo adjecti. Idem Plinius cap. XIIII ſic ſcribit: *Iungitur Picentibus Sexta regio; Vmbriam complexa agrumque Gallicum circa Ariminum. Ab Anconâ Gallica ora incipit, Togatæ Galliæ cognomine. Siculi & Liburni plurima eius tractus tenuêre; in primis Palmenſem, Prætutianum, Hadrianumque agrum. Vmbri eos expulêre; hos Etruria; hanc Galli.* Hæc certè ſatis tumultuariè. Sextam Italiæ regionem profitetur ſe dicturum hoc cap. XIIII, quæ Vmbriam complectatur & agrum Gallicum Ariminum inter & Anconam; quæ pars quondam Vmbriæ fuerat; &, expulſis inde Gallis Senonibus, eidem Vmbrorum nomini reſtituta fuit. nihilo minùs tamen extra huius Vmbriæ ſive Sextæ regionis fineis, adeóque ultra Picentium nomen, memorat *Hadrianum Prætutianumque* & *Palmenſem* agros; quos olim *Liburni Siculi*que tenuerunt. Verùm nimio compendii ſtudio, de quo ſuprà etiam cap. V in Vmbris dixi, adeò obſcuram reddidit orationem ſuam Plinius, uti etiam falſus hac in parte videri poſſit auctor. Nempe hoc mente conceperat: Sextam regionem complecti partem Galliæ Togatæ inter Ariminum & Anconam: à qua urbe initium ducebat Gallia Togata, ad Alpeis usque protenſa. loca verò circa Anconam tenuiſſe quondam Siculos atque Liburnos: ſed hos *plurima* extra Sextam regionem ſive Vmbriam: *Palmenſem* ſcilicet & *Prætutianum Hadrianumque agrum*. At verò ab Vmbris pulſos fuiſſe his agris Liburnos, non magis, meherclè, credo, quàm Vmbros ab Etruſcis, hos ab Gallis: quod & ipſum nimiâ brevitatis cupiditate opidò quàm tumultuariè pronunciavit Plinius: quum Vmbros Etruſci pepulerint eâ regione, quam ab initio ad mare inferum inter Arnum & Tiberim amneis incoluerunt illi; Galli autem Etruſcos ex regione Circumpadanâ: ut ſuprà cap. I & IIII huius libri II, & item lib. I cap. XXII oſtenſum eſt. Atque hac nimiâ feſtinatione etiam rem veram penè perdidit Plinius. quidpe falſum quidem erat, à Gallis Etruſcos Prætutiano Hadrianoque agro fuiſſe ejectos. at Etruſcos aliqua huius tractus loca quondam tenuiſſe, haud perinde erat fabuloſum. ſic enim Strabonem ſuprà audivimus loquentem lib. V: Ἐφεξῆς ᾗ τὸ τῆς Κύπρας ἐστὶν ἱερὸν, Τυῤῥηνῶν ἵδρυμα καὶ κτίσμα. Id eſt: *Inde Cupræ eſt fanum, ab Etruſcis conditum dedicatumque.* Credibile ſanè eſt, eosdem Etruſcos *Hadriam* quoque opidum inter Vomanum Matrinumque flumina condidiſſe; nomine ei à celeberrimâ ſuâ, quam ad Padi oſtia antè deduxerant, *Hadriâ* coloniâ impoſito: ſcilicet, quia hinc cum claſſe profecti, orâ illâ circa Cupram & Vomani Matrinique oſtia potiti erant. Cuius generis fuerint *Prætutii*, haud facile dictu eſt. A *Liburnorum* nomine ac gente excludere eos videtur Plinius, dum *Truentum* opidum *ſolum Liburnorum in Italiâ reliquum eſſe* tradit: Ptolemæus verò *Beretram* & *Interamniam*, quarum hæc etiamnunc exſtat, Prætutiis tribuit. quamquàm hæc à Romanis demum in agro Prætutiano colonia deducta videtur ratione nominis Latini. Nomen eorum quod attinet; corruptum id hactenus legi apud Ptolemæum Πραιγούλιοι & Πραιγούτιοι, pro genuino Πραιτούτιοι, conſenſus reliquorum auctorum evincit. nam, quòd apud unum Frontinum in libro de Agrorum limitibus, & apud commentatorem eius Aggenum, *Præcutiani* leguntur, ne hoc quidem ſine mendo eſſe judico. Non tamen præfractè negaverim, inferiori ſæculo *Præcutios* dictos fuiſſe populos, & agrum eorum *Præcutianum*. quod grammatici exſcriptores in Frontino etiam & Ptolemæo ſic perſcripſerunt. De cætero diphthongum ου ipſum ſcripſiſſe Ptolemæum, haud dubium eſt; quando pleraque etiam alia in provinciis Romanis populorum opidorumque vocabula Romanâ formatione uſurpat. Ipſi Græci ε ſcripſerunt, Πραιτέτιοι· quo modo illis dicebantur Βρέττιοι, qui Latinis erant *Brutti*. Apud Polybium

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

bium præſcripto loco an ſatis ſine vitio in primâ ſyllabâ ſit eadem vocalis ε, pro qua omnes alii Græci pariter ac Latini auctores habent diphthongum αι, ſanè dubito. Stephani epitomator: Πραιτετία, χωρίον ἀπὸ τῆς Ἀδρία· ἧς ὁ οἰκήτωρ Πραιτετιανὸς καὶ Πραιτετιανή. Id eſt: *Prætutia, regio apud Hadriaticum mare; cuius incola Prætutianus & Prætutiana*. Certè neque Ptolemæo neque Silio incolæ huius regionis dicuntur *Prætutiani*; ſed *Prætutii*. Polybio verò eſt Πραιτετιανὴ χώρα· & ita Livio Plinioque *Prætutianus ager*. Quin tamen ipſa etiam regio dicta fuerit PRAETVTIA, haud temerè negaverim; quando vina quoque hinc cognominavit Plinius *Prætutia*. Verba eius lib. XIIII cap. VI hæc ſunt: *Ex reliquis vinis à ſupero mari Prætutia, & Ancone naſcentia*. Et cap. VII: *Apamenum vinum mulſo præcipue convenire dicitur; ſicut Prætutium in Italiâ*. Sed hoc etiam *Prætutianum* rectè dicebatur; Græcis οἶνος Πραιτετιανός. quod vocabulum ter legitur apud Dioſcoridem corruptum Πραιτιανός· ab interprete autem longè ineptiùs verſum eſt Latinè *Paratypianum*. Verba Dioſcoridis lib. V cap. X hæc erant: Ὁ δὲ Ἀδριανὸς οἶνος καὶ ὁ Μαμερτῖνος, γεννώμενος ἐν Σικελίᾳ, κατ᾽ ἴσον εἰσὶν ἁδρομερεῖς. Id eſt: *Hadrianum vinum & quod in Sicilia gignitur Mamertinum, æquè craſſæ ſunt ſubſtantiæ*. Paullo pòſt: Ὁ δὲ Πραιτετιανὸς, καὶ αὐτὸς ἐκ τῶν καθ᾽ Ἀδρίαν κομιζόμενος τόπων, εὐώδης καὶ λεπτομερής ἐστιν. Hoc eſt: *Prætutianum, quod & ipſum ex ſinu Hadriatico defertur, fragrans eſt atque tenuius*. Mox: Ὁ δὲ Ἰστρικὸς λεγόμενος ἔοικε τῷ Πραιτετιανῷ. Id eſt: *Hiſtricum Prætutiano ſimile eſt*. Et cap. XI: Διαφέρουσι δὲ τούτων οἱ Ἰταλικοί· ὡς Φάλερνος, Συρεντῖνος, καὶ Κέκουβος, ὅ τε Σιγνῖνος καὶ ἄλλοι πολλοὶ οἱ ἀπὸ τῆς Καμπανίας, καὶ ὁ Πραιτετιανὸς ἀπὸ τῆς Ἀδρίας· καὶ Σικελιωτικὸς ὁ Μαμερτῖνος καλούμενος. Id eſt: *In his præſtant Italica, Falernum, Surrentinum, Cæcubum, Signinum, & permulta alia Campaniæ vina; tum Prætutianum ab Hadriatico ſinu: Siculum verò, quod Mamertinum vocatur*. Sed de *Prætutiorum* nomine ſatis. Fineis *agro Prætutiano* fuiſſe inter Heluinum Vomanumque amneis; à Vomano verò ad Matrinum usque fuiſſe *Hadrianum agrum*, Veſtinis conterminum; ex iis, quæ ſuprà allata ſunt, perſpeximus.

At PALMENSIS *ager*, uni memoratus Plinio, quo ſitu quibusque incluſus fuerit terminis, paullo difficilius diſpectu eſt. Plinius dicto lib. III cap. XIII: *Ager Hadrianus, & Hadria colonia; flumen Vomanum; ager Prætutianus Palmenſisque. item Caſtrum Novum, flumen Batinum, Truentum cum amne. quod ſolum Liburnorum in Italiâ reliquum eſt. flumina, Albulates, Suinum, Heluinum; quo finitur Prætutiana regio, & Picentium incipit. Cupra opidum; Caſtellum Firmanorum; Cluana, Potentia, Numana*. Et cap. XIIII: *Siculi & Liburni plurima eius tractus tenuêre; in primis Palmenſem, Prætutianum, Hadrianumque agrum*. Conterminus igitur apud Heluinum amnem *Prætutiano agro* fuit *Palmenſis*; pars quondam, ſecundùm iſthanc Plinii deſcriptionem, Piceni. Quoúſque autem in litore extenſus fuerit, incertum eſt: niſi, quòd Plinius ait, *Liburnos* eum tenuiſſe: Strabo verò tradit, *Etruſcorum* fuiſſe opus *Cupræ fanum*. qua ratione *Truentus* fluvius terminus videtur exſtitiſſe inter utrosque. At verò ultra Cupram, in litore Firmano, ſpecula maritima cum paucis juxtà domibus vulgò hodiè vocatur *Torre di Palma*. quæ an priſcam *Palmenſes agri* memoriam ſervet, haud facilè divinaverim. Potuerunt tamen eius agri, qui poſteà *Palmenſis* dictus, partem tenuiſſe unam *Etruſci*, alteram verò *Liburni*. Apud Plinium ſuprà dicto lib. XIIII cap. VI ita legitur: *Ex reliquis vinis à ſupero mari Prætutia, & Ancone naſcentia, &, quæ à palmâ unâ forte enata, palmeſia adpellantur*. Sic equidem cuncta, quotquot mihi inſpicere licuit, habent exemplaria. at ſcripſiſſe ipſum Plinium *Palmenſia*, minimè dubito. niſi fortè à Græco àliquo auctore, qui Græcâ formatione Παλμήσιον adpellârit οἶνον, hæc ſumpſiſſe Plinium ſuſpiceris. Quòd ſi cæterorum verborum ſatis certa veraque exiſtimanda ſit ſcriptura; non dubiè jam conſtaret, à *palmeâ* iſtâ *vite* adpellatum eſſe agrum, in quo gignebatur, *Palmenſem*. PALMENSIS ager.

Cæterùm loca, quæ in hoc Palmenſi agro auctoribus commemorantur, ſuprà explicuimus. Reſtant igitur dicenda ea, quæ in Prætutiano Hadrianoque fuerunt agro. Sed & in Prætutiano maritimum opidum apud os Turdini amnis *Caſtrum Novum*, jam anteà expoſitum eſt; & item in Hadrianorum litore *Matrinum*, ad Matrini amnis oſtium, Hadrianorum *navale*.

Reliqua Prætutiorum ita refert Ptolemæus: Πραιτουτίων, Βέρετρα, Ἰντεραμνία. *Prætutiorum ſunt Beretra & Interamnia*. INTERAMNIA vulgare hodiè vocabulum INTERAMNIA, opidum.

habet *Téramo* & *Térano*, inter confluenteis Turdini ac Viciolæ amnium poſita; undenomen ei quæſitum. In librode Agrorum limitibus INTERAMNA vocatur: ut illa Vmbriæ urbs ad Naremamnem, & item Latii Novi urbs apud Lirim. Sed in dicto libro vocabulum id cum adjecto cognomento variis in exemplaribus variè corruptum legitur. alia ſic habent: *Sicut Interamnia Flaminiæ, & inter Paletino Piceni.* alia ſic: *Teramne Paleſtina Piceni.* quædam ita: *Sicut Interamne Fluminea, & Interamne Paleſtina Picenenſis.* alia denique ita: *Sicut Interamne Flaminia, & Interamne Paleſtina Piceni.* Errant heic illi, qui *Interamnam* hanc Vmbriæ urbem eſſe docent, cognomine *Pleſtinam*, ſive *Peleſtinam*: ſcilicet, quia Plinio lib. III cap. XIIII opidani populi in Vmbriâ recenſentur *Peleſtini*. Atqui Plinius eo capite paullo antè diſertiſſimis verbis habet *Interamnates* cognomine *Nartes*. nec alia umquàm in Vmbriâ fuit *Interamna*, quàm quæ, Nare fluvio circumflua, hodiéque vulgò vocatur *Térami*, *Térani*, & *Terni*. Neque verò *Piceni* nomen ne poſteriori quidem ævo hucusque extenſum fuit. Proinde Prætutiorum in Piceno *Interamnam* heic intelligi, certum eſt. quæ haud dubiè cognominata fuit INTERAMNA ſive INTERAMNIA PRAETVTIANA. quod vocabulum poſteà barbari atque imperiti exſcriptores vitiarunt, ut pleraque alia in eodem libro opidorum nomina, in *Paleſtina*. Apud Frontinum in libro de Limitibus agrorum ita legitur: *Huius ſoli jus, quamvìs habitâ ratione divus Auguſtus de ſtatu municipiorum tractaverit, in proximas urbeis pervenire dicitur; quarum, ex voluntate conditoris, maxima pars finium coloniæ eſt attributa; aliquâ portione mœnium extremâ perticæ adſignatione inclusâ. ſicut in Piceno fertur inter montium Præcutianorum quamdam opidi partem Aſculanorum fine circumdari.* Hæc à Frontini commentatore Aggeno ſic referuntur: *Nam aliquarum urbium maxima pars finium coloniæ eſt attributa. Coloniæ ſunt, quæ ex eo nomine accipiuntur, quòd Romani in eisdem civitatibus colonos miſerunt. Illarum ergo urbium maxima finium pars data eſt coloniis, quæ in remotiora loca & longè à mari poſitæ videbantur: ut numerus civium, quem multiplicare divus Auguſtus conabatur, haberet ſpacia, in quæ ſubſiſtere potuiſſet. nam & in Piceno fertur inter montium Præcutianorum quamdam partem opidi Aſculanorum fine circumdari.* Apertum ſanè in hac oratione recumbit mendum. quidpe quum diſertiſſimis verbis è Frontino doceat Aggenus, *maximam partem finium quarumdam urbium attributam eſſe eis coloniis, quæ in remotiora loca & longè à mari poſitæ erant*; quî ille, quum exemplum huius rei in Aſculanâ coloniâ oſtendere vellet, non urbem aliquam, ſed *monteis Prætutianos* nominaverit? Nihil certius, quàm ſcripſiſſe Frontinum pariter atque Aggenum, *In Piceno, fertur, Interamnii, Prætutianorum opidi, quamdam partem Aſculanorum fine circumdari.* Cæſarem Auguſtum conditorem huius opidi, haud obſcurè teſtatur Frontinus, ubi ait, *ex voluntate conditoris maximam partem finium eius attributam* fuiſſe *Aſculanæ coloniæ*. Dictum autem fuit INTERAMNIVM neutro genere, ut eodem nomine duo opida Aſturiæ in Hiſpaniâ; teſtibus Ptolemæo & Antonini itinerario: quorum alterum cognominabatur *Flavium*. Alii id formavêre feminino genere INTERAMNIA: alii rurſus INTERAMNA; ut antiquiſſimarum illarum nomen urbium ad Lirim & Narem amneis: quarum hæc & ipſa in Tabulâ itinerariâ eſt neutro genere *Interamnium*.

BEREGRA opidum.

Porrò apud Ptolemæum alterius Prætutiorum opidi vocabulum Βέρετρα, *Beretra*, corrigendum eſt in Βέρεγρα, BEREGRA. nam ab hoc opidani ſunt Plinio dicto lib. III cap. XIII in Piceno BEREGRANI: & in libro Frontini de Coloniis eſt *Veragranus ager*. Cæterùm ſitus opidi incertus eſt: niſi, quòd Ptolemæus inter Interamniam id habeat & Aſculum Hadriamque: & Plinius quoque *Beregranos* in mediterraneis recenſeat. unde colligere datur, (ſi ulla Ptolemæo fides) fuiſſe id inter Batinum Heluinumque flumina, ſive, ut nunc vocantur, inter Turdinum & Salinellum. Fortè fuerit in ipſâ Salinelli dextrâ ripâ, ubi opidum nunc conſpicitur vulgari vocabulo *Civitella*. namque hæc vox in Italicis opidis plerumque antiquitatem loci indicat.

HADRIA colonia.

At ultra Prætutianum agrum HADRIA nomen hodiéqne retinet, vulgò *Atri* dicta; ſita in edito colle, inter Vomanum Matrinumque amneis; ſed huic propinquior. Memoratur Livio, Straboni, Melæ, Plinio, Silio, Ptolemæo, Spartiano, Itinerariis Romanis, Aur. Victori, P. Diacono. Plinius dicto lib. III cap. XIII: *Ager*

XIII: *Ager Hadrianus, & Hadria colonia, à mari* VII *millia paſſuum*. Silius lib. VIII:

——— Statque humectata Vomano
Hadria.

Itineraria ſic habent:

Tabulæ;		Antonini;		Antonini;	
Caſtro Novo		*Caſtro Novo*		*Caſtro Novo*	
Hadria	XII.	*Hadriæ*	XV.	*Hadriæ*	XV.
Pinna	VII.				
Salinas	VI.				
Oſtia Eterni	V.	*Oſtia Aeterni*	XV.		
				Teate Marrucinor.	XIIII.

De origine *Hadriæ* ita tradit Trogi breviator Iuſtinus lib. XX: *Multæ urbes adhuc poſt tantam vetuſtatem veſtigia Græci moris oſtentant. namque Tuſcorum populi à Lydiâ venerunt: & Venetos captâ & expugnata Troia, Antenore duce, miſit: Hadria quoque, Illyrico mari proxima, quæ & Hadriatico mari nomen dedit, Græca urbs eſt*. Incertum, utram heic intelligat *Hadriam*; hanc Piceni; an alteram illam ad Padi oſtia in Venetis; quam ſuprà lib. I cap. XVIII expoſuimus. nam ab hac Piceni urbe *Hadriaticum mare* denominatum fuiſſe, alii etiam tradiderunt auctores; quamvìs minùs rectè. Apud Iſacium Tzetzam in commentariis ad Lycophronis Alexandram hæc leguntur: Αὐτόθεπος δὲ καὶ ἄλλοι πολλοί φασιν, ἀπὸ Ἰονίου, Ἰλλυριοῦ τὸ γένος, βασιλεύσαντος τῶν τόπων, υἱοῦ Ἀδρίου, τοῦ περὶ τοῦτο τὸ πέλαγος κτίσαντος πόλιν τὴν λεγομένην Ἀδρίαν, (ἣν Ἀδρίαν ἕτεροί φασιν ὑπὸ Διονυσίου, τοῦ πρότερον τυράννου Σικελίας, κτισθῆναι.) τὸ δὲ πέλαγος, ὡς ἔφην, ἀπὸ τοῦ Ἰονίου κληθῆναι. id eſt: *Autothepus atque alii haud pauci auctores aiunt mare Ionium adpellatum ab Ionio, natione Illyrio, rege harum regionum, filio Hadrii, qui apud hocce pelagus urbem conſtituit Hadriam: quam tamen alii volunt à Dionyſio, Siciliæ tyranno, conditam.* Plinii verba lib. III cap. XIII ſæpiùs jam anteà citavimus iſta: *In orâ Cluana, Potentia, Numana, à Siculis condita. ab iiſdem colonia Ancona*. Et cap. XIIII: *Siculi & Liburni plurima eius tractus tenuêre; in primis Palmenſem, Prætutianum, Hadrianumque agrum*. Strabo lib. V, ut ſuprà relatum, Anconam tradit eſſe Συρακουσίων κτίσμα, τῶν φυγόντων τὴν Διονυσίου τυραννίδα, id eſt, *Syracuſanorum opus, qui Dionyſii fugerant tyrannidem.* At Diodorus lib. XV tradit quidem, Dionyſium ipſum urbeis ad ſinum Hadriaticum condidiſſe, ut tutum haberet in Epirum trajectum adpulſumque: nominatque *Liſſum*, in confinio Illyrici atque Epiri ſitam. & quum *Parii* ex Aegæo mari in Hadriatici ſinus inſulam, quæ tum ab iis *Pharos*, nunc verò vulgò *Pago* dicitur, ex adverſo Anconitani litoris, coloniam deducerent, adjuviſſe eos Dionyſium. ſed de Italiæ orâ nihil addit. Mirum tamen fuerit, profugos Syracuſanos ſuos eum in hæc loca cum validâ claſſe delatum non infeſtaſſe, novâque ſede pellere conatum fuiſſe. nec immeritò aliquis ſuſpicetur, ipſius Dionyſii auſpiciis ac juſſu *Anconam* ſimul & *Numanam Hadriam*que deductas fuiſſe colonias. Verùm contra tam grave Strabonis teſtimonium nihil temerè ego adfirmaverim. & longè probabilior eſt ſententia, quam ſuprà expoſui: nempe à Tuſcis, Hadriam ad Padi oſtia habitantibus, coloniam hanc in Piceno deductam eſſe. Cæterùm *coloniam* poſteà recepiſſe Romanorum, paullo antè ex Plinio intelleximus. Tempus deductionis adnotaverat Livius lib. XI. unde hæc epitomator eius: *Curius Dentatus conſul, Samnitibus cæſis, & Sabinis, qui rebellaverant, victis, & in deditionem acceptis, bis in eodem magiſtratu triumphavit. Coloniæ deductæ ſunt, Caſtrum, Sena, Hadria.* Conſulatum geſſit M'. Curius Dentatus cum P. Cornelio Rufino anno ab Româ conditâ CCCCLXIII, ante natum Ieſum CCXC. Hinc eidem Livio lib. XXVII inter alias colonias, qui Romanis milites pecuniamque ad bellum Hannibalicum contulerunt, HADRIANI quoque nominantur. Erravit igitur haud modicè Mela lib. II cap. IIII, *Hadriam* hanc non tantùm falsò inter *Firmum & Truentum* collocans; ſed & *caſtellum*, unà cum ipſo Firmo, nobiliſſimâ coloniâ, adpellans. Erraverunt item illi, qui ab hac *Hadriâ* nomen *Hadriatico mari* inditum tradiderunt: quum id ad alteram illam Hadriam pertineat; ut ſuprà lib. I cap. XVIII in Venetis oſtenſum. Paullus Diaconus Hiſtoriæ miſcellæ lib. X: *Anno ab Vrbe conditâ* IↃCCCLXVII,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Aelius Hadrianus, ſtirpis Italicæ ex Hiſpaniâ, Aelio Hadriano, Traiani principis conſobrino, Hadriæ orto, genitus, (quod opidum agri Piceni, etiam mari Hadriatico cognomen dedit) quartusdecimus ab Auguſto imperator eſt creatus. Et Rer. Langobard. lib. II cap. XVIIII: *In Piceno ſunt civitates, Firmum, Aſculum, Pinnæ, & vetuſtate conſumpta Hadria; quæ Hadriatico pelago nomen dedit.* Hadriani equidem ſtirpem ex hac Piceni Hadriâ oriundam fuiſſe, Aelius quoque Spartianus in vitâ eius atteſtatur his verbis: *Origo imperatoris Hadriani vetuſtior à Picentibus, poſterior ab Hiſpanienſibus manat. ſiquidem Hadriâ ortos maiores ſuos, apud Italicam Scipionum temporibus reſediſſe, in libris vitæ ſuæ Hadrianus ipſe commemorat. Hadriano pater Aelius Hadrianus, cognomento Afer, fuit, conſobrinus Traiani imperatoris.* Et poſteà: *In patriâ ſuâ Quinquennalis, & item Hadriæ Quinquennalis, quaſi in aliâ patriâ, fuit.*

CVNARVS *mons.*

Cæterùm apud Servium ad Virgilii Aeneid. lib. X hæc ſunt: *Cunaro duci quidam nomen datum tradunt à Cunaro monte, qui in Piceno eſt.* Quo tractu CVNARVS iſte fuerit *mons*, parum liquet: niſi eum nominis huius memoriam ferre credas, qui, inter Vomanum Aternumque & Velinum amneis, vulgò nunc dicitur incolis *Monte Corno*. Atque hactenus univerſi Piceni loca explicuimus.

CAP. XII.

De VESTINIS.

POſt Prætutianum Hadrianumque agrum ſequebantur populi, de quibus ita tradit Plinius lib. III cap. XII: *Sequitur regio Quarta, gentium vel fortiſſimarum Italiæ.* Enumeratque *Frentanos, Marrucinos, Pelignos, Marſos, Aequiculanos, Veſtinos, Samnites.* De iisdem ſic tradit Strabo lib. V: Ὑπὲρ δὲ τῆς Πικεντίνης Οὐηστῖνοί τε καὶ Μαρσοὶ, καὶ Πελιγνοὶ, καὶ Μαρουκῖνοι, καὶ Φρεντανοὶ, Σαμνιτικὸν ἔθνος, τὴν ὀρεινὴν κατέχουσιν, ἐφαπτόμενοι μικρὸν τῆς θαλάττης. Ἔστι δὲ τὰ ἔθνη ταῦτα μικρὰ μὲν, ἀνδρικώτατα δὲ, καὶ πολλάκις τὴν ἀρετὴν ταύτην ἐπιδεδειγμένα Ῥωμαίοις· πρῶτον μὲν, ἡνίκα ἐπολέμουν. δεύτερον δὲ, ὅτε συνεστράτευον· τρίτον δὲ, ὅτε, δεόμενοι τυχεῖν ἐλευθερίας καὶ πολιτείας, μὴ τυγχάνοντες, ἀπέστησαν, καὶ τὸν Μαρσικὸν καλούμενον ἐξῆψαν πόλεμον, Κορφίνιον τὴν τῶν Πελιγνῶν μητρόπολιν κοινὴν ἅπασι τοῖς Ἰταλιώταις ἀποδείξαντες πόλιν ἀντὶ τῆς Ῥώμης, ὁρμητήριον τοῦ πολέμου, μετονομασθεῖσαν Ἰταλικήν. καὶ ἐνταῦθα δὴ τοὺς συνεπομένους ἀθροίσαντες, καὶ χειροτονήσαντες ὑπάτους καὶ στρατηγούς. Δύο δ' ἔτη συνέμειναν ἐν τῷ πολέμῳ, μέχρι διεπράξαντο τὴν κοινωνίαν, περὶ ἧς ἐπολέμουν. Μαρσικὸν δὲ ὠνόμασαν τὸν πόλεμον, ἀπὸ τῶν ἀρξάντων τῆς ἀποστάσεως, καὶ μάλιστα ἀπὸ Πομπεδίου. Hoc eſt: *Supra Picenum Veſtini, Marſi, Peligni, Marrucini, & Frentani, hi Samnitica gens, montana tenent, exiguam oræ maritimæ partem attingentes. populi equidem exigui; at fortiſſimi; & qui ſuam fortitudinem Romanis ſæpè demonſtraverint: primùm, quum bellum adverſùm eos geſſerunt; dein, quum eorum caſtra ſequuti ſunt; tertiò, quum libertatem ac jus civitatis petentes, repulſam paſſi deſciverunt, bellumque Marſicum concitarunt; Corfinium, gentis Pelignorum caput, communem omnibus Italis, loco Romæ, urbem deſignantes ac belli arcem; cui Italicæ nomen indiderunt: contractisque ſociorum auxiliis, & conſulibus ac prætoribus creatis, biennium ei bello produxerunt; donec eam, ob quam arma ceperant, civitatis conſequuti ſunt communionem. Marſicum autem adpellarunt bellum à defectionis auctoribus, maximè Pompedio.* Id & *Sociale* bellum vocatum fuit, & item *Italicum*, de quo legantur, Paterculus lib. II, Florus lib. III cap. XVIII, Epitomator Livii lib. LXXII, LXXIII, LXXIIII, LXXV, LXXVI, & LXXX: Appianus Civil. bellor. lib. I, Eutropius lib. V, Oroſius lib. V cap. XVIII, Paul. Diaconus Hiſtoriæ miſcellæ lib. V. Pugnaciſſimam Italiæ, ſecundùm Romanos, *Samnitium* fuiſſe gentem, pòſt ſuo loco oſtendetur. itaque Livius lib. VIII ita tradit: *Eodem anno, quum ſatis per ſe ipſum Samnitium bellum & defectio repens Lucanorum, auctoresque defectionis Tarentini, ſolicitos haberent patres, acceſſit, ut & Veſtinus populus Samnitibus ſeſe conjungeret. Et quamquàm nova res erat; tamen tanta cura patres inceſſit, ut pariter eam ſusceptam neglectamque timerent: ne, aut impunitas eorum laſciviâ ſuperbiâque, aut bello pœnæ expetitæ metu propinquo atque irâ concirent finitimos populos. Et erat genus omne abundè bello Samnitibus par; Marſi Pelignique & Marrucini. quos, ſi Veſtinus attingeretur, omneis habendos hoſteis.* Hos igitur populos, *Veſtinos, Marrucinos,*

Pelignos,

Pelignos, *Marſos*, atque *Aequos*, proximè hinc ſuo quosque ordine exponemus. *Samnites* atque *Frentani* poſteriùs ſuo loco dicentur.

A Matrino itaque amne, quem terminum Hadriani agri ſuperiori capite oſtendimus, versùs meridiem fuêre VESTINI. Horum nomen apud Græcos ſcriptores primâ ſyllabâ variatur. quidpe apud Polybium lib. II per ε ſunt Οὐεςῖνοι, ut & apud Strabonem lib. V ſemel; quum ſæpiùs ante ſint per η Οὐηςῖνοι. quod ego vocabulum maximè probem; quando apud Svidam certo ſuo alphabeti ordine memoratur Οὐηςῖνος Γέλλιος Σοφίςης. Idem vocabulum exſcriptores fecêre apud Appianum Civil. bellor. lib. I Οὐιςῖνοι· nempe, quia poſteriore ævo η pronunciabatur ut ι. Hinc apud Dioscoridem lib. I cap. VIIII, in vulgatis exemplaribus legitur ἐν Γὐεςίνῃ τῆς Ἰταλίας· quòd priùs eſſet ſcriptum, ἐν Οὐιςίνῃ· & ab ipſo anteà Dioscoride ἐν Οὐηςίνῃ τῆς Ἰταλίας, id eſt, *in Veſtino agro Italiæ*. Sed apud prædictum Svidam lepidum ſanè & maximè ridiculum grammatici cerebri legitur nugamentum. Scilicet, quum Græcorum Βῆτα uſurparetur ſimul pro B Latinorum ſimulque pro conſonante V; quidam Græcorum ſcripsêre *Veſtinorum* vocabulum Βηςῖνοι, & item Βεςῖνοι. hinc ita nugatur Svidas: Βεςῖνοι, ἔθνος ἐν Ἰταλίᾳ θηριώδεις τὸν τρόπον. id eſt: *Beſtini, gens in Italiâ ferinis moribus prædita*. Nempe, à *beſtiarum* vocabulo hoc nominis illis inditum exiſtimavit. cuiusmodi interpretationes nominum, ex ſimilitudine captatæ, innumeræ paſſim reperiuntur apud alios quoque grammaticos.

Cæterò genus *Veſtinorum* nusquàm traditum apud auctores reperio. Quia tamen & *Peligni* & *Marſi*, & *Frentani*, Sabini ſive Samnitici fuêre generis; quod infrà patebit; Veſtinos quoque eiusdem ſtirpis fuiſſe, ſuſpicari libet, niſi fortè potior eorum ducenda ſit ſententia, qui *Pelignis* Illyricum, ut infrà vidèbimus, tribuerunt genus. cum quibus & *Veſtini* & *Marrucini* in has oras àdveniſſe videri poſſint.

Limites iis circumſcribo hosce: Ab ſeptemtrionibus, ſive ab occaſu Solis æſtivi, quà Piceno jungebantur, Matrinum amnem; & ab huius fonte montium jugum, quod propter dextram Vomani ripam ad Aterni usque fluminis fontem protenditur, vulgari adpellatione *Monte Corno*. Sed ipſum fontem ſummamque partem fluminis Aterni, ad medium usque iter inter Amiterni opidi veſtigia & Aquilam urbem, in Sabinis fluxiſſe, ſuprà cap. VIII in horum deſcriptione oſtenſum eſt. Ab ortu Solis brumalis ipſo Aterno à Marrucinis ſubmovebantur. Strabo lib. V: Ἐπ' αὐτῇ τῇ θαλάττῃ ἐςὶ τὸ Ἄτερνον, ὅμορον τῇ Πικεντίνῃ, ὁμώνυμον δὲ τῷ ποταμῷ τῷ διορίζοντι τήν τε Οὐηςίνην καὶ τὴν Μαρρουκίνην. ῥεῖ γὰρ ἐκ τῆς Ἀμιτερνίνης, διὰ δὲ Οὐηςίνων, παραλιπὼν ἐν δεξιᾷ τοὺς Μαρρουκίνους, ὑπὲρ τὰ τῶν Πελιγνῶν κειμένους. Id eſt: *Ad ipſum mare eſt Aternum opidum, Piceno conterminum, eiusdem nominis cum amne, qui Veſtinos à Marrucinis dirimit. fluit namque ex agro Amiternino per Veſtinos, relictis ad dextram Marrucinis; qui ſupra Pelignos incolunt*. Ptolemæi heic notanda eſt ignorantia: qui licèt *Pinnam* atque *Angulum* opida, haud procul à mari inter Matrinum & Aternum ſita, rectè Veſtinis tribuat; nihilo minùs tamen litus omne inter dictos amneis Marrucinis adſcribit: eoque tractu ponit Marrucinorum caput *Teate*; quod apud dextram eſt Aterni ripam, vulgò nunc *Chieti* dictum. Μαρρουκίνων, inquit, Ἀτέρνου ποταμοῦ ἐκβολαί, Ματρίνου ποταμοῦ ἐκβολαί. Πικεντίνων, Κάςρον, Κοῦπρα Μαρίτιμα. Hoc eſt: *Marrucinorum ſunt, Aterni amnis oſtium, Matrini fluvii oſtium: Picentium, Caſtrum, Cupra Maritima*. Sed & Silius erravit, *Fiſcellum* montem Veſtinis tribuens: qui longè ſuperiùs inter Picenteis Sabinosque ſitus eſt, Narem amnem effundens. Verba Silii lib. VIII hæc ſunt:

Haud illo levior bellis Veſtina juventus
Agmina denſavit, venatu dura ferarum.
Quæ Fiſcelle tuas arceis, Pinnamque virentem,
Paſcuaque haud tardè redeuntia tondet Avellæ.

Per conſimilem errorem *Corfinium* quoque Pelignis ademit; ut pòſt oſtendetur. quibus è diverſo Ptolemæus falsò adſcripſit Sagri amnis os & opidum Frentanorum *Ortonam*. Ab ortu Solis æſtivi Hadriatico claudebantur mari Veſtini.

Opida eorum recenſentur Ptolemæo, Πίννα, Ἀουΐα, Ἀμίτερνον, Ἀγγολός· *Pinna*, *Avia*, *Amiternum*, *Angulus*. Verùm *Amiternum* falsò Veſtinis tribuiſſe eum, Sabinis

 demptum,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

demptum, ſuprà cap. VIIII in horum deſcriptione oſtenſum. Plinio lib. III cap. XII memorantur *Veſtinorum Angulani, Pinnenſes, Peltuinates; quibus jungebantur Aufinates Cismontani.*

AVIA *opidum*.

AVIA *opidum* quo ſitu fuerit, ex Tabulâ maximè itinerariâ diſpicitur; quæ ſic habet:

Alba	
Fruſtemas	XVIII.
Aveia	II.

Albam heic intelligi Marſorum, haud procul Fucino lacu, quæ hodiéque vocatur *Albi*, infrà in huius gentis expoſitione patebit. Ab hac XXIIII millia paſſuum versùs Aterni fontem ſi progrediaris, incides in illuſtrem nunc urbem, lævæ amnis ripæ adpoſitam, cui vulgare vocabulum eſt *Aquila*, V millia paſſuum diſſitam ab Amiterni ruinis; de quibus ſuprà cap. VIIII in Sabinis dictum. Eam igitur urbem, tùm ex nominis ſimilitudine atque XX millium intervallo, tùm ex ipsâ Amiterni vicinitate, colligo eſſe antiquorum *Aviam*. quippe etiam in Tabulâ propè *Aveiam* poſita eſt urbs *Amiternus*. tum eadem propinquitas anſam Ptolemæo in errorem præbuit, uti is Sabinorum Amiternum in Veſtinis proximè Aviam locaret. His documentis adde inſuper teſtimonium veterum Martyrologiorum. Romanum: *Tertiodecimo Kalend. Novembris, in Avienſi civitate in Veſtinis apud Aquilam natalis beati Maximi*. Opidani igitur ab *Aviâ* dicebantur AVIENSES. Ipſius opidi nomen quomodò ipſe perſcripſerit Silius, ego equidem neſcio. at illud Tabulæ AVEIA, quod proximè ad vocabulum *Avia* accedit, ſuſpicionem mihi parit, ſic etiam à Silio ſcriptum fuiſſe. quod poſteà imperiti exſcriptores in formam opidi Campaniæ redegerunt; cuius ipſe mox deinde eodem lib. VIII meminit Silius hoc verſu:

Surrentum, & pauper ſulci Cerealis Avella.

AVFINA *opidum*.

AVFINA, ſive AVFINVM *opidum*, à quo opidani Plinio dicto lib. III cap. XII ſunt AVFINATES, *cognomine* CISMONTANI, hodiéque vulgò dicitur *Ofena* & *Ofeno*, inter Aquilam, Populium, & Pinnam ſitum. Cognomentum *Cismontani* unde habuerit, nondum diſpicio.

PELTVINVM *opidum*.

PELTVINVM *opidum*, à quo eidem Plinio ibidem ſunt PELTVINATES *opidani*, memoratur etiam antiquæ inſcriptioni, quæ in tabulâ æneâ exſtat Tarracone in Hiſpaniâ, inter alia hæc ferens verba:

C · VETTIO · ATTICO · ET
C · ASINIO · PRAETEXTATO · COS
PELTVINI · VESTINIS · IN · CVRIA · AVG

Conſules iſti fuêre anno Gordiani imperatoris V; à nato Ieſu Chriſto anno CCXLII. Sed quo ſitu fuerit opidum hoc, planè non liquet: niſi quòd Plinius præſcripto loco ait, *Peltuinatibus junctos* fuiſſe *Aufinates*. Et eſt hodiè inter Aufinum & Teate, prope opidum, cui vulgaris adpellatio *Cività Aquana*, locus vulgò dictus *La Civitella*. quæ vox, ut ſæpè jam anteà monui, antiquitatem locorum plerumque prodere ſolet.

PINNA *opidum*.

PINNA *opidum*, unde Plinio dicto loco opidani ſunt PINNENSES, nomen antiquum hodiè retinet, vulgò *Cività di Penna*, & ſæpiùs plurali numero *di Penne*, dictam. Is numerus jam pridem in uſu fuit. ſic quippe legitur apud Paul. Diaconum Rer. Langobard. lib. II cap. XVIIII: *In Piceno ſunt civitates, Firmum, Aſculum, Pinnæ*. Memoratur Tabulæ itinerariæ quoque, hoc itinere:

Caſtro Novo	
Hadria	XII.
Pinna	VII.
Salinas	VI.
Oſtia Aterni	V.

Silius,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Silius, loco ſuprà ſcripto, *virentem* dixit *Pinnam*, haud dubiè ob paſcua læta, quibus circumdatur, inter amneis Salinum, Tabum, ac Suinum ſita.

Locus iſte intermedius, Pinnam inter & Aterni oſtia; AD SALINAS, haud dubiè circa Salinum fuit flumen; quod inde nomen traxiſſe videtur. Millia paſſuum hodiéque inter Aterni oſtia & Pinnam noſcuntur XI. medio igitur ferè fuit itinere inter dictas urbeis. AD SALINAS *locus*.

Ἄγγολος ANGVLVS *opidum* Ptolemæi, unde Plinio dicto lib. III cap. XII opidani ANGVLANI, vulgò nunc vocatur *Cività di Sant Angelo*, haud procul lævâ Salini ripâ, infra Pinnam, in edito colle poſitum. Apud Antoninum iter legitur huiusmodi: ANGVLVS *opidum*.

Caſtro Novo	
Hadriæ	XV.
Oſtia Aeterni	XV.
Angelum	XV.
Ortona	XI.

In hoc itinere locum, qui vocatur *Angelus*, eſſe eumdem, qui Plinio atque Ptolemæo dicitur *Angulus*, nemo hactenus dubitavit. At quomodò is heic extra Veſtinorum terminum Aternum amnem ponitur; quum hodiéque non tantùm citra Aternum, ſed & Salinum conſpiciatur eodem nomine? Certè, quum numeri ubique ſint vitiati: ipſum quoque hoc vocabulum ſuo loco ac ordine deturbatum eſſe, credere par eſt. Nec temerè ego crediderim, jam tum auctoris huius Itinerarii ævo opidum id, quod erat *Angulus* Romanis, dictum fuiſſe *Angelum*; ut hodiè obtinet. ſed poſterioris ſæculi librarios in eam formam id vitiaſſe, cenſeo. Simplicitas incolarum, ut aliquot aliis Italiæ locis factum, ab aliquo *ſanctorum angelorum* id nominis ei inditum credidit; perpetuóque ſic uſurpavit.

Ἄτερνον, ATERNVM *opidum*, ad ipſum Aterni amnis, qui nunc vulgò *Peſcára*, oſtium poſitum; unde & ipſum nunc vulgò vocatur *Peſcára*; primo veterum auctorum, quorum monumenta exſtant, memoratur Straboni, loco ſuprà ſcripto: cuius oratio integra ſic habet: Ἐπ' αὐτῇ δὲ τῇ θαλάττῃ τὸ Ἄτερνον, ὅμορον τῇ Πικεντίνῃ, ὁμώνυμον δὲ τῷ ποταμῷ τῷ διορίζοντι τήν τε Οὐηστίνην καὶ τὴν Μαρρουκίνην. ῥεῖ γὰρ ἐκ τῆς Ἀμιτερνίνης, διὰ δὲ Οὐηστίνων, παραλιπὼν ἐν δεξιᾷ Μαρρουκίνους, ὑπὲρ τοὺς τῶν Πελιγνῶν κειμένους. τὸ δὲ πόλισμα, τὸ ἐπώνυμον αὐτοῦ Οὐηστίνων μέν ἐστι, κοινῷ δ' ἐπινείῳ χρῶνται καὶ οἱ Πελιγνοὶ καὶ οἱ Μαρρουκῖνοι. Id eſt: *Ad ipſum mare eſt Aternum, conterminum Piceno, eiusdem nominis cum flumine, quod Veſtinos ab Marrucinis dirimit. fluit quidpe ex Amiternino agro per Veſtinos; relictis ad dextram Marrucinis; qui ſunt ſupra Pelignos. Opidum autem, quod idem cum eo nomen habet, Veſtinorum quidem eſt; eo tamen navali communiter utuntur etiam Peligni juxta atque Marrucini.* Quia ait, Aternum amnem ſeparaſſe Veſtinos ab Marrucinis; quorum etiam fuit *Teate* opidum, vulgò nunc *Tieti* & *Chieti* dictum, VII millia paſſuum ſupra oſtium Aterni haud procul dextrâ amnis ripâ ſitum; colligere inde dabatur, ipſum opidum *Aternum* in ſiniſtrâ fuiſſe ripâ: quod nunc in hac ripâ nihil niſi ſuburbium habet. Verùm neſcio, cur ſcripſerit, ῥεῖ ὁ ποταμὸς διὰ Οὐηστίνων, id eſt, *per Veſtinos amnis labitur*; non verò παρὰ Οὐηστίνους, *juxta Veſtinos*: niſi aliquâ parte per ipſos Veſtinorum agros fluxerit; id eſt, utramque eius ripam illi obtinuerint. qua ratione etiam ipſum *Aternum* opidum in dextrâ ripâ fuerit. Nomen eius quod attinet, vocitatum fuiſſe plerumque OSTIA ATERNI, ex Tabulâ & Antonini itinerario liquet. ſed etiam ex Melâ. apud quem lib. II cap. IIII ita eſt: *Numana, Potentia, Cluana, Cupra Maritima, urbes; caſtella autem Firmum, Hadria, Truentum. id à fluvio, qui præfluit, ei nomen eſt. Ab eo Frentani tenent Aterni oſtia, urbeis Bucam & Hiſtonium.* Sic locum hunc, qui in vulgatis fœdè corruptus eſt exemplaribus, eſſe legendum, ſuprà cap. V in Vmbris docui. Cæterùm etiam ſine cognomine *Aterni* ſimpliciter dictum eſt nonnumquàm opidum OSTIA. Vibius Sequeſter in Catalogo fluminum: *Aternus, Hadriæ; decurrens per Marſos. ubi & Oſtia civitas.* Certè quum unum ſimplex ſit amnis oſtium; nec, plura umquàm fuiſſe, adpareat: ad imitationem adpellationis opidi, quod ad geminum Tiberis os dicebatur *Oſtia*, cognomento *Tiberina*, haud dubiè hoc quoque ad Aterni os ſic plurali numero indigetarunt. Opidani inde fuêre ATERNENSES. nam *Aternenſis ager* memoratur Balbo in fragmento de Limitibus agrorum provinciæ Piceni.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

ATERNVS amnis.

Ipſe ATERNVS *amnis*, præter jam dictos auctores, Strabonem, Melam, Plinium, Ptolemæum, Vibium, memoratur etiam Varroni, Ciceroni, Livio, ac Iulio Obſequenti. ſed huic ſine nomine. Varro de Lingvâ Latinâ lib IIII: *Amnis id flumen eſt, quod circuit aliquid. nam ab ambitu amnis. Ab hoc, qui circùm Aternum habitant amnem, Amiternini adpellati.* Cicero de Divinatione lib. II: *Senatui nunciatum eſt, Atratum fluvium ſangvine fluxiſſe.* Sic equidem vulgata habent exemplaria. at ſcripſiſſe ipſum Ciceronem *Aternum fluvium*, ex Livio atque Obſequente patet. quorum hic in libro de Prodigiis, *In Piceno*, inquit, *flumen ſangvine effluxit.* Apud Livium verò lib. XXIIII ita ſcriptum eſt: *Ariciæ etiam Iovis ædes de cælo tacta fuerat. & alia ludibria oculorum auriumque credita pro veris. navium longarum ſpecies in flumine Tarracinæ, quæ nullæ erant, viſæ. & in Iovis Vicilini templo, quod in Coſſano agro eſt, arma concrepuiſſe. & flumen Amiterni cruentum fluxiſſe.* Quin heic etiam haud ſcio, an ſcripſerit ipſe Livius, *flumen Aternum*. Pro vulgatâ lectione facit, quòd omnibus reliquis etiam iſtis prodigiis ſua loca tribuit. At Cicero cur voluerit dicere *fluvium ſangvine atratum* fluxiſſe, nulla adparet ratio: utique, quum eo colore jam non foret ſangvini ſimilis; ſed atramento potiùs ſutorio. Cæterùm jam inde Paulli Diaconi tempeſtate nomen aliud habuiſſe, quo hodiéque vocatur *Piſcaria*, vulgò *Peſcára*, ipſe teſtatur Langobard. rer. lib. II cap. XX. *Quartadecima*, inquit, *provincia Samnium, inter Campaniam & mare Hadriaticum Apuliamque, à Piſcariâ incipiens, habetur.*

Porrò Livio ſuprà dicto lib. VIII, in conſulatu L. Furii Camilli II & D. Iunii Bruti Scævæ, ubi prima *Veſtinorum* fit mentio, duo opida memorantur, CVTINA & CINGILIA. *Ab altero*, inquit, *conſule in Veſtinis multiplex bellum.* Mox: *Poſtremò opida quoque vi expugnare adortus, primò Cutinam ingenti ardore militum, aut vulnerum irâ, quòd haud ferè quisquam integer prælio exceſſerat, ſcalis cepit. deinde Cingiliam.* Verùm hæc vocabula quum nemini aliàs memorentur, dubium ſanè eſt, an ſatis ſint integra ac ſine mendis. Et neſcio, quid ſimilitudinis habere videatur *Cutina* cum ſuprà dictâ *Auſinâ*. Prope hanc opidulum nunc vulgari vocabulo *Celiera* memoriam fortè *Cingiliæ* antiquæ ſervaverit. Atque hæc ferè ſunt loca in Veſtinorum agro ab antiquis memorata auctoribus.

CAP. XIII.

De MARRVCINIS.

VEſtinis, ut antè dictum, contermini fuêre ab oriente hiberno MARRVCINI; anguſtos admodùm & ipſi fineis incolentes. namque x millia paſſuum ultra Aterni oſtium *Ortonæ* opidum jam Frentanorum fuit: & in mediterraneo minori ſpacio ab eodem flumine diſtans *Sulmo* opidum, Pelignorum. Sed & infra hoc, prope ipſam Aterni ripam, *Corfinium* fuit Pelignorum caput. Hinc puto factum, cur Mela ab Aterno protinus Frentanos poſuerit lib. II cap. IIII. *Siniſtrâ*, inquit, *parte Carni & Veneti colunt & Togatam Galliam. tum Italici populi, Picentes, Frentani, Daunii, Apuli, Calabri, Salentini.* Et mox: *Frentani tenent Aterni amnis oſtia, urbeis Bucam & Hiſtonium.* At Ptolemæi heic error longè maximus eſt. qui, excluſis ab omni ſuo litore Marrucinis, Pelignos heic locat ab Sagro fluvio ad Aternum usque: atque hinc tandem in Veſtinorum litore ad Matrinum usque Marrucinos. Φρεντανῶν, inquit, Τιφέρνου ποταμοῦ ἐκβολαὶ, Βοῦκα, Ἱςώνιον. Πελιγνῶν, Σάγρου ποταμοῦ ἐκβολαὶ, Ὀρτών. Μαρουκίνων, Ἀτέρνου ποταμοῦ ἐκβολαὶ, Ματρίνου ποταμοῦ ἐκβολαί. Πικηνῶν, Κάςρον, Κοῦπρα Μαρίτιμα. Id eſt: *Frentanorum ſunt, Tiferni amnis oſtium, Buca, Hiſtonium. Pelignorum, Sagri fluminis oſtium, Ortona. Marrucinorum, Aterni fluminis oſtium, Matrini amnis oſtium. Picentium, Caſtrum, Cupra Maritima.* Terminos igitur Marrucino agro circumſcribo iſtos: Ab occidente æſtivo, Aternum amnem. ab ſeptemtrionibus, ſive ab oriente æſtivo mare Hadriaticum. ab oriente hiberno Forum flumen; & ab fonte eius jugum montis, quod hinc protenditur ad Raſentii fluvii fontem. à meridie ipſum Raſentium; qui apud opidum *Luco* in Aternum influit.

Nomen

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Nomen gentis quod attinet, variè id non tantùm apud Græcos, ſed etiam apud Latinos auctores perſcriptum reperitur: nunc per ſimplex ρ, Μαρȣκῖνοι, *Marucini*; nunc per geminum, Μαῤῥȣκῖνοι, *Marrucini*. ſed hoc Latinis magis, quàm Græcis, uſitatum. Longam verò primam debere eſſe ſyllabam, patet ex metris. Columella Rer. ruſticar. lib. x:

Quæ pariunt veteres ceſpoſo litore Cumæ,
Quæ Marrucini, quæ Signia monte Lepino.

Silius lib. VIII:

Marrucina ſimul Frentanis æmula pubes
Corfini populos magnumque Teate trahebat.

Lib. XV: *Quà duri bello gens Marrucina, fidemque*
Exuere indocilis ſociis Frentanus in armis.

Lib. XVII: —— *Cui nobile nomen*
Marrucina domus clarumque Teate ferebat.

Apud Diodorum lib. XX, alia exemplaria habent Μαρȣκȣ́ς, alia Μαρυκίνȣς: utraque vitioſè: quum haud dubiè ipſe Diodorus ſcripſerit Μαρȣκίνȣς. Apud Ptolemæum etiam in variis exemplaribus leguntur aliàs Μαρȣκῖνοι, aliàs Μαῤῥȣκῖνοι. & item apud Appianum Civil. bellor. lib. I ſunt priore loco in vulgatis exemplaribus Μαῤῥȣκῖνοι· ſed malè poſteà Μαυρȣκῖνοι. Hoc neſcio, an ita poſterioris ævi grammatici auctorum exſcriptores formarint, quorum menti τῶν Μαυρȣσίων, id eſt *Maurorum* Mauritaniæ in Africâ gens obverſabatur. quidpe Photius in Bibliothecâ ex Memnonis Hiſtoriar. lib. XV hæc citat: Ῥωμαίοις ἢ πρὸς Μαρσȣ́ς τε καὶ Πελιγνȣ̀ς καὶ Μαρȣκίνȣς (ἔθνη δέ εἰσι ταῦτα ὑπὲρ Λιβύης κατῳκημένα, Γαδείρων ὅμορα) δυσί τε τριήρεσι καταφράκτοις Ἡρακλεῶται συνεμάχησαν. Hoc eſt: *Romanis verò adversùm Marſos Pelignosque ac Marrucinos (gentes hæ ultra Africam incolunt, prope Gades) duabus triremibus conſtratis auxilio venerunt Heracleenſes.* Minimè hanc παρένθεσιν ipſius Memnonis, ſed grammatici Photii exiſtimo, omnis geographiæ ignari. Sed genus *Marrucinorum* incertum eſſe, ſuperiori capite intelleximus. Cato tamen à Marſis deductum voluiſſe videtur. ſic quidpe apud Priſcianum eſt lib. VIIII: *Cato in ſecundo Originum; Marſus hoſtem occidit priùs, quàm Pelignus. propterea Marrucini vocantur, de Marſo detorſum nomen.*

Cæterò in tam arctis Marrucini agri finibus unum tantùm refertur opidum TEATE, Straboni, Statio, Ptolemæo, atque Itinerariis. & opidani inde Plinio, lib. III cap. XII *Marrucinorum* TEATINI. Silius prædicto lib. VIII, neſcio quo errore inductus, *Corfinium* falsò Marrucinis adſcripſit; ut infrà in Pelignis videbimus. Sed Græcis Straboni atque Ptolemæo formatur opidi Marrucinorum vocabulum Τεατέα: ut apud eumdem Strabonem Etruriæ opidum legitur Καιρέα, *Cærea*; quod aliis erat Καῖρε, *Cære*; maximè Latinis. Illi imperitè fecêre grammatici poſterioris ſæculi, qui primam ſyllabam Græcâ literâ Θ adſpiraverunt *Theate*; ut pleraque nunc referunt exemplaria auctorum. ſed idem accidit & gemini opidi, alterius in Campaniâ, in Apuliâ alterius, nomini *Teano*: quod & ipſum apud Latinos auctores adſpiratum legitur *Theanum*: quum ipſis Græcis ubique ſcribatur Τέανον. At in Itinerariis miſerè cùm gentis tùm opidi nomen vitiatum laceratumque legitur hoc modo: TEATI opidum.

Antonini;		Tabulæ;	
Thee marracino		*Tea Nomarrucinoceios*	
Hadriæ	XIIII.	*Oſtia eterni*	XII.

Vtrobique legendum *Teate Marrucinorum*. Prius mendum in Tabulâ erat *Teano Marrucinorum*. Hodiè opidum vulgò vocatur *Tieti*; & frequentiùs *Chieti*. Caput fuiſſe gentis, auctor eſt maximè Strabo lib. V: ubi in univerſum de Veſtinis, Pelignis, Marſis, Marrucinis, ac Frentanis loquens, Τὰ μὲν οὖν, inquit, ἄλλα κωμηδὸν ζῶσιν· ἔχȣσι δὲ καὶ πόλεις. ὑπὲρ μὲν τῆς θαλάττης τό τε Κορφίνιον καὶ Σȣλμῶνα καὶ Μαρȣ́ϊον καὶ Τεατέαν, τὴν Μαρȣκίνων μητρόπολιν. Id eſt: *Degunt ferè in vicis. habent tamen etiam urbeis: ſupra mare, Corfinium, Sulmonem, Marruvium, & Teateam, Marrucinorum caput.* Silio memoratur ſuprà ſcripto lib. XVII; & item lib. VIII: ubi *magnum* id vocat *Teate*.

Teate. Statius Silvar. lib. IIII carm. IIII; ubi de Veſuvii montis incendiis agrorumque circùm vaſtatione ad Marcellum ſcribit; ita canit:

——— *Procul iſta tuis ſint fata, Teate:*
Nec Marrucinos agat hæc inſania monteis.

Innuit prodigium, quod Marrucino agro acciderat. Plinius lib. II cap. LXXXIII: *Non minùs mirum oſtentum & noſtra cognovit ætas, anno Neronis principis ſupremo; ſicut in rebus eius expoſuimus: pratis oleisque, intercedente viâ publicâ, in contrarias ſedeis transgreſſis, in agro Marrucino, prædiis Vectii Marcelli, equitis Romani, res Neronis procurantis*. Et lib. XVII *cap*. XXV: *Super omnia, quæ umquàm audita ſunt, erit prodigium in noſtro ævo, Neronis principis ruino*, [alia exemplaria, *ruinâ*. ſcribe; *anno Neronis principis ſupremo*,] *factum, in agro Marrucino, Vectii Marcelli, è primis equeſtris ordinis*: (fortè rectiùs, *Vectii Marcelli, equeſtris ordinis, prædiis*;) *oliveto univerſo viam publicam transgreſſo; arvisque inde è contrario in locum oliveti profectis.*

Memoratur præterea locus in Marrucino agro Itinerariis in huiusmodi itinere:

Tabula;		Antoninus;		Antoninus;	
Tea Nomarrucinoceios		*Thee marrocino*		*Aterno, civitas*	
Inter primum	V.	*Inter bromio*	XVII.	*Iter Promium, vicus*	XXV.
Corfinio	VII.	*Corfinio*	XVII.	*Sulmone, civitas*	XXVIIII.
Sulmone	VII.				

INTER PROMIVM, *vicus*. Ex omnibus tribus itineribus inter ſe collatis lego *vici* iſtius vocabulum INTER PROMIVM. ſed ſitus eius minimè oſtendi poteſt; quando in tantum itineraria inter ſe diſcrepant intervallorum numeris. nec nomen id unde loco quæſitum, à flumine quodam, an à monte, divinatu facile eſt.

CAP. XIIII.

De PELIGNIS.

MArrucinis igitur ſimulque Veſtinis ab ortu Solis hiberni continuabantur PELIGNI. quos & ipſos inter μικρὰ ἔθνη, id eſt, *parvas genteis* cenſet Strabo ſuprà dicto lib. V. Fineis igitur ipſis circumſcribo iſtos: Ab occaſu æſtivo, quà Veſtinis erant contermini, Aternum amnem, ad opidum usque, cui vulgare vocabulum *Diberi*, prope dextram ripam ſito. inde ab occaſu æquinoctiali, quà Marſis jungebantur, Apenninum montem, ad fontem usque Sagri amnis, vulgò nunc *Sangro* & *Sangvine* dicti. ab auſtro, quà Samnitibus continuabantur, montium jugum, quod à Sagri fonte lævam amnis ripam proſequitur ad opidum usque vulgò *Pizzo Ferrato* dictum: hinc ipſo Sagro ad Raſini usque confluentem à Frentanis dirimebantur. Strabo dicto lib. V: Μεταξὺ δὲ Ὀρτῶνος καὶ Ἀτέρνου ὁ Σάγρος ποταμός, ὁρίζων τοὺς Φρεντανοὺς ἀπὸ τῶν Πελιγνῶν. Id eſt: *Inter Ortonam & Aternum Sagrus eſt fluvius, Frentanos à Pelignis dirimens*. Id ſanè falſum, quòd ait *Sagrum* eſſe inter Aternum & Ortonam; quum XII circiter millia paſſuum ultra hanc in mare effundatur. Verùm haud dubiè eum decepit, quòd Ortonam audiverat eſſe Frentanorum; Sagrum verò quadam ſui parte terminum inter Frentanos & Pelignos: quod malè de inferiori eius parte circa oſtium intellexit. Ptolemæum, credo, eadem res in errorem induxit; uti is omne litus ab Sagro ad Aternum usque, & in eo Ortonam urbem, ut ſuperiori capite dictum, falſò Pelignis tribuerit. Porrò verſùs ortum æſtivum ac ſeptemtriones ab iisdem Frentanis ſubmovebantur Peligni montium jugo, quod à dictis Raſini Sagrique confluentibus ad Fori usque procurrit fontem. hinc à Marrucinis Maiellâ monte & ſuprà dicto amne Raſentio; qui in Aternum defluit. Marſos Pelignis fuiſſe conterminos, vel ex hoc Cæſaris patet loco Belli civilis lib. I: *Domitius ipſe circiter* XX *cohorteis Albâ ex Marſis & Pelignis & finitimis regionibus coëgerat*. Mendoſè heic nominantur XX cohorteis; quum paullo pòſt ita ſequatur: *Quod niſi fecerit, ſe cohorteisque ampliùs* XXX, *magnumque numerum ſenatorum*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

torum atque equitum Romanorum in periculum eſſe venturum. Rectiùs igitur apud Ciceronem, ad Atticum lib. VIII epiſt. XVII, quæ eſt Cn. Pompeii, ita ſcriptum: *Quòd meas* XVIIII *& ſuas* XII *cohorteis tribus in opidis diſtributas haberet. nam partim Albæ, partim Sulmone collocavit*. Ipſe Cicero, oratione in Vatinium: *Ob hasce omneïs res, ſcias, te ſeveriſſimorum hominum Sabinorum, fortiſſimorum virorum Marſorum & Pelignorum, tribulium tuorum, judicio notatum*. Samniteis etiam Pelignis fuiſſe finitimos, inde liquet, quòd *Aufidena*, ut infrà ſuo loco oſtendetur, ad dextram Sagri ripam poſitum opidum, fuit Samnitium. Sed & diſertè Livius duas hasce genteis conjungit lib. XXVI; ubi de Hannibalis loquitur itinere in hæc verba: *Ex Campaniâ in Samnium, inde in Pelignos perveniſſe: præterque opidum Sulmonem in Marrucinos tranſiſſe*. Et lib. VIII: *Conſenſit & ſenatus bellum. conſulesque, duobus ſcriptis exercitibus, per Marſos Pelignôsque profecti, adjuncto Samnitium exercitu, ad Capuam caſtra locant.*

Nomen *Pelignorum* quod attinet; mirum in modum apud Græcos auctores Diodorum atque Appianum corruptum legitur. Apud Diodorum lib. XX, in Xenippi apud Athenienſis magiſtratu, exſcriptores fecêre Παλλιέες, & in Phereclis magiſtratu Παλλωούς· quos Livius ſub finem libri VIIII diſertè vocat *Pelignos*. Verba apud Diodorum in Phereclis magiſtratu hæc leguntur: Ὁ δὲ δῆμος ὁ Ῥωμαίων πρὸς τε Μαρσοὺς καὶ Παλλωοὺς ἔτι δὲ Μαρυκίνους συμμαχίαν ἐποιήσατο. Id eſt: *Populus Romanus cum Marſis Pallenisque & Marycinis ſocietatem inivit*. De eâdem re ita Livius dicto lib. VIIII: *De Aequis triumphatum. exemploque eorum clades fuit, ut Marrucini, Marſi, Peligni, Frentani, mitterent Romam oratores pacis petendæ amicitiæque*. Apud Appianum Civil. bellor. lib. I leguntur iſta: Μαρσοὶ τε καὶ Μαγλῖνοι καὶ Οὐϊστῖνοι καὶ Μαῤῥουκῖνοι, καὶ ἐπὶ τούτοις Πικεντῖνοι καὶ Φερεντανοί. quæ ita erant corrigenda: Μαρσοί τε καὶ Πελιγνοὶ καὶ Οὐηστῖνοι καὶ Μαῤῥουκῖνοι, καὶ ἐπὶ τούτοις Πικεντῖνοι καὶ Φρεντανοί. Id eſt: *Marſi, Peligni, Veſtini, Marrucini, Picentes, Frentani*. De cætero notandum; quamvìs ε ſcripſerint in *Pelignorum* vocabulo Græci auctores; tamen longam fuiſſe eam ſyllabam Latinis poëtis. Calpurnius Eclogâ IIII:

Quod Peligna ſolent examina lambere nectar.

Silius lib. VIII: ——— *Conjungitur acer*
Pelignus; gelidoque rapit Sulmone cohorteis.

Ex Ovidio frequentia mox videbimus exempla.

De genere huius populi ita tradit Pompeius Feſtus: *Peligni ex Illyrico orti. inde enim profecti ductu Volſini regis, cui cognomen fuit Lucullo, partem Italiæ occuparunt. Huius fuerunt nepotes, Pacinus; à quo Pacinates: & Pelicius: à quo Peligni*. Quinam hi fuerint, & an omnino ulli fuerint, *Pacinates*, nemo facilè dixerit; quando nulli aliorum auctorum memorati: niſi Πικίαντες, *Piciantes*, Stephani, quos *Picentes* eſſe ſuprà cap. XI dixi, iidem habendi ſint. *Pelignos* verò tametſi Illyrici fuiſſe generis ea maximè perſvaderet ratio, quòd *Liburnorum* quædam pars ex eodem Illyrico Piceni etiam agri portionem quondam tenuit; tamen alii auctores Italici generis eos fuiſſe, ab Sabinis ortos, tradiderunt. Ovidius Faſtor. lib. III:

Et tibi cum proavis, miles Peligne, Sabinis
Convenit.

Cæterùm opida in hac gente auctoribus recenſentur III tantùm; *Sulmo*, *Corfinium*, & cui nomen *Super Equum*.

SVLMO hodiéque nomen antiquum retinet, vulgò incolis *Sulmona*, & corruptiùs *Surmona*, *Sarmona*, *Sermona*, dictum. Memoratur Cn. Pompeio, Cæſari, Ovidio, Livio, Straboni, Silio, Plinio, Ptolemæo, Floro, Tabulæ itinetariæ, Oroſio, & aliis. Græcè apud Ptolemæum ſcribitur Σουλμών· quod Latino formatur ore *Sulmo*. at apud Strabonem lib. V accuſativus caſus legitur Σούλμον. quod omnino falſum vitiatumque judico, pro eo, quod Strabo ſcripſerat Σούλμονα, ab recto caſu Σούλμων. quidpe Latinis auctoribus pariter omnibus conſtanter dicitur *Sulmo*, *Sulmonis*. unde Cæſari Belli civilis lib. I, & Plinio lib. III cap. XII, item Iuvenali Sat. VI, opidani SVLMONENSES. Patria quum foret Ovidii; ſitus atque natura ſoli ab eo paullo diligentiùs adnotata ſunt. Martialis lib. I epigram. LXII: SVLMO *opidum.*

Verona docti ſyllabas amat vatis;
Marone felix Mantua eſt:

Cenſetur

Cenſetur Apona Livio ſuo tellus,
Stellâque, nec Flacco minùs.
Apollodoro plaudit imbrifer Nilus:
Naſone Peligni ſonant.

Ovidius Amorum lib. III eleg. XIIII:

Mantua Virgilio gaudet; Verona Catullo:
Pelignæ dicar gloria gentis ego.

Ponticorum lib. I eleg. VIIII:

Non meus amiſſos animus deſiderat agros,
Ruraque Peligno conſpicienda ſolo.

Ponticor. lib. IIII eleg. XIIII:

Gens mea Peligni, regioque domeſtica Sulmo:

Amor. lib. II eleg. XVI:

Me, pars, Sulmo tenet, Peligni tertia ruris:
Parva; ſed irriguis ora ſalubris aquis.

Reliquæ duæ partes erant *Corfinium* & *Super Equum*, ſuprà dicta opida. Porrò idem Ovidius Faſtor. lib. IIII; ubi etiam à *Solymo Phryge Sulmonem* conditum denominatumque fabuloſè fingit:

Serus ab Iliacis, & poſt Antenora, flammis
Attulit Aeneas in loca noſtra deos.
Huius erat Solymus Phrygiâ comes unus ab Idâ:
A quo Sulmonis mœnia nomen habent:
Sulmonis gelidi, patriæ, Germanice, noſtræ.
Me miſerum, Scythico quàm procul illa ſolo eſt!

Et eodem libro infrà:

Hac ego Pelignos, natalia rura, petebam;
Parva; ſed adſiduis humida ſemper aquis.

Triſtium lib. IIII eleg. VIIII:

Sulmo mihi patria eſt, gelidis uberrimus undis.

Amor. lib. I eleg. I:

Hæc quoque compoſui, Pelignis natus aquoſis,
Ille ego nequitiæ Naſo poëta meæ.

Hinc ergo etiam præſcriptum illud Silii lib. VIII:

——————— *Conjungitur acer*
Pelignus; gelidoque rapit Sulmone cohorteis.

Aquoſos adpellat Ovidius *Pelignos*, & *gelidum Sulmonem*, ſeu *gelidis uberrimum undis*, ac *ſalubrem irriguis aquis*, item *adſiduis aquis ſemper humidum*; quia inter duorum amnium, qui hinc uno alveo in Aternum apud Populium opidum defluunt, confluenteis poſitum eſt opidum. Ipſorum amnium fontes uberrimi gelidiſſimique oriuntur, alter paullo longiùs, in Apennini jugis; alter propiùs, in Maiellâ monte. Planitiem perlabuntur, in qua ſitus eſt *Sulmo*, ad XIII millia paſſuum longam, V millia latam. Plinius lib. XVII cap. XXVI: *Deſiderant maximè rigari, quæ adſuevêre. Contrà, ſiccis locis genita non expetunt humorem, niſi neceſſarium. Aſperiora vina rigari utique cupiunt in Sulmonenſi Italiæ agro, pago Fabiano: ubi & arva rigantur. mirumque; herbæ aquâ illâ necantur; fruges aluntur: & riguus pro ſulco eſt. In eodem agro brumâ (tanto magis, ſi nives jaceant, geletve) ne frigus viteis adurat, circumfundunt riguis. quod ibi tepidare vocant; memorabili naturâ in amne ſolo. ſed idem æſtate vix tolerandi rigoris.* Is eſt, quem ex Apennino oriri dixi. cuius pars aquæductu medio hodiéque opido introducitur. eodemque coloni in rigandis utuntur agris hortisque. Cæterùm Silius lib. VIIII, Ovidii haud dubiè ſequutus auctoritatem fidemque, ita de conditore opidi canit:

Xantippo captus, Libycis tolerârat in oris
Servitium Satricus. mox inter præmia regi
Autololum dono datus ob virtutis honorem.
Huic domus & gemini fuerant Sulmone relicti
Matris in uberibus nati, Mancinus, & unà
Nomine Rhœtèo Solymus. nam Dardana origo

Et Phry-

Et Phrygio genus à proavo: qui, ſceptra ſequutus
Aeneæ, claram muris fundaverat urbem,
Ex ſeſe dictam Solymon. celebrata colonis
Mox Italis paullatim attrito nomine SVLMO.

Verùm hanc fabulam, ex nudâ vocabulorum ſimilitudine confictam, Virgilius etiam riſiſſet: qui omneis Aeneæ comites in unum confert Latium. niſi fortè eorum amplectenda heic ſit auctoritas, qui, ut habet Dio Chryſoſtomus in oratione de Ilio non capto, totius Italiæ Aeneam fecêre dominum. De cætero miſerandam eius calamitatem, quam bello civili inter Marium & Syllam perpeſſum eſt, narrat Florus lib. III cap. XXI. *Poſitis*, inquit, *ſingulorum hominum ferè pœnis, municipia Italiæ ſplendidiſſima ſub haſtâ venierunt; Spoletium, Interamnium, Florentia. nam Sulmonem, vetus opidum, ſocium atque amicum, (facinus indignum!) nondum expugnatum, ut obſides jure belli & modo morte damnati duci jubentur, ſic damnatam civitatem juſſit Sylla deleri.* Memoratur præthereà Cæſari belli civilis lib. I, Livio lib. XXVI, Oroſio lib. VI cap. XV.

Alterum Pelignorum opidum, nomine CORFINIVM, Κορφίνιον, memoratur CORFINIVM *opidum.* Cæſari, Ciceroni, Diodoro, Paterculo, Straboni, Senecæ, Silio, Lucano, Plutarcho, Svetonio, Appiano, Ptolemæo, Dioni, Livii epitomatori, Itinerariis, Oroſio, & aliis. Cicero ad Atticum lib. VIII epiſt. III: *Sed ecce nuncii, Cæſarem ad Corfinium; Domitium Corfinii, cum firmo exercitu & pugnare cupiente.* Seneca de Beneficiis lib. III cap. XXIIII: *Corfinium Cæſar obſidebat.* Svetonius in Cæſare, cap. XXXIIII: *L. Domitio, qui, per tumultum ſucceſſor ei nominatus, Corfinium præſidio tenebat, in deditionem redacto atque dimiſſo; ſecundùm ſuperum mare Brundiſium tetendit.* In Nerone, cap. II; ubi de Cn. Domitio egit: *Huius filius, ſucceſſor C. Cæſari per factionem nominatus, principio civilis belli ad Corfinium captus eſt.* Ptolemæus: Πελιγνῶν, Κορφίνιον, Σουλμῶν. *Pelignorum ſunt, Corfinium, Sulmo.* Florus lib. IIII cap. II: *Prima Arimino ſigna cecinerunt. tum pulſus Etruriâ Libo, Vmbriâ Thermus, Domitius Corfinio.* Lucanus lib. II:

At te Corfinî validis circumdata muris
Tecta tenent, pugnax Domiti.

Et lib. IIII: ——— *Nec Rheni miles in undis*
Exploratus erat, Corfinî captus in arce.

Silius lib. VIII:

Corfinî populos magnumque Teate trahebat.

Plutarchus eius meminit in Cæſare; Appianus Civil. bellor. lib. II: Livii epitomator lib. CVIIII: Oroſius lib. VI cap. XV, & transſcriptores eius, Paul. Diaconus Hiſtoriæ miſcellæ lib. VI, Freculfus tomi primi lib. VII cap. VIII. Situm eius oſtendunt maximè Cæſar atque Strabo; tum Itineraria. Strabo lib. V: Ὁ δ᾽ Ἄτερνος ποταμὸς ῥεῖ ἐκ τῆς Ἀμιτερνίνης, ζεύγματι περατός. διέχει δὲ τὸ ζεῦγμα τέσσαρας καὶ εἴκοσι σταδίους ἀπὸ Κορφινίου. Id eſt: *Aternus amnis ex Amiternino agro defluit: trajiciturque ponte, qui ſtadia* XXIIII *ab Corfinio abeſt.* Tot ſtadia conficiunt millia paſſuum III. Sic & Cæſar Belli civil. lib. I: *Recepto Aſculo, Cæſar ipſe, unum diem ibi rei frumentariæ causâ moratus, Corfinium contendit. Eò quum veniſſet: cohortes* V, *præmiſſæ à Domitio ex opido, pontem interrumpebant, qui erat ab opido millia paſſuum circiter* III. *Ibi cum antecurſoribus Cæſaris prœlio commiſſo, celeriter Domitiani, à ponte repulſi, ſe in opidum receperunt. Cæſar, legionibus traductis, ad opidum conſtitit; juxtaque murum caſtra poſuit.* Et paullo pòſt: *Interim Cæſari nunciatur, Sulmonenſeis, quod opidum à Corfinio* VII *millium intervallo abeſt, cupere ea facere, quæ vellet.* Itineraria ſic habent:

Tabulæ;		Antonini:	
Tea Nomarrucinoceios		*Thee marracino*	
Inter primum	V.	*Inter bromio*	XI.
Corfinio	VII.	*Corfinio*	XVII.
Sulmone	VII.		

Patet ex Cæſaris verbis, flumen Aternum cum ponte fuiſſe inter Aſculum & Corfinium: quorum hoc ab dextrâ Aterni ripâ millia paſſuum III, ab Sulmone VII fuit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

disſitum. Sunt hodiéque antiquæ urbis ruinæ in ſuprà dictâ Sulmonenſis opidi planitie, VII circiter millia à Sulmone, ac III millia ab Aterni ripâ opidoque Populio, quibus vulgare vocabulum nunc *Pentinia*. agri verò circumjecti adpellantur *I Campi di S. Pelino:* quia huic divo templum in iis dicatum eſt. Caput quondam fuiſſe *Corfinium* gentis Pelignorum, auctor eſt maximè Strabo dicto lib. V antè. Ἡ Οὐαλερία δὲ, inquit, ὁδὸς ἄρχεται μὲν ἀπὸ Τιβούρων, ἄγει δ' ἐπὶ Μαρσοὺς καὶ Κορφίνιον, τὴν τῶν Πελιγνῶν μητρόπολιν. Id eſt: *Valeria via incipit à Tibure; ducitque in Marſos & Corfinium, Pelignorum caput.* Et poſteà: Ὑπὲρ δὲ Πικεντίνης Οὐηστῖνοί τε καὶ Μαρσοὶ καὶ Πελιγνοὶ καὶ Μαρρουκῖνοι καὶ Φρεντανοὶ, τὴν ὀρεινὴν κατέχουσιν, ἐφαπτόμενοι μικρὰ τῆς θαλάττης. ἔστι δὲ τὰ ἔθνη ταῦτα μικρὰ μὲν, ἀνδρειότατα δὲ, καὶ πολλάκις τὴν ἀρετὴν ταύτην ἐπιδεδειγμένα Ῥωμαίοις· πρῶτον μὲν, ἡνίκα ἐπολέμουν· δεύτερον δὲ, ὅτε συνεστράτευον· τρίτον δὲ, ὅτε, δεόμενοι τυχεῖν ἐλευθερίας καὶ πολιτείας, μὴ τυγχάνοντες ἀπέστησαν, καὶ τὸν Μαρσικὸν καλούμενον ἐξῆψαν πόλεμον. Κορφίνιον, τὴν τῶν Πελιγνῶν μητρόπολιν, κοινὴν ἅπασι τοῖς Ἰταλιώταις ἀποδείξαντες πόλιν, ἀντὶ τῆς Ῥώμης, ὁρμητήριον τοῦ πολέμου, μετονομάσαντες Ἰταλικήν· καὶ ἐνταῦθα δὴ τοὺς συνεπομένους ἀθροίσαντες, καὶ χειροτονήσαντες ὑπάτους καὶ στρατηγοὺς, δύο ἔτη συνέμειναν ἐν τῷ πολέμῳ. Hoc eſt: *Supra Picenum Veſtini, Marſi, Peligni, Marrucini, & Frentani, montana tenent, exiguam oræ maritimæ partem attingentes. populi ipſi quidem exigui; ſed fortiſſimi; & qui ſuam fortitudinem Romanis ſæpè probaverint. primùm quidem, quum bellum adversùs eos geſſerunt: deinde, quum eorum caſtra ſequuti ſunt: tertiò, quum, libertatem ac jus civitatis petentes, repulſam paſſi deſciverunt; bellumque Marſicum iis concitarunt: quo Corfinium, Pelignorum gentis caput, communem omnibus Italicis populis, loco Romæ, urbem deſignaverunt ac belli arcem, Italicæ nomen imponentes. contractiſque huc ſociorum auxiliis, & conſulibus exercitusque ducibus creatis, biennium ei bello produxerunt.* Idem & Paterculus paucis refert lib. II. *Caput*, inquit, *imperii ſui Corfinium legerant; quod adpellarent Italicam.* Et Florus lib. III cap. XVIII: *Quum regum & gentium arbiter populus ipſum ſe regere non poſſet; ut victrix Aſiæ Europæque à Corfinio Roma peteretur.* Iam anteà quidem exſtitiſſe *Corfinium*, caputque fuiſſe Pelignorum, quàm belli huius, quod & *Italicum* & *Sociale* adpellatum ſuprà dixi, caput conſtitueretur; ſatis diſertè ex Strabonis Velleiique verbis patet. at in novum ſplendorem auctam tum fuiſſe urbem, auctor fuit Diodorus lib. XXXVII: ex quo Excerpta legationum hæc referunt. Ἐπισημοτάτη δὲ καὶ κοινὴ πόλις, ἄρτι συντετελεσμένη τοῖς Ἰταλιώταις, τὸ Κορφίνιον ἦν· ἐν ᾗ τά τε ἄλλα, ὅσα μεγάλην πόλιν καὶ ἀρχὴν κρατύνουσι, συνεστήσαντο καὶ ἀγορὰν εὐμεγέθη καὶ βουλευτήριον. * — *. τὴν καινὴν ἐκάλεσαν πόλιν τὸ Κορφίνιον. Id eſt: *Clariſſima erat & omnibus communis urbs Corfinium, recèns ab Italicis populis perfecta: in qua tum alia, quæ magnam urbem & imperium firmant, tum forum ampliſſimum & curiam exſtruxerant.* Poſteà: *Novam urbem Corfinium deferunt.* Incertum, an ipſe Diodorus ſcripſerit τὴν κοινὴν πόλιν *communem urbem*. Quando tandem omnis diruta ſit, parum conſtat. Circa annum Chriſti IↃCCCCLXX adhuc exſtitiſſe, patet ex Sigeberti Chronico; in quo ad eum annum ita ſcriptum eſt: *Metenſium epiſcopus imperatori Othoni ſangvine, dilectione, ac familiaritate cæteris devinctior, dum in Italicâ expeditione per triennium ſub eo militaret, multa corpora & pignora Sanctorum de diverſis Italiæ locis quocumque potuit modo collegit. primùm à Marſiâ ſanctum Elpidium confeſſorem; ab Amiternis Eutychetem martyrem; à Corfinio Luciam, Syracuſanam virginem, & martyrem.* Ex ruinis eius poſteà creviſſe proximum opidum Populium, haud dubium eſt.

SVPER EQVVM, opidum.

Tertium hinc Pelignorum opidum, cui nomen eſt apud Frontinum in libro de Agrorum limitibus SVPER EQVVM, opidani verò apud Plinium lib. III cap. XII inde ſunt SVPEREQVANI, in exiguo hodiè monſtratur veſtigio, medio fermè ſitu inter Sulmonem & Sagrum amnem, apud opidum, cui vulgare nomen *Palena:* quod memoriam referre putatur antiqui *Pelignorum* nominis; quum caput aliquando eorum fuerit. Ac ſanè ab hoc vocabulo Diodori Appianique exſcriptores ſuprà dicta vocabula Παλληνοὶ, Παλίνιοι, & Παλιγνοὶ, formaſſe videntur.

De cætero iter in Itinerariis eſt per Pelignorum agrum huiusmodi:

Tabulæ;		Antonini;	
Sulmone		*Sulmone*	
Iovis Larene	VII.	|	
Aufidena	XXV.	*Aufidena*	XXIIII.

Quia

Quum *Aufidena* opidum, quod vulgò nunc vocatur *Alfidena*, apud Sagrum amnem, xx circiter milliaria à Sulmone diſtet, in Tabulâ alterum x abundare, certum eſt. Locus iſte intermedius, à quo VII erant millia ad Sulmonem, XV verò, ſive XVII, ad Aufidenam, quod cognomentum habuerit, minimè diſpicio. Nominativum caſum voluiſſe auctorem in voce IOVIS, teſtantur duo alii loci in eâdem Tabulâ; quorum alter *Iovis Apenninus* ad Iguvium in Vmbriâ; alter in Campaniâ ſuper Capuam in Tifatis monte *Iovis Tifatinus* vocatur. unde etiam colligo, ut & hæc duo & pleraque alia paſſim Iovis templa, ſic hoc quoque in Pelignis in aliquo montis vertice poſitum fuiſſe juxta viam publicam, quæ Sulmone ferebat Aufidenam. Vocabulorum ſimilitudo ſuſpicionem ferè movet, ſcriptum fuiſſe in Tabulâ IOVIS PALENVS; poſitumque fuiſſe id opidum ſupra prædictum opidum *Palenum*, in aliquo vertice ingentis jugi, quod, inter Aternum Sagrumque amneis ab Apennino versùs mare porrectum, vulgò nunc vocatur *Monte Maiella*; olim autem dictus fuerit PALENVS *mons*: unde *Iovi* cognomentum; quemadmodùm in Campaniâ à *Tifatis*, in Vmbriâ ab *Apennino*. A celebritate atque cultu huius templi error poſtmodùm Diodori Appianique prædictis exſcriptoribus natus videtur, uti τ̃ Πελιγνῶν nomen in Παλλωῶν & Παλινίων vocabula corrumperent. Sed & proximum opidum, quod ex *Superequanorum* ruinis haud dubiè exſtructum, ab eâdem nominis celebritate *Paleni* adpellationem accepiſſe potuit.

IOVIS PALENI templum.

Aliud iter per Pelignorum agrum versùs Fucinum lacum ferebat hoc modo:

Tabula;		Antoninus;	
Corfinio		*Corfinio*	
Statulæ	VII.	|	
Mons Imeus	....	|	
Cirfenna	V.	*Cerfennia*	XVII.
Marrubio	VII.	|	
Alba	XIII.	*Alba Fucentia*	XXIII.

Alba hæc *Fucentia*, Marſorum quondam opidum, haud procul Fucino lacu, vulgò hodiéque dicitur *Albi*. *Marrubium* eorumdem Marſorum olim fuiſſe caput, ſequenti hinc capite patebit. *Mons Imeus* etiam nunc vulgò vocatur *Coll' Arméo*, circa eumdem lacum Fucinum. Inter hunc igitur & Corfinium, locus, cuius vocabulum fortè in archetypo Tabulæ fuit STATVAE, ex intervallo VII millium deprehenditur fuiſſe medio ſitu inter opida nunc, *Prezza*, *Averſa*, *Caſtel Diberi*. Atque hæc ferè ſunt loca à veteribus adnotata auctoribus in Pelignis.

CAP. XV.

De MARSIS.

PElignis ab occaſu Solis hiberni contermini fuêre MARSI. His quoque fabuloſam ex Phrygiâ adfinxêre originem poëtæ. Silius ſuprà dicto lib. VIII:

Hæ bellare acies norant. At Marſica pubes
Et bellare manu, & chelydris cantare ſoporem,
Vipereumque herbis hebetare & carmine dentem.
Sed populis nomen poſuit metuentior hoſpes,
Quum fugeret Phrygios trans æquora, Marſya, Crenos,
Mygdoniam Phœbi ſuperatus pectine loton.

Plinius lib. III cap. XII: *Gellianus auctor eſt, lacu Fucino hauſtum Marſorum opidum Archippen, conditum à Marſyâ, duce Lydorum.* Plinii epitomator Solinus cap. VIII: *Quis ignorat, conditam Archippen à Marſyâ, rege Lydorum. quod* [*opidum*] *hiatu terræ hauſtum, diſſolutum eſt in lacum Fucinum.* At Virgilius *Archippum* fingit Marſorum regem, ſub Aeneæ ætatem, his verſibus Aeneid. lib. VII:

Quin & Marrubiâ venit de gente ſacerdos,
Fronde ſuper galeam & felici comptus olivâ,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Archippi regis miſſu, fortiſſimus Vmbro:
Vipereo generi & graviter ſpirantibus hydris
Spargere qui ſomnos cantuque manuque ſolebat;
Mulcebatque iras & morſus arte levabat.
Sed non Dardaniæ medicari cuſpidis ictum
Evaluit: neque eum juvêre in vulnera cantus
Somniferi, & Marſis quæſitæ in montibus herbæ.
Te nemus Angitiæ, vitreâ te Fucinus undâ,
Te liquidi flevêre lacus.

Apud prædictum Solinum hæc quoque ſcripta ſunt cap. II: *Aram Hercules, quam voverat, ſi amiſſas boves reperiſſet, punito Caco, patri inventori dicavit. qui Cacus habitavit locum, cui Salinæ nomen eſt; ubi Trigemina nunc porta. hic, ut Cælius tradit, quum à Tarchone Tyrrheno, ad quem legatus venerat miſſu Marſyæ regis, ſocio Megale Phryge, cuſtodiæ foret datus; fruſtratus vincula, unde venerat, redux, & præſidiis amplioribus occupato circa Vulturnum & Campaniam regno, dum etiam ea attrectare auderet, quæ conceſſerant in Arcadum jura; duce Hercule, qui tunc fortè aderat, oppreſſus eſt. Megalen Sabini receperunt; diſciplinam augurandi ab eo docti.* Gentem *Tyrrhenorum*, quos Romani neſcio unde *Etruſcos*, à ſacrifico autem ritu *Tuſcos* adpellavêre, pleroſque Græcorum è Lydiâ, ſive, ut anteà vocabatur, è Mygdoniâ falſò deduxiſſe; quum re verâ eſſent *Pelaſgi*; quorum princeps *Tarchon*, ſeu *Tarcon*, condidit *Tarconium* ſive *Tarquinium* opidum in Etruriâ, omniſque haruſpicinæ diſciplinam Etruſcis tradidit; ſuprà huius lib. II cap. I & III oſtenſum eſt. *Sabini*, ut ſuprà cap. VIII intellectum, quia quibuſdam ab religione & præcipuo deorum cultu, id eſt, ἀπὸ τοῦ σέβεσθαι, dicti videbantur quaſi *Sebini*; iſthanc augurandi artem atque diſciplinam his, tamquàm primis auctoribus, tribuerunt. &, quum ex priorum traditione conſtaret, è Lydiâ, ut dicto cap. III oſtenſum, Tyrrhenos Pelaſgos hanc ſcientiam in Italiam duce Tarchone attuliſſe, Tuſciſque, cum quibus heic habitarunt, tradidiſſe; à *Megale Phryge*, ſocio Caci, (quem ad Tarchonem Tyrrhenum à Marſyâ, Lydorum rege, incertum è Lydiâ an ex Marſorum agro miſſum voluerint iſti,) Sabinos eam accepiſſe finxerunt. tum, quia è Sabinis, ut ſuperiori capite ex Ovidio intellectum, *Peligni* erant oriundi; hos quoque ab *Solymo* Phryge, Aeneæ comite, unà cum *Sulmone* opido conditos tradiderunt. Iam verò, quum maxima eſſet inter *Marſyæ*, Lydorum regis, nomen & *Marſorum* vocabulum ſimilitudo; hos quoque ab illis ortos denominatoſque voluerunt. Quamquàm plerique auctorum hunc *Marſyam Phrygem*, inſignem tibicinem, tibiarumque inventorem, poſtquàm cum Apolline in Phrygiâ tibiarum cantu certaverit victuſque fuerit, illicò ab eo platano, ut tradit Plinius lib. XVI cap. XLIIII, ſeu, ut Philoſtratus in Iconibus Apollodoruſque lib. I, pinu ſuſpenſum, vivumque excoriatum ferunt: unde flumini proximo *Marſyæ*, in Mæandrum influenti, manſerit nomen. Et *Marſorum* in Italiâ gentem alii auctores, quibus iſthæc fabula minùs placuiſſe videtur, à Circes filio ortam nominatamque tradiderunt. Plinius lib. VII cap. II: *Simile & in Italiâ Marſorum gentis durat; quos à Circes filio ortos ferunt; &: ideò ineſſe vim naturalem eam.* Agellius lib. XVI cap. XI: *Gens in Italiâ Marſorum orta eſſe fertur à Circæ filio. prætereà Marſis hominibus, quorum dumtaxat familiæ cum externis cognationibus nondum etiam permixtæ corruptæque ſunt, vi quadam genitali datum eſt, ut ſerpentium virulentorum domitores ſint, & incentionibus herbarumque ſuccis faciant medelarum miracula.* Solinus cap. VIII: *Gentem Marſorum ſerpentibus illæſam eſſe, nihil mirum. à Circes filio genus ducunt: & de avitâ potentiâ deberi ſibi ſentiunt ſervitium venenorum: ideóque venena contemnunt. Cælius Aeetæ treis filias, Angvitiam, Medéam, & Circen, dicit fuiſſe. Circen Circæos inſediſſe monteis, carminum maleficiis varias imaginum facies mentientem. Angvitiam vicina Fucino occupaviſſe; ibique ſalubri ſcientiâ adversùs morbos reſiſtentem, quum deſiiſſet hominem vivere, deam habitam. Medéam ab Iaſone Buthroti ſepultam; filiumque eius Marſis imperaſſe.* Servius ad præſcriptum Virgilii locum: *Medéa, quando, relictis Colchis, Iaſonem ſequuta eſt, dicitur ad Italiam perveniſſe: & populos quoſdam, circa Fucinum ingentem lacum habitanteis, qui Marrubii adpellabantur, quaſi circa mare habitanteis, propter paludis magnitudinem, docuit remedia contra ſerpenteis. Quamquàm alii Marrubios à rege dictos velint. Hi ergo populi Medéam*

Angitiam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Angitiam nominaverunt, ab eo, quòd eius carminibus ſerpenteis angerent. Sic equidem iſti quoque in hac fabulâ inter ſe diſcrepant. Verùm tota ea ex antiquiore illâ fabulâ de Circes, Circæum in Latio promontorium inhabitantis, veneficiis conſtructa eſt. ſcilicet, quia eâdem arte & Circe antiquiſſimis poëtis erat celebrata, & Marſi etiam poſteà erant nobiles; hi ab illâ originem ducere fingebantur. Aliam rurſus fabulam, neſcio unde depromptam, refert Iſidorus grammaticus Origin. lib. VIIII cap. II: *Marſi*, inquit, *gens Italiæ; dicta à comite Liberi Marſyâ; qui uſum illis vitium oſtendit; & ob hoc illi ſtatuam fecerunt: quam poſteà Romani, victis Marſis, tulerunt. Marſos autem Græci Tuſcos vocant; quaſi ὀφιούχους· quòd multos ſerpenteis habeant; & ὄφις ſerpens dicatur. illæſos autem eſſe carminum maleficiis.* Scripſerat ipſe Iſidorus, vel *Oſcos*, vel *Obſcos*, vel *Opicos*: quos ἀπὸ τῶν ὄφεων dictos, alii etiam grammatici, ut infrà lib. III cap. VIIII patebit, adfirmarunt. Verùm veri eſt ſimilius, eum fuiſſe gentis auctorem conditoremque, qui Silio ſuprà dicto loco continuò pôſt vocatur *Marrus*, in his verbis:

Marruvium, veteris celebratum nomine Marri,
Vrbibus eſt illis caput.

Quod adeò verum eſſe videtur, uti etiam Virgilius præſcripto loco gentem adpellaverit MARRVVIOS. Cæterùm idem poëta Aeneid. lib. X ita canit:

Hinc Helenum petit, & Rhœti de gente vetuſtâ
Anchemolum, thalamos auſum inceſtare novercæ.

Ad hæc ita Servius: *Hæc fabula in Latinis nuſquàm invenitur auctoribus. Avienus tamen, qui totum Virgilium jambis ſcripſit, hanc commemorat, dicens Græcam eſſe: Rhœtus Marrubiorum rex fuerat in Italiâ; qui Anchemolo filio Caſperiam ſuperinduxit novercam. hanc privignus ſtupravit. quâ re cognitâ, quum eum pater inſequeretur, & ad pœnam vocaret; fugiens ſe ille ad Turnum contulit ac Daunum. Meritò ergo in bello Turno, Dauni filio, Anchemolus gratiam reddit. Gente autem vetuſtâ, ideò, quia à Phorco, deo marino; originem ducere legitur. Hoc totum Alexander Polyhiſtor tradit; quem L. Sylla civitate donavit.* Huius quoque fabulæ primos conditores *Phrygium* in Marſis ſpectaſſe originem credo: eumque fuiſſe hunc *Rhœtum*, à quo *Rhœtéum* in Troade, Phrygiæ regione, opidum denominatum, memoratur Thucydidi lib. IIII & VIII, Straboni lib. XIII, Pomponio Melæ lib. I cap. XVIII, Plinio lib. V cap. XXX, & Stephani epitomatori: item *Rhœtéa litora*, ibidem Melæ ac Plinio, ac Virgilio Aeneid. lib. III & VI. Cæterùm, quum huius *Rhœti* altera conjux fingatur *Caſperia*; quo nomine opidum fuit in Sabinis; colligere hinc datur, nonnullos auctores Sabinam Marſis adſeruiſſe originem. Confirmaverit hanc conjecturam id, quod Pompeius Feſtus ait, *Hernicos dictos à ſaxis; quæ Marſi herna dicant.* quidpe Servius ad Virgilii Aeneid. lib. VII ita ſcribit: *Sabinorum linguâ ſaxa hernæ vocantur. Quidam dux magnus Sabinos de ſuis locis elicuit, & habitare ſecum fecit ſaxoſis in montibus: unde dicta ſunt Hernica loca, & populi Hernici.* Quòd ſi igitur Marſorum lingva eadem fuerit, quæ Sabinorum, certiſſimo hinc validiſſimoque colligitur documento, eiusdem illos cum his fuiſſe generis; ſive ab his denique ex Sabino agro ortos; ſive, unde & ipſi Sabini, ex *Opicorum*, qui & *Obſci* & *Oſci* dicebantur, gente profectos. Ducem habuerint ſuprà memoratum *Marrum*, an aliunde nomen *Marſorum* eis quæſitum, planè dubium eſt: namque poëtis minùs ritè in huiusmodi rebus fides habetur.

Fines nunc igitur agro Marſico circumſcribendi. A Pelignis ſubmotos fuiſſe montis Apennini jugo, quod ab Aterni ripâ & opido *Diberi* ad Sagri usque profenditur fonteis, ſuperiori capite oſtenſum eſt. ultra dictum opidum, à Veſtinis ſeparabantur ipſo Aterno, ad Furconium usque Sabinorum, & Aviam, quæ nunc eſt *Aquila*, Veſtinorum opidum. Vibius Sequeſter in Catalogo fluminum: *Aternus, Hadriæ; decurrens per Marſos. ubi & Oſtia civitas.* Satis breviter & obſcurè. ſed ut Oſtia civitas ad Aterni oſtium non erat in Marſis, verùm in Veſtinis, confinio Marrucinorum, inter quos & Marſos fuêre Peligni; ſic neque Aternus per medios Marſos fluxit, ſed præterfluxit tantùm exiguâ ſui parte, inter prædictum opidum *Diberi* & Furconium: quorum hoc, unà cum proximis Amiterno & Interocreâ, fuiſſe Sabinorum, ſuprà cap. VIIII intellectum. Hinc Livius lib. VIIII, de Samnitibus è Samnio proficiſcentibus loquens: *Etruriam per Marſos ac Sabinos petituri.* Et lib. XXVI, de Hannibale; *Præter opidum Sulmonem in Marrucinos tranſiiſſe. inde Albenſi agro in Marſos.*

FINES MARSORVM.

Marſos. hinc Amiternum Foruloſque vicum veniſſe. Ab Sabinis igitur eos diſtingvo lineâ ab Aterno infra Furconium in occaſum verſùs Solis brumalis ad Telonium amnem, (vulgò nunc eſt *Turano*, in Velinum influens) quà ei adpoſitum eſt opidum vulgari adpellatione *Col di Iovo*, ductâ. nam Telonium attigiſſe Marſorum fineis, ſuprà cap. x in deſcriptione eius amnis patuit. A dicto proximè opido ipſe Telonius ad fonteis usque ab Aequis eos arcebat; quorum fuiſſe opida, *Trebam*, *Sublaqueum*, *Carſeolos*, vulgò nunc *Treve*, *Subiaco*, & *Arſuli* dicta, ſubſequenti hinc capite oſtendetur. Ab Telonii fonte porrò montium jugum inter eosdem populos ſtatuo, quod in orientem brumalem inter Anienis Lirisque (his nunc vulgò eſt *Garigliano*) amnium fonteis procurrit, ad opidum usque *S. Bartolomeo*, regione opidi *Alatrii*: quod Hernicorum fuiſſe, infra lib. III cap. VI patebit. Hoc igitur tractu Hernicos habuêre conterminos. Hinc ſequebantur Volſci: quorum opida *Sora* atque *Arpinum*. ab his igitur lineâ Marſos ſejungo à dicto *S. Bartholomæi* opido ad Sagri fonteis ductâ. Sed antiquiſſimis temporibus ad lacum usque Fucinum pertigiſſe Volſcos, ex Livii lib. IIII diſco, in rebus geſtis anni urbis Romæ CCCXLVII. *Bellum*, inquit, *haud memorabile fuit. uno, atque eo facili, prælio cæſi ad Antium hoſtes: victor exercitus depopulatus Volſcorum agrum: caſtellum ad lacum Fucinum vi expugnatum; atque in eo tria millia hominum capta: cæteris Volſcis intra mœnia compulſis, nec defendentibus agros*. Sed & Strabo, qui ſub Tiberio imperatore geographica ſua compoſuit, præter Marſos, alias apud Fucinum genteis ponere videtur. Verba eius lib. V hæc ſunt: Μάλιστα δ' ἐν μεσογαίᾳ τῶν Λατίνων πόλεών ἐστιν ἡ Ἄλβα, ὁμοροῦσα Μαρσοῖς· ἵδρυται δ' ἐφ' ὑψηλοῦ πάγου· ἔστι δὲ καὶ λίμνη Φουκίνα πλησίον, πελαγία τὸ μέγεθος. χρῶνται δ' αὐτῇ μάλιστα μὲν Μαρσοὶ καὶ πάντες οἱ πλησιόχωροι. Id eſt: *Latinorum urbium maximè mediterranea eſt Alba, Marſis contermina, ſcopulo inſidens ſublimi. propè eum eſt lacus Fucinus, magnitudine pelago ſimilis. eo utuntur præcipui Marſi & finitimi omnes*. Nequaquàm ego ex aliis auctoribus diſpicio, quinam illi tot alii præter Marſos fuerint populi Fucinum lacum adcolentes. nam *Alba* etiam ab omnibus aliis tribuitur Marſis. nec ipſe lacus cuiquam, niſi in Marſis, memoratur. Vibius Sequeſter in Catalogo lacuum: *Fucinus, in Marſis*. Plinius lib. XXXI cap. III, de aquâ Marciâ: *Oritur in ultimis montibus Pelignorum: tranſit Marſos & Fucinum lacum; Romam non dubiè petens*. Dio lib. LX: Τὴν δὲ λίμνην τὴν Φουκίνην, τὴν τῶν Μαρσῶν, ἠθέλησε ὁ Κλαύδιος ἐς τὸν Τίβεριν ἐξαγαγεῖν. Id eſt: *Claudius Fucinum lacum, qui in Marſis eſt, in Tiberim emittere voluit*. Plinius verò lib. III cap. XII adeò totum lacum Marſis tribuit; uti non modò *Anxantinos*, quorum opidum nunc eſt vulgò *Cività d'Antia*, inter lacum & Lirim amnem, ſed & *Atinates*, longè infra lacum verſùs meridiem diſſitos, (qui re verâ erant Volſci in Novo Latio; ubi & ipſe eos anteà cap. V poſuit) Marſorum nomini adſcripſerit. Quapropter, erraſſe hac in re Strabonem, omnino credendum eſt.

FVCINVS lacus.

Opida Marſorum pauca admodùm memorantur antiquis ſcriptoribus. ea uti commodè inveſtigare poſſimus, ipſe FVCINVS LACVS antè dicendus erit. Is nunc etiam vulgò interdum *Lago Fúcino*, ſed plurimùm ab opido juxtà ſito *Il lago di Celáno* cognominatúr. Memoratur Virgilio, Livio, Iul. Obſequenti, Straboni, Plinio, Silio, Martiali, Tacito, Svetonio, Dioni, Vibio, & aliis. At Lycophroni, antiquo in primis poëtæ, unde dicatur Φόρκη λίμνη, PHORCVS, ſive FVRCVS, *lacus*, minimè diſpicio. Verba eius hæc ſunt de Aeneæ poſteris, Romam in Latio condituris:

Τὴν πλεῖστον ὑμνηθεῖσαν ἐν χάρμαις πάτραν
Ἐν ὀψιτέκνοις ὀλβίαν δωμήσεται,
Τύρσιν μακεδνὰς ἀμφὶ Κιρκαίου νάπας
Ἀργοῦς τε κλεινὸν ὅρμον Αἰήτην μέγαν,
Λίμνης τε Φόρκης Μαρσιωνίδος ποτὰ,
Πιτώνιόν τε χεῦμα τοῦ κατὰ χθονὸς
Δυνόντος εἰς ἄφαντα κευθμῶνος βάθη.

Hoc eſt:

Plurimum celebratam in bellis patriam
Per poſteros ædificabit, felicem
Arcem, altas juxta Circæi ſilvas
Portumque Argûs inclytum, Aeeten magnum,
Phorcique, Marſici lacus, latices,

Pitonium-

Pitoniumque flumen, ſub terram
Seſe condens in obſcuras ſpecus profunditates.

Ad hæc ita Iſacius Tzetza: Φόρκη, λίμνη, σταδίους φ' ἀπέχουσα τῆς Ῥώμης· Μαρσοὶ δ' ἔθνος Ἰταλίας, περὶ ταύτην τὴν λίμνην οἰκοῦντες. Id eſt: *Phorce eſt lacus, ſtadia* IↃ *à Româ diſtans. Marſi autem gens Italiæ, lacum hunc adcolentes.* Intelligi *Fucinum lacum*, cùm nomen *Marſorum*, tùm intervallum à Româ IↃ *ſtadiûm*, id eſt, millium paſſuum fermè LXVII, item *Pitonius* amnis, de quo mox plura, apertè indicant. Cæterùm memoratur lacus Virgilio fine lib. VII Aeneidos, his verſibus de ſuprâ dicto Marſorum ſacerdote canenti: ——— *Neque eum juvêre in vulnere cantus*

Somniferi, & Marſis quæſitæ in montibus herbæ.
Te nemus Angitiæ, vitreâ te Fucinus undâ,
Te liquidi flevêre lacus.

Silio lib. IIII: *Iamque dedit letho Stemium, Laurumque, domoque*
Collinum gelidâ, vitreo quem Fucinus antro
Nutrierat, dederatque lacum transmittere nando.

Item Martiali, in Spectaculorum libro epigram. XXVIII:

Fucinus & pigri taceantur ſtagna Neronis.

Deſcribitur autem paucis à Strabone dicto lib. V: ubi præſcriptis hæc continuò ſubnectit: φασὶ δ' αὐτὴν καὶ πληροῦσθαι ποτὲ μέχρι τῆς ὀρεινῆς, καὶ ὑποπίνεσθαι πάλιν, ὥστ' ἀναψύχειν τοὺς λιμνωθέντας τόπους, καὶ γεωργεῖσθαι παρέχειν· ἤτοι μεταστάσεις τῶν ἐν τῷ βάθει ὑγρῶν σποράδην καὶ ἀδήλως γίγνονται, πάλιν δ' ἐπισυρρέουσιν, ἢ τελέως ἐκλείπουσιν αἱ πηγαὶ καὶ πάλιν συνθλίβονται. Id eſt: *Ferunt, hunc lacum interdum usque ad montana impleri; rurſumque ſubſidere: ita, uti loca, quæ lacuſtribus aquis obducta erant, rurſus detegantur, & cultui fiant apta: ſive ſcaturigines aquarum, quæ ſunt in imo vado, ſparſim locis aliis ſcaturiant; rurſumque in unum confluant: ſeu prorſus deficiant fontes; atque iterum exprimantur.* Exemplum eius rei adnotavit Iul. Obſequens in libro de Prodigiis, his verbis: *M. Aemilio, C. Hoſtilio Mancino, conſulibus, lacus Fucinus per millia paſſuum* V *quoquoverſùm inundavit.* Conſules hi fuêre anno urbis Romæ IↃCXVI; ante natum Ieſum CXXXVII. Atque ea natura ad noſtrum etiam ævum lacui manſit. qui ſuis ripis, quando non exundat, XXX circiter colligit millia paſſuum. Invehi ei flumen ex Pelignis montibus, antiqui etiam obſervarunt ſcriptores. Plinius lib. III cap. CIII: *Quædam aquæ, & dulces inter ſe, ſupermeant alias. ut in Fucino lacu invectus amnis, in Lario Addua, in Verbano Ticinus, in Benaco Mincius, in Sevino Ollius, in Lemano Rhodanus; multorum millium transitu hoſpitaleis tantùm ſuas, nec largiores, quàm intulêre, aquas evehentes.* Sic equidem cuncta, quæ mihi inſpicere licuit, exemplaria etiam manu ſcripta vocem iſtam *invectus* habent. at mirum ſanè, ni heic nomen amnis Fucinum lacum transeuntis librariorum incuriâ interciderit, vel ſaltem corruptum ſit. cur enim minùs hunc nominaturus erat Plinius, quàm reliquos omneis? niſi, ignoraſſe eum eius nomen, contenderis. quod haud temerè quisquam crediderit. Blondus, huncque haud dubiè, ut in plerisque aliis, ſequutus Leander, nomen eius fuiſſe volunt *Iuvencus*. atque ita hac etiam noſtrâ tempeſtate video ab Italis geographis eum adpellari, vulgò *Giovenco*. Verùm vehementer ego vereor, uti ſatis feliciter ac rectè conjecerit Blondus: utique, quum apud Vibium Sequeſtrum in Catalogo amnium ita ſcriptum ſit: *Pitornius; qui per medium lacum Fucinum Marſorum ita decurrit, ut aquæ eius non miſceantur ſtagno.* Et apud Plinium ſuprà dicto lib. XXXI cap. III ita habetur: *Clariſſima aquarum omnium in toto Orbe, frigoris ſalubritatisque palmâ, præconio Vrbis Marcia eſt; inter reliqua deûm munere Vrbi tributa. Vocabatur hæc quondam Auſeia: fons autem ipſe Piconia. Oritur in ultimis montibus Pelignorum. transit Marſos & Fucinum lacum; Romam non dubiè petens. mox ſpecu merſa, in Tiburtino ſe aperit;* VIIII *millia paſſuum fornicibus ſtructis perducta. Primus in Vrbem ducere auſpicatus eſt Ancus Marcius, unus è regibus. poſteà Q. Marcius Rex, in præturâ. rurſusque reſtituit M. Agrippa.* Et lib. XXXVI cap. XV: *Sed dicantur verâ æſtimatione invicta miracula, quæ Q. Marcius Rex fecit. Is, juſſus à ſenatu aquarum, Appiæ, Anienis, Tepulæ, ductus reficere, novam, à nomine ſuo adpellatam, cuniculis per monteis actis, intra præturæ ſuæ tempus perduxit.* Dubium ex his jam nemini eſſe poterat, quin vel apud Vibium fluminis nomen corruptum ſit *Pitornius*, pro *Piconius*; vel apud Plinium fontis vocabulum *Piconia*, vitiatum pro *Picornia*. verùm quum apud Lycophronem, præſcripto loco, in vulgatis

hactenus exemplaribus ſit Τιτώνιον χεῦμα· certum jam fit ex tribus hiſce auctoribus inter ſe conlatis, & fontis & amnis nomen fuiſſe Πιτώνιος, PITONIVS. Nec dubitare licet, quin eumdem heic intellexerit amnem Lycophron, quem Plinius atque Vibius; quando ille Πιτώνιον vocat λίμνης Μαρσιωνίδος ποτὸν, id eſt, *Marſici lacus latices*: & χεῦμα τοῦ κατὰ χθονὸς δύνοντος εἰς ἄφαντα κευθμῶνος βάθη· hoc eſt, *flumen ſub terram ſe condentis in obſcuras profunditates cuniculi*: Plinius verò ait, *Marciam aquam, à fonte Pitoniâ per Marſos & Fucinum lacum transeuntem, mox* à lacu *ſpecu mergi*; & *in Tiburtino* rurſum *aperiri*. Andreæ Bacii heic adponam teſtimonium: qui Naturalis vinorum hiſtoriæ lib. v, ubi hunc lacum deſcribit, hæc tradit: *Mirum, quod heic mihi narravit Matthæus à Colle, epiſcopus Marſicanus; obſervatum ab Archiepiſcopo Columnenſi ſuo tempore, quòd, projectis furfuraceis glebis & aliis ſignaculis in ſubterlabentem meatum, ubi hic lacus ſubſidet, eadem reddita vidiſſe in ſcatebram quamdam Sublacenſis lacus*. Hic ſcilicet locus eſt, de quo Plinius ait, *in Tiburtino ſe aperire Marciam aquam*. nam hucusque Tiburtium pertinuiſſe fineis, auctor eſt Tacitus Annal. lib. XIIII. *Diſcumbentis*, inquit, *Neronis apud Simbruina ſtagna, ..., cui Sublaqueum nomen eſt, ictæ dapes, menſaque disjecta erat. idque finibus Tiburtum acciderat; unde paterna Plauto origo*. Huc adde & Frontini teſtimonium: qui in libro de Aquæductibus ita ſcribit: *Anno ab Vrbe conditâ* IↃCVIII, *Sergio Sulpicio Galbâ & L. Aurelio Cottâ conſulibus, quum Appiæ Anieniſque ductus vetuſtate quaſſati, privatorum etiam fraudibus interciperentur; datum eſt à ſenatu negotium Q. Marcio Regi, qui tum prætor inter civeis & peregrinos jus dicebat, eorum ductuum reficiendorum & vindicandorum. &, quoniam incrementum Vrbis exigere videbatur ampliorem modum aquæ; eidem mandatum à ſenatu eſt, ut curaret, quatenus alias aquas poſſet, in Vrbem perduceret; & ampliores ductus faceret. Reipublicæ causâ tertio milliario operâ fabrorum duxit; cui ab auctore Marciæ nomen eſt*. Paullo pòſt: *Concipitur Marcia viâ Valeriâ, ad milliarium* XXXIII, *diverticulo euntibus ab urbe Româ dextrorſus millium paſſuum* III, *viâ Sublacenſi, quæ ſub Nerone principe primùm ſtrata ad milliarium* XXXVIII, *ſiniſtrorſus intra ſpacium paſſuum* CC; *finita ſubſtructionibus penè ſtatim ſtagnino colore præviridi. Ductus eius habet longitudinem à capite ad Vrbem paſſuum* LX *millium* IↃCCX *& ſemis; rivo ſubterraneo paſſuum* LIV *millium* CCLXVII *ſemis; opere ſupra terram paſſuum* VII *millium* CCCXLIII. Plinius, ſuprà dicto lib. XXXI cap. III, hoc intervallum facit millium VIIII. Sed & illud apud Frontinum incertum; utrùm *caput* intellexerit idem, quod Strabo; ubi ex lacu in ſpecum conditur: an verò cum Tacito *fontem*; qui apud *Sublaqueum*, Neronis villam, *ſeſe*, ut inquit Plinius, *aperiebat*. Strabo dicto lib. V: Ἐκ δὲ τῆς Φουκίνας λίμνης εἶναι τὰς πηγὰς ἱστοροῦσι τοῦ Μαρκίου ὕδατος, τοῦ τὴν Ῥώμην ποτίζοντος, καὶ παρὰ τἆλλα εὐδοκιμοῦντος ὕδατα. Id eſt: *E Fucino lacu tradunt originem habere aquam Marciam, quæ Romam inrigat; gloriâque reliquas aquas ſuperat*. Tacitus dicto Annal. lib. XIIII ſtatim poſteà: *Iisdem diebus nimia luxus cupido infamiam & periculum Neroni tulit; quia fontem aquæ Marciæ, ad Vrbem deductæ, nando inceſſerat. videbaturque potus ſacros & cæremoniam loci corpore toto polluiſſe. ſequutaque anceps valetudo iram deûm adfirmavit*. Viſuntur hodiéque ingentes huius aquæductus reliquiæ, ab ipſo lacu, qui mille paſſus eſt ſuper opidum Sublaqueum, incipientes; decurrenteſque ad opidum Anieni adpoſitum, cui vulgare vocabulum *Vicováro*, XXIIII millia paſſuum à Româ diſſito: partim *cuniculis*, ut inqnit dicto lib. XXXVI cap. XV Plinius, *per ſaxeos monteis actis*; partim *muris fornicibus*que in ſublime erectis. De hac aquâ ita canit Statius Silvar. lib. I carm. V:

Vos mihi, quæ Latium ſeptenaque culmina, nymphæ,
Incolitis, Thybrimque novis attollitis undis;
Quas præceps Anien, atque, exceptura natatus,
Virgo juvat, Marſasque niveis & frigora ducens
Marcia: præcelſis quarum vaga molibus unda
Creſcit, & innumero pendens transmittitur arcu:
Veſtrum opus adgredimur.

Et carm. III: quod eſt de villâ Tiburtinâ Manlii Vopiſci:

Quid referam alternas gemino ſuper aggere menſas,
Albenteiſque lacus, altoſque in gurgite fonteis?
Teque, per obliquum penitus quæ laberis amnem,
Marcia, & audaci transcurris flumina plumbo?

Sed

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Sed *Marſas niveis & frigora* â fonte ſuo ferebat *Pitonio:* qui in Apennino monte, confinio Marſornm Pelignorumque, circa opidum *S. Sebaſtini*, haud ita procul gelidiſſimis fontibus ſuprà dicti amnis, qui Sulmonem, Pelignorum opidum, abluit; exortus, apud opidum, cui vulgare vocabulum *Venere*, in Fucinum lacum tranſit. *Vltimos* igitur dixit Plinius ſuprà dicto lib. XXXI cap. III *monteis Pelignorûm*, reſpectu ipſius gentis; non verò urbis Romæ: cui erant proximi. Nec jam dubitare licet, quin apud eumdem Plinium dicto lib. II cap. CIII reſcribendum ſit; *Vt in Fucino lacu Pitonius amnis, in Lario Addua, in Verbano Ticinus, in Benaco Mincius, in Sevino Ollius.* De cætero ipſum lacum Fucinum aliquando emiſſum fuiſſe, complures teſtantur auctores. Svetonius in Cæſare, cap. XLIIII: *Siccare Pomptinas paludes, emittere Fucinum lacum, deſtinabat.* Mox: *Talia agentem atque meditantem mors prævenit.* Quò cum emittere deſtinaverit, incertum eſt. in Tiberim eum emittere tentaſſe poſteà Claudium, auctor eſt Dio lib. LX. Τὴν δὲ λίμνην, inquit, τὴν Φουκίνην, τὴν τῶν Μαρσῶν, ἠθέλησε μὲν ὁ Κλαύδιος ἐς τὸν Τίβεριν ἐξαγαγεῖν, ὅπως ἥ τε χώρα ἡ περὶ αὐτὴν γεωργῆται, καὶ ὁ ποταμὸς ναυσίπορος μᾶλλον γένηται. μάτην δὲ δὴ ἐδαπανήθη. Hoc eſt: *Claudius Fucinum lacum, qui in Marſis eſt, in Tiberim emittere voluit; quò regio circa eum lacum agriculturæ apta, ſimulque amnis magis adhuc navigabilis efficeretur. verùm ſumptus fecit inaneis.* Factum id recenſet Claudio imperatore II & C. Largo conſulibus; anno Vrbis IↃCCXCIIII; à nato Ieſu XLII. Verum, quo tandem emiſſario per LX ampliùs millia paſſuum Claudius Fucini aquas in Tiberim effundere conatus ſit, tot tantiſque obſtantibus montium jugis, nondum ſatis ego perſpicio. ſupicorque, malè heic intellexiſſe de Tiberi Dionem, quod ad Lirim amnem, cuius fontes haud ita longè à Fucino diſtant, pertinebat. Ex duobus diverſis auctoribus unam eamdemque hiſtoriam, diverſè relatam, ſumpſiſſe eum, vel ex eo cummaximè patet, quòd heic neget perfeciſſe conata Claudium; poſteà verò eodem libro, ut mox videbimus, emiſiſſe eum lacum quemdam, quem non nominat, copioſâ oratione narret. Iam ab Auguſto imperatore id Marſos adſiduè petiiſſe; tandemque ab ipſo Claudio perfectum eſſe, auctor eſt Svetonius in huius vitâ, cap. XX. *Opera*, inquit, *magna potiùs, quàm neceſſaria, quàm multa, perfecit: ſed vel percipua, aquæductum, à Caio inchoatum; item emiſſarium Fucini lacus, portumque Oſtienſem. quamquàm ſciret, ex his alterum precantibus adſiduè Marſis negatum: alterum à divo Iulio deſtinatum, ac propter difficultatem omiſſum.* Et mox: *Fucinum adgreſſus eſt, non minùs compendii ſpe, quàm gloriæ: quum quidam, privato ſumptu emiſſuros ſe, repromitterent, ſi ſibi ſiccati agri concederentur. Per tria autem paſſuum millia, partim effoſſo monte, partim exciſo, canalem abſolvit ægrè & poſt XI annos; quamvis continuò XXX hominum millibus ſine intermiſſione operantibus.* Quinam ille mons exciſus fuerit, & quò lacus emiſſus, oſtendit Tacitus Annal. lib. XII. *Sub idem*, inquit, *tempus inter lacum Fucinum amnemque Lirim perrupto monte, quò magnificentia operis à pluribus viſeretur; lacu in ipſo navale prælium adornatur; ut quondam Auguſtus, ſtructo cis Tiberim ſtagno, ſed levibus navigiis & minore copiâ ediderat. Claudius triremeis quadriremeisque & undeviginti hominum millia armavit; cincto ratibus ambitu; ne vaga effugia forent: attamen ſpacium amplexus ad vim remigii & gubernantium arteis, impetusque navium prælio ſolitos. In ratibus prætoriarum cohortium manipuli turmæque adſtiterant; antepoſitis propugnaculis, ex quibus catapultæ baliſtæque tenderentur. reliqua lacus claſſiarii tectis navibus obtinebant. Ripas & colleis & montium edita, in modum theatri, multitudo innumera complevit; proximis è municipiis, & alii Vrbe ex ipsâ; viſendi cupidine, aut officio in principem. Ipſe inſigni paludamento, neque procul Agrippina chlamyde auratâ, præſedere.* De eâdem re ita Dio dicto lib. LX poſteà: Ἐν τινὶ δὲ λίμνῃ ναυμαχίαν ὁ Κλαύδιος ἐπιθυμήσας ποιῆσαι, τεῖχός τε περὶ αὐτὴν ξύλινον κατεσκεύασε, καὶ ἰκρία ἔπηξε, πλῆθός τε ἀναρίθμητον ἤθροισε. καὶ οἱ μὲν ἄλλοι, ὡς που καὶ ἔδοξεν αὐτοῖς. ὁ δὲ δὴ Κλαύδιος ὅ τε Νέρων στρατιωτικῶς ἐστάλησαν, ἡ δὲ Ἀγριππῖνα χλαμύδι διαχρύσῳ ἐκοσμεῖτο. Id eſt: *In lacu quodam Claudius navalem exhibere pugnam cupiebat. cinxeratque cum ligneo muro: fixeratque tabulata; conveniente ad ſpectaculum innumerâ multitudine. Veſtitum alii ſuo quisque arbitrio, Claudius ac Nero militarem geſtabant: Agrippina verò chlamydem auro intertextam induerat.* Minimè heic Lipſii placet judicium; qui apud Tacitum, pro *ratibus*, legendum docet *cratibus*, aut *trabibus*. quod ex præſcriptis Dionis verbis ſubſtitui poſſe cenſet; ubi *lacum ligneo muro circumdatum* ille ſcribit: cuius quaſi valli tutelæ præpoſitus fuerit prætorius miles. Atqui Tacitus, dum *reliqua lacus claſſiarios tectis navibus obtinuiſſe* tradit,

prætorias

prætorias quoque *cohorteis* in lacu fuiſſe, ſatis apertè teſtatur; in dictis *ratibus*; quæ ad id erant poſitæ, *ne vaga effugia forent* claſſiariis, ex triremibus quadriremibusque pugnantibus. quod nequidquàm prohibituri erant prætoriani, ſi in ripâ poſiti fuiſſent. Quin & tantum lacus *ſpacium* intra dictas rateis *amplexum* ait Tacitus Claudium, quantum ad *vim remigii & gubernantium arteis, impetusque navium prælio ſ litos*, ſufficeret. quod ne ipſum quidem fieri potuit, ſi *prætoriæ cohortes* ex ripis demum eos continuerunt. Verùm in ripis ipſis *innumeram* illam fuiſſe *multitudinem* ſpectatorum, diſertè ipſe adfirmat Tacitus: ſcilicet, ἐν τοῖς ἰκρίοις, *in tabulatis, apud murum ligneum* ad id ipſum exſtructis. Porrò Dio de pugnâ ſic pergit: Οἱ δὲ δὴ ναυμαχήσοντες θανάτῳ δὴ καταδεδικασμένοι ἦσαν, καὶ πεντήκοντα ναῦς ἑκάτεροι εἶχον, οἱ μὲν, Ῥόδιοι, οἱ δὲ, Σικελοὶ ὀνομασθέντες· καὶ τὸ μὲν πρῶτον συστραφέντες, καὶ καθ' ἓν γενόμενοι, Κλαύδιον ἅμα προσηγόρευσαν οὕτω· Χαῖρε αὐτοκράτωρ· οἱ ἀπολούμενοί σε ἀσπαζόμεθα. Ἐπεὶ δὲ οὐδὲν σωτήριον εὕροντο, ἀλλὰ ναυμαχεῖν καὶ ὡς ἐκελεύσθησαν, διέκπλοις τε ἁπλοῖς ἐχρήσαντο, καὶ ἥκιστα ἀλλήλων ἥψαντο· μέχρι οὗ καὶ ἀνάγκῃ κατεκόπησαν. Id eſt: *Quibus depugnandum fuit, morte damnati erant. naveis utrimque* L *habebant. partium alteri Rhodiorum, alteri Siculorum erat nomen. Primùm utrique in unum congregati, Claudium his verbis compellavêre: Ave imperator: perituri te ſalutant. poſteà, quum ſalutem non impetrarent; ſed nihilo minùs pugnam conſerere juberentur: tantummodò navibus ordinem invicem pervadentes, non antè ad manus venerunt, quàm vi coacti mutuò ſe contrucidarent.* Idem ita refert Svetonius in Claudio, cap. XXI: *Emiſſurus Fucinum lacum, naumachiam antè commiſit. Sed, quum, proclamantibus naumachiariis, Ave imperator; morituri te ſalutant; reſpondiſſet, Avete vos; neque poſt hanc vocem, quaſi veniâ datâ, quisquam dimicare vellet: diu cunctatus, an omnes igni ferroque abſumeret; tandem à ſede ſuâ proſiluit; ac per ambitum lacus, non ſine fœdâ vacillatione, discurrens; partim minando, partim adhortando ad pugnam compulit. Hoc ſpectaculo claſſis Sicula & Rhodia concurrerunt; duodenarum triremium ſingulæ: exciente buccinâ Tritone argenteo; qui è medio lacu per machinam emerſerat.* Placet, quod heic in Svetonio Lipſius numerum *duodenarum triremium* corrigendum in *quinquagenarum* monet. rectè enim tercenteni pugnatores in ſingulas triremeis conveniebant. Apud Tacitum tamen numerum centenarium ſuprà ſcriptis verbis inſeri minùs placet. ſiquidem huic auctori non id fuit propoſiti, uti certum triremium quadriremiumque numerum oſtenderet: ſed uti inter *levia* Auguſti *navigia* & Claudii *triremeis quadriremeisque*; item inter huius *undeviginti millia hominum* & illius *minorem copiam*, diſcrimen monſtraret. De reliquo huius pugnæ totiusque negotii exitu ita pergit Tacitus: *Pugnatum, quamquàm inter ſonteis, fortium virorum animo. ac, poſt multum vulnerum, occidioni exempti ſunt. Sed perfecto ſpectaculo, apertum aquarum iter: & incuria operis manifeſta fuit, haud ſatis depreſſi ad lacus ima, vel media. eòque, tempore interjecto, altiùs effoſſi ſpecus. &, contrahendæ rurſus multitudini, gladiatorium ſpectaculum editur; inditis pontibus, pedeſtrem ad pugnam. Quin & convivium, effluvio lacus adpoſitum, magnâ formidine cunctos adfecit: quia vis aquarum prorumpens, proxima trahebat; convulſis ulterioribus, aut fragore & ſonitu exterritis.* Ergo *ſpecus* tantùm fuit *effoſſus*: id eſt, montis imum perforatum: non omne montis jugum ad ſummum usque interciſum. Atteſtatur idem & Plinius, prædicto lib. XXXVI cap. XV. *Eiusdem*, inquit, *Claudii inter maximè memoranda equidem duxerim; quamvìs deſtitutum ſucceſſoris odio: montem perfoſſum, ad lacum Fucinum emittendum; inenarrabili profectò impendio, & operarum multitudine, per tot annos: quum aut corrivatio aquarum, quà terrenus mons erat, egereretur in vertice* [fortè *verticem*] *machinis, aut ſilex cæderetur: omniaque intus in tenebris fierent. quæ neque concipi animo, niſi ab iis, qui vidêre, neque humano ſermone enarrari poſſunt.* Quidnam prætereà Claudius circa hanc lacus emiſſionem ſolique eius ſiccationem parârit, quod poſteà ab ſucceſſore eius Nerone *deſtitutum* fuit, haud facilè dixerim: niſi, quòd, ſiccatum tunc minimè fuiſſe lacum, ex præſcriptis colligere licet hisce Dionis verbis: μάτην δὲ δὴ ἐδαπανήθη. id eſt, *irriti eius fuêre ſumptus.* Et emiſſum rurſus fuiſſe ab Hadriano imperatore, teſtis eſt Ael. Spartianus in vitâ eius, his verbis: *Fucinum lacum emiſit.* An eodem, quo antè Claudius, emiſerit Hadrianus loco, quamvìs credibile, tamen incertum eſt. Emiſſarium autem Claudii adeò hodiè ignoratur, uti ſuprà memoratus ſpecus, in quem ſe condit Pitonius amnis, ſeu aqua Marcia, pro eo ab adcolis habeatur. quamquàm plerique *Neronis emiſſarium* vocitant.

citant. Sed de *Fucino lacu* hactenus disſertaſſe ſufficiat. quo expoſito, commodè nunc opida illi circumjecta aliaque Marſorum loca indagare poterimus.

Opida Marſis Silius poëta, lib. VIII, duo tantùm tribuit; reliqua loca eſſe *caſtella* adſeverans, his verſibus:

Marruvium, veteris celebratum nomine Marri,
Vrbibus eſt illis caput: interiorque per udos
Alba ſedet campos; pomisque rependit ariſtas.
Cætera in obſcuro famæ, & ſine nomine, vulgi
Sed numero caſtella valent.

Plinio lib. III cap. XII recenſentur *Marſorum Anxantini, Atinates, Fucentes, Lucentes, Maruvii, Albenſium Alba, ad Fucinum lacum.* Apud Ptolemæum duo leguntur; ſed vitiatis vocabulis, ut infrà videbimus, Marſorum opida, Ἀλφαβουκηλὶς & Αἴξ, *Alfabucelis*, atque *Aex*. Straboni tria memorantur, Μαρούϊον, Ἄλβα, Κούκουλον, *Marruvium, Alba, Cuculum:* quamvis duo hæc falsò inter Latinas urbeis computata. Sed & Plinii *Atina*, & item Ptolemæi Ἄρξ, *Arx*, (ſic enim legendum) Volſcorum in Novo Latio fuère opida; ut infrà oſtendetur.

Alba hodiéque nomen antiquum in ruinis retinet; vulgò *Albe* & *Albi* dicta. Memoratur Cæſari, Ciceroni, Livio, Straboni, Plinio, Silio, Ptolemæo, Appiano, Itinerariis, & aliis. Silium modò audivimus. Cæſar Civilis belli lib. I: *Domitius per ſe circiter* XXX *cohorteis Albâ ex Marſis & Pelignis & finitimis regionibus coëgerat.* Cn. Pompeius apud Ciceronem ad Atticum lib. VIII epiſt. XVII: *Quòd meas* XVIII *& ſuas* XII *cohorteis tribus in opidis diſtributas haberet. nam partim Albæ, partim Sulmone collocavit.* Ipſe Cicero Philippicâ III: *Quumque legio Martia Albæ conſtiterit, in municipio fideliſſimo & fortiſſimo.* Philippicâ IIII: *Albæ conſtiterunt Martiales; in urbe opportunâ, munitâ, propinquâ.* Philippicâ XIII: *Brundiſii delectos Martiæ legionis centuriones trucidavit. Inde ſe quo furore, quo ardore, ad Vrbem rapiebat?* Mox: *Rediit ad milites. Ibi peſtifera illa Tiburi concio. Inde ad Vrbem curſus. Senatus in Capitolium. parata de circumſcribendo adoleſcente ſententia conſularis; quum repentè (nam Martiam legionem Albæ conſediſſe ſciebat) adfertur ei de Quartâ nuncius.* Idem hoc de *Tibure* & *Albâ* refert Appianus Civil. bellor. lib. III. Sed hic in Hannibalicis ita tradit: Μικρὸν δέ τι πολίχνιον Ῥωμαῖοι πάλαι ἐπιτειχίζοντες Αἰκανοῖς, Ἄλβην ἀπὸ τῆς αὐτῶν μητροπόλεως ἐκάλεσαν. σὺν χρόνῳ δ᾽ ἐπισύροντες ἢ διαφθείροντες, ἢ ἐς τὴν Ἀλβανῶν σύγκρισιν, Ἀλβησέας αὐτοὺς καλοῦσιν. Hoc eſt: *Romani quondam in Aequanis opidulum quoddam munierant; Albamque de metropolis ſuæ nomine adpellarant. Progreſſu temporis, ſive producto ſeu corrupto vocabulo, ſive, ut ab Albanis diſtingverentur, Albenſeis eos vocarunt.* Ad discrimen id factum eſt. ut & illi in Liguriâ ab *Albâ Pompeiâ* dicebantur *Albenſes Pompeiani.* Sed hæc Liguriæ *Alba* non æquè clara ac reliquæ duæ. unde Varro de Lingvâ Latinâ lib. VII: *Quum duæ ſint Albæ, ab unâ dicuntur Albani, ab alterâ Albenſes.* Hinc igitur illud Plinii præſcripto lib. III cap. XII; *Albenſium Alba, ad Fucinum lacum.* & lib. XV cap. XVIIII, *Albenſe rus L. Vitellii.* eiusdem libri cap. XXIII, *nuces Albenſes.* Et dicto lib. III, cap. V: *Cum his carnem in monte Albano ſoliti accipere populi, Albenſes, Albani, Aeſolani, Acienſes.* Livio etiam lib. XXVI & item Frontino in libro de Coloniis Albenſis dicitur *ager.* Pompeius Feſtus: *Albeſia ſcuta dicebantur, quibus Albenſes, qui ſunt Marſici generis, uſi ſunt.* Sic ſanè puto ab initio Romanos, acceptâ vocabuli à Græcis formatione, dixiſſe *Albeſes, Albeſia*, pro *Albenſes; Albenſia*; quemadmodùm dixêre *viceſimus, triceſimus, quoties, toties*; quæ poſteriores fecêre *vicenſimus, tricenſimus, quotiens, totiens.* unde etiam Servius, ad Virgilii Aeneid. lib. X, ex Lucilio, antiquo inter primos poëtâ, citat *Pyrgeſia ſcorta:* quæ erant *Pyrgenſia*, ab opido *Pyrgis*; ut ſuprà cap. II in Etruriâ oſtenſum. Verùm de hac Græcæ literæ η in Latinorum *en* converſione abundè à nobis ſuprà lib. I cap. XVIII in Venetis dictum eſt. De ſitu *Albæ* ita tradit Strabo dicto lib. V: Ἄλβα ἵδρυται ἐφ᾽ ὑψηλοῦ πάγου· ἔστι δ᾽ ἡ λίμνη Φουκῖνα πλησίον. Id eſt: *Alba in ſublimi ſcopulo ſita. propè eſt Fucinus lacus.* Nempe ad III circiter millia paſſuum. unde Plinius dicto lib. III cap. XII: *Albenſium Alba, ad Fucinum lacum.* Interjacet campus, quem lacus interdum inundare ſolet. unde illud Silii lib. VIII:

——— *Interiorque per udos*
Alba ſedet campos; pomisque rependit ariſtas.

Alba Fvcentis, colonia.

Cæterùm

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Cæterùm à Romanis conditam, & ab *Albanorum Albâ*, metropoli Romanorum, denominatam iſtam ad Fucinum lacum *Albam*, teſtatur equidem ſuprà citatus Appianus. at Dionyſius Halicarnaſſenſis lib. I; ubi de Albanorum *Albâ* loquitur; quæ cognominabatur *Longa*; Σαφηνισμοῦ δ' ἕνεκα, inquit, διορίζεται παρ' ἑτέραν πόλιν ὁμώνυμον ἐπικλήσει, ἐκ σχήματος ἐπικατηγορηθεῖσα. Id eſt: *Ad diſcrimen autem alterius urbis, quæ eiusdem erat nominis, additur cognomen ab ſitus formâ.* Ergo igitur *Albenſium* in Marſis *Alba* prior *Albanorum Albâ* in Latio. Certè Livius non conditam primùm à Romanis, ſed *coloniam* deductam teſtatur initio ſtatim libri x. *L. Genucio*, inquit, *Ser. Cornelio conſulibus, Soram atque Albam coloniæ deductæ. Albam in Aequos* VI *millia colonorum ſcripta.* Conſules fuêre Ser. Cornelius Lentulus & L. Genucius Aventinenſis anno urbis Romæ CCCCL, ante natum Ieſum CCCIII. Idem Livius paullo pòſt: *M. Livio Dentre & C. Aemilio conſulibus, redintegratum Aequorum bellum. coloniam ægrè patientes, velut arcem ſuis finibus impoſitam, ſummâ vi expugnare adorti, ab ipſis colonis pelluntur.* Sic equidem unà cum Appiano *Albam* hanc non in *Marſis*, ſed in *Aequis* ponit. At eodem libro haud ita multo pòſt, ſub iisdem conſulibus; *Eodem*, inquit, *anno Marſos agrum vi tueri nunciabatur, in quem colonia Carſeoli deducta erat.* Sanè etiam Priſcis Latinis ſemper contermini fuêre *Aequi*. ultra hos verò ad Pelignos usque & Veſtinos Samniteisque incoluerunt *Marſi*. & *Carſeoli* opidum, haud procul Anienis dextrâ ripâ, ut proximo hinc videbimus capite, longè propinquius erat Romæ & Latio, quàm *Alba* ad Fucinum lacum. unde illud à Strabone ponitur in *Aequis*, à Plinio in *Aequiculanis*, à Plinio in *Aequiculis*. quæ tria vocabula, ut proximo oſtendetur capite, unius eiusdemque gentis adpellatio fuêre. Sed & ipſe Livius eodem libro poſteà, ſub L. Cornelio Scipione & Cn. Fulvio Centumalo conſulibus; qui quadrienno poſt proximè dictos conſules fuêre; *Eodem*, inquit, *anno Carſeolos colonia in agrum Aequiculorum deducta.* Ex diverſis igitur vetuſtiſſimorum auctorum monumentis iſta Livium ſumpſiſſe, adparet: quæ vel negligenter ac ſupinè tractavit; ut complura alia lib. VIIII & X: vel, dum non ſatis perciperet, duo diverſa fecit opida, eodem *Carſeolorum* vocabulo; alterum Marſorum, alterum Aequorum, ſive Aequiculorum. eoque errore longiùs abreptus, *Albam* Marſorum tribuit Aequis. Atque diverſitas auctorum, quibus uſus eſt, maximè patet è vocabulo *Aequiculorum*: pro quo ille ſemper aliàs *Aequorum* nomine utitur; niſi primo libro; ubi de fecialibus ex antiquiſſimo aliquo auctore tradit orationem. Sive Livium, ſive alios, vetuſtiores eo, auctores ſequutus Appianus, iisdem Aequis, ut ſuprà intellectum, adſcripſit *Albam*. Quamquàm & Strabo quoque iis eam tribuiſſe videtur dicto lib. V. Μάλιστα δ', inquit, ἐν μεσογαίᾳ τῶν Λατίνων πόλεων ἐστὶν ἡ Ἄλβα, ὁμοροῦσα Μαρσοῖς. Id eſt: *Latinarum urbium maximè mediterranea eſt Alba, Marſis contermina.* Et eodem libro anteà: Ἔστι δ' ἐν τῇ Οὐαλερίᾳ ὁδῷ Λατῖναι πόλεις, Οὐαλερία τε καὶ Καρσέολοι καὶ Ἄλβα. Id eſt: *Sunt autem in Valeriâ viâ opida Latina, Valeria, Carſeoli, Alba.* Nam ipſos Aequos Latio adſcribit eodem libro anteà, in his verbis: Ἑξῆς δ' ἡ Λατίνη κεῖται· ἐν ᾗ καὶ ἡ τῶν Ῥωμαίων πόλις καὶ πολλὰς συνείληφε τῆς μὴ Λατίνης πρότερον. Αἴκοι γὰρ καὶ Οὐόλσκοι καὶ Ἕρνικοι, Ἀβοριγῖνές τε καὶ ἄλλα συστήματα μείζω καὶ ἐλάττω τὰ περιοικοῦντα αὐτὴν τότε Ῥωμαίοις ὑπῆρξεν, ἡνίκα πρῶτον ἐκτίζετο ἡ πόλις. Hoc eſt: *Sequitur inde Latium: in quo & Romanorum urbs ſita eſt, & multa etiam alia comprehenduntur, quæ ab initio non cenſebantur in Latio. nam & Aequi & Hernici ac Volſci & Aborigines atque aliæ maiores minoresque gentes tunc circùm Romanos ſedeis ſuas habuêre, quum primùm urbs condita foret.* Verùm ipſos etiam Marſos Latio eum adſcripſiſſe, ex eo patet, quòd ibidem aliquanto pòſt Latium ad Pelignos usque protendat, his verbis: Νῦν μὲν οὖν ἡ παραλία. Cæterùm *colonia* adpellatur *Alba* Livio etiam lib. XXVII & XXVIIII: & item epitomatori eius lib. LXXIII: qui ſic habet in hiſtoriâ belli Marſici: *Aeſernia & Alba coloniæ ab Italicis obſeſſæ ſunt.* Quando cognominari cœperit ALBA FVCENTIS, incertum habeo. Soſipater Inſtitut. grammat. lib. I: *Albani dicuntur ab Albano; Albenſes autem ab Albâ Fucente.* Haud dubiè ab ipſo lacu Fucino ſic cognominata fuit, ad diſtinctionem Albanorum Albæ. Opidani etiam inde cognominabantur ALBENSES FVCENTES. Plinius præſcripto lib. III cap. XII: *Marſorum, Anxantini, Atinates, Fucentes, Lucentes, Marruvii, Albenſium Alba ad Fucinum lacum.* Obſcurâ brevitate duas eorumdem opidanorum adpellationes indicavit. Apud Ptolemæum ita ſcriptum in vulgatis exemplaribus:

Μαρσῶν,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Μαρσῶν, οἳ εἰσιν ἀνατολικώτεροι Αἰκικλῶν, Αἲξ, Ἀλφαβουκηλίς. Id eſt: *Marſorum, qui orientaliores ſunt Aequiculis, opida, Aex, Alfabucelis.* Vocabulum utrumque eſſe vitiatum, jam anteà dixi. hoc ex gemino in unum compactum. pro quo repoſuerunt viri docti jam dudum Ἄλβα Φουκεντίς: *Alba Fucentis.* Verùm ego heic literam ν haud temerè admiſerim. primùm, quia Latinorum *en* Græcos ſimplici η efferre ſolitos fuiſſe, paullo antè dixi: tum, quòd, mutatâ unâ tantum litera apud Ptolemæum λ in τ, reliquis verò in ſuum ordinem tranſpoſitis, totidem literis vera opidi adpellatio reſtituetur Ἄλβα Φουκῆνς. In Antonini Itinerario idem cognomen corruptum eſt in *Alba Tucentia*, pro *Fucentia*: niſi heic etiam *Fucentis* ſcribendum cenſeas. Cæterùm de eâdem urbe hæc tradit Strabo dicto lib. v: Τῇ δὲ Ἄλβᾳ, διὰ τὸ ἐν βάθει τῆς χώρας ἱδρῦσθαι, καὶ διὰ τὸ εὐερκὲς, αὐτῇ φρουρᾶς ἐχρήσαντο πολλάκις Ῥωμαῖοι, τοὺς φυλακῆς δεομένους ἐνταῦθα καθείργοντες. Hoc eſt: *Alba, quod in interioribus ſita atque optimè circummunita eſſet, ſæpenumerò cuſtodiæ loco fuit à Romanis data; in quam dederent, quos adſervari vellent.* Hinc Livius lib. xxx, de Syphace, Numidarum rege: *Conſulti inde patres, regem in cuſtodiam Albam mittendum cenſuerunt.* Et lib. xlv: *Patres cenſuerunt, ut Q. Caſſius Perſea regem cum Alexandro filio Albam in cuſtodiam duceret.* Velleius lib. i: *Poſt victum captumque Perſeum, qui quadriennio pòſt in liberâ cuſtodiâ Albæ deceſſit, Pſeudophilippus, adſumptis regni inſignibus, brevi temeritatis pœnas dedit.* Valer. Maximus lib. v cap. i: *Conſimilique clementiâ in Perſe uſus eſt ſenatus. nam quum Albæ, in qua cuſtodiæ causâ relegatus erat, deceſſiſſet; quæſtorem miſit, qui eum publico funere efferret: ne reliquias regias jacere inhonoratas pateretur.* Et lib. viiii cap. vi: *Cn. Domitium, ſummi generis & magni animi virum, nimiæ gloriæ cupiditas perfidum exſiſtere coëgit. iratus namque Bituito, regi Arvernorum, quod cùm ſuam tum etiam Allobrogum gentem, ſe etiamtum in provinciâ morante, ad Q. Fabii, ſucceſſoris ſui, dextram confugere hortatus eſſet; per colloquii ſimulationem adcerſitum hoſpitioque exceptum vinxit, ac Romam nave deportandum curavit. cuius factum ſenatus neque probare potuit, neque reſcindere voluit; ne remiſſus in patriam Bituitus, bellum renovaret. igitur eum Albam cuſtodiæ causâ relegavit.* Breviator Livii lib. lxi: *Quum ipſe Bituitus, Arvernorum rex, ad ſatisfaciendum ſenatui Romam profectus eſſet; Albæ cuſtodiendus datus eſt.*

At caput gentis Marſorum fuit Marrvbivm, ſive Marrvvivm *opidum.* Silius dicto lib. viii:

Marruvium, veteris celebratum nomine Marri,
Vrbibus eſt illis caput.

Vnde etiam illud Virgilii, ſuprà dicto Aeneid. lib. vii:

Quin & Marrubiâ venit de gente ſacerdos.

Atque apud hunc poëtam diverſis in exemplaribus vocabulum id modò *Marrubiâ* modò *Marruviâ* legitur. In Tabulâ itinerariâ eſt *Marrubium.* Apud Strabonem dicto lib. v eſt Μαρούιον. quod rectè verteris Marvvivm; ut Vmbriæ opidum Straboni ac Ptolemæo Ἴγουιον, Latinis dicitur *Iguvium.* unde apud Plinium lib. iii cap. xii opidani leguntur Marvvii, & Marrvvii. At quo loco fuerit hoc opidum, haud facile diſpectu eſt. nam quòd veſtigia eius nunc *Maruo* vulgò incolis vocitari tradit Leander, id ego, licèt ſedulò quæſitando, nusquàm invenire potui. niſi id fortè intellexerit ille opidum, quod infra lacum Fucinum, versùs meridiem, prope ſiniſtram Liris ripam vulgò nunc dicitur *Morréa*: cuius Chronicon quoque Caſſinenſe meminit lib. ii cap. vii. Atque huc equidem Itineraria etiam antiqua quadrare videntur; quæ ſic habent:

Tabulæ;		Tabulæ;		Antonini;	
		Corſinio		*Corſinio*	
		Statulæ	vii.	|	
Sublatio		*Mons Imeus*	....	|	
Marrubio	....	*Cirſenna*	v.	*Cerſennia*	xvii.
Alba	xiii.	*Marrubio*	vii.	|	
		Alba	xiii.	*Alba Fucentia*	xxiii.

Haud dubium, quin Mons hic Imevs, ſive Imaevs, fuerit id opidum, quod, ab Mons Imaevs; opidum.

orientali

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

orientali Fucini lacus parte, quà ad Aternum itur flumen, in monte ſitum, vulgò nunc vocatur incolis *Colle Arméo*; & nonnumquam *Armélo*. nam & nomen & itineris ductus rectè reſpondent. Hinc porrò versùs *Morréam* opidum progredientibus, à v millibus paſſuum in ipsâ orientali lacus ripâ, quà *Pitonius* ei miſcetur amnis, eſt opidum vulgari vocabulo *Caſtel Venere*. quod ex intervallo, itineris tractu, & nominis licet levi ſimilitudine, CERFENNIA ſive CIRFENNIA antiquo ævo fuiſſe, perſpicitur. Hinc ad *Morréam* opidum ſunt x millia paſſuum: & ab *Morreâ* porrò ad *Albam* ſatis probè conveniunt Tabulæ millia XIII. quibus ſi modò dicta decem addas, erit juſtus ille Antonini numerus XXIII millium. rectéque ab eodem opido *Morreâ* itineris ductus fert versùs occidentem æſtivum ad opidum *Sublaqueum* ſive *Sublacium*; quod nunc vulgò dicitur in dextrâ Anienis ripâ *Subiaco*. Verùm Silius, ut ſuprà relatum, præter duo prædicta opida, *Marruvium* atque *Albam*, ait,

Cerfennia opidum.

Cætera in obſcuro famæ, & ſine nomine, vulgi
Sed numero caſtella valent.

Anxantia, opidum.

Haud ita procul à *Morreâ*, versùs ſeptemtriones & lacum Fucinum, eſt opidum hodiè vulgari vocabulo *Città d'Antia*. id fortè olim dictum fuit ANXANTVM, ſive ANXANTIVM, ſeu feminino genere ANXANTIA. unde Plinio dicto lib. III cap. XII *Marſorum* ſunt ANXANTINI.

Lucus Angitiae, opidum.

Apud ipſum lacum, ab occaſu Solis hiberni, eſt opidum vulgari nunc vocabulo *Luco*. id olim haud dubiè dictum fuit LVCVS. unde Plinio ibidem opidani *Marſorum* LVCENTES. Sed hoc vocabulum neſcio an corruptum ſit ab exſcriptoribus ad formam præcedentis continuò *Fucentes*; quum ipſe Plinius ſcripſerit LVCENSES. nam ita Ptolemæo in Hiſpaniâ dicuntur ab opido *Luco Augusti* populi Λυκλώσιοι id eſt, Latino ore ſi formes, *Lucenſes*; quorum *Lucenſem conventum* memorat Plinius lib. III, cap. III & lib. IIII cap. XX. Cæterùm cuius dei deæve *lucus* iſte in Marſis fuerit, Plinius, quaſi per ſatyram hoc capite XII plurium gentium opida opidanoſque recenſens, non addit. at haud imperitè noſtro ævo collegiſſe videntur viri docti, qui LVCVM ſive NEMVS ANGITIAE fuiſſe arbitrantur. Solinus cap. VIII: *Gentem Marſorum ſerpentibus illæſam eſſe, nihil mirum. à Circes filio genus ducunt. & de avitâ potentiâ deberi ſibi ſentiunt ſervitium venenorum. ideóque venena contemnunt. C. Cælius, Aeetæ treis filias, Angvitiam, Medéam, & Circen, dicit fuiſſe. Circen Circæos inſediſſe monteis, carminum maleficiis varias imaginum facies mentientem. Angvitiam vicina Fucino occupaviſſe: ibique ſalubri ſcientiâ adversùs morbos reſiſtentem, quum deſiiſſet hominem vivere, deam habitam. Medéam ab Iaſone Buthroti ſepultam: filiumque eius Marſis imperaſſe.* Silius dicto lib. VIII:

Hæ bellare acies norant. at Marſica pubes
Et bellare manu, & chelydris cantare ſoporem,
Vipereumque herbis hebetare & carmine dentem.
Aeetæ prolem Angvitiam mala gramina primam
Monſtraviſſe ferunt, tactuque domare venena,
Et lunam excuſſiſſe polo; ſtridoribus amneis
Frenantem; ac ſilvis montem nudaſſe vocatis.

Virgilius dicto Aeneid. lib. VII:

Quin & Marrubiâ venit de gente ſacerdos,
Archippi regis miſſu, fortiſſimus Vmbro:
Vipereo generi & graviter ſpirantibus hydris
Spargere qui ſomnos cantuque manuque ſolebat;
Mulcebatque iras & morſus arte levabat.
Sed non Dardaniæ medicari cuſpidis ictum
Evaluit: neque eum juvêre in vulnera cantus
Somniferi, & Marſis quæſitæ in montibus herbæ.
Te nemus Angitiæ, vitreâ te Fucinus undâ,
Te liquidi flevêre lacus.

Ad hæc ita Servius: *Medéa, quando, relictis Colchis, Iaſonem ſequuta eſt, dicitur ad Italiam perveniſſe. & ibi populos quosdam, circa Fucinum ingentem lacum habitanteis,*

qui

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

qui Marrubii adpellabantur, docuit remedia contra ſerpenteis. Hi ergo populi Medéam Angitiam nominaverunt, ab eo, quòd eius cantus ſerpenteis cngerent. Apud Vibium in Catalogo nemorum hæc leguntur: *Anguiæ, vel Angvitiæ, Lucaniæ.* Mendum apertiſſimum eſt in primâ voce: in qua literas *it* vitiatas eſſe ab exſcriptoribus in *u*, dubium eſſe haud poteſt. etenim varietatem vocabuli, quod Virgilio ac Servio *Angitia*, Silio verò atque Solino ſcriptum erat *Angvitia*, indicare voluit Vibius. In eo autem ab ipſo erratum judico, quod *Nemus* hoc *Angitiæ* tribuatur *Lucaniæ:* quum à dictis auctoribus diſertè Marſis Fucinoque adſcribatur lacui.

ARCHIPPE *opidum*, quod, *à Marſyâ, Lydorum rege, conditum, lacu Fucino* poſteà *hauſtum eſt, auctore Gelliano* apud Plinium lib. III cap. XII, & Solinum cap. VIII; qua lacus parte fuerit, nemo facilè divinaverit. Fuiſſe tamen id nominis hisce in oris, inde colligo, quòd Virgilius, ut modò relatum, *Archippi*, Marſorum *regis*, nomen inde produxerit. — ARCHIPPE *opidum.*

Apud Strabonem, ut jam anteà relatum, lib. V hæc leguntur: εἰσὶ δ' ἐν τῇ Οὐαλερίᾳ ὁδῷ Λατῖναι πόλεις, Οὐαλερία τε καὶ Καρσέολοι καὶ Ἄλβα· πλησίον δὲ καὶ πόλις Κούκουλον. Id eſt: *Opida Latina in Valeriâ viâ ſunt, Valeria, Carſeoli, Alba: propè autem eſt opidum Ciculum.* Duo priora, quæ nunc vulgò dicuntur *Vicováro* & *Arſuli*, Aequorum fuiſſe, proximo hinc liquebit capite. CVCVLVM *opidum*, prope viam Valeriam, quam à Tibure ad Corfinium uſque protenſam fuiſſe ait eodem libro Strabo, id nunc eſſe volunt, quod inter Carſeolos & Albam ſiniſtrorſum in planitie ad montium radices vulgò dicitur *Scurcula, Scucula,* & *Scutula*. Nec ſitus ſanè, nec nominis ratio abhorrent: & antiquæ etiam heic inſcriptiones repertæ. — CVCVLVM *opidum.*

Plinii *Atinates* & Ptolemæi Ἄρξ, *Arx*; quæ illi Marſis attribuunt; Volſcorum fuiſſe opida, infrà ſuo loco patebit. Cæterùm Livius lib. X ita ſcribit: *Marſos agrum vi tueri, nunciabatur, in quem colonia Carſeoli deducta erat. Profectus dictator cum exercitu, prœlio uno Marſos fundit. compulſis deinde in urbeis munitás, Miloniam, Pleſtinam, Freſiliam, intra dies paucos cepit. & parte agri multatis Marſis fœdus reſtituit.* Ergo jam anteà in fœdere fuerant. Patet hoc ex rebus anno ſexto antè geſtis, quas Livius refert lib. VIIII, Q. Fabio Max. Rulliano III & P. Decio Mure II conſulibus, anno urbis Romæ CCCCXLV. *Cum Samnitibus*, inquit, *acie dimicatum. Haud magno certamine hoſtes victi. neque eius pugnæ memoria tradita foret, ni Marſi eo primùm prœlio cum Romanis bellaſſent. Sequuti Marſorum defectionem Peligni, eamdem fortunam habuerunt.* Ergo antiquius etiam hoc tempore fœdus id fuit. Idem Livius lib. VIII: *Conſenſit & ſenatus bellum; conſulesque, duobus ſcriptis exercitibus, per Marſos Pelignosque profecti, adjuncto Samnitium exercitu, ad Capuam, quò jam Latini ſociique convenerant, caſtra locant.* Hæc ſanè prima *Marſorum* in Romanâ hiſtoriâ eſt mentio, in conſulatu T. Manlii Torquati & P. Decii Muris, anno Vrbis CCCCXIIII. Romani quia tunc tam pacatè exercitum ſuum per eorum fineis duxerunt; haud dubiè jam tum in fœdere eos habuêre. Neque alia eorum memoria reperitur, præterquàm eodem lib. VIII poſteà, & item lib. VIIII. Lib. VIII narrat Livius, quum Veſtini Samnitibus, Romanorum hoſtibus, ſeſe conjunxiſſent; veritos eſſe Romanos, ne, ſi illis bellum inferrent, *concirentur finitimi populi, Marſi, Peligni, Marrucini.* Libro autem VIIII *ſocios Romanorum* adpellat haud obſcurè *Marſos*, in his verbis: *L. Aemilius Saticulam oppugnare adortus, rebellandi cauſam Samnitibus dedit. Duplex inde terror illatus Romanis. hinc Samnis, magno exercitu coacto, ad eximendos obſidione ſocios, haud procul caſtris Romanorum caſtra poſuit: hinc Saticulani, magno cum tumultu patefactis repentè portis in ſtationes hoſtium incurrerunt.* Mox: *Fuſi in caſtra Samnites, exſtinctis nocte ignibus, tacito agmine abeunt. &, ſpe objectâ Saticulæ tuendæ, Pliſtiam ipſi, ſocios Romanorum, ut parem dolorem hoſti redderent, circumſidunt.* Mox: *Neque enim Samnites ad Pliſtiam manſerant: ſed, accitis ab domo novis militibus, multitudine freti, caſtra, quo antè, loco poſuerunt; laceſſentesque prœlio Romanos, avertere ab obſidione conabantur.* Aliquanto pòſt: *Samnites, omiſſâ Saticulâ; quam nequidquàm defendi rebantur; ad Pliſtiæ obſidionem redeunt. intraque paucos dies Saticulâ Romanus per deditionem, Pliſtiâ per vim Samnis potitur.* Henricus Glareanus ad præſcriptum locum libri X ita commentatur: *Quidam codices Miloniam habent; ac ferè vetuſtiores. cæterùm poſteà anno* CCCCLVIIII — MILONIA, PLESTINA, FRESILIA, *opida.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Samnitium opidum dicitur; Pliſtia etiam ſuperiore libro, anno CCCCXL: *heic, ſi diis pla-cet, Marſorum. Neque verò perpetuò audiri oportere puto, diverſorum opidorum eſſe nomi-na. ſed credibilius eſt, in his vel errare codices, vel memoriâ lapſum Livium. utrumque ſinè non multum abeſt à vero.* Hæc quamquàm ſatis doctè ita doctiſſimus judicàrit Glarea-nus; tamen ſic illi reſpondit Carolus Sigonius: *Glareanus miratur Milioniam & Pleſti-nam heic Marſorum opida dici: quarum illud paullo pòſt Samnitium eſſe traditur; hoc verò lib.* VIIII *inter Samnitium etiam opida numeratum eſt. nec juſtè miratur. nam Samni-tium opida ſunt Milonia & Pliſtia; Marſorum verò Milionia & Pleſtina: ut pòſt etiam di-cam ex veterum librorum & Stephani auctoritate.* De *Pliſtiâ* nihil Stephanus habet: nec quidquam ex veteribus libris poſteà adfert Sigonius. de *Miloniâ* mox videbi-mus. de cætero miror, non animadvertiſſe Sigonium, Livio lib. VIIII non Samni-tium urbem dici *Pliſtiam*; ſed *ſociam Romanorum*. unde etiam ait, *ab domo*, id eſt è Samnio propriè ſic dicto, accitis *novis militibus*, denuò eam Samniteis obſediſſe. ſocia verò tum in Samnio Romanis urbs fuit nulla. In fœdere atque ſocietate eo tempore Romanorum fuiſſe gentem Marſorum, ſuprà oſtenſum eſt. unde nihil certius colligi poteſt, quàm corruptum *Pleſtinæ*, Marſorum urbis, vocabulum eſſe dicto lib. VIIII in *Pliſtiam*: ut apud Diodorum lib. XVIIII, eâdem hiſtoriâ, in Πλι-στινὴν, pro Πλεστίνην, levi librarii lapſu. quamquàm apud Diodorum pleraque Itali-corum opidorum vocabula vitiata eſſe deprehenduntur. De *Miloniâ* ita Stephani habet breviator: Μιλωνία, πόλις Σαυνιτῶν ἐπιφανεστάτη· Διονύσιος ἑπτακαιδεκάτῳ. τὸ ἐθνικὸν Μιλωνιάτης. Id eſt: *Milonia, urbs Samnitium nobiliſſima; auctore Dionyſio lib.* XVII. *gentile inde Miloniates*. Samnitium urbem *Miloniam* dixiſſe Dionyſium, fa-cilè crediderim. at in ipſo Samnio ſitam fuiſſe, non magis cenſeo, quàm *Ferenti-num*, *Amiternum*, *Soram*, *Fregellas*, *Antium*, & alia opida, quæ de Samnitibus ce-piſſe Romanos, teſtatur Livius. Hiſtoria de *Miloniâ* apud hunc lib. X talis eſt: *Atilius cum exercitu extemplò profectus, ut in Samnio hoſteis nondum egreſſos opprimeret, velut ex compoſito ibi obviam habuit hoſtem. Vbi & intrare, nedum vaſtare, ipſi Samni-tium agrum prohiberentur; & egredi inde in pacata ſociorumque populi Romani fineis Samniteis prohiberent; quum caſtra caſtris collata eſſent; quod vix Romanus totiens victor auderet, auſi Samnites ſunt caſtra Romanorum oppugnare.* Et aliquanto pòſt: *Animos inde Samnitibus non infelix audacia auxit. & non modò proferre inde caſtra Romanum, ſed ne pabulari quidem per agros ſuos patiebantur. retro in pacatum Soranum agrum pa-bulatores ibant. Quarum rerum fama, tumultuoſior etiam, quàm res erant, perlata Ro-mam, coëgit L. Poſtumium conſulem, vix dum validum, proficiſci ex Vrbe; priùs tamen, quàm exiret militibus edicto Soram juſſis convenire. Ita ad exercitum profectus, ab So-râ in Samnium ad caſtra collegæ perrexit. Inde poſtquàm Samnites, diffiſi duobus exerci-tibus reſiſti poſſe, receſſerunt; diverſi conſules ad vaſtandos agros urbeisque oppugnandas diſcedunt. Poſtumius Milioniam oppugnare adortus; vi primò atque impetu; deinde, poſtquàm ea parum procedebant, opere ac vineis demum injunctis muro, cepit.* Mox: *Inde Ferentinum ductæ legiones. unde opidani cum omnibus rebus ſuis, quæ ferri agique potuerunt, nocte per averſam portam ſilentio exceſſerunt.* Sanè, non magis *Milioniam*, ſive *Miloniam*, in ipſo Samnio propriè ſic dicto fuiſſe puto, quàm *Ferentinum*. quod Hernicorum fuiſſe opidum, infrà ſuo loco oſtendetur. Nihil igitur certius, quàm *Miloniam* fuiſſe Marſorum, in confinio Samnitium poſitam: eâque occaſione fa-cilè potuiſſe de Marſis, jam in fœdus Romanorum regreſſis, à Samnitibus capi: licèt id, quando factum, ab Livio non adnotatum. namque paullo negligentiùs, vel ſaltem compendioſiùs hæc Samnitium bella narraviſſe eum, cuivis facilè obſer-vare licet. quod nos etiam infrà in expoſitione *Soræ* Volſcorum & *Boviani* Sam-nitium urbis documentis demonſtrabimus. Itaque in Samnitium Pelignorumque confiniis fuére prædicta Marſorum opida MILONIA, PLESTINA, FRESILIA. Ea an ad Silii usque ætatem duraverint; ſed *in obſcuro famæ, & ſine nomine vulgi in numero cæterorum caſtellorum*; haud facile dictu eſt.

Cap. XVI.

De Aeqvis; *qui &* Aeqvani, *&* Aeqvicvli, *& item* Aeqvicvlani.

MArſis ab occaſu Solis æſtivi, ut ſuprà dictum, continuabantur Aeqvi. quorum nomen variè ab Latinis pariter Græcisque auctoribus formatum eſt. quidpe Livio paſſim, & Ciceroni de Officiis lib. I, Ovidio Faſtor. lib. VI, Valerio Maximo lib. II cap. VII, ac lib. V cap. II, item Tacito Annal. lib. XI, Frontino Strategem. lib. II cap. VIII, & lib. III cap. I, dicuntur, ut modò ſcripſi, *Aequi*. at Dionyſio lib. VI, VIII, VIIII, & X, Αἰκανοὶ, ut & Plutarcho in Furio Camillo & Marcio Coriolano: quod vocabulum Latinè formes Aeqvani. Hinc quum in Etruriâ *Faliſci* quoque populi, quorum urbs erat *Falerii*, cognominarentur *Aequi*; ut ſuprà cap. III huius lib. II oſtenſum; Silius lib. V finxit ex agro eorum & ab Soracte monte bellatorem *Aequanum*. Aeqvicoli etiam, ſive Aeqvicvli, dicuntur eidem Livio, Virgilio, Ovidio, Vitruvio, Plinio, Silio, Svetonio, Ptolemæo, auctorique de Viris illuſtribus. Ovidius Faſtor. lib. III, ubi de Martio menſe loquitur:

Quintum Laurentes, bis quintum Aequiculus acer,
A tribus hunc primum turba Forenſis habet.

Virgilius Aeneid. lib. VII:

Horrida præcipuè cui gens adſuetaque multo
Venatu nemorum, duris Aequicula glebis.

Silius lib. VIII:

Quique Anienis habent ripas, gelidæque rigantur
Simbrivio, raſtrisque domant Aequicula rura.

Vitruvius lib. VIII cap. III: *Aequiculis in Italiâ, & in Alpibus natione Medullorum eſt genus aquæ, quam qui bibunt, efficiuntur turgidis gutturibus.* Plinius lib. XXV cap. VIII: *Naſcitur & in Aequiculis circa vicum Nerveſiæ. vocatur conſiligo.* Svetonius in Vitellio, cap. I: *Indicia ſtirpis diu manſiſſe: viam Vitelliam, ab Ianiculo ad mare usque: item coloniam eiusdem nominis; quam gentili copiâ adversùs Aequiculos tutandam olim depopoſciſſent.* Ptolemæus: Αἰκϰικλῶν, Κλείτερνον, Καρσίολι. *Aequiculorum, Cliternum, Carſioli.* Auctor de Viris illuſtribus, in Anco Marcio: *Ius feciale ab Aequiculis transtulit.* Servius ad Virgilianæ Aeneidos libri X initium de eâdem re ita tradit: *Ancus Marcius, quum videret populum Romanum ardentem amore bellorum, & plerumque inferre gentibus bella, nullâ juſtâ exſtante ratione; & exinde pericula procreari: miſit ad gentem Aequiculanam; & accepit jura fecialia, per quæ bella indicebantur.* Claud. Dausqueius in commentariis ad præſcriptum Silii locum ita ſcribit: *Aequicolani ab æquo colendo vocabulum accepiſſe videntur judicari à Servio.* Et mox poſt Servii verba: *Et ipſi igitur æquum colebant, & Romanos, idem facerent, docuêre.* Ergo *Aequicolæ* vocabantur à *colendi* argumento; quo modo *adcolæ, incolæ, ruricolæ, cælicolæ*; & Ovidio Faſtor. lib. VI *Iunonicolæ*, & aliis alia eiusdem formæ vocabula dicuntur. Sanè, non Dausqueii hæc primùm fuit opinio: ſed ita judicarunt grammatici jam pridem auctorum exſcriptores, qui multis in exemplaribus tertiam ſyllabam ſcripsêre per *o*, ubi alia habent *u*. unde etiam apud Livium lib. X in vulgatis exemplaribus ſic legitur: *Eodem anno Carſeolos colonia in agrum Aequicolarum deducta.* Libro autem primo, in rebus Anci Marcii regis ita eſt: *Ut tamen, quoniam Numa in pace religiones inſtituiſſet, à ſe bellicæ ceremoniæ proderentur; nec gererentur ſolùm, ſed etiam indicerentur bella aliquo ritu: jus ab antiquâ gente Aequicolis, quod nunc feciales habent, deſcripſit, quo res repetuntur.* Verùm quum apud Ovidium, dicto Faſtor. lib. III, diſertè unitatis numero *Aequiculus*, & apud Virgilium etiam Aeneid. lib. VIIII, metri causâ diphthongo *Ae* in ſimplex *E* corruptâ, *Equicolus*, in hoc verſu,

Continuò Quercens & pulcher Equicolus armis:

haud dubium eſt, quin apud hunc poëtam libro etiam VII, præſcripto loco, ab eâdem formatione feminino genere dicta ſit *gens Aequicola*, ſive, ut alia exemplaria habent, *Aequicula*; & item apud Silium neutro genere, *Aequicula rura*. utique,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

quum Svetonii exemplaria cuncta conſtanti ſcripturâ habeant & ipſa *Aequiculos*: & apud Diodorum quoque lib. XIIII accuſativus ſit corrupto vocabulo Αἰτωλὰς, pro Αἰκικλὰς, in his verbis: Κατὰ τὴν Ἰταλίαν Ῥωμαῖοι πρὸς Φαλίσκους εἰρήνην ποιησάμενοι, πρὸς δὲ Αἰτωλὰς πόλεμον τὸ τέταρτον· καὶ Σούτριον μὲν ὥρμησαν, ἐκ δὲ Οὐερρηγίνου πόλεως ὑπὸ τῶν πολεμίων ἐξεβλήθησαν. Id eſt: *In Italiâ Romani, poſt pacem cum Faliſcis firmatam, cum Aetolis bellum geſſerunt quartum. & Sutrium quidem expugnarunt; ſed ex Verregine opido ab hoſtibus ejecti ſunt*. Nulli ſanè alii fuêre *Aetoli*, quàm qui Græciam incoluerunt. nec *Sutrium*, Etruriæ opidum, ullo modo heic conſiſtere poteſt. Proximo inde anno defeciſſe *Satricum* ab Romanis, eodem libro poſteà narrat Diodorus. Sed incertum, quid illic ſcripſerit, pro quo *Sutrium* ſuppoſitum. Livius lib. V ita tradit: *Faliſcis in ſtipendium militum eius anni, ut populus Romanus tributo vacaret, pecunia imperata. Pace datâ, exercitus Romam reductus*. Haud multo pòſt: *Eodem anno in Aequis variè bellatum: adeò, ut in incerto fuerit & apud ipſos exercitus & Romæ, viciſſent, victine eſſent*. Mox: *Aemilium præſidio Verruginem obtinere placuit*. Exiguo pòſt: *Sed clamor Verruginem perlatus, quum caſtra Romana crederent oppugnari, tantum injecit pavoris, ut, nequidquàm retinente atque obſecrante Aemilio, Tuſculum palati fugerent*. An igitur apud Diodorum quoque ſcriptum fuerit εἰς Τοῦσκλον, ubi nunc eſt Σούτριον, haud facilè dixerim. Cæterùm Αἰκικλοὺς eum heic vocaſſe, quos Livius *Aequos*, extra omnem jam controverſiam eſt. Fine eiusdem libri XIIII hæc etiam leguntur: Ἀκούσας δὲ ὁ αὐτοκράτωρ πορθεῖσθαι Βώλας πόλιν ὑπὸ Αἴκλων, τῶν νῦν Αἰκικλῶν καλουμένων, ἀγαγὼν τὴν δύναμιν, τοὺς πλείστους τῶν πολιορκούντων ἀνεῖλεν. Id eſt: *Dictator, audito, Volas oppugnari ab Aeclis, qui nunc Aequiculi vocantur, ductis illuc copiis, maximam obſidentium partem trucidavit*. Scripſerat haud dubiè ipſe Diodorus ὑπὸ Αἴκων, id eſt, *ab Aequis*: ut etiam lib. XIII eſt. At lib. XII rurſus bis eſt Αἴκλων, & ſemel lib. XX; haud dubiè pro Αἰκικλῶν. Quamquàm hoc lib. XX in quibusdam exemplaribus eſt τῶν Αἰκαλῶν. quod ab ipſo Diodoro ſcriptum videtur fuiſſe Αἰκανῶν. Ptolemæo igitur etiam habiti ſunt maſculino genere Αἰκουίκλοι, *Aequiculi*. & Livium quoque prædicto libro X ſcripſiſſe cenſeo, *Carſeolos colonia in agrum Aequiculorum deducta*. & lib. I, *ab antiquâ gente Aequiculis*. At apud Dionyſium lib. II id vocabulum obliquo caſu corruptum eſt τῶν Ἐβικλῶν, pro Αἰκικλῶν. quod primùm quidam exſcriptores fecerant Ἐκικλῶν· fortè illum Virgilii locum Aeneid. lib. VIIII ſequentes: quemadmodùm apud Vitruvium eſt, loco ſuprà ſcripto. Cæterùm Plinio lib. III cap. XII etiam AEQVICVLANI dicuntur. *Aequiculanorum*, inquit, *Cliternini, Carſeolani*. Verùm hoc derivativum fuit vocabulum ab *Aequiculorum* nomine. unde etiam *Aequiculana* dicitur *gens* Servio ſuprà ſcripto loco. Ab *Aequorum* autem vocabulo *Aequicum bellum* denominavit Livius ſub initium libri III. Atque hactenus quidem de nomine huius gentis.

De genere eius nihil adnotatum apud auctores reperio. incertumque planè eſt, unde originem duxerit. Livius dicto lib. I *antiquam* adpellat ſub Romanæ urbis primordium.

De ingenio atque moribus ita tradit idem auctor lib. II: *Ferox Aequorum multitudo increpare duces, quòd in aciem, qua pugnandi arte Romanus excellat, commiſſa res ſit. Aequos populationibus incurſionibusque meliores eſſe*. Hinc & Virgilius dicto Aeneid. lib. VII:

Et te montoſæ miſère in prælia Nurſæ,
Vfens, inſignem famâ & felicibus armis.
Horrida præcipuè cui gens, adſvetaque multo
Venatu nemorum, duris Aequicula glebis.
Armati terram exercent: ſemperque recenteis
Convectare juvat prædas, ac vivere rapto.

Sanè, ut *montoſa*, ſic *nemoroſa* hodiéque eſt ipſorum regio. cuius fines haud faciles inventu ſunt. Incoluêre tamen ad utramque Anienis ripam, inter Sabinos, Marſos, Volſcos, Hernicos, atque Latinos. Livius lib. VII: *Quid eſſe duo proſpera in tot ſæculis bella Samnitium adversùs tot decora populi Romani? qui triumphos penè plureis, quàm annos, ab Vrbe conditâ numeret. qui omnia circa ſe, Sabinos, Etruriam, Latinos, Hernicos, Aequos, Volſcos, Auruncos, domita armis habeat*. Latinorum opida fuêre *Tibur*, & *Præneſte*; nunc *Tivoli* & *Pilaſtrina* dicta: Hernicorum, *Anagnia*, *Ferentinum*,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

tinum, *Alatrium*; nunc *Anagni*, *Ferentino*, *Alatri*: Volſcorum, *Sora*; quæ nomen retinet. De ſingulis hiſce infrà ſuo loco docebitur. *Marrubium*, quod nunc dicitur *Morréa*, unà cum fontibus Liris & Telonii amnium, quorum hic in Velinum flumen, ille in mare inferum exit, fuiſſe Marſorum, ſuperiori capite intelleximus. Sabinis fuiſſe conterminos, præterquàm quòd nulli alii inter eos ab auctoribus ponantur populi, diſertè quoque teſtatur Ptolemæus, his verbis: Σαβίνων πόλις Νουρσία· Αἰκουικλῶν, οἵ εἰσιν ἀνατολικώτεροι Σαβίνων, Κλείτερνον, Καρσέολοι· Μαρσῶν, οἵ εἰσιν ἀνατολικώτεροι Αἰκουίκλων, Ἄλβα Φουκήτις. Id eſt: *Sabinorum urbs eſt Nurſia: Aequiculorum, qui orientaliores ſunt Sabinis, Cliternum, Carſeoli: Marſorum, qui orientaliores ſunt Aequiculis, Alba Fucentis.* Sabinis quidem erant ab meridie Aequiculi: at his Marſi ab oriente æſtivo. Tam arctis igitur finibus incluſi fuêre Aequiculorum agri. Inter Præneſte tamen & Albanum montem ſeſe cuneabant in agrum usque Tuſculanum, prope *Tuſculum* opidum; cuius rudera etiam nunc cernuntur apud opidum *Fraſcati*. Livius lib. II: *Aequi Latinum agrum invaſerant*. Et poſteà: *Redière deinde Volſci, adjunctis Aequis, in agrum Romanum*. Et iterum: *Vexabantur incurſionibus Aequorum Latini*. Et deinde: *Dum hæc ad Veios geruntur, Volſci Aequique in Latino agro poſuerunt caſtra*. Imperitè igitur fecit L. Florus; qui & *Volſcos* & *Aequos* adpellavit *Latinos* lib. I cap. XI, in his verbis: *Pervicaciſſimi tamen Latinorum Aequi & Volſci fuère*. Verùm talia haud rara Floro, nimium brevitati ſtudenti, per incuriam exciderunt. inter alia maximè ſimile exemplum huic eſt illud lib. III cap. IIII; ubi *ſæviſſimos omnium Thracum* dicit *Scordiſcos*: quos *Celtas* fuiſſe, conſtat; plerisque auctoribus *Gallos* exiſtimatos. Porrò Livius lib. III: *Dum ad Antium hæc geruntur, interim Aequi, robore juventutis præmiſſo, arcem Tuſculanam improvisò nocte capiunt: reliquo exercitu haud procul mœnibus Tuſculi conſidunt*. Valer. Maximus lib. V cap. II: *Quid illâ quoque juventute Romanâ gratius, quæ C. Nautio & Minucio conſulibus ultro nomina ſua militari ſacramento obtulit, ut Tuſculanis, quorum fineis Aequi occupaverant, præſidium ferrent?* Livius proximè dicto lib. III poſteà: *Trepidi nuncii ab Tuſculo veniunt; Aequos in agro Tuſculano eſſe. Ambo conſules cum exercitu miſſi, hoſtem in ſuâ ſede in Algido inveniunt*. Hodiéque ſuper Tuſculanos monteis ſilva poſita, vulgò vocatur *Selva dell' Aglio*. Trans Anienem amnem *Carſeolos* atque *Sublaqueum*; quæ nunc vulgò adpellari *Arſuli* & *Subiaco*, jam antè dixi, Aequorum fuiſſe opida, mox infrà patebit. Hinc rectè Silius lib. VIII:

> *Quique Anienis habent ripas; gelidoque rigantur*
> *Simbrivio; raſtrisque domant Aequicula rura.*

Simbrivios lacus fuiſſe apud opidum *Sublaqueum*, ſuprà cap. X huius libri II oſtenſum eſt. At poſteà temporis; Romanis jam cuncta per Italiam obtinentibus, limitesque regionibus ac populis pro libitu arbitratuque ſuo ponentibus; *Latii Novi* fines comprehenderunt, non tantùm *Volſcos*, *Auſonesque* ad Lirim usque amnem & Maſſicum montem, tum item *Hernicos*; ſed & Aequorum agri quantum citra Anienem fuit amnem, verſùs Sabinos atque Marſos: Aequorumque nomen ultra eum fluvium conſtitit. ita tamen, uti ſuperior fluvii pars, quæ in meridiem ſive ortum Solis brumalis vergit, unà cum opido *Trebâ*, Latio quoque adcenſeretur. Hinc illud Strabonis lib. V: Ἑξῆς δὲ Λατίνη κεῖται· ἐν ᾗ καὶ ἡ τῶν Ῥωμαίων πόλις, καὶ πολλαὶ συνειλῆφθαι τῆς μὴ Λατίνης πρότερον. Αἴκοι γὰρ καὶ Οὐόλσκοι καὶ Ἑρνικοὶ, Ἀβοριγῖνές τε, οἱ περὶ αὐτὴν τὴν Ῥώμην καὶ Ῥουτοῦλοι, οἱ τὴν ἀρχαίαν Ἀρδέαν ἔχοντες, καὶ ἄλλα συστήματα μείζω καὶ ἐλάττω, τὰ περιοικοῦντα τοὺς τότε Ῥωμαίους ὑπῆρξεν, ἡνίκα πρῶτον ἐκτίσθη ἡ πόλις. Id eſt: *Sequitur inde Latium; in quo & Romanorum eſt urbs, & complura alia comprehenduntur opida, quæ ab initio non erant Latii. nam & Aequi & Volſci atque Hernici, & circa ipſam Romam Aborigines, & qui vetuſtam habuerunt Ardeam Rutuli, aliæque maiores minoresque gentes quomdam circùm Romanos ſedeis ſuas habuêre, quum primùm urbs condita foret*. Hac equidem ratione ipſe *Carſeolos* quoque ac *Valeriam* Latina fecit opida: ſed & *Cuculum* & *Albam*; Marſorum quæ erant; ut ſuprà intelleximus. Rectiùs Plinius atque Ptolemæus: qui, licet & ipſi Latium ad Lirim usque amnem, Campaniæ finem, produxerint; opidumque in eo poſuerint *Trebam*: tamen extra Latium peculiarem recenſuerunt gentem *Aequorum*, cum opidis eorum *Carſeolis* & *Cliterno*. Atque hanc gentis in duas diverſas parteis atque regiones diſſectionem Floro cenſeo fuiſſe cauſam erroris, uti is eam unà cum Volſcis jam tum Latinorum nomini adſcribe-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

adſcriberet, quum prima contra eos bella ſatis diuturna gererent Romani, ante Vrbem à Gallis captam. Sed video, pleroſque huius ævi geographos Italos nimis longè in Sabinorum usque fineis *Aequorum* nomen proferre. quibus fortè hæc ratio fuit, quòd circa opidum, cui vulgare vocabulum *Tagliacozzo*, fontes quidam potati turgidos efficiant guttures: Vitruvius verò ſuprà dicto lib. VIII cap. III ſic tradat: *Aequiculis in Italiâ, & in Alpibus natione Medullorum, eſt genus aquæ, quam qui bibunt, efficiuntur turgidis gutturibus*. Certè non in *Medullorum* tantùm *natione*, ſed in omni ferè Alpium tractu *turgidis* hodiè conſpiciuntur *gutturibus* homines; & item, qui ad radices horum montium incolunt, in Genevenſi opido, apud lacum Lemanum. Nec tantùm circa Taliacottium hodiè viſuntur huiusmodi mortales ſtrumoſi: ſed & circa opidum, cui vulgare vocabulum *Olévano*, inter Sublaqueum & Præneſte ſitum, natos homines vidi cum ſtrumis. Itaque ut *Medullorum* tantùm nominavit *nationem* Vitruvius, quum omnes ferè Inalpini populi ſtrumoſis gutturibus habeant homines; ſic unos etiam *Aequiculos* nominaſſe potuit, licèt in Marſis quoque circa Taliacottium opidum quidam eſſent. Certè etiam citra Taliacottium, ad Telonium usque amnem, qui nunc *Turano* eſt, Marſorum fineis fuiſſe protenſos, ſuprà cap. X & XV oſtenſum eſt.

Opida habuiſſe Aequos jam inde antiquiſſimis temporibus, ex Livio, Dionyſio, atque Diodoro diſco. Dionyſius lib. VIII; in conſulatu Sp. Caſſii III & Proculi Virginii, anno urbis Romæ CCLXVIII. Αἰκανοὶ μὲν οὖν ὀχυρώσαντες τὰς πόλεις, καὶ τὰ πλείστου ἄξια ἐκ τῶν ἀγρῶν ἀνασκευασάμενοι, τὴν τε γῆν περιεώρων δῃουμένην καὶ τὰς αὐλὰς ἐμπιπραμένας. Hoc eſt: *Aequani, opidis communitis, atque in ea rebus carioribus comportatis, agros vaſtari villasque incendi paſſi ſunt*. Et lib. VIIII; in conſulatu Cæſonis Fabii Vibulani III & T. Virginii, anno Vrbis CCLXXV: Ὕπατοι, διαλαχόντες τὰς δυνάμεις, ἐξῄεσαν εἰς τὴν ὕπαιθρον· Φάβιος μὲν Αἰκανοῖς πολεμήσων, περιιομένοις τὴν Λατίνων ἀγρούς, Οὐεργίνιος δὲ Οὐεϊεντανοῖς. Αἰκανοὶ μὲν οὖν ἐπειδὴ στρατὸν ἐλευσόμενον ἐπ᾽ αὐτοὺς ἔγνωσαν, ἀναστάντες ἐκ τῆς πολεμίας διὰ τάχους, ἀπῆλθεν εἰς τὰς ἑαυτῶν πόλεις· καὶ μετὰ ταῦτα λεηλατουμένης τῆς σφετέρας γῆς ἀνείχοντο. Id eſt: *Conſules cum exercitibus, quos cuique ſors dederat, profecti ſunt: Fabius contra Aequos, Latini agri populatores; Virginius adversùs Veienteis. Aequi, adventu exercitus cognito, properè caſtris ex hoſtico motis, receperunt ſe in ſua opida: agrosque ſuos devaſtari ac prædas abigi paſſi ſunt*. Livius lib. II: *Vexabantur incurſionibus Aequorum Latini. Eò cum exercitu Cæſo miſſus, ipſorum Aequorum agrum depopulando transit. Aequi ſe in opida receperant: murisque ſe tenebant*. Dionyſius eodem libro poſteà, anno Vrbis CCLXXXVII, Tib. Aemilio Mamerco iterum & Q. Fabio Vibulano conſulibus: Μετὰ τοῦτο συνθῆκαι γίνονται, Αἰκανοὺς εἶναι Ῥωμαίων ὑπηκόους, πόλεις τε καὶ χώρας τὰς ἑαυτῶν ἔχοντας. Id eſt: *Poſthæc fœdus factum eſt; uti Aequani Romanorum eſſent imperio ſubjecti, ſalvis ſibi opidis agrisque ſuis*. Et biennio pòſt Livius lib. III: *In Aequis nihil deinde memorabile actum. in opida ſua ſe recepêre; uri ſua populárique paſſi*. Et lib. VIIII, anno Vrbis CCCCXLVIIII, P. Sulpicio Saverrione & P. Sempronio Sopho conſulibus: *Populus Romanus bellum fieri Aequis juſſit. conſulesque ambo ad novum profecti bellum*. Paullo pòſt: *Ad ſingulas urbeis circumferendo bellum, unum & quadraginta opida intra dies LX, omnia oppugnando, ceperunt: quorum pleraque diruta atque incenſa. nomemque Aequorum prope ad internecionem deletum*. Diodorus lib. XX: Τῶν δ᾽ ὑπάτων Πόπλιος Σεμπρώνιος μετὰ δυνάμεως ἐμβαλὼν εἰς τὴν τῶν Αἰκανῶν χώραν, ἐχειρώσατο μ᾽ πόλεις ἐν ἡμέραις ταῖς πάσαις ν᾽. Id eſt: *Alter conſulum P. Sempronius, cum exercitu in Aequorum agrum profectus, XL opida intra dies omnino L ſubegit*. Exigua atque tenuia fuerint opida, neceſſum eſt, tot numero intra tam arctos agrorum fineis.

ALGIDVS *mons & opidum.*

Proximum urbi Romæ fuit ALGIDVM *opidum*, in ALGIDO MONTE: cuius ſitus ſatis clarè atque perſpicuè ab auctoribus indicatus. Livius ſub initium libri III; in conſulatu T. Quintii Capitolini III & Q. Fabii Vibulani II, anno urbis Romæ CCLXXXVIIII: *Exercitus*, [ab Aequis] *in Algidum adversùs Romanos miſſus*. Ac poſteà, ad finem eius hiſtoriæ: *Fortè ab Algido Quintius conſul redierat Romam*. Et eodem libro poſteà in conſulatu Q. Fabii Vibulani tertiùm & L. Cornelii Maluginenſis, anno urbis Romæ CCXCV: *Aequi, robore juventutis præmiſſo, arcem Tuſculanam improvisò nocte capiunt: reliquo exercitu haud procul mœnibus Tuſculi conſidunt*. Exiguo pòſt: *Fames poſtremò inde detraxit hoſtem. quò poſtquàm ventum ad extremum eſt;*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

eſt; inermes undique omnes ſub jugum ab Tuſculanis miſſi. Hos ignominioſâ fugâ domum ſe recipienteis, Romanus conſul in Algido conſequutus, ad unum omneis occidit. De eâdem re Dionyſius lib. x: Ἀποδοὺς δὲ τοῖς Τυσκλανοῖς τὴν πόλιν Φάβιος, περὶ δείλην ὀψίαν ἀνίστησι τὴν στρατιὰν, καὶ ὡς εἶχε τάχους ἤλαυνεν ἐπὶ τοὺς πολεμίους, ἀκούων περὶ πόλιν Ἀλγιδόνα ἀθρόας εἶναι τάς τε Οὐολούσκων καὶ Αἰκανῶν δυνάμεις. ποιησάμενος δὲ δι᾽ ὅλης νυκτὸς σύντονον ὁδὸν, ὑπ᾽ αὐτὸν τὸν ὄρθρον ἐπιφαίνεται τοῖς πολεμίοις ἐστρατοπεδευκόσιν ἐν πεδίῳ, καὶ οὔτε τάφρον ἐπιβεβλημένοις οὔτε χάρακα, ὡς ἐν οἰκείᾳ τε γῇ καὶ καταφρονήσει τῶν ἀντιπάλων. Hoc eſt: *Fabius, reddito Tuſculanis opido, ſub veſperam, quantâ celeritate potuit, in hoſtem inde movit; audito, circa Algidum opidum eſſe totum Volſcorum Aequanorumque exercitum. & continuato per totam noctem itinere, ſub lucem ſe oſtendit hoſtibus, in campo ſtativa habentibus ſine foſſâ ac vallo: ut, qui in ſuo ſolo nihil ſibi ab hoſtibus metuerent.* Livius eodem lib. III haud multo poſt: *Aequi, Graccho duce, in Lanuvinum agrum,* [ſcribe, in *Lavicanum agrum*: ſcilicet ab opido *Lavico*; quod nunc eſſe vulgò *Zagarolo*, intrà lib. III cap. IIII patebit. *Lanuvium*, ultra Albanum montem, nunc dicitur *Città Lavina*] *inde in Tuſculanum hoſtili populatione veniunt: plenique prædæ in Algido caſtra locant.* Mox: *Senatus juſſit alterum conſulem contra Gracchum in Algidum exercitum ducere.* Dictator tunc factus L. Quintius Cincinnatus. de cuius exercitu ita porrò Livius. *Mediâ nocte in Algidum perveniunt.* Deinde: *Conſules jubentur ſubitarium ſcribere exercitum, atque in Algidum ducere.* Paullo pòſt: *Horatius in Algido pugnat. fugat hoſtem ex Algido.* Mox: *Trepidi nuncii ab Tuſculo veniunt, Aequos in agro Tuſculano eſſe. Ambo conſules cum exercitu miſſi, hoſtem in ſuâ ſede in Algido inveniunt.* Poſteà: *Aequi caſtra in Algido locant. depopulatique inde excurſionibus Tuſculanum agrum, legati ab Tuſculo, præſidium orantes, nunciant.* Deinde: *Fuſi & ab Sabinis ad Eretum & in Algido ab Aequis exercitus erant. Maius flagitium in Algido: maior etiam clades accepta. caſtra quoque amiſſa erant. exutusque omnibus utenſilibus miles, Tuſculum ſe contulerat.* De eâdem re Dionyſius lib. XI: Αἰκανοὶ δὲ εἰς τὴν Τυσκλανῶν γῆν ἐμβαλόντες, ὅμορον οὖσαν σφίσι, καὶ πολλὰ δηώσαντες αὐτῆς, ἐν Ἀλγιδόνι πόλει τίθενται τὸν χάρακα. Id eſt: *Aequani, factâ in Tuſculanorum agros, ſibi finitimos, incurſione, quum magnam illorum partem populati eſſent; ad Algidum opidum caſtra locant.* Livius iterum poſteà: *Pater virginis, L. Virginius, honeſtum ordinem in Algido ducebat.* Atque ita conſtanter Livius poſteà etiam nudè ſemper *in Algidum*, & *in Algido* dicit; haud addens, quid fuerit; *mons*, *opidum*, an *ager*: ut & Plinius lib. XVIII cap. XIII, de rapis loquens: *Palma in Nurſino agro naſcentibus. proxima in Algido natis.* Et Diodorus lib. XII, de eodem L. Virginio loquens: Αὐτὸς δ᾽ ἐκ τῆς πόλεως ἐκπηδήσας, ἀπῆλθε πρὸς τὸ στρατόπεδον τὸ ἐν τῷ Ἀλγίδῳ [malè in vulgatis exemplaribus Λαγαδίῳ] καλουμένῳ τότε ὑπάρχον. Id eſt: *Ipſe confeſtim ſeſe ex Vrbe proripiens, ad exercitum, in caſtris tunc in Algido verſantem, ſe contulit.* Et ipſe etiam Dionyſius prædicto lib. XI poſteà: οἱ δ᾽ ἐν Ἀλγίδῳ τῆς Αἰκανῶν χώρας θέμενοι τὴν παρεμβολὴν, *, διασωθέντες ἐκ τῆς φυγῆς, τετραυματισμένοι οἱ πλείους, καὶ τὰ ὅπλα μικροῦ δεῖν πάντες ἀπολωλεκότες, εἰς πόλιν Τύσκλον ἀφικνοῦνται· σκηνὰς δὲ αὐτῶν καὶ ὑποζύγια καὶ χρήματα καὶ θεράποντας καὶ τὴν ἄλλην τοῦ πολέμου παρασκευὴν οἱ πολέμιοι διήρπασαν. Hoc eſt: *Qui verò in Aequanorum regione in Algido poſuerant caſtra, *, magnâ ex parte vulnerati, fermè omnes amiſſis armis, Tuſculum evaſerunt. tentoria, jumenta, pecunias, famulitia, & reliquum belli adparatum, hoſtis diripuit.* Et aliquanto pòſt, in Virginii hiſtoriâ: Τὸ ἐν Ἀλγίδῳ τῆς Αἰκανῶν χώρας καθιδρυμένον, καὶ τὸ ἐν τῇ πόλει πλῆθος ἅπαν· Id eſt: *Quæ in Aequanorum agro in Algido poſita, & quæ in Vrbe erat multitudo omnis.* Et de eodem exercitu deinde: Ἀφικνεῖται περὶ λύχνων ἁφὰς ἐπὶ τὸν πρὸς Ἀλγίδῳ χάρακα. Id eſt: *Circà luminum accenſionem in caſtra ad Algidum pervênit.* Et aliquanto pòſt: Τὰ ἐν Ἀλγίδῳ πέντε τάγματα. hoc eſt: *Quinque legiones, quæ in Algido erant.* At verò fuiſſe *montem Algidum*, poſterioris ævi auctores adnotarunt. Hieronymus in Chronico Euſebiano: *Quum in Algido monte Romani milites obſiderentur, à dictatore Quintio Cincinnato liberati ſunt.* Auctor de Viris illuſtribus, in L. Quintio Cincinnato: *Q. Minucium conſulem in Algido monte cum exercitu obſidebant.* Et in L. Virginio: *Appius Claudius Virginiam, Virginii centurionis filiam, in Algido militantis, adamavit.* Eutropius lib. I: *Sequenti anno, quum in Algido monte, ab Vrbe duodecimo fermè milliario, Romanus obſideretur exercitus, L. Quintius Cincinnatus dictator eſt factus.* Et aliquanto pòſt: *Appius Claudius Virginii cuiusdam, qui honeſtis jam ſtipendiis contra Latinos in monte Algido militabat, filiam*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

virginem corrumpere voluit. Quapropter apud Dionyſium quoque dicto lib. x an ſcriptum fuerit, περὶ τὸ Ἄλγιδον ὄρος, id eſt, *circa Algidum montem*; & lib. xi ἐν Ἀλγίδῳ ὄρει, *in Algido monte*: equidem neſcio. cæterùm illa variatio περὶ Ἀλγιδόνα, & ἐν Ἀλγιδῶνι, minùs placet. niſi ipſe *mons* Græcis dictus fuerit τὸ Ἄλγιδον ὄρος, *opidum* verò in eo ſitum ὁ Ἀλγιδὼν πόλις· ut apud inferioris quoque ſæculi auctorem eſt Procopium Gothicar. rer. lib. iii, in his verbis: Τωτίλας δὲ στρατοῦ τὸ πλεῖστον μέρος Ῥώμης οὐ πολλῷ ἄποθεν, ἀλλ' ὅσον ἀπὸ σταδίων εἴκοσι καὶ ἑκατὸν ἐς τὰ πρὸς δύοντα ἥλιον ἐνστρατοπεδευσάμενος ἐν χωρίῳ Ἀλγιδῶνι, ἐκέλευεν ἡσυχῇ μένειν. Id eſt: *Totila maiorem exercitus partem ab Vrbe haud longius ſtadia* cxx *in Algidone, quod loco nomen, ad occidentem Solem locavit; quietosque inibi manere juſſit*. Sed non obſcurè nec dubiè opidum pronunciatur Straboni Floroque ac Stephani epitomatori. Strabo dicto lib. v: Ἄρχεται δ' ἡ Λατίνη ὁδὸς ἀπὸ τῆς Ἀππίας, ἐν ἀριστερᾷ ἀπ' αὐτῆς ἐκτρεπομένη πλησίον Ῥώμης· εἶτα διὰ τοῦ Τουσκλανοῦ ὄρους ὑπερβᾶσα, μεταξὺ Τούσκλου πόλεως καὶ τοῦ Ἀλβανοῦ ὄρους, κατεῖσιν ἐπ' Ἄλγιδον πολίχνιον καὶ Πικτὰς πανδοκεῖα. Id eſt: *Incipit via Latina ab Appiâ, ad ſiniſtram ab eâ prope Romam deflectens; ac ſuper Tuſculanum montem transit, inter Tuſculum opidum & montem Albanum: deſcenditque ad Algidum opidulum & Pictas diverſoria*. Procopii ſtadia cxx, more poſterioris ævi vii ſtadiis cum dimidio in ſingula milliaria computatis, conficiunt millia paſſunm xvi. quod ſanè intervallum longè magis congruit in *Algidi montis* opidique ſitum, quàm apud Eutropium millia paſſuum xii; numero non dubiè ab exſcriptore, ut haud ſemel aliàs, vitiato: quum ad ipſum *Tuſculum* tot numerata fuerint millia; ut intrà lib. iii cap. iiii videbimus. *Latina* autem *via* erat ea, quæ ab ſiniſtro latere habens opida *Fraſcati* & *Rocca Priora*, ab dextro verò opida *Marino* & *Rocca di Papa*, per mediam vallem, quæ eſt inter Tuſculanos monteis montemque Albanum, in altiora loca, dictis montibus contigua, ad orientem verſùs tendit. in qua viâ poſt iiii millia paſſuum à *Tuſculo*, ſive opido *Fraſcati*, diverſorium publicum, vulgò *L' Oſteria*, locum veteris *Algidi opiduli* occupare exiſtimo. Iuxtà ad lævam eſt ſuprà dicta ſilva, antiquam loci nominiſque memoriam cuſtodiens, vulgò *Selva dell' Aglio* dicta. Florus lib. i cap. xi ſic habet: *Sora (quis credat?) & Algidum terrori fuerunt: Satricum atque Corniculum provinciæ. de Verulis & Bovillis, pudet, ſed triumphavimus. Tibur nunc ſuburbanum, & æſtivæ Præneſte deliciæ, nuncupatis in Capitolio votis petebantur. idem tunc Fæſulæ, quod Carræ nuper: idem nemus Aricinum, quod Hercynius ſaltus; Fregellæ, quod Geſoriacum; Tiberis, quod Euphrates*. En, ut diſertè opida, ſilvas, flumina, inter ſe quæque comparat: *Algidum* autem inter opida connumerat. Hinc etiam Stephani epitomator, Ἄλγιδος, inquit, πόλις Ἰταλίας. τὸ ἐθνικὸν Ἀλγίδιος. Id eſt: *Algidus, opidum Italiæ. unde gentilitium Algidius*. At Romanis haud dubiè opidani inde habebantur Algidenses. ſic quidpe Plinius lib. xviiii cap. v inter genera raphanorum *Algidenſe, à loco* ſic dictum, refert. Fuit igitur *Algidi* nomine cùm *opidum*, tùm *mons*: ſed hic ſupino frugiferoque campo porrectus. unde Ovidius Faſtor. lib. vi:

Scilicet hic olim Volſcos Aequosque fugatos
Viderat in campis Algida terra tuis.

Dianae nemus, & templum.

Nemvs heic, quod nunc *Selva dell' Aglio* dicitur, jam olim exſtitiſſe, atque in eo Dianae templvm, auctor eſt Horatius Carmin. lib. i odâ xxi, his verbis:

Dianam teneræ dicite virgines:
Intonſum pueri dicite Cynthium;
Latonamque ſupremo
Dilectam penitus Iovi.
Vos lætam fluviis & nemorum comâ,
Quæcumque aut gelido prominet Algido,
Nigris aut Erymanthi
Silvis, aut viridis Cragi;
Vos Tempe totidem tollite laudibus,
Natalem mares Delon Apollinis,
Inſignemque pharetrâ
Fraternâque humerum lyrâ.

Et in Carmine ſeculari:

Quæcumque Aventinum tenet Algidumque,

Quinde-

Quindecim Diana preces virorum
Curet, & votis puerorum amicas
Adplicet aureis.

Ad priorem locum ita vetus commentatur Scholiaſta: *In monte Algido*. Ad poſteriorem verò ſic: *Algidus mons ab adſiduo frigore adpellatus; non longè ab urbe Româ: in quo monte Romani etiam Dianæ ſacra celebrabant.* Statius Silvar. lib. IIII carm. IIII, ſuburbana Romæ frigora recenſens:

Hos Præneſte ſacrum, nemus hos glaciale Dianæ,
Algidus aut horrens, aut Tuſcula protegit umbra.
Tiburis hi lucos Anienaque frigora captant.

Magnarum etiam arborum fuiſſe ſilvam, idem Horatius innuit Carm. lib. IIII odâ IIII, his verbis:

Duris ut ilex tonſa bipennibus
Nigræ feraci frondis in Algido,
Per damna, per cædeis, ab ipſo
Ducit opeis animumque ferro.

Ad hæc ita prædicta Scholia: *Algidus mons eſt in agro Tuſculano*. Certè haud perinde nugatur hic commentator. namque adeò *Algidus mons* cum *Tuſculanis collibus* conjunctus atque connexus erat, uti & ipſe Straboni ac Plinio *Tuſculanus* habitus ſit. Strabonis verba modò audivimus. Plinii lib. XVI cap. XLIIII ſunt iſta: *Eſt in ſuburbano Tuſculani agri colle, qui Corne adpellatur, lucus antiquâ religione Dianæ ſacratus à Latio, velut arte tonſili coma fagei nemoris. in hoc arborem eximiam ætate noſtrâ adamavit Paſſienus Criſpus, bis conſul, orator; Agrippinæ matrimonio & Nerone privigno clarior poſteà; oſculari complectique eam ſolitus; non modò cubare ſub eâ, vinumque illi effundere. Vicina luco eſt ilex, & ipſa nobilis,* XXXV *pedum ambitu caudicis;* X *arbores mittens: ſingulas magnitudinis viſendæ. ſilvamque ſola facit.* Huius *Tuſculani agri* ſive in *Algido monte collis* nomen CORNE ut ſatis ſanum ac ſine vitio ſit, vehementer ego vereor. Apud Livium ſuprà dicto lib. III ita ſcriptum eſt: *Dum ad Antium hæc geruntur, interim Aequi, robore juventutis præmiſſo, arcem Tuſculanam improviſò nocte capiunt: reliquo exercitu haud procul mœnibus Tuſculi conſidunt.* Mox: *Aliquot menſeis Tuſculi bellatum. parte exercitus conſul caſtra Aequorum oppugnabat; partem Tuſculanis dederat, ad arcem recuperandam. Vi numquàm eò ſubiri potuit. fames poſtremò inde detraxit hoſtem. quò poſtquàm ventum ad extremum eſt; inermes nudique omnes ſub jugum ab Tuſculanis miſſi. Hos, ignominioſâ fugâ domum ſe recipienteis, Romanus conſul in Algido conſequutus, ad unum omneis occîdit. victor ad Columem (id loco nomen eſt) exercitu reducto, caſtra locat. Et alter conſul, poſtquàm mœnibus Romanis, jam pulſo hoſte, periculum eſſe deſierat, & ipſe ab Româ profectus. Ita bifariam conſules ingreſſi hoſtium fineis, ingenti certamine hinc Volſcos hinc Aequos populantur.* Suſpectum viris doctis haud immeritò eſt hoc quoque loci vocabulum COLVMES; quando formationem Latinæ lingvæ habere minùs videbatur. Illi an ſatis feliciter conjecerint, qui, vocum ſimilitudinem ſectanctes, eumdem locum eſſe volunt, quod nunc opidum, XII milliaria ab Româ disſitum, vulgò dicitur *La Colonna*, vehementer ego dubito. quidpe cur huc extra viam conſul exercitum, quem ad Tuſculum atque Algidum duxerat, reducere voluerit, rationem diſpicio planè nullam. longéque credibilius eſt, in ipſis finibus Aequorum, in quos rediturus erat, poſuiſſe eum caſtra, inter Tuſculum & Algidum, circa caſtellum, quod vulgò vocatur *Rocca Priora*. Quin ego omnino mihi perſvadeo, eumdem hunc eſſe locum, qui *Corne collis* apud Plinium vocatur. nec dubito, quin alterum ex his vocabulis ſit corruptum. Ad genus tamen quod attinet; potuit is promiſcuè, modò neutro genere *Corne* ſeu *Columen*, modò maſculino *Cornes* ſive *Columes* dici: quemadmodùm ſuprà cap. III dictus Etruriæ mons *Soracte* & *Soractes* dicebatur; & cap. VI memoratum Vmbriæ opidum *Cale* & *Cales*. Cæterò amœnitatem Algidenſis agri Silius quoque innuit lib. XII, ſic de Hannibalis itinere, ex Campaniâ ad urbem Romam acto, canens:

——— *Mox & vicinus Aquinas,*
Et quæ fumantem texère giganta Fregellæ,
Agmine carpuntur volucri. fert concitus inde
Per juga celſa gradum, duris quà rupibus hæret

CORNE, ſive COLVMES, locus ſeu collis.

Bellator

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Bellator Fruſino, & ſurgit ſuſpenſa tumentì
Dorſo frugiferis Cerealis Anagnia glebis.
Iamque adeò eſt campos ingreſſus & arva Labici;
Linquens Telegoni pulſatos ariete muros,
Haud dignam inter tanta moram: nec amœna retentant
Algida, nec juxtà Iunonis tecta Gabinæ.

Per *Telegoni muros* intelligit *Tuſculum*; ut infrà lib. III cap. IIII clarebit. Hinc de eodem itinere ſic Livius lib. XXVI: *Hannibal, infeſtiùs perpopulanto agro Fregellano, propter interciſos pontcis, per Fruſinatem Ferentinatemque & Anagninum agrum in Labicanum venit. inde Algido Tuſculum petiit. nec receptus mœnibus, infra Tuſculum dextrorſus Gabios deſcendit.* Sed & FORTVNAE FANVM in Algido videtur fuiſſe. Livius lib. XXI: *Supplicatio Fortunæ in Algido imperata.* Tam clarus itaque tamque celebris hic fuit locus.

FORTVNAE *fanum.*

CORBIO *opidum.*

Vltra Algidum protinus fuit CORBIO *opidum*; quod Dionyſio & Livio Stephanique breviatori memoratur. quorum hic, Κορβιών, πόλις Αἰκανῶν ἐν Ἰταλίᾳ· Διονύσιος Ῥωμαϊκῆς ἀρχαιολογίας [adde, quod interiit, ί.] τὸ ἐθνικὸν Κορβιώνιος, ὡς Ἀντρώνιος. Id eſt: *Corvio, opidum Aequanorum in Italiâ; auctore Dionyſio Romanar. antiquit. lib. X. Gentilitium inde Corvionius; ut Antronius.* Livius lib. III: *Nec diuturnam quietem Aequi dederunt. qui rupto fœdere, quod ictum erat priore anno cum Romanis, imperium ad Gracchum Cluilium deferunt. is tum longè princeps in Aequis erat. Graccho duce in Lavicanum agrum, inde in Tuſculanum hoſtili populatione veniunt. plenique prædæ in Algido caſtra locant.* Aliquanto pòſt: *L. Quintius Cincinnatus conſenſu omnium dictator dicitur.* Vincuntur in Algido Aequi. hinc ita poſteà: *A prælio ad preces verſi, hinc dictatorem, hinc conſulem orare, ne in occidione victoriam ponerent; ut inermeis ſe inde abire ſinerent. Ab conſule ad dictatorem ire juſſis, ignominiam infenſus addidit. Gracchum Cluilium ducem principesque alios vinctos ad ſe adduci jubet; opido Corbione decedi. ſangvinis ſe Aequorum non egere. licere abire. ſed, ut exprimatur tandem confeſſio, ſubactam domitamque eſſe gentem, ſub jugum abituros.* Idem bellum narrat Dionyſius lib. X: ubi inter alia ſunt iſta: Ὁ δὲ Κοΐντιος τοῖς μὲν ἄλλοις Αἰκανοῖς ἔφη συνέρχεσθαι, καὶ διδόναι τοῖς σώμασι τὴν ἄδειαν, τά τε ὅπλα ἀποθεμένοις καὶ καθ᾽ ἕνα διεξιοῦσιν ὑπὸ ζυγόν· Γράκχῳ δὲ, τῷ ἡγεμόνι τοῦ πολέμου, καὶ τοῖς σὺν ἐκείνῳ βουλεύσασι τὴν ἀπόστασιν, ὡς πολεμίοις χρήσασθαι· ἐκέλευέ τε αὐτοῖς ἄγειν τοὺς ἄνδρας δεδεμένους. Ὑπομενόντων δὲ ταῦτα τῶν Αἰκανῶν, τελευταῖον αὐτοῖς ἐκεῖνο προσέταξεν· ἐπειδὴ Τύσκλον, πόλιν Ῥωμαίων σύμμαχον, ἐξανδραποδίσαντο καὶ διήρπασαν, οὐδὲν ὑπὸ Τυσκλανῶν παθόντες κακὸν, ἀντιπαρασχεῖν ἑαυτῷ πόλιν τῶν σφετέρων Κορβιῶνα, τὰ ὅμοια διαθεῖναι. Id eſt: *Quintius reſpondit; Se cæteris quidem Aequis pacem daturum; liberosque dimiſſurum, ſi poſitis armis ſinguli ſubire jugum vellent: Gracchum verò, belli ducem, cum reliquis defectionis auctoribus, ut hoſtem tractaturum. juſſitque, uti eos vinctos ſibi dederent. Quibus rebus Aequanis adnuentibus, illud inſuper mulctæ nomine impoſuit; uti, quum Tuſculanos, populi Romani ſocios, nullâ laceſſiti injuriâ, capto & direpto opido, in ſervitutem abegiſſent, viciſſim ſibi è ſuis opidis Corbionem traderent, eodem tractandum modo.* Hoc dedi poſtulavit, quò præſidium ei Romanum imponeretur; ne tam facilè inde in Algidum, atque hinc in Tuſculanum cæterumque Latinorum agrum excurrere quirent. Dionyſius haud ita multo pòſt: Αἰκανοί τε, οἱ νεωστὶ καταπολεμηθέντες, ἐν τοῖς ὅπλοις αὖθις ἦσαν. καὶ οἱ μὲν ἀκμαιότατοι αὐτῶν νυκτὸς ἐλάσαντες ἐπὶ Κορβιῶνα πόλιν, ἣν ἐν τῷ παρελθόντι ἐνιαυτῷ Ῥωμαίοις παρέδοσαν, τήν τε φρουρὰν τὴν ἐν αὐτῇ κοιμωμένην εὑρόντες κατέσφαξαν· οἱ δὲ λοιποὶ μεγάλῃ χειρὶ στρατεύσαντες ἐπὶ πόλιν Βιρτῶνα τοῦ Λατίνων ἔθνους, ἐξ ἐφόδου παραλαμβάνονται. Id eſt: *Aequani etiam, nuper devicti, arma reſumpſerunt. & miſſo per noctem juventutis robore, Corbionis, quod opidum ſuperiore anno Romanis dediderant, præſidium ſopitum adgreſſi interfecerunt. cæteri magno numero egreſſi, Virtonem, Latinæ gentis opidum, primo impetu ceperunt.* Livius dicto lib. III aliquanto pòſt: *Sequuntur conſules, Q. Minucius, M. Horatius Pulvillus. cuius initio anni quum foris otium eſſet, domi ſeditiones iidem tribuni, eadem lex faciebat. ulteriùsque ventum foret, ni, velut deditâ operâ, nocturno impetu Aequorum Corbione amiſſum præſidium, nunciatum eſſet. Senatum conſules vocant. jubentur ſubitarium ſcribere exercitum & in Algidum ducere.* Et paullo pòſt: *Horatius, quum jam Aequi, Corbione interfecto præſidio, Hortanam etiam cepiſſent, in Algido pugnat: multos mortaleis occidit: fugat hoſtem non ex Algido modò, ſed à Corbione Hortanâque. Corbionem etiam*

diruit,

diruit, propter proditum præſidium. Dionyſius dicto lib. x poſteà: ὁ δ᾽ ὕπατος ἤδη τετρυμμένους τοὺς πολεμίους, καὶ πολλὰ τῆς χώρας αὐτῶν κακώσας, τοῦ τε Κορβιῶνος τὰ τείχη κατασκάψας, καὶ τὰς οἰκήσεις ἐκ θεμελίων ἀνελών, ἀπῆγε τὴν δύναμιν ἐπ᾽ οἴκου. Id eſt: *Horatius, hoſte profligato, magnâque agri parte pervaſtatâ, demum Corbionis tum mœnia tum privata ædificia funditus evertit: atque ita reduxit exercitum.* Conſules fuêre Q. Minucius Augurinus & M. Horatius Pulvillus anno Vrbis CCXCVII; ante natum Ieſum anno CCCCLVI. Atque hæc poſtrema huius opidi mentio. At jam ante id tempus Romanos præſidio id ſuo tenuiſſe, auctor eſt idem Dionyſius lib. V, in conſulatu A. Poſtumii Augurini & T. Virginii Tricoſti, anno Vrbis CCLVIII; ubi omnis Latinorum gens contra Romanos arma ſumpſit. Ἧκον ἀγγέλλοντες, inquit, οἱ σκοποὶ πανστρατιᾷ Λατίνους ἐξεληλυθότας. καὶ αὖθις ἕτεροι, δηλοῦντες, ἐξ ἐφόδου τι καταληφθῆναι πρὸς αὐτῶν χωρίον ἐχυρόν, Κορβιῶνα καλούμενον, ἐν ᾧ φρουρὰ ἦν Ῥωμαίων ἐνοικουροῦσα ὀλίγη· καὶ τούς τε ἅπαντας διαφθείραντες, καὶ τὸ χωρίον αὐτῶν κατασχόντες, ὁρμητήριον ἐποιοῦντο τοῦ πολέμου. * · * · Ταῦτα μαθὼν ὁ Ποστούμιος, ἐξεβοήθει διὰ τάχους· ἀγαγὼν δὲ ἐν νυκτὶ τὴν σὺν αὐτῷ στρατιὰν πορείᾳ συντόνῳ, παραπλήσιον γίνεται τῶν Λατίνων ἐστρατοπεδευκότων παρὰ λίμνῃ Ῥηγίλλῃ. Hoc eſt: *Speculatores nunciant, Latinos iter ingreſſos eſſe cum toto exercitu. & mox alii; repentino eos adventu occupaſſe caſtellum Corbionem, à paucis cuſtoditum præſidiariis: quos illi ad unum occiderunt; eumque locum fecerunt belli receptaculum.* Paullo poſt: *His cognitis, Poſtumius celeriter occurrit hoſtibus. properatoque per noctem itinere, cum ſuis copiis venit prope caſtra Latinorum, ad lacum Regillum.* Inter Præneſtinam Lavicanamque vias caſtra tum habuiſſe utroſque, circa opidum *Columnam*, è regione *Regilli lacus*, qui vulgò nunc eſt *Lago di Santa Praſſede*, infrà lib. III cap. IIII in expoſitione huius lacus oſtendetur. Meminit iterum *Corbionis* Dionyſius lib. VIII, in hiſtoriâ Cn. Marcii Coriolani. Ὁ δὲ Μάρκιος, inquit, τὴν δύναμιν ἀναλαβὼν ἦγεν ἐπὶ τοὺς Λαβικανούς. παραλαβὼν δὲ καὶ ταύτην τὴν πόλιν, ἐξηνδραποδίσατο. Ἀναστήσας δὲ τὴν δύναμιν ἐκεῖθεν, ἐπὶ τὴν Πεδανῶν πόλιν ἀφικνεῖται· καὶ αὐτὴν ἅμα τῷ πλησιάσαι τοῖς τείχεσιν αἱρεῖ κατὰ κράτος. Καὶ ἕωθεν εὐθὺς ἀναστήσας τὴν δύναμιν, ἦγεν ἐπὶ Κορβιῶνα. Id eſt: *Marcius hinc exercitum adversùs Lavicanos duxit. quorum opido capto, captivos ſub haſtâ vendidit. Inde copias ad Pedanorum opidum traduxit. quod & ipſum primo impetu cepit. Poſtridiè primâ luce ad Corbionem duxit exercitum.* Patet haud obſcurè ex his omnibus, fuiſſe *Corbionem* protinus ultra Algidum, circa viam Lavicanam, versùs Præneſte, Latinorum, quod infrà lib. III cap. IIII patebit, opidum.

Fuit prætereà eodem tractu finitimum Latinis opidum Aequorum VITELLIA. Livius lib. II; de Cn. Marcio Coriolano, qui, pulſus urbe Româ, apud Volſcos exſulabat: *Circeios profectus, primùm colonos inde Romanos expulit; liberamque eam urbem Volſcis tradidit: inde in Latinam viam transverſis tramitibus transgreſſus, Satricum, Longulam, Polluſcam, Coriolos, novella hæc Romanis opida ademit: inde Lavinium recepit. tunc deinceps Corbionem, Vitelliam, Trebiam, Labicos, Pedum, cepit. poſtremùm ad Vrbem à Pedo ducit.* Et lib. V: *Omni civitate in unam eam curam converſâ, Vitelliam, coloniam Romanam, in ſuo agro Aequi expugnant. colonorum pars maxima incolumis, (quia nocte proditione opidum captum, liberam per averſa fugam dederat) Romam perfugêre.* Svetonius in Vitellio, cap. I: *Indicia ſtirpis diu manſiſſe: viam Vitelliam ab Ianiculo ad mare usque: item coloniam eiusdem nominis; quam gentili copiâ adversùs Aequiculos tutandam olim depopoſciſſent.* Apud Dionyſium lib. VIII, poſtquàm eumdem Marcium Coriolanum opida *Circeios, Toleriam, Volam, Labicos, Pedum, Corbionem, Coriolos, Bovillas, Lavinium, Longulam, Satricum*, cepiſſe narratum eſt, hæc tandem ad finem eius narrationis adjecta leguntur: Τὴν λοιπὴν ἀναλαβὼν δύναμιν, ἦγεν ἐπὶ πόλιν ἄλλην τὴν καλουμένην Κετίαν. γενόμενος δὲ καὶ ταύτης ἐγκρατής, καὶ διαρπάσας, εἰς τὴν Πολυσκανῶν χώραν ἐνέβαλεν. οὐ δυνηθέντων δὲ ἀντισχεῖν τῶν Πολυσκανῶν, κατὰ κράτος ἑλὼν καὶ αὐτούς, ἐπὶ ἐξῆς ἐχώρει. Ἀλβιέτας μὲν οὖν καὶ Μογιλανοὺς ἐκ τειχομαχίας αἱρεῖ· Κοριολανοὺς δὲ καθ᾽ ὁμολογίας λαμβάνει. Γενόμενος δὲ ἐν ἡμέραις τριάκοντα πόλεων ἑπτὰ κύριος, ἧκεν ἐπὶ τὴν Ῥώμην. Hoc eſt: *Cum reliquo exercitu Cetiam petiit. & hac etiam captâ direptâque, in Poluſcanum agrum inrupit. qui quum ei reſiſtere non poſſent, expugnato eo quoque opido, ordine perrexit ad cætera. Itaque Albietas & Mægilanos vi expugnavit: Coriolanos verò per deditionem recepit. Cæterùm ſubactis intra XXX dies ſeptem opidis, Romam petiit.* Præter *Polluſcanos*, omnium reliquorum

VITELLIA colonia.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

liquorum vitiata ſunt vocabula. Ac Κοριολανοὺς quidem corrigi à doctis viris in Κωρανοὺς, ſatis placet. nam τοὺς Κοριολανοὺς jam anteà memoravit auctor. At Μογιλλανοὺς & Ἀλβιῆτας qua ratione aut quo indicio verti poſſint in *Mugillanos* & *Albienas*, minimè diſpicio. nec Κελίαν puto eſſe poſſe *Setiam* opidum: quando huius nomen ſcribebatur Græcis, ut infrà ſuo loco patebit, Σητία. Quapropter hoc loco ſcripſiſſe Dionyſium Οὐιτελλίαν, ſive Βιτελλίαν, id eſt, *Vitelliam*, ex præſcripto Livii loco ferè crediderim. Ac fortè ex Dionyſio habuit Stephanus, quæ epitomator eius ſic refert: Βίτελλα, πόλις Ἰταλίας. τὸ ἐθνικὸν Βιτελλῖνος. Id eſt: *Vitella, opidum Italiæ. gentilitium inde Vitellinus*. Haud dubiè ipſe Stephanus ſcripſerat, ac fortaſſe etiam epitomator, Βιτελλία, *Vitellia*. namque à *Vitella* rectiùs fiebat gentile *Vitellanus*, vel *Vitellenſis*. Apud Diodorum quoque lib. XIIII, in rebus ſub idem tempus geſtis, ita ſcriptum eſt: Ῥωμαῖοι τῶν Οὐεξίων χώραν κατεκληρούχησαν, κατ' ἄνδρα δόντες πλέθρα τέτταρα, ὡς δέ τινες, εἰκοσιοκτώ. καὶ πρὸς μὲν Αἰκούους διαπολεμοῦντες, Λίφλον πόλιν κατὰ κράτος εἷλον· Οὐελιτρίνων δὲ ἀποστάντων, πόλεμον πρὸς αὐτοὺς ἐνεστήσαντο. Ἀπέστη δὲ καὶ Σάτρικον ἀπὸ Ῥωμαίων. καὶ εἰς Κερκιοὺς ἀποικίαν ἀπέστειλαν. Heic jam anteà viri docti vitiata vocabula Οὐεξίων, Αἰκούους, & Κερκιοὺς, emendarunt in Οὐηίων, Αἴκους, & Κιρκαίους. unde totus locus ſic vertitur: *Romani Veientem agrum diviſerunt; quaterna jugera, vel, ut alii tradunt, vicena octona ſingulis tribuentes. Illatique Aequis bello, Liflum opidum vi ceperunt. Veliternis etiam ob defectionem bellum moverunt. Sed & Satricum defecit. Circæos verò colonia deducta eſt.* Verùm hoc quoque vocabulum Λίφλον vitioſum eſſe videtur; quando nullibi aliàs cognitum, & nimis barbara eius eſt formatio. Atque ſuſpicionem hanc auget alius locus in rebus geſtis anni continuò ſubſequentis; ubi ita ſcriptum: Ῥωμαῖοι δὲ Λιφοίκαν πόλιν ἐκ τοῦ τῶν Αἴκων ἔθνους ἑλόντες, κατὰ τὰς τῶν ὑπάτων εὐχὰς μέγαν ἀγῶνα τῷ Διῒ συνετέλεσαν. Id eſt: *Romani poſtquàm Liſæcam de Aequorum gente cepiſſent, votos à conſulibus ludos Iovi magnificos ediderunt*. Idem opidum heic intelligi, quod priori loco eſt *Liflum*, ne alii quidem ante me dubitarunt. at quod tandem verum germanumque eius fuerit nomen, planè incertum eſt. quidpe neque *Polluſcam*, neque *Algidum*, nec *Vitelliam* commodè inde conjeceris. Cæterùm *Vitellia* quo ſitu in Latinorum Aequorumque confinio, & quàm diu ſuperſtes fuerit, nusquàm adnotatum invenio. Apud Plinium lib. III cap. V opidani in Latio memorantur *Vicellenſes*, ſeu, ut alia habent exemplaria, *Vicelienſes*. equidem haud dubito, quin ipſi Plinio fuerint ab *Vitellia* VITELLIENSES; qui Stephano, ut ſuprà relatum, ſunt VITELLINI. Verùm Plinio inter eos *antiqui Latii* numerantur *populos*, qui jam tum eius tempeſtate *interierant ſine veſtigiis*.

BOLAE opidum.

Aliud fuit Aequorum opidum, nomine pluralis numeri Βῶλαι, BOLAE. ſive VOLAE. Memoratur Livio, Diodoro, Dionyſio, & Stephani breviatori. Verùm, quia opidani inde ſunt apud Plinium lib. III cap. V inter reliqua vocabula, quæ à B litera incipiunt, BOLANI; Livium quoque eamdem perſcripſiſſe literam cenſeo: pro qua poſterioris ævi exſcriptores grammatici ſuppoſuêre confinem literam V. Diodori verba fine lib. XIIII hæc ſunt: Ἀκούσας δὲ ὁ αὐτοκράτωρ πολιορκεῖσθαι Βώλας πόλιν ὑπὸ Αἴκων, τῶν νῦν Αἰκικλῶν καλουμένων, ἀγαγὼν τὴν δύναμιν, τοὺς πλείστους τῶν πολιορκούντων ἀνεῖλεν. Hoc eſt: *Dictator, Bolas ab Aequis, qui nunc Aequiculi vocantur, oppugnari audiens; ductis eò copiis, maximam obſidentium partem trucidavit*. Dionyſius prædicto lib. VIII, de Marcio Coriolano: Ὁ δὲ στρατηγὸς ἀπῆγε τὴν δύναμιν ἐπὶ Βωλανῶν πόλιν. * — *. γενόμενος δὲ καὶ ταύτης κύριος, τὴν δύναμιν ἀναλαβὼν, ἦγεν ἐπὶ τοὺς καλουμένους Λαβικανούς. Id eſt: *Imperator copias hinc duxit ad Bolanorum opidum*. Aliquanto pòſt: *Expugnato eo quoque opido, exercitum adversùs Labicanos duxit*. Livius lib. IIII: *Aequos triennio antè accepta clades prohibuit Volanis, ſuæ gentis populo, præſidium ferre. Excurſiones inde in confinem agrum Lavicanum factæ erant; novisque colonis bellum illatum. quam noxam quum ſe conſenſu omnium Aequorum defenſuros ſperaſſent; deſerti ab ſuis, ne memorabili quidem bello, per obſidionem levemque unam pugnam & opidum & fineis amisêre. Tentatum ab L. Sextio tribuno plebis, ut rogationem ferret, qua Volas quoque, ſicut Lavicos, coloni mitterentur, per interceſſionem collegarum, qui, nullum plebis ſcitum, niſi ex auctoritate ſenatus, paſſuros ſe perferri, oſtenderunt, diſcuſſum eſt. Volis inſequente anno receptis, Aequi, coloniâ eò deductâ, novis viribus opidum firmarunt; tribunis militum Romæ conſulari poteſtate Cn. Cornelio Coſſo,*

Coſſo, L. Valerio Potito, Q. Fabio Vibulano iterum, M. Poſtumio Regillenſi. Huic bellum adversùs Aequos permiſſum eſt; pravæ mentis homini: quam tum victoria magis, quàm bellum oſtendit. nam exercitu impigrè ſcripto, ductoque ad Volas, quum levibus prœliis Aequorum animos fregiſſet; poſtremò in opidum irrupit. Et lib. VI: *Victor Camillus ex Volſcis in Aequos transiit, & ipſos bellum molienteis. exercitum eorum & Bolas oppreſſit. nec caſtra modò, ſed urbem etiam adgreſſus, impetu primo cepit.* Patet ex his, fuiſſe *Bolas* opidum in confinio Latinorum, circa *Præneſte* & *Labicos*; quorum hoc nunc vulgò dici *Zagaruolo*, infrà lib. III cap. IIII oſtendetur. At Stephani epitomatori ſingulari numero dicitur *Bola*. Βῶλα, inquit, ὡς Νῶλα, πόλις Ἰταλίας. τὸ ἐθνικὸν Βωλανοί, ὡς Νωλανοί. Id eſt: *Bola, ut Nola, opidum Italiæ. gentilitium Bolani, ut Nolani.* Sed hoc etiam opidum Plinius dicto lib. III cap. V inter ea computat, quæ jam tum *interierant ſine veſtigiis.*

Trans Anienem quæ fuêre, eorum præcipua ad noſtram hanc ætatem duraverunt; licèt mutatis ſæpè cultoribus. Iter hoc tractu Itineraria Romana habent huiusmodi:

Tabulæ;		Antonini;	
A Româ viâ Tiburtinâ			
Ad Aquas Albulas	XVI.	*Viâ Valeriâ ab Vrbe*	
Tibori	....	*Tiburi*	XX.
Varie	VIII.		
Lamnas	V.		
Carſulis	X.	*Caſſiolos*	XXII.
In monte grani	VI.		
In monte carbonario	V.		
Vignas	V.		
Sublatio	VII.		
Marrubio	....		
Alba	XIII.	*Alba Fucentia*	XXV.

Via Tiburtina ab Româ ferebat Tibur usque. inde incipiebat *Valeria*, in Marſos VALERIA ſive VARIA *opidum.*
ducens. Strabo lib. V: Ἡ Οὐαλερία δὲ ὁδὸς ἄρχεται μὲν ἀπὸ Τιβύρων, ἄγει δ᾽ ἐπὶ Μαρσοὺς καὶ Κορφίνιον, τὴν τῶν Πελιγνῶν μητρόπολιν. εἰσὶ δ᾽ ἐν αὐτῇ Λατίναι πόλεις, Οὐαλερία τε καὶ Καρσέολοι καὶ Ἄλβα. Id eſt: *Valeria via à Tibure incipit; ducitque in Marſos & ad Corfinium, Pelignorum gentis caput. Sunt autem in eâ Latina opida, Valeria, Carſeoli, & Alba.* VARIA Tabulæ itinerariæ quin ſit idem opidum, quod vulgò nunc in dextrâ Anienis ripâ vocatur *Vico Varo*, dubium eſſe nullum poteſt; quando & nomen & intervallum VIII millium paſſuum probè conveniunt. quidpe, licèt plerique incolarum VI tantùm hoc ſpacio numerent hodiè milliaria; tamen VIII æqua millia eſſe paſſuum, egomet deprehendi. Apud Strabonem itaque etiam ſcriptum fuiſſe ſuſpicabar, Οὐαρία τε καὶ Καρσέολοι, *Varia* & *Carſeoli*: quod vocabulum poſtmodùm exſcriptores corrupiſſent in Οὐαλερία· ſcilicet, quia id opidum in *viâ Valeriâ* poſitum erat: ni apud Anaſtaſium in vitâ Bonifacii IIII ita ſcriptum foret: *Natione Marſorum de civitate Valeriâ.* Nomen *Marſorum* latiùs eo ævo ſumebatur; ut compluribus aliis patet exemplis. Exſtant hodiéque ad dictum opidum *Vicovâro* inſcriptiones aliquot antiquæ. tum muri etiam, quo opidum cingitur, pars ingentibus ſaxis quadratis antiqui operis conſtat.

CARSEOLI *opidum* memoratur hoc nomine Ovidio, Livio, Iul. Obſequenti, CARSEOLI *colonia.*
& Floro. atque opidani hinc Ovidio, Plinio, & Columellæ, CARSEOLANI. Ovidius Faſtor. lib. IIII:

Frigida Carſeolis, nec olivis apta ferendis,
Terra: ſed ad ſegetes ingenioſus ager.
Hac ego Pelignos, natalia rura, petebam:
Parva; ſed adſiduis humida ſemper aquis.

Et poſteà:

Factum abiit. monumenta manent. nam dicere certam
Nunc quoque lex vulpem Carſeolana vetat.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Transibat *Carſeolos* Ovidius ab urbe Româ Pelignos & patriam Sulmonem petens, quia in *Valeriâ viâ* poſita erat; ut ex Strabone Itinerariiſque Romanis paullo antè intelleximus. Iul. Obſequens in libro de Prodigiis ſic habet: *Carſeolis torrens ſangvinis fluxit.* Columellæ lib. III cap. VIIII *Carſeolanus citatur ager.* Plinius lib. III cap. XII: *Æquiculanorum Cliternini, Carſeolani.* At Phlegonti Tralliano, Ptolemæo, & Paullo Diacono opidum dicitur Καρσίολοι, CARSIOLI. quod vocabulum in præſcripto Antonini itinerario, corruptum eſt in *Caſſiolos.* Phlegon in libro de Longævis: Ἰουλία Μοδεστίνα, πόλεως Καρσιόλων, ἔτη ἑκατὸν εἴκοσι. Id eſt: *Iulia Modeſtina, opido Carſiolis, annos* CXX. Paul. Diaconus Langobard. rer. lib. II cap. XX: *Tertiadecima provincia Valeria, habet urbeis, Tiburim, Carſiolis, Reate, Furconiam, & Amiternum, regionemque Marſorum & eorum lacum, qui Fucinus adpellatur.* Sed in quibuſdam exemplaribus eſt *Carſulis*; ut Tabula itineraria habet. quo nomine in Vmbriâ fuiſſe opidum, ſuprà cap. VII huius libri II intelleximus. Hodiè opidum eſt à dextrâ Anienis ripâ introrſus, mediâ fermè regione inter Vicumvarum & Sublaqueum, vulgari vocabulo *Arſuli*; juxta quod in viâ antiquo ſilice ſtratâ lapis milliarius, ſuperioribus annis repertus, numerum refert XXXVIII millium paſſuum. Is igitur locus ex vocabuli ſimilitudine ſimulque ex intervallo cognoſcitur eſſe opidum *Carſeoli*. Puto, eâdem ratione capitalem heic literam *C* interiiſſe, ut in Sabinorum opido *Caſperiâ*; quod nunc *Aſpra* dici, ſuprà cap. VIIII oſtenſum. De cætero *coloniam* Romanos *Carſeolos* quondam deduxiſſe, auctor eſt Livius lib. X, in conſulatu M. Livii Dentris & C. Aemilii Paulli, anno urbis Romæ CCCCLI. *Marſos*, inquit, *agrum vi tueri, nunciabatur, in quem colonia Carſeoli deducta erat, quatuor millibus hominum ſcriptis.* Et eodem libro, quadriennio pòſt, iu conſulatu L. Cornelii Scipionis & Cn. Fulvii Centumali: *Eodem anno Carſeolos, colonia in agrum Aequiculorum deducta.* Hæc ſanè de unâ eadémque re ex duobus diverſis antiquioribus ſumpſiſſe Livium auctoribus, qui & tempus deductæ coloniæ, & gentem in quam deducta, variaverunt, certum eſt. Talia plura eſſe in lib. VIIII ac X, ſuperiori capite in Marſis monuimus; pluribusque documentis infrà in Samnitibus oſtendemus. Coloniam iterum adpellat *Carſeolos* lib. XXVI & XXVIIII; Vſos fuiſſe Romanos eo opido poſteà cuſtodiæ loco, in quam nobiliores captivos adſervandos mitterent, patet ex eiusdem Livii lib. XLV. *Patres*, inquit, *cenſuerunt, ut Q. Caſſius Perſea regem cum Alexandro filio Albam in cuſtodiam duceret. Bitis, regis Thracum filius, cum obſidibus in cuſtodiam Carſeolos eſt miſſus. Cæteros captivos, qui in triumpho ducti erant, in carcerem condi placuit.* Poſterioribus etiam temporibus ſplendidam fuiſſe urbem, patet ex Tabulâ itinerariâ; in qua primariæ urbis figurâ exhibetur.

AD LAMINAS, *locus.*

Cæterùm loci illius, cui in Tabulâ itinerariâ inter Variam & Carſeolos nomen eſt LAMINAE plurali numero, ſitus ex intervallis ferè incidit in opidum, quod vulgò nunc adpellatur *Cantalupo.*

SVBLAQVEVM *villa.*

SVBLAQVEVM *villa*, ſive SVBLACENSIS *villa Neronis*, memoratur Plinio, Tacito, Frontino, Tabulæ itinerariæ, Paul. Diacono, Chronico Caſſinenſi, Aimoino, & Martyrologio Romano. Plinius lib. III cap. XII: *Anio, in monte Trebanorum ortus, lacus treis amœnitate nobileis, qui nomen dedêre Sublaqueo, defert in Tiberim.* De lacubus hisce, qui *Simbrivini* cognominabantur, ſuprà cap. X huius libri II pluribus actum. Tacitus Annal. lib. XIIII: *Diſcumbentis Neronis apud Simbruina ſtagna,* [deeſt aliquid: fortè *in villâ*] *cui Sublaqueum nomen eſt, icta dapes, menſaque disjecta erat.* Frontinus in libro de Aquæductibus, de Traiano loquens: *Nec ſatis fuit principi noſtro cæterarum aquarum reſtituiſſe copiam; ſed etiam gratiam. Anienis quoque novi vitia exſcindi poſſe vidit: omiſſo enim flumine, repeti ex lacu, qui eſt ſuper villam Neronianam Sublacenſem, ubi limpidiſſima eſt, juſſit.* At poſteriori ævo dictus eſt *locus* SVBLACVS: unde hodiè vulgare opido vocabulum *Subiaco*, mutato *l* in *i*, ex more Italicæ lingvæ vulgari. ſic quidpe ab *flore, plano, pleno, plumbo, eccleſia, clamare, cludere*, fiunt *fiore, piano, pieno, piombo, chieſa, chiamare, chiudere*; & id genus alia. Chronicon Caſſinenſe lib. I cap. I: *Sanctiſſimus pater Benedictus, relictis literarum ſtudiis, clam fugiens, ad locum, qui Sublacus dicitur,* XL *fermè ad Vrbe millibus diſparatum, devênit.* Paullus Diaconus Langobard. rer. lib. I cap. XXVI, Aimoinus Francicar. rer. lib. II cap. XVI, Regino Anno Chriſti CCCCL: *His diebus beatiſſi-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

beatiſſimus Benedictus pater, & priùs in loco, qui Sublacus dicitur, qui ab urbe Româ XL *millibus abeſt, & poſteà in caſtro Caſſini, & magnæ vitæ meritis & Apoſtolicis virtutibus effulſit*. Martyrologium Romanum: *Tertio Idus Octobris, apud Sublacum in Latio S. Chelidoniæ virginis*. Minùs placet heic doctiſſimi cætera Lipſii ſententia; qui ad præſcriptum Taciti locum ſcribendum potiùs *Sublaceum* docet; quia à *lacu* vocabulum id deductum. Atqui apud Antoninum quoque, in itinere inter Vmbriæ *Nuceriam* & Picentium *Septempedam* locus dicitur *Prolaqueum*: quem vulgò hodiéque vocari *Pioraco*, lacui adpoſitum, ſuprà cap. VI in Vmbriâ oſtendi. & à voce *ſtercus* dictum eſt *ſterquilinium*; ab *incolendo*, *inquilinus*; à *Sanco*, Sabinorum deo, quem ſuprà cap. VIII memoravimus, *Sanqualis porta*, & *Sanqualis avis*. denique antiquus lapis inſcriptus eſt T·HORTENSIO·MVCRONI·NAT·MARSAQVEO. quam nationem Tacitus Hiſtoriar. lib IIII vocat *Marſacos*; Plinius verò lib. IIII cap. XV *Marſatios*: ſicut Geldriæ opidum, quod, apud Rheni ripam, vulgò nunc vocatur *Arnhem*, apud Tacitum Hiſtoriar. lib. V eſt *Arenacum*, in Antonini Itinerario variis in exemplaribus, aliàs *Arenacium*, aliàs *Arenatium*: quorum hoc Tabula etiam habet itineraria: ut in ſuprà ſcripto itinere SVBLATIVM. ex quo ipſo ego colligo, etiam SVBLACIVM fuiſſe dictum. De cætero, quando primùm locus hic muro opidi in modum fuerit cinctus, incertum eſt.

At MONS GRANI, item MONS CARBONARIVS, & locus AD VINEAS (ſic enim in Tabulæ archetypo ſcriptum fuiſſe cenſeo) quibus ſitibus fuerint, minimè diſpicio; quandoquidem iter id inter *Carſeolos* & *Sublacium* per longas ambages circumactum fuiſſe, ex intervallis adparet: quum ab ipsâ Variâ, recto itinere, juxta Anienis ripam, ad Sublaqueum XII tantùm ſint millia paſſuum. quibus ſi VIII adjicias, quæ ab Variâ retro ſunt ad Tibur, & hinc XX quæ Romam usque numerabantur; omni numero habebis millia XL, quæ inter Sublaqueum & Romam colligunt ſuprà dicti ſcriptores, Paul. Diaconus, Aimoinus, & Chronicon Caſſinenſe. MONS GRANI, MONS CARBONARIVS; & AD VINEAS *locus*.

Haud procul fontibus Anienis eſt TREBA *opidum*, Frontino atque Ptolemæo memoratum: quod vulgò nunc incolis dicitur *Treva*, & *Treve*. Opidani inde dicuntur Plinio TREBANI. Ptolemæo inter Latinorum mediterranea opida recenſetur Τρῆβα, & Plinio lib. III cap. V opidani eius in Primâ Italiæ regione; quæ totum Novum Latium cum Campaniâ comprehendebat. Apud Frontinum in libro de Aquæductibus ita legitur: *Oritur Anio ſupra Trebam anguſtam*. Scilicet ad III millia iɔ paſſus. Sed pro vitiosâ voce *anguſtam* docti viri legere malunt *Auguſtam*. quamquàm hoc quoque cognomen unde ei impoſitum, minimè ego intelligo. in ipſis quidem finibus Italiæ & extra Italiam coloniis Auguſti Cæſaris auſpiciis deductis id cognomenti fuiſſe additum, ſcio. unde *Auguſta Taurinorum* & *Auguſta Prætoria Salaſſorum* in Alpibus nominatæ ſunt. Plinius ſitum *Trebæ* oſtendit lib. III cap. XII. *Anio*, inquit, *in monte Trebanorum ortus, lacus treis, amænitate nobileis, qui nomen dedêre Sublaqueo, defert in Tiberim*. In Tabulâ itinerariâ TREBVLAE plurali numero adpellata eadem *Treba* videtur, in hoc itinere: TREBA *opidum*.

Præneſte	
Treblis	XI.
Carſulis	XV.

Certè ex intervallis adparet, hoc quoque iter per longinquas ambages circumactum. ideóque credibile, *Trebulas* hasce eſſe Plinii ac Frontini atque Ptolemæi *Trebam*. Variatum autem fuit unius eiusdemque opidi nomen formatione, quemadmodùm Vmbriæ quoque *Trebia*, quæ nunc vulgò *Trevi* dicitur, nonnullis vocabatur *Trebula*; ut ſuprà in Vmbriæ deſcriptione cap. VII docui.

Sed CLITERNVM *opidum*, Ptolemæo memoratum; unde Ciceroni ac Plinio opidani ſunt CLITERNINI; quo ſitu fuerit, minimè liquet. Ptolemæus: Αἰκουϊκλῶν, Κλείτερνον, Καρσίολοι. *Aequiculorum, Cliternum, Carſioli*. Plinius lib. III cap. XII: *Aequiculanorum, Carſeolani, Cliternini*. Cicero Familiar. lib. VIIII epiſt. XXII: *At honeſti colei Lanuvini; Cliternini non honeſti*. CLITERNVM *opidum*.

Virgilio quoque NVRSAE *opidum* memoratur in Aequiculis Aeneid. lib. VII, his verſibus: NVRSAE *opidum*.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Et te montoſæ miſère in prœlia Nurſæ,
Vfens, inſignem famâ & felicibus armis.
Horrida præcipuè cui gens, adſvetaque multo
Venatu nemorum, duris Aequicula glebis.

Sed & hoc incertum quo ſitu fuerit. & jam dudum interiit. unde & Servio ſitus eius ignotus. quidpe ſic ad Virgilii verba commentatur: *Montoſæ Nurſæ.*] *Civitas in montibus poſita.*

NERVESIA *vicus.*

Plinio lib. XXV cap. VIII NERVESIA etiam memoratur *vicus*; & ipſe abſcondito planè atque incognito ſitu. *Naſcitur*, inquit, *& in Aequiculis, circa vicum Nerveſiæ. vocatur conſiligo.*

FINIS LIBRI SECVNDI AC TOMI PRIMI.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2

1240

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
40 E 2